[illegible] Nº [illegible]

B.1063

# ANNALES
## ECCLESIASTICI
AB ANNO MCXCVIII.
UBI DESINIT
## CARDINALIS BARONIUS,
AUCTORE
## ODORICO
# RAYNALDO
CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERO.

Accedunt in hac Editione
NOTÆ CHRONOLOGICÆ, CRITICÆ, HISTORICÆ,
QUIBUS RAYNALDI ANNALES ILLUSTRANTUR, SUPPLENTUR, EMENDANTUR,
AUCTORE
## JOANNE DOMINICO MANSI
LUCENSI
CONGREGATIONIS MATRIS DEI.

## Tomus Quintus.



LUCÆ
Typis LEONARDI VENTURINI MDCCL.
*De Superiorum Licentia.*

# ANNALES ECCLESIASTICI.

| JESU CHRISTI ANNUS 1313. | CLEMENTIS V. PAP. ANNUS 9. | HENRICI IMP. OCCID. 5. ANDRONICI IMP. ORIEN. 30. |
|---|---|---|

I. (a) *Clem. l. 8. ep. cur. 112. & 118.* Tres Reges crucis ſymbolum in Sarac. Aſiaticos accipiunt.

ADDIXERE (*a*) ſe accepto ſolemni pompa crucis ſymbolo, religioſæ in Saracenos Aſiaticos militiæ tres Reges anno a ſalute humani generis milleſimo trecenteſimo tertio, indictione undecima; quorum exemplo, ac Romani Pontificis adhortationibus delibatus in iis regnis equitum flos Syriacæ expeditioni ſe ſimiliter devovit.

(b) *Ber. chr. Reg. Franc.*

(*b*) Clemens vero, qui recuperandæ terræ ſanctæ conſilia in Viennenſi ſynodo tanta religione ac patrum totius eccleſiæ communibus votis, indictis in eam rem ſexennalibus decimis, ſuſcepta explicare, atque ad felicem perducere exitum nitebatur, legavit ad promovendam Chriſti cauſam Nicolaum Farinulam tit. S. Euſebii presbyterum Cardinalem, datis hiſce literis, (*c*) quibus præcipua ad fideles commovendos argumenta libavit.

(c) *Lib. 8. ep. cur. 47.*

*Clemens, &c.*

II. *Intolerabilibus, proh dolor! terra ipſa* ( de terra ſancta loquitur ) *conſumpta doloribus, in auribus populi Chriſtiani clamat aſſidue, quod hereditas Domini ſpecioſa dudum plena fidelibus, omnis pulchritudinis amiſſo decore, ſola ſedet ſub umbra mortis in tenebris, jacet ancillata canibus ſubdita barbaris, & tributaria Saracenis; omnibus parvis & magnis terræ prædictæ Chriſticolis, ut beatæ quæ non genuerunt ſteriles, & quæ non lactaverunt ubera dicerentur, hoſtili feritate crudeliter interemptis. Propterea magna ſua eſt velut mare contritio, cum ventorum fragoribus agitatur. Heu præclara Salvatoris hereditas ſacratiſſimi ſanguinis profluvio conſecrata, abominabilium gentium pedibus teritur, & alienarum ſubvertitur imperio nationum. Heu quod locus ille ſanctiſſimus, ubi cœli Regem Virgo puerpera genuit, locus Redemptoris noſtri cruore perfuſus, locus ubi poni meruit ſepulcri dominici fundamentum, & locus, quem reſurgens Chriſtus a mortuis ſuæ reſurrectionis gloria multipliciter illuſtravit, coinquinatur a filiis tenebrarum.*

Quam indignum ſit terram ſanctam ſub infidelium ſervitute lugere.

III. Zelum Philippi Regis bello ſacro ſe devoventis commendat Pontif.

*Hæc ſiquidem chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum illuſtris Chriſtianiſſimus princeps devota meditatione conſiderans, & oculo clementis propitiationis advertens, dictæque terræ pia mente compatiens calamitatibus & preſſuris; & ad ulciſcendum in illa noſtri Redemptoris injurias, ut miſereretur illius regionis oppreſſæ, cujus miſerendi tempus adveniſſe ſperatur, eamque liberaret de manibus hoſtium fidei Chriſtianæ regali magnanimitate conſurgens; ſponte ſe obtulit, nobiſque promiſit, ſalutiferæ crucis ſigno una cum filiis & fratribus ſuis, ac baronum & militum Regni ſui multitudine copioſa recepto, in terræ prædictæ ſubſidium, dirigente Domino, profectum; ſupplicans ut per aliquem de fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, propter hoc ad dictum regnum ſpecialiter deſtinandum, ſibi, filiis, fratribus, & baronibus ac militibus ſupradictis imponi ſignum hujuſmodi faceremus. Super quo laudes Altiſſimo, qui hoc ei dignoſcitur inſpiraſſe, referimus, ejuſque clementiam, ut hujuſmodi deſiderium ſuum pio proſequi fa-*

*favore dignetur, ſuppliciter exoramus.*

IV. Exhortatio ad ſequenda illius ſigna.

*Exurgant igitur virtuoſo dicti Regis exemplo in ipſius terræ ſubſidium viri ad bella doctiſſimi, prædicti Regis Franciæ bellatores, & Regem ipſum, præliatorem promptiſſimum Crucifixi, ad ſuccurrendum terræ illius calamitoſis deſolationibus imitentur. Prodeant in publicum ipſius regni ſigna victricia, quæ anxio terra ipſa deſiderio præſtolatur, ſperans ab exterminii ſui lacrymoſis liberari ſqualoribus, & ad ſerenæ tranquillitatis tempora, Deo miſerante, reduci. Accingant ſe dicti regni viri fortes & ſtrenui ſub potenti manu Domini gladiis circa femur, & reddantur in bello Domini glorioſi, qui ſolent glorioſiores in præliis probatæ virtutis exercitio reputari. Eidem quoque Regi, & inclytæ domui Franciæ, cui Dominus benedixit, hujuſmodi felix victoria belli promittitur: hæc illis paratur ad gloriam & eis, ſicut ſperatur, ad meritum reſervatur. Hujus etenim pii operis fructus recolenda memoria, divini diſpenſatione conſilii eorum, ut creditur, laboribus reſervata, ipſorum geſta magnifica futuris ſæculis excelſis attollenda præconiis demandabit.*

V. Legatus Symbolum crucis ſuſcepturis ſacram militiam conferre juſſus.

*Ad perſonam itaque tuam, quam dicto Regi gratam credimus ac acceptam, noſtræ mentis oculos dirigentes, illam cujus nobis ſunt notæ virtutes, quamve in magnis & arduis dicta ſedes diverſis vicibus eſt experta, & de cujus operibus virtuoſis fructus utiles proveniſſe conſpicimus; ad imponendum ejuſdem vivificæ crucis ſignum Regi, filiis, fratribus, baronibus, & militibus ſupradictis; necnon & quibuſlibet aliis tam de dicto regno, quam ad illud venientibus undecumque, ſignum recipere volentibus ſupradictum, & alias ad ipſius prædicationis officium in regno prædicto, quæ tibi præſentium auctoritate committimus; de fratrum noſtrorum conſilio duximus eligendum, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus impoſitum hujuſmodi tibi onus devote ſuſcipiens, & perſonaliter ad regnum te conferens ſupradictum, & in his juxta datam tibi a Deo prudentiam procedens efficaciter & prudenter illa per te, & alios quos ad hoc idoneos eſſe putaveris; præſertim archiepiſcopos & epiſcopos dicti regni, qui quidem archiepiſcopi & epiſcopi etiam aliis, dum tamen idoneis, hæc committere valeant; exequi ſtudeas diligenter, &c. Datum Avinioni* IV. *idus februarii anno octavo.*

VI. (a) Ber. chr. Reg. Franc.

Geſſiſſe ſtrenue impoſitum munus Nicolaum Cardinalem, ex Bernardo (a) conſtat, qui rem geſtam deſcribit, ubi præmiſit, Ludovicum Regem Navarræ una cum fratribus poſtea Regibus, ac proceribus quadringentis a Philippo cingulo equeſtri donatos: ad quam celebrandam pompam, aſſentiente Romano Pontifice, ſacramenti coram patribus Vienneniſs concilii de cruce non integro evolvendo anno induenda nuncupati, diem prorogatam vidimus: *Anno Domini*, auctoris verba refero, *milleſimo treceteſimo decimotertio in feſto pentecoſtes, qui fuit* III. *non. junii præfatus Rex Philippus tenuit Pariſiis curiam valde magnam comitum & baronum & militum regni ſui, in qua interfuit Rex Angliæ Eduardus gener ejus cum conjuge ſua Iſabella filia ejuſdem Regi Philippi: in quo feſto idem Philippus Rex Ludovicum filium ſuum primogenitum Regem Navarræ, ac alios duos filios ſuos Philippum & Carolum accingit baltheo militari; fueruntque in dicto feſto facto novi milites quadringenti, ſicut fuit communiter divulgatum. Item in eadem hebdomada tres præfati Reges videlicet Philippus Franciæ, Eduardus Angliæ, Ludovicus Navarræ, cum præfatis duobus filiis Regis Franciæ Philippo & Carolo, ac etiam cum duobus fratribus præfati Regis, videlicet Carolo comite Valeſi & Ludovico comite Ebroicenſi, crucem ſuſcipiunt tranſmarinam cum multis aliis nobilibus regni Franciæ de manu domini Nicolai tit. S. Euſebii presbyteri Cardinalis, qui pro prædicanda cruce, & promovendo negotio paſſagii tranſmarini per Clementem Papam V. ad regnum Franciæ fuerat deſtinatus: cœpitque exinde crux pro dicto paſſagio in regno Franciæ publice prædicari.*

Solemnis Regum conventus.

Legatus Card. eos pluresque alios principes cruce in Sarac. conſignat.

VII. (b) Lib. 8. ep. cur. 112. & 118.

Conſentiunt his, quæ a Bernardo dicta ſunt de tribus Regibus cruce inſignitis, apoſtolicæ literæ (b). Verum ut proclivior ad malum natura ſanctiſſima quæque ad improbum uſum detorquet, plerique nobiles viri præſertim in Romani imperii locis, dum ſacræ expeditionis apparatus fragore omnia infremebant, ac militari ardore calebant animi, ludicris certaminibus, quaſi in hoſtem proludere diſcerent, ſe dediderunt: at cum in hujuſmodi haſtiludiis crebræ cædes patrari conſueviſſent, atque inani veſtium luxu opes melius in comparando milite ac armis conflandis collocandæ abſumerentur, Pontifex edito apoſtolico diplomate hujuſmodi ſolemnia haſtiludia, torneamenta vulgo dicta, vetuit & cenſurarum religionem iis omnibus, qui ſe iis quovis modo implicuiſſent, incuſſit (c).

Viri nobiles addicti haſtiludiis.

Secuta inde mala ingentia.

(c) Eod. lib. poſt ep. cur. 125.

VIII. *Clemens, &c. per Alamaniæ, Franciæ, Angliæ regna, Burgundiam imperialem, ac comitatum provinciæ diœceſim Lugdunenſem, pro ea parte, quæ de regno Franciæ non exiſtit; nec non & Arelatenſem, Viennenſem, Biſuntinam, Aquenſem, & Tarantaſienſem civitates & diœceſes ac provincias, & contigua, circumvicina, & adjacentia partes, terras, & loca conſtitutis, in quibus vel aliquibus eorundem*



*dem frequenter torneamentorum, & juſtarum prædictorum conſuevit uſus haberi; cujuſcumque conditionis, ſtatus, vel præeminentiæ fuerint, auctoritate apoſtolica diſtricte præcipimus, & inhibemus expreſſe, ne torneamenta ſeu juſtas hujuſmodi in dictis regnis, civitatibus, diœceſibus, provinciis, partibus, terris, & locis de cætero facere vel exercere præſumant, &c.* Fulminat in eos anathema, qui ad haſtiludia deſcenderint, vel congreſſuris arma, equos, aliaque hujuſmodi præbuerint, aut ad ea ſpectacula confluxerint, ipſorumque terris ſacrorum juſtitium infligit: quæ vero ad ea ineunda fœdera promiſſave, etiam ſacramento ſancita, fuerint, ea penitus diſſolvit, convellitque. *Dat. in prioratu de Grauſello* XVIII. *kal. octobris anno* VIII.

Certamina ludicra actuaris pœnæ objectæ.

(a) Reg. poſt eand. ep.

Tranſmiſit idem diploma (a) Moguntino, Trevirenſi, Colonienſique archiepiſcopis, ut illud in Germania promulgari juberent; tum Arnaldo epiſcopo Albanenſi, atque alteri ejuſdem nominis tit. S. Priſcæ presbytero Cardinalibus Apoſtolicæ ſedis nuntiis, ut in Anglia divulgandum curarent: quod in cæteris pariter locis factum revocari in dubium non poteſt. Legarat porro in Angliam eos Cardinales Pontifex una cum Guillelmo Teſta Cardinale, ut graviores inter proceres diſcordias ſopirent; qui cum a perduellibus mare traiicere prohiberentur, Pontifex ipſos ea inſtruxit auctoritate, ut acta publica in illos confecta tam in cisterioribus quam ultramarinis locis promulgarent, (b) præterea pari poteſtate utrobique impoſito ipſis munere fungerentur, (d) imperarentque (c) religioſis viris, ut ab Anglia in terras citramarinas ſe conferrent. E quibus colligitur, Angliam ob perduellionem in Regem concitatam, atque iter apoſtolicis nuntiis intercluſum eccleſiaſtico interdicto devinctam fuiſſe. Suffectus vero eſt alteri Cardinalium Guillelmo Teſtæ Guillelmus e Baleno, cui denarii S. Petri in Anglia, Wallia, Hibernia, ac Scotia colligendi provincia data eſt (e). Sed ad inſtitutam orationem revertamur.

(b) Lib. 8. ep. cur. 37.

Anglia interdicto ſuppoſita.

(c) Ib. ep. 38.

(d) Ep. 36.

(e) Ep. 28. 29. 31.

IX. Affulſiſſe tunc egregiam reſtituendæ Chriſtiano cultui Syriæ ſpem, refert Jordanus, (f) cum Saracenos graviſſima inteſtina bella attriviſſent, in quorum medio ardore ſoldani Bibarſincher, Naboyſeler, Merecendal, & Camelinus a ſoldano claudo extincti eſſent: Caraſanchor vero, qui Chriſtianis ſacris initiatus, Antiochena ditione pulſus, Carbandam Regem Tartarorum, quem oratores ad Pontificem pro excitanda occidentalium in Palæſtinam expeditione miſiſſe vidimus, commoviſſet in Saracenos. Cujus belli converſiones memoratus, auctor his verbis narrat: *Caraſanchor quoque Chriſtianus fuit, dives valde & potens, qui dominabatur in contrata Antiochiæ & Semi, qui fratrem ſoldani interfecerat. Seraph per dictum ſoldanum claudum Euphratem tranſire, & cum theſauris ſuis ad Tartaros fugere coactus eſt, & induxit Carpendam, ut contra duo caſtra ſoldani ſuper Euphratem ſita veniret MCCCXIII. quorum unum vocatur Clerachembe, alterum Elyere: ſunt autem ipſa caſtra in confinio Tartarorum ultra Euphratem: promiſerat enim Caraſanchor, de caſtellanis & habitatoribus caſtrorum confidens, quod cito & leviter Tartaris traderetur; ſed mutatis caſtellanis ac cæteris per ſoldanum, promiſſum implere non potuit: & fuiſſe dicitur in illo exercitu ultra mille millia beſtiarum cabalinarum. Poſt menſem autem obſidionis propter defectum herbatici, & quia morbus, vulgariter dictus pedana, equos invaſerat; quia etiam ſoldanus cum magno exercitu in Damaſco * venerat, habita deliberatione Carpendas ad deducendum æſtivum tempus ad contratam Baldacenſem tranſiit, miſitque ad fratrem ſuum Henregi, qui ſua conceſſione in Turchia dominabatur, veniebatque ejus juſſu contra ſoldanum, ut rediret & ipſe.* Hæc iiſdem verbis repetit Sanutus, (g) notatque ſultanum illum, quem evertiſſe Ptolemaidem & Latinos Syria pepuliſſe vidimus, a Caraſanchor Chriſtiano trucidatum fuiſſe. Tum ſuperioribus addit hæc verba: *Ex his omnibus liquet aperte, quam debilitata ſit Ægyptii ſoldani potentia, quam apta tempora populo Chriſtiano ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis ſceleratis.* Non minus catholicos inteſtinæ diſſenſiones in occidente orienteque implicuerunt, ad quas ſedandas ſtudium collocatum eſt.

(f) Jord. chr. MS. Vat. ſign. n. 1960.

Saraceni inteſtino bello diſtracti.

Caraſanchor Chriſtianus.

Carpendam Perſiæ Regem in Soldanum concitat.

Ingens Tartaror. exercitus.

* Damaſcum

(g) Sanut. l. 3. p. 13. c. 11.

X. In oriente quidem Genuenſes, ut injuſti doloris ulciſcendi cauſa paucis ante annis Rhodum, concitato in eam Madachia Saracenorum principe, in diſcrimen conjecerant; ita modo ex nimia vindictæ aviditate invadendæ Cypro non ſine rei Chriſtianæ damno imminebant. Ad quod bellum ſopiendum Pontifex Genuenſes hortatus (h) eſt, ut concordiæ conciliandæ faciles ſe exhiberent. Inde vero diſcordiæ cauſa eruperat: dum in Armenia Henricus Rex Cypri in vinculis tenebatur, excitata Famaguſtæ ſeditione, in qua multus utrinque ſanguis fuſus eſt, Genuenſes exaſperati, quod Amalricus Tyri dominus, qui tunc regni habenas moderabatur, in Famaguſtanos cives, vindictam expoſcentibus Genuenſibus, non animadvertiſſet, cum ipſi Genuenſes ſeditioni cauſam dediſſent, eo extincto, ſuos ad Cypri Regem vinculis ſolutum oratores vindictæ apud eum in Famaguſtanos perſequendæ cauſa miſere: quibus ardentius inſtantibus cum reſponſum eſſet

Genuenſes Cypro bellum inferre parant.

(h) Lib. 8. ep. com. 297.

Levis illius occaſio.

Injuſta Genuenſium cauſa.

ſet ab Rege, ex legum æquitate factum iri ſatis: ac neg antibus Famaguſtanis objecta a Genuenſibus crimina, immo opponentibus, aliquos e civibus ab ipſis cœſos; reſpondit oratoribus Rex, ut ipſi Genuenſes, qui in ea cauſa criminis labe erant aſperſi, plecterent; ſe viciſſim in reos Famaguſtanos legum ſeveritatem exerturum. Ad quæ oratores cum dicerent, ad expetendam tantum ultionem, non ad damnandos ſuos veniſſe; Cypri Rex in Famaguſtanos inquirere ſuperſedit.

Paphos ab ipſis vaſtata.

Mox Genuenſes ſuos e Cypro excivere, promulgavereque impune Cyprios lædi poſſe. Quam aucupati occaſionem nonnulli, cum fingerent oratores ad Regem devehere in triremibus improviſo impetu Paphenſem civitatem, nihil hoſtile metuentem, vaſtarunt: necdum ſatiata ira, claſſem validam ad invadendam Cyprum inſtruxere: cujus bellici apparatus fama permotus Pontifex, ut rei Chriſtianæ periclitanti conſuleret, Henricum Romanorum Imperatorem precibus urſit, datis IV. kal. maii literis, (a) ut Genuenſes a ſuſcepto conſilio abduceret. Eodemque pene exemplo ad Genuenſes magiſtratus ſcripſit, (b) ut bello abſiſterent, in eaque re ſtudium & amorem, quo in Romanam eccleſiam erant affecti, explicarent.

(a) Poſt ep. 29.
(b) Ibid.

XI. Henricus Imp. bellum in Florentin. & Rob. Regem meditatur.

(c) Jo. Vill. l. 9. c. 48. & ſeq. Ant. 3. p. tit. 21. c. 2. §. 8.

Comparabant (c) ſe alteri, non minus rerum orientalium inſtaurationi pernicioſo atque exitiali, bello Henricus Imperator ac Genuenſes ipſius partes adverſus Florentinos & Robertum Siciliæ Regem ſecuti. Hæſerat nimirum alte acceptæ ab iis injuriæ dolor, qui ſuperiori anno imperialem ejus conſecrationem diſturbare niſi eſſent, compluresque in ipſum ad defectionem concitaſſent. In quos antequam armorum omnem molem converteret, legibus agere conſtituit: ac poſt leviora in Florentina ditione confecta prælia Piſas nono martii die reverſus Florentinos, lege majeſtatis poſtulatos, gravioribus pœnis affecit (d). Intendit etiam Roberto Siciliæ Regi judicium, ac non comparentem, ut imperii proditorem lege majeſtatis damnavit, & Provinciæ comitatu, & Siciliæ regno deturbandum pronuntiavit. Extat (e) latæ in eum ſententiæ formula apud Albertinum Muſſatum, Albericum (f) Roſatum, & Rebdorſium (g) in qua hæc ei vertit crimini, ubi ipſum auguſtali beneficio ampliſſimas terras obtinere eſt præfatus.

Illius cauſæ.

Judicio agit in Florentinos.

(d) Jo. Vil. l. 9. c. 48.

Damnat lege majeſtatis Robertum.

(e) Apud Alber. Muſſat. l. 13. c. 3.
(f) Alberic. Roſ. in l. Quiſanis c. ad leg. jul. majeſt.
(g) Rebdor. in annal.

XII. Objecta eid. Regi ſcelera. Fides violata.

*Ipſe*, inquit, *inter cæteros ſuæ malignitatis conatus, licet antequam imperialis coronationis cauſa proficiſceremur ad Urbem, per ſuas literas ſpeciales pluries culmini noſtro ſcripſiſſet, quod ipſe (ſicut ex cauſa prædicta debebat, & nos; qui nec opere, nec verbo gravavimus, nec gravare, ſed potius gratioſe tractare intendebamus eundem, ex puritate conſcientiæ credebamus) ad exhibendam nobis debitam reverentiam & honorem tam in dicta coronatione quam alibi intendebat, & ad id pro viribus ſe parabat.* Secutus quidem Robertus initio egregia Clementis in Henricum ſtudia, cum illum Pontifici futurum addictiſſimum putaret ingredienti Italiam favit, illius amicitiam affinitatemque, interprete etiam Pontifice, exoptavit; (h) miſitque Genuam oratorem, qui Cæſari Provinciæ, Pedemontii, Folkalqueriique comitatus regio nomine acceptos ritu ſolemni referret. Sed cum Henricus eos comitatus beneficiarios aſſerere Roberto negaſſet (i) Genuæ, pollicitus Romæ illorum jura donaturum, petitam affinitatem reſpueret, Aſtam juris Pedemontani comitatus, qua Gibellinæ factionis opera erat potitus, non reſtitueret, everteret (k) Guelphos Roberti ſocios, & cum ejus hoſtibus coitiones iniret; ſuſpicatus eſt Henricum verſare dolos ſimulato pectore, & aucta confirmataque ex imperiali inunctione potentia, controverſa vetera imperialia jura, tot diſceptata bellis, ab ipſo repetiturum. Dolens itaque non prohibuiſſe ipſum ingreſſu Italiæ, ut ſtantibus adhuc Turrianis potuerat, apertum bellum movit, ut majores progreſſus abrumperet, in quo geſta a Roberto narrat Henricus in ſuæ ſententiæ ſerie.

(h) Cle. lit. ex arch. Avi. n. 345.
(i) Naucl. vol. 2. gen. 44.
(k) Alb. Muſ. in geſtis Henr. Jo. Vill. l. 9. c. 9. 15.

XIII. Coitiones cum rebellibus initæ.

*Confœderationes tamen, conſpirationes, uniones, & ligas in offenſam & impedimentum proceſſus cæſarei una cum Florentinis, Lucanis, Senenſibus, & aliis noſtri Romani imperii ſubditis in Lombardia & Tuſcia, ut eos in rebellionis præcipitet & cœcitatis foveam, omnem contrarium ſicut exercuiſſe dignoſcitur per ſe ſuoſque procuratores, nuntios, & ambaſciatores in noſtræ majeſtatis injuriam & offenſam, & impedimentum proceſſus cæſarei facere procuravit, & fecit. Tractavit etiam, quod civitas Cremonæ, Parmæ, & Rhegii, quæ ſub noſtra obedientia exiſtebant, contra nos & imperium rebellarent, inducendo tam communia ipſarum civitatum, quam ſubditos noſtros prædictos ad rebellionem hujuſmodi, & in eis ad id pollicendo auxilium, conſilium, & favorem; & nihilominus gentes dicti Roberti ejus fultæ favoribus, ſuæque nequitiæ conſcii & miniſtri, civitatem Aſtenſem & caſtra Valentiæ caſalis S. Evaſii, & alias nonnullas civitates & caſtra provinciæ Lombardiæ, quæ mandata noſtra juraverant, & nos in dominum recognoverant, & officiales noſtros receperant & habebant, officialibus ipſis exinde violenter ejectis, nequiter occuparunt, & occupatas & occupata pro Roberto retinent.*

Plures urbes ad defectionem concitatæ.

XIV.

*Supraſcriptus denique Robertus Joannem*



*fratrem & ſtipendiarios Romam ea videlicet intentione tranſmiſit, ut Urbe, ſi poſſet, ſuæ proditioni doloſe ſubjecta vel ſaltem turbata, in ejus periculo nefandæ ſeditionis immiſſione dictæ coronationis impediret ſolemnia.* Nonnulliſque interjectis, quibus ipſum iter ad baſilicam Principis Apoſtolorum ad accipiendum imperiale inſigne abrupiſſe queritur, & in procinctu ad omnia, quæ poſſet damna inferenda fuiſſe, ac ſervata judiciorum forma ipſi, ut flecteret ad officium, diem dixiſſe, refert; alias Roberti injurias: *Ipſe Robertus, dum in Urbe prædicta cauſa prædictæ coronationis eſſemus, & dilectiſſimi noſtri Piſani, qui inter cæteros noſtros ſubditos fidelitatis ac operis ſinceritate renitent, galeas & gentes Romam ad noſtrum ſervitium & honorem mitterent, galeas ipſas in noſtræ majeſtatis injuriam invadi, ſpoliari, & gentes prædictas capi & incarcerari & carcere detineri fecit, &c.* Subiicit, ut Robertus auxiliares copias Florentinis, in quos ut perduelles cæſareæ aquilæ motæ fuerant, ſubmiſerit, aliaque patrarit facinora: *In retardationem*, ut ait, *negotii terræ ſanctæ, ad quod, teſte Deo, qui omnia novit, totis cordibus & affectibus anhelamus.* Sed dolo plena eſt hæc vox, cum potius juncto cum Roberto fœdere, & pace Guelphis reſtituta ſacram expeditionem Henricus promoturus fuiſſet. Exaggeratis demum Roberti injuriis, hac eum ſententia percellit.

Piſanorum triremes captæ.

Objecta inſtaurandis rebus Syriacis obſtacula.

XV. Sententiæ in Robert. latæ forma.

*Ut culpa ſupplicium timeat, & virtus retributionem expectet, Roberti eligimus domare ſuperbiam, & præſumptionem erectam conterere, ipſumque a ſtatu ſuo quantumcumque ſublimi deponere, cum præmiſſo ſit læſæ majeſtatis crimine reus; univerſis & ſingulis dignitatibus, quocumque titulo comprehenſis, quibus ſe intitulat & decorat, auctoritatibus, honoribus, libertatibus, immunitatibus, & privilegiis; provinciis, comitatibus, civitatibus, caſtris, terris, villis, & aliis feudis, vaſſallis, bonis, rebus, juribus, & juriſdictionibus univerſis, tam perpetuis quam temporalibus, quos, quas, & quæ habet, tenet, & poſſidet, vel quaſi, ſeu habuerunt & poſſederunt hactenus quomodolibet ipſe vel ſui prædeceſſores; privamus eumdem Robertum rebellem, proditorem, & hoſtem imperii, dictæque majeſtatis crimine reum de toto prædicto imperio exbannimus & diffidamus ipſum, ſi quo tempore in noſtram & imperii fortiam pervenerit, vita per capitis mutilationem privandum, in his ſcriptis ſententialiter condemnamus, &c. Actum Piſis in præſentia noſtrorum principum & baronum, ac populi multitudinis copioſæ VII. kal. maii regni noſtri anno quinto, imperii vero anno primo.*

Judicat reum læſæ majeſtatis.

Omnibus bonis & juribus exuendum.

Proditorem & hoſtem imperii.

Capite truncandum.

XVI.

(a) Clem. l. Paſtoralis de ſent. & re jud. c.

Elatus (a) nimio in ferenda ea ſententia acceptarum injuriarum dolore Imperator, juſtitiæ metas trangreſſus eſt: ſi enim ea ditione, quam imperii beneficio & auctoritate obtinebat, exuere potuit; nequibat tamen Siciliæ regno ſpoliare, aut ipſi obnoxios populos ſacramenti religione exolvere: quippe Sicilia non imperii ſed Apoſtolicæ ſedis beneficio ſtipendiaria erat, Robertique judex legitimus Pontifex, apud quem judicium Regi intendendum foret; tum etiam quæ extra imperii fines commiſſa crimina objecerat, non ab imperatoria ſed Pontificia auctoritate eſſent plectenda, ut abunde illum arguit Clemens in Apoſtolico edicto, (b) quo Henrici ſententiam ut multis injuſtam capitibus, ad pontificium jus, quod Henricus invaſerat, aſſerendum reſcidit. Præcipuam nos hujus edicti pontificii partem delibamus, ad hiſtoriæ veritatem illuſtrandam: *Regem extra diſtrictum imperii, in regno ſcilicet Siciliæ, notorie ac continue tempore ſupradicto morantem, citare non potuit Imperator: nec citatio, ſi quam forſan intra imperii fines fecit, citatum extra imperium conſtitutum arctavit.*

Injuſta in nonnullis capitibus ſententia fuit.

*Nos quoque, Regis ordinarius judex, quod ad Imperatoris judicium citaremus, vel citari aut remitti faceremus eundem nequaquam fuimus requiſiti. Immo licet ad nos & curiam noſtram temporibus illis rumores frequenter de curia Imperatoris venirent, & juxta eum etiam quidam ex fratribus noſtris eſſent; prius tamen dictæ ſententiæ promulgatio, quam aliquid de proceſſibus antecedentibus ad audientiam noſtram pervenit. Denique licet Rex ipſe terras aliquas ab Imperatore tenere dicatur in feudum, non tamen in eis, ſed in regno præfato domicilium ſuum fovebat; unde Imperator in ipſius perſonam nullam ratione terrarum hujuſmodi, niſi ex natura feudorum debitam, ſuperioritatem habebat. Quod ſi punitio criminis, intra diſtrictum imperialem commiſſi, ad Imperatorem forſan pertinuiſſe aſſeratur, verum eſt quidem, ſi in eodem diſtrictu fuiſſet inventus delinquens, vel ad illum more remiſſus. Dicit ne ergo ſententia meruit quæ a judice, qui per Regem tute adiri non potuit, & in loco notorie, ut præfertur, non tuto in abſentem, nec citatum legitime, ac inauditum, per conſequens & indefenſum non maturo fuit judicio, ſed præcipiti, & præſertim de tanto crimine, promulgata?*

*Rurſus non eſt ſilentio relinquendum, quod ipſe Rex noſter & eccleſiæ Romanæ ratione regni prædicti notorie ſubditus, homoque ligius & vaſſallus, ac in eodem regno, non ut præmittitur, in imperio, certum & notorium ſuum habens domicilium, ac originem inde trahens, Imperatori eo modo non ſubfuit, quod in* XVII.

*eum*

Exauctorari regno non potuit vectigali ecclesiæ.

*eum crimen læſæ majeſtatis commiſerit, quantumlibet omnia in ſententia ſupradicta contenta veritatem indubiam continerent. Sicque nedum non jure, immo nec juris colore tulit Imperator ſententiam ſupradictam in Regem ex cauſa, quæ veritatis ſubſtantiam non habebat: propter quam etiam, quatenus in eo fuit, Regem eundem privando regno & regia dignitate, ac terris etiam & aliis, & juriſdictionibus perpetuis & temporalibus, quæ ſub eo nullatenus vel ab eo, ſed a nobis & ſub nobis tenebat; nec non procedendo contra Regem eundem ex illis, quæ per ipſius ſtipendiarios ac nonnullos Imperatoris ejuſdem ſubjectos per malitiam & inſtigationem Regis ipſius contra eum fuiſſe commiſſa in urbe dicebat, cum etſi illa fuiſſent ibidem re vera commiſſa, punitio tamen eorum in Regem, veluti extra diſtrictum imperii commiſſorum, ad Imperatorem nullatenus pertineret.* Et infra.

XVIII. *Abſolvendo quoque ab omni fidelitate, obligatione, ſervitio, promiſſione, ac pacto provincias omnes, civitates & caſtra & loca, ipſiuſque vaſſallos & feudatarios & alios quoſlibet, eidem Regi quomodolibet obligatos, cum includerentur in abſolutione hujuſmodi terræ & perſonæ nobis & eccleſiæ Romanæ ſubjectæ, propriæ terminos poteſtatis exceſſit, in meſſem noſtram mittens perperam ſuam falcem. Cæterum defectus ſuppletio, circa proceſſus adhibita ſupradictos, non tantum valet ad juſtificationem ipſorum & ſententiæ ſupradictæ, quantum ad eorum ſugillationem & notam, cum nullam ſuper præmiſſis poteſtatem haberet Imperator in Regem, ſibi alias, ut præfertur, non ſubditum, non citatum legitime, aut remiſſum, & extra diſtrictum ipſius continue ac notorie conſiſtentem; nec prædicta ſuppletio circa ſubditum etiam ad ea potuiſſet de ratione referri, per quæ de crimine, præſertim ſic gravi, delato defenſionis, quæ a jure provenit naturali, facultas adimi valuiſſet, cum illa Imperatori non licuerint, quæ juris naturalis exiſtunt.*

Suppletio defectus vitium non tollit ſed arguit.

*Ut igitur ſicut memorata ſententia juris caret effectu, ſic auctoritate & nomine rei careat judicatæ, ut nec in opinione communi aut vulgi ab iis nomen habere ſententiæ mereatur; ut etiam in magnum juſtitiæ ac pacis obſequium ſcandaloſis occurramus periculis, quæ cum noſtræ & eccleſiæ provinciarum multarum, regnorum & gentium turbatione non modica poſſent occaſione ipſius pro tempore ſuboriri; nos tam ex ſuperioritate, quam ad imperium non eſt dubium nos habere, quam ex poteſtate, in qua vacante imperio Imperatori ſuccedimus; & nihilominus ex illius plenitudine poteſtatis, quam Chriſtus Rex Regum & dominus dominantium nobis, licet immeritis, in perſona beati Petri conceſſit, ſententiam & proceſſus omnes prædictos, & quidquid ex eis ſecutum eſt vel occaſione ipſorum, de fratrum noſtrorum conſilio declaramus fuiſſe ac eſſe omnino irritos & inanes; nullumque debere aut debuiſſe ſortiri effectum, ſeu nocumentum aut notam afferre cuiquam, vel quomodolibet attuliſſe: ipſoſque nihilominus quatenus proceſſerunt de facto, & quidquid ex eis ſecutum eſt vel ob eos, vel in poſterum ſequi poſſet, in irritum revocamus.*

Quo jure Clemens cæſareum edictum reſciderit.

Declamavit poſtea adverſus hoc Clementis decretum impius hæreſiarcha Marſilius (*a*), qui conditam a Chriſto eccleſiaſticam hierarchiam, ut Ludovico Bavaro blandiretur, evertere molitus eſt: non ferens enim ſupremam poteſtatem quam Rom. Pontifex in omnes Chriſtianos nullo regiæ imperatoriæve dignitatis diſcrimine obtinet, virulentam ad Reges ac principes apoſtrophen in nefariis ſcriptis inſeruit, qua Clementis traducit ſententiam, contenditque falſum eſſe traditam a Chriſto plenitudinem poteſtatis, qua cæſareum edictum revocari poſſit. Contra cujus venenata ſcripta, ubi a Lutheranis evulgata fuere ſcripſit Albertus Pighius (*b*), e quo hæc delibamus.. XIX.

Marſilius hæreſiarcha declamat in hoc decretum.

(*a*) *Marſil. in defenſore pacis.*

Pontificis auctoritatem evertere molitur.

*Nec quidquam*, inquit, *præter nudam meramque veritatem continet Clementina illa, Paſtoralis, cui ille tam petulanter inſultat de ſent. & re jud. nam ſi, quod ſupra evidenter demonſtravimus, ad auctoritatem capitis hierarchiæ eccleſiaſticæ pertinet omnia membra eccleſiaſtici corporis in officio continere, exceſſus corrigere, eorum præſertim, qui ſecundum ejuſdem hierarchiæ formam nulli alteri eccleſiæ membro ſubſunt quam capiti, tu non vis latam ab hujuſmodi aliquo injuſtam iniquamque ſententiam poſſe retractari auctoritate capitis, aut ſi de jure non ſubſiſtat quod ille fecit, nullam declarari. Habuit, habet, & habebit, etiam ſi te ruperis, illam auctoritatem ſuper univerſa membra eccleſiaſtici corporis caput ejuſdem, quod a Chriſto nobis inſtitutum eſt: hoc autem eſſe Romani Pontifices ſucceſſores Petri libro* III. & IV. *irrefragabiliter demonſtravimus. Itaque quod ille tanquam vanitatis præco, ſcilicet valenter atque impotenter clamat Regibus, principibus, populis, per dictam Clementinam, ſecundum omnem ejus ſuppoſitionem apertiſſime falſam, omnibus ſummum præjudicium fieri; omnes ſiquidem ſecundum ejus ſententiam ſubjectos eſſe auctoritati Romani Pontificis, quod nullis modis ferendum vult; ego contra veritatis verus præco clamo & valenter clamo, illum eſſe lividum detractorem veritatis, non præconem ſed hoſtem & adverſarium, pietatis everſorem, & pro pace, cujus ſe defenſorem prædicat, eccleſiam Chriſti confundere turbis, rixis, ſe-*

(*b*) *Pigh. de Jerarch. eccl. l. 5. c.* 12.

Refellitur a Pighio.



*ditionibus, bellis innumeris. Vobis quoque dico principibus, Regibus, populis, omnibus denique, qui ſe gaudent intra Chriſti ovile contineri, ut libenter, diligenter, & humiliter illi ſubſit, cui Chriſtus mandavit ſui ovilis curam & regimen. Nulli hoc cuiquam fore præjudicio, ſed lucro maximo: hac enim via illam felicitatem aſſequemini, ob quam in hoc Chriſti regnum congregati ſumus. Tu mihi dic, qui pacem defendere te prædicas, quo pacto pacem conſervabis in domo eccleſiaſtica, niſi omnem in eadem auctoritatem civilem ſubdas auctoritati eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis? Sunt in domo eccleſiaſtica principantes multi, civileſque magiſtratus gerentes, quorum nemo ſubditur alteri, nec alium ſupra ſe recognoſcunt principantem civiliter, ut Imperator, Rex Galliæ, Rex Hiſpaniarum, Angliæ, Scotiæ, & alii plurimi: inter hos ſi quando ſurgit quæſtio & controverſia niſi illos ſubeſſe volueris communi totius eccleſiæ capiti, cujus eſt membra omnia in officio continere, pace, & concordia, nunquid non erit neceſſarium, ut continuo armis decernatur omnis exorta inter eos controverſia ejuſmodi? Nunquid non continuis bellis tumultuabitur domus eccleſiaſtica? Quod ſi contra hos facies omnes diligenter fideliterque, ut tenetur, ſubeſſe communi totius eccleſiæ capiti, nunquid ille ſua auctoritate, cui obedire debent omnes, qui Chriſtiano cenſentur nomine, non facile componet exortas omnes quæſtiones & controverſias? Nunquid pro continuis bellorum tumultibus, quæ tu defenſor pacis inducis, excitas, foves, tot in eccleſiaſtica domo principantes, nec ſibi mutuo, nec ulli ſuperiori ſubjectos conſtituens, non videremus in eadem vigere pulcherrimam pacis pulchritudinem? Et quæ eſt alia cauſa bellorum inter nos pluſquam civilium, quibus Chriſtiani fratres in viſcera fratrum innocentum ferrum ſtringimus, niſi quia principes noſtri infideles & inobſequentes filii? Niſi quia a te, tuique ſimilibus peſtilentiſſimis conſiliariis ſeducti veſtris perſuaſionibus ejuſmodi pii patris eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis, ipſos omni ſtudio ad Chriſtianam pacem exhortantis monitis, in totius Chriſtianæ reipublicæ confuſionem, perniciem, & excidium rebelles & contumaces ſunt?* Hactenus Pighius. Cæterum Marſilii veneno imbutus Ludovicus Bavarus poſtea in Francofurtenſibus cœtibus, dum Romanorum Pontificum quatere auctoritatem moliebatur, apud eccleſiæ perduelles queſtus eſt inter alia, editam fuiſſe a Clemente ſuperiorem conſtitutionem, quaſi cæſareæ dignitatis faſtigio detraheret. Sed demum cecidere irriti ejus conatus, vicitque Romana eccleſia, atque a Carolo IV. Imperatore, ut ſuo loco dicetur, omnia Bavari geſta reſciſſa ſunt, ac principes ſuæ temeritatis veniam a Pontifice popoſcunt.

Demonſtratur neceſſitas, ut pareant Reges Chriſti vicario.

Ob eorum contumaciam lapſus orbis Chriſtianus.

Lud. Bav. idem decretum impugnat.

Reſciſſa a Carolo Imp. ejus geſta.

Antequam vero memoratum decretum ederet Clemens, apoſtolicas curas ad propulſandum a capite Roberti Regis, quem gratia proſequebatur, atque etiam nonnullis ditioni eccleſiaſticæ obnoxiis urbibus præfecerat, imminens periculum, ac regnum eccleſiæ vectigale defendendum admovit: Henricus enim, omiſſis Florentinis, a quibus ipſius exercitus male acceptus fuerat, belli molem vertere ſtatuerat in Robertum, cui Florentinos ad quinquennium, eoque labente ad triennium aliud reipublicæ gubernacula detuliſſe, cum ſe Imperatoris ſuſtinendæ potentiæ impares fore metuerent; eorumque exemplo Lucanos, Piſtorienſes, ac Pratenſes ipſum ſibi præfeciſſe, refert Joannes Villanus, (*a*) cum eo everſo, cæteros ad obſequium procubituros ſpes eſſet. Utque victoria facilius potiretur, cum Friderico Rege Trinacriæ ac Genuenſibus armorum ſocietatem junxit, præcepitque ut ingentem triremium ac navium numerum compararent: in Germania novum militum delectum imperavit; atque in Inſubria & aliis Italiæ locis Gibellinæ factionis ſequaces ad ſigna juſſit concurrere. De quo bellico apparatu hæc Albertinus Muſſatus hiſtoriæ commendavit (*b*): *E Janua Galeas* XXV. *e Piſis* XII. *cum armamentis apparatibuſque ad omnem belli navalis congreſſum deſponens; jamque portubus expoſitas nullis induciis munitus ſuis copiis computavit: has ultra Fridericus Siculorum Rex octo & viginti promptiſſimo obtulit obſequio. Increbuit hoc per Italiæ civitates longe lateque novum, quod & trans Gallicas alpes allatum eſt, invadendum in Apuliæ regno Robertum multa claſſe, viribuſque illi pertimeſcendum; unde ad Philippum Francorum Regem indicante Roberto delatum eſt, &c.* Subiicit auctor, ut Philippus Rex Francorum, qui nullam antea ſuſpicionem de Henrico, ut qui in regia Gallica militari baltheo cinctus, & in equeſtri munere educatus fuerat, in Gallicum nomen conſpiratorum; ea perculſus fama, tuendum Robertum, impendentiaque inde rei Chriſtianæ pericula avertere decreverit: ac primum oratorem ad Pontificem, ut Henricum a cœptis coerceret, additis hiſce literis, (*b*) ſubmiſit. XX.

Henric. Imp. omiſſis Florentinis bellum in Robert. transfert.

(*a*) *Jo. Vill. l. 9. c. 55.*

(*b*) *Muſſ. l. 16. c. 2.*

Henrici apparatus maritimus.

Francorum Rex Roberti cauſam ſuſcipit.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri domino Clementi, divina providentia ſacroſanctæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Philippus gratia Dei Rex Francorum devota pedum oſcula beatorum.*

*Ad noſtrum alias quorumdam magiſtrorum relatu, & nunc ex aſſertione chariſſimi conſanguinei noſtri principis Achajæ pervenit auditum, quod magnificus princeps Henricus Imperator Romanorum, Apuliæ,*

(*c*) *Ext. apud Albert. Muſſ. l. 16. c. 3.*

*puliæ, Siciliæ, & alias terras proprias illuſtris principis Roberti Regis Siciliæ conſanguinei noſtri chariſſimi debellare proponens, ad ipſius exheredationem ſuos intendat exercere conatus, turbando pacem univerſam Chriſtianorum, impediendo negotium paſſagii terræ ſanctæ in univerſale & ſpecialiter Romanæ eccleſiæ, cujus dictæ terræ patrimonium proprium eſſe dignoſcitur, excidium & jacturam. Cum igitur nos prædicti Regis Siciliæ, qui de conſanguinitate noſtra traxit originem, & de noſtra domo regia proceſſit, exheredationem non de facili ſuſtinere poßemus, beatitudini veſtræ ſuper hoc alias ſcripſimus, ut conſideratis incommodis, quæ ex præmiſſis ſi, quod abſit, contingerent ſequerentur ad occurrendum tantis & talibus periculis velit veſtra ſanctitas in hac parte de competenti remedio celeriter providere, ne propter hujuſmodi incommoda poſſit dictæ terræ ſanctæ negotium retardari, vel totaliter impediri. Verum cum Imperatorem in prædictis non intellexerimus ſuum propoſitum divertiſſe, quin immo paret ſe diebus ſingulis ad eadem, veſtram iteratis precibus clementiam deprecamur, quatenus imminentibus periculis occurrentes, prout ad veſtrum ſpectat officium, in prædictis ſic celeriter tale remedium apponatis, quod pacis pulchritudo ſervetur, negotiumque paſſagii terræ ſanctæ, quod alias fieri poſſe non credimus, impediri non debeat aut turbari, & ne cum velletis ſuper iis alias occurrere, tunc commode non poſſetis; dictumque Regem & ſubjectos dignetur veſtra ſanctitas ſpecialiter recommendatum habere. Dat. Pariſiis XII. maii.*

Clementem ad Henr. reprimendum adhibet.

XXI. Flagitaſſe inter alia regios oratores a Clemente, ut potius latam ab Henrico in Robertum ſententiam pontificia auctoritate convelleret, quam reſcindi ab Henrico imperaret; id vero a Pontifice poſtea factum narrat Muſſatus: præterea Clementem Philippi oratoribus reſpondiſſe, tres Cardinales legatos ad Henricum ituros, ut imminentia ea bella componerent: cumque validiora a Pontifice remedia adhiberi expoſcerent Philippi oratores, Clementem tum ad tuendum Neapolitanum regnum eccleſiæ vectigale, tum ne decreta in concilio Viennenſi Philippo illius imperatore expeditio Syriaca diſturbaretur, cum neceſſe eſſet Gallicana arma in Henricum averti, anathemate omnes, nullo regiæ imperialiſque dignitatis diſcrimine, percuſſiſſe, qui bello citeriorem Siciliam adorirentur. Concepta eſt hiſce verbis apoſtolica ſententia (*a*).

Decreti tres Cardd. ad Henr.

*Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Nuper, multorum fide relatione percepto, quod nonnulli in diverſis locis & partibus præparabant ſtolium galearum, & alios faciebant bellicos apparatus, quoſdam ipſorum ex certis tenebat conjecturis exorta ſuſpicio, quod regnum Siciliæ ſeu terram citra farum, quæ de regno ipſo fore dignoſcitur, quæ ad nos & Rom. eccleſiam pertinent pleno jure, & quas chariſſimus in Chriſto filius noſter Robertus Rex Siciliæ illuſtris, nunc pro eccleſia prædicta vaſallus, a nobis & eadem eccleſia tenet in feudum hoſtiliter invadendum vel offendendum, ſtolium & apparatum hujuſmodi, quamvis hoc vix poſſimus credere, parabatur; nos eccleſiæ præfatæ ac nobis, & regno & terræ prædictis, quæ velut recreationis noſtræ pomœrium delectabiliter intuemur, & in apoſtolici pectoris medio præ multa dilectione portamus & adverſus talium molimina providere volentes, ac periculis animarum corporum detrimentis, bonorum diſpendiis, & graviſſimis ſcandalis, & irreparabilibus incommodis terræ ſanctæ, quæ poſſent ex iis, ſi procedi quod abſit, ad illa contingeret, merito formidari, ſalubriter obviare, præſertim cum ſimus parati omnibus de ipſo Rege Siciliæ conquerentibus juſtitiam exhibere; univerſis & ſingulis clericis & laicis, cujuſcumque conditionis, ordinis, ſtatus, dignitatis, vel præeminentiæ fuerint; etiamſi pontificali, vel imperiali, ſive regali, aut quacumque alia præfulgeant dignitate; ac univerſitatibus, communitatibus, & civitatibus quibuſcumque, auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibemus, & expreſſe præcipimus, ne dictum regnum aut terram, ſeu partem vel aliqua eorum, vel alterius eorundem loca per terram vel mare, quocumque colore quæſito, invadere vel offendere, aut propter hoc recipere vel exhibere ſtipendia, ſive galeas ſeu alia vaſa maritima dare, locare, commodare, aut titulo quocumque concedere, ſeu remigare in eis, vel eaſdem galeas ſeu vaſa conducere quovis modo præſumant; ſive præſtare ſuper his præſumptoribus ipſis auxilium, conſilium, vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte.*

Bellum Sicul. diſcutere ſtudet Pont.

Significat ſe ex legibus in Robertum agere paratum. Vetat Siciliam invadi.

*Nos enim in omnes & ſingulos qui contra inhibitionem & mandatum hujuſmodi venire præſumpſerint, etiamſi, ut prædicitur, pontificali, aut imperiali, ſeu regali vel quavis alia præmineant dignitate, de fratrum noſtrorum conſilio excommunicationis, quam eo ipſo incurrant ſententiam promulgamus: eorumque terras & loca ipſorum & quaſlibet alias communitates ac univerſitates & civitates, contra præmiſſa vel præmiſſorum aliquod attentantes, eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto, &c.* Infligit alias pœnas omnibus privilegiis, muneribus, honoribus, ac bonis, quæ ab Rom. eccleſia acceperint, deturbatum iri: præterea prout ipſorum temeritas in ſe pontificiam ſeveritatem exaſperarit, legum acerbitatem intentat. *Actum apud caſtrum novum Avenionenſis diœc. in palatio ipſius caſtri* XI. *id junii pontificatus noſtri anno* VIII.

Pœnas adiicit.

(*a*) Lib. 8. ep cur. 110. ext. etiam apud Muſſ. l. 16. c. 5.



XXII. Non eo edicto apoſtolico Henricus Imperator ac Fridericus Rex a ſuſceptis perdendi Roberti, invadendæque Siciliæ conſiliis revocati ſunt, ſed ad bellum ſe comparare perrexere: Genuenſes enim, urgente Henrico, triremes imperatas inſtruxere, (*a*) ac præfecto claſſis Lamba Oria cum Piſanis in Siciliam citeriorem vela direxere: Fridericus vero Rex Trinacriæ præſcripta die, quinta ſcilicet auguſti, Meſſana ſolvit, confecta quinquaginta triremium claſſe, atque in Calabriam excenſione facta, Rhegium & alia loca in ſuam poteſtatem redegit, ac plures adverſus Robertum rebellionem movere. Ne autem hujuſmodi Siculi Regis hoſtes pietatem ex animis, ſpretis cenſuris apoſtolicis, quæ in Siciliæ invaſores propoſitæ erant, ejeciſſe viderentur, pontificiam ſententiam in eum ſenſum detorſere, non defigi anathemate eos, qui Robertum Regem læderent, modo ab inferendo regno ullo damno ſibi temperarent. Ad quorum futiles cavillationes refellendas novo diplomate VIII. idus ſeptembris edito promulgavit Pontifex, (*b*) omnes qui Roberto aut Siculis ullam inferrent injuriam, ſive regia ſive auguſtali dignitate pollerent, quibus verbis Henricum & Fridericum deſignabat, anathemate aliiſque pœnis percelli.

Robertus Rex in grave diſcrimen adductus.

(*a*) Jo. Villan. l. 9. c. 50.

Fridericus Rex Trinacr. Rhegium & alia Calabriæ loca occupat.

Pontificiam ſententiam cavillo eludit.

(*b*) Lib. 8. poſt ep. cur. 134.

*Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

XXIII. *Noviter ad noſtri apoſtolatus auditum publica fama non abſque grandi admirationis cauſa perducto, quod nonnulli, pacis utique æmuli mundi, veritatis & odii incentores, ſuum quærentes in magnatum forſan turbationibus ſabbatiſmum, ſuaque in alienis diſpendiis commoda proſequentes, damnabili præſumunt præſumptione aſſerere, perverſaque perſuaſione non metuunt ſuadere, quod noſtri proceſſus ad invadentes ſeu offendentes perſonam, ut eorum utamur verbis, Roberti nati claræ memoriæ Caroli ſecundi intra dictum regnum, dummodo tales offenſores ſeu invaſores dictum regnum alias non intendant offendere vel invadere, minime ſe extendunt; nos quanquam vis verborum proceſſuum prædictorum & verba, noſtraque intentio temerariam ipſorum calumnioſamque interpretationem clare refutet, & refellat aperte; nec profecto apud ſane intelligentes vertatur, ſicut nec verti debet, in dubium, quin ſententiæ in dictis per nos proceſſibus promulgatæ, etiam ad prædictos invaſores ſeu offenſores dicti Roberti Regis Siciliæ intra regnum & terram prædictam; quinimmo & ad quorumcumque regnicolarum & aliorum intra dictum regnum exiſtentium invaſores, ſeu offenſores hujuſmodi ſe extendant, &c.* Addit ſe ad diſſipandas hujuſmodi artes, atque excuſationum colores delendos, anathemate pœniſque aliis graviſſimis incuſſis cunctis, ſive regia ſive imperiali dignitate fulgeant prohibere, ne in Siciliam hoſtili furore irrumpere, aut graſſari mari audeant, aut Roberto Regi eccleſiæ fiduciario quoquo modo ullam injuriam inferre; tum ſubdit: *Prohibemus expreſſe, ne hujuſmodi ſeu priores noſtros proceſſus & ſententias, quas in ſuo robore volumus permanere, interpretari aut exponere, ſeu intellectum & ſenſum ipſorum & verborum in ipſis contentorum interpretando vel exponendo malitioſe ad aliud, quam litera ipſa ſonat, diſtorquere aut in aliquo depravare præſumant. Nos enim in univerſos & ſingulos, contra prohibitionem hujuſmodi facere præſumentes, excommunicationis ſententiam promulgamus, &c. Dat. in prioratu de Grauſello* VIII. *idus ſeptembris anno* VIII.

Clemens in improbos ſuarum conſtitutionum interpretes cenſuras renovat.

Anathema incutit in alium ſenſum ſententias pontif. detorquentibus.

XXIV. Diſcuſſerat jam divinum Numen Roberto Regi eccleſiæ ſtudioſiſſimo impendens diſcrimen, ſublato paucis ante diebus Henrico Imperatore infenſiſſimo ejus hoſte, qui cum acceptarum nimis injuriarum tenax vibratum a Chriſti vicario in Siciliæ regni ſedis Apoſtolicæ vectigalis invaſores eccleſiaſticum fulmen ſperneret, & cenſuras inani verborum fuco deludere arbitraretur, præferretque ultionem Chriſtianæ reipublicæ paci, inopinata morte in ipſo imperii limine curſuque victoriarum extinctus eſt. Ipſum cenſuris devinctum fuiſſe, neque ea religione ſolvi popoſciſſe, refert ſubjectis verbis Bernardus (*c*): *Tandem præfatus Henricus, non ſano uſus conſilio, contra juramenta fidelitatis & promiſſionis per eum præſtita veniens, & jura eccleſiæ Romanæ offendens, diſcordavit cum præfato Clemente Papa, ut legitur in Clementinis conſtitutionibus extra de jurejurando Romani principes, & factis proceſſibus contra eum, tandem idem Papa in eum excommunicationis ſententiam promulgavit. Hic Henricus Imperator, nullo abſolutionis beneficio petito nec obtento ab Apoſtolica ſede ab excommunicationis ſententia contra eum lata & ſibi prius intimata, obiit apud Bonum conventum in Tuſcia, in feſto S. Bartholomæi regni ſui anno* V. *dominicæ vero incarnationis anno MCCCXIII. delatumque fuit corpus ejus apud Piſas & ſepultum in eccleſia cathedrali.* Scripſere recentiores, necatum veneno Henricum, atque in crimen vocavere ipſius confeſſarium, virum religioſum ordinis Prædicatorum, quem ajunt a Guelpha factione ſubornatum ſacram hoſtiam veneno liviſſe: alii venenum in calice, cum ablutionem porrigeret, miſcuiſſe. Sed ea calumnia a pietatis oſoribus aſperſa tam faci-

Robertus Rex periculo liberatus.

(*c*) Ber. libel. de Rom. Imp. MS. Vat. bibl. ſign. n. 2043.

Anathematis reus Henr. moritur.

facile refellitur, quam obiicitur, cum levi recentiorum auctoritate nitatur: at ſi quid præter communem ordinem triſte acciderit, cur non in divinas iras cauſa referri poſſit, cum cenſuras pontificias ſperneret. Cæterum veteres hiſtorici morbo naturali ipſum periiſſe affirmant, inter quos Jordanus (a) hæc tradit: *Profectus*, nimirum Henricus, *uſque Orgiam fluvium, peracta cœna in fluvii ripa conſcendens, tinctis ob refrigerationem in aqua cruribus, ſubeuntem ſenſit languorem, & comperta ſub dextri cruris genu puſtula, quæ anthrax vocatur, noctem duxit inſomnem: & dato mane ſigno tollendorum caſtrorum, Bonconventum properat, pagum* XII. *millibus a Sena diſtantem, ibique viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, regni ſui anno* V. *imperii autem primo, menſe uno, & diebus* XXIV. *in feſto B. Bartholomæi*. Conſentiunt Joannes Villanus, (b) S. Antoninus, (c) Ptolæmeus Lucenſis in hiſtoria eccleſiaſtica (d) MS. (quamquam a recentiore pravum gloſſema adjectum ſit) & Albertinus Muſſatus qui triplicem mortis cauſam adducit, (e) inter quas præcipua ea fuit, concepta nimirum in latere vomica, effuſo ſcilicet in pleuram ex nimio æſtu & labore ſub ardenti cœlo ſanguine, deinde ex captata perfrigeratione concreto. Auctoris verba ad confutandas nonnullorum recentiorum calumnias, & ineptas novatorum quæſtiunculas adducenda viſa ſunt.

(a) Jord. chr. MS. Vat. ſign. n.1960.

Henric. mortis genus.

Graviſſimorum de eo auctorum ſententia.

(b) Jo. Vill. l.9. c.51.

(c) Ant.3. p. tit. 21. c.2. §.8.

(d) Ptol. Luc. hiſt. eccl. l.24. c.40.

(e) Muſſat. l.16. c.6.

XXV. Triplex mortis cauſa phyſica.

*Triplex*, inquit, *illi interitus cauſa deprehenſa eſt, una innati ſub genu lethalis ulceris, quod phyſici anthracem vocant: altera ſciſſæ ab ſtranguria veſicæ, quo morbo aſſidue laborabat; tertia pleureſi, quam miſſo jam ſpiritu vomuiſſe conſtitit. Admirabilis hæc mortalibus, & veluti fatalis nota loci ac diei intervenientium identitatis; cui admirationi Corradini de Stoph adiiciebatur ejuſdem ſancti Bartholomæi memoranda feſtivitas, qua & ipſe in Italia ab Carolo Rege conflictus capitale poſt ſupplicium ſuſtulit. Cavenda nimis ſacroſanctæ matris eccleſiæ offenſa Chriſticolis, cum & hujus prædeceſſorem fuderit apoſtolica ſententia Fridericum, in quem cum prole tota veluti fulmen jaculata irreparabile tulit exitium. Et hic quoque Henricus, fœcundæ pacis vexillo in Italiam auſpiciis ductus eccleſiæ, quæ voluit obtinuit, ſimul arridente fortuna: verum mutatis velis, verſis ad oppoſitum gubernaculis, adverſo ſydere ſoluta claſſis profundum petiit. Siquidem reſcripti jam ſolamente tranſgreſſor apoſtolici, quo inbibitus Roberti regnum invadere, adverſo ferente ſpiritu, ſuopte fruſtratus ingenio adjuratum ſibi Fridericum Siciliæ dominatorem ad Cathonam Calabriæ inſulam invadendam, quo ſibi tranſgrediendi pateret aditus, obſtinata animadverſione præmiſerat. Hæc quippe deteſtandæ litis exordia ad totius terrarum orbis ſcandala ſolo advertentis Dei ſopita judicio*. Hactenus Muſſatus, qui licet Henrico addictiſſimus, id tamen obſervat ipſum dum cum eccleſia ſenſit, ſecundis rebus potitum: ubi vero in eam cervices extulit, repente vindicta divina obrutum. Nullam etiam veneni Henrico propinati mentionem fecere Cortuſii, (f) qui hæc tantummodo monumentis prodidere: *Infirmitate captus ſolvit debitum naturale;* non Joannes Villanus ſcriptor candidiſſimus, ſuis Florentinis parcere non ſolitus, quidquam tale ſcriptis tradidit: non S. Antoninus Villanum ſolitus exſcribere, qui morbo Henrici obitum adſcribit: non denique Ptolemæus Lucenſis, de quo paulo ante memoravi (g), ſed alius quis recentior illum eo additamento fœdavit [1].

Divina in eo tollendo providentia.

(f) Guill. & Albrig. Cort. hiſt. l.1. c. 21.

(g) Ptol. Luc. hiſt. eccl. l.24. c.40.

XXVI.

Commendat Henricum, ut multis virtu-

NOTÆ [1] OBiit hoc anno, menſe ab annaliſta indicato, Henricus Imperator. Qua in re conſentiunt omnes; de die parvum aliquod diſſidium ſurgit inter coævos ſcriptores, nam plerique cum Joanne Villani diem XXV. auguſti S. Bartholomæo ſacram aſſignant. Alii cum Ferreto Vicentino, & authore chronici Modoetienſis, authore annalium Forolivienſium Rer. Italic. to. XXII. diem XXIII. ſeu X. Kal. ſeptembris; alii denique diem XXV. præferunt. Genuinam emortualem Henrici diem cenſeo noctem inter diem XXIV. & XXV. auguſti intermediam quæ utique nox ſive ad diem præcedentem ſive ad ſequentem commode referri poteſt. Genus mortis alii aliud aſſignant. Itali omnes naturali morbo ſublatum tradunt, prout & annaliſta notavit. Qui tamen in eo fallitur, quod veterum neminem extitiſſe ait aſſertorem fabellæ de illata Henrico nece a Monacho ordinis Prædicatorum, qui incauto illi hoſtiam Euchariſticam veneno illitam porrexerit. Id quamquam inani rumore ſparſum cenſeo, veteres tamen quoſdam habere authores comperi. Nam præterquamquod legitur in Ptolemæo Lucenſi in vita Clementis, qui aſſerit hunc, fictum licet & inanem rumorem tamen revera a maleferiatis quoſdam ſparſiſſe authores famæ hujus Germanos commemorat Ferretus Vicentinus, quem proinde de vetuſtate fabellæ hujus teſtem alterum exhibeo. Nec ſane in dubium id revocaſſe Germani coævi ſcriptores videntur. Joannes Vitoduranus, qui tunc in Germania agebat, quique addit proditorem eo ſceleris inductum fuiſſe, pollicitatione epiſcopatus, quem & dein obtinuit. Narrat vero ſcriptor idem, Henricum cauſam mortis ſuæ ſenſiſſe, ſtatimque capellanum ſuum monuiſſe, ut raptim haberet, ne poſt obitum ſuum, ipſe necis hujus author teneretur, ac pœnas lueret. Suadentibus vero medicis, ut æmeticum pharmacum aſſumeret ad evomendum cum hoſtia venenum, acquieſcere noluiſſe, quod indecorum id crederet tanto Sacramento, & indignum. Id etiam de genere mortis Martino Fuldenſi, qui anno 1378. hiſtoriam abſolvit, id Martino minoritæ,



tutibus cumulatum principem, Joannes Villanus (a), atque ea laude exornat, neque in proſperis elatum lætitia, neque in adverſis dejectum mœrore fuiſſe. Quibus S. Antoninus conſentit his verbis: *Fuit præfatus Imperator Henricus* VI. ſeptimum alii vocant, *vir ſapiens, juſtus, & gratioſus; in armis ſtrenuus, catholicus, & honeſtus: & quamvis ſecundum genealogiam foret mediocris conditionis, animo tamen magnus, & ut ſperabatur, non infima, ſi longiore vita functus fuiſſet, egiſſet*. Ut magnis etiam virtutibus ornatum, cum ad imperium evectus eſt, a Pontifice commendatum vidimus: ſed eas virtutes adepto jam imperio, priſtinæ fortunæ oblitus, nimio erga Chriſti vicarium faſtu corrupit; non enim exigua ejus labes fuit, ſpreviſſe intentatum ſibi anathema & vectigale eccleſiæ regnum, ipſamque ditionem eccleſiaſticam invadere molitum. Et quidem refert Albertinus Muſſatus (b), Henricum ad Romam ſibi ſubiiciendam anhelaſſe, & inter proceres, dum apud Podium Bonizi hyberna ducebat, Romam ſuam jactitaſſe; atque etiam antea Romanis tributa imperaſſe vidimus. Cum præterea Jacobus Joannis Arloti e ſtirpe Stephaneſia tribunitiam invaſiſſet poteſtatem, urbaniſque munitionibus potitus proceres exagitaret, compertum eſt, Henricum facta cum eodem tribuno coitione Urbis imperium a Romana plebecula per ſeditionem eblandiri meditatum: *Illo ſub magiſtratu*, inquit (c) Muſſatus, *denuo compertum eſt, diſpoſitis ad hujus plebiſque libitum rebus, præcipue potentioribus fuſis, omnia hæc parari Cæſari: ipſum evocandum in Urbem, vehendumque triumphaliter in capitolium, principatum ab ſola plebe recogniturum*. Subdit auctor proceres, pontificii nempe nominis aſſertores, cum ſibi imminere exitium viderent, conjuratione facta, tribunum in capitolio oppreſſiſſe: *Sicque*, inquit, *ampliſſima illa Cæſaris ſpes ſorte caſuque ſic ferentibus ſublata eſt*. Extant ad hunc tribunum Clementis literæ (d) hoc anno VI. kalend. februarias datæ, quibus

(a) Jo.Vil. l.9. c.48.

Henric. Imp. elogium.

Datur illi vitio ſuperbe cum Rom. Pont. egiſſe.

(b) Muſſat. l.11. c.6.

Henrici perfidia in affectando urbis dominatu.

(c) Eod. l. c.8.

Jacobi Arloti tribuni cum eo coitio oppreſſa.

(d) Lib.6. ep. cur. 15.



cenſuras intentat, ni a Romanis opprimendis & invadendis arcibus patrimonii B. Petri abſiſtat, queriturque ab eo injurias eccleſiæ pro acceptæ dignitatis beneficio reponi; tum ad Arnaldum (e) epiſcopum Sabinenſem, ut perduellem ad reſtituenda Romanæ eccleſiæ jura cenſuris adigeret. Præfocata tamen ea Jacobi Arloti conjuratione, Henricus ditione eccleſiaſtica novis miſcenda turbis, vectigalique regno Neapolitano pertentando inſidiis non deſtitit: (f) *Permulta*, ait Muſſatus, *ad Apulos, Calabroſque, ac Romanos per internuntios ſciſcitare, tractare, polliceri, componere ſedulis vigiliis ingenti animo ſtudebat*. Tradit præterea idem auctor (g), Henricum indignatum Romanis pontificiarum partium ſequacibus, comminatum ſi ad Urbem acceſſiſſet, *acerbis* in eos *effulminare ſuppliciis;* tum etiam Urbevetere gravem adeo concitaſſe diſſenſionem, ut Gibellini contra pontificios duobus diebus certamen conſeruerint, infelici tamen exitu.

(e) Ib. ep. 115.

Supplicia ab Henr. Rom. Pontificiis intentata.

(f) Alb. Muſſ. l.16. c.5.

(g) Lib. 1. de geſt. Ital.

XXVII. Refert etiam Henricum claſſis ſuæ præfecto ex arcano dediſſe (h) imperia, ut cum Terracinam applicuiſſet vigeſimo ſeptimo ab Urbe milliario, anchoras defigeret, ipſumque præſtolaretur; tum ſpe & cupiditate jam univerſum regnum Neapolitanum beneficiarium ſedis Apoſtolicæ Friderico Trinacriæ Rege ſocio occupaſſe. Qua in re inſigni perjurii flagitio ſeſe devinxit quippe qui ſuſcepturus auguſtale inſigne Cardinalibus hæc ſacramento ſpoponderat: *Ego Henricus Rex Romanorum Imperator promitto, ſpondeo, & polliceor coram Deo & B. Petro, me de cætero protectorem & defenſorem fore Pontificis & ſanctæ Romanæ eccleſiæ in omnibus neceſſitatibus & utilitatibus ſuis, cuſtodiendo & conſervando poſſeſſiones & honores & jura ejus, quantum divino fultus adjutorio fuero, ſecundum ſcire & poſſe meum recta & pura fide. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia*. Quin etiam hoc ſacramentum imperialibus ſacris delibutus ratum habuit, literiſque (i) pervulgavit. Præterea, antequam

(h) Sup. l. 16. de geſt. Henr. c.5.

Promiſſa ſacramento violata ab Henr.

(i) Ext. in l. priv. Rom. Eccl. tom. 3. p. 142. & 347. & in arce S. Ang. & in MS. Vall. ſign. lit. B. n. 12. pag. 378.



Ita-

NOTÆ ritæ, ſed tamen ex fama tantummodo, probatum fuit. Tres hoſce ſcriptores debemus Eccardo qui illos inter hiſtoricos medii ævi to. II. vulgavit. Denique Joannes canonicus S. Victoris Pariſienſis in vita Clementis vulgata a Baluzio Papar. Avenion. to. I. pag. I. perhibet id quidem per ora hominum volitaſſe; ſed medicos coram papa affirmaſſe nihil ſe veneni in eo agnoviſſe. Hæc igitur fama ſcriptores veteres non latuit. Eam tamen mendacii egregie arguit Hermannus Cornerus ordinis Prædicatorum ſcriptor in chronico quod ad ſua uſque tempora, annum ſcilicet 1435. perduxit, vulgavitque Eccardus in hiſtoricis medii ævi. Scriptor ille ad annum 1317. ut impactam viro ordinis ſui calumniam depellat, producit literas Johannis Bohemiæ regis ejuſdem Henrici regis filii quibus teſtatur ſparſi hujus rumoris veritatem inveſtigaſſe ſe mendacemque deprehendiſſe, quod & aliis literis ibidem recitatis, Guido epiſcopus Aretinus, tum & ſuis pariter duces imperialis exercitus apud Florentiam conſtituti confirmant. Quarum literarum veritas, ne quis cavilletur, publici tabellionis oculatorumque teſtium authoritate ibidem ſtabilitur. Servari vero illas autographas in monaſterio Lubecenſi ordinis Prædicatorum ſcriptor idem perhibet. MANSI

Italicam expeditionem duceret, Lauſanæ Joanni Molans pontificio internuntio hæc jurejurando pollicitus erat, cinctuſque diademate coram Cardinalibus confirmarat (*a*): *Ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, innovamus, & de novo concedimus omnia privilegia Conſtantini, Caroli, Henrici, Othonis* IV. *Frederici* II. *atque Rodulphi Regum & principum ſeu Imperatorum Romanorum, quocumque tempore conceſſa, ſuper quibuſcumque, cujuſcumque continentiæ vel tenoris exiſtant, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, Romaniſque Pontificibus, & Apoſtolicæ ſedi.*

(a) *Ext. de eo Henr. lit. MS. Vall. B. n. 12. p. 284.*

Ut Siciliam contra fas affectarit.

In eorum vero Imperatorum literis contineri Siciliæ citerioris donationem, exploratum eſt atque Othonem, Fridericum II. & Rodulphum profeſſos, Siciliam ſupremi juris Romanæ eccleſiæ eſſe, ac Rodulphum (*b*) diſerte Siciliam non invaſurum pollicitum, tum ſuis locis diximus, allatis eorumdem principum monumentis, tum etiam Othonem IV. ob affectatum contra jusjurandum Neapolitanum regnum ab Innocentio III. exauctoratum fuiſſe; adeo ut perjurii & proditionis in Romanam eccleſiam nota ab Henrico elui non poſſit, qui ad augendas res ſuas multa ſacramenta de eccleſiaſtica ditione, regnoque Neapolitano non invadendis ad religionis ſpeciem nuncuparat, quæ deinde Italiæ, captata ex Pontificis abſentia occaſione, ſibi ſubiiciendæ deſiderio violarit; atque ad pompam tantummodo pervulgata his temporibus fallacia, bellum in Saracenos meditari jactaverit, dum atrociſſima inter fideles bella ſerebat, quæ perfidus illius aſſentator Piſanus archiepiſcopus inter multas blaſphemas voces adverſus Clementem, Henrici cupiditatibus injuſtis reluctantem, effuſas initia redemptionis terræ ſanctæ, ut refert Muſſatus (*c*), appellabat; unde divina ultione in ipſo conſiliorum improborum molimine oppreſſum Henricum exiſtimari poteſt, ut jam ante indicatum eſt.

(b) *Ann. tom.* XIII. *an.* 1207. *n.* 11. *an.* 1215. *n.* 38. *& to.* 14 *ann.* 1275. *n.* 38. 39. *& ann.* 1279. *n.* 6.

(c) *Alb. Muſ. l.* 16. *c.* 5.

XXVIII. Inſignis ejuſdem impudentia in negando fidem a ſe Pontifici præſtitam.

Nec levem pariter ſibi aſperſerat Henricus maculam, cum Romano Pontifice pacem ipſum inter Robertumque adducere meditante, atque literis ſuis ſacramentum fidei, quo ſedi Apoſtolicæ ſe ille obſtrinxerat, inculcante, ut ipſi rei componendæ arbitrium deferret, adeo in iras præcipitem effudit animum, ut accerſitis pluribus tabellionibus conteſtatus ſit, ac tabulis publicis conſignari juſſerit, numquam ſe Romano Pontifici fidem devinxiſſe. Cujus exempli pernicies ne in futuros Romanorum Reges atque Imperatores dimanaret, Clemens, inſignem apoſtolicam conſtitutionem ad tuendam Pontificis Romani auctoritatem, dignitatemque edidit (*d*); qua ubi paucis proluſit Chriſtianos Imperatores triumpho duxiſſe ſedi Apoſtolicæ ſubmittere apices promulgat ſacramanta ab Henrico, paucis ante diebus extincto, aliiſve Regibus & Imperatoribus præſtita præſtandave a ſucceſſoribus, ſacramenta fidei appellanda: *Ne quis*, inquit, *in Romanum aſſumptus principem vel in poſterum aſſumendus, an juramenta hujuſmodi per dictum Henricum Imperatorem præſtita, & per ſucceſſores ipſius in futurum præſtanda fidelitatis exiſtant, in dubitationem deducere audeat vel ſuper his contrarium aſtruere veritati, auctoritate apoſtolica de fratrum noſtrorum conſilio declaramus, illa juramenta prædicta fidelitatis exiſtere & cenſeri deberi.*

(d) *Ext. Clem. Romani de jurejur.*

Pontificio edicto ſtatuitur jusjurandum ab Imp. exigi ſolitum fidei ſacramentum eſſe.

XXIX. (e) *Ant.* 3. *p. tit.* 21. *c.* 2. *§.* 8.

Mortuo Imp. illius ſequaces conſternati. Fridericus copias e Calabria abducit.

Quæ porro, ſublato Henrico e vivis, ſint ſecuta, narrat S. Antoninus, (*e*) tempeſtatem illam immanem, quam in Robertum Siciliæ Regem movebat Henricus, repente ſedatam, diſſolutum imperialem exercitum, Genuenſium Piſanorumque claſſem diſſipatam; inter quos poſtea magnæ rerum converſiones contigere: Friderici Siculi pariter terreſtres copias in Calabriam traductas in Trinacriam ſe ſubduxiſſe, maritimas disjectas irrito conatu domum rediiſſe; Gibellinos vero, qui in Etruria cum Henrico coitionem fecerant, e ſpe maxima in metum non minorem deturbatos. At contra Guelphos ex cladis extremæ terrore ad priſtinas libertatis ſpes aſſurrexiſſe, deſcribit eleganter Muſſatus (*f*): *Hujus*, inquit, *Regis interitus hos ad lucem e tenebris, illos ab luce conjecit in tenebras: hi veſtes lacrymis reſperſere lugubres, affectus illi dulcibus extulere lætitiis. Zelatrices imperii civitates functum triſtibus proſecutæ lamentis, luculentos nutibus ac geſtibus oſtendere ſucceſſus, parum fidentes rebus humanis in tantæ alluſione fortunæ. At per cæteras qualis ante non fuerat oſtenſa felicitas; expiatam mundo cladem, ſupplices matres ſacra piis muneribus inſtaurabant altaria, clerus ſublatis crucibus longo cœtu cum laicorum ordinibus urbes ambibat, procedentibus mithratis antiſtitibus ſummo uti placato Deo laudes pſalmorum concentu conclamans datori pacis poſt tantæ calamitatis anguſtias: ardentes noctu faces urbes luſtrabant, ſolaribus æquatæ fulgoribus: novis amicti veſtibus populi equorum haſtarumque variis inſtitere præludiis: per vicos & fora feminarum cœtus laſſis exultavere virorum licentiis: clauſo juſtitio forenſes ſiluere cauſæ, & ſingula tacuere judicia, apertis ex indulgentia lata carceribus: actæ ſublimes Bartholomæo laudes Apoſtolo, xeniaque decreta in ejus annua feſtivitate perpetua, qui in lapſos populos imperii cruciatibus jam bis apoſtolica pietate proſpexerit, fuſo Coradino de Stoph, & hoc Henrico vita ſublato. Sic veluti mutatis mundi vicibus, mu-*

(f) *Muſſ. de geſt. Ital. poſt mortem Henr. l.* 1. *c.* 1.

Gibellinorum ex Henrici obitu luctus.

Guelphorum gaudia.



*-tati ſingulorum affectus, & diverſa mundi facies gentes alteravit Italicas.*

XXX. Belli inter Rob. & Frid. cauſæ.

Obortos exinde novorum bellorum motus inter Siciliæ ac Trinacriæ Reges, cum Robertus de Friderici perfidia ultionem, occupatamque ab hoſte Calabriæ partem & Trinacriam repetere vellet, narrat ſubjectis verbis memoratus Muſſatus (*a*): *Laceſſitus a Friderico Aragonenſi, Siciliæ dominatore, Robertus Apuliæ Rex, qui Henrico junctus Cæſari regno orbandum ipſum pariter conſtituerat, inque ejus necem exitiumque pariter conjurarat, quamquam poſt, illo extincto complice, ipſe Calabriam terram ingreſſus Rheginos deditione civitatis ſibi aſciverat, ad reliqua indeficienter proceſſurus; ipſeque undecumque copias ſuas augendas, ut tanta molientem retunderet, decernit: nec ea dumtaxat repulſa, ſi proſpere res ſuccedant contentus; ſed ad veterem dirimendam novo bello regni Siciliæ litem, quam Bonifacius Papa VIII. ſemipacatam multo ſtudio reliquerat, animum erexit.* Percitus eo metu Fridericus delatam a Piſanis urbis præturam reſpuit (*b*). Illi itaque Ugutionem Fagiolanum Guelphorum Etruſcorum metu ſibi præfecere: (*c*) quos etiam Jacobi Regis Aragonum Sardiniæ jura armis repetere meditantis (*d*) terror angebat. At intermiſſum a Jacobo Sardicum bellum, extractumque in aliud tempus, refert Surita, (*e*) de quo agetur inferius: nunc ad Venetos digredimur.

(a) *Muſſ. l.* 2. *de geſtis Ital. c.* 5.

Rob. Sicil. inſulam repetere tentat.

(b) *Jo. Vil. l.* 9. *c.* 53.

(c) *Id. eod. c.*

(d) *Clem. l.* 9. *ep. com.* 389.

(e) *Sur. ind. l.* 2.

XXXI. (f) *A. C.* 1310. *n.* 32.

Veneti in gratiam cum eccleſia reſtituti.

Decreverant (*f*) illi jam ante ob Ferrariam oppugnatam an. MCCCX. Carolum Quirinum & Franciſcum Dandulum oratores, iſque concordiæ tractatus, cum non levibus implicitus difficultatibus eſſet, ad triennium fuerat productus: cum interea temporis excedente e vivis Petro Gradenico, qui Ferrariam ditioni Venetæ adjungere erat molitus, Marinus Georgius anno hujus ſæculi undecimo vigeſima tertia auguſti die habenas reipublicæ capeſſivit: cujus ducatus toto tempore Venetam provinciam ſub anathemate luxiſſe, refert (*g*) appendicis ad hiſtoriam Andreæ Dandali auctor, eoque poſt menſes decem ac dies totidem infelici imperio ac vita abeunte, Joannes Superantius die julii decimatertia ſuperioris anni dux renunciatus, ut eam labem amoveret, omnes nervos intendit. Demum compoſita controverſia Clemens cenſuras omnes, quibus Venetos ob invaſam Ferrariam, ac ſæpius bello tentatam devinxerat, apoſtolica auctoritate diſſolvit, dato ea de re ad eundem Joannem Superantium ducem ac ſenatum diplomate (*h*) VII. kal. februarii conſignato, in quo, ubi fuſa oratione deſcripſit inflictas ab ipſis vivo duce Petro Gradenico injurias, atque irruptiones hoſtiles; tum incuſſas iis a legatis atque ab ſede Apoſtolica cenſuras, de quibus jam ante ſuo loco egimus, ſubiicit.

(g) *MS. Append. ad hiſt. Andr. Dandul.*

Ut Joannes Superantius dux ad eam recuperandam ſtudium intenderit.

(h) *Clem. l.* 8. *ep. com.* 110. *ext. typis cuſa an.* 1606. *ex Vat. typog. inter monitoria & declarat. excom. cont. Venet.*

XXXII. Demiſſis primum a Petro Graden. duce oratoribus ad Clementem.

*Poſtmodum Deus & pater luminum, miſericordiarum dominus inſenſibilitatis præfatæ duritiam rore ſuæ infuſionis emolliens, voſque de tenebris vocans in delectabile lumen ſuum, ſic cordium veſtrorum oculos illuſtravit, quod devota pœnitudine ducti ad eccleſiæ ſuave gremium ſaniori directi conſilio rediiſtis, & per dilectum filium nobilem virum Franciſcum Danduli & quondam Carolum Quirini de prædicta terra Venetiarum, adhuc viventem, veſtros & dicti Petri ſyndicos & procuratores ad hæc pro vobis & eodem Petro*, de Gradenico olim duce loquitur, *& toto diſtrictu veſtro, ſingulis perſonis ipſius, dictiſque ſubditis & fidelibus veſtris plenum & ſufficiens a vobis & ab eo mandatum habentes*, publicas ea de re a duce ac ſenatu datas tabulas jam ante ſuo loco attulimus, (*i*) *quos propter hæc ad ſedem Apoſtolicam deſtinaſtis, ſuper prædictis exceſſibus, injuriis, damnis, & violentiis; occupationibus, ſpoliatione ſeu ſpoliationibus, deprædationibus & moleſtiis, ac omnibus aliis & ſingulis ſupradictis, noſtram & ejuſdem ſedis gratiam & miſericordiam imploraſtis humiliter; & cum multæ reverentiæ & devotionis ſupplicaſtis inſtantia, quod vos & alios dictis ligatos ſententiis ab eiſdem abſolvere, dictoſque relaxare proceſſus & pœnas remittere dignaremur, ſe pro vobis*, nimirum Joanne Superantio, qui exercitum in ditionem eccleſiaſticam infuderat, ac ſenatu, *Petro*, Gradenicum defunctum intelligit, *ac aliis ſupradictis*, ii erant Vitalis & Michael, qui Ferrariæ præfecturam geſſerant, *quorum nomine procuratores erant & ſyndici, ut prædicitur, conſtituti ſuper eiſdem exceſſibus, injuriis, violentiis, atque damnis; occupationibus ſpoliatione ſeu ſpoliationibus, deprædationibus, moleſtiis, & omnibus aliis ſupradictis, & eorum quolibet; noſtris & eccleſiæ prædictæ ſtare & parere mandatis & beneplacitis offerentes. Et tandem in noſtra & fratrum prædictorum præſentia in conſiſtorio publico clericorum & laicorum adſtante copioſa multitudine, & conſtituti in veſtras & Petri ac aliorum animas præfatorum ſuper his juramentum ſuper ſancta Dei evangelia ab eiſdem corporaliter præſtiterunt.*

(i) *A. C.* 1310. *n.* 31.

Poſtulata ab iis venia ob affectatam Ferrariam.

XXXIII. Pacis tractatus a Marino Georg. duce abruptus.

*Et licet Petrus præfatus poſtmodum deceſſiſſet, dictus tamen Franciſcus ſyndicus, te Joanne duce præfato ad hujuſmodi ducatus dignitatem, aſſumpto*, inter Petrum Gradenicum ac Joannem Superantium medius ducatum tenuit, ut indicavi, Marinus Georgius, quo rempublicam moderante cœptus concordiæ tractatus intermiſſus, *ab inſtantia hujuſmodi ſupplicationis non deſtitit; ſed continue apud ſe-*

Redintegratus a Joanne Superantio duce.

*ſedem Apoſtolicam moram trahens, ſuper præmiſſis pro vobis Joanne duce, ac conſilio & commune & aliis antedictis noſtram & eccleſiæ præfatæ gratiam & miſericordiam, ut prius, ſuppliciter imploravit.*

Pontifex flexus ad miſericordiam.

*Nos vero, qui talem noſtri clementiſſimi Salvatoris, cujus tenemus vices in terris, erga filios hominum novimus pietatem,* & infra, *qui ipſos, cum de profundo malorum ad viam redeunt veritatis, deſuper abundanti miſerationum ſuarum multitudine ſuſcipit, nec eos quantumvis exiguæ converſionis mercede patitur vacuari, veſtigiis inhærentes; & illius cœleſtis patrisfamilias, qui de regione longinqua filio redeunti miſericordia motus occurrens, deſideranter in oſcula prorupit, illius exemplis ſalutaribus moniti, & divinis inſtitutionibus informati; vobis, quamvis gravitas exceſſuum prædictorum, grandium pœnarum acerbitatem importet, ejuſdem matris eccleſiæ brachia liberaliter aperimus, in amplexus & oſcula filialis dilectionis occurrimus, vobiſque ſtola prima munda & nitida renovatis, Franciſcum ſindicum ſupradictum, in veſtros & veſtrum ſingulorum ſubditorum ac fidelium, & Vitalis prædictorum, & uniuſcujuſque veſtrum & ipſorum perſonas, etiamſi perſonæ eccleſiaſticæ forent, a dictis excommunicationum ſententiis eadem auctoritate*

Cenſuras omnes diſſolvit.

*abſolvimus, & proceſſus omnes & ſingulos ac pœnas, ſententias, aggravationes, per nos & Cardinalem ac nuncios ſupradictos, & quemlibet eorum vel alium ſeu alios, de mandato ipſorum, ſeu quemvis alium contra vos & terram, fideles, & ſubditos veſtros, & clericos ipſius terræ veſtræ*

Priſtinis juribus ſingulos reſtituit.

*Venetiarum, habitos, promulgatos, & factos; necnon & inhabilitatis notas, quas vos & iidem fideles & ſubditi, dictæque terræ veſtræ Venetiarum clericis incurriſtis; ac confiſcationes de veſtris & fidelium & ſubditorum eorundem bonis, & interdictiones contra vos & eoſdem fideles & ſubditos occaſione præmiſſorum, ut præmittitur, factas; de ſpeciali gratia remittimus, tollimus, & etiam relaxamus: voſque & eandem terram veſtram Venetiarum, communioni, participationi, & commercio fidelium eorumdem, omnibuſque privilegiis, libertatibus, immunitatibus, feudis, juribus, & bonis immobilibus, quæ habebatis in dictis civitate Ferrarienſi & diſtrictu vel alibi; ac bonis mobilibus, quæ habetis, tenetis, vel poſſidetis per vos vel per alium, ſeu alios ubicumque, & honoribus, habilitati, famæ, ac ſtatui pri-*

Joannem Superantium ducali dignitati aſſerit.

*ſtinis; teque ſpecialiter ducem, eidem dignitati ducatus, dictiſque priſtinis famæ ac ſtatui, honori, & alias plene & in integrum reſtituimus & redintegramus totaliter de gratia ſpeciali.*

*Notarios quoque ipſius terræ veſtræ per dictas noſtras ſententias tabellionatus privatos officio ad ipſum officium plene reſtituimus, decernentes de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, inſtrumenta poſtmodum confecta per eos plenam obtinere roboris firmitatem. Vaſſallos equidem & fideles veſtros in obligationem, qua tenebantur vobis tempore proceſſuum prædictorum, reponimus & reducimus, ipſoſque illi volumus ſubjacere. Illos autem ex vobis, aut fidelibus, vel ſubditis veſtris, ſi qui forſan de noſtro, aut Cardinalis ſive nuntiorum prædictorum mandato vel auctoritate per quoſcumque clericos vel laicos, communitates aut univerſitates detineantur ubique terrarum, volumus juxta juris exigentiam relaxari. Cum eiſdem vero perſonis eccleſiaſticis, quæ contra prædictos noſtros, aut Cardinalis ſeu nuntiorum præfatorum, & quorumlibet aliorum proceſſus ratione prædictorum, quavis auctoritate habitos veniendo, excommunicationis ſententiam incurrerunt; ipſaque ligati ſen-*

Eccleſiaſtici irregularitatis religione ſoluti.

*tentia celebrando divina, vel immiſcendo ſe illis, non tamen in contemptum clavium, irregularitatis maculam contraxerunt, ſicque ligati ſe fecerunt ad ordines promoveri, dummodo alias rite ſtatutis a jure temporibus ad eos ordines ſint promoti, ſuper eadem irregularitate, & quod in eiſdem ordinibus licite valeant miniſtrare, & ad ſuperiores etiam promoveri, & quælibet eccleſiaſtica beneficia cum cura vel ſine cura, etiamſi dignitates, perſonatus, officia, vel adminiſtrationes exiſtant (non obſtantibus proceſſibus & irregularitate prædictis) licite valeant obtinere, eadem auctoritate apoſtolica diſpenſamus. Clericis autem & religioſis præfatis, qui de noſtro, ut prædicitur, ſeu Cardinalis, vel nuntiorum præfatorum & aliorum quorumcumque apoſtolica vel alia quavis auctoritate, ſeu mandato de dictis civitate Caſtellanenſi, & terra Venetiarum vel locis, ut prædicitur, ad decem milliaria eiſdem civitati & terræ propinquis receſſerunt, redeundi ad civitatem, terram, & loca prædicta, ibique ut primitus commorandi plenam licentiam elargimur. Nulli ergo, &c. Datum Avin.* VII. *kal. febr. anno octavo.*

XXXIV.

(*a*) *Sabell. ennead. l.* 4. *Egnat. l.*6. *c.*2. *exemp. ill. Venet.*

Franciſci Dand. inſignis in patriam charitas ac demiſſio in Chriſti vicarium.

Duriorem in Venetos Clementem ſe præbuiſſe ferunt (*a*), cum cœptum triennio ante ſub Petro Gradenico pacis tractatum abrupiſſent, eoſque Franciſcum Dandulum miſiſſe, qui ad flectendum Pontificem, captandamque miſericordiam catena collo injecta, ac vili cultu ad Clementis pedes, cum menſæ accubuiſſet, ſe abiecerit, ſuſcepto ſponte eo ſqualore, ut patriam cenſurarum vinculis liberaret: dein, licet a nonnullis humana arrogantia tumidis cognomen canis ob id retuliſſet, demum tamen Numine divino ejus Chriſtianam demiſſionem & cha-

ri-



(*a*) *Lib.* 8. *ſup. ep. com.* 120.

ritatem in patriam exornante, ducales apices aſſecutum. Flexus itaque a Dandulo Clemens ad miſericordiam, illam ampliſſima venia explicuit (*a*).

XXXV. Venetorum privilegia redintegrata.

(*b*) *Lib.*8. *ep. com.* 122.

(*c*) *Ib. ep. com.* 121.

Cum vero inter cæteras pœnas, quibus Venetos in diſcordia affecerat, ipſorum bona ubivis terrarum comperta fiſco addixiſſet, admiſſis iis in gratiam, ad Chriſtiani orbis antiſtites, Reges, ac principes ſcripſit (*b*) ut priſtina bona Venetis reſtituerent: tum etiam ad exercendam mercaturam, privilegiis antiquis ac libertate, quibus eos privarat, potiri juſſit. Delevit (*c*) pariter eam infamiam, qua ipſorum poſteros ad quartam progeniem aſperſerat, ut ad ſacerdotia ac munera eccleſiaſtica gerenda idonei non cenſerentur. Denique ut priſtinam in eos benevolentiam explicaret, vetera privilegia, quibus olim Ferrariæ dum Ateſtini principes Opizo & Azo illi imperitabant,

(*d*) *Ib. ep. com.* 117.

fruerentur, redintegranda conſtituit (*d*): atque abbati Albaterrenſi & decano Meldenſi, ac Galhardo e Caſa canonico Conſtantienſi, ut quæ illa fuiſſent, explorarent, iiſque adiicerent, vel detraherent, aut illuſtrarent, temperarentve quidquid viſum eſſet, provinciam dedit. Decrevit tamen, ne in poſterum Venetorum dux aliive ex ea republica agros, aut immobilia bona in Ferrarienſis comitatu aut urbe ſine Apoſtolicæ ſedis facultate, intentata eorum jactura, ſibi comparare poſſent.

XXXVI. Renovata Ferrarien. inter & Venetos pacta.

Diſcuſſis itaque ab abbate & decano apoſtolicis nuntiis veteribus Ferrarienſium cum Venetis pactis, quæ a ratione atque æquitate non abhorrebant, licet ea Ferrarienſes ſine Apoſtolicæ ſedis auctoritate inire non potuiſſent, alendæ tamen concordiæ cauſa redintegravit, datis ad Joannem Superantium ducem & ſenatum ac populum Venetum literis,

(*e*) *Ib. ep.* 118.

(*e*) quibus inſerta ſunt ea pacta conventa, quæ pontificia auctoritate corroborata atque ita conſignata ſunt. *Dat. & actum Aven. in domo domini Jacobi Montanerii, quam habitat dictus dominus Onufrius ſub anno Domini a nativitate MCCCXIII. indict.* XI. *pontificatus domini Clementis Papæ V. anno* VIII. *die veneris,* XVI. *menſis februarii.* Quibus ſolito more confecti diplomatis apoſtolici diem Pontifex adiicit: *Dat. Aven.* XIII. *kal. martii, pontificatus noſtri an.* VIII.

(*f*) *Alb. Muſſ. l.* 11. *c.*2.

(*g*) *Lib.*8. *ep. com.* 321.

Fœdifragis intentatæ pœnæ.

(*h*) *Ib. ep.* 119.

Ne porro tanta maturitate conſilii ſancita pacta temere infringerentur, Pontifex Roberto Siciliæ Regi, qui Ferrariæ adminiſtrationem a ſede Apoſtolica ſuſceperat (*f*), præcepit (*g*) ut quandiu urbi præfuiſſet, daret operam ut a ſuis adminiſtris religioſe ſervarentur. Tum Patavino epiſcopo munus impoſuit (*h*), ut ad conventa illa Ferrarienſes ac Venetos, incuſſa cenſurarum religione, obſtringeret.

XXXVII Regalia epiſcopo Leodien. collata a Pont.

(*i*) *Lib.* 9. *ep. com.* 122.

Admovit pariter Clemens ad tuenda aliarum eccleſiarum jura ſtudium apoſtolicum, atque in primis Guidonem epiſcopum Cameracenſem, licet Regi Romanorum fidem non devinxiſſet, a Cameracenſi tamen clero excipi juſſit (*i*), cum interregnum eſſet; contrariaſque in ea re conſuetudines reſcidit, Adolpho etiam epiſcopo Leodienſi, qui gerendæ illi eccleſiæ adhibitus fuerat, cum prædeceſſor, ut vidimus, Romæ dum oppoſitos obices, ut in baſilicam principis Apoſtolorum penetraret, perrumpere nitebatur, captus ac gladio proditione cæſus obiiſſet, ſuo duce orbato Romano imperio, cujus adminiſtratio interregni tempore ad Pontificem Romanum devolvitur, regalia ab Romanorum Regibus vel Imperatoribus tradi ſolita apoſtolico diplomate contulit, ne jura illius eccleſiæ obſoleſcerent, deperirentve.

(*k*) *Annal. to.* XIII. *an.* 1239. *n.* 46.

Salmanticenſis academia reſtaurata.

(*l*) *Ext. apud Ib.* 22. *l.*8. *ep. com.* 989.

In Hiſpania cum Salmanticenſis academia, quam a Ferdinando Palentia eo traductam vidimus (*k*), ob ſubducta magiſtris ſtipendia, quæ olim regia liberalitate fuerant attributa, penitus obſoleſceret, reſtituendæ priſtinæ illius dignitatis cupidus Berengarius archiepiſc. Compoſtellanus a Clemente precibus contendit, ut apoſtolicam ſolicitudinem in ea inſtauranda collocaret: qui, de totius rei circumſtantiis ab archiepiſcopo edoctus, tertiam partem tertiæ ex decimis archiepiſcopatus Compoſtellani ſubductæ in ludi literarii magiſtrorum ac doctorum ſtipendia, exarato pridie idus octobris diplomate (*l*), attribuit. Hæc in pacis artes colentes, ac dantes operam rei literariæ beneficia conferebat Clemens.

Templariorum bona in regno Balearico Hoſpitalariis attributa.

(*m*) *Ep.* 406.

(*n*) *Ib. ep. com.*87.

Hoſpitalarii omnia munera, quibus obſtricti erant Templarii obire juſſi.

Nec belli ſacri ſtudia amplexos gratiarum munerumque expertes reliquit: Hoſpitalariis enim equitibus omnia bona quæ Templariorum fuerant in regno Baleārico, in quo Sancius Jacobo ſucceſſerat, attribuit: eos vero cenſuris devinxit, qui excurrente menſis ſpatio decreta bona non conſignaſſent Hoſpitalariis iiſdem. Cæterum ut commodorum & honorum, quibus potiti erant in eo regno Templarii, compotes; ita ad onera, quæ ad illos incubuerant, obſtrictos juſſit (*m*) eſſe. Quod cum æquitati conſentiret, non in regno Majoricano modo, verum in cæteris regnis ac provinciis etiam ſervandum edixit (*n*) ineunte anno idibus januarii: ac ſi in eo diplomate, quo Hoſpitalariis Templariorum bona fuerant addicta, expreſſum ſcriptoris negligentia, aut occupatione nimia non eſſet ad quæ munera obſtricti fuiſſent Templarii; ſui tamen fuiſſe conſilii, ut ſicut in eorum bona, jura, immunitates, ac privilegia, ita in armorum in Saracenos gerendorum onera ſuccederent; tum Regibus, principibus, ac præſulibus

ad

ad ea officia ac munera præſtanda, quibus tenebantur Templarii, cum vinculis traditi fuere, devincti forent.

XXXVIII

Ad eorum vero jura e principum manibus vindicanda viciſſim Clementem incubuiſſe, apoſtolicæ docent literæ ad Robertum Siciliæ Regem datæ, (a) quibus ipſum objurgat caſtra, oppida ac juris dicundi auctoritatem, quæ in Provincia obtinuerant Templarii, in Hoſpitalarios non tranſmiſiſſe, quamvis alia iis bona permiſiſſet: non latere Regem incuſſas graviores cenſuras omnibus, qui hujuſmodi bonis, aut juribus manus non amoviſſent: ſequeretur exemplum Philippi Francorum Regis, qui omnia liberaliter Hoſpitalariis refudiſſet. Ex quibus a Philippo Francorum Rege gravior calumnia, a pleriſque auctoribus illi aſperſa, detergitur, dum ajunt ex nimia cupiditate, qua Templariorum bonis inhiabat, ipſos delere meditatum: ſi enim impulerat eum avaritia, quomodo tandem fieri potuit, ut puriſſimas ab iis bonis manus ſervaret, ut teſtatur Clemens, cum maxime alii Reges ab iis bonis ſibi non temperarent?

(a) *Reg. poſt ep. 406.*

Philippum Francorum Regem Templariorum bonis abſtinuiſſe teſtatur Clemens.

XXXIX. Magiſtri ordinis Templ. ac nonnullor. alior. cauſam a Cardinalibus cognoſci jubet Pont.

Incitatum igitur ipſum bono zelo, atque impietatis odio ferro flammaque inſectatum Templarios, par eſt credere: quem etiam ſequenti anno in eos legum acerbitatem exeruiſſe auctores docent. Cum enim Pontifex ſuppreſſo, ut vidimus, Templariorum ordine, illius familiæ equitum cauſæ cognitionem ſynodis provincialibus detuliſſet; reſervata tamen ſedi Apoſtol. ſupremi magiſtri cauſa, ac viſitatorum Franciæ, Normanniæ, Aquitaniæ, Pictaviæ, Provinciæ, & nonnullorum, quos terræ ſanctæ magnos præceptores vocabant, ut juſtam ipſis ad expianda ſcelera pœnam infligeret; atque adeo exeunte hoc anno, nimirum XI. kal. januarias Arnaldo epiſcopo Sabinenſi, & Nicolao tit. S. Euſebii, atque Arnaldo tit. S. Priſcæ presbyteris Cardinalibus provinciam dediſſet, ut cognita eorum cauſa ipſos abſolverent damnarentve; inſtituto judicio agendæ pœnitentiæ addicti ſunt, dataque a Clemente imperia, ut ipſis ad vitam ſuſtentandam nonnulla ordinis vectigalia attribuerentur: ſed cum illi confeſſa ut vi extorta revocaſſent, proximo anno flammis traditos fuiſſet narrat Bernardus (b): *Anno*, inquit, *Domini* MCCCXIII. numerat more ſuo annos ab annuntiationis die feſto, *in vigilia B. Gregorii Papæ in die lunæ Pariſiis fuit combuſtus magiſter ordinis quondam templi cum quodam alio magiſtro ejuſdem quondam ordinis præceptore, qui tamen fuerunt prius cum peritorum & prælatorum conſilio adaugendum aliam pœnitentiam judicati. Sed audiens Rex Philippus & curiales conſilii, quod dicti Templarii confeſſiones ſuas revocabant, dicentes ſe falſa fuiſſe confeſſos, eoſdem Templarios indilate perduci fecerunt ad locum ſupplicii & combuſti, judicio alio minime expectato. Erant autem Pariſiis præſentes duo S. R. E. Cardinales.* Quæ ex parte in chronicon Pontificum ejuſdem auctoris (c) repetuntur, iiſdemque recenſentur verbis in geſtis manuſcriptis (d) Clementis V.

Objecta ſcelera confeſſi pœnitentiæ agendæ mancipati.

(b) *Ber. chr. Reg. Franc.*

Revocant paulo poſt confeſſa ac juſſu regio flammis traditi.

(c) *B[illegible] chr. [illegible] Pont.*

(d) *[illegible] MS. C[illegible] V. Val[illegible] bibl. & MS. Vat. bibl. ſig. n. 3765. in Clem. V.*

Suſpicati ſunt nonnulli, præcipue recentiores, ipſos inique fuiſſe oppreſſos, ac plurima inſignis conſtantiæ & innocentiæ argumenta ediddiſſe, prodiderunt, inter quos Paulus Æmilius hæc refert: (e) *Sunt auctores* (f) *non obſcuri Jacobum Burgundionem ordinis principem, cum productus ad ſupplicium circumfuſa ingenti multitudine, dum pyra extruitur ſtaret, propoſita vitæ ſpe ac impunitate, ſi quæ in cuſtodia faſſus de ſe ſuiſque eſſet, nunc quoque confeſſus veniam publice peteret, hujuſmodi verba feciſſe: Ego nunc ſupremis rebus meis, cum locum mendacio dari nefas ſit, ex animo vereque fateor, me ingens in me meoſque ſcelus conſciſſe, ultimaque ſupplicia cum ſummo cruciatu promeritum, qui in gratiam, quorum minime decuit, dulcedineque vitæ flagitia impia ſceleraque ad tormenta ementitus ſum in ordinem meum, de religione Chriſtiana optime meritum: nec mihi nunc vita opus eſt precaria & novo ſuper vetus mendacio retenta. Exin rogo impoſitum, ac admoto paulatim igne primoribus pedibus ad exprimendam ſcelerum confeſſionem, ne tunc quidem, cum reliquo corpore depaſto vitalia fœdo nidore torrerentur, ab hujus orationis conſtantia deſciviſſe, aut mutatæ mentis ullam ſignificationem præbuiſſe; neque ipſum, neque duos cum ipſo ſupplicio affectos nobiliſſimos ejus ordinis viros, quorum alter eſſet delphini Allobrogis frater.* His conſentanea narrat Maſſonus (g) additque horum cineres ut martyrum collectos a nonnullis: tum in eam abit ſententiam, Templarios injuſte everſos, ac Philippum impietatis, Pontificem inclementiæ accuſat. Sed is parum attendiſſe viſus eſt adhibitam a Clemente & œcumenica ſynodo in abolendis Templariis conſilii maturitatem, teſtium graviſſimorum multitudinem; tum maximum Templariorum numerum, quos nullo metu objecto coram Pontifice & Cardinalibus defectionem a fide, aliaque ſcelera faſſos, diximus ſuo loco. Porro Templariorum acta (h) judiciaria, quæ ſervatum in eos æquitatis & legum ordinem oſtendunt, in molis Adrianæ archæo ſervantur, tum etiam in archivo Avenionenſi reperta (i) legato Octavio Cardinale Aquaviva Romamque advecta. Sed de funeſto reorum ſupplicio, ad lætam ſanctiſſimi viri memoriæ conſecrationem orationem traducamus.

(e) *Paul. Æmil. in Phil. Pulc.*

(f) *Jo. Vil. l. 8. c. 92. Maſſ. in Phil. Pul. Sabell. ennead. 9. l. 7. Boſius hiſt. eq. Hier. p. 2. l. 1.*

(g) *Maſſ. in Phil. Pulc.*

(h) *Ext. in arce. S. Ang. ext. de eod. MS. Vat. ſig. n. 4011.*

(i) *A. C. 1594. ſig. p. ult. n. 5.*

Re-



XL. Petrus e Murrone olim Cœleſtin. V. ſanctor. catalogo appoſitus.

Relatum fuiſſe inter ſanctos hoc anno Cœleſtinum V. Romanum olim Pontificem, qui ut divinis rebus liberiorem animum transfunderet, auguſtiſſimam omnium dignitatem inaudito exemplo exuerat, narrat Bernardus (a): *Anno*, inquit, *Domini MCCCXIII. quinta die maii in ſabbato apud Avenionem, ubi tunc curia reſidebat, fuit frater Petrus de Murrone, quondam Cœleſtinus Papa V. canonizatus, & ſub nomine S. Petri confeſſoris ſanctorum confeſſorum catalogo annotatus per Clementem Papam V. pontificatus ſui anno* VIII. *a tranſitu vero præfati S. Petri anno* XVII. *& ejus feſtivitas fuit inſtituta,* XIV. *kal. junii celebranda, qua die exiverat de hoc mundo.* Promulgavit Clemens apoſtolico diplomate decretos illi ſanctorum honores, in quo præcipua vitæ ſanctiſſimæ exempla, editaque miracula perſtrinxit.

(a) *Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. ſign. n. 3765. in Clem. V.*

Feſtus ejus dies inſtitutus.

*Clemens, &c.*

*Ut autem ad ædificationem Chriſtifidelium ſaltem pauca exprimantur de multis quæ ſint velut informativa quædam exemplaria vitæ noſtræ; ipſe ſicut pluribus & fide dignis teſtimoniis eſt probatum, veſtium ſplendorem ac levitatem deſpiciens, in quibus amatores hujus ſæculi delectantur, ciliciis de pilis equorum factis, reticulatis pariter & nodoſis, veſtibus quoque aliis vilibus multum & aſperis tegebatur. Ad nudam quoque carnem catenam ferream, & circulum quandoque ferreum deferebat. Lecti etiam mollitiem declinans (ne caro petulanter laſciviens noxie moliretur in ſpiritum) in terra aut nudis tabulis dormiebat, vel in cancellatis craticulis, veſtitus cilicio & pannis ſolitis, præcinctus lumbos catena ferrea aut circulo: pro pulvinari vero ligno aut lapide, ſeu dura re alia utebatur; & (quod pene importabile eſt) ſanus vel infirmus lectis aliis non eſt uſus. Studens etiam pro viribus domeſticum domare hoſtem, ne prævalere poſſet ſpiritui, nec ſanus nec infirmus carnibus veſcebatur. Vinum vero non bibebat, niſi rariſſime; ſic tamen dilutum, ut videretur vini ſpeciem non habere. Semper quoque niſi diebus dominicis, jejunabat. Sex nihilominus quadragenas ſingulis annis faciens, mentem non ventrem reficere cupiendo, affligebat in ipſis ſolito durius carnem ſuam. O ſtupenda & aliis inſueta rerum materies, cernere hominem, in carne degentem mortali & fragili, ſub tam auſteræ & longæ macerationis pondere non cadentem! In tribus namque quadragenis in pane & aqua jejunabat continue, & quandoque cum ſolis foliis caulium abſque pane. Interdum autem ſolis pomis, vel caſtaneis, ſeu granis fabarum mollificatis in aqua, aut crudis rapis tamtummodo veſcebatur. In cæteris vero quadragenis uno tantum ferculo utebatur, inſipido tamen & in modica quantitate. In harum vero quadragenarum aliquibus (quod naturæ humani corporis eſt horror) uſus eſt pro veſte ſolo cilicio: in quibuſdam vero cilicio, & ſuper ipſum lorica, cujus pondere caro ejus per ſubintrantes nodos cilicii, ut teſtantur ejus ſocii, aliquotiens diſrumpebatur. Et revera hæc in homine iſto ſancto ſupra hominem gerebantur: ad hæc enim ferenda tam gravia virtus humana non videtur poſſe ſufficere, ſed divina potius in ipſo habitans hoc gerebat.*

De illius vitæ auſteritate admirabili.

Rigidiſſimis jejuniis.

XLI. Continuo in fundendis Deo precibus ſtudio.

*Hic beatus vir, jam mortificatis ſpiritu carnis deſideriis & repreſſis, ſumme devotus Deo, orando aſſidue animum ad Deum tenuit firmiter elevatum. Ipſe etenim ad matutinas laudes media nocte ſurgebat: ipſiſque dictis legebat pſalterium cum litania & collectis quampluribus ac crebris genuflexionibus & diſciplinis duris carnem ſuam cum vitiis concupiſcentiæ crucifigens. In aurora vero, miſſa per ipſum celebrata, iterum devote incipiens ibi pſalterium ubi dimiſerat, orare uſque ad horam tertiam non ceſſabat. Ne autem ipſum reperire poſſet diabolus otioſum, laborabat propriis manibus, ſcribendo, vel ſuendo cilicia, ſeu faciendo aliud opus honeſtum & utile ab hora tertia uſque ad nonam. Poſt cibum denique ſumptum uſque ad noctem profundam perſeverabat cum Deo, ab oratione, fervente ſpiritu, non relaxans. Morum etiam honeſtate venuſtus, odore ſuæ ſanctitatis vitæ communiter jam diſperſo, ad ſuum multos attraxit aſpectum, & quamplures oberrantes per vitiorum abrupta reduxit ad Deum ſuis ſanctis exhortationibus & exemplis. Nec mirum, nam ipſum reddebat cunctis communem charitas, obedientia promptum, placidum humilitas, pietas patientibus conflictum, decorum puritas, parſimonia mirabilem, honeſtatis maturitas reverendum, benignitas hilarem, conſtans quoque virtus animi in adverſis & proſperis uniformem.*

Labore manuum.

Morum ſuavitate factiſque animarum converſionibus.

*Denique vir ſanctus cupiens divinum ampliare cultum, congregationem monaſticam ſub B. Benedicti regula, ſuperadditis ei ſtatutis arctiſſimis, ordinavit; ubi fratrum ſuorum Deo famulantium adaucta multitudine numeroſa, fundatiſque locis non paucis, in quibus Chriſtus Jeſus ab ipſis jugiter laudaretur, vixit cum eis, cunctis florens virtutibus, ac eximiæ ſanctitatis operibus informans & reformans univerſos. Verum quia non erat expediens, quod tantæ ſanctitatis odor in ſolo uno mundi angulo ſentiretur; ſed potius quod ad ædificationem cunctorum fidelium circumquaque per mundum promptius ſpargeretur, diſpenſatione provida ad ſummum Pontificatus apicem eſt provectus: in quo totus idem ipſe manens, qui fuerat ſub præcelſæ dignitatis habitu, nec vitam eremiticam,*

Sodalitio inſtituto.

Vocatione ad Pontificatum.

Servata in eo priſtinæ vitæ forma.

*quantum fas ſervare fuit, nec animum derelinquens, novit inter epulas eſſe ſibi ſumme auſterus & abſtinens, inter amplas divitias ſumme pauper. At vero hic vir ſimplicitatis miræ, & in ſpectantibus ad regimen univerſalis eccleſiæ inexpertus, utpote qui a teneris annis uſque ad ſenium elongatus a mundo cor ſuum mundanis rebus non accomodaverat ſed divinis, reflectens prudenter ſuæ conſiderationis intimæ oculum ad ſeipſum, honori papatus ceſſit & oneri libere & ex toto, ne ob prædicta poſſet ex ſuo regimine quodcumque periculum univerſali eccleſiæ provenire, & ut turbativa Marthæ ſolicitudine declinata, vacare poſſet ſecus pedes Jeſu contemplationis ocio cum Maria. Poſt hæc itaque divinæ vacans contemplationi, aſſidue uſque ad ejus obitum, quo beata illa anima carnis evaſit ergaſtulum, cœlos petens, ſanctiſſimam vitam duxit.*

Abdicato papali faſtigio.

Ut cœleſtium rerum tractationi ad obitum uſque incubuerit.

XLII. *Et quia multum conveniens erat, quod ille, quem Deus in mente perfuderat tot & tantis chariſmatibus gratiarum, clarus mundo colenduſque divinæ virtutis teſtimonio appareret, non defuere divina miracula in quolibet ſtatu ſuo, ante papatum videlicet, in papatu, ac etiam poſt papatum, in ejus vita pariter & poſt mortem, voce clamoſa proloquentia ipſius imitandam cunctis eximiam ſanctitatem, &c.* Adjungit plura inſignia miracula ejus ope edita, cœcis oculorum lumen, ægris valetudinem, contractis liberum membrorum uſum reſtituta: nec minora in pontificatu ac poſt eum abdicatum, tum in extremo vitæ actu & poſt mortem collata ad ejus preces opemve imploratam divina beneficia: ob quæ prodigia cœleſtia eum ſanctorum numero aggregatum pronuntiet: utque fidelium pietatem incitet ad colenda illius ſacra lipſana, hæc addit, quæ cum deſint in bullario, duximus afferenda. *Et ut ad venerabile ejus ſepulcrum ardentius & affluentius Chriſtiani populi confluat multitudo, ac celebrius ejuſdem confeſſoris colatur feſtivitas, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui cum reverentia illuc in eodem feſto annuatim acceſſerint, ipſius ſuffragia petituri de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, quinque annos & quinque quadragenas; accedentibus vero annis ſingulis ad prædictum ſepulcrum, infra ejuſdem feſti octavam, unum annum & unam quadragenam de nunc injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Dat. Avenion.* III. *non. maii anno* VIII.

S. Petri e Murrone eccleſiam adituris indulg. propoſitæ.

Inve.



I. Proſtratæ orientis recuperandi ſpes.

INvexit Chriſtiano orbi annus a Virginis partu decimus quartus ſupra milleſimum trecenteſimum, indictione duodecima, funeſtas rerum converſiones, triſtiaque Clementis V. ac Philippi Francorum Regis funera, quibus ſuſcepta in Viennenſi œcumenica ſynodo recuperandæ terræ ſanctæ conſilia, atque anno ſuperiori a tribus cruceſignatis Regibus provecta concidere: inde diſcordiarum turbo eccleſiam concuſſit, & Cardinales ob contrarias cupiditates nullum hoc anno Pontificem fidelibus dedere. Auxere hæc mala electorum principum diviſa ſuffragia, partitique ſunt inter ſe Germaniam ferro flammaque duo Reges Ungariam invaſit Tartarus: Angli & Scoti mutuis ſe cladibus attrivere: in Hiſpania ſub Alfonſo puero Caſtellæ & Legionis Rege tumultuari populi: Catalani in Græcia Gallici generis catholicos oppreſſere; ac præter vetera in Italia Guelphorum Gibellinorumque odia Robertus Siciliæ Rex in Fredericum Trinacriæ Regem expeditionem duxit. De quibus ſingulis dicturi, a rebus Italicis ducemus initium.

Occidens civilibus diſſenſionibus perturbatur.

II. Robertus Rex Siciliæ creatus a Clemente in Italia imperii legatus.

Cum ab obitu Henrici ſuo principe orbatum eſſet Romanum imperium, Pontifex ad quem de vacante imperio curæ ſpectant, Robertum Regem ſtudioſiſſimum ſedis Apoſtolicæ, quem anno ſuperiore Urbis ſenatorem deſignaverat, ac Ferrariæ, Æmiliæ, ditioniſque eccleſiaſticæ maximæ parti ad continendos in officio populos, ac reprimendos exultantes Gibellinos antea præfecerat, vicarium imperii in Italia, Genuenſi ditione excepta, creavit, (a) ut terras imperio obnoxias ſua prudentia moderaretur: objecta tamen graviorum cenſurarum religione ipſum obſtrinxit ut bimeſtri elapſo, poſtquam creandus Romanorum Rex a ſede Apoſtolica fuiſſet in cæſareo faſtigio confirmatus, accepta gubernacula deponeret. Sed exorta in imperio diſſenſione civili, cum electi Reges recuſarent Pontifici controverſiam æquitate dirimendam permittere; ac Ludovicus Bavarus, victo æmulo, Clementi ſucceſſorem capitali inſectaretur odio, accidit ut Robertus vicariatum in Italia diutiſſime armis ſibi aſſerere contenderit, nec niſi atrocibus bellis, quæ plures annos tenuere, feſſus ex ea dignitate diſceſſerit.

(a) *Lib. 9. ep. com. 219. ext. ex lit. in arce S. Ang. MS. in arch. in fer. Avin.*

*Clemens, &c. chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Siciliæ illuſtri, vicario imperii a nobis in Italiæ partibus ſubjectis imperio conſtituto, ſalutem.*

*Nos, ad quos Romani vacantis imperii, * regnum pertinere dignoſcitur, attendentes quam avide Italiæ partes, præſertim quæ ad imperium ipſum pertinent, rectorem exigant ſtrenuitate, prudentia & potentia utique præditum, cujus providentia tuta inter improbos innocentia perſeveret, & in ipſis improbis nocendi facultas & audacia, quæ contemptum conſuevit parere, refrænetur (his præcipue temporibus) & requirant; nec non & in conſideratione deducto, quod nos, ad quos negotia undique velut ad mare flumina confluunt, præmiſſa per nos exequi non valemus; neceſſarium fore proſpeximus, ut alii præfati curam regiminis committere debeamus, ut ubi nos præſentes eſſe non poſſumus, noſtra ſaltem per eum auctoritas præſentetur.*

* regimen

Exaratæ eo argumento lit.

III. *Exactæ igitur deliberationis examine præcedente, ad te fili chariſſime, quem nobis & eccleſiæ Romanæ devotum novimus; cujuſque prudentiam, ſtrenuitatem ac potentiam experientia in magnis & arduis probata negotiis luculentius manifeſtat, noſtræ conſiderationis oculos convertentes, te de fratrum noſtrorum conſilio in partibus ipſis, dicto tamen ſubjectis imperio, civitate Januenſi cum diſtrictu, territorio, & pertinentiis ſuis certis ex cauſis dumtaxat excepta, vicarium in temporalibus uſque ad ſedis Apoſtolicæ beneplacitum conſtituimus generalem; plenam tibi poteſtatem & liberam tenore præſentium concedentes, ut dictum vicariatus officium per te, vel alium ſeu alios, quem vel quos ad hoc idoneos reputaveris, durante beneplacito valeas exercere: ea videlicet appoſita lege, quod poſtquam Rex Romanorum a nobis vel noſtris ſucceſſoribus approbatus, regnare cœperit, tu ex tunc ultra duos menſes eodem officio non utaris: & ſi forte contrarium feceris, perſonam tuam excommunicationis; terram vero interdicti ſententiis, quas propter hoc ex nunc ferimus, decernimus ſubjacere; nobis nihilominus reſervantes expreſſe, quod civitates, caſtra, & loca alia, in prædictis partibus conſiſtentia, de quibus nobis viſum fuerit expedire, ab hujuſmodi generali conceſſione, quandocumque & quotieſcumque nobis viſum fuerit expedire, poſſimus eximere, eaque ad noſtrum vel alterius per nos vel alium exercendum regimen revocare.*

Excepta liguria.

Confirmato a ſede Ap. Reg. Rom. vicariatu abire juſſus.

Urbes ac loca, de quibus ſibi viſum erit, imperiis Roberti ſubducit Clemens.

IV. *Eſto igitur, fili chariſſime, fortis & conſtans, dictumque vicariatus officium devote ſuſcipiens, ipſum juxta datam tibi a Deo prudentiam ſic prudenter, ſic viriliter & potenter ad Dei gloriam, noſtrum & eccleſiæ Romanæ honorem, ſubjectorum utilitatem, ac tui exaltationem nominis, ſtudeas exercere, quod proinde divinæ retributionis præmium aſſequi, ac noſtram & dictæ ſedis gratiam uberius valeas promereri. Exulet prorſus a præfato regimine,*



C 2

ne,

*ne, quæſumus, odium: favor nil ſibi indebite vendicare præſumat; ſed ſtatera recte lances appendat æquo libramine: habenſque Deum ſolum præ oculis, nunc oleum, nunc vinum, juxta temporum & locorum aliaſque debitas circumſtantias, fundere ratione prævia non omittas: ut ſic populus tuo commiſſus regimini, ipſo durante, in pacis pulchritudine ſedeat, & in requie habitet opulenta.*

Sancit eam vicariatus conceſſionem initis de regno Sicul. pactis non obfuturam.

*Per hoc autem, quod dictum vicariatus officium ſuſcipies, & per te vel alium ſeu alios ipſum geres, volumus auctoritate nihilominus apoſtolica decernentes, quod nequaquam adverſus conventiones & conditiones contentas in inſtrumento, ſeu literis confectis de conceſſione regni Siciliæ, ac totius terræ, quæ eſt citra pharum, civitate Beneventana cum territorio, diſtrictu, & pertinentiis ſuis excepta, per ſedem Apoſtolicam claræ memoriæ avo tuo Carolo ejuſque in regno & terris prædictis ſucceſſoribus facta, veniſſe in aliquo cenſearis, aut pœnas aliquas, in eiſdem conventionibus & conditionibus expreſſas, vel earum aliquam incurriſſe; nec juramentum ſuper eiſdem conventionibus & conditionibus plenarie adimplendis & inviolabiliter obſervandis a te præſtitum, aliquatenus violaſſe, ſeu juramentum ipſum aliquod impedimentum afferre, quo minus prædictum officium per te vel alium, ſeu alios, dicto modo durante beneplacito, libere valeas exercere: conventionibus tamen ac conditionibus præfatis in nullo propter hoc volumus in poſterum derogari, ſed eas in ſuo robore plenarie perdurare. Dat. Montiliis Carpentoractenſis diœc. II. id. martii anno IX.*

V.

Juſſi principes ac magiſtratus Roberto obſequi.

Eodem fere exemplo, paucis immutatis verbis, ad viros principes, urbium magiſtratus, præfectos arcium, atque Inſuriæ (*a*) & Etruriæ populos (*b*) datæ literæ de creato a ſe Roberto imperii vicario, quibus eos ad excipienda illius juſſa faciles obſequenteſque eſſe excitabat; ſed antequam eæ ſigillo pontificio eſſent obſignatæ, Clementem vita functum teſtatur Joannes (*c*) XXII. Vocarunt Inſubres ſuperiori anno, ducibus Turrianis & aliis exulibus Guelpharum partium ad Mediolanenſem principatum Robertum Siciliæ Regem, cum VIII. kal. octobris Matthæus Vicecomes ac Gibellini a Provincialibus ingenti clade fuſi eſſent; ſolicitatique tum fuere Roberti duces, ut oblatam ultro victoriam, prona in eos Mediolanenſi, urbe, Matthæoque conterrito, amplexarentur: ſed ii numquam promovere in urbem caſtra, cum decimo ab ea milliari abeſſent, voluerunt; corrupti nimirum Vicecomitum auro, ut Muſſatus ſcribit (*d*): *O hominum*, inquit, *fames inſaturabilis! O immoderata inexpletaque avaræ mentis ingluvies! Hanc Matthæi aurum litem diremiſſe, cladem ſibi ſubmoviſſe, increbreſcens vulgavit opinio.* Exinde confirmata Vicecomitum potentia, numquam Robertus, quamvis poſtea Joannis Papæ edictis, ac ſtudio fultus, Inſubriæ præfecturam aſſequi potuit; unde ampliſſima bellorum ſeges exorta.

(*a*). *Eod. l. 9. ep. com. 220.*
(*b*) *Reg. poſt eand. ep.*
(*c*) *Jo. l. 1. ep. 441.*

Matthæus Vicecom. profligatus.

Robertus ad Mediolan. principatum vocatus.

(*d*) *Muſſ. de reb. geſtis Ital. poſt mortem Henr. VII.*

VI.

Gibellinæ factionis duces Roberti infenſi.

Neque Inſubres modo, ſed Etruſci quoque Gibellinæ factionis, quo magis res ſuas dejectas atque in exitium præcipites videre, eo majori ardore in Robertum æmuloſque conflixere: quorum præcipui Piſani duce Uguitione Fagiolano Lucenſes oppreſſere (*e*). Ac tum eccleſiæ Romanæ theſaurus pretioſiſſimus, quem Gentilis Cardinalis Montisfloris e Romana urbe, Campania, ac patrimonio extraxerat Clementis juſſu, ac Lucæ in S. Fridiani ſacris ædibus cuſtodiendum collocarat, expilatus ab inſoleſcente victore fuit (*f*). Simili infelici caſu periiſſe alium theſaurum pontificium [1] anno ſuperiori, quem Raimundus Aſpellus Clementis nepos ex Piceno in Gallias aſportabat, eundemque Raimundum cæſum a Gibellinis Mutinenſibus narrat Albertinus Muſſatus (*g*). Ob Lucenſium porro cladem perterriti Florentini Roberto Regi publicæ rei adminiſtrationem contulere: (*h*) qui mox Petrum fratrem cum egregia equitum ala ad reprimendum hoſtem ſubmiſit (*i*).

(*e*) *Jo. Vill. c. 57. & 59. Ant. 3. p. tit. 21. c. 3. §. 5.*

Theſaurus Rom. eccleſiæ expilatus.

(*f*) *Vill. eod c. 59.*
(*g*) *Muſſ. l. 11. c. 4.*
(*h*) *Vill. c. 60.*
(*i*) *Alb. Muſſ. l. 5. de geſtis Italic. Jo. Vill. eod. c. 60. Ant. c. ſup. §. 6.*

VII.

Ipſe vero ad recuperandam Trinacriam ſe

NOTÆ

[1] QUanta ſit Joanni Villani fides, & quam abhibuerit diligentiam in rebus apte diſtinguendis, elucet ex ea, quam de direptione theſauri eccleſiaſtici Lucæ ſervati, narrat hiſtoria. Duo per hæc tempora eccleſiaſticæ pecuniæ depoſita Lucenſibus commiſſa erant. Alterum quidem relictum ex hereditate Gentilis cardinalis, qui ex Hungarica legatione redux Lucæ deceſſit; illud enim ne diriperetur curæ Fratrum ordinis Prædicatorum aſſignari Clemens V. mandaverat; aliud vero Peruſio Lucam transferri idem Clemens juſſerat, detulerantque in eam urbem *Vitalis de Chabenate clericus Burdegalenſis, & Guillelmus de Luna*, ac in templo S. Frigdiani de Luca condiderant. Meminit prioris depoſiti Joannes papa XXII. in literis datis *Avenioni IX. Kal. aprilis anno primo*, quibus eam pecuniam ſublatam a Ventura quodam vicario Franciſci della Faggiola Ugutionis filii reſtitui cenſurarum comminatione mandat, quas literas vulgavit Baluzius in collect. actor. veter. ad vitas paparum Avenion. num. XLVII. De altero vero ſermo eſt in Extrav. *Inſideles de furtis*, unde & diſcimus pecuniam illam cum Lucana civitas ab Ugutione invaderetur, ac diriperetur in prædam victori ceſſiſſe. Duo hæc inter ſe diverſa confundens Joannes Villani pecuniam a Gentili cardinali delatam ac depoſitam in templo S. Frigdiani in Lucana direptione ablutam narrat; cum pecunia quidem in urbis captio-



ſe comparabat, (*a*) exigendaſque pœnas de Friderico Rege, qui veniente in Italiam Henrico Imp. inducias ſecum initas infregerat, atque in exitium ipſius conjurarat. Solvit Neapoli V. kal. auguſti, (*b*) Philippo & Joanne fratribus, atque aliis principibus viris ſtipatus, elatuſque ingenti ſubiicendæ ſibi Trinacriæ: ſpe: conflaſſe enim centum ac viginti triremium, præter minoris alvei naves claſſem, refert Joannes Villanus, (*c*) in qua præter Apulos ac Provinciales Genuenſes erant: quamvis enim Clemens, dato Roberto legati cæſarei in Italia munere, Genuenſes excepiſſet, ne cum ab illis antea bello fuiſſet appetitus, majores eares in Liguria turbas cieret; plures ex iis partim officiis, partim ſtipendiorum magnitudine in ſuas partes pellexerat. Cecidere tamen irriti ii conatus: cum enim munitiſſimam arcem inſulæ mari imminentem vi expugnaſſet, ac Drepanum inde corruptis aliquot civibus ſe adepturum ſperaret, geminata proditione deluſus eſt. Ii enim tamdiu inanibus promiſſis Robertum detinuere, donec Fridericus urbem omnibus præſidiis ita firmarit, ut cum Robertus in eam belli molem converteret, obſeſſorum virtute, temporum injuriis, imbrium copia obſidionis incommodis, ac Friderici aſtu militari, qui nunquam pugnæ poteſtatem fecit, ne regnum aleæ & diſcrimini committeret, adeo fatigatus ſit, ut redintegrare cum hoſte inducias coactus, domum re infecta ſe receperit, iis firmatis pactionibus, quas Muſſatus narrat (*d*): *Evenit*, inquit, *ut hinc atque hinc intercepto induciis bello, arbitrorum colloquia de conditionibus fierent: demumque Deo plus viciſſitudines ſuo nutu, quam Regum conſenſu urgente, ad belli dilationem utrinque deventum eſt, his dumtaxat conditionibus, ut ſublato ex omni Trinacria exercitu terra marique ex inſulis Robertus abſcedat, Fridericus Sicula ora contentus uſque in decimumquintum menſem omni Italia abſtineat, ſicque offenſæ per tempus idem reſideant. Executionem continuo remedia adinventa ſortita ſunt: Robertus cum omni manu ex inſula ſubmota claſſe in Apuliam reverſus eſt anno Domini Jeſu Chriſti MCCCXV. per menſem februarium.* Laceratam in eo reditu Roberti claſſem, partemque triremium, quæ ex lignis recentibus nec probe compactis conflatæ erant, fluctibus hauſtam periiſſe, addit, Joannes Villanus (*e*).

(*a*) *Muſſ. de geſtis Ital. l. 5. Jo. Vill. c. 61.*

Roberti Regis in Trinacriam expeditio.

(*b*) *Albert. Muſſ. de geſtis Italic. c. 5.*

Ingens ab eo claſſis comparata.

(*c*) *Jo. Vil. l. 9. c. 61.*

Drepani expugnandi occaſionem amittit.

Inducias cum hoſte init.

(*d*) *Muſſ. l. 5. de geſtis Ital.*

Ejus claſſis tempeſtate lacerata.

(*e*) *Jo. Vil. l. 9. c. 61.*

VIII.

Fridericus Rex Trinacr. Athenar. & Neopatriæ ducatus ſibi vendicat.

Cæterum Fridericus Trinacriæ Rex non modo regnum a Roberti Regis invaſione tutatus eſt, verum Athenarum & Neopatriæ quoque ducatum ſibi comparavit; (*f*) indeque Friderici ſucceſſores eorum principatuum nomina veteribus titulis adjunxiſſe, refert Surita (*g*). Quo porro jure, quave occaſione ii principatus a Gallici generis principibus ad Aragonios fuerint devoluti, e Nicephoro Gregora, (*h*) literiſque pontificiis (*i*) colligitur. Compoſito inter Carolum II. ac Fridericum bello Siculo, Catalanæ & Aragoniæ copiæ duce Rogerio in armis ſtrenuo in orientem, ut arma Chriſto adverſus Saracenos conſecrarent, trajecerunt. Excepti itaque honorifice ac benevole a Græcis Turcis bellum intulere, ac non ſemel magna eos gloria fudere: deinde arma vertere in Græcos, ac Turcas in auxilium magno Chriſtiani nominis damno exciverunt. Sed auctor ſceleris Entenſa dux ſimulatione amicitiæ a Genuenſibus Græcorum fœderatis interceptus pœnas luit (*k*). Irrupere poſtea in Theſſaliam, e qua, ut eos divellerent Græci, muneribus delinitos armis adjuvere, ut in catholicos generis Gallici, qui Bœotiam, ac Peloponneſum etiam tum retinuerant, ipſos traducerent. Obviam iis occurrit valido ſuccinctus exercitu Gualtherus Brenna e veteri Gallica nobilitate Athenarum dux: ſed in acie magno prælio cæſus occubuit.

(*f*) *Marian. l. 15. de reb. Hiſp. c. 14.*
(*g*) *Sur. l. 5. annal. c. 105.*

Quæ illius ac ſucceſſorum fuerint jura.

(*h*) *Greg. l. 7.*
(*i*) *Clem. l. 9. ep. com. 100.*

Ut Catalani in Turcas plura geſſerint.

(*k*) *Marian. de rebus Hiſp. l. 15. c. 14.*

Arma verterint in Græcos.

In catholicos aciem traduxerint.

Uſos porro Catalanos hoc militari dolo refert Gregoras, proſcidiſſe nimirum vo-

NOTÆ

ptione ſubrepta fuerit, ſed altera plane ab ea quam Gentilis cardinalis detulit. Leviora ſunt hæc fateor, ſed valde conducunt ad confirmanda ea quæ ſæpe alias animadverti; nimirum ea quæ Villanus ſcripſit, tanquam certa, & indubitata minime admitti oportere. Præſertim cum & alia plura tum in chronologia cum in rebus ipſis ſphalmata, etiam in iis quæ ſuorum temporum ſunt, ab ipſo commiſſa facile ſit indicare.

Sed & alia ſunt quæ ex iiſdem Joannis literis ad emendationem eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſuppetunt. Gentilis presbyter cardinalis tituli S. Martini in montibus Avenioni anno 1312. deceſſit ſi fides habeatur Oldonio in additionibus ad Ciaconium tô. 2. Ex his tamen literis diſcimus illum non Avenione, ſed Lucæ diem clauſiſſe; ita en in illa Joannes: *Gentilis tituli S. Martini in montibus presbyter cardinalis de Ungaria partibus ubi functus fuerat legationis officio rediens, in civitate Lucana diem clauſit extremum.* Sed & ex his verbis majora alia eruere licet. Si Joannem Villanum audias, Gentilis in concilio Viennenſi Bonifacii octavi cauſam contra Philippum defendit. Villani lib. IX. cap. XXII. Verum cum Gentilis ab anno 1308. legationem Ungaricam cœperit, & ab ea redux in urbe Lucana obierit, quomodo Viennenſi concilio præſens adeſſe potuit? Nec eſt cur bis functum Ungarica legatione Gentilem comminiſcamur, ſemel anno 1308. iterum vero poſt concilium Viennenſe. Cum enim anno 1312. adhuc in Ungaria ageret, ut ex annaliſta ad eundem annum num. 52. diſcimus; vix credo unquam ab ea, quam ſemel ſuſceperat, legatione rediiſſe. MANSI

vomere illum terræ tractum, in quo pugnam committere decreverant, ductiſque e vicino flumine pluribus foſſis planitiem ita rigaſſe, ut ſtagnarent, aquæ: cumque dux Athenarum exercitus, robore ſuperior, fraudis ignarus equitatum in hoſtem effudiſſet, hærerentque in profundiore limo ac luctarentur equi, ab hoſte circumventum teliſque confixum fuiſſe: ita Catalanos fugientes reliquos inſectatos eſſe, ac Thebis & Athenis improviſo adventu potitos: quo vero confirmarent ii res ſuas, externa ſubſidia elicienda duxere, ac Friderico Regi ſummam detulere imperii (*a*): qui ſpreta facti invidia conditionem admiſit, vetereſque auxit titulos. At Pontifex accepto nuntio, Catalanos & Aragonios, qui religioſam in Turcas militiam pro fide amplificanda voverant, adeo fœde a ſuſcepto deſciviſſe conſilio, ut arma ad catholicos opprimendos verterent, Jacobum Regem Aragonum gravibus literis monuit, (*b*) ut Catalanos ipſos regio pro imperio e Græcia deduceret: tum patriarcham Conſtantinopolitanum omni ſtudio & opera juſſit incumbere, ut eos monitis, precibus, & cenſurarum incuſſa religione, ad erepta reſtituenda Gualtero e Caſtellione cæſi Athenarum ducis leviro regni Gallici equitum magiſtro præfectoque Athenarum adduceret.

Ducem Athenarum necarint. Qua militari arte in eo prælio ſint uſi. Thebæ & Athenæ ab iis oppreſſæ.

(*a*) *Marian. l.* 15. *c.* 14.

Regi Trinacriæ principatum deferunt.

(*b*) *Ext. apud Sur. ind. l.* 2. *hoc ann.*

Juſſi e Græcia abduci. Data patriarchæ Conſtantinop. latino mandata.

*Clemens, &c. venerabili fratri patriarchæ Conſtantinopolitano.*

IX. Joannis ea de re lit.

*Ab olim clamor validus & multiplicitas querelarum de partibus ducatus Athenarum provenientes, apoſtolicum pulſarunt auditum, immo nos, qui ſicut in cunctorum fidelium pace quieſcimus & tranquillitate lætamur, ſic in eorum inquietudine & oppreſſionibus, quas peſtilentiæ inducit hoſtilitas, multum offendimur, graviſſime in intimis perturbamur. Habet enim ejuſdem clamoris jam pluribus annis præteritis continuata, & accumulans mala malis aſſertio, quod nonnulli, qui olim ad partes illas credebantur in favorem fidelium acceſſiſſe, & a quibus ſperabantur eorundem fidelium partes defendi, non exercentes eorum vires in exteros, ſed in eccleſias & perſonas eccleſiaſticas, eoſdemque fideles, proh dolor! convertentes in propria catholicorum viſcera, immiſericordi crudelitate deſæviunt, & in eccleſias ac fideles eoſdem eorum conatus illicitos exercentes, eiſdem gravioris depopulationis jacturam, & crudelium hoſtilitatum inſultus, non abſque perſonarum excidiis ac eccleſiarum & bonorum eccleſiaſticorum & fidelium illarum partium incendiis, ſpoliis, & deprædationibus inferunt, quam fuiſſent quantumlibet perverſi hoſtes fidei eiſdem fidelibus illaturi: & quod horribilius eſt, ut licentius poſſent mala hujuſmodi perpetrare, ſocietatem ad invicem contraxerunt, ex quorum quidem conſortio quot horrenda provenerint, ſtatus illarum partium miſerabilis manifeſtat.*

Catalanæ ſocietatis initia.

*Nam inter univerſa ſcelera, quæ in illis partibus perpetrarunt, quondam Gualterum de Brenna ducem Athenarum, qui ad defenſionem dictorum fidelium, tanquam Chriſti verus athleta, & fidelis pugil eccleſiæ, adverſus Græcos ſchiſmaticos laborabat, nequiter occiderunt: filios ejus pupillos, & nobilem mulierem Joannam de Caſtellione relictam ejus viduam hoſtiliter impugnantes, bona eorum & eccleſiarum ac perſonarum eccleſiaſticarum, multorumque aliorum fidelium illarum partium data in prædam & diripientium ſpolia occuparunt; ac in perſonas tam eccleſiaſticas, quam alios fideles innumeros funeſtis exertis gladiis, ſtrage data, eorum ſanguinem immiſericorditer effuderunt: a quibus horrendis ſceleribus nondum ceſſant, ſed clades cladibus continuatæ hoſtilitatis execrandis incurſibus dicuntur continue cumulare.*

Crudelitas in ducem Athen.

Non parcitum ſacerdotibus.

X. Objectæ Catalanis cenſuræ.

*Cum itaque malis hujuſmodi ſit ſolicitis ſtudiis, celeribus & opportunis remediis per Apoſtolicæ ſedis providentiam obviandum, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ad requiſitionem dilecti filii capitanei ducatus ejuſdem per dilectum filium nobilem virum Galcherum de Caſtellione comitem Porcienſem Conſtabularium Franciæ, ad tuitionem ipſius ducatus deputatum, vel procuratoris ejuſdem capitanei juxta datam tibi a Deo prudentiam per te vel alium ſeu alios ſalubribus viis, modis, & ſtudiis omnibus, quibus expediet vigilantius & diligentius elabores, præcipuorum capitaneorum & majorum ſocietatis ejuſdem ſalubribus hortationibus & inductionibus mentales oculos, quos diabolica fraus caligine cæcitatis obduxit, veritatis lumine illuſtrando, ut redeuntes ad cor, de præteritis doleant, dolenda ulterius non committant; ipſoſque capitaneos & majores, nec non cæteros alios de ſocietate prædicta ſub gravi interminatione pœnarum ſpiritualium & temporalium auctoritate apoſtolica attentius moneas & inducas, ut eccleſiis ac perſonis eccleſiaſticis, dictiſque pupillis & viduæ, ac civitatibus, caſtris, & aliis locis & perſonis dictarum partium, quæ ipſis abſtulerunt, vel detinent, occupata reſtituant, eaſdemque partes omnino dimittant, ad illas in impugnationem fidelium nunquam ulterius redituri. Alioquin eos, qui tuis monitionibus & inductionibus hujuſmodi, immo verius noſtris ſuper præmiſſis efficacaciter non parebunt; nec non illos, qui eis in præmiſſis dederint auxilium, conſilium, vel favorem, quos omnes auctoritate apoſtolica de fratrum noſtrorum conſilio excommunicationis vinculo innodamus, tamdiu excommunicatos per te, vel alium, ſeu alios publice nuntiare procures, & ab aliis nuntiari facias, & ab omnibus arctius evitari, donec ad mandata eccleſiæ redeuntes ſuper his abſolutionis meruerint beneficium obtinere, &c. Datum Montiliis Carpentoratenſis diœceſis* XIX. *kalen. febr. anno nono.*

Propoſitæ contumacibus pœnæ.

Defixa anathemate Catalana ſocietas.



XI. Spreta ab ipſis pontificia monita.

Nil profuere Pontificis ac patriarchæ monita, ut injuſto bello parta reſtituerent Catalani, quos Gregoras (*a*) ex iis initiis ditionis ſuæ terminos latius proferre ad ſua tempora perrexiſſe, refert: inde vero Hiſpanos Reges varia ſucceſſione Athenarum & Neopatriæ ducatus nomina, nunc quidem inania umbramque aliis titulis adjeciſſe, Mariana teſtatur (*b*). Quod autem ad patriarcham Conſtantinopolitanum, ad quem datæ ſuperiores literæ, ſpectat; is erat Nicolaus Latinæ gentis, qui cum ob Conſtantinopolim ab Andronico ſchiſmatico obtentam a ſede ſua exularet, ipſiuſque eccleſia olim quibus florentiſſima atque, ut ajunt pontificiæ literæ, Romanæ eccleſiæ filia ſpecialis extitiſſet, jam abjecta acciſiſque a ſchiſmaticis opibus ad inopiam redigeretur; Clemens defuncto Gualchero Negreponti olim Euboeæ epiſcopo, ipſi Negreponti eccleſiæ adminiſtrationem ac vectigalia tradidit ad ſuſtinendam patriarchalem dignitatem: quam etiam eccleſiam in poſterum cum patriarchatu conjunctam juſſit (*c*) eſſe.

(*a*) *Greg. l.* 7.

(*b*) *Marian. l.* 15. *c.* 15.

Nicolaus Conſtantinop. Latini generis patriarcha.

(*c*) *Lib.* 9. *ep. com.* 86. *& poſt eand. ep.*

XII. Petrus epiſc. Ruthen. Antonii in patriarchatu Hier. ſucceſſor.

Conſuluit etiam Jeroſolymitanæ patriarchali eccleſiæ, quæ cum Antonio patriarcha eoque epiſcopo Dunelmenſi defuncto, paſtore eſſet orbata, eam dignitatem Petro Ruthenenſi epiſcopo contulit, cui ob Jeroſolymas ab infidelibus oppreſſas Ruthenenſis eccleſiæ vectigalibus potiri, ejuſque adminiſtrationem gerere permiſit, ut apoſtolicum diploma docet Montiliis IV. kalen. martii pontificatus anno IX. exaratum. Commendavit (*d*) eundem patriarcham Regi Cypri, ut ipſum regio ſtudio proſequeretur: quem quidem geſſiſſe Apoſtolicæ ſedis legationem in exercitu, quo Rhodus Saracenis erepta eſt, atque ſuo zelo de orientali eccleſia optime meritum, ſuperius vidimus. Nil porro ab illius expugnatæ propugnatæque tempore contra Turcarum impetus memorabiles adverſus infideles geſtum: immo vix fideles ſua tueri potuere.

(*d*) *Reg. poſt eand. ep.*

XIII. Ungaria a finitimis infidelibus & ſchiſmaticis evaſtata.

In Ungaria quidem Tartari ſchiſmatici, aliique impii tot excurſionibus, populationibus, direptionibus fideles attrivere, ut cum res Chriſtiana in diſcrimen adduceretur, Pontifex iis cladibus permotus, quo Ungaros ad hoſtem propulſandum divinorum præmiorum ſpe pelliceret, ſacras indulgentias iis propoſuerit, (*e*) qui Caroli Regis ſigna in Tartaros & ſchiſmaticos, aut alias barbaras & impias nationes, quibus regnum cingebatur, ſequerentur.

(*e*) *Lib.* 9. *ep. com.* 212.

*Univerſis Chriſti fidelibus per regnum Ungariæ conſtitutis.*

*Cum ſicut ex parte veſtra fuit nobis expoſitum, vos & eccleſiæ Romanæ fideles aliarum partium regno Ungariæ adjacentium a ſchiſmaticis, Tartaris, paganis, aliiſque permixtis infidelium nationibus impugnationes, depopulationes, captivitates, ſervitutes, & carceres & alias diverſorum generum pœnas & cruciatus multiplices patiamini, quibus nec obviare poteſtis, nec reſiſtere per vos ipſos; nos hujuſmodi veſtris tantis calamitatibus, miſeriis, & preſſuris affecto paterno compatientes ab internis, libenter vobis illo quo poſſumus ſpirituali ſubſidio, quod cuilibet temporali prævalet, miſericorditer ſubvenimus. Ut igitur vos aliique Chriſti fideles ad defenſionem catholicæ fidei contra ſchiſmaticos & infideles eoſdem eo amplius animemini, quo temporalem in hoc vitam ſperabitis in perpetuam commutare; nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, vobis omnibus cæteriſque Chriſti fidelibus, quos pro defenſione catholicæ fidei in bello ſeu pugna in regno Ungariæ, aliiſque fidelium terris & partibus eidem regno adjacentibus ſupradictis, aut vicinis eiſdem, habitis contra ſchiſmaticos, Tartaros, paganos, aliaſque perverſas nationes infidelium ſupradictas, aut ex vulneribus in eiſdem bello vel pugna receptis poſtmodum mori contigerit, veſtrorum omnium, de quibus vere contriti fueritis & confeſſi, plenam concedimus veniam peccatorum, præſentibus poſt triennium minime valituris. Dat. Avin. kalen. februarii anno* IX.

Ungari adverſus illos excitati.

XIV. Conſtitutiones editas in concilio Vien. promulgat Clemens.

Non defendendæ in Ungaria modo adverſus impios rei Chriſtianæ, verum etiam toto orbe probe conſtituendæ intentus Pontifex, cum Avenione Montilios colligendæ, ut videtur, purioris auræ gratia, quippe graviori valetudine afficiebatur, reverſus eſſet, conſtitutiones in ſacra Viennenſi ſynodo editas ac nonnullas alias additas in conſiſtorio publico promulgavit. Quam rem XII. kal. aprilis geſtam conſignat annalibus Bernardus (*f*): *Anno*, inquit, *Domini MCCCXIII. in feſto B. Benedicti abbatis, ſcilicet* XII. *kal. aprilis in caſtro de Montiliis prope Carpentoracenſem civitatem, in qua tunc curia morabatur, Clemens Papa fecit coram ſe in conſiſtorio publicari conſtitutiones, quas prius fecerat ordinari: ex quibus decreverat fieri librum unum, quem ſicut vulgatum fuit, volebat ſeptimum decretalium appellari ſicut fecerat, ſextum Bonifacius anteceſſor. Cœpitque Clemens Papa exinde ægrotare.* Pauciſque interjectis: *Et ſic liber ille non fuit miſſus ad ſtudia genera-*

(*f*) *Ber. chr. Rom. Pont. & MS. bibl. Vat. ſig. n.* 3765. *in Clem. V. & in alio libell. de conciliis MS. ſig. n.* 2043.

Septimum decretalium lib. componere meditabatur.

Burdegalam repetere meditatur.

*neralia, ut eſt moris, nec expoſitus communiter ad habendum ſed remanſerunt conſtitutiones illæ ſic fere quadriennio in ſuſpenſo, donec poſtmodum per ejus ſucceſſorem fuerunt publicatæ, & ſub bulla ad ſtudia generalia deſtinatæ.* Cæterum Clementem cum ſe adverſa valetudine conflictatum ſentiret, ad captandum nativum aerem, repetendamque Burdegalam accinxiſſe ſe itineri, ajunt; ſed patriam videre non licuiſſe: apud Rupem enim Mauram extremum diem clauſiſſe idem Bernardus (*a*) teſtatur, qui etiam ſedis tempus conſignat: *Hic Clemens Papa ſedit annis* VIII. *menſibus decem, diebus* XV. *a die creationis ſuæ uſque in diem ſui obitus computando. Obiit autem in nocte præcedenti diei ſabbati ſubſequentis, quæ fuit* XII. *kal. maii pontificatus ſui anno* IX. *anno Domini MCCCXIV. apud roccham Mauram, quod eſt caſtrum Regis Franciæ ſuper Rhodanum in finibus regni ſui: fuitque inde reportatum corpus ejus ultra Rhodanum apud Carpentoracenſem civitatem, ubi Cardinales cum alia curia reſidebant.* Direptus eſt tum pontificius theſaurus a multis, qui veluti in expoſitam prædam irruerunt; iique poſtea a Joanne XXII. in jus vocati ſunt: tum maxime poſtulatus judicio Bertrandus comes Leomaniæ Clementis Papæ nepos, qui trecenta & eo amplius aureorum millia acceperat, ut bellicum apparatum ad expeditionem Syriacam inſtrueret, deque iis rationem reddere recuſabat: qua de re acta judiciaria extant. (*b*)

(*a*) *Ber. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. ſign. n.3765. in Clem. V.*

Direptus pontificius theſaurus.

(*b*) *Reperta ſunt in archivo Avin. ſig. n.103.*

(*c*) *Bern. ubi ſup.*

Corpus Clementis Vzeſtæ ſepelitur.

Relatum porro Carpentoraco Clementis corpus & deſignato Vzeſtæ ſepulcro conditum, narrat Bernardus (*c*): *Sequenti*, inquit, *menſe auguſti de Carpentoraco tranſvectum fuit corpus ejus in Vaſconiam patriam ſuam, fuitque ſepultum, ſicut elegerat, in eccleſia quæ appellatur B. Mariæ de Vzeſta diœceſis Vaſatenſis, ubi paulo prius canonicos inſtituerat ſæculares, in villula minus inſigni & ſatis ſterili & exili.* Excitatum illi eſt in eo loco nobile mauſoleum, eleganti opere ac columnis e Jaſpide exornatum, ejuſque corpus in feretro gemmis & auro exornato a nepote Leomaniæ comite pretio quinquaginta millium aureorum, quod poſtea a Joanne Armaniaci comite expilatum fuit demumque ſepulcrum a Calvinianis furore hæretico profanatum exciſumque eſt, atque ipſius corpus pietatis ac religionis odio ab impiis flammis traditum anno ineunte MDLXXVII. ut refert Maſſonus (*d*).

Flammis poſtea traditum ab hæreticis.

(*d*) *Maſſ. in Clem. V.*

XV. Jactatæ ab invidis in eum calumniæ.

Obſcurarunt etiam nonnulli pii ſcriptores Clementis memoriam, quem ut ardentem avaritia, delitiiſque diffluentem deſcripſere: aliaque prorſus indigna, ut de quæſito a quodam artis magicæ perito defuncti ejuſdem nepotis animæ ſtatu, ac loco inferni, in quem erat detruſus nepos, alioque palatio flammarum globis cincto, quod ipſi Clementi pararetur, oſtentato tradidere. Sed hæc conficta a malevolis, cum ob tranſlatam in Gallias ſedem, extinctoſque Templarios plurium odia incurriſſet, facile coniicitur, auctore etiam forte Dante, cui mordere quoſque inſignes viros inſtar triumphi fuit; & ut poetæ & nugatori fabulari & in infernum illum ſuum fictitium, quos libuit, trudere licuit. Quid enim magis abhorrens, atque alienum ab eo Pontifice eſt, quam ſceleratam cum mago & dæmone pactionem impingere, cujus geſta ſi ſpectentur, religione, zelo, fideique augendæ ſtudio magnis æquandum Pontificibus comperies? Hujus ſane rei teſtes Viennenſis ſynodus œcumenica, impietas ab eo ferro flammaque conſtantiſſime exagitata, excitati toties ab eo in Saracenos & ſchiſmaticos principes, compoſita tot egregiis conſtitutionibus apoſtolicis res eccleſiaſtica, Rhodus ejus ſtudio Chriſtiano adjuncta imperio, ac reſpublica Chriſtiana in eum ſtatum ab ipſo adducta, ut niſi ipſum mors orbi eripuiſſet, religionem in oriente propagatum iri ſpes magna affulgeret. Sedis tranſlatio poteſt jure obiici: ſed facinus expeditionis contra Saracenos pro recuperanda Syria deſiderium, Viennenſis concilii moræ, ac deinde Italici motus excuſare apud quempiam forte videbuntur. Certe indigna illa & impia in Clementem commenta videtur refellere abunde ipſius ſucceſſor Joannes XXII. dum ſacram ejus memoriam fuiſſe apud ſe teſtatur (*a*): *Sanctæ*, inquit, *recordationis Clemente Papa V. prædeceſſore noſtro de præſentis vitæ mœroribus ad cœleſtem patriam evocato;* neque enim ſanctæ recordationis Pontificem vocaſſet, ſi ita avaritia, libidine, ſimonia, aliiſque vitiis contaminatus fuiſſet. Sed hæc apud cordatum quemque pro abſtergenda ea calumnia ſuffecerint. Jam quid poſt illius obitum geſtum percurramus. [1]

Refelluntur.

(*e*) *Jo. 22. l.1. ep. 1.*

Grave Joannis XXII. de illo teſtimonium.

Va-

NOTÆ [1] OBiiſſe hoc anno Clementem loco, menſe, ac die in annalibus adnotatis certum eſt. Viri famam dubiam effecerunt ſcriptorum ſtudia contraria. Alios enim offendit Templariorum ordo everſus. Alios ſedis ex Italia tranſlatio. Alios quod conſtitutione ſua de regula fratrum minorum aliorum partes contra alios fovit. Hinc a F. Franciſco Pipino Bononienſi ordinis Prædicatorum avaritiæ, & animi ſtudioſi in propinquis ſuis ditandis promovendiſque accuſatur chronic. lib. IV. cap. XLIX. quo etiam nomine illum damnat Neapoleo de Urſinis in literis ad Philippum Francorum Regem vulgatis a Baluzio in vitis papar. Avenion. to. II. num. XLIII.



XVI.

(*a*) *Bern. in Chron. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. ſign. n.3765.*

(*b*) *Jo.22. l.4. ep. cur.61.*

Cardinales Carpentoraci conclave ingrediuntur.

Vacavit ſedes, ut ſcribit Bernardus, (*a*) annis duobus, menſibus tribus diebus ſeptemdecim, dum enim ſacer Cardinalium ſenatus in conclavi ſanctiore de præficiendo orbi Chriſtiano ſummo Pontifice agitabat, exardeſcente Carpentoracenſes inter atque alios aulæ pontificiæ adminiſtros diſcordia, eo res prorupit, (*b*) ut tam in civitate, quam in circumpoſitis locis graviſſima certamina commiſſa fuerint: tum injectis facibus tectis pars urbis incendio conflagrarit; denique verſo in Romanos mercatores & alios exteros, qui pontificiam aulam ſequebantur, furore eorum opes diripuerint, expilarint merces, pannos diſtraxerint: ex quo plures familiæ non ignobiles ad extremam inopiam redactæ fuere. Ardente eo Carpentoraci tumultu, jamque incendio proximas conclavis ædes corripiente, Cardinales, quos etiam mutua diſcordia exagitabat, abſceſſere; atque in priſtina animorum diſſenſione obfirmati diuturnum interpontificium invexerunt, ut narrat ſubjectis verbis Bernardus (*c*): *Defuncto Clemente Papa, Cardinales numero* XXIII. *qui apud Carpentoracenſem civitatem cum alia curia reſidebat, intrantes conclave in epiſcopali palatio pro electione ſummi Pontificis facienda, cum ibidem aliquandiu perſtitiſſent, non valentes concordare, ſuborta gravi & grandi turbatione, inter familias eorundem, ipſum circa feſtum S. Mariæ Magdalenæ concorditer exiverunt, ſtatuentes tempus, infra quod redire deberent ad eundem locum ad electionem ſummi Pontificis celebrandam. Sed ſubortis variis quæſtionibus invicem, quæ ſtylo magis relinquendæ ſunt quam ſcribendæ, illuc minime redierunt; ſed in diviſis civitatibus & villis diſperſi ſunt, ſteteruntque ſic diviſi loco & propoſito annis amplius quam duobus.*

(*c*) *Bern. Chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. ſign. n.3765. in Clem. V.*

XVII. Comitia gravi coorta ſeditione diſcuſſa. Secutum diturnum interpontificium.

Funeſtæ illius Cardinalium, ſua non quæ Jeſu Chriſti ſectantium, in eccleſia diſſenſionis mala auxit electorum principum in creando Rege Romanorum diſcordia, quorum alii Ludovicum Bavariæ ducem, alii Fridericum ducem Auſtriæ elegere (*d*). Qua de re hæc Ptolemæus Lucenſis (*e*); *Poſt mortem Henrici Imperatoris electoribus Alamanniæ convenientibus in unum pro electione Imperatoris anno domini MCCCXIV. in die B. Lucæ evangeliſtæ, diviſi fuerunt in duas partes, alii Ludovicum ducem Bavariæ, alii Fridericum ducem Auſtriæ in Regem Alamanniæ nominantes, natos de fratre & ſorore, & ſic fuerunt in ſecundo gradu conſanguinitatis: factaque eſt inter eos gravis & longa concertatio uſque ad ſtrages hominum.* Confirmat eandem electorum diſcordiam Germanus (*f*) auctor, qui Pontificum vitas ad an. uſque MCCCLXIV. contexuit: *Electores*, inquit, *convenientes in Frankfort duos in diſcordia elegerunt Ludovicum Bavariæ & Fridericum Auſtriæ duces.* Conſentit etiam his Bernardus, qui ait (*g*): *Anno Dom. MCCCXIV. electores Alamanniæ convenientes in unum pro electione Imperatoris diviſi fuerunt in duos, alii Lodovicum ducem Bavariæ, alii Fridericum ducem Auſtriæ in Regem Alamanniæ nominantes: factaque eſt inter eos propter hoc gravis & longa concertatio uſque ad ſtrages hominum.* Cortuſiorum pariter hiſtoria (*h*), & longum diverſarum gentium auctorum agmen duos Cæſares diſcordibus ſuffragiis renuntiatos tradunt. Rei autem geſtæ narratio vera vix ab hiſtoricis peti poteſt, cum ea ſcriptis tradiderint, quæ communi hominum fama in locis, in quibus verſabantur, pervulgata erant, ut ſentiebant cum hoc vel altero æmulo; indeque non minus dictis inter ſeſe, quam armis adverſi principes pugnarint. Repetenda vero viſa ſunt publica documenta a [1] Ludovici electoribus confecta, quæ Hervvartus ſuis apologeticis commentariis pro Ludovico editis inſeruit (*i*).

Principes electores in eligendo Rege Rom. diviſi.

(*d*) *Stero Alta. in annal. Jo. Vill. l.9. c.66. Muſſ. in Lud. Ba. Cort. hiſt. l.1. c. 21. Henr. Reb. in Chr. Jo. Aven. in Annal. l.7. Ann. Col. & alii in Henr.*

(*e*) *Ptol. Luc. l.24. c.41.*

(*f*) *MS. bibl. Vat. ſign. n. 3765. in Jo. XXII.*

(*g*) *Bern. de Imp. Rom. MS. bibl. Vat. ſign. n. 2043. in Lud. Bav.*

(*h*) *Cortuſ. hiſt. l.3. c.8.*

Hiſtorici inter ſe diſſentiunt.

(*i*) *Ext. apud Jo. Georgium Hervarto in ann. 1314. n.5.*

XVIII.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri ac domino ſuo,*



NOTÆ XLIII. Eadem pariter cum aliorum vitiorum acceſſione imputat illi Joannes Villani lib. IX. cap. LVIII. Alii tamen viciſſim pontificem hunc egregie commendant, quos inter principem locum meretur Ferretus Vicentinus ſcriptor eorum temporum, qui alias pontificum vitia non diſſimulat. Hæc vero ille de Clemente Hiſt. lib.3. Rer. Italic. to.9. pag. 1018. *Nec putandum eſt tam ſalubrem tamque Deo gratum paſtorem odio vel prece corruptum a juſtitia declinaſſe; nam omnia bene, & ſapienter ab eo geſta nemo mentis integer ambigit.* MANSI

[1] DE electione Ludovici, & Friderici Auſtriaci ad Imperium ſermo hic ab Annaliſta inſtituitur. Incidit illa quidem in hunc annum die XX. Octobris, ut ex literis Archiepiſcopi Moguntini ad Pontificem certum eſt. An vero ſicut ea die Ludovicus electus, eadem pariter Fridericus a ſuis aſſumptus fuerit incompertum mihi eſt. Id unum ſcio ex Anonymo ſcriptore geſtorum Trevirenſium Archiepiſcoporum a Martene to. IV. Collectionis ſuæ vulgato quique hoc tempore vitam Balduini Trevirenſis ſcribebat, electionem Ludovici peractam Francofurti, Friderici vero in *Saſſebuſen*, quem vicinum Francofurti locum eſſe coniicio. Uterque electus pro ſuo jure regni coronam aſſumpſit; Ludovicus quidem Aquiſgrani die XXV. novembris S. Catharinæ feſta ut Rebdorfius in Annalibus teſtatur; Fridericus vero anno ſequenti in oppido Bonna, Colonia parum diſtanti die feſto Pentecoſte, ut ex continuatore Nangii ad An. 1317. diſcimus. Reliqua quæ ad utrumque electum pertinent, ex Annalibus intelliges. MANSI

ſuo, domino ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici futuro Petrus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia ſanctæ Moguntinæ ſedis archiepiſcopus ſacri imperii per Germaniam archicancellarius, Joannes Dei gratia Boemiæ & Poloniæ Rex, Vualdemarus marchio Brandeburgenſis, ac Joannes dux Saxoniæ ſenior humiles & devoti cum omni reverentia devotiſſima pedum oſcula beatorum.

Electorum ſtudentium Ludovico ad futurum Pont. literæ. Qui ad electionem vocati.

Vacante nuper per obitum felicis recordationis ſereniſſimi domini Henrici quondam Romanorum Imperatoris ipſo Romanorum regno, ſeu Romanorum imperio, & nobis una cum reverendo domino Balduino ſanctæ Trevirenſis eccleſiæ archiepiſcopo, nec non reverendi domini Henrici archiepiſcopi Colonienſis, & illuſtrium principum Joannis Boemiæ & Poloniæ Regis, Rodulphi comitis palatini Rheni ducis Bavariæ, Vualdemari marchionis Brandeburgenſis ac ducis Saxoniæ, honorabilibus procuratoribus, ad quos jam de jure, quam de conſuetudine antiqua & approbata jus eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem poſtmodum promovendum noſcitur pertinere, ſolemniter concordantibus in diem electionis hujuſmodi, videlicet craſtinum beati Lucæ evangeliſtæ, quæ eſt decima nona menſis octobris; & ego Petrus archiepiſcopus Moguntinenſis prædictus ex officii mei debito ipſam diem ad electionem hujuſmodi celebrandam præfixi, literas meas vocationis ipſis comprincipibus & coelectoribus meis deſtinando.

Dies ad eam celebrandum a Moguntino archiep. conſtituta.

XIX. Qui Francofurtum convenerint.

Qua die veniente ſuburbio oppidi regalis Frankenuordenſium, loco ſiquidem ad hoc ſolito & conſueto, nobis Petro Moguntinenſi, Balduino Trevirenſi archiepiſcopis, Joanne Boemiæ & Poloniæ Rege, Vualdemaro marchione Brandeburgenſi, ac Joanne duce Saxoniæ ſupradictis ibidem convenientibus, celebrata miſſa S. Spiritus, deliberatione provida præhabita ad procedendum in electionis negotio prælibato; & in quantum debuimus expectantibus, quod reverendus dominus Henricus archiepiſcopus Colonienſis & Rodulphus comes palatinus dux Bavariæ nondum venerant, nec per ſe, nec per ſuos procuratores in dicto loco convenerant; nos pro bono pacis volentes in hoc eis deferre, ac facere gratiam ſpecialem, terminum prædictum, videlicet craſtinum beati Lucæ evangeliſtæ, unanimi conſenſu cum reverendo domino Balduino Trevirenſi archiepiſcopo, uſque in diem ſequentem duximus continuandum: quam continuationem dictis archiepiſcopo Colonienſi & Rudolpho comiti palatino, ac aliis, quorum intereſſe poterat, nos archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus per noſtros nuncios ſpeciales ad id deputatos inſinuavimus, notificavimus, & ad eorum notitiam deduximus, ipſos citandi vice & nomine omnium noſtrorum præſentium, ut præfata die continuata in dicto loco ad eligendum convenirent.

Extracta ad diem inſequentem electio.

Qua die continuata, ipſis archiepiſcopo Colonienſi & comite palatino & aliis, quorum, intereſſe poterat, ſic vocatis & ſufficienter expectatis, quod non venerunt, nec pro ſe miſerunt, nec vices ſuas alicui ſeu aliquibus commiſerunt in electionis negotio memorato; audita miſſa ſancti Spiritus, nos archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus, ipſa die continuationis, quæ fuit viceſima menſis prædicti, hora debita & conſueta procedere cupientes, in ſcriptis monitionem legimus, & proteſtationem quandam vice noſtra, ac omnium ibidem præſentium, jus in ipſa electione Regis Romanorum habentium illa vice, monendo omnes infames, excommunicatos, ſuſpenſos ac etiam interdictos; nec non quoſcumque alios, ſi qui forent forſitan inter eos, qui de jure vel conſuetudine intereſſe in ipſius electionis negotio non deberent, quod a tractatibus electionis celebrandæ futuri Regis Romanorum, & ab eadem electione recederent, ipſos coelectores noſtros, nos & alios, quorum intereſſet, eligere permittentes; proteſtando, quod non eſſet noſtra vel collectorum noſtrorum intentio tales admittere, tanquam jus in illa electione habentes aut procedere vel eligere cum eiſdem: immo volimus & intentionis noſtræ fuit, quod voces talium, ſi qui reperirentur poſtmodum interfuiſſe, nulli preſtarent ſuffragium, nec afferrent alicui nocumentum, & prorſus pro non receptis ſive pro non habitis haberentur.

Expectatis iis nec venientibus, electionem celebrandam ſancitum eſt.

Miſſa de Spiritu ſancto peracta.

Devincti anathem. electores ab electionis celebritate juſſi abſiſtere.

Quam proteſtationem nos omnes ſupradicti, una cum reverendo patre domino Balduino arbiepiſcopo Trevirenſi, collectores tunc præſentes ratam & gratam habentes, conſenſimus in eandem; & demum poſt tractatus præhabitos, conſideratis ſolicite & diligenter circumſtantiis pluribus, & ſtatu perſonarum diverſarum, per quas ſeu per quam regno vacanti & imperio poſſet utilius provideri, in illuſtrem virum Ludovicum comitem palatium Rheni, ducem Bavariæ, virum utique catholicum, orthodoxæ fidei fervidum zelatorem, eccleſiæ ſanctæ Dei & miniſtrorum ejuſdem, ac pacis ſanctæ ab ineunte ætate ſua, experientia, quæ eſt rerum magiſtra efficax, atteſtante, devotum & humilem amatorem, ſtrenuum in armis, in judicio juſtum, in conſiliis providum, in univerſa morum honeſtate præclarum, benignum, affabilem, & manſuetum, de alto & generoſo ſanguine divorum Regum & principum procreatum, ac in cunctis agibilibus pro regimine reipublicæ quamplurimum circumſpectum, noſtrum intuitum, divina diſponente clementia, convertentes; nos Petrus Moguntinenſis archiepiſcopus pro nobis & nomine noſtro, præfatus vero dominus Balduinus Tre-

XX.

Ludovicus dux Bavariæ deſignatus Rex.

Ejus genus & virtutes.



Qui principes in ipſum ſuffragia contulerint.

Trevirenſis archiepiſcopus pro ſe & nomine ſuo; nos vero Joannes Boemiæ & Poloniæ Rex, Vualdemarus marchio Brandeburgenſis, & Joannes (ſeniorem hunc fuiſſe electorali pollentem dignitate, contendit Hervvartus) dux Saxoniæ prædicti, quilibet noſtrum pro ſe & nomine ſuo, votis noſtris per dominum Moguntinum archiepiſcopum antedictum vice ſua & noſtra, & ex ſpeciali mandato ſuo & noſtro diligenter inquiſitis; nos electores prædicti in loco prædicto præſentes, jus totale ea vice in electione dicti Regis habentes, conſenſimus concorditer in eundem Ludovicum, & ipſum nominavimus, quilibet noſtrum pro ſe nullo penitus diſcrepante, in Romanorum Regem eligendum, in Imperatorem poſtmodum promovendum, & in advocatum ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ, viduarumque & orphanorum defenſorem. Quibus ſic peractis, ego Petrus Mogutinenſis archiepiſcopus de mandato ſpeciali & voluntate mea, & meorum electorum prædictorum eundem Ludovicum comitem palatinum Rheni ducem Bavariæ elegi ſolemniter in hunc modum.

XXI. Electionis Regis Rom. forma.

In nomine Domini. Amen. Cum vacante Romano regno ſeu Romano imperio per mortem felicis recordationis ſereniſſimi domini Henrici quondam Romanorum Imperatoris, vocatis qui fuerunt evocandi, & qui in electione Regis Romanorum jus habere dignoſcuntur, ac præſentibus dicta die continuata ad eligendum omnibus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt commode intereſſe, placuerit omnibus & ſingulis præſentibus ad electionem procedere futuri Regis; inquiſitis votis omnium & ſingulorum, jus in electione ipſius Regis habentium & præſentium, omnes & ſingulos electores prædictos appareat ex præmiſſis direxiſſe concorditer vota ſua in illuſtrem Ludovicum comitem palatinum Rheni ducem Bavariæ, in eum conſentiendo, & ipſum nominando in Romanorum Regem eligendum; per cujus quidem Ludovici prædicti expertæ ſtrenuitatis merita, fidei puritatem, & conſtantiam ſperatur ſacroſancta Romana ac univarſalis eccleſia potenter & utiliter defenſari, ac in ſpiritualibus & temporalibus votiva ſuſcipere incrementa, & etiam reſpublica provide dirigi, & pariter ſuperno ſuffragante auxilio gubernari; ego Petrus archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus vice mea ac coelectorum meorum prædictorum, jus in ipſa electione habentium, ex poteſtate mihi per eos tradita ſpecialiter & conceſſa eundem Ludovicum, invocata ſancti Spiritus gratia, in Romanorum Regem eligo, in Imperatorem futurum promovendum.

Pronuntiata a Moguntino archiep.

XXII. Admiſſum oblatum ſceptrum a Lodov.

Electione autem hujuſmodi celebrata, eam nos omnes & ſinguli electores prædicti præſentes approbavimus, & Te Deum laudamus alta voce fecimus decantari, & dictum noſtrum electum, qui præſens extitit, & electioni de ſe factæ divinæ nolens reſiſtere voluntati, interpellatus cum inſtantia a nobis, reverenter conſenſit; & deinde electionem ipſam clero & populo ſolemniter fecimus publicari. Poſtmodum vero ipſum electum in civitatem Frankenfordenſium introducentes, in eccleſiam S. Bartholomæi deduximus, & ipſum ſuper altare majus prout moris & conſuetudinis eſt, adhibitis ſolemnitatibus in talibus debitis & conſuetis poſuimus, Te Deum laudamus denuo decantantes. Deinde in cœmeterio eccleſiæ antedictæ clero & populo ipſum electum præſentavimus, & ejus electionem fecimus ſolemniter publicari. Eapropter ſanctitati veſtræ tam humiliter quam devote voto unanimi ſupplicamus, ut ipſum electum noſtrum in Regem Romanorum paternis ulnis amplectentes, munus inunctionis & conſeſecrationis eidem conferendo, de ſacroſanctis manibus veſtris ſacri imperii diadema dignemini loco & tempore favorabiliter impertiri, ut ſciant & intelligant univerſi, quod poſuerit in lucem gentium vos Dominus, & per ſanctitatis veſtræ arbitrium orbi terræ poſt nubilum exoptata ſerenitas eluceſcat. Cæterum ut beatitudo veſtra cognoſcat evidentius, vota noſtra omnium præſentium in prædictis omnibus & ſingulis concordaſſe, ac in petitione hujuſmodi exiſtere unanimes & concordes, præſens electionis noſtræ decretum ſanctitati veſtræ tranſmittimus, ſigillorum noſtrorum appenſione ex certa noſtra ſcientia roboratum. Dat. apud Frankenford x. kal. nov. anno Domini MCCCXIV.

Decantatæ Deo laudes.

Rogatur Pontif. ut Lud. confirmet ilique imperiale inſigne tradat.

XXIII.

Conceptas alias iiſdem verbis literas ad Pontificem datas a Balduino archiepiſcopo Trevirenſi repetit Hervvartus (a) ex archivi Bavarici autographo exceptas, ex quibus Albertum Argentinenſem, (b) & alios, (c) qui pugnantia cum his ſcripſere, emendat, partumque ex hac electione a Ludovico Bavaro cæſareum jus admodum illuſtrat; de quo Albertinus Muſſatus hæc tradit (d): Vere quidem electionem primitivam a veris imperii electoribus ſatis idoneam frateri non prohibemur. His etiam aſſentitur Joannes Villanus, (e) qui memoratorum quinque in ſuperioribus literis electorum Ludovico adhærentium nomina recenſet. Neque Joannes XXII. Ludovici electionem oppugnavit, donec is contra datam fidem Vicecomitum eccleſiaſtici ordinis hoſtium, decretoriaque hæreſeos ſententia damnatorum, clientelam adverſus ſedem Apoſtolicam ſuſcepit; tum ſuprema in Ferrariam ditionis eccleſiaſticæ urbem jura, adactis ſacramento fidei perduellibus Ateſtinis invaſit: ob quæ poſtulatum judicio, & ob contemptas leges partis ex electione juribus exauctoratum viſuri ſumus.

(a) Herv. an. 1314. De jure Ludovici.
(b) Alber. Argen. in chr.
(c) Cuſpin. & alii.
(d) Muſſ. in Lud. Bav.
(e) Jo. Vil. l. 9. c. 66.

XXIV. Allata pro eo argumenta.

(a) Ext. apud Nic. Minor. MS. bibl. Vat. ſig. n.4008. p. 13. &c. (b) Ext. ib. p. 196.

Pontifex electum diſcordia narrat.

Licet vero Ludovicus pluribus publicis ſcriptis evulgatis anno (a) MCCCXXIV. & MCCCXXXVIII. (b) contenderit ſe ante Fridericum Auſtriacum non modo a majori parte, verum a duabus quoque partibus electorum principum renuntiatum Regem Romanorum, atque acerbiſſime in Joannem dicentem fuiſſe Ludovicum ipſum diſcordibus electum ſuffragiis invectus ſit; & contenderit, ſibi primum in loco ad id deſignato, nimirum Francofurti, dieque conſtituto electo, atque Aquiſgrani corona Germanica redimito ex veteribus imperii conſuetudinibus parendum fuiſſe; tamen Pontifici potius tot publicis edictis literiſve inferius afferendis pronuntianti illum diſcordibus electum ſuffragiis, quam Ludovico contrarium affirmanti adhærendum cenſemus: præcipue cum plures Germani Italique auctores in ea re conſentiant, neque ita illuſtria & perſpecta fuerint Bavari jura, quin ea controverſia Pontificis ſententia dirimenda foret, ut jam ante a Richardo Anglo & Alfonſo Hiſpano certatum legibus apud ſedem Apoſtolicam (c) vidimus: ac ſi potiora Ludovici, quam Friderici in imperium jura extitere, ut Muſſatus, Joannes Villanus, aliique plures conſentiunt; in eo peccaſſe Ludovicum conſtat, qui armis tantum, non legibus certare voluerit, qua de re conquerentem Joannem audituri ſumus. Superius quidem decretum electionis Ludovici Joanni delatum non fuiſſe Joannes ipſe queſtus eſt, vertitque crimini Bavarum, eo ſedi Apoſtolicæ veterum Cæſarum more non oblato, regni adminiſtrationem corripuiſſe (d): *Nondum*, inquit, *electione diſcordi, quæ de ipſo in Regem Romanorum promovendum in Imperatorem facta fuiſſe dicebatur, Romanæ eccleſiæ, ad quam examinatio ac approbatio, ſeu reprobatio electionis & perſonæ cujuſcumque in Regem Romanorum electi pertinere dignoſcitur, præſentata; nec ea per eandem eccleſiam approbata vel reprobata*. Pariter decretum de Friderico electo ad ſedem Apoſtolicam non traſmiſſum, (e) quamvis illud Joannes expeteret, ſuo loco dicetur.

Lis a Pontifice dirimenda fuit.

(c) To. annal 14. an.1263. n.43. & 1266. n. 36.

Decretum electionis Ludovici Joanni non fuit oblatum.

(d) Jo. to. 5. p.1. ep. ſecr. p. 177.

Nec etiam æmuli Friderici.

(e) In to. 5. & ſecr. an.10. p. 258

XXV. Neque vero Hervvartus (f) adeo aſpere Joannem ob non aſſerta Ludovico cæſarea jura paſſim carpſiſſet, ſi mature ſecum reputaſſet, Pontificem id niſi judiciario ordine agere non debuiſſe: Ludovicum autem ſibi defuiſſe, qui nunquam legibus, ſed tantum vi rem perſequi voluerit, atque in judicem ſuæ cauſæ, controverſi nimirum cæſarei apicis, inſurrexerit. Debuerat Hervvartus potius improbos ſenatores, qui Ludovicum in atrociſſima ſcelera egere præcipitem, inſectari; percellere Ropulphum Bavarum principem electorem, qui odio percitus dubiam fratris electionem effecerit; de diſſenſionibus conqueri Germanorum, apud quos non conſtabat de nonnullis ex ſeptem virorum numero, quinam creandi Cæſaris jure pollerent, unde oborta eſt graviſſima illa in imperio diſſenſio: nam ſunt, qui indicant, quatuor tantum fuiſſe principes, de quorum auctoritate in deſignando Romanorum Rege non controvertebatur, nimirum tres archiepiſcopos & comitem Palatinum, atque a duobus ipſorum, nempe Petro Moguntino & Balduino Trevirenſi Ludovicum; a totidem vero, ſcilicet Henrico Colonienſi ac Rodulpho comite Palatino Fridericum fuiſſe electum, in quo par videbatur utriuſque electi conditio. Cæteros vero electores Boemum, Saxonem, ac Brandeburgicum controverſos ferunt; ducem Charintiæ ſe regno Boemico injuria pulſum diſceptaſſe: Rodulphum Saxonem contra Joannem eligendi Cæſaris jus ſibi aſſeruiſſe; alium ſimiliter principem cum marchione Brandeburgenſi de principatu certaſſe. Quibus de rebus Jo: Villanus, (g) Albertus Argentinenſis (h), Rebdorfius (i), Albertus Crantzius (k) aliique agunt. Ex his igitur patet Cæſaris creationem concordem non extitiſſe, litemque ab ſede Apoſtolica fuiſſe dirimendam: quamvis in eo Ludovici electio præſtabat, quod Brandeburgicus & Boemus principatuum poſſeſſione potirentur: (l) nec propterea Joannes ab Hervvarto in crimen vocandus, ſi juſtitiæ zelo ductus jura ſedis Apoſtolicæ tutatus ſit, & imperium legum æquitate, non ferro & furore judice ſuſcipiendum contenderit; qua de re agetur inferius: atque hæc de Cæſarum duorum creatione ſuffecerint.

(f) Herv. in Lud. Bab. defenſ. to.1. & 2.

Joannis adverſus Herwart apologia.

(g) Jo. Vil. l.9 c 66. (h) Argen. in chron. & alii. (i) Rebdor. in chron. (k) Crantz. Sax. l.9. c.8. (l) Vill. eod. c.66.

Illi quidem mox a ſuis corona Germanica redimiti fuerunt, ſervato a neutro ritu antiquo, ex quo ea pompa a Colonienſi archiepiſcopo Aquiſgrani peragenda erat. De iis Albertus Argentinenſis hæc affert (m): *Fridericus Auſtralis præ fame recedere eſt coactus, multique dextrarii in aſcenſu manſerunt in via. Ludovicus itaque Aquiſgrani a Moguntino & Trevirenſi in loco, quo debuit, ſed non a quo debuit; Fridericus vero in Bunna a Colonienſi, a quo debuit, ſed non in loco in quo debuit, coronati ſunt. Adhæſerunt autem Ludovico civitates inferiores Rheni uſque Seltz, Friderico autem Seltz, & ſuperiores regni civitates, exceptis Berna & Solodora, quæ neutrum curabant, &c.* Peperit porro hæc diſcordia non crudeliſſima modo & exitioſa in Romano imperio bella, verum etiam funeſtiſſimum in Dei eccleſia ſchiſma, de quibus ſuis locis agetur. Jam a Germanicis rebus ad Gallicas nos conferamus.

Duo cæſares corona redimiti.

(m) Argent. in chron.

XXVI. Regis Franc. mors.

Luxere hoc anno Galliæ Philippi Regis mortem, cum ingentia expeditionis Aſiaticæ conſilia, ſed quæ in longum tempus ex-



extrahebat, agitaret: contigitque ut nullus ex iis Regibus, qui in Viennenſi concilio ſymbolum crucis acceperant, nec ſucceſſores, dum ſibi de vitæ longitudine abblandiebantur, nuncupato voto fidem exolverent. Tradit hæc de Philippi Regis morte Bernardus (a): *Anno Domini MCCCXIV. in vigilia B. Andreæ Apoſtoli, ſede Romana vacante, obit Philippus Rex Franciæ anno currente* XXX. *regni ſui in caſtro de fonte Bliaudi, ubi natus fuerat in hunc mundum: fuitque ſepultum corpus ejus apud S. Dionyſium, cor vero ipſius apud Pyſſiacum in monaſterio ſanctimonialium, quod ipſe fundaverat, dum vivebat: cui ſucceſſit in regno filius ejus primogenitus Ludovicus, qui tunc erat etiam Rex Navarræ*. Verſum eſt in religionem ab Italis & Belgis ſcriptoribus (b) mortis, quo Philippus obiit, genus, divinæque in eum vindictæ datum ob Bonifacium calumniis teterrimis appetitum, prioreſque iras poſt acceleratam ejus mortem exercitas; cum in venatione, dum aprum inſequebatur, ex equo, quem fera turbarat, in terram colliſus eſt, ut narrat ſudjectis verbis S. Antoninus (c): nam de eo Galli veteres ſilentium tenent.

(a) Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. ſign. n. 3765. in Clem. V.

(b) Jo.Vill. l.9. c.65. Ant. 3. p. tit.21. c. 3. §.4. Meyer Annal. Flan. l.11. Maſſon. in Phil. Pulc. (c) Ant. ib.

Lugubre mortis genus.

*Anno præfato menſe novembris de hac luce migravit Rex Franciæ Philippus, qui regnaverat* XXIX. *annis. Mors autem ejus fuit ſatis infelix; nam, cum eſſet in quadam venatione, quidam aper inter crura equi, quem equitabat Rex, ſe ingeſſit, ex quo Rex ex equo cadens paulo poſt mortuus eſt. Hic fuit pulcherrimus hominum temporis ſui, ſtatura magnus, & optime proportionata membra habebat: ſapiens & bonus in ſe ſecundum conditionem regiam: ſed quia nimis deditus erat delectationibus corporeis, & præcipue venationibus, non tantum vacabat curæ regiminis, quantum expediebat, ſed aliis familiaribus ſuis negotia regni committebat; quibus cum nimis crederet in conſiliis, multa detrimenta inde ſecuta ſunt in regno. Poſt ſe autem reliquit tres filios, ſcilicet Ludovicum Regem Navarræ, Philippum comitem Pictavenſem, & Carolum comitem Marchiæ. Omnes ii fratres fuerunt in modico tempore Reges Franciæ, ſuccedente altero alteri per mortem eorum. Omnes pulcherrimi viri erant, & male fortunati in uxoribus eorum: nam deprehenſæ ſunt omnes in adulterio*. Nonnulliſque interiectis: *Ad hanc infelicitatem creduntur deveniſſe, vel quia contraxerunt in gradibus prohibitis, vel potius propter nimiam injuriam ſacrilegii perpetrati a patre Philippo in captura Bonifacii Papæ*. Ut vero illi ordine nullis relictis liberis ſceptro Gallico ſucceſſerint, quod Valeſiorum ducis filio ac poſteris tranſmiſſum eſt, ſuo loco dicetur. Cæterum apud plures invaluiſſe ſuſpicionem Joannes Papa indicat (d), arte & ſimulatione a Philippo Pulchro nuncupatum expeditionis Syriacæ votum, atque a divino numine, cui illuſerat, vindicta percuſſum: unde ejus calamitas Philippo VI. a Pontifice ob oculos poſtea propoſita, ne ſimili arte votum infringeret, non enim perjurium impune laturum.

Illius virtutes & vitia.

(d) To.9. p.2. ep. ſecr. pag. 187.

XXVII. In Anglia Eduardus Rex (e), cum Scotiam armis recuperare conſcripto, ut ferunt (f), centum millium armatorum exercitu, moliretur, maxima clade a Scotis fuſus fugatuſque eſt. Laudatur a Vvalſinghamo Robertus Bruſius, virtutem egregiam militarem in eo bello explicuiſſe, ac peditem præceſſiſſe exercitum, dato exemplo, ne quis de fuga cogitaret: cæſi ſunt, captive plures aurati Angli equites, inter quos Gilbertus Gloverniæ comes in ipſo pugnæ ardore occubuit. Ante hujus cladis hiſtoriam præmittit auctor (g) rem non involvendam ſilentio: Eduardum Regem, cum non levis inter Elienſes & S. Albani religioſos viros arderet controverſia de Anglorum protomartyris reliquiis, quas ſinguli apud ſe religioſe aſſervari contendebant, explorandæ veritatis deſiderio feretrum, in quo Elienſes ſacra lipſana condita putabant, coram ſe reſerari juſſiſſe; ac non S. Albani repertum corpus, ſed pannum aſperſum cruore adeo vividi coloris, ac ſi recenter effuſus eſſet. Placet ipſius auctoris verba referre.

(e) Vvalſin. in Eduard. hoc an. Polyd. Vir. l.18. Boet. hiſt. Scot. l.14. (f) Buchan. l.8.

Eduardus a Scotis magna clade fuſus.

(g) Vvalſin. ubi ſup.

Elienſes jactant S. Albani corpus apud ſe conditum.

Anglorum Rex veritatem explorat.

*Rex cum vidiſſet cunctos clavos extractos, & feretrum patefaciendum acceſſit, & levavit operculum manu ſua: Et ecce vident locellum illum a ſummo uſque deorſum quodam panno villoſo ita occupatum, ut nihil poſſet aliud continere: in ſuperiore vero parte veſtimenti conſpiciunt cruoris coagula denſe reſperſa, ita nova, ita recentia, quaſi pridie fuiſſent effuſa. Conſtat hanc veſtem fuiſſe caracallam, quam ſanctus Albanus in converſione acceperat a ſancto Amphibalo magiſtro ſuo in ſignum religionis, in quo idem martyr ſententiam ſubiit capitalem. Et fas eſt credere, quod ad honorem ſancti, divino miraculo, ſanguis ejus ſic in hac veſte ſervatus, ſicut in pulvere ſui ſepulchri per multa ſecula legitur conſervatus: cujus pulveris maſſam, in qua rubebat adhuc ſanguis martyris, S. Germanus Altiſſiodorenſis epiſcopus ſecum abſtulit & detulit ad * natalem * ſecum * Altiſſiodoro capellam conſtruens in honorem martyris memorati.*

Veſtis martyris cruore imbuta in feretro reperta.

Cruor ſacer vividus, ac purpureus conſpectus.

De pulvere ſepulchri S. Albani prodigium.

* natale * ſolum * Antiſſiodori

*Rex igitur & omnes aſſiſtentes, de tanto miraculo ſtupefacti, proni corruerunt in terram, & facta eſt non parva hæſitatio, quis accederet ad deponendum operculum & feretrum contingendum. Tandem Rex ipſe cæteris animoſior, operculum detraxit ad locum ſuum. Et tunc primo cogno-*

Elienſis eccleſia ab Eduardo muneribus ornata.

*gnoverunt Elienſes, quid de S. Albano haberent, quid non haberent, cum oculata ſide cernerent, in dicto feretro præter caracallam nihil omnino contineri*. *Rex vero, hilarior effectus de rei comperta veritate, dedit illic dona varia, reſiduum temporis, quo manſit ibidem, ducens in ſumma lætitia, frequenter conferens de merito martyris Albani & gloria, & judicans non ſine divina factum providentia, ut in duobus locis tam celebribus ſpecialis veneratio martyris haberetur; & ait Elienſibus: Gaudete de Dei munere, gaudete de tanti martyris meritis & ſanctitate, quia ſi, prout dicitis, hic Deus per illum plura facit miracula ratione veſtis, credatis quod apud ſanctum Albanum ampliora facit miracula ratione corporis quieſcentis.*

Hoc anno apparuiſſe tres lunas cruceſignatas, conſpectaſque a ſe refert Jordanus (*a*) kal. martii duabus ante auroram horis, eandemque impreſſionem aeream iterum oriente ſole refulſiſſe.

(*a*) *Jord. in chr. MS. bibl. Vat. ſign. n.3.*





I. Cardd. magno eccleſiæ damno ad conclave non redeunt.

JAcuit in luctu eccleſia, ſuo viduata paſtore, anno Chriſti milleſimo trecenteſimo decimoquinto, indictione decimatertia, diſſidentibus Cardinalibus, *atque in diverſis*, ut ait Bernardus (*a*), *civitatibus & villis diſperſis, ſicque loco & propoſito diviſis*; Romanum imperium duorum Cæſarum ambitio cruentavit; laniarunt Italiam funeſta Guelphorum Gibellinorumque nomina; fractiſque Gallos inter & Belgas induciis, bellum repetitum. In Etruria quidem magno ardore geſtum eſt bellum (*b*) inter Guelphos ac Gibellinos, quorum ſignifer Uguitio Fagiolanus Piſarum & Lucæ dominus cum Florentinos propagandi imperii cupiditate magnis amicorum auxiliis fultus invaderet, cingeretque obſidione montem Catinum, ii a Roberto Rege Siciliæ ſubſidiarias equeſtres copias ac Philippum Tarentinum principem, ut rei bellicæ præeſſet, popoſcerunt. Secuti ſunt Philippum Carolus filius, ac Petrus Regis Philippique frater, qui infeliciter in acie ab hoſtibus cæſi ſunt, triſti admodum ac improviſo caſu: ſolvebat enim, exeunte auguſto, obſidionem montis Catini ob ſuorum in Lucenſi agro defectionem, intercluſoſque commeatus Uguitio; cum Florentinus exercitus ſine ducis, tum quartana laborantis, juſſu male inſtructis ordinibus, illum adortus eſt: qui mox verſa fronte & agmine compoſito invectus in Florentinos, ipſos magna edita ſtrage, conciſiſque ferro inter cæteros Roberti Regis fratre ac nepote, in fugam vertit.

(*a*) *Bern. chr. Rom. Pont.*

(*b*) *Alb. Muſſ. de geſtis Italic. l.5. ſub fin. Cortus hiſt. l.1. c. 24. Jo. Vil. l.9. c.69. & 70. Leonard. Aret. l.5. Ant.3. p. tit. 21. c. 1. §.6.*

Duo principes Siculæ regiæ cæſi in acie.

II. Uguitionis victoria inſignis. Turbæ in Belgio exortæ.

Non caruit etiam bello Germania inferior, cum Robertus Belgii comes Ludovico Francorum Regi dicto Hutino, fidem ſacramento devincire detrectaret, niſi primum arces a Philippo Rege in ultimo bello Belgico retentas reſtituiſſet: in eum enim Ludovicus mox a ſuſcepto inſigni regio expeditionem duxit: quæ quidem regiæ conſecrationis pompa hactenus dilata fuerat, ut nova illius ſponſa una cum ipſo corona cingeretur: priorem enim Ludovici conjugem Blancam ducis Burgundiæ filiam in privata cuſtodia, in quam ob adulterii ſcelus conjecta erat, mœrore vel, ut Joannes Villanus (*c*), & S. Antoninus, aliique tradunt, præfocatam linteo obiiſſe ferunt. Addit vero Bernardus (*d*) Ludovicum Clementiam Caroli Martelli ducis Calabriæ filiam, & Regis Ungariæ ſororem ſolemni ritu ſibi conjugali nexu junxiſſe, ſubiicitque: *Sequenti dominica prima auguſti in feſto inventionis S. Stephani fuit inunctus in Regem Francorum Rhemis civitate per archiepiſcopum Rhemenſem cum memorata domina Clementia ſponſa ſua.* Addit auctor bellum in Flandriæ comitem, qui regiæ inunctionis pompæ non interfuerat, nec officia clientis præſtiterat, ſuſceptum tanto apparatu, ut quindecim millia equitum numerarentur in Gallico exercitu, præter peditum innumeram multitudinem ſed cum ad Liſam amnem promota caſtra eſſent, tanto imbre terram immaduiſſe, ut cum luto non cum hoſte certandum fuerit, univerſaque expeditio diſſoluta ſit (*e*), ad quam coparandam multæ prædæ actæ fuerant. Et quidem injuſtos cogendæ bello tolerando neceſſariæ pecuniæ modo captaſſe Ludovicum, auctor ſugillat, dum ſubdit, ipſum oblata a Judæis pecunia victum illos reſtituiſſe (*f*) regno, e quo ob graviora ſcelera, addictis fiſco eorum bonis, pulſi fuerant, ne Gallos improba conſuetudine contaminarent.

(*c*) *Jo. Vil. l.9. c. 65. Ant.3. p. tit.21. c.3. §.4. Maſſ. in Lud. Hut. & alii & MS. bibl. Vat. ſign. n. 3765. in Clem. V.*

(*d*) *Bern. chr. Regum Franc.*

Lud. Francorum Rex Clementiam Regis Ung. ſororem uxorem ducit. Lud. Rex magno terrore in Flandriam movet.

(*e*) *Bern. chr. Reg. Franc. & MS. bibl. Vat. ſig. n.3765. in Cle. V. Paul. Æmil. in Lud. Hut. Gaguin. in eod. Maſſ. in eod. Meyer. in Rober. & alii.*

Judæi in Gallias revocati.

(*f*) *Ber. & MS. bibl. Vatic. ubi ſup.*

III. Tradit idem Bernardus (*g*) inſigne triſteque humanarum rerum volubilitatis exemplum in Galliis editum fuiſſe in Engerrano Marinio, regii fiſci præfecto, qui cum ſub Philippo Rege ſummis opibus & gratia floruiſſet, demum repetundarum reus ad patibulum damnatus, uncoque tractus eſt: *Tempore*, inquit, *Philippi Regis, patris illius Ludovici, major poſt eum non tam merito, quam de facto fuerat nominatus in regno, ita ut ſecundus regulus, quaſi regulus videretur, ad cujus nutum regni negotia gerebantur: quos enim ipſe volebat exaltabat, & quos volebat deprimebat; quidquid volebat fieri, factum erat. In modico tamen fuit ſuperexaltatus & elevatus nimis, & poſt paululum audivimus eum tali exitu defeciſſe. Itaque exemplo ejus & alterius, qui præceſſit, ſcilicet Petri de Bruſia, qui elapſis jam tunc annis ferme triginta octo olim tempore Philippi alterius Regis avi iſtius, poſtquam ſupermagnus effectus fuerat, poſt ſimilem fortunæ gloriam ſimilem ignominiam eſt perpeſſus, diſcant & pertimeſcant tam præſentes quam poſteri in gradu conſimiles & fortuna ſobrie & juſte ac pie vivere in hoc ſæculo, præcaventes ne caſum conſimilem patiantur.* Injeciſſe olim hunc Engerranum Marinium faces funeſtæ illi diſcordiæ, quæ inter Bonifacium Philippumque arſerat, objecit (*h*) illi accuſator a Carolo Valeſio inſtructus, cum nimirum nummariam penſitationem fiſco pontificio debitam ſuppreſſiſſet: quod divinæ vindictæ non immerito aſcribendum videtur, nec magicæ artes ab uxore, ut eriperetur ſupplicio, adhibitæ profuerunt (*i*).

(*g*) *Bern. chr. Rom. Pont. & Reg. Franc. & MS. bibl. Vat. ſign. n.3765. in Clem. V.*

Inſtabilitas humanæ felicitatis.

Divina in ſatorem diſcordiæ adverſus Bonif. ultio.

(*h*) *Paul. Æmil. in Lud. Hutino.*

In oriente ſulcaſſe hoc anno victrice claſſe archipelagus Fulconem Villaretum,

(*i*) *Id. ib. Gagui. in eod.*

Equitum Hoſpital. expeditio in Ægei maris inſulas.

(a) Boſ. hiſt. equitum Hier. p. 2. l. 1.

Hoſpitalarii ordinis equeſtris principem, ac plures inſulas, interque alias Con Hippocratris patriam, vulgo Langon dictam, ſuo adiecisse imperio, refert Boſius (a). Sed qui impetus vertere in Syriam, atque ad majora efferre animos debuiſſet, quæſitis piratica arte opibus auctus, Rhodoque ſibi ſubjecta faſtu tumidus, curas belli ſacri ac publicæ rei abiecit, ſeque aucupiis ac delitiis addixit: quocirca poſtea, atrociſſima equitum conjuratio in ipſum conflata, principatu eſt deturbatus (b), ut dicetur inferius.

(b) Id. ib.

IV.

(c) Pet. Baone ep. Tar. in vit. B. Henr. Ferrar. in novo cat. 10. jun. ex tabulario eccl. Tarv. Bonif. l. 7. hiſt. Tarv.

B. Henricus eremita. Pulſatæ divinitus ad ejus funus campanæ. Miraculis coruſcat.

Migravit eodem anno (c) Tarvſii ex hac vita ad felicem immortalitatem B. Henricus eremita Bauceno oriundus, qui aſperrimo vitæ ſuſcepto genere, paſcendo divinarum rerum contemplatione animo vacabat: cujus morientis ſanctitatem Numen pulſatarum divinitus campanarum ſuaviſſimo concentu colluſtravit; atque adeo exciti repente clerus populuſque ad ejus cohoneſtanda funera concurrerunt. Stetit ſpectantium populorum oculis expoſitum ſacrum corpus in eccleſia principe integro octiduo, nec tamen quamvis arderent graviores æſtus, corruptionem contraxit. Plures vero cæleſtes virtutes ad ejus ſepulchrum editæ, quæ epiſcopi & prætoris juſſu in publicos commentarios relatæ fuerunt; iiſque permoti Tarviſini, oratores ad Joannem XXII. poſtea decrevere, qui de ipſius ac B. Pariſii conſecranda memoria agerent: ſed ob ſecuta deinde bella extracta res eſt. Ferunt illum aliquando, dum libero & aperto cælo preces Deo funderet, ruptoque nubibus imbre validiſſimo, nulla vel levi guttula aſperſum fuiſſe.

Orantem pluvia non perluit.

V. Raimundi Lulli martyrium.

Hoc anno Raimundum Lullum. [1] in Africa apud Bugiam promulgatæ fidei Chriſtianæ, & confutatæ Mahumetanæ impietatis odio publici magiſtratus juſſu poſt atroces injurias & carceris ſqualdorem, cum in conſtantia defendendæ veræ religionis perſtaret, objectum furenti plebi ac gladiis ſaxiſque appetitum ex vulnerum dolore occubuiſſe tradunt (d): dumque ejus corpus ex ſepulcro marmoreo Franciſcani templi, adhibitis teſtibus graviſſimis, anno MDCXI. erutum eſt, quatuor ingentia vulnera in capite accepta conſpecta (e) ſunt. Porro ut de ejus vita (nam & nonnulli (f) ante hæc tempora, alii poſtea obiiſſe ſcribunt) ita de ejus doctrina variæ ſunt diſcrepanteſque ſententiæ (g): id tamen advertendum eſt, plures libros peſtiferos, veluti de invocatione dæmonum, de ſecretis naturæ, de alchymia & metallorum metamorphoſi a Raimundo Lullo juniore rabbino, eodemque ſub religioſa veſte fidei apoſtata compoſitos alteri ſeniori Lullo aſcriptos eſſe; unde iſtius errorum infamia prioris exiſtimatio inquinata. Cum vero in aliis Raimundi Lulli libris plura reperiantur, quæ a fide orthodoxa primo aſpectu abhorreant, niſi in meliorem ſenſum trahantur, quod operoſa mole tentant editæ plures apologiæ, id dici poteſt illum quamvis erraverit, non tamen hæreticum fuiſſe, cum pertinaciam errori non conjunxerit: quamquam Lulliſtæ ingentia ſub obſoletis verbis arcana latere contendunt, quos ſugillat Mariana (h) quod videre ſe fingant aut ſomnient quod non vident, & digito conentur oſtendere quod nuſquam eſt. Ut vero Gregorii XI. juſſu de Rai-

(d) Vvad. in annal. hoc ann. n. 5. &c. ex ant. MS. arch. Balear.

(e) Id. n. 13.

Plures libri impii ipſi falſo aſcripti.

(f) Marian. l. 15. c. 5. an. 1311.

(g) Prat. de hær. l. 16. c. 2.

Variæ de ejus doctrina ſententiæ.

(h) Marian. l. 15. c. 5.

NOTÆ [1] IN hunc annum reiicit Annaliſta obitum B. Raymundi Lulli, cujus dies Martyrii ex veteri apud Majoricenſes Hiſpanos Balearios traditione die XXIX. Junii, collocatur. De anno conſtat ex vetuſtiſſimo epitaphio, quod olim, ante corporis in aptiorem locum tranſlationem, veteri ejus tumulo inſcriptum erat recitaturque a Bollandiſtis ſociis ad diem XXX. Junii in vita B. Raymundi Lulli §. VI. Vitam ejus dedit Anonymus quidam ejus diſcipulus, cumque Magiſtro adhuc ſuperſtite ſcriberet, ad exitum uſque illius lucubrationem ſuam minime perduxit. Ex ejus relatione diſcimus virum illum a ſæculi deliciis ad pœnitudinem religioſæ ac eremitæ vitæ, Deo per viſum invitante, accitum ſe contuliſſe, quod in annum 1256. referunt Scriptores apud Bollandiſtas. Ex tunc vero varias inſtituit peregrinationes, ubique docens & exponens illam, quam Chriſto præceptore didicerat artem, quam vocant, magnam; artem ſcilicet de omni quacumque re quæ ſciri poteſt diſſerendi. Miro hoc invento uſus eſt in annuncianda aſſerendaque Saracenis vera Religione. Sæpe etiam Romanos Pontifices Honorium IV. Bonifacium VIII. Clementem V. adivit, ut eos adduceret ad omnes militares Equeſtres ordines in unam regulam, & ordinem jungendos, ad excitanda virorum religioſorum Cœnobia ſeu Collegia in quibus Orientales linguæ ad uſum propagandæ fidei docerentur; ac denique ut Averrois ſcripta tanquam pernicioſa e Scholis Chriſtianis eliminarentur. Nihil tamen impetravit. Demum cum Bugiam in Affricam tranſiſſet, ibique Arabice, quod apprime callebat, Chriſtum annunciare Saracenis cœpiſſet, a Barbaris ſaxis impetitus martyr occubuit. Libros plane multos conſcripſit; ſed multo etiam plures ipſi falſo tribuuntur, quos revera eſſe alterius Raymundi (non quidem Lulli, ut male Annaliſta hic) Neophiti, e Rabbino Judæo Chriſtiani, ac tandem monachi, non immerito ſuſpicatur Wadingus ad hunc annum n. 13. Ex his libris in noſtrum ex nominis ſimilitudine ea orta eſt invidia, qua Lullus apud recentiores quoſdam flagrat; cum revera Lullo antiqua apud Majoricenſes religio cultum detulerit, qualem decet virum ſancti elogio inſignitum ut fuſe apud Bollandiſtas in Commentar. præv. ad ejus vitam §. 2. MANSI



(a) Recenſentur centum error. in direct. inquiſ. Aymer. c. p. 2. q. 9.

Raimundi Lulli erroribus (a), an ii ſenioris an junioris extiterint, habita ſit judiciaria actio cenſore fidei Aymerico, dicetur ſuo loco. [1]



NOTÆ [1] IN continuatione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Pariſienſis Gerhardi Dubois e veteri Tabulario Pariſienſi recitantur literæ Ludovici X. Regis hoc anno decembri menſe datæ, in quibus auſcultaſſe ſe teſtatur archiepiſcopum Senonenſem qui totius Senonenſis concilii nomine obtulit unam decimam duplici ſolutione conferendam opportunum regii erarii ſubſidium. Hoc vero Concilium celebratum ſcriptor ille cenſet anno iſto in loco incerto, ſed forte Lutetiæ, cui & præfuiſſe ſuſpicatur Villelmum Philippi ſucceſſorem, qua in re mendoſum cenſet catalogum Archiepiſcoporum Senonenſium apud Sammarthanos, qui Philippi Archiepiſcopi vitam diutius prorogant. Sed vix credo concilium iſtud aliud fuiſſe a Concilio Pariſienſi anno ſuperiori Majo menſe a Patribus provinciæ Senonenſis Philippo Archiepiſcopo præſide habito. Quamvis enim tunc Philippo Pulchro in vivis agente ad illum deſtinandus fuiſſet archiepiſcopus Senonenſis, non vero ad Ludovicum, qui nondum regnabat; forte tamen hæc archiepiſcopi deſtinatio ad Philippum quidem directa erat; ſed illo interim, defuncto, & Ludovico ſubſtituto ad illum ex Synodi mente Archiepiſcopus venit. Quare ut duas Senonenſis Provinciæ Synodos duobus ſuccedentibus annis celebratas comminiſcamur, nihil eſt.

Anno iſto pariter concilium provinciale Danicum in Helling Borrig a Petro Lundenſi archiepiſcopo celebratum notat anonymus rerum Danicarum chronologus a Ludewig Reliq. tom. 9. vulgatus n. VII. In eo Concilio decretum editum fuit de *ſubſidio dando ei* (nempe Petro archiepiſcopo in exilium acto) *ex Epiſcopis, qui modo in exilium deportatus fuerat*. Concilii hujus mentio nulla in Collectionibus huc uſque vulgatis. MANSI

I. Cardinalium Pontificem creare detrectantium pertinacia.

DIſciſſi in contrarias factiones Cardinales, quos nondum orbatæ ſponſo eccleſiæ luctus, non diſſidentium regnorum calamitates, non rei Chriſtianæ periclitantis diſcrimina moverant, Philippi Pictaviæ comitis, a Ludovico fratre Franciæ & Navarræ Rege in eam rem miſſi, induſtria Lugdunum variis artibus exciti pro creando Romano Pontifice, in ſacrum conclave anno milleſimo treceteſimo decimoſexto indictione quartadecima compulſi ſunt. Quos quidem pie deluſit Pilippus comes, ut eccleſiæ conſuleret, ac fidem religioſe fregit, ut refert Bernardus hiſce verbis (*a*): *Steterunt ſic diviſi loco & propoſito annis amplius quam duobus*, de Cardinalibus e Carpentoracenſibus comitiis digreſſis loquitur, *fueruntque tractatus plures habiti per perſonas medias inter eos: quorum finis tandem fuit mediante domino Philippo comite Pictavii, poſtmodum vero Rege Franciæ & Navarræ. Qui congregati ſunt in Lugduno pactis prævìis; quod non includerentur, & quod poſſent de Lugduno recedere quando vellent: quæ tamen fuerunt eis minime obſervata, quatenus pro majori bono reipublicæ, quæ præfertur privatæ, compellerentur eccleſiæ providere.*

(a) Bern. Chron. Rom. Pont. & ex eo Boſque. & MS. Vat. ſign. n. 3765. in Jo. 22. Ptol Luc. hiſt. eccl. MS. l. 24. c. 42. & alii.

Lugdunum Regis Francorum fratris opera conveniunt.

Pertinaciſſimarum diſſenſionum fontem & cauſam aperit ex Joanne Villano (*b*), S. Antonius (*c*): *Multi*, inquit, *ex eis erant Guaſcones, & ii quærebant Guaſconem habere Pontificem: qui vero erant ex Francia, Provincia, & Italia Cardinales, illis non acquieſcebant, alium quærentes, ſive qui eis videretur eccleſiæ Dei utilior, ſive qui eis foret favorabilior.* Abrupit demum divina manus funeſtos privatæ utilitatis & commodi nexus ac poſt conſumptos altercationibus quadraginta dies, cum niſi dato eccleſiæ Pontifice inde diſceſſuros incuſſus ipſis religioſus metus fuiſſet, ſuffragia in Jacobum epiſcopum Portuenſem contulere. De quo hæc Bernardus (*d*): *Quadrageſimo die ab incluſione ipſorum quæ facta fuit in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, ipſis tum quod tunc deberent includi, penitus neſcientibus pariter & invitis, tandem tractatu præhabito in præfatum dominum Joannem omnes pariter conſenſerunt. Erat autem Cardinalis epiſcopus Portuenſis, & Jacobus vocabatur: ſed Joannes exinde vocatum eſt nomen ejus.* Nec ab his diſcrepat MS. Vaticanum, in quo hæc habentur (*e*): *In dominum Joannem conſenſerunt, ipſum eligentes anno Domini* MCCCXVI. *menſe auguſti die* VII. Celebratam eam electionem Lugduni VII. id. auguſti a viginti tribus Cardinalibus conſentit Ptolemæus Lucenſis (*f*), Joannemque hoc exornat elogio: *In hunc Pontificem conſenſerunt, virum ardentis ingenii, & in jure eccleſiaſtico ac divino valde peritum.* Ex Victorianis etiam annalibus, hoc tempore conſcriptis, magni ingenii, honeſtæque vitæ laude commendatur. (*g*)

(b) Jo. Vill. l. 9. c. 79.
(c) Ant. 3. p. tit. 21. c. 4. ante §. 1.

Vaſconum Cardinalium ambitio diſſidii cauſa.

(d) Bern. chr. Rom. Pont. Ptol. Luc. in hiſt. eccl. MS. l. 24. c. 42.

Jacobus epiſc. Portuen. ad Pontificatum evehitur. Joannis nomen accipit.

(e) MS. Vat. bibl. ſign. n. 3765.
(f) Ptol. Luc. hiſt. eccl. MS. l. 24. c. 42.
(g) Maſſ. in Jo. 22.

Ejus patriam & obſcurum genus.

Aſſurrexiſſe in eam auguſtiſſimam omnium dignitatem ex abiecta & inopi conditione, [1] emenſis pluribus honorum gradibus, auctores conſentiunt (*h*). Caturcenſem quidem patria, patre Arnoldo ſutore veteramentorum; viciſſe vero ingenio fortunam, ita refert S. Antoninus. *Hic fuit natione Gallicus, generis ſui infimæ conditionis, filius ſcilicet reſartoris ſotularium, pauper temporali ſubſtantia, ſed dives ingenio & ſcientia; parvus corpore, ſed magnus animo, qui nutritus eſt*

(h) Bern. ubi ſup. Jo. Vill. l. 9. c. 79. Ant. ubi ſup. Maſſ. in Jo. 22. & alii.

*ſub*

NOTÆ [1] QUanta fides Joanni Villani adhibenda ſit dum ea narrat, quæ in electione Romanorum Pontificum acciderunt, vel iis diſcas quæ de Joannis XXII. electione commemorat. Si illum audias lib. IX. cap. LXXIX. Cardinales omnes illum electionis arbitrum &, ut vocant, *compromiſſarium* conſtituerunt; ipſe vero ſeipſum impudentiſſime renunciavit Pontificem. Verum electionis formam plane alias ſervatam tunc agnoſcunt omnes non recentiores tantum doctiſſimi ut Baluzius in notis ad vitam Papar. Avenion. pag. 717. Pagius in Breviar. in Joanne XXII. num. VII. ſed ut veteres omnes coævi ſcriptores, qui omnium Cardinalium aſſenſu electum affirmant. Idem inſuper Joannes in literis hic ab Annaliſta laudatis teſtatur electioni de ſe unanimi Cardinalium aſſenſu factæ utrum ipſe aſſentiretur ambiguum hæſiſſe. Denique Ferretus Vicentinus, hiſtor. lib. VII. pag. 1167. quamquam de Joannis fama meretur haud egregie teſtatur opera & molimine Neapoleonis Urſini inductos fuiſſe Cardinales ut Jacobum cadurcenſem eligerent in Pontificem; tum ſubdit: *confeſtim ergo Jacobum memoratum, quamquam idem honeſte repugnaſſet, hymno Angelico jubilis vocum edito ſacra jam clamyde circumdatum manenti vulgo Papam a ſe decretum oſtendit*, quibus verbis ea confirmantur quæ ſcriptores reliqui de Joanne, & ipſe de ſe Joannes aſſeruit.

Errat etiam Villanus in aſſignanda die, qua Joannes ſolemni ritu coronam Pontificiam aſſumpſit, non enim in eam rem dies octava ſeptembris, ut Villanus memorat, ſed dies quinta ejuſdem menſis, quæ Dominica erat, ſelegit. Docet id Bernardus in Chron. Rom. Pontif. Joannes Andreas in prologo Clementinarum, quem utrumque ſcriptorem adducit Pagius in Breviar. num. IX. cui adde Theodoricum Niemium. Baluzium in notis ad vitas Papar. Avenion. pag. 689. pluribus nititur probare, non adeo vili genere natum fuiſſe Joannem, cum Albertus

Ar-



Dotes animi. Emenſi honorum gradus.

*ſub archiepiſcopo Arelatenſi magiſtro ſuo: quo ſublato Rex*, Robertum Siciliæ Regem intelligit, *fecit eum loco ejus cancellarium* (*a*) *ſuum, & poſtmodum factus eſt epiſcopus Avenionenſis, & inde propter ſcientiam ſuam & prudentiam factus eſt Cardinalis.* His addit Bernardus (*b*), creatum primum Forojulienſem epiſcopum in Aquenſi provincia, atque ab ea ſede traductum ad Avenionenſem, & adhibitum in Bonifaci cauſa ad excipienda teſtium dicta vidimus; deinde a Clemente Quinto anno MCCCXII. ſabbato quatuor temporum recurrente adventu dominico inter Cardinales Avenione relatum.

(a) Jo. to. S. p. 1. ep. ſec. p. 27.
(b) Ber. ubi ſupr. & MS. bibl. Vat. ſig. num. 3765. Ptol. Luc. Maſſ. in Jo. 22. & alii.

Eligendi ex gemina factione poteſtate data, ſe ipſum elegiſſe ferunt nonnulli.

Sugillant eum nonnulli (*c*) dolo ad Petri ſedem irrepſiſſe, adeo ut cum ipſi a Cardinalibus deſignandi Pontificis optio juſque data eſſent, ſemetipſum conſilio Neapolionis Urſini Pontificem renuntiarit. Verum ut Neapolionem Joanni ad pontificatum illi deferendum ſtuduiſſe, plurimaque apud ipſum gratia valuiſſe non negamus, uti ex dicendis patebit; ita rem hanc ab invidis jactatam non leve argumentum eſt, cum Ludovicus Bavarus, aliique Joannis hoſtes infenſiſſimi, in illis adverſus ipſum invectivis (*d*) acerbiſſimis, quas præ manibus habuimus, nunquam ea objecerint, quæ ſane nunquam, ſi nixa fuiſſent veritate, ut illum ambitionis nimiæ notarent, præteriſſent. Neque etiam ſi ita res ſucceſſiſſet, Joannes libera & coſtanti voce denuntiaſſet toti orbi, ſe a pontificatu oblato omnium ſuffragiis conſentientibus abhorruiſſe, atque admodum ancipitem hæſiſſe, an humeros oneri ſubduceret, ut encyclicæ literæ docent a nobis inferius afferendæ (*e*). Commentum pariter inane videtur, ipſum Neapolioni Cardinali Urſino, cujus opera pontificatum adeptum ajunt, ſacramento ante ſe adſtrinxiſſe, nunquam mula vel equo vectum iri, ni Romam ſe conferret; promiſſa vero cavillo eluſiſſe, nec in poſterum iter, niſi pedibus aut flumine confeciſſe.

(c) Jo. Vil. Anton. & Maſſ. ubi ſup.

Fabuloſam rem eſſe oſtenditur.

(d) Ext. apud Nic. Min. MS. bibl. Vat. ſign. n. 4008.
(e) Hoc an. n. 8.

Dum pontificiæ infulæ conferendæ apparatus ornabatur, Philippi Navarræ moderatoris oratores a Joanne expetiere, ut celebritatem ad dies quindecim extraheret, quo illius pompam ſpectare poſſet: qua prorogatione impetrata, iterum alia dierum octo expetita: ſed cum tertia ejuſdem principis nomine poſtularetur, negata eſt juſtiſſimas ob cauſas, quas pontificio juſſu Arnaldus Cardinalis Philippo expoſuit (*f*).

(f) To. 2. ep. ſecr. 29.

*Excellenti & magnifico viro amico chariſſimo domino Philippo, claræ memoriæ domini Regis Franciæ filio, regna Franciæ & Navarræ regenti, Arnaldus miſeratione divina S. Mariæ in porticu diaconus Cardinalis ſalutem, & felices ad vota ſucceſſus.*

Philippi principis in Joannem ſtudium.

*De conſcientia ſanctiſſimi in Chriſto patris domini noſtri ſummi Pontificis, & ejus expreſſo mandato in notitiam excellentiæ veſtræ deducimus, quod nuper die lunæ, tertio videlicet poſt ejus aſſumptionem ad apoſtolatus officium, ſpectabilis vir dominus comes Foreſii & magiſter Radulphus de Perellis clericus veſter, ipſius domini noſtri præſentiam adeuntes, pro parte veſtra ſupplicarunt eidem inſtantius, quod in aliquo loco regni Franciæ celebrare vellet coronationis ſuæ ſolemnia, diemque ipſi coronationi præfigere, in qua poſſetis juxta conceptum inde per vos deſiderium intereſſe; arbitrantes ad id dies quindecim, ex tunc computandos, ad adventum veſtrum poſſe ſufficere, illoſque concedi petentes, cum infra illos ſe credere dicerent, vos poſſe venire pro certo; & de ſupplicatione hujuſmodi veſtros nomine facienda, cuicunque in Pontificem Romanum aſſumpto, ac a vobis idem clericus aſſerebat ſpeciale ſuſcepiſſe mandatum. Præfatus autem dominus noſter vobis in his & aliis proculdubio cupiens complacere, ac aſſiſtentiam veſtram eidem coronationi gerens placidam atque gratam, licet breviorem diem ipſi coronationi antea præfixiſſet, eam tamen ad illorum inſtantiam uſque ad*



*di-*

NOTÆ Argentinenſis eorum temporum ſcriptor *de militari progenie* hoc eſt ut interpetratur Baluzius *ex priſca nobilitate* natum aſſerat. Sed plebejum genus Joannis ſcriptores reliqui omnes adſtruunt. Quod vero addit Baluzius ad probandam generis nobilitatem in Joanne, illorum ſcilicet res domeſticas non adeo tenues fuiſſe, cum illis aliquid ſuppeteret, unde de ſuo alere filium poſſent ut ſtudio operam navaret. Id, inquam, illuſtratur, & explicatur ex iis, quæ tradit Ferretus Vicentinus; ſcribit enim illum ex plebejo quidem patre natum *Avunculo Duce, qui tenui mercimonio lucris intentus, alia ſpe fora tentabat Neapolim profectum fuiſſe, ibique Grammaticam, & Dialecticam didiciſſe.* Tum ſubdit illum fratris cujuſdam Minoris beneficio adlectum fuiſſe inter Regios Caroli Siciliæ Regis ephebos inter quos diu meruit multumque in ſcientiis qua eccleſiaſticis qua civilibus profecit. Hinc gratiam ſibi Caroli promeruit a quo legationes plures apud Galliæ Regem, apud Pontificem alioſque plures miſſus obivit. His egregie functum Rex beneficii memor Forojulienſi Epiſcopatu a Bonifacio VIII. ornandum curavit. Reliqua in hunc modum proſequitur, quæ cum ex aliorum pariter relatione nota ſint; ideo prætereunda hic cenſeo. Porro ex his Baluzii argumentum pro adſtruenda generis nobilitate Joanni ſolvitur. Qui enim ſuis ſumptibus Joannem aluit, ut ſtudio operam daret, non pater fuit; ſed avunculus negotiator. Reſtat ergo ut plebejum Joannis genus agnoſcatur, & admittatur. MANSI

Retardata in ejus gratiam celebritas imponendæ novo Pontifici tiaræ.

*dictos dies quindecim petitos ut præmittitur prorogavit. Et deinde veniente viro magnifico domino .. delphino Viennæ, & pro ulteriori prorogatione ſolemniter inſtante, dominus ipſe noſter ad complacendum vobis uberius, & ut, ſi fieri poſſet, veſtram poſſet habere præſentiam, per alios octo dies coronationem prorogavit eandem.*

V.
Novas nectens moras repulſam accipit.

*Noviſſime vero venerabili viro domino P. de Capis Rhemenſi canonico, clerico veſtro, adhuc inſtante pro prorogatione majori, idem dominus noſter de fratrum ſuorum conſilio, & habita deliberatione ſuper hoc cum eiſdem, reſpondit illi, quod quantumcumque veſtris complacere vellet affectibus, quantumcumque etiam veſtra cuperet lætificari præſentia, abſque tamen ſcandalo plurium, præſertim dominorum Cardinalium, qui apud Avinionem, ubi erat ex indictione publica in proximis kalendis octobris audientia Romanæ curiæ reſumenda, rerum ſuarum præmiſerant partem non modicam, ſine quibus amplius nequibant commode remanere Lugduni, & multorum etiam prælatorum, magnatum quoque & nobilium in curia ipſa ſiſtentium, & avide coronationem expectantium antedictam; & inſuper abſque totius reipublicæ gravi diſpendio coronationem ipſam non poterat ulterius prorogare, quoniam ante illam ardua, quæ incumbunt negotia expediri, nuncii qui ad partes varias ſunt mittendi, interim deſtinari non poterant, cum nec ante uti bulla conſueverint Romani Pontifices, & jam inſtabat tempus audientiæ, ut præfertur, apud Avinionem indictæ, quod abſque damno intolerabili mutari, vel differri non poſſet. Veſtrum etiam poterat in ipſius coronationis expeditione feſtina intereſſe verſari, quia ſi pro Flandriæ, vel aliis veſtris & regni negociis dominum ipſum noſtrum interim ſcribere oporteret, id non poſſet ante coronationem hujuſmodi facere, cum nec ante ex more bulla, ut prædicitur, poſſit uti.*

Expreſſa ejus cauſa.

*Propter quod, cum ipſe ſciat, vos virum eſſe virtutis, bonitatis expertæ, conſcientiæque ſinceræ, ut nullatenus velitis cum tanto diſpendio tantoque ſcandalo aliquid in hoc agi, ſupponit idem dominus noſter indubie, quod prudentiæ veſtræ manſuetudo moleſte non feret, ſi requiſitionem dicti canonici ad exauditionem admitti, præmiſſa conſideratione attenta, non ſinit. Ipſe quoque, laudabilem veſtrum veniendi contemplans affectum, vos nedum a veniendo habet, ut & condecet, excuſatum; quinetiam perinde reputat, & gratiarum proſequitur actione, ac ſi perſonaliter intereſſetis coronationi prædictæ. Hæc ſcribimus vobis, quia dominus noſter ante ſuæ coronationis ſolemnia non poſſet juxta morem eccleſiæ Romanæ laudabilem vobis, vel alii cuiquam aliquid ſcribere, cum nec antea bulla integra poſſit uti. Datum Lugduni IV. kal. ſeptembris.*

Eadem etiam de cauſa, cum Robertus Siciliæ Rex duo millia unciarum auri, extracta reliqui cenſus ſolutione, Joanni ſubmiſiſſet, Nicolaus Oſtienſis & Velletrenſis epiſcopus, Nicolaus tit. S. Euſebii presbyter, & Neapoleo S. Adriani diaconus Cardinales ad Robertum de accepta vectigalis parte tranſmiſere ſyngrapham, (a) his verbis conſignatam. *Dat. Lugduni* XVII. *kal. ſeptembris ſuſcepti a domino Joanne apoſtolatus anno* I.

(a) *Ext. in arce S. Angeli & inter coll. Plat. to.* I. *p.* 412.

Joannes Lugduni apoſtolicis infulis decoratus.

Redimitum ipſum ſolemni ritu pontificalibus infulis Lugduni, refert Bernardus (b) ſubjectis verbis: *Fuit coronatus more Pontificum Romanorum cum honore ſolemni nonis ſeptembris, dominica prima menſis, Lugduni in eccleſia cathedrali.*

(b) *Bern. ubi ſup. & MS. bibl. Vat. ſign. n.* 3765. *in Jo.* XXII.

VI.

De ſuſcepto pontificatu certiores tum fecit totius orbis Chriſtiani præſules encyclicis literis (c), quæ in pontificio regeſto Rhemenſi archiepiſcopo ac ſuffraganeis inſcriptæ ſunt: eoque exemplo ad patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, quorum prolixior catalogus deſcribitur, (d) exaratæ; quibus ipſos ad inſtruendos & paſcendos probe populos, ac partienda apoſtolatus onera adhortatur: tum etiam immutata extrema earum calce tranſmiſſæ ad Ludovicum Bavarum ac Fredericum Auſtriacum electos tumultu & diſcordia Romanorum Reges, Joannem Boemiæ, Carolum Ungariæ, Ericum Daniæ, Birgerum Sueciæ, Eduardum Angliæ, Philippum Franciæ & Navarræ adminiſtratorem, Alfonſum Caſtellæ, Dionyſium Luſitaniæ, Jacobum Aragoniæ, Sanctium Balearium, Henricum Cypri, Oſſinium Armeniæ, Fridericum Trinacriæ, ac Robertum Siciliæ Reges, quibus totius electionis ſuæ ſeriem expoſuit; incitavitque, ut ad rem Chriſtianam tuendam, ac decretam in concilio Viennenſi expeditionem conficiendam cum apoſtolico ejus zelo conſentirent. Eas nos ſubiicimus, quas ab Robertum Regem, cui antea ſtudio conjunctiſſimus fuerat, dedit (e); in quibus id adiicit, partum pontificium munus nil priſtinæ detracturum benevolentiæ, ſed ipſam amplificaturum: quæ promiſſa ipſum coluiſſe auctores teſtantur (f).

(c) *An.* I. *p.* I. *ep. cur.* I. *& poſt eand. ep.*

(d) *Reg. an.* I. *p.* I. *poſt ep. cur.* I.

(e) *An.* I. *p.* I. *ep. cur.* I.

(f) *Jo. Vill. l.* 9. *c.* 79. *Ant. tit.* 21. *c.* 4. *ante* §. I.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Siciliæ illuſtri ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.*

VII.
Scribit Pontif. de ſua electione ad Rob. Sic. Reg.

*Mira & inſcrutabilis providentia Dei ſummi, firmam retinens in ſua diſpoſitione cenſuram circa ſacroſanctam eccleſiam catholicam, quam ſibi charitatis ineffabilis dulcedine copulavit, ita ſuæ benignitatis affectum & protectionis auxilium gratioſe continuat, quod ubi ex inſurgentis*



*fremitu tempeſtatis ſubmergi creditur, paratur eidem ex commotione tranquillitas, & in auram miteſcentibus procelloſi turbinis fluctibus, ab inſtantibus periculis prorſus ſervatur immunis. Hoc quippe multifarie multiſque modis ipſa magiſtra rerum experientia olim edocuit, & noviſſime diebus iſtis id ipſum evidenter oſtendit, dum ipſe pius Pater & miſericors Dominus eccleſiam ipſam, inter longæ ac periculoſæ nimis viduitatis anguſtias fluctuantem, de ſuo habitaculo præparato oculo benigno reſpexit. Dudum ſiquidem, ſicut tuam credimus notitiam non latere, ſanctæ recordationis Clemente Papa V. prædeceſſore noſtro de præſentis vitæ mœroribus ad cœleſtem patriam evocato, nos & fratres noſtri ejuſdem eccleſiæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus, cupientes eidem eccleſiæ de paſtore celeriter providere juxta conſtitutionem apoſtolicam ſuper hoc editam, nos incluſimus in conclavi, quod in civitate Carpentoractenſi, ubi tunc Romana curia reſidebat, ad hoc extiterat præparatum. Demum vero electionis prædictæ negotio imperfecto, ex certis cauſis legitimis conclave prædictum egredi neceſſitate compulſi, nos ad diverſa loca tranſtulimus, prout unicuique noſtrum expediens viſum fuit.*

De comitiis Carpentoracenſibus diſſipatis.

VIII.

*Cumque poſtmodum diffuſi temporis ſpatio, ſicut Domino placuit, interjecto ad civitatem Lugdunenſem pro ejuſdem electionis negotio concorditer veniſſemus, vias noſtras illo dirigente, qui novit; & tandem die ſeptima præteriti menſis auguſti in loco fratrum ordinis Prædicatoram Lugdunen. in quo reſidebamus, inſimul pro præfato electionis negotio fuiſſemus in loco ſolito congregati; benignus ſapientiæ ſpiritus, neſciens tarda molimina, tam prolixæ ipſius eccleſiæ viduitati pie compatiens, cum eam nollet ulterius viduitatis incommodis ſubjacere, fratrum ipſorum corda ſic adduxit ad ſpiritus unitatem, quod miro Dei, & nobis nimirum ſtupendo conſilio ad imbecillitatem noſtram oculos dirigentes; nos tunc Portuenſem epiſcopum ad ſuſcipiendum onus, nobis ex humano defectu importabile, curam videlicet univerſalis gregis dominici, concorditer, nemine diſcrepante, in ſummum Pontificem elegerunt.*

Lugdunenſi conclavi.

Ut communibus Cardinalium ſuffragiis creatus ſit Pont.

IX.
Dignitatem reſpuere voluerit.

*Nos autem difficultatem officii paſtoralis, continui laboris anguſtias, & præexcellentiam dignitatis apoſtolicæ infra noſtra præcordia recenſentes, noſtrarumque metientes virium parvitatem, timore ac tremore concuſſi, vehementer hæſitavimus, nec indigne. Quid enim tam timendum, tamque pavendum, quam fragili labor, indigno ſublimitas, & dignitas non merenti? Verum ne poſt ejuſdem vacationis tam diffuſa & diſpendioſa tempora, obſtinata contradictionis reluctatio profuſioris, diſpendii occaſionem induceret: nos, quamquam de noſtra, quam noſter nobis animus atteſtatur, inſufficentia deſperantes, humiles noſtros ad montem illum convertimus oculos, unde nobis ſpe multa promittitur auxilium opportunum. Sicque de ſuperabundantia illius omnipotentiæ concepta fiducia, cui cum voluerit ſubeſt poſſe; nec non de ipſorum fratrum noſtrorum eminenti ſcientia, induſtria circumſpecta, & experientia multa in agendis comprobata confixi, quorum ſano conſilio dirigi ſperamus in dubiis, & fulciri ſuffragiis in adverſis; in humilitatis ſpiritu conſenſum præbuimus electioni prædictæ, tantique oneris ſarcinæ imbecilles expoſuimus humeros, debiles miſimus manus ad fortia, & colla noſtra humiliter jugo ſubmiſimus apoſtolicæ ſervitutis; ſuppliciter implorantes, ut ipſe, qui per hujuſmodi vacationem in maris mundi hujus altitudinem nos deduxit, non patiatur nos ab ipſius tempeſtate demergi: ſed illam nobis ſuæ potentiæ dexteram porrigat, quæ Apoſtolorum principem ambulantem & hæſitantem in fluctibus, ne mergeretur erexit, & coapoſtolum ejus Paulum nocte ac die in profundo maris poſitum liberavit; viamque nobis & tibi, cunctiſque catholicis principibus, ac cæteris Chriſtianis, illis præſertim, qui ad hoc vivificæ crucis ſignaculum aſſumpſerunt, ſalubrem & paratam aperiat, noſtris & illorum cordibus pium infundat affectum, & infuſum augeat & conſervet; vireſque opportunas ſua dignatione tribuat ad parandum feſtinum & efficax terræ ſanctæ ſubſidium, & ad recuperandum hereditatis dominicæ præclaræ funiculum de Infidelium manibus, ad quod utique deſiderium habemus intenſum.*

Divina ope fretus cervices oneri ſubjecerit.

De ſuo recuperandæ Syriæ deſiderio.

*Et quia quod in hac parte noſtris aſſequi meritis non valemus, multiplicatis interceſſoribus nobis confidimus elargiri, tua & aliorum fidelium ſuffragia humiliter imploramus: & illos ſpecialiter, qui ſæcularis poteſtatis ſolicitudinem in populo Domini ſuſceperunt, ut in illo, prout ad eos pertinet, nobiſcum fideliter & efficaciter collaborent, decrevimus exhortandos; & te præcipue, ad cujus perſonam & domum, ut noſti, geſſimus ab olim, dum nos minor ſtatus haberet, ſolidæ dilectionis affectum, quem utique non imminuit, ſed auxit potius deſuper impoſitum apoſtolatus officium, & extulit in paternum. Dat. Lugduni non. ſeptembris pontificatus noſtri anno* I.

Roberto Regi ſtudium apoſtolicum pollicetur.

X.
Ludovicus & Frid. in imperio æmuli ad pacem ſolicitati.

Acceptis igitur eccleſiæ gubernaculis Joannes, atque excitatis fidelibus ad divinam illi ſuis apud Numen precibus conciliandam gratiam, atque antiſtitibus & Regibus ad conjungendam cum ipſo pro re Chriſtiana augenda operam ſolicitatis; primas apoſtolicas curas componendo Romano imperio, quod duorum Cæſarum exitiali ambitione fluctuabat, addixit: primum-

mumque paternis monitis Ludovicum Bavariæ ducem (a) mulcere, atque ad pacem ineundam cum Friderico Auſtriæ duce, controverſiamque non ferro, ſed æquitate judiciorum dirimendam adducere, his verbis eſt conatus.

(a) To. I. ep. ſecr. 4.

*Joannes, &c. Ludovico duci Bavariæ in Regem Romanorum electo.*

Scriptæ eo argumen. ad Lud. lit.

*Quanta de concordia inter te & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fridericum ducem Auſtriæ, in Regem Rom. electum, ſi votis noſtris annueret Dominus, reformanda utilitas proveniret, ipſa diſpendiorum, quæ jam ex pernicioſa inter te & ipſum diſcordia his temporibus emerſerunt, conſideratio manifeſtat. Sopiret quidem pacis lenitas mala, quæ guerrarum calamitas introduxit, & multiplicata commoda ex illius reformatione ſuccreſcerent, præciſis incommodis, quæ diſſenſionis iniquitas germinavit. Propterea quæſumus, dilectiſſime fili, ut perſuaſiones paternas devota mente ſuſcipiens, ad pacis & concordiæ fœdera cum eodem electo, Deo propitio, reformanda cujuſvis occaſione rancoris excluſa, mentem tuam habilites & coaptes; ut noſtra ſincera præcordia, quæ tuam & ejuſdem electi, multorumque fidelium populorum ſentit in præfata diſſenſione jacturam, reformatio prædictæ concordiæ grata lætificet: ipſeque miſericordiarum dominus, vota tua ſuis beneplacitis conformari proſpiciens, præter retributionis æternæ mercedem, quam inde mereberis, adaugeat in benedictionibus dulcedinis dies tuos, &c. Datum Lugdun. non. ſeptembris pontificatus noſtri anno* I. Urſit etiam aliis literis (b) ipſum ac Fridericum Auſtriæ ducem, æmulos, ut pacem inter ſe conciliarent: cœleſte enim eo facto imperium promerituros. Nil pontificiæ exhortationes valuere, belloque civili Germania miſere attrita eſt, cujus clades accurate deſcribunt Germanici ſcriptores (c).

(b) To. I. ep. ſecr. I.

Repudiata pontificia monita.

(c) *Alb. Arg. in chr. Stero Althaens, & alii.*

XI. Ludovici X. Regis Franc. mors.

Turbidæ etiam in Galliis admodum res extitere Ludovici X. Galliæ & Navarræ Regis obitu, de quo hæc Bernardus (d): *Anno Domini MCCCXVI. ſabbato infra octavas pentecoſtes, nonis junii, obiit Rex Franciæ Ludovicus regni ſui anno ſecundo: fuitque corpus ejus cum honore regio in monaſterio S. Dionyſii tumulatum; unicam filiam ſuam relinquens ex prima uxore, ſecunda vero uxore domina Clementia remanente gravida & prægnante.* Necatum veneficio fuiſſe Regem, ſubmurmuratum eſt: nam & ſuperiori anno deprehenſa tradunt cerea ſimulachra Ludovici Hutini & Caroli Valeſii, quæ leviter igni admota ſenſim opera dæmonum tabem Regi ac patruo erant illatura; earumque auctores Paviottum magum & Claudam veneficam ſupplicio extremo periiſſe. Nec ſane vana res eſt, diras hujuſmodi artes in principum perniciem tentatas; cum iiſdem Pontificem ipſum ac nonnullos Cardinales appetitos, inferius viſuri ſimus, repertoſque tunc in Galliis variorum ordinum viros magica peſte contaminatos. Neque calumniatores defuere, qui alienæ famæ ſtruxerint inſidias: nam & Guerardum e Barro clericum accuſaſſe unum ex Cardinalibus apud Ludovicum Regem, dum vivebat, ac ſanctius illius conſilium, Regi ac Philippo fratri Pictaviæ comiti, tum duobus Cardinalibus veneno magiciſque artibus, *per fabricationem & rabuzationem imaginum, cum incantationibus & invocationibus dæmonum conditarum*, ut ajebat, mortem inferre pertentaſſe docent Joannis literæ (e) Pariſienſi epiſcopo miſſæ, quibus a Guerardo tento in carcere publicam confeſſionem exprimi, atque ad ſe tranſmitti jubet. Temere autem jactatam calumniam judiciorum exitus indicavit. [1] [2]

(d) *Bern. chr. Rom. Pont. & chr. Reg. Franc. & MS. bibl. Vat. ſign. n. 3765. in Clem. V.*

(e) *To. I. ep. ſecr. 57.*

XII.

Contulit poſtea Pontifex nonnulla indulgentiarum præmia iis, qui pro defuncti Regis anima & prole, quam reliquerat, ut feliciter in lucem prodiret, preces apud Deum funderent, ſcriptis ea de re ad Clementiam Reginam literis (a) v. id. ſeptembris: *Omnibus*, inquit, *vere pœnitentibus & confeſſis, qui devotis orationibus pro te ac prole tua; nec non pro animabus claræ memoriæ Ludovici Regis Francorum viri tui, & parentum tuorum divinam miſericordiam implorabunt, quoties apud Deum hujuſmodi orationes effuderint, viginti dierum indulgentiam miſericorditer impertimur.* Quam etiam criminum condonationem pro Ludovici Regis anima Deum exorantibus alio diplomate ad Philippum illius fratrem dato confirmavit. (b) Meritus erat egregie de univerſa eccleſia Ludovicus, (c) qui purpuratos patres ad dandum viduato orbi paſtorem Philippi fratris opera compuliſſet; tum ingentes ſpes rei Chriſtianæ provehendæ, atque expectationem inſtaurandæ rei Syriacæ injecerat: voviſſe enim ipſum in concilio Viennenſi œcumenico coram patribus religioſam in Saracenos Aſiaticos militiam, Clementis (d) Pontificis literæ docent, illiuſque vitæ auctores (e) teſtantur, ſuprema mandata de eo conficiendo bello ſacro a Philippo patre moriente accepiſſe. Sed pia ejus conſilia mors oppreſſit.

Indulgentiæ pro Regis Ludov. anima precaturis propoſitæ.

(a) *An.* I. *p.* 2. *poſt ep. com.* 1564.

(b) *An.* I. *p.* I. *poſt ep. com.* 803.

(c) *Bern. ubi ſup.* Illius elogium.

(d) *Clem. l.* 8. *poſt ep. cur.* 125.

(e) *Paul. Æmil. in Lud. Hutin. & alii.*

XIII. Philippus Pictaviæ comes regni adminiſtrationem ſuſcipit.

Suſcepit vero regni adminiſtrationem ac procurationem regii uteri Philippus Pictaviæ comes ipſius frater ſecundus natu, Longus ob proceritatem corporis dictus, de quo Bernardus hæc ſcribit (f): *Gubernacula utriuſque regni Franciæ & Navarræ ſuſcepit Philippus germanus ejus, comes Pictavienſis, ſub nomine regentis tenenda, ſi puer maſculus naſceretur uſque ad intelligibilem ætatem annorum* XIV. *perveniſſet. Si vero filia naſceretur, idem Philippus Rex Francorum fieret, & duæ filiæ Ludovici*, edenda nimirum in lucem e Clementia, atque alia e Blanca priore ſuſcepta, *haberent & ſibi dividerent regnum Navarræ & Campaniæ comitatum. Et hæc dicuntur fuiſſe pacta primo inita & firmata; quamvis poſtmodum aliter fuerit ordinatum.* Philippum non Franciæ modo, ſed Navarræ etiam regna corripuiſſe poſt nepotis mortem videbimus. Addit auctor, ut Clementia Regina partum ſit enixa: *Poſt hoc vero* XIV. *die ſequentis menſis novembris dominica die, ſub nocte media præcedenti, memorata domina Clementia Regina peperit filium ſuum primogenitum Pariſiis, & Joannes vocatum eſt nomen ejus, & multi in nativitate ejus gaviſi ſunt.* Audito quidem illius ortu Pontifex, ex innata in Gallos propenſione, ut divinam gratiam & humanam felicitatem Gallorum apud Deum precibus novo Regi conciliaret, exarato VII. kal. decemb. diplomate viginti dierum ſacram indulgentiam daturis pro illius incolumitate cœlo preces impertiit (g). Viſum eſt divino Numini potius ut Rex infans caducam æterna vita ac felicitate commutaret: qui cum brevis ævi extiterit, Francorum Regibus a pleriſque non annumeratur; ſeptem enim tantum diebus vixiſſe refert Bernardus (h): *Gaudium*, inquit, *cito pertranſiit, nam ſeptimo die a nativitate infans obiit, & abiit regnum ſibi accipere ſempiternum.*

(f) *Bern. chr. Reg. Franc. & chr. Rom. Pont. & MS. bibl. Vat. ſign. n.* 3765. *in Clem. V.*

Joannis Regis Franc. nativitas.

(g) *Ann.* I. *p.* I. *ep. cur.* 14. *& to.* I. *ep. ſec. c.* 33. 34.

Mors.

(h) *Ber. ubi ſup. & MS. bibl. Vat. ſig. n.* 3765. *in Clem. V. ſub finem.*

XIV. Ad caſum lugubrem conſtanter ferendum hortatur Reginam Pont.

Graviſſimo ex filii Regis immatura morte dolore affecta eſt Regina Clementia, cum excurrente paucorum menſium ſpatio cumulata viri ac filii Regum funera recenſeret: quam Pontifex, triſti accepto caſu, apoſtolicis literis eſt hortatus, (i) ne vinci ſe dolore pateretur, ſed animum ad conſtantiam confirmaret, ac divinæ providentiæ ſubiiceret.

(i) *To.* I. *ep. ſecr.* 35.

*Chariſſimæ in Chriſto filiæ Clementiæ Reginæ Franciæ illuſtri.*

*Si finem univerſæ carnis attendis, ſi ad mortalitatis legem humano indictam generi debitæ conſiderationis retorques intuitum, conceptos nec immerito de unigeniti tranſitu doloris aculeos temperabis; & humanitatis conditione penſata, quæ moleſte geris, humane portabis. Creaturis enim creator omnium Deum vitam cum exceptione mortis exhibuit, eamque per interitum ſolventem omnia, ac ſpiritum principum auferentem terminari finaliter ordinavit & ſic commune factum eſt omnibus fatum hujuſmodi, ut neminem ab illo eminentia dignitatis excipiat, nullum contra ipſum potentia, nullum divitiæ muniant, nec ad mitiorem illius ſententiam ætatis miſeratio provocet, aut ſexus invitet. Moritur ſiquidem juvenis, occidit ſenex, puer dum incipit florere, marceſcit. Quæ igitur querela, ſi eos ille, ut & ſibi pro ſuæ voluntatis arbitrio ſubtrahat, quos cum libuit pro ſola ſuæ clementiæ libertate conceſſit?*

Humanæ vitæ fragilitatem exponit.

*Quæ*

NOTÆ

[1] IN his, quæ Annaliſta ſcribit in hoc & ſequentibus paragraphis de rebus Gallicanis agens, nonnulla corrigenda ſunt ex continuatore Nangii, qui tunc ſcribebat. Ludovicus X. Galliæ Rex hoc anno, ut Bernardus ſcribit, diem clauſit extremum, ſed Bernardus, & cum eo Annaliſta noſter in menſe aſſignando errant. Non enim nonis junii, ſed potius die 5. julii deceſſit, ut idem Continuator affirmat. Nec reputandum eſt errorem ab Amanuenſi in menſe aſſignando profectum, cum ſcribit Philippum Pictavienſem ſtatim audito Ludovici obitu inter Lutetiam maturaſſe, eoque perveniſſe die *luna poſt tranſlationem B. Benedicti*, quæ tranſlatio in Gallicanis martyrologiis ſignatur die XI. Julii. Igitur ſi Ludovicus die quinta junii obiiſſet, adventus Pictavienſis comitis non ſatis pro neceſſitate acceleratus fuiſſet. Obiiſſe ergo Ludovicum quinta die menſis julii affirmemus oportet. Scribit etiam apud Annaliſtam Bernardus in Pariſienſi Conventu traditam fuiſſe Pictavienſi Comiti Regni adminiſtrationem etiam ſi puer maſculus ex Clementia Regina naſceretur uſque in annos XIV. cum revera adminiſtratio illa demandata fuerit in annos XVII. eodem Continuatore teſte. MANSI

[2] AD res Gallicanas quod attinet aſſignandum credo anno huic Concilium a Patribus variarum Provinciarum Silvanecti habitum in cauſam Petri de Latilly epiſcopi Catalaunenſis de parricidio Regis Philippi accuſati. Dies illi dicta fuerat in altero Concilio Silvanectenſi, anno 1315. menſe octobri habito; ſed differre, ſeu prorogare ad aliud tempus Concilium viſum eſt Patribus, quod Lutetiam indixerunt. At forte nec eo Patres convenerunt. Apud Dacherium ſpicilegii to. III. pag. 707. nov. edict. ex autographo producitur epiſtola ab Archiepiſcopo Remenſi ad plures archiepiſcopos, & ſuffraganeos illorum ſcripta anno 1316. quam & eorumdem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſigillo munitam fuiſſe, Dacherius teſtatur. In ea vero proditur Concilium Silvanectenſe præteritum ad diem XV. Maii ab iiſdem Patribus prorogatum fuiſſe. Sed cum Epiſcopi infrequentiores ea die conveniſſent, ideo nova prorogatione ad feriam ſecundam poſt feſtum S. Mariæ Magdalenæ protrahendum cenſuerunt. In his literis Sermonem eſſe credo de Silvanectenſi Concilio anno 1315. habito, tum & de ejus prorogatione Lutetiam ac de nova item prorogatione Silvanectum. An vero ad deſtinatam illam diem coiverint Patres illi ignoramus Non conveniſſe ſuadet inopinatus obitus Ludovici Regis, qui interim Galliam turbavit. Sed & illud conſtat Catalaunenſem epiſcopum quietum relictum fuiſſe & pacificum Epiſcopatus ſui poſſeſſorem, in quo & deceſſit anno 1327. MANSI

*Quæ cauſa dolendi, ſi homini de muliere nato, brevi victuro tempore, multaſque miſerias ſubituro, plenius tribuitur requies, anguſtiarum finis imponitur & laborum?*

*Profecto, filia chariſſima, ſi hæc & his ſimilia, illudque præſertim, quod nulla tibi adeſſe poterat certitudo, an ipſius pueri vita longæva futura eſſet utilis, meditationis attentæ cenſura recenſeas; ſic præparabis in ſpiritu fortitudinis mentem tuam, quod humanis non indulgebis affectibus; ſed in hoc præſertim remedium temperatæ conſolationis aſſumens, quod puer ipſe ſacri baptiſmatis unda perfuſus in cœlum abiit, ne dicamus obiit; & in abyſſum ſupernæ claritatis aſſumptus, nedum præſentis ærumnas ſæculi, quin etiam dolores æternos evaſit. Planctus ejus, quem natus in mundum emiſit, eſt converſus in gaudium; utinam & tuus in ſpiritualem lætitiam convertatur, ut ſicut bona de manu Domini ſuſcepiſti, mala cum ſpiritualis exultationis jubilo ſuſtineas patienter. Utinam planctum, quem ſubtracto impendis filio, in arma pœnitentiæ devote commutes, ut filium ipſum, qui te turbato fatalitatis ordine, ſicut Domino placuit, proceſſit ad mortem, tu poſt decurſa feliciter præſentis vitæ curricula ſequaris ad vitam, &c. Dat. Avin. die* XXVIII. *novembris.*

Partam a puero cœleſtem felicitatem.

Lacrymas in arma pœnitentiæ vertendas.

Contraxit ſive e partus, ſive e recentium funerum dolore morbum Regina Clementia, quam Pontifex in rebus adverſis erigere conatus eſt, monuitque (*a*) non incuſanda, ſed adoranda divina eſſe conſilia: *Ad ſalutem, non ad exitium te reputans a Domino verberatam, ſcias quaſi ſugere mel de petra, immenſam colligens ex infirmitatis acerbitate dulcedinem, contra Deum nec murmure nec querimonia reſonante.* Auxit eos dolores rei familiaris jactura, cum bonis dotalibus a leviris exueretur: quare Pontifex, ad quem viduarum & pupillorum, regii maxime generis, cura ſpectat, Clementiæ cauſam ſuſcepit (*b*); ipſamque a coitionibus armorum cum hoſtibus Philippi abducere ſtuduit.

(*a*) *Ib. ep. ſecr.* 32.

Mel e petra ſugitur cum in adverſis divinæ nos accommodamus voluntati.

(*b*) *Ib. ep. ſecr.* 37. 38. 39. 40. 41.

XV. Et quidem e crebris Regum Francorum funeribus graves diſcordias exarſiſſe, pontificiæ literæ (*c*), atque auctores docent (*d*). Concitata in primis in arma univerſa Flandria: Robertus (*e*) enim ex Atrebatenſium comitum ſtirpe, qui antea de comitatu Atrebatenſi cum Mathilde Atrebati comitiſſa Philippo Pulchro olim Rege arbitro ac judice contenderat, cauſaque ceciderat, Atrebatenſem comitatum invaſit. Serpebat ea diſſenſio non in Gallicæ modo, verum in rei etiam Chriſtianæ exitium, cum Philippus Longus inſtruendæ, quam voverat, expeditioni ſacræ in Syriam ſe comparare non poſſet, ut graviſſime queſtus eſt hiſce verbis Joannes (*f*): *Ipſe namque regens, qui piæ devotionis inflammatus affectu, intendens ad ipſius terræ negotium proſequendum, jamdudum propterea ſignaculum vivificæ crucis aſſumpſit, propter hujuſmodi diſſidia inteſtina diſtractus præparatoriis dicti negotii nequit intendere, & Gallicorum laudanda dovotio, quæ ſe in obſequium Crucifixi devotione ſolita voverat, & ad cujus poſt Deum ſingulare ſuffragium terra ipſa expectationis anxiæ tædio fatigata ſuſpirat, circa hæc ſic patenter illicita damnabiliter occupatur.* Ad extinguendum itaque erumpens incendium Pontifex nervos omnes intendit, & abbatem S. Tiberii Agathenſis diœceſis ac Berengarium e Landora religioſæ Prædicatorum familiæ magiſtrum ad diſſentientes principes miſit (*g*).

(*c*) *Ibid.*
(*d*) *Paul. Æmil. Gaguin. Maſſ. Phil. Longo & alii.*
(*e*) *Tom.* 1. *ep. ſecr.* 54. & 171.

Robertus princeps comitatum Atrebatenſem invadit.

(*f*) *An.* 1. *p.* 1. *ep. cur.* 8.

Diſturbari iis diſſenſionibus Aſiaticam expedit. queritur Pont. Nuntios ad rem componendam mittit.

(*g*) *Ib. ep. cur.* 18. & *to.* 1. *ep. ſec.* 60. 61. 62. 63.

Auxere Roberti Atrebatenſis factionem Robertus Flandriæ comes, de cujus defectione anno ſuperiori memoravi (*h*), ac Joannes Fiennenſis, tum Fredericus e Pequigniaco ac Gerardus fratres, nec non Joannes e Varenis & Guido regulus Calvimontis, quos Pontifex injuſta arma abiicere juſſit, atque ad vertendum in hoſtem fidei ardorem illum bellicum ſubjectis verbis eſt adortatus (*i*): *O filii, dolemus ex intimis, & vobis proculdubio, ſi tamen dolueritis condolemus, quod famam veſtram ſic enormiter læditis; quod generoſos veſtros animos, qui contra inimicos catholicæ fidei in terræ ſanctæ ſubſidium exercitari debuerant, in ſuperiorem & dominum damnabiliter implicatis; quod vos ac dictum regnum Franciæ obloquentium linguis exponitis lacerandos. Quid creditis dicitur, cum auditur, quod regnum ipſum præ cæteris regnis mundi hucuſque viris erga Dominum fidelitate ſincera & obedientia inconcuſſa vigentibus præditum, nunc a propriis incolis ſic potenter impetitur? Nonne, proh dolor! inferre poterit æmulus, quod a regnis cæteris in incolarum differre perfidia nullatenus videatur. Quid non tam loquitur, quam obloquitur, crucis hoſtis, quod Gallicana potentia, cujus auxilium poſt Deum ſingulariter expectat & expetit terra ſancta, ad hujuſmodi nefanda diſtrahitur; & regens ipſe, qui piæ devotionis inflammatus affectu ad negotium dictæ terræ perſonaliter proſequendum intendens, jam dudum propterea ſignaculum vivificæ crucis aſſumpſit, per hujuſmodi diſſidiorum turbines ipſius negotii vacare præparatoriis impeditur? Utinam, filii, hæc & alia non facile numeranda diſcrimina, advertiſſetis attentius, &c.* XVI.

(*h*) *An.* 1315. *n.* 2.

(*i*) *Ann.* 1. *p.* 1. *ep. cur.* 20.

Vertit iis pudori Pont. vires in Saracenos vertendas atterere.

Abduci Philippum eo bello a ſuſcepto conſilio,

Philippum viciſſim monuit Joannes (*k*), ut in Robertum Atrebatenſem, ſi ad officium rediret, clementia uteretur; ac Robertum alterum comitem, Flandroſque XVII.

(*k*) *To.* 2. *ep. ſecr.* 81.



que pariter priſtinæ gratiæ reſtitueret: *Fili non te latet, cum fere ſit orbi notorium, qualiter guerra illa Flandriæ, procurante pacis æmulo ſatore zizaniæ, ſuſcitata dictum regnum tempore jam longo turbaverit: quæ animarum pericula, quas ſtrages corporum, quanta induxerit diſpendia facultatum, ut jam idem regnum in ſeipſo videatur expertum, quod inimico familiari nulla peſtis eſt efficacior ad nocendum; & quod gravius manus ſibi nocuere domeſticæ, quam impugnantium hactenus & aliorum ipſum perſequentium dexteræ inimicæ. Nec ignoras qualiter Gallicanæ potentiæ gladius in Chriſti blaſphemos ad ipſius exaltationem fidei & dilatationem Chriſtiani cultus limatus antea & acutus, propter commotionem & perturbationem hujuſmodi habuit, proh dolor! in effuſionem Chriſtiani ſanguinis acui & limari, &c.* Subdit, ut ipſius parens Philippus eo implicitus bello arma in Saracenos vertere ac terram ſanctam recuperare non potuerit; nec ipſum, qui parentis vota ac ſceptra ſuſcepit, ad tam arduum opus poſſe incumbere, ſi Flandria bello arſerit: atque ideo ut ad recipiendos in gratiam Belgas, delendaque venia eorum crimina clementiam regiam explicet.

Exponit viciſſim Philippo Pont. civilium bellorum mala.

XVIII. Affulſit ob pontificiam diligentiam concordiæ ſpes, ac Robertus Atrebatenſis cum aliis ſibi fœdere junctis, prætulit reverti ad obſequium Philippi, cui ea de re Joannes, exaratis VIII. kal. decembris literis eſt gratulatus (*a*). Hoc vero anno Philippum regium nomen, inſigne vero proximo ineunte accepiſſe, tradit Bernardus (*b*) his verbis: Cœpit regnare, & Rex pariter nominari dominus Philippus in regno Franciæ & Navarræ menſe novembri anno Domini MCCCXVI. fuit autem coronatus & unctus in Regem, ſicut moris eſt, Rhemis civitate dominica infra octavas epiphaniæ, ſcilicet v. idus januarii. Diſceptatum porro in ordinum regni conventu fuiſſe de regnorum ſucceſſione, ſcribunt auctores (*c*), cum Oddo Burgundiæ dux Joannæ pupillæ Ludovici Hutini e priori uxore avunculus contenderet, fraterno paternoque jure regna illi deberi; ſed procerum conſenſu ex veteri lege ſalica qua fœminæ a ſceptro Gallico excluſæ, Francorum regnum Philippo patruo adjudicatum. De Navarræ ſceptro, cui fœminæ gentis jure ſuccedunt, diverſa litis ratio erat. Sed cum Joannæ mater adulterii convicta dubium partum effeciſſet, Philippus etiam Navarræorum coronam capeſſivit.

Belgii & Atrebatium tumultus ſopiti.

(*a*) *To.* 1. *ep. ſecr.* 158.
(*b*) *Bern. chron. Reg. Franc. Paul. Æmil. Meyer. l.* 11. *& alii.*

Philippus regnum Francorum capeſcit.

(*c*) *Paul. Æmil. in Lud. Hut. ſub fin. & alii.*

Ut Ludovici Hutini filia excluſa ſit a regnis Gall. & Navarr.

Cæterum Joannes Papa nonnullis Philippum beneficiis affecit (*d*): atque in primis triginta indulgentiam dierum omnibus impertiit, qui pro ipſo & conjuge, viginti qui pro parentum & Ludovici fratris animabus preces Deo porrigerent; centum vero ac viginti, cum ſacra concio coram ipſo haberetur. Denique ob egregium ſtudium, quod in eccleſiam explicabat, ac flagrans expeditionis Aſiaticæ adornandæ deſiderium ſacerdotem, quem ſacris confeſſionibus adhibebat, auctoritate inſtruxit, ut ipſum atque uxorem omni culpa ac pœna excurrentis unius anni ſpatio exolveret. Similiter Clementiam Reginam (*e*) ea ſacra prærogativa ornavit, ut antequam dies illuceſceret, divina coram ipſa ſacerdos perageret: *Cum ex probabili*, inquit, *cauſa fuerit opportunum, liceat tibi per idoneum ſacerdotem & antequam illuceſcat dies, miſſam tibi & familiaribus tuis, in quocumque loco honeſto te eſſe contingat, facere celebrari, ita quod nec tibi nec ipſi ſacerdoti miſſam taliter celebranti ad culpam valeat imputari, auctoritate præſentium indulgemus: proviſo tamen, ut parce conceſſione hujuſmodi perfruaris, cum dominus noſter Jeſu Chriſtus, qui in altaris immolatur ſacrificio, non in tenebris ambulet, ſed in luce, &c. Dat. Lugduni* v. *id. ſeptembris anno* 1.

(*d*) *An.* 1. *p.* 1. *ep. com.* 83. 606. 798. 893.

Sacra beneficia Phil. Regi conceſſa.

(*e*) *Ib. ep. com.* 1564. 1569. & *per eand. epiſt.*

Cur divina raro ante diem peragenda.

XIX. Contenderat etiam magnis precibus a Pontifice Philippus Francorum Rex in eo, quem Lugduni cum ipſo habuerat, congreſſu ut Jacobum Avenionenſem electum, ac Petrum archidiaconum Borbonii cardinalatus dignitate ornaret: ſed Joannes juſtas ob cauſas rem differendam arbitratus, cum recens ipſos in purpuratorum patrum numerum aſcripſiſſet, hæc Regi ſignificavit. (*f*)

(*f*) *To.* 1. *ep. ſecr.* 158.

*Joannes, &c. Philippo Regi Franciæ & Navarræ.*

*Adveniente nuper jejuniorum obſervantia ſolita, Jacobum & Petrum prædictos una cum certis aliis ad cooperandum nobis in incumbentis executione regiminis, veluti viros ad id, ut ſperamus, idoneos & ſufficientes, elegimus; eoſque, prout jam tibi ſignificaſſe recolimus, ad cardinalatus honorem duximus promovendos. Et ecce ſuper hoc ſpeciales literas dicto Petro per latorem præſentium mittimus, ac eum ad vacandum nobiſcum divinis obſequiis & eccl. Rom. ſervitiis evocamus.* Afferendæ ſunt a nobis inferius eæ literæ ad Petrum e Rebleyo datæ. Cur vero ad ipſum cardinalitium galerum non tranſmiſerit, multis exemplis illuſtrat: *Nec mireris* (*g*) *ſi non mittimus ei Petro ſcilicet pileum: quia nec prædeceſſores noſtri Romani Pontifices Cardinalibus, quos in abſentia creaverunt, conſueverunt extra curiam hujuſmodi pileos mittere, utpote eccleſiæ Romanæ more laudabili id fieri citra cauſæ rationabilis exigentiam non ſinente: ſi enim Cardinales olim creatos tempore confeſſoris egregii beatiſſimi Ludo-*

Non mittuntur rubri pilei Cardinalibus extra aulam pontificiam creatis.

* revocamus

Sï committitur ipſis legationis munus, conceduntur.

*dovici progenitoris tui, inter quos fuit unus poſtmodum aſſumptus ad apoſtolatus officium, videlicet piæ memoriæ Clemens quartus, & quos felicis recordationis Clemens Papa V. prædeceſſor creavit ad mentem * nulli unquam præterquam duobus dumtaxat, venerabili fratri epiſcopo Albanenſi & dilecto filio noſtro G. tit. S. Cyriaci presbytero Cardinali, nunciis tunc Apoſtolicæ ſedis in partibus Anglicanis, reperimus extra curiam ipſum pileum fuiſſe tranſmiſſum. Nec ad conſequentiam trahi debet, quod in illis ex cauſa rationabili factum fuit, ni forte par cauſa ſimile fieri ſuaderet: idem namque prædeceſſor noſter providit illis tunc pileos mittere, ut gerentes Cardinalis inſignia, injunctum ſibi miniſterium tam in Anglia, quam idem epiſcopus in Francia, per quam habebat tranſitum facere, inibi nonnulla geſturus, poſſent favorabilius expedire: & etiam quia indecens videbatur, ut dilectus filius noſter Arnaldus tit. S. Priſcæ presbyter Cardinalis dicti conſors epiſcopi eidem epiſcopo, cardinalatus inſignia non habenti, quomodolibet præferretur. Si igitur in miſſione pilei morem non tranſgredimur ſolitum, cum nec, ut prædicitur, cauſa ſubſit, nec utilitas aut neceſſitas id expoſcat, regia non debet ſublimitas admirari. Dat. &c.* Fuiſſe Petrum regii ſigilli præfectum, Jacobum vero Pontificis ex ſorore nepotem, tradit Bernardus (a), qui aulam apoſtolicam Lugduno Avenionem traductam, quive Cardinalium cœtui aggregati fuerint, accurrate hiſce verbis deſcribit.

(a) Bern. chr. Rom. Pont. Ptol. Luc. hiſt. eccl. l. 24. c. 42. & MS. bibl. Vat. ſig. num. 3075. in Jo. XXII. Ciacon. in eod. Contel. in elen. Card. & alii.

XX. Qui Cardinales hoc anno a Joanne creati.

*De Lugduno circa finem menſis ſeptemb. ſabbato recedens, pervenit Avinionem ſecunda die menſis octobris in ſabbato, ubi prius futuram curiam publice fecerat proclamari. Hic fecit unam ordinationem octo Cardinalium, quos aſſumpſit apud Avinionem feria* VI. *in jejuniis quatuor temporum adventus Domini, ſcilicet XVI. kal. januarii anno Domini MCCCXVI. quorum ſunt nomina, quæ ſequuntur. Dominus Bernardus de Caſtaneto, dudum Albienſis, tunc vero Anicienſis epiſcopus, quem fecit epiſcopum Portuenſem, & nihilominus epiſcopatum Anicienſem tenendum commendavit eidem, anno quadrageſimo primo epiſcopatus ſui tunc fere completo. Item dominus Jacobus de Via de Caturco nepos Papæ ex ſorore, electus tunc Avenionenſis, quem fecit presbyterum Cardinalem tit. SS. Joannis & Pauli, & ſibi epiſcopatum Avenionenſem pariter commendavit.* Sed brevis ævi extitiſſe Jacobum, atque in locum illius fratrem ejuſdem a Joanne ſubrogatum, docent literæ pontificiæ ſequenti anno ad eundem Francorum Regem datæ (b): *Nobis*, inquit, *de tranſitu bonæ memoriæ Jacobi tit. SS. Joannis & Pauli presbyteri Card. nepotis noſtri, quem dolenter acceperas, interne compatiens, nedum curaviſti pii conſolatoris vices aſſumere; quin etiam ut ſuperſtitem fratrem ejus in quoddam noſtrum de ſubtracto ſolatium ad cardinalatus apicem promovere vellemus, cum multa inſtantia nos rogaſti; literas ipſas ea liberali nimis oblatione concludens, quod videlicet adverſus quaſcumque perſonas, cujuſcumque conditionis exiſtant, ſanctæ Romanæ eccleſiæ matri tuæ, perſonæ, ſtatui aut honori noſtris quomodolibet nocere volentes, perſonam propriam cunctamque potentiam tuam cordialius es paratus exponere, quam ſcribere aut referre.* Et infra, ubi ſubjecit ob egregium adeo in ſe ſtudium grates meritas agere, atque in nepotis morte, quem ob ſuas virtutes non tam obiiſſe quam abiiſſe in cœlum, domumque luteam in ſydereas ſedes commutaſſe crederet, divinæ voluntati ſe accommodaſſe, addit.

(b) To. 1. ep. ſecr. 314.

Jacobus Card. paulo poſt ab adepto honore mortuus.

*Porro de promotione fratris ejus tuæ jam eſt inſtantiæ ſatisfactum: octavo namque die poſt dicti quondam obitum Cardinalis, fratribus noſtris in privato conſiſtorio ſuper hoc una voce parique conſenſu importune nimis inſtantibus, tandem eorum importunitate devicti eundem fratrem, Arnaldum nomine, diaconum creavimus Cardinalem, & dein ſibi eccleſiam S. Euſtachii pro titulo duximus aſſignandam. Dat. Aven.* VI. *id. jul.* De Arnaldo Cardinale creato anno proximo Bernardus, (c) Ptolemæus (d) Lucenſis & alii (e) meminere, ſed ad Bernardi de aliis hoc anno renunciatis a Joanne Cardinalibus narrationem redeamus: *Item dominus * Galcelinus Joannis de Caturco civitate, tunc vicecancellarius presbyter Cardinalis tit. SS. Marcellini & Petri. Item dominus Bertrandus de Pojeto de caſtro novo Raterii diœceſis Caturcenſis presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli. Item dominus Bertrandus de Monte Faventio, de prædicto caſtro novo Raterii diaconus Cardinalis tit. S. Mariæ in Aquiro. Item dominus Petrus de Reblayo Gallicus cancellarius Regis Franciæ tit. S. Suſannæ presbyter Cardinalis.* Extant ad eum Joannis literæ, quibus virtutes, quæ in Cardinalibus deſiderentur, deſcribit. (f)

Arnaldus frater paulo poſt creatus Card.

(c) Bern. chr. Rom. Pont. in Jo. 22.
(d) Ptol. Luc. in hiſt. eccl. MS. l. 24. c. 42.
(e) Fel. Cont. in elen. Card. & alii.
* al Gaucelinus

(f) To. 1. ep. ſecr. 158.

XXI.

*Joannes, &c. dilecto filio Petro S. R. E. Cardinali archidiacono Borbenſi in eccleſia Bituricenſi.*

*Penſantes nobis immenſum onus ſpiritualis regiminis totius orbis incumbere, ac ſupra vires imminere negotium attendentes, ut nobis onere partito ſit levius, de diverſis mundi nationibus viros cooperatores nobis in ejuſdem executione regiminis deliberavimus providendos, virtutum pollentes viribus, non effœminationis infamia denigratos; viros utique potentes tam*





Quas virtutes in Cardinalibus deſideret Pontifex.

*tam opere quam ſermone, ut plebem operum exemplis inſtruant, & doctrina ſermonis informent; viros, qui ſic Deum timeant, quod nequaquam faciem hominis vereantur; ſic avaritiam oderint, ut poſt aurum non abeant, & in pecuniarum multiplicatione non ſperent; ſed veritatem, immo Chriſtum, qui eſt via, veritas, & vita, pure nec ad dexteram nec ad ſiniſtram declinando, ſequantur: inter quos ad perſonam tuam, quam virtutum Dominus multis virtutibus inſignivit, conſiderationis convertens intuitum, deliberatione cum fratribus noſtris præhabita, de ipſorum conſilio te ad miniſterium hujuſmodi cooperationis duximus eligendum, &c. Datum Avinion.*

(a) Bern. ubi ſup.

Pergit Bernardus (a) cæteros Cardinales recenſere: *Item dominus Galbardus de Mota, Vaſco natione, domini Clementis Papæ V. quondam ex nepte nepos, diaconus Cardinalis tit. S. Luciæ. Item dominus Joannes Gaytani Romanus de Urſinis diaconus Cardinalis tit. S. Theodori.* Ex iis porro conſtat, Joannem nimio patriæ amore fuiſſe irretitum, cum tot Cardinales Gallos in ſacrum collegium aſciſceret nonnullique exiſtimant, ipſum retinendæ in Galliis Apoſtolicæ ſedis conſilium iniiſſe. Ipſum vero ad id Regis Francorum precibus permotum ac ſubornatum fuiſſe, Benedicti pſeudopontificis oratores docent: juſſi enim ſunt ab eo Avenione obſeſſo ac pſeudocardinalibus diuturni ſchiſmatis pertæſis Carolo VI. Regi Francorum hæc denuntiare, ut ſui commodi illecrebis regium ſtudium periclitanti antipapæ Avenionenſi conciliarent: *Attendatis (b) quid fecerunt prædeceſſores veſtri, non eſt diu, cuidam Cardinali vocato domino Neapoleo de Roma vel de Italia: nam cum vellet curiam reducere Romam, dominus Rex Franciæ, qui tunc erat, dedit ſibi & heredibus ſuis villam notabilem de Balneolis & ut in regno ſuo poſſet facere ædificia, & ædificavit palatium, quod eſt in Villanova; & ſic retinuit dominus Rex curiam: & vos etiam, cuſtodiendo iſtum dominum Benedictum a morte, ad quod etiam tenemini de jure, reſervabitis curiam.*

(b) To. 12. de ſchiſ. MS. arch. Vat. ex inſtructione orator. Petri de Luna ad Regem Franc.

Francorum Rex retinendæ in Galliis Apoſt. ſedis auctor.

XXII.

Ut vero eam urbem, in quam aulam apoſtolicam traduxerat Joannes, aliquo religioſo ac ſacro munere ornaret, eccleſiam in ea ſitam, cui Doms nomen eſt, Virgini beatiſſimæ ſacram ac miraculorum fama celebrem, adituris nonnulla indulgentiarum præmia propoſuit, (c) pontificio diplomate, quo Deiparam hoc encomio celebrat: *Sempiternum eſt habitaculum Trinitatis effecta, & æternæ lucis incoruptibilem florem, ſummæque beatitudinis pretioſiſſimum fructum ſuper omnia benedictum in ſæcula, cujus mortui reviviſcunt odore, concipiens deſideratum cunctis gentibus Deum verum, mundi ſalvatorem & dominum parturivit. Talis namque partus Virgini congruebat, ut non pareret niſi Deum: & talem ſibi condere matrem conveniebat Altiſſimo, qualem ſuam decere ſciebat ineffabilem majeſtatem, ſuiſque noverat affectibus placituram, ut immaculatus ex virgine immaculata procederet omnium maculas purgaturus. Hæc eſt enim illa ſplendidiſſima ſtella ex Jacob orta mirifice, cujus radiis prefulgens in ſuperis orbem illuminat univerſum, perluſtrat mentes, virtutes confovet, fulget meritis, micat exemplis, excoquit vitia, & tenebras reprimit peccatorum. Digne igitur matris ejuſdem intemerata virginitas, ſuper choros angelorum in ſublimibus exaltata, gloriam honoris & laudis ab ipſa continue ſuſcipit majeſtate, & digne populi fidelium illam, quæ in conſpectu filii ſui pro eis non deſinit advocare, in hymnis jubilationum & canticis collaudant & magnificant univerſi. Dat. Avinion.* II. *kalen. decembris anno* I.

(c) An. 1. p. 1. ep. cur. 21. & to. 1. ep. ſecr. 65.

Data virgini a Joanne elogia.



XXIII. Rober. Rex creatur Urbis ſenator. Obtinet, ut ad fidem Joanni obſtringendam Avenionem petere non teneatur.

Collocata itaque ſede Avenione, Joannes ne Romæ oblitus videretur, Robertum Siciliæ Regem illi ſenatorem præfecit, ut ipſam in officio ſua potentia contineret. Cum vero Robertus, qui ex accepti beneficio apoſtolico regni legibus excurrente primo pontificatus anno fidem ſuam Joanni præſens ſolemni ritu obſtringere tenebatur, flagitaret ab ipſo, ut ejus oneris religione liberaretur, cum ſalva publica re e regno diſcedere non poſſet; ipſius votis Pontifex, exarato hac de re quarto id. januarii ineuntis ſequentis anni diplomate, ea lege morem geſſit (d), ut regiis literis rem divulgaret. Sane Roberti præſentiam valde neceſſariam Italiæ fuiſſe, indicat Joannes Villanus (e); plures enim ob acceptam anno ſuperiori an Uguitione cladem Roberti amicitiam abjecerant. Sed verſæ hoc anno res contrario exitu: victor enim Uguitio (f), Piſarum Lucæque pariter dominatu inopinate amiſſo, in Inſubriam ad Scaligerum ſe ſubducere eſt coactus, quo ita ejecto Roberti Regis potentia in Etruria confirmata eſt (g). At de his ſatis: jam ad res Anglicanas digrediamur.

(d) An. 1. p. 1. ep. com. 153.
(e) Jo. Vill. l. 9. c. 74. Ant. 3. p. tit. 21. c. 3. §. 6.

Ugutio Piſarum & Lucæ dominio exutus.

(f) Vill. c. 76. & Ant. ubi ſup.
(g) Jo. Vill. ib. c. 77.

XXIV. Eduardus Rex Angliam Apoſt. ſedi beneficiariam profitetur.

Implicitus graviſſimo bello Eduardus Angliæ Rex, atque a Scotis, Roberto Bruſio regnum ſibi vindicante, cujus defectionem ab Rege Anglo ſuo loco conſignavimus, pluribus cladibus affectus, ſive agnoſceret in ſe divinas iras ob violata Romanæ eccleſiæ jura aſperaſſe, ſive ut Pontificis gratiam ad Scotos in ordinem redigendos recuperandumque regnum illud colligeret, ſolemnes

(a) To. 2. ep. ſecr. 535.

(b) Annal. to. 13. an. 1213. n. 78

mnes oratores ad Joannem decrevit (a), qui ipſius nomine ſedi Apoſtolicæ ſe obſtringerent, intermiſſum annis viginti quatuor vectigal mille marcharum pontificio fiſco, ut Joannem Regem (b) olim conſtituiſſe vidimus inferendum, perſolutum iri, culpæque præteritæ, quam expiare pollicebatur, veniam flagitarent. Quibus hac regia ſyngrapha conficiendæ rei provinciam commiſit.

*Eduardus Dei gratia Rex Angliæ, dominus Iberniæ, & dux Aquitaniæ univerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem, & plenam præſentibus dare fidem.*

*De fidelitate probata & circumſpectione provida dilectorum, & fidelium noſtrorum Ademari de Valentia comitis Pembrok conſanguinei noſtri chariſſimi, Bartholomæi de Badeleſmer, Joannis de Croniuvel, & Antonii Peſſangui de Janua militum plenam fiduciam reputantes, ad excuſandum nos ſuper ſolutione annui cenſus mille marcharum, qui a nobis per ſacroſanctam Romanam eccleſiam exigitur, non facta; nec non ad ſatisfaciendum inde, prout pro honore noſtro melius viderint expedire, præfatis comiti & militibus vel tribus eorum plenam tenorem præſentium committimus poteſtatem, ratum habituri & gratum id, quod per prædictos comitem & milites vel tres eorum noſtro nomine factum fuerit in præmiſſis. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigilli noſtri impreſſione fecimus roborari. Datum apud Clipſton* XVI. *die decembris anno Domini* MCCCXVI. *regni vero noſtri* X.

XXV. Intermiſſus a multis annis cenſus eccleſiæ perſolvitur.

XXV. Perfuncti ſunt impoſito ſibi munere ſequenti anno oratores, ac veniam a Joanne Pontifice petiere, ſi cenſus pro Anglia & Hibernia debitus ab Eduardo parente ac filio exhauſtis ob bella graviora ærario appenſus non eſſet: ac mille marchas ſterlingorum pro excurrente eo anno ſolvere, atque illa vigintiquatuor millia diviſis in ſex annos æquis penſionibus, recurrente beato Michaeli ſacra die, ſolvenda ab Eduardo Rege ſpopondere. Quam rem publico diplomate divulgatam (c) voluerunt.

(c) Ext. apud Jo. 22. to. 2. in ep. ſecr. 535. Publicæ ea de re lit.

*Univerſis præſens publicum ſcriptum inſpecturis, tam præſentibus quam futuris, Ademarus de Valentia comes Pentbibrok, Bartholomæus de Badeleſmer, Joannes de Cromoella, & Antonius Peſaygay milites nuntii sereniſſimi principis domini Eduardi, Dei gratia, Regis Angliæ illuſtris, domini Iberniæ, ac ducis Aquitaniæ, ad præſentiam ſanctiſſimi in Chriſto patris domini Joannis, divina providentia, ſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummi Pontificis deſtinati, ſalutem & huic ſcripto publico fidem indubiam adhibere.*

*Ad univerſorum & ſingulorum, quorum intereſt & intereſſe poteſt, notitiam volumus pervenire, quod nos in præſentia notarii & teſtium ſubſcriptorum recognoſcimus & fatemur, a dicto domino noſtro Rege literas ipſius patentes ſuoque magno ſigillo munitas ſub infra ſcripta continentia recepiſſe. Eduardus, &c.* Adducunt ſuperiores Eduardi literas, quibus expoſitis ſubiiciunt: *Quarum literarum auctoritate nos recognoſcimus & fatemur, excuſaviſſe dictum dominum noſtrum Regem coram præfato domino noſtro ſummo Pontifice, ſacroque collegio ſuper eo, quod in ſolutione cenſus annui mille marcharum ſterlingorum, pro regno Angliæ & terra Hiberniæ, ſacroſanctæ eccleſiæ debiti tam de tempore claræ memoriæ domini Eduardi Reg. Angliæ genitoris dicti domini noſtri Regis, quam ex quo ipſe dominus noſter Rex gubernacula regni prædicti ſuſcepit, ceſſatum fuerat multis annis propter guerrarum ſtrepitus, ac propter varia diverſaque incumbentia eorum utrique negotia; nec non gravia onera expenſarum, quæ fuerunt, urgente neceſſitate, ſubire compulſi. Recognoſcimus etiam ſolviſſe pro domino noſtro Rege theſaurariis dicti domini noſtri ſummi Pontificis, recipientibus ejus nomine, mille marchas ſterlingorum pro cenſu ipſo debito pro anno præſenti, cujus medietas ſolvenda erat in feſto B. Michaelis proxime præterito, & alia medietas ſolvi debebat in feſto paſchæ proxime ſubſequenti: & ad ſupra & ad infraſcripta omnia procedimus, & ea facimus de conſilio & aſſenſu reverendorum in Chriſto patrum dominorum Joannis Norvicenſis & Joannis Elien. epiſcoporum & aliorum nunciorum, ſeu collegarum noſtrorum.* Meminit Harpsfeldius (d) de horum præſulum & comitis Pembrochii legatione decreta ad Joannem XXII. cui ampliſſima munera tranſmiſſa ait: ſed apud illum irrepſit error, dum loco Eduardi II. Richardus collocatur. Pergunt ſuperiores Anglorum principum literæ.

Mille march. vectigal. penſitatum.

(d) Harpſfel. hiſt. eccl. Angl. 14. ſec. c. 16.

*Recognoſcimus præterea & fatemur ipſius domini noſtri Regis nomine ſolemniter promiſſa de prædictorum conſilio & aſſenſu, eidem domino noſtro ſummo Pontifici pro ſe & Romana eccleſia ſtipulanti, quod ipſe dominus Rex noſter, vel alius pro eo ſolvet eidem domino noſtro & ejus ſucceſſoribus in terminis ſubſcriptis vigintiquatuor millia marcharum ſterlingorum pro viginti quatuor annis præteritis; ſcilicet pro annis ſingulis mille marcharum, pro arreragiis cenſus non ſoluti de utriuſque Regis tempore, ut præfertur, videlicet quartam partem dictorum* XXIV. *millium marcharum ſterlingorum in primo futuro feſto beato Michaelis archangeli, & anno revoluto in eodem feſto aliam quartam partem, & ſic de anno in annum in eo die feſto, donec de ipſis arreragiis fuerit*

Pacta inita de ſolvendis viginti quatuor millibus march. conſtitutis temporibus.



*rit eidem Romano Pontifici vel eccleſiæ plenarie ſatisfactum: eo ſalvo, quod ſi de ſumma illa* XXIV. *millium marcharum ſufficienter conſtiterit aliquid fuiſſe ſolutum Romano Pontifici, vel eidem eccleſiæ pro cenſu prædicto, illud de ſumma deducatur eadem; & quidquid uſque ad eandem ſummam & ultra illam non docebitur fuiſſe ſolutum pro arreragiis dicti cenſus, ſolvi nihilominus debeat ipſi Romano Pontifici & eccleſiæ memoratæ. Et ad præmiſſa omnia & ſingula tuenda, complenda, & inviolabiliter obſervanda dicto domino noſtro ſummo Pontifici & ſanctæ Roman. eccleſiæ, quanto melius & efficacius poſſimus, virtute literarum prædictarum in præſentia notarii & teſtium ſubſcriptorum obligamus ipſum dominum noſtrum Regem, regnum, terras, & bona ipſius.*

*In quorum omnium teſtimonium præſens publicum ſcriptum per manus ſubſcripti notarii publici fecimus fieri, & ſigillorum noſtrorum appenſione una cum ipſius notarii ſigno & ſubſcriptione muniri: Actum Avinion. in camera domini Cardinalis de Pel. die prima aprilis anno Domini MCCCXVII. indictione* XV. *Pontificatus dicti domini Joannis PP. XXII. anno primo, &c.* Adjecta ſunt teſtium nomina, quæ removendi faſtidii cauſa prætermittimus. Permovere hæc Eduardi in ſedem Apoſtolicam officia, tum illius cauſæ juſtitia, nec non querelæ graviores, quas ingeminabat domeſtico bello diſtineri, ne expeditionem, quam accepto crucis ſymbolo in Saracenos voviſſe vidimus (a), pro juvanda re Chriſtiana ac Syria recuperanda adornaret, ut Joannes illius partes ſuſciperet, ſuamque auctoritatem pro ſedanda Scotorum importunitate admoveret: ſed de his anno ſequenti. Jam quid in Saracenos occidentales hoc anno geſtum (in orientales enim ob Regum diſcordias niſi inania tantum conſilia agitari potuere) delibemus.

(a) Ann. 1312. n. 22.

Pontifex Eduardi cauſam adverſus Scotos ſuſcipit.

XXVI. Flagitante Balearium, vulgo Majoricarum, epiſcopo a Joanne, ut cum valida claſſis ad propulſandos Mauros, qui sæpius in Balearicos incurrebant, inſtruenda eſſet, indulgentiarum præmia ſtipem pro ea apparanda erogaturis, vel arma in barbaros ſumpturis impertiretur, Joannes piis ejus votis annuit (b): *Fraternitati,* inquit, *tuæ, illis, qui contra dictos hoſtes armabuntur, & in armata ipſa perſiſtent, ſi vere pœnitentes fuerint & confeſſi, ad quinquennium, facientibus autem hujuſmodi eleemoſynas, nec non & illis qui alia ſubventionis auxilia in ejuſdem armatæ ſubſidium erogabunt, ſi modo ſimiliter vere pœnitentes fuerint & confeſſi, uſque ad quinquennium, prout tu duxeris arbitrandum, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, de injunctis eis pœnitentiis auctoritate noſtra miſericorditer relaxandi plenam & liberam, tenore præſentium, concedimus facultatem. Dat. Avin.* VII. *kal januarii anno* I. Nil memorabile a Balearibus geſtum in Mauros. Ferdinandum tantum Balearem ea tempeſtate clariſſimum, dum Catalanorum viribus fretus Peloponneſum injuſtis ſibi armis vindicare conabatur, in ipſo belli ardore extinctum refert Marjana (c); Caſtellanos (d) vero in Granatenſes, Petro principe duce, egregiam militarem virtutem explicuiſſe, partaque nobili victoria Guidixenſes, Cambiles, geminas arces, & Algabardum in Chriſtianorum imperium conceſſiſſe: cum vero ærarium Maurici belli ſtipendiis conſumptum eſſet, miſſos ad Joannem novum Pontificem oratores, ſacerdotiorum decumas ac peccatorum veniam iis, qui ſacram militiam ſuſcepiſſent, obtinuiſſe. At de his iterum anno ſequenti. Præſentem nunc rebus Aragonicis claudamus.

(b) Jo. an. 1. p. 2. ep. com. 1902.

Ferdinandus Balearis, dum Peloponneſum injuſte invadit cæſus.

(c) Marian. l. 15. c. 15.

(d) Id. ibi.

Petrus Princeps Caſt. ſtrenue in Granatenſes rem gerit.

XXVII. Evecto ad Pontificatum Joanne, Jacobus Rex Aragonum oratores Pontium epiſcopum Barchinonenſem & Vitalem de Villanova, virum nobilitate inſignem, Avenionem miſit, qui ipſius nomine, ut Sardiniæ & Corſicæ Regis ſtipendiarii ac Romanæ eccleſiæ claſſis præfecti ſummique copiarum ducis, officia præſtarent, fidemque Romano Pontifici ut ſupremo in eas inſulas domino obligarent, ut ferebat pontificium diploma, quo ea inter cæteras lege regna illa tranſmiſſa erant, ut unius anni flexu vectigalem ſe Jacobus poſterive ſedis Apoſtolicæ, data ſolemni ritu fide, profiterentur: quam provinciam oratores ſibi demandatam cum obituri eſſent, regias literas Pontifici porrexerunt, hiſce conceptas verbis (e).

(e) Ext. apud Jo. an. 1. p. 2. ep. com. 1349. & lib. pri. Rom. eccl. to. 1. pag. 396. & in arc. S. Ang. & inter coll. Plat. to. 1. pag. 438.

*Sanctiſſimo ac reverendiſſimo in Chriſto patri ac domino, domino Joanni divina providentia ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Jacobus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ & Corſicæ, Comeſque Barchinoniæ, ac præſcriptæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ vexillarius, admiratus, & capitaneus generalis, ejus humilis filius & devotus, pedum oſcula beatorum.*

*Sanctitati veſtræ tenore literarum noſtrarum præſentium pateſcat, quod viſo ac plenarie intellecto papali reſcripto ſuper collatione, conceſſione, & donatione confecto, quam felicis recordationis dominus Bonifacius Papa octavus prædeceſſor veſter nobis fecit, noſtriſque heredibus in perpetuum feudum de regno Sardiniæ & Corſicæ cum juribus omnibus & pertinentiis ſuis, ſub certo ſervitio, ſub certiſque conditionibus, largius conſcriptis in prædicto reſcripto, continentiæ ſubſequentis: Bonifacius epiſcopus, &c. Super Reges, &c.* Allatæ eæ fuerunt a nobis in ſuperiore tomo (f), prætermiſſa brevitatis gratia præ-

Sardiniam Aragon. pontificia beneficentia ſibi aſſeri poſtulat.

(f) Tom. annal. 14. an. 1297. num. 2. & ſeq. integra cum præfat. ext. in MS. bibl. Vall. ſig. lit. D. n. 1. pag. 33.

præfatione uſque ad ea verba *Ad honorem Dei ;* conſignatæ vero ſunt hac formula. *Dat . prid. non. aprilis pontificatus noſtri anno* III. Huic vero Bonifaciano diplomati inſerto ſubjungit Jacobus Rex.

Proponit geſta cum pluribus Pontificibus.

*Idcirco reducto ad memoriam , nos jam tempore donationis præmiſſæ memorato domino Papæ Bonifacio ſupra continentiam dicti reſcripti ex cauſis in eo ſcriptis juramentum , fidelitatem , vaſſallagium , & homagium perſonaliter præſtitiſſe ; & poſtmodum etiam per Vitalem de Villanova militem & Guilloſcanum de Laceria civem Barchinoniæ procuratores noſtros , ambaxiatores , & nuncios ſpeciales , olim per nos ad Romanam curiam deſtinatos , juramentum , fidelitatem , vaſſallagium , & homagium prædicta renovaſſe , feciſſe & præſtitiſſe felicis recordationis domino Benedicto præfato, domino Bonifacio in apoſtolatus officio ſuccedenti ; & per eoſdem nuncios eidem domino Benedicto ſummo pontifici dediſſe literas , noſtras , aurea bulla noſtra bullatas , recognitionis & acceptationis contentorum in reſcripto prædicto juxta ejuſdem tenorem; conſequenter etiam nos per Joannem Burgundi ſacriſtam eccleſiæ Majoricenſis & Petrum Martini de Godor militem procuratores noſtros , nuncios , & ambaxiatores ad hæc per nos olim ad Romanam curiam deſtinatos , ſimilia juramentum , vaſſallagium , & homagium renovaſſe , feciſſe ; & præſtitiſſe pro dicto Sardiniæ & Corſicæ regno , bonæ memoriæ domino Clementi ſummo Pontifici , prælibato domino Papæ Benedicto in dignitate apoſtolica ſuccedenti ; ipſique per eoſdem procuratores & nuncios noſtros dediſſe ſimiles literas noſtras , aurea bulla noſtra bullatas , recogitationis & acceptationis in reſcripto prædicto contentorum , juxta ejuſdem tenorem, ut evidenter apparet per reſcriptum memorati domini Clementis Papæ tam de præmiſſis peractis cum dicto domino Papa Benedicto , a quo circa hæc , propter ſupervenientem ſibi obitum reſcriptum ſuum haberi non potuit , ſed dicto domino Papæ Clementi ea omnia certa fuerunt , ut per dictum ſuum reſcriptum , tam de peractis cum dicto domino Papa Benedicto , quam coram ſe , clare colligitur ; conſiderato etiam , nos nunc ex ejuſdem reſcripti ſupra inſerti ſerie inductos , noſtros procuratores ſolemni ad eadem juramentum , fidelitatem , vaſſallagium , & homagium veſtræ ſanctitati præſtanda , & facienda conſtituiſſe cum publico ſcripto noſtro ; providimus propterea , ſanctiſſime pater , has fieri literas bulla aurea noſtra bullatas , ſanctitati veſtræ per prædictos procuratores noſtros tradendas & dandas , prout fieri debere , jam dicti ſuperius inſerti reſcripti apoſtolici tenor inducit.*

Decreti ad præterita ſancienda oratores.

*Propter quas ſiquidem literas ex nunc & ex tunc modos , conventiones , conditiones , tenorem , & formam in ipſo papali reſcripto conſcriptos acceptamus expreſſe : & per quas etiam fatemur & recognoſcimus expreſſe dictum Sardiniæ & Corſicæ regnum a domino ſummo Pontifice & Romana eccleſia recepiſſe in feudum ſub conditionibus , conventionibus , modo , & forma , atque tenore , qui in dicto papali reſcripto continentur : quos tenorem , modum , conditiones , conventiones , & formam promittimus nos inviolabiliter ſervaturos . Pro quorum obſervantia obligamus nos , & dicta regnum Sardiniæ & Corſicæ , jura & bona nobis competentia & competitura in eo . Humani generis conditor & redemptor perſonam veſtram ad ſua ſancta ſervitia conſervare dignetur per tempora longiora . Dat . Ilerdæ octavo idus ſeptembris anno Domini MCCC . ſextodecimo .* Quod ad publica documenta , quibus Jacobus Rex Pontifici ſignificat , ſe oratores regiis mandatis inſtruxiſſe ad clientarem ſponſionem Sardiniæ & Corſicæ regni liberalitate apoſtolica acceptorum ergo profitendam attinet ; extant illa inter alia Vaticani archæi monumenta ( *a* ) , quæ ſuperioribus conſentiunt literis , & prætermittenda viſa ſunt , ne lectorem fatigemus . Adegit porro Joannes in ſedis Apoſtolicæ verba Jacobi oratores , ac ne rei geſtæ memoria futurorum temporum mole obliteraretur, publico illam diplomati (*b*) una cum Bonifacii VIII. & Regis Jacobi literis ſuperioribus commendavit , cui dies hac forma adiecta eſt . *Dat Aven .* XII. *kal decembris anno* I.

(*a*) *Lib. priv. Rom. eccl. to. 2. p. 223.*

Sardiniam & Corſicam beneficio ſedis Ap. acceptas profitentur.

(*b*) *Jo. an. 1. p. 2. ep. com. 134.*

Poſtremo deſinatum ad gerendam Tarraconenſem eccleſiam Joannem Regis Aragonum filium , extincto Rocaberto Tarraconenſi præſule , refert Mariana (*c*); ſed a Joanne Pontifice ut electionem ratam haberet , impetrari non potuiſſe , additque : *Cauſæ memoriæ non ſunt proditæ , ſimoniaci ambitus , ſic ſuſpicor , vitium obtenebatur , aut minoris ætatis : nondum ſolvendarum legum ad principum gratiam uſus percrebuerat . Ea erat animi magnitudo , ut maximorum ſæpe Regum cupiditatibus obſiſtere ,* Pontifices ſcilicet , *non dubitarent .*

(*c*) *Marian. l. 15. c. 15.*

Negat Pont. Regis Arag. filio Tarrac. eccleſiam.

Anno



I. Præcipue res a Joanne hoc an. geſtæ.

ANno a Virginis partu milleſimo treceteſimo decimo ſeptimo indictione quintadecima Joannes Hiſpanos in Mauros incitavit , Siculum , Belgicum , & Cyprium bella ſopivit , ſtrenuam denique operam ad pacem inter principes Chriſtianos adducendam defixit : ad quæ præclara conſilia in opus perducenda dum incumbebat , veneno primum , deinde magichæ artis carminibus appetitus , divina munitus providentia periculum omne diſcuſſit : de quibus acturis nobis primum Gallicæ res , conſtituta inter Gallos Apoſtolica ſede , occurrunt . Sacro oleo delibutus Rhemis ineunte anno Philippus , ut ex Bernardo ( *a* ) ſuperius indicatum eſt , ſuſceptoque regio inſigni regia mox officia Chriſti vicario detulit , regnique opes & armorum potentiam illius obſequiis ſe addicturum eſt pollicitus . Quem Joannes , ut promiſſorum religione in colendo divino amore , tuenda Chriſti eccleſia , priſtinoque in eam ſtudio explicando ſe liberaret , obſtrinxit ( *b* ) .

Philippus Franc. Rex Rhemis inunctione regia delibutus.

(*a*) *Bern. chr. Reg. Franc.*

Officia regia Pontifici defert.

(*b*) *To. 2. ep. ſecr. 40.*

II. Hortatur eum Pont. ad conſtantiam in priſtino erga eccleſiam ſtudio.

*Joannes , &c. Philippo Regi Francorum .*

*Ecce ſpe ducti oblationis ejuſdem , illud a te ſingulariter petimus , in hoc te cupimus oblationem ipſam exſolvere , in hoc tuum verſari ſtudium affectamus , ut devotionem ad Deum , per quem regnas & regeris , & eccleſiam ſponſam ſuam illibate cuſtodias ; charitatem & conjunctionem , quæ inter eccleſiam ipſam & te jam dignoſcitur notabiliter Deo auctore vigere , quam perſeveranter durare deſideranter appetimus , ſolicitudine ſtudioſa conſerves ; eam in te , quantum in te fuerit , in omni manſuetudine nutrias , nec per cujuſvis aſtutiam ipſam vulnerari ſeu exaſperari permittas . Et ut quæ in verborum obtuliſti dulcedine , in operis gratitudine proſequi cenſearis , ſic te zelus domus Domini comedat quod , prout de te firma tenemus fiducia , quæcumque ipſius exaltationem reſpiciunt divini cultus augmentum , tui regni decorem , tuique throni ſtabilitatem , ac tuæ & ſubditorum fidelium animarum profectum rationabili cenſura producunt , ſtabili conſtantia diligas , & promoveas operoſe ; in his præſertim & aliis te catholicum principem , Deo devotum , veritatis amicum , zelatorem domus dominicæ , favorabilem eccleſiis , ac perſonis eccleſiaſticis & eccleſiaſticæ libertatis ſedulum exhibeas promotorem , &c. Dat. XV. kal. februarii .*

III. Pia ad eundem Regem monita.

(*c*) *Ib. ep. 242.*

Conſignatæ ſunt eodem die aliæ literæ ( *c* ), quibus Regem erudit , ut jam accepta regia conſecratione regiam indueret gravitatem : priores geſtus leviores poneret : uteretur longiore epitogio more majorum ; ne dum myſteria divina peragebantur , ſermones conferret ; ſed ad fundendas apud Deum preces incumberet . Expoſtulavit etiam turpem in Galliis morem inoleviſſe , ut dies feſti in polienda cute , tondendis radendiſque barbis profanarentur , quem penitus abolere juſſit , ut divinam ſibi gratiam conciliaret .

*Regi Francorum .*

Quam turpe ſit garrire in templo.

*Noſti , fili chariſſime , quod juxta verbum nobilis citharædi , decet domum Domini ſanctitudo : noſti , quod eccleſiam vocari domum orationis ipſa veritas cenſuit , & temporalia negotia , quæ alibi geri licite poterant , inibi fieri non permittens , illos abinde ejecit . Sed an tu eccleſiam ipſam domum negotiationis , aut collocutionis interdum efficias , pauliſper attende : habet enim multorum aſſertio , nobis indubitanter implacida , quod tu , dum divina & ſpecialiter miſſarum ſolemnia in tui præſentia celebrantur , nunc iſti , nunc illi colloqueris , & negotiis te frequenter impendens , quæ per Dei miniſtrum pro tua populique ſalute , ac expiatione peccatorum aguntur , ut condecet , non advertis . Porro , dilectiſſime fili , talia beneplacito divino fore contraria , tuæque indecentia majeſtati , nequaquam ambigimus : unde hujuſmodi pernicioſum abuſum , tuis præſertim exulare temporibus affectamus , celſitudinem regiam exhortantes in Domino Jeſu Chriſto , quatenus divinum officium reverenter audias & devote , & quamdiu celebrationi illius intereris , devotioni te totum præbens , humiliato ſpiritu & corde contrito ſacratiſſimam paſſionem & alia immenſa recogites tui beneficia Redemptoris , de cujus dono fateri debes , tibi fuiſſe conceſſum tantis oriri natalibus , tot abundare divitiis , tot gratiis inſigniri , & jure primogenituræ collato , regiæ fieri celſitudinis ſucceſſorem : & ſi eum forſitan offendiſti , non adiicias iterum , ſed tunc de priſtinis , ut tibi miſericorditer dimittantur , humiliter deprecare .*

Ut in ſacro divina recolere myſteria debeat.

IV. Dedignatur Deus intendere oranti, qui orationi non attendit.

*Interim autem , dum in oratione colloqueris Domino majeſtatis , cujuſvis alterius colloquium citra neceſſitatis exigentiam non admittas , ne peregrina forſan immiſcendo colloquia , ſibi qui & quodammodo tibi oranti colloquitur , cenſearis injuriam facere , ipſeque tibi intendere dedignetur , cui tu deprecans non intendis . Sed & quæ poſt ſuſceptum unctionis regiæ ornamentum agere te decet , evacuatis geſtibus priſtinis , ea quæ digna ſunt * præcipue . Pulchrum crederemus & congruum , ſi ad excellentiæ regalis ornatum , epitogium longum ex nunc indueres , ut te tuis in hoc progenitoribus conformares .*

* percipe Vetus Regum Francorum habitus.

*Illud ſane , quod inoleviſſe in illis partibus*

*Judicia & tonſoria ars die dominico exerceri vetita.*

*tibus dicitur, ut videlicet paſſim in quandam divinam irreverentiam exerceantur judicia die dominico, & radendis ac tondendis barbis atque capitibus intendatur, te diſſimulare non decet, cum dies illa divino cultui ſpecialiter dedicata talibus profanari non debeat, quam cenſura civilis alienam eſſe debere a cognitionibus præcipit, & litigantes a controverſiis in illa reſpirare decrevit. Nec ignoras, quod inter præcepta decalogi ſanctificatio ſabbati ponitur, ad quorum obſervantiam fidelis quilibet de neceſſitate tenetur. Hæc igitur ſic reformari mandes & facias, quod uberius inde tibi gratiam tui Creatoris acquiras. Dat. xv. kal. februarii.*

V.
(a) *To. 1. ep. ſecr.* 133.
Monetur Philip. principum literas ſuis perlegere oculis.
(b) *To. 1. ep. ſecr.* 135.
Intercedit Pont. ad conciliandam inter Balear. Regem Sancium & regios adminiſtros controverſiam.
(c) *Ib. ep.* 456.

Inſtruxit etiam Philippum Joannes ſaluberrimis (*a*) aliis monitis, veluti Pontificum, Regum, principum literas ſuis perlegeret oculis, non aliis legendas traderet, eaſque vel mox laniaret, aut tutiore loco reponeret: ita enim graviora plura pericula prudenter declinari. Cumque Sancius Balearium, vulgo Majoricarum, Rex Gallicæ aulæ Montiſpeſſulani atque illius ditionis, quam baroniam vocant, cauſa fiduciarius Pariſios ſe conferret, ut recens regia inunctione delibuto Francorum Regi fidem ſacramento obſtringeret, divertenſque in itinere Avenionem, cum Pontifice congreſſus, plurimum de injuriis a Galliarum Regis adminiſtris illatis, ſuiſque imminutis juribus queſtus eſſet (*b*); Joannes ad ſopiendam diſcordiam Philippum monuit, ut Sancium, amicitia & conſanguinitate conjunctiſſimum ſibi, debitis officiis devinciret, nec violari illius jura pateretur: quæ literæ nono aprilis conſignatæ. Sed tum concordia coaleſcere non potuit, repetitis enim exeunte anno literis, ut Regis Balearium gratiam & amicitiam coleret, reprimeret adminiſtros, & controverſiam omnem componeret, eſt adhortatus (*c*).

VI.
(d) *Eod. to. 1. ep. ſecr.* 182.
Nonnulli Galli principes a Philippo deficiunt.
Pontifex conciliare diſſentientes conatur.
(e) *Ib. ep.* 186. 187. *& in. 2. p. 2. ep. com.* 569.
(f) *To. 1. ep. ſecr.* 290. & 310. & *to. 2. ep. ſecr.* 54.

Abfuere a Sancii exemplo plerique proceres Gallici, qui Philippo Regi clientum officia exhibere detrectarunt (*d*), ac Belga, Atrebas, Burgundus, Nivernenſis, Andegavenſis, Marchianus, Campani fœderati, & Regina Clementia in eum variis de cauſis conjurarunt (*e*): ad quas diſſenſiones extinguendas, ne in funeſtum bellum erumperent, Pontifex nullum amantiſſimi patris officium prætermiſit. Atque in primis Philippum Francorum Regem, ne ob conjuratorum multitudinem adverſis rebus frangeretur, ſaluberrimis monitis erudivit (*f*): *Si felicibus*, inquit, *tuis auſpiciis cuncta tibi non ſuccedunt ad votum, ſi rebelles ad tuam obedientiam redire contemnunt, ſi rupto fidelitatis & naturalitatis fœdere inſurgunt contra te, qui tibi aſſiſtere tenerentur, ſi quæ forſan aliæ difficultates ſe ingerunt, æquanimiter cum gratiarum actione ſupportes: non enim eſt Jacob, quem Eſau non perſequitur; nec eſt Abel, quem Cain malitia non exercet: & Dominus cum filiis, quos diligit, ſic ſemper agere conſuevit, prius eis oſtendens aſpera, prius dura, ut eo gratior ſit ſubiuncta proſperitas, quo perplexior eam præceſſerit difficultas. Confide ergo in Domino, & in ejus omnipotentia confortare: ſperamus enim, quod cum ſibi, prout creditur, placeant viæ tuæ, inimicos tuos convertet ad pacem, & ſerenitas grata ſucceſſu præſentis temporis nubilum terminabit. Dat. Avin. x. kal. julii.*

Phil. Regem ad conſtantiam confirmat.

Ad diſcedentes vero ab officii religione principes in ordinem redigendos, tum alios ſanguine conjunctiſſimos, ut fratrem ac patruum Carolum Valeſium, conciliandos graviſſimis literis ad Regis obſequium pellicere ſtuduit (*g*), atque ad redintegrandum priſtinum fœdus nuncios apoſtolicos miſit.

(g) *To. 1. ep. ſecr.* 187. & 211.
Nuncii Apoſtolici in Belgium miſſi.
(h) *Ib. ep.* 194.
Franc. Rex ad clementiam excitatur.

Perfuncti ſunt (*h*) eo munere Rainaudus archiepiſcopus Bituricenſis & Berengarius e Landora, quos Pontifex incutiendarum conjuratis proceribus, ſi ipſos ſalubribus monitis ad officium adducere non poſſent, cenſurarum, ac eorum ſubditos omni fidei & obſequii religione liberos pronuntiandi auctoritate inſtruxit: ſi vero nuntii perduelles ad officium flecterent, ut regiam clementiam in eos explicaret, Philippum hortatus ſubjectis verbis eſt: *Cum, fili, miſereri poſſe, ſit opus potentiæ virtuſque potentis, & ignoſcere genus optimum ſit vincendi, manſuetudinem tuam rogamus, & in illo, cujus eſt proprium miſereri ſemper & parcere, exhortamur attentius, quatenus prudenter attento, quod nihil adeo glorioſe relucet in principe, ſicut amare & exhibere juſtitiam ſine acceptione perſonæ, præfatis inobedientibus ſuper his, de quibus adverſum te juxta poterit ſupereſſe querela, licet eorum aliquibus, ſicut habet facta nobis grata relatio, te inde juſtitiam obtuleris miniſtrare, adhuc ex ſuperabundanti eis iterum & aliis inſuper ſuper illis te miniſtraturum ſummarie & de plano juſtitiam offeras, ut per hoc fidentius inducantur ad tuam regredi gratiam; alioquin eorum protervia contumax juſtius contundatur, &c. Dat. Avin.* III. *kal. maii.*

VII.
Philipp. Reg. filii mors.
(i) *Ber. chr. Reg. Franc.*
(k) *Ep.* 116.

Non eæ modo diſſenſiones Regem Philippum exercuere, ac læta triſtibus regni initia miſcuere, verum etiam illa magno luctu confudit filii, ſceptri Gallici heredis, ſuperiori anno in lucem ſuſcepti, immatura (*i*) mors; ob quam dolore affectum parentem Pontifex ſolatus eſt (*k*): *Licet*, inquit, *fili, de ſubtractione nati tui, quem tibi Deo volente ſperabas in regnis Franciæ & Navarræ, quorum gubernacula poſſides, ſucceſſurum, non*





Philippum hortatur Pontif. ut ſuam voluntatem divinæ accommodet.
* *divinæ*

*leviter doleamus, tuoque dolori condoleamus, ex internis; de hoc tamen tibi plurimum congaudemus, quod tu, ſicut læ tanter audivimus, quæ ſunt digna principe cogitans, & in ſpiritu fortitudinis præparans mentem tuam, in eo conſolationem prudenter aſſumis, qui natum ipſum, quem cum libuit, pro ſola ſuæ clementiæ liberalitate conceſſerat, ut & ſibi licuit, pro ſuæ poteſtatis libertate ſubtraxit: in hoc, fili, Regem illud David laudabiliter imitatus, qui licet ægrotum filium flevit; ne tamen videretur contrarius * voluntati, mortuum non ploravit, &c. Dat. Avin. id. martii.* Jam nonnulla apoſtolica beneficia a Joanne in Philippum collata afferamus.

VIII.
(a) *An. 1. p. 4. ep. com.* 4142.
Indulgentiæ fundentibus Deo preces pro Rege Franc. propoſitæ.

Ad cæleſtem illi in primis conciliandam opem & gratiam conceſſa a S. Cæleſtino & Clemente V. quadraginta dierum indulgentiarum præmia fidelibus, qui pro Regibus Francorum pias preces funderent, confirmavit (*a*): *Sperantes*, inquit, *firmiter, quod ſacrificium tuæ juſtitiæ Dominus acceptabit, & regiæ magnificentiæ merita, inter quæ velut ſingulare ſydus irradiat ſingularis, quam ad nos & Romanam geris eccleſiam devotionis affectus, univerſos Chriſti fideles ad implorandum quotidie pro te, ac uxore, liberiſque tuis patris æterni gloriam illectivis retributionibus decrevimus invitandos. Ideoque omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui devotis orationibus pro te, ac eiſdem uxore, & liberis, quamdiu tu & ipſi commodis præſentis vitæ fruemini, nec non pro anima tua poſt obitum tuum, divinam miſericordiam implorabunt; ſingulis diebus, quibus apud Deum hujuſmodi orationes effuderint, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi; ac felicis recordationis Cæleſtini V. ac Clementis V. prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum ſequentes in hac parte veſtigia, qui pro eodem Rege diverſas ſuper hoc indulgentias per apoſtolicas literas conceſſerunt; quadraginta dies de injuncta eis pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Avinioni id. auguſti anno* I.

(b) *An. 1. p. 4. ep. com.* 4142.
Privilegia Regibus Franc. ab Apoſtol. ſede conceſſa.
(c) *To. 14. an. Chriſti* 1255. *n.* 47.
(d) *Ib. ep. com.* 4142.
Joannæ Reginæ vota juſſu Pont. permutata.
(e) *Ib. ep. poſt eand. ep.*

Renovabit alia privilegia tum ab Alexandro IV. S. Ludovico, tum a Nicolao III. Philippo parenti conceſſa, (*b*), ut divinis myſteriis in locis eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis intereſſent: tum etiam aliud eidem S. Ludovico datum, ut nimirum Francorum Reges concepta communibus verbis interdicti & anathematis forma involuti non cenſerentur, niſi eorum nomina ſpeciatim a Romanis Pontificibus deſignata, eaque nota aſperſa fuiſſent. Ex quibus patet, privilegia illa ampliſſimis concepta verbis tradita S. Ludovico, de quibus meminimus (*c*), ita intelligi, ut a nullo quam a Romano Pontifice cenſuris vinciri poſſint. Cum vero religione aliqua teneretur ob bona a maioribus iniuſte parata, quæ ad ipſum ſucceſſione devoluta eſſent; Alexandri IV. in S. Ludovicum exemplo ea in eleemoſynas convertenda ſtatuit (*d*), ſi ad quos ſpectarent domini, comperiri non poſſent. Proſecutus etiam eſt apoſtolico ſtudio Reginam Joannam, quæ cum nonnulla leviora vota nuncupaſſet, quorum religione exolvere facile ſe non poſſet, Gregorii IX. in re ſimili exemplo partes Senonenſi archiepiſcopo commiſit (*e*), ut Reginæ vota cum aliis piis operibus apoſtolica auctoritate commutaret. Sacram porro ædiculam, quæ in regia eleganti opere a S. Ludovico excitata erat, quamquam ab eo pretioſiſſimis exornatam reliquiis vidimus, decoratam hoc anno ipſius ſancti Regis reliquiarum parte, transferente in eam magna religioſa pompa Philippo abnepote ipſius ſacrum caput avulſum a reliquo corpore, quod in monaſterio divo Dionyſio ſacro erat collocatum; docent pontificiæ literæ, quibus indulgentiarum præmia eam celebritatem cohoneſtaturis, atque regiam ſacram ædiculam, excurrente ab ea tranſlatione octo dierum ſpatio, adituris (*f*) propoſita ſunt.

Tranſlatio reliq. S. Lud. in regiam ædiculam Pariſiis.
(f) *Ib. ep.* 4142.

IX.
(g) *Jord. MS. Vat. ſign. n.* 1960. *Baron. in not. ad Mar. Rom. 19. aug. & alii.*
Ludovicus epiſc. Toloſan. SS. catalogo adjectus.
Siciliæ ſceptrum ſpreverat.
(h) *To. 2. ep. ſecr.* 53.
Confertur cum altero S. Lud. Reg.

Decretus eſt (*g*) ſanctorum cultus alteri ejus nominis Ludovico e Francorum & Siculorum Regum ſtirpe oriundo, ejuſdem ſancti Regis ex fratre Carolo Rege Siciliæ abnepote, diſpari quidem conditione, cum alter in gerendo ſceptro Francorum, alter Siculo abiecto ſanctitatem ſit adeptus. Confert utrumque inter ſe Ludovicum eleganti oratione Pontifex in literis ad Philippum Galliarum Regem datis, & utrumque illi imitandum tanquam domeſticum exemplum proponit (*h*).

*Joannes, &c. Reg. Franc. & Navar. illuſtri.*

*Et quidem ex ipſa domo, quam utique decet in dierum longitudinem ſanctitudo, duos ipſe miſericors dominus diebus noſtris produxit ſpiritualis belli belligeros, duos candidos, Nazaræos, qui ſcuto protecti fidei, & armis pœnitentiæ ac ſanctæ converſationis accincti, licet diverſis temporibus voto tam, conſimili finem ſibi præſtituentes eundem, præſentis vitæ ſtadium, ut incorruptibilem coronam acciperent, cucurrerunt ambo ejuſdem nominis, ambo ejuſdem generis, & ambo admirabilis ſanctitatis. Horum primus eſt, ſicut noſti, S. Ludovicus confeſſor egregius, qui jam ab olim de terreno ac temporali regno ad cæleſtis & æterni gloriam eſt tranſlatus: ſecundus vero eſt venerandæ memoriæ ſanctiſſimus Ludovicus Toloſanus epiſc. qui tanquam veræ vitis palmes effectus vivit æterna plantatus in vita, cui ad cæleſte palatium miſericordiarum pater paravit acceſſum, cujus miranda miracula, quibus miraculoſe per ipſius merita glorioſa dominantium dominus ſuam miri-*

De illius ingentibus miraculis.

*mirificavit eccleſiam, ad ſuæ laudis præconium, ad præſentium, & ſecutorum inſtructionem & gaudium late patent, &c. Dat. Aven.* V. *id April.*

(a) Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. ſig. n. 3765. in Jo. 22. (b) Ptol. Luc. hiſt. eccl. MS. l. 24. c. 42.

Agunt de ea celebritate hoc anno VII. id. aprilis a Joanne XXII. ſolemni ritu Avenione perfecta, Bernardus (*a*), & Ptolemæus (*b*) Lucenſis, qui Pontificem S. Ludovici magiſtrum fuiſſe obſervat: *Eodem*, inquit, *anno canonizavit Ludovicum fratrem ordinis Minorum epiſcopum Toloſanum, qui ejus fuit magiſter, ex continua converſatione cum eo de ipſius ſanctitate certior, puta qui ejus geſta & acta, vir ſubtilis indaginis, & oculis vidit & experientiæ manibus contrectavit*. Singulari porro felicitati attribuendum eſt Mariæ Reginæ Siciliæ, S. Ludovici epiſcopi matri, intueri filium, non de aliqua orbis parte debellata, ſed poſt calcatum regium faſtum de parto cœlo triumphantem, atque univerſæ eccleſiæ, ut ſumma apud Deum florentem gratia, propoſitum: cui merito Reginæ gratulatus eſt Pontifex, ſcriptis hiſce de ejus filio a ſe ſanctorum catalogo aggregato literis (*c*).

Rara Mariæ Reginæ felicitas annumeratum intueri.

(c) To. 1. ep. ſecr. 139.

*Chariſſimæ in Chriſto filiæ Mariæ Reginæ Siciliæ illuſtri.*

Gratulatoriæ ad eam Pontificis lit.

*Epulari filia in ſinceritatis & veritatis azymis, & in Domino gaudere te convenit, quia filius tuus, ab olim mundo moriens, Deo feliciter vivere; factuſque compatriota cœleſtium, & ſyderearum incola manſionum, in Domini tabernaculo meruit habere. Exultare, ac pium prorumpere debes in jubilum, de utero tuo proceſſiſſe virum angelicum, meditans conſortem gloriæ angelorum. Profuſis decet te plaudere gaudiis, quod talem in terris genueris filium, cujus in cœlis patronicio, cujuſque favore apud homines communiris, & interceſſionibus apud Deum. Hic eſt ille natus tuus venerandæ memoriæ Ludovicus epiſcopus Toloſanus, quem Deus ipſe glorioſus in ſanctis ſuis, & in maieſtate mirabilis ſua immenſa bonitate virtutum operatione mirificavit, & gratia ſanctitatum ſic immenſis illuſtravit miraculis, quod in diverſitate graduum ſeu ſtatus in gratia & gloria gradatim aſcendit. Hic eſt quem, ut pie creditur, Rex ipſe cœleſtis ſic honorari decrevit in patria, ut ſedi ſupernæ quietis inſideat æternæ claritatis lumine quaſi regiis veſtimentis amictus, & ſempiternæ gloriæ diademate coronatus. Hic eſt denique, quem & nos propter ſua merita glorioſa noſtro miniſterio per omnem Chriſtiani cultus ambitum vehiculo debitæ venerationis incedere, ac profuſis per orbem gaudiis, & effuſis undique laudibus coli cupientes in terris, nuper die jovis poſt feſtum reſurrectionis dominicæ, ſeptimo videlicet idus aprilis de fratrum noſtrorum & prælatorum omnium, tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium, unanimi conſilio & concordi conſenſu, ſanctorum catalogo duximus aſcribendum. Nec ſine cauſa paſchale tempus ad id faciendum elegimus, ut dies ipſa, nova feſtivitate jucunda, ex temporis gaudioſa celebritate paſchalis fieret ampliori jucunditate feſtiva.*

Sancti filii elogia.

Ad occinendas Deo laudes eam hortatur.

*Digne itaque, filia cor tuum lætari debet in Domino, & in ſalutari ſuo tuus animus dilatari; & digne gratias agere teneris Altiſſimo, qui tibi fecunditatem ſobolis tam ſanctiſſimæ tribuit, & qui in tanta ſublimatione illius in benedictionibus immenſæ dulcedinis te prævenit. Propterea igitur, quæſumus, & in odore unguentorum beatiſſimi filii currere, tuas corrigendo vias, & bonis operibus vacando feſtina, ut illum ſequi merearis ad regnum, quem ſi mundo viveret, affectu cogente materno, in exilium ſequereris. Dat. Avin.* V. *id aprilis.*

X. Principes ſancti epiſc. affines ad virtutum imitationem excitati.

Excitavit ad ſacri gaudii pompam Pontifex alios principes, qui S. Ludovicum conſanguinitate affinitateve contingebant; ut Robertum (*d*) Siciliæ Regem, ad quem S. Ludovicus hereditarii regni, cum evangelicam paupertatem ex divi Franciſci diſciplinæ formula amplexus eſt, jura transfuderat; Philippum principem Tarentinum (*e*) alterum germanum, Sanciam Reginam Siciliæ (*f*) ſancti glorem, Clementiam (*g*) Francorum, Joannam (*h*) Armenorum Reginas ilius neptes, Mariam Reginam (*i*) ac Sanctium Regem (*k*) Balearium, Jacobum Aragonum Regem (*l*), qui Blancam S. Ludovici ſororem antea uxorem duxerat: quos omnes ad ejuſdem ſancti æmulandam pietatem accendit. Denique univerſos fideles encyclicis literis (*m*) ad illius imploranda ſuffragia excitavit, quibus ſepulcrum religioſe veneraturis indulgentiarum præmia propoſuit (*n*). Ad cujus illuſtrandam virtutum gloriam hæc delibanda cenſuimus: *Ductus in Cataloniam cum duobus e ſuis fratribus, datus obſes pro liberatione ante dicti Regis*, nimirum Caroli II. patris, *tam ferventer dedicavit ſe ſtudio, quod infra ſeptennium, quo etiam ibi obſes fuit, ſub inſtructione fratrum Minorum, quos ſecum habebat in ſocios, in primitivis ſcientiis, & ſacra pagina ſic profecit, quod vir Dei, pollens ingenio, de prædictis ſcientiis non ſolum publice ac privatę ſubtiliter diſputare valeret; ſed & ſolemniter clero et populo proponere verbum Dei, ut putaretur ſcientia hæc infuſa ſibi magis divinitus, quam humanitus acquiſita.*

(d) Ibid. ep. ſecr. 141. (e) Ib. ep. 142. (f) Ep. 140. (g) Ep. 143. (h) Ep. 372. (i) Ep. 144. (k) Ep. 145. (l) Ext. apud Surit. ind. l. 2. (m) An. 1. p. 1. ep. cur. 156. (n) Ib. ep. 157. extat etiam in bullar.

Præcipua illius vitæ acta. Septennio in cuſtodia Regis Arag. fuit a Minoritis ſcientiis imbutus.

*In orationibus ſedulus & devotus mentem ad Deum elevatam tenuit, profecto ſciens, quod oratio humiliantis ſe, nubes penetrans, pro exauditionis ſuffragio Deum adit. In tempore namque aicto, ſacramentali confeſſione præmiſſa, miſſas audiebat devote; in magnis vero feſtivitatibus cum præparatione multa corpus ſumebat dominicum:* fa-

Quo pietatis ſenſu divina perciperet.



Adepto ſacerdotio ſacra ſingulis diebus peragebat.

*ctus autem ſacerdos diebus ſingulis celebrabat. Audientiæ verbi Dei inſiſtebat attente: pro paſtu vero animæ, in ſcripturis devotus ſtudens, habebat ad hoc pro ſolatio ſanctos libros. Caſtitatis autem amor a puero affecerat ejus mentem adeo, quod ob ipſius fidam cuſtodiam mulierum conſortia fugiebat omnino; in tantum quod niſi forſan cum matre & ſororibus, ſolus cum ſola unquam tempore loquebatur: mulierem namque amariorem noverat eſſe morte. Verba etiam inhoneſta horrebat audire, ac loquentes talia graviter arguebat, attendens prudenter, quod corrumpunt mala colloquia bonos mores: fratres nihilominus duo, & interdum quatuor in ſua jacebant camera, in ſuæ teſtimonio nitidæ puritatis. Cum Apoſtolo Paulo ſobrietate cibi & potus corpus ſuum caſtigabat aſſidue, ſeque frequenter manu ſua, quandoque autem alicujus fratris conſocii cum catenis ferreis diſciplinans, veſtiendo pro camiſia rude ſtamen, & deferendo ad nudum pro cingulo cordam groſſam, ipſam carnem in ſervitutem redigebat. Summo etiam ſtudio terrena cuncta calcare ſtuduit ex deſiderio æternorum.*

Ejus caſtimonia.

Corpus macerabat.

XI. Ut voto ingrediendæ Franciſcanæ familiæ ſe obſtrinxerit.

*Conſiderans etiam ſanctus iſte, quod mundus totus ſit poſitus in maligno, quodque cum concupiſcentia ſua tranſit, ipſum fugiendo deſeruit totaliter & contempſit. Nam rediens de Catalonia cum Rege prædicto, votum quod de intrando ordinem fratrum Minorum in obſidione fecerat, in conventu eorundem fratrum de monte Peſſulano, voluit adimplere. Sed videns, quod timore dicti Regis ipſum fratres recipere non audebant, votum ipſum ſolemniter iteravit. Et quia voventibus præceptum noverat de reddendo, ſuadenti felicis recordationis Papæ Bonifacio prædeceſſori noſtro, quod aſſenſum præberet proviſioni de ſe factæ eccleſiæ Toloſanæ, nullatenus conſenſit, quoadusque votum dictum, quod fecerat, compleviſſet. Cujus devotioni annuente prædeceſſore noſtro prædicto, habitum ordinis prædicti ſuſcipiens, in præſentia bonæ memoriæ Joannis epiſcopi Portuenſis, tunc ejuſdem ordinis generalis miniſtri, expreſſam profeſſionem flexis genibus in manibus ſuis fecit; ſicque proviſioni prædictæ ſuum præbendo aſſenſum, mandatis apoſtolicis obedivit. Et quamquam de juſſu prædeceſſoris ejuſdem dictum habitum velatum portaverit uſque ad feſtum B. Agatæ tunc vicinum; in dicto tamen feſto in præſentia duorum Cardinalium recepit publice, ac ex tunc portavit continue, atque ipſo die ad ſanctum Petrum patenter detulit, prædicando.*

Illius religione prius ſe exolverit quam ſuſceperit epiſcopatum.

Renunciarit regno Siculo.

*Miranda res, & alias inſueta! vir namque virtutum poſitus in ſublimi juri primogenituræ renunciavit & regno, regalis ſolii ſpreta pompa, pro regno corruptibili æternum ac plenum deliciis regnum mercans. Mira vero compaſſione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam privatas quam publicas eleemoſynas faciebat: unde jam factus epiſcopus Toloſanus per unum ſuum familiarem ſecretarium mandavit inquiri de ſuorum quantitate redditaum, quantumque ſibi ſufficeret pro moderatis expenſis faciendis & rationabilibus, volens quod totum reſiduum in ſuſtentandis pauperibus poneretur; quamquam prælatus tam magnus eſſet, & filius tanti Regis. Cum autem iret Pariſios, pauperem quendam nudum reperit, cui multum compatiens, abſcondite cappam contulit, quam portabat, ſibique fecit aliam ſecrete aſportari, &c.* His addit Pontifex ut viginti quinque pauperes quotidie in ſua domo reficeret, iiſque etiam flexo genu inſerviret: interdum xenodochia luſtraret, luxum omnem a ſe abjeciſſet, magno pietatis exemplo epiſcopale obiret munus, Judæos & Saracenos ad fidem alliceret; ſanctiſſime demum obierit: deinde ad implorata ejus apud Deum ſuffragia cœleſtes virtutes fuerint editæ, plures e morte ad vitam revocati, mutis vocis uſus, ſurdis auditus redditus; variorum morborum, quorum acerbitas omnia remedia eludebat, genere implicitis valetudo fuerit reſtituta: ob quæ religioſo examine confirmata conſecratam ejus memoriam promulgat, atque ipſius ſepulchrum veneraturis nonnulla indulgentiarum præmia confert. Quæ literæ VII. *id. aprilis pontificatus anno* I. conſignatæ.

Epiſcopatus vectigalia in pauperes effuderit.

Veſtem ſuam nudo tradiderit.

Alia ab eo geſta.

Non illuſtrata modo hoc anno eſt Toloſana eccleſia S. Ludovici epiſcopi gloria & miraculis; verum etiam ſede archiepiſcopali a Pontifice decorata, atque in eam rem illius ampliſſima diœceſis in ſex epiſcopatus Montalbanenſem, Rivenſem, Lombienſem, Sanpapulenſem, Vaurenſem divulſa (*a*). Agitaſſe Clementem eadem conſilia, teſtatur Joannes in apoſtolica conſtitutione (*b*) de ea re edita, in qua rationes graves adducit, quæ ipſum ad Toloſanam diœceſim in plures partiendam impuliſſent, nimirum ob illius amplitudinem epiſcopum adminiſtrandis tot eccleſiis imparem eſſe; unde divinus cultus pleriſque in locis exoleſceret, & animarum jacturæ periculum grave immineret. Et quidem jam ante ſuperiori ſeculo Fulco, præſul virtutibus ornatiſſimus, ab Innocentio III. flagitarat, ut epiſcopatum divideret, cum paſtorales curas in tot populos diffundere non poſſet: negarat vero ea de cauſa Innocentius, ut ingentibus eccleſiæ ſuæ opibus ad comprimendos Albigenſes uteretur. Mutata autem poſtea temporum ratione, Joannes vetera privilegia Toloſanæ eccleſiæ de nunquam dividenda illius diœceſi conceſſa reſcidit (*c*), cum jam populorum numerus excreviſſet, nec am-

XII. Toloſana ſedes in Archiepiſcopalem excitata.

(a) Tom. 1. ep. ſecr. 152. to. 2. p. 2. ep. 96. & ep. ſecr. 333. & an. 2. p. 1. ep. com. 997. (b) Extr. Salvator noſter de prabend. & dignit. Item MS. Vat. bibl. ſign. n. 3765. in Jo. 22. & Bern. chr. Rom. Pont.

Illius diœceſis in plures diviſa.

(c) Tom. 1. ep. ſecr. 152.

Quæ Pon. cauſæ impulerint.

plius ſacræ opes adverſus hæreticos, ſed ad inanem luxus pompam converti ab epiſcopis Toloſanis conſueviſſent, ut Pontifex graviter queritur hiſce verbis: *Attendentes, quod licet Toloſanus epiſcopatus divitiis abundaret immenſis, vix tamen ſupererat huc uſque memoria, quod ex ſuorum opulentia copioſa reddituum aliquod in eccleſia vel diœceſi Toloſana perveniſſet divini cultus augmentum; immo ſic ex adipe prodierat ac prodibat iniquitas, ut multo jam tempore luxus, cura carnis in deſideriis, evectionum pompa, numeroſitas clientelæ, immoderata diſtributio in parentes, ſumptus enormes, ac uſus extraordinarii ſibi vendicaſſent ibidem quaſi totum patrimonium Crucifixi; & verendum erat, ne præſul unicus incraſſatus, & dilatatus ex exceſſivis hujuſmodi operibus & ſuperbis, periculoſe recalcitrans, Deum factorem ſuum dereliqueret, & a ſuo ſalutari recedens, perditionis exempla in ſuos ſubditos derivaret, &c.*

Epiſcopatus in plures alios diſgregati. (a) MS. Vat. ſign. n. 3765. in Jo. 22. Ber. chro. Rom. Pont. Ptol. Luc. hiſt. eccl. l. 24. c. 42. (b) ibid. Collegiales eccleſiæ conditæ a Joanne. (c) An. 1. p. 4. ep. com. 3348. p. 1. 3372. 4111. & an. 2. ep. com. 4117. 4162. 3872.

Quamvis tot opibus affluxiſſet poſtremus epiſcopus, is tamen eccleſiæ ſuæ opes, alienatis etiam nonnullis ejus juribus, abliguriverat: quocirca eo amoto Joannes Convena epiſcopus Magalonenſis ad archiepiſcopatum Toloſanum eſt traductus. Alias præterea ampliſſimas diœceſes in plures diſgregavit (*a*) Pontifex: in Narbonenſi enim Electenſem & S. Pontii, in Albienſi Caſtrenſem, in Agennenſi Condomienſem, in Lemovicenſi Tutellenſem, in Petragoricenſi Sarlatenſem, in Claramontenſi Sanflorenſem, in Rhutenenſi Vabrenſem, in Pictavienſi Malleacenſem & Lucionenſem epiſcopatus condidit (*b*), ſuiſque limitibus circumſcripſit; de quibus extant plura diplomata (*c*). Neque eos modo epiſcopatus erexit Pontifex, ut animarum ſaluti conſuleret; verum ad augendum divinum cultum plura canonicorum collegia in eccleſiis, in quibus ſolemni ritu divina res parageretur, ac Numinis laudes perſonarent, excitavit (*d*). At de his hactenus: nunc ad alia digredimur.

(d) Ber. ubi ſup. & MS. Vat. bibl. ſign. n. 3765. (e) An. 1. to. 2. poſt. ep. com. 1099. Clerici facinoroſi certis in caſibus a ſecularis fori ſatellitio capiendi.

Ad ſubmovendos juſtitiæ terrore a flagitiis clericos, ne eccleſiaſtica freti immunitate temeritati habenas laxarent, Pontifex canonum ſacrorum religione Philippum exolvit (*e*), ſi ſæcularis fori ſatellitio facinoroſi clerici certis in caſibus, comprehenderentur: *Celſitudinis*, inquit, *tuæ precibus benignum impertientes aſſenſum, ut ſi contingat te tuoſve miniſtros alios flagitioſos clericos propter notoria crimina homicidii, mutilationis, aut alterius enormis facinoris, vel etiam ſuper hujuſmodi criminibus publice diffamatis, de quorum fuga & evaſione probabiliter timeatur, ſervata modeſtia quæ poteſt in talibus obſervari, capere, detinere, ſeu capi facere, vel etiam detineri, non in contemptum clericalis ordinis, vel odii zelo, ſeu perſecutionis affectu, nec ut juriſdictionem uſurpetis in ipſos; ſed tantum ut reddantur ad mandatum eccleſiæ, ne crimina remaneant impunita propter hoc; tu dictive miniſtri nequaquam excommunicationis ſententiam incurratis, ad inſtar felicis recordationis Nicolai Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, qui per apoſtolicas literas eidem claræ memoriæ Philippo Regi Francorum tuo progenitori conceſſit, auctoritate præſentium tibi duximus concedendum; nullam propter hoc tibi vel miniſtris eiſdem dantes licentiam clericos ipſos taliter capiendi, nec eorum captionem vel detentionem etiam hujuſmodi approbantes. Dat. Avinioni id. auguſti anno I.*

XIV. (f) An. 1. p. 4. ep. com. 4205. Baſilienſis epiſcop. ob ſuſceptum iniuſtum bellum corripitur. (g) To. 1. ep. ſecr. 332.

Exuendos etiam clericalibus privilegiis ſtatuit (*f*) Gregorii X. exemplo clericos conjugatos, ſive monogami vel bigami eſſent, & alios, qui tonſura & habitu decori gererent magiſtratus, atque etiam pœna ſanguinis ſontes afficerent; ut vero onera ſubterfugerent, prærogativam clericalem obtendebant. Pari ſeveritate Baſilienſem epiſcopum, injuſto bello ſe implicantem, non præfixa, ut mos eſt, literis ſalute corripuit (*g*): *Non attendens*, inquit, *quam diſtricte ſacri canones probibent portationem armorum in clericis, quorum arma lachrymæ debent eſſe; abjecta prorſus maturitate pontificalis officii dilectum filium nobilem virum Radulphum dominum Novi Caſtri in nullo, prout fertur, injurium, ea ſolum occaſione quod guerram habet cum dilecto filio nobili viro Petro de Grandiſono domino Bellimontis, tibi conſanguinitate conjuncto, nedum laicali more per tuas literas diffidaſti; ſed & cum ad pacificandum eos juxta injuncti tibi paſtoralis officii debitum ſolicitudinis tuæ partes deberes apponere, non ut pacifer, ſed belliger; non ut Dei miniſter, ſed miniſtrator excidii arma ſumpſiſti militaria contra eum; deprædationes rapinas, invaſiones, incendia, & occiſiones cum tuis complicibus perperam committendo, &c.* Intentata anathematis mulcta, ac ſacerdotiorum muneriſque pontificalis privatione cœptis jubet ipſum abſiſtere, ac damna illata ſarcire. *Dat. Aven.* VIII. *kal. julii anno* I. Querente etiam apud ſedem Apoſtolicam Philippo Galliarum Rege, nonnullos clericos rerum terrenarum cupiditate irretitos mercaturæ ſe addixiſſe; cumque clericorum privilegiis potiri flagitent, diſciplinæ eccleſiaſticæ ſe ſubducere, Joannes archiepiſcopos atque epiſcopos coercere eorum avaritiam juſſit (*h*).

(h) An. 1. to. 4. ep. com. 4142. (i) An. 1. p. 2. ep. com. 1099.

Ad iniiciendum quoque laicorum adulterinam monetam cudentium avaritiæ frænum, cum ea corruptela late in Gallia & Navarra graſſaretur, hoc edicto ejus flagitii patratores perculit. (*i*)





*Ad perpetuam rei memoriam.*

Conſtitutio in adulterinam monetam percutientes.

*Prodiens quaſi ex adipe iniquitatis multorum ſceleratorum funeſta cupiditas, eos in perniciem præcipitare conatur, dum ſequi miſerabilem ejus ingluviem, ſatietatis neſcientem moderamina, non verentur: ipſi etenim, turpium lucronem ſe fæcibus immergentem, ambitioſis nexibus involvuntur, Dei timorem damnabili cœcitate poſtponunt, & quaſi ambulantes in tenebris, non curant excidia perſonarum. Nuper ſiquidem ad noſtri apoſtolatus auditum multorum relatio fide digna perduxit, quod nonnulli nullam habentes auctoritatem juris, vel conſuetudinem ſeu privilegium faciendi monetam, falſam cudunt & fabricant in regno Franciæ & locis circumvicinis: alii vero monetam fabricatam ſub vero ſigno chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Regis Franciæ & Navarræ illuſtris ſtudioſe depravant, & ex hoc cadit a ſuo recto pondere. Quam plures etiam in locis circumvicinis, quibus de jure aut conſuetudine aut privilegio jus competit fabricandi monetam, ſignum proprium monetæ regiæ monetæ ſuæ, quam fabricant imprimere ſeu inſculpere moliuntur ejuſdem quantitatis & rotunditatis & literarum figuræ, quam habet moneta regia, monetæ ſuæ quam fabricant quantum poſſunt ſimilius ſpeciem & formam inſculpunt, conſtituunt & imponunt. Et quamvis moneta prædicta eorum ad uſurpatam ſimilitudinem perducta deficiat a juſto pondere argenti & ſolito in regia moneta, & more & conſuetudine obſervato; ſimplices tamen & populares perſonæ, non habentes inter monetas tantæ ſimilitudinis peritiam diſcernere, falluntur quotidie ea occaſione in uſu monetarum, recipientes monetas falſo aſſimilatas pro veris. Sunt & alii qui ſcienter falſas monetas extra regnum prædictum emunt, & poſt infra regnum ipſum eas portant, vendunt & expendunt. Nos igitur, attendentes quod falſari & fabricatores monetarum talium & emptores prædicti per hoc ſe dignos maledictione conſtituunt, eos qui (ut præmittitur) præmiſſa moliri, aut fabricare, aut emere, vel portare ad regnum prædictum ſcienter præſumpſerint, felicis recordationis Clementis Papæ V. Prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, excommunicationis ſententia innodamus, abſolutione prædictorum nobis & ſucceſſoribus noſtris, præterquam in mortis articulo, reſervata. Nulli ergo, &c. Dat. Avin. id. Auguſti, anno* I.

Anathema iis incuſſum.

XV. (a) Ber. chr. Rom. Pon. (b) MS. Vat. bibl. ſign. n. 3765. (c) To. 1. ep. ſecr. 749.

Divulgandas hoc anno in academiis propoſuiſſe Joannem Clementis V. conſtitutiones, referunt Bernardus (*a*), & manuſcripti (*b*) annales Romanorum Pontificum. Extant eo argumento Apoſtolicæ literæ (*c*) ad Pariſienſes academicos kal. novembris exaratæ, quibus præcepit, ut in judiciis ac publicis ſcholis iis uterentur: quæ etiam Bononienſibus tranſmiſſæ, & Clementinis ſanctionibus præfixæ ſunt. Collocaſſe porro Joannem augendæ rei literariæ, ut erat in ſcientiis apprime verſatus, cupidiſſimum apoſtolicas curas ad academias ſplendori priſtino reſtituendas, docent plura ejus diplomata: atque in primis ad Pariſienſem academiam (*d*), cæterarum principem, inſtaurandam profeſſores corripuit, qui artes liberales imperfectas traderent; Invectus etiam eſt in theologos (*e*), qui theologiam, conquiſitis philoſophorum fucis ac ſanctorum patrum abiectis ſententiis vel oraculis ſcripturarum, inquinabant: *Sane mirantes*, inquit, *audivimus, & turbati quodammodo expavimus, quod nonnulli ex vobis, ſicut habet fide digna relatio, habentes magiſterii dignitatem, nec attendentes quod incaſſum bonum agitur, ſi priuſquam veniatur ad terminum deſeratur, legere libros incipiunt; ſed negligentia, vel animi levitate, vel alia inconſtantia ipſos debito modo non finiunt, ſed deſerunt imperfectos. Nonnulli alii, plus ſapere quam oportet ſapere, contra doctrinam Apoſtoli molientes, inhærendo philoſophorum erroribus, veram philoſophiæ intelligentiam derelinquunt; & cum deberent ad conſolationem cordium ipſorum, juxta præceptum Apoſtoli, eſſe inſtructi in agnitione miniſterii Dei Patris, & domini noſtri Jeſu Chriſti, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, decipiuntur per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditiones hominum; fideique orthodoxæ documenta minus debite venerantur. Quidam vero minus idonei & indigni, quidam etiam ſine debito examine ad ſtatum magiſterii aſſumuntur. Alii quoque ſolemnium diſputationum, & determinationum frequentiam conſuetam ab olim in Pariſienſi ſtudio prætermittunt. Quidam actu regentes, qui tenerentur inſiſtere exercitio lectionum, litigiorum anfractibus, & advocationum ſtrepitibus, & forenſibus occupationibus ſe involvunt.*

Pontificium in re literaria redintegranda ſtudium. (d) An. 1. p. 3. ep. com. 2971. (e) Jo. an. 1. p. 3. ep. com. 2971. Inſtaurata illius diſciplina.

Theologi nimii in captandis philoſop. fucis correpti.

*Quidam etiam theologi, poſtpoſitis vel neglectis neceſſariis, utilibus, & ædificativis doctrinis; curioſis, inutilibus, & ſupervacuis philoſophiæ quæſtionibus & ſubtilitatibus ſe immiſcent: ex quibus ipſius ſtudii diſciplina diſſolvitur, luminis ejus ſplendor offenditur, & per conſequens ſtudentium utilitas impeditur.* Et infra: *Niſi veſtra diſcretio emendatione celeri præmiſſa correxerit, & præteritæ deformationis exceſſus in melius reformabit, illa per alios, in hac parte apoſtolica auctoritate ſuffultos, non abſque debita cenſura juſtitiæ in eos, qui ſuper præmiſſis culpabiles fuerint, exercenda infallibiliter, emendari & corrigi faciemus. Dat. Avinione* VIII. *id. maii anno* I. Eodem argumento ad epiſcopum Pariſienſem ſcri-

Pariſienſis epiſc. ad abolendos ab uſus juſſus incumbere. (a) Reg. poſt eand. ep.

ptis literis (a), partes ei impoſuit, ut adhibito in conſilium ſigilli academiæ præfecto, ea vitia auctoritate apoſtolica emendaret, ſeſeque illi ea in re opponentes cenſuris percelleret: ſi vero ea occurrerent, quæ ſine novis ſedis Apoſtolicæ imperiis tolli non poſſent, rem ipſi literis patefacerent, ut malum diligentia apoſtolica ſucciderētur.

XVI. Conſultum aliis academiis Aurelianenſi. (b) To. 1. ep. ſecr. 304. (c) An. 1. p. 4. ep. com. 3497. Toloſanæ.

Ad redintegrandam etiam Clementis exemplo Aurelianenſem academiam, Raimundo Bituricenſi archiepiſcopo & Joanni e Cheremont canonico Pariſienſi eam provinciam dedit (b). Aſſeruit etiam (c) ſuis juribus Toloſanam, quæ cum ab Innocentio IV. condita, atque iiſdem ornata privilegiis ac Pariſienſis fuiſſet, doctores numquam a Pariſienſibus impetrare potuerant, ut privilegiorum Pariſienſis academiæ exemplum traderent; Pontifex non Innocentiana modo privilegia confirmavit, ſed Pariſienſes etiam academicos apoſtolicarum literarum exemplum concedere Toloſanis juſſit (d). Neque in Galliis ſolum, verum in aliis quoque regnis rem literariam provexit. Oxonienſem quidem in Anglia academiam, diremptis quæ intercedebant inter Prædicatores & doctores ſeculares controverſiis, de conferenda doctoratus laurea, atque habendis theologicis lectionibus, compoſuit (e). Collatam Bononienſi ad decennium prærogativam a Clemente V. ut in ea, exceptis epiſcopis, monachis, & ſacerdotibus, clerici juri imperiali artique medicæ operam navare poſſent, ad aliud ſeptennium ob ſingularem Bononienſium in eccleſiam fidei conſtantiam, Italico civili ardente bello explicatam, extraxit (f). Hæc de re literaria ſuffecerint: nunc ad bellicos tumultus digredimur.

(d) Ib. ep. com. 3501. Oxonienſi. (e) An. 1. p. 1. ep. com. 340. (f) An. 1. p. 2. ep. com. 1798.

XVII. Bellum inter Robertum Siciliæ & Fridericum Trinac. Reges. Illius cauſæ. (g) Tom. 1. ep. ſecr. 443. Nuncii apoſt. ad eos conciliandos miſſi. (h) An. 1. p. 1. ep. cur. 91. (i) To. 1. ep. ſecr. 102.

Recruduit crudele inter Robertum Siciliæ & Fridericum Trinacriæ Reges bellum, cum initæ inter eos induciæ effluxiſſent. Agebatur Robertus ira in Fridericum, cum ille violata jam antea pace, & cum Henrico Imperatore coitione conflata, facta in Calabria irruptione, nonnullas arces eripuiſſet; nec Trinacrii Regis [1] nomine contentus, Siculum ſibi arrogaret (g). Ad propulſandas calamitates inde oborturas Joannes, ineunte martio, Guillelmum Trecenſem epiſcopum & Petrum Textoris plurima inſtructos auctoritate miſit (h): tum Regem Fridericum ad ereptas Roberto arces reſtituendas, cum ſine ea re pax coire non poſſet, graviſſimis verbis eſt adhortatus. (i)

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Frederico Regi Trinacriæ illuſtri.*

Fridericus Rex injuſtum bellum moviſſe arguitur.

*Conſidera, fili, conſidera quod pax Domini ſine pace proximi non habetur: nec enim Rex ipſe pacificus, cujus in pace factus eſt locus, corda ſeditioſa incolit, nec in corpore peccatis ſubdito requieſcit. Conſidera quod, dum per cæleſtis præconis miniſterium hominibus bonæ voluntatis pax in terra promittitur, impiis tollitur, malignantibus denegatur. Conſidera quod, cum brevis ſit vita hominis, incertus exitus, & frequenter etiam repentinus; cujuſlibet manus cum omni, qua datur, inſtantia operari debet, quæ ſuo accepta noverit creatori, ut ſecurus judicem videat, quem redemptorem agnovit. Conſidera quanta poſſent imminere tuæ poſteritati diſcri-*

NOTÆ [1] SIculum bellum, de quo Annaliſta, non quidem hoc, ſed jam inde a præcedenti anno recrudeſcere cœperat, ut ſcriptores bini rerum ſicularum, hoc tempore florentes, affirmant. Horum alter eſt anonymus Chronici Siciliæ ſcriptor a Martenio Anecdot to. III. vulgatus; alius vero Nicolaus ſpecialis a Baluzio primum in append. Marcæ Hiſpan. dein a Muratorio Rer. Italic. to. X. vulgatus. Belli igitur reſumpti exordium fuit dies prima martii anni MCCCXVI. qua Fridericus Caſtri cujuſdam obſidionem aſſumpſit. Accurrit ſtatim Robertus, atque dein toto illo anno ac ſequentis dimidio circiter vario marte pugnatum fuit. Ita anonymus Martenii cui Nicolaus ſpecialis lib. VII. cap. VII. non repugnat. Apud eumdem vero Nicolaum cap. X. legas ea quæ Baronianis excerptis exhibet Annaliſta hic num. 19. ex quo intelligimus Baronium illa ex eodem Nicolao deſumpſiſſe. Porro Nicolaus ibidem non duos, ut Annaliſta hic num. 19. ſed tres legatos Pontificios commemorat, videlicet Epiſcopum Trecenſem, Petrum Textoris, & Stephanum S. Maximiani Abbatem, qui forte poſtremus, non niſi poſtea additus fuit. Quantum vero ex narratione ſcriptorum illorum eruere licet, vix credo Apoſtolicos iſtos nuncios antea perveniſſe in Siciliam, quam claſſis Roberti Regis cum alio pariter terreſtri exercitu ſub imperio Thomæ de Marchiano Siquillaci comitis ditionem Friderici invaſiſſet. Ideo Hiſtoriam ſuam non ſatis accurate dirigit Annaliſta, utpote qui veniſſe nuncios apoſtolicos ſtatuit ac de pace concilianda ſub cenſurarum comminatione Fridericum expoſtulaſſe. Friderico renuente, invectam ab exercitu Roberti Siciliæ vaſtationem commemorat, cujus terrore, ait redactus eſt ad officium. Profecto anonymus Siculus teſtatur Thomam Siquillacenſem veniſſe anno 1316. die VIII. Auguſti; legatos vero nonniſi anno 1317. cum jam Fridericus ineunte junio armata claſſe ſuperveniſſet.

Fallitur etiam Annaliſta ſcribens num. 21. arces illas a Friderico traditas, adjudicatas Roberto tunc fuiſſe cum utriſque Regis oratores ad Pontificem cauſam ſuam diſceptaturi venerunt. Fallitur, inquam, nam teſte Nicolao Speciali lib. VII. cap. XI. *Legati ipſi* Apoſtolici, qui arces illas receperant, *miniſtri dicti Regis Roberti abſque plurimo intervallo temporis. & contradictione aliqua tradiderunt.* Capite vero ſequenti miſſionem Legatorum Friderici ad Joannem narrat, ſed illos fruſtra expectatis legatis Roberti *ſpe vacuos in Siciliam rediiſſe notat.* cap. XIV. MANSI



*mina, ſi eam, cui benevolentia eſſet acquirenda magnatum turbinibus odiorum, & guerrarum fluctibus relinqueres involutam. Profecto ſi hæc & alia circa prædictæ diſſenſionis incommoda, diligentius attendenda, ſedula meditatione conſideres; ſi commoda, quæ ex tua & Regis præfati concordia tibi tuiſque provenient, intra cordis arcana revolvas; tuum ad pacem inclinabis, ut indubie credimus, animum.*

Rhegium & alia Calabriæ loca jubetur reſtituere.

Et infra: *Quia illorum occupatio injurioſa caſtrorum, quæ contra pacis dudum reformatæ, ac apoſtolicæ confirmationis roboratæ munimine, ſeriem in dicti Regis injuriam, noſtrum & ſedis Apoſtolicæ contemptum, & divinæ majeſtatis offenſam in Calabria detines, ipſi diſcordiæ non levem cauſam præbuiſſe videtur, caſtra ipſa Regi reſtituas antedicto.*

Subiicit, ut ad facilius conciliandum fœdus cum Rege Roberto, inducias longiores contrahat: ac ſi de iis ineundis conſentire inter ſe non potuerint, ſignificat, Guillelmo Trecenſi epiſcopo ac Petro Textoris apoſtolicis nunciis illarum indicendarum munus injunctum, ut dum eæ excurrent, coram ſede Apoſtolica de firmiſſimo ſanciendo fœdere agitari poſſit; ipſique Reges ob id ad eam ſe conferant, vel ſaltem oratores ſumma auctoritate inſtructos mittant. Tum addit: *Tu ergo, fili, ordinationem noſtram hujuſmodi veluti ſalubrem amplectens, in omnibus te contingentibus eam ſolicite ſtudeas obſervare, caſtra reſtituendo prædicta, ineundo treguas, & ad noſtram veniendo præſentiam, ut præmittitur, vel ſufficientes nuntios deſtinando; præſertim cum chariſſimus in Chriſto filius noſter Jacobus Rex Aragonum illuſtris, germanus tuus, ſuos in eodem termino, ſibi notificando, ad requiſitionem noſtram obtulerit ad nos mittere nuntios, vel perſonaliter intereſſe dicto tractatui coram nobis, juxta quod duxerimus ordinandum, &c. Dat. Avin. V. id. martii.*

Solicitatur, ut ad ſedem Ap. cum Regib. Sicil. & Arag. colloquium initurus accedat.

XIX. (a) Ib. ep. ſecr. 103. (b) Ib. ep. 100.

Monuit aliis literis Robertum Regem Pontifex (a), ut Calabriæ arcibus recuperatis, pacem cum Friderico redintegraret. Cui etiam ſignificavit (b) Jacobum Regem Aragonum maximum revocandæ inter eos pacis deſiderium explicuiſſe; ac tum apud ſedem Apoſtolicam contendiſſe precibus, ut ſuam auctoritatem adhiberet, præterea oratores ad Fridericum tranſmiſiſſe, qui ipſum ad occupatas in Calabria arces reſtituendas permoverent. Cum vero non ita valerent apud Fridericum auctoritate Regis Aragonum oratores, ut ipſum ad reſtituenda injuſtis armis parta eſſent adacturi, diffideret Pontifex, cenſurarum religionem incutiendam cenſuit, ac pontificia utendum auctoritate, quam Jacobus Rex Aragonum admovendam flagitarat. Partes itaque Guillelmo epiſcopo Trecenſi, ac Petro Textoris dedit (c), ut Fridericum, ſi rapta reſtituere Roberto abnueret, devincirent anathemate, atque illius terras interdicto (d) eccleſiaſtico percellerent.

Nuncii Fridericum cenſuris ad reſtituendum Rhegium cogere juſſi. (c) Ib. ep. 107. (d) Ep. 108.

Fridericum cenſuras ſpernentem Robertus armis inſequitur.

Verum neque ea ratione Fridericus ad reſtituendas Roberto occupatas in Calabria arces adduci potuit. Cum itaque niſi armis frangendus eſſet, Robertus rem bello decernendam ratus, ut hoſtem e Trinacria, quam Carolo II. eripuerat, depelleret; atque etiam Calabriæ partem amiſſam recuperaret, contraxit validiſſimam ſexaginta triremium ac plurium navium majoris ac minoris alvei claſſem, cui Thomam comitem Squillacii præfecit: is equitatu & peditatu egregie inſtructus, exſcenſione facta, in inſulam irrupit, ac furore hoſtili Panormitanum & Meſſanenſem agros exuſſit. Intulit (e) Roberti exercitus, diebus quindecim latiſſime diſcurrens, fœdiſſimam vaſtitatem, Friderico obviam progredi non auſo, ſeque in arce, cui Giami nomen eſt, continente; adeo ut maiori clade, quam olim Caroli I. & II. Regum temporibus attrita ſit; ac plerique ſenſere Robertum, ſi anno ſequenti parem Trinacriæ vaſtitatem intuliſſet, facile Fredericum regno ejectum iri. Ea itaque depreſſum calamitate, ac majora reformidantem pericula, pontificii internuntii ad inducias amplectendas, raptaque in Calabria reſtituenda flexere. Qua de re hæc in MM. SS. Baronianis collectaneis reperio: *Rex illos tanquam legatos ſacroſanctæ univerſalis matris eccleſiæ quocum decuit honore ſuſcepit. Tunc unus ex eis, non ignarus verba componere, cauſam diſſidii præmiſſorum Regum ab ipſis primordiis ſubtilitate repetens, nunc unum, nunc alterum arguit: & tandem ſummam ſuæ legationis commiſſæ expreſſit civitatem Rhegium & caſtra, quæ in Calabria ſub titulo hereditario Romanorum Imperatoris, de quo paulo ante ſermo præceſſit, Fridericus Rex occupaverat, ac matri eccleſiæ reſignari, ſervanda per eam uſque ad pacem in proximo componendam, compta ſermone popoſcit; adiiciens, ut in deſignato die ad eundem dominum Pontificem, quo etiam Robertus Rex convenire debebat, Fridericus ipſe propulſis dubiis transfretaret, pacem utrique parti, domino auctore, quietam & placidam recepturus. Cumque legati finem impoſuiſſent ſermonibus, Rex Fridericus, ſe nunquam fuiſſe cauſam diſſidii pacemque cum omnibus, Chriſtianis maxime, cupientem teſtatus eſt: Sed quam, inquit, pacem ſummus Pontifex ſe daturum nobis conſtituit? Illi, quod eſt exiguum arctumque fretum Siciliam inſulam ab Italia ſeparans oſtendentes, dixerunt; Et ſummus rerum opifex, qui antequam fierent cuncta diſpoſuit, nihil fruſtra nihilque incaſſum operatus eſt. Erunt ita-*

Trinacriam evaſtat. (e) Jo. Vil. l. 9. c. 82. Ant. tit. 21. c. 1. ante §. r. ... Joſter. dec. l. 9. Fridericus arce ſe continet.

Ut Legatos apoſt. receperit.

*itaque hujus maris anguſtiæ, quas videmus limites & termini regnorum veſtrorum alterum ab altero ſeparantes. Eſto igitur quiſque contentus finibus, quos conſtituit manus Dei. Veruntamen quia tractatus pacis hujuſmodi non exiguo tractu temporis indiget, inducias annorum trium inter vos & eundem Regem ſummus Pontifex & competens utriuſque judex reverendus pater indicit.*

XX. Rhegium aliaſque arces pontificiæ fidei commiſerit.

Ad tollendam diſſidii cauſam, atque odiorum fomitem extinguendum Fridericus legatorum juſſis, & Jacobi Regis Aragonum ac S. Elizabethæ Reginæ Luſitaniæ oratorum conſiliis adductus, eam iniit rationem, ut Calabriæ arces, quas incuſſo antea anathemate erat juſſus Roberto Regi reſtituere, legatis traderet, ut Pontifex de iis, prout ſuaderet, æquitas, vel ei vel Roberto reſtituendis ſtatuerat. Qua de re ſubiectæ publice tabulæ confectæ (*a*).

(*a*) *Ext. in l. priv. Rom. Eccl. to.*2. *pag.* 112. *& in MS. Vall. bibl. ſign. lit. B. n.* 12. *pag.* 68.

*In Dei nomine Amen. Pateat univerſis per hoc præſens publicum inſtrumentum, quod die veneris in feſto nativitatis B. Joannis Baptiſtæ anno Domini MCCCXVII. indictione* XIV. *pontificatus ſanctiſſimi patris domini Joannis divina providentia Papæ XXII. anno primo, apud Meſſanam in Sicilia in palatio, in quo ibidem habitabat ſereniſſimus princeps dominus Frederitus Trinacriæ Rex illuſtris, in præſentia notarii & teſtium infraſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, idem ſereniſſimus princeps dominus Fredericus Trinacriæ Rex illuſtris pure, plene, libere, & abſque conditione & retentione quacumque tradidit, reſtituit, & etiam aſſignavit nomine domini noſtri ſummi Pontificis reverendo in Chriſto patri domino Guillelmo, Dei gratia, epiſcopo Trecenſi, & venerabili viro domino Petro Textoris priori prioratus S. Antonini Ruthenenſis diœceſis, domini noſtri Papæ capellano, decretorum doctori, ad regnum Siciliæ nunciis per dominum noſtrum ſummum Pontificem deſtinatis civitatem Rheginam, caſtra de S. Nicheto, de Calana, de Motamari, & fortalitia Cillæ & Balneariæ, Cathonam, & omnia alia loca & fortalitia, quæ tenebat & poſſidebat in Calabria, cum territoriis, diſtrictibus, juribus, & pertinentiis eorundem vaſallis, hominibus, & juribus vaſallorum eorundem pro voluntate, ordinatione, & diſpoſitione omnimoda domini noſtri ſummi Pontificis facienda, quam tenere perpetuo & obſervare promiſit, & nunquam contrafacere vel venire clam vel palam, publice vel occulte; & quod nunquam impediet per ſe vel alium ſeu alios, nec impediri faciet aliquatenus, vel permittet illum vel illos, quem vel quos dicti domini nuncii, vel dominus noſter ſummus Pontifex ad regimen & cuſtodiam civitatis & caſtrorum prædictorum duxerint deputandos, &c.*

XXI. Oratores a Frider. ad Pont. miſſi.

Adjudicatas Roberto eas arces poſt inſtitutam judiciorum formam, cum utriuſque Regis oratores ad ſedem Apoſtolicam pro diſceptanda controverſia ſe contuliſſent, ex laudatis Card. Baronii collectaneis MM. SS. colligitur, quæ tradunt, Franciſcum Panormitanum epiſcopum & Franciſcum Vingtimilienſem comitem a Friderico, miſſos ad probandum jus ſuum in eas Calabriæ arces, contendiſſe materna ſucceſſione ad Fridericum ſpectaſſe: ſed inania illius jura eo titulo fuiſſe, ex dictis in XIII. & XIV. tomis conſpicuum eſt: nefariis tamen ille ſubornatus conſiliis Siciliæ Regis nomen iniuria affectavit, ex quo graviſſimis hiſce literis (*b*) a Joanne corripi meruit, quibus etiam Pontifex injuſtas illius de redditis Roberto Calabriæ arcibus querelas refregit.

Vana illorum oratio. Refellitur

(*b*) *Lib.*1. *ep. ſecr.* 443.

Frideric. Siciliæ Regis nomen affectat.

*Joannes, &c. Friderico Regi Trinacriæ illuſtri.*

*Vide, dilectiſſime fili, & ſedula meditatione conſidera, quam indiſcretum dedere tibi conſilium, qui te induxerunt ad indebitam aſſumptionem hujuſmodi tituli;* nimirum Siciliæ Regis, *& ad perſeverantem illius retentionem inducunt. Vide quanto te pro hoc diſcrimini ſubiecerunt atque ſubiiciunt. Vide quantam maculam in gloria nominis tui ponunt, ut abiecto titulo, quo licenter uti poteras & debebas, denominationem alii debitam, conſilia talium ſecutus, uſurpative receperis, quam retinere conſcientia ſalva nequis. Noſti namque, quod cum in pace Siciliæ, per ſedem Apoſtolicam confirmata, ac per ſpeciales tuos nuncios, juramento in animam tuam præſtito, ſolide promiſſa ſervari, contineretur expreſſe, quod aut Rex inſulæ Siciliæ, aut Trinacriæ ad arbitrium claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ, tunc viventis, vocari deberes, bonæ memoriæ Petrus tunc Noviomenſis epiſcopus cancellarius, & dilectus filius vir nobilis Bartholomæus de Capua miles logotheta & protonotarius Regis Siciliæ, debita circa hæc poteſtate ſuffulti, nomine dicti Regis, cujus erant procuratores & nuncii, de beneplacito & aſſenſu felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. prædeceſſoris noſtri elegerunt, & arbitrati fuerunt, te debere Regem Trinacriæ titulari: dictuſque prædeceſſor ſignanter expreſſit, quod per hoc honori regalis tituli, quem de toto regno Siciliæ ultra pharum & citra apud Regem ipſum integre voluit remanere, nullum in aliquo, etiam quantum ad vulgi labia, præiudicium afferretur.*

Ut in ea re fœdera violarit.

XXII. Acerbe corripitur jura pontificia ipſum invadere.

*Quomodo ergo potuit aliquis ſanæ mentis tibi conſulere, ut pacem violando prædictam, non abſque tranſgreſſione patula juramenti, ut de aliis taceamus, aliam intitulationem aſſumeres, quam quæ tibi tributa eſt ex pacis tenore prædictæ? Quomodo tibi potuit ſuaderi, ut illius regni*





*titulum, cujus plena diſpoſitio ad ſedem Apoſtolicam pertinet, abſque ipſius aſſenſu vel licentia uſurpares? Nunquid aliquando, a tempore præcipue dictæ pacis, nos aut prædeceſſores noſtri Romani Pontifices tibi Regis Siciliæ denominationem aſcripſimus, aut verbo vel literis te ſic unquam curavimus titulare? An non advertis, quod ſi te uti vellemus hujuſmodi titulo, non te requiſiſſemus de pace vel treugis inter te & Regem Siciliæ ineundis, aut de reſtituendis ſibi civitate & caſtris prædictis ne abſurde videremur inſiſtere, ut tibi ipſi reſtitutionem hujuſmodi faceres, aut tecum pacem vel treugas inires? Profecto, fili, errant qui tibi tam illicita conſulunt, & te per hæc in evidentem errorem inducunt: nec tuæ in talibus experientiæ quidquam adſcribimus, talia tibi conſulentium imperitiæ ſuccenſemus, &c. Dat. Avin.* III. *id. decembris.* Significavit Pontifex (*a*) ſequenti ineunte anno Jacobo Regis Aragonum, ut frater ipſius violatis initæ pacis legibus Siculi Regis nomen uſurpaſſet, atque ideo a ſe objurgatus fuiſſet.

(*a*) *Ib. ep.* 458.

XXIII. Orator a Roberto Rege miſſus, ut fidem clientelæ nomine devinciat Pontifici.

Profeſſus eſt ſolemni ritu Robertus Siciliæ Rex hoc anno, ſe beneficio auctoritateque ſedis Apoſtolicæ Siculum regnum accepiſſe, ac fidem Bertrandi e Baucio comitis montis Caveoſi oratoris opera Pontifici ſacramento devinxit. Tenebatur quidem religione officii ad aulam pontificiam, ut clientis obſequium abdiceret eccleſiæ, ſe conferre: ſed cum bellico apparatu in Fridericum Regem Trinacriæ inſtruendo implicitus eſſet, Joannes ita illius oratorem admiſit, ut tamen Pontificum conſuleret juribus, ac publica documenta ab eo exigeret, quibus profiteretur, Robertum ex initis cum Carolo primo conventis obſtringi vocatum ad ſedem Apoſt. accedere, præſentemque Pontifici clientelarem ſponſionem ſolemni ritu præſtare; vel ad eum legatum apoſtolicum, qui ipſum ſacramento fidei adigeret, mitti poſſe, atque ex ea pontificia indulgentia ſucceſſores Reges nullum jus, quo detrahant pontificio, ſibi arrogaturos. Aſſenſit poſtulatis pontificiis orator, atque eccleſiæ juribus hiſce publicis tabulis (*b*) cavit.

(*b*) *Ext. in arce S. Angeli & lib.*3. *priv. Ro. eccl. to.*3. *pag.*327. *& inter Collect. Plat. t.*1. *pag.*378. *& in MS. bibl. Vall. ſign. lit. B. n.*12. *pag.*355.

Pontificia jura non violatum iri.

*Nos Bertrandus de Baucio comes montis Caveoſi conſiliarius, familiaris, & fidelis ſereniſſimi principis & domini noſtri domini Roberti, Dei gratia, Jeruſalem & Siciliæ Regis illuſtris, tenore præſentium fecimus univerſis, quod die ſeptimo præſentis menſis maii* XV. *indict. apud Avinionem, offerentibus nobis procuratorio nomine dicti domini noſtri Regis, cujus inde mandatum ſpecialeſuſcepimus, ſanctiſſimo in Chriſto patri & clementiſſimo domino noſtro domino Joanni, divina providentia, ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici ſacro dominorum Cardinalium aſſiſtente collegio, ligium, homagium, & fidelitatis debitæ juramentum pro regno Siciliæ & tota terra citra pharum, quæ dictus dominus noſter Rex a Romana eccleſia tenet in feudum; ipſe dominus noſter Papa tanquam pius pater & dominus benigne reſpondit, quod licet ipſe juxta formam conventionum initarum ab olim inter Romanam eccleſiam & claræ memoriæ dominum Carolum Regem Siciliæ avum dicti domini noſtri Regis non teneretur per procuratorem vel nuntium homagium & juramentum prædicta recipere; quinimo ex illarum vigore poſſet ad id dictum dominum noſtrum Regem perſonaliter evocare, vel ad eum aliquem mittere, qui nomine Romanæ eccleſiæ præmiſſa reciperet ab eodem; de paterna tamen benignitate & gratia ſpeciali a nobis illa nomine, quo ſupra, reciperet cum ea proteſtatione, videlicet quod ipſa receptio ſibi vel futuro Romano Pontifici præjudicium aliquod non pareret: quin utique vocare poſſent ad perſonalem præſtationem illorum Regem Siciliæ, cum nollet ipſe dominus noſter ad conſequentiam trahi receptionem, ſeu præſtationem hujuſmodi; nec per illam dicto domino noſtro Regi, aut ejus ſucceſſoribus in præſtando per procuratorem ſuum homagium & juramentum prædicta in poſterum novum aliquod jus acquiri.*

*Qua quidem præſtatione, ut præfertur admiſſa, nos eidem domino noſtro, ſacro aſſiſtente collegio, dictum homagium dicti domini noſtri Regis fecimus nomine, & fidelitatis præſtitimus juramentum. Et quia, ſicut decet gratum filium & devotum, cum ipſius domini noſtri beneplacito in his & aliis concurrere promptis affectibus cupimus, & proinde nolumus propter ipſam præſtationem noſtram in aliquo derogari Romanæ eccleſiæ, dicto domino noſtro, aut futuro Romano Pontifici; nec domino noſtro Regi, aut ſucceſſoribus ejus in præſtatione juramenti & homagii prædictorum per procuratorem vel nuncium novum aliquod in futurum propterea jus acquiri; ecce proteſtationi præmiſſæ liberaliter aſſentimus, ſic tamen quod per aſſenſum hujuſmodi dicto domino noſtro Regi vel ſucceſſoribus ejus in jure, ſi quid circa id ſibi quomodolibet competit, nullatenus detrahatur: & nihilominus nos facturos & curaturos expreſſe promittimus, quod dictus dominus noſter Rex infra ſeptimam diem proximo futuri menſis auguſti eidem præſtationi præbebit aſſenſum; de cujus præbitione infra idem tempus mittet ad ſedem Apoſtolicam regias patentes literas, aurea bulla regiæ majeſtatis impreſſa typario communitas. In cujus rei teſtimonium præſentes fieri fecimus literas, ſigilli noſtri appenſione munitas. Dat. Avinione die* VII. *menſis maii, anno Domini MCCCXVII. quintædecimæ indictionis.*

XXIV. Robertus Rex geſta ab oratore confirmat.

(a) Ext. ubi ſup.

Exolvit promiſſorum religonem Bertrandus comes, atque Robertum Regem permovit, ut accepta re ſubiecto diplomate (a) regio datam Pontifici ſyngrapham confirmaret.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri & clementiſſimo domino ſuo domino Joanni, divina providentia, ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontif. Robertus Dei gratia Rex Jeruſalem & Siciliæ cum omni reverentia & honore devota pedum oſcula beatorum.*

*Nobilis vir Bertrandus de Baucio comes montis Caveoſi, dilectus cognatus, familiaris, conſiliarius, & fidelis meus per literas ſuas mihi nuper aperuit, quod in præſtatione ſacramenti fidelitatis & homagii, ad quam eum benigne de ſpeciali gratia meo nomine recepiſtis, idem comes ad veſtri & eccleſiæ Romanæ cautelam ſuas conceſſit literas ſub ſerie ſubſequenti: Nos Bertrandus, &c.* Inſerit datæ ab oratore ſuo ſyngraphæ formam iiſdem conceptam verbis, quibus nos eam ſuperius adduximus, additque. *Ego igitur, pie pater, pro dicta gratia gratus, ſicut & de aliis veſtris beneficiis eſſe, Deo dante, confido; omnia & ſingula in præfatis literis dicti comitis contenta ratificans & acceptans, illis expreſſe conſentio, & mea ratihabitione confirmo. In cujus rei teſtimonium præſentes literas fieri feci, & aurea bulla meæ maieſtatis impreſſa typario communiri. Actum Neapoli anno Domini MCCCXVII. Dat. ibidem per manus Bartholomei de Capua militis, Logothetæ, et protonarii regni Siciliæ ſub eiſdem annis Domini die XXIX. maii quintædecimæ indictionis, regnorum meorum anno nono.*

Reponi juſſit regias haſce literas Joannes in pontificio ſcrinio, ut Romanæ eccleſiæ juribus conſuleret, reique geſtæ memoriam ſecuturis temporibus transfunderet; eaque de re Robertum Siciliæ Regem certiorem fecit (b), repetita in iis literis totius rei geſtæ hiſtoria, quas IV. id. junii hujus anni conſignatas brevitatis cauſa prætermittimus.

(b) An. 1. p. 4. ep. com. 4135.

XXV. (c) Ext. in arce S. Angeli & inter Col. Plat. to. 1. pag. 396. & lib. privil. Rom. eccl. to. 1. pag. 215. & apud Jo. an. 2. p. 1. ep. com. 6. & in MS. Vall. bibl. ſign. lit. B. n. 12. pag. 535.

Inſtitutæ de clientelari ſponſione a Roberto Rege Pontifici præſtita orationi addemus, Robertum ipſum illatis Pontificio ærario decem millibus unciis auri, ſolvendi reliqui vectigalis diem ſibi extrahi pontificia indulgentia obtinuiſſe, qua de re publica documenta extant ab ipſo edita (c).

Non his modo beneficiis Robertum ſingulari ſtudio eſt complexus Pontifex; verum etiam ſaluberrimis monitis, quibus ipſum ad regiam dignitatem ſuſtentandam regnumque optimis legibus temperandum informavit. In primis quidem omnibus virtutibus perpolitos viros, ad quos ſummam rerum referret, deligere juſſit: ex eorum enim rectis improbiſve conſiliis regni ſtatum pendere. Quæ porro in iis prudentiæ & integritatis ornamenta exigeret, ſubjectis verbis deſcripſit (d).

Salubribus præceptis Robertum imbuit Pontif.

(d) To. 1. ep. ſecr. 305.

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Siciliæ illuſtri.*

*Quanto ſincerius perſonam tuam diligimus, tanto nimirum gravius perturbamur, cum ad nos ea de te pervenire contingit, quæ dedecent excellentiæ regiæ dignitatem, & in tui præſertim ſtatus vergunt periculum & honoris. Ecce, fili chariſſime, de te nedum communis aſſertio, ſed ipſa rei evidentia prædicat, quod licet inter cæteros mundi catholicos principes abundanter exiſtas literali ſcientia præditus, & excellenter ingenio naturali dotatus; illud tamen ab intuitu regiæ conſiderationis excludens, quo minus ſalubriter diſponitur regnum, quod non regitur conſilio ſapientum, quodque tales conſiliis Regum debent aſſiſtere, qui ſciant, velint, & valeant patientibus compati, paci terræ ac populi ſaluti proſpicere, erudire ad juſtitiam Reges, imminentibus occurſare periculis, vitæque maturioris exemplis informare ſubjectos, & quadam auctoritate poteſtativa præſumptionem malignantium cobibere; juvenes inexpertos, ignobiles mente ſimul & genere, & qui cum ſcientia & induſtria careant, ſe ipſos gubernare non norunt, tuo lateri applicas & per viam Roboam imprudenter incedens, a te conſiliarios venerandæ maturitatis elongas. Porro, fili, non hæc tibi claræ memoriæ progenitorum tuorum exempla ſuadent, qui non homines delicatos & molles; ſed timoratos & virtuoſos viros, ſtrenuos in agendis, ſcientiæ profunditate conſpicuos, aut multa ſaltem & grandia frequenter expertos de remotis etiam finibus attraxerunt, & admiſerunt in familiaritatis ſuæ ſacrarium, & ſuis conſiliis aggregarunt: ex quorum aſſiſtentia multum decorabatur regale faſtigium & regni negotia feliciter agebantur, & quorum auctoritas, ut de prudentia & rerum experientia taceamus, legationi dum mittebantur, non parum videbatur adiicere gravitatis, & ex quibus etiam plurimi propter eorum notam ſufficientiam dignoſcuntur ad ſublimiora fuiſſe provecti.*

Hortatur ut ſapientiſſimos in conſilium ſibi aſciſcat.

Arguit juvenibus ſe committere.

Majorum in ea re exempla proponit.

*Quæſumus itaque, fili, & tui honoris ac utilitatis obtentu ſano conſilio ſuademus, quatenus a tantis progenitoribus editus, ab ipſorum ſemitis non declines: ſed tui generis magnitudine in his & aliis ſic virtutibus etiam ſuperes, ſicut ſcientiæ ubertate tranſcendis, illos in tuos conſiliarios eligens, & electos in regalis benevolentiæ ſinu fovens, quos tibi credas fideles, & prudentes agnoſcas; non illa prudentia fragili, ex qua multis inaniter nomen prudentis imponitur, qui in magnis negociis poſiti, eorum ingreſſum vel exitum non viderent. Illos, fili, tuo habeas lateri jugiter aſſiſtentes, qui nec capiuntur munuſculis, nec muneribus corrumpa-*

Prudentes negat, quos rerum aditus & exitus latent.

Quas in iis dotes deſideret.



*-ntur; & qui tibi bene conſulere audeant, nec ad tuum diſpendium tuam faciem vereantur; & qui non tibi placentia, ſed fructuoſa ſuadeant: cum nec quicquid molle ſenſeris, exiſtimare debeas eſſe bonum, & a longis retro temporibus in domibus Regum ſint, & eaſdem libenter inhabitent & frequenter ii, qui mollibus veſtiuntur, ſupponentes pulvillos cubitis, & capitibus oleum infundentes, &c. Datum Avinioni* XV. *kal. julii.*

XXVI. (a) Ib. pag. 131. Regina Sancia intempeſtiva pietate a viro diſcedere cogitat.

His ad Robertum Regem monitis addemus alia, Reginæ Sanciæ tradita (a), quæ intempeſtivæ pietatis ſenſu in tranſverſum acta, diſſolvere conjugii jura, ſeque a Roberto ſegregare meditabatur, ut liberiorem animum rebus divinis transfunderet. Hærere enim viri lateri, ac dare operam liberis, quos in divino timore educaret, juſſit; ac dæmonis dolos expoſuit, qui pietatis falſo nitore a vera illam pietate abducere moliebatur.

*Chariſſimæ in Chriſto filiæ Sanciæ Reginæ Siciliæ illuſtri.*

*Quia interdum, filia, humani generis inimicus, ut incautos ſub ſpecie boni decipiat, ſe in lucis angelum transfigurat; idcirco de tua ſalute ſoliciti, ſuper aliquibus te præmunire providimus, ut te in periculum promptum incidere, quantum in nobis fuerit, non ſinamus. Et quidem, filia benedictionis & gratiæ, ſcimus te, ſpiritus ſinceritate vigentem, ad ea, quæ Dei ſunt, laudabiliter provehi: ſcimus te mundana pia magnanimitate contemnere, & ad immaculati agni nuptias totis niſibus anhelare: ſed nec ignoramus, te chariſſimi in Chriſto filii noſtri Roberti Regis Siciliæ viri tui ſic pro lege matrimonii ſubiici poteſtati, quod nec vovendo, nec alias aliquid faciendo, quod ipſi matrimonio deroget, habes tui corporis poteſtatem. Et licet cœleſti ſponſo placere deſideres, oculos tamen terreni ſponſi non debes offendere; quin potius, ſervata pudicitia conjugali, te ſibi placidam & irreprehenſibilem exhibere. Nec tibi ſuadeat aliquis, quin omnia hujuſmodi vota, poſt matrimonium carnali copula conſummatum emiſſa, ſine conſenſu viri ſunt penitus reproba, gravibus plena periculis, & ipſius conjugii inſtitutori moleſta.*

Monetur a Pont. caſtitatis votum, non aſſentiente marito, non acceptum Deo.

*Quocirca celſitudinem tuam monendam duximus & hortandam in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus prudenter attento, quod tribus de cauſis uxor principaliter ducitur, ut ſit videlicet in adjutorium conjugi, ut proles ſuſcipiatur ex ea, & incontinentiæ vitium evitetur, te nullatenus a bono matrimonii retrahas; ſed ipſi viro tuo te adjutorium gratum præbens, per emiſſionem voti cujuſlibet, aut tui ſubtractionem, nequaquam eum ad incontinentiam provoces: ſed cum ambo in illius ætatis teneritudine conſiſtatis, ut probabiliter poſſitis de ſobolis fœcunditate ſperare, proli procreandæ vacetis: cum conjugii præmium & gratia nuptiarum partus ſit fœminarum. Dat. Avin.* II. *non. aprilis.* Hactenus de rebus Siculis.

Jubetur dare operam liberis.

XXVII. Imperii urbes in Italia tyrannis expoſitæ.

Quod ad reliquas Italicas res ſpectat; cum ob duorum Cæſarum electionem Italiæ ea pars, quæ obnoxia Romano imperio erat, in contraria ſciſſa eſſet ſtudia, ac plerique potentia & clientelis freti temere vicariorum imperialium dignitatem in Etruriæ & Inſubriæ urbibus affectarent; Pontifex, ad quem imperii principe ſuo viduati cura devolvitur, tum ut utilitati & paci publicæ, tum juribus Apoſtolicæ ſedis conſuleret, conſtitutionem edidit, qua vicarios, qui apoſtolico injuſſu urbium gubernacula occuparant, exauctoravit. In ea quidem primum præfatus, ſi ad Cardinalium atque epiſcoporum defendenda jura ſtudium collocandum merito videatur, eo potius in ipſius Romanæ eccleſiæ ſponſæ ſuæ tuenda dignitate, ac juribus aſſerendis majorem diligentiam atque operam eſſe dirigendam, hæc ſubdit (b).

(b) Lib. 1. ep. cur. 76. Ut vacantis imperii adminiſtratio ſpectet ad Pontificem.

*Joannes, &c. In noſtram & fratrum noſtrorum deductum eſt fama divulgante notitiam, quod licet de jure ſit liquidum, & ab olim fuerit inconcuſſe ſervatum, quod vacante imperio, ſicut & nunc per obitum quondam Henrici Romanorum Imperatoris vacaſſe dignoſcitur, cum in illo ad ſecularem judicem nequeat haberi recurſus, ad ſummum Pontificem, cui in perſona B. Petri terreni ſimul & cæleſtis imperii jura Deus ipſe commiſit, imperii prædicta juriſdictio, regimen, & diſpoſitio devolvantur, & ea, tempore durante ipſius vacationis imperii, per ſe, vel alium, ſeu alios exercuiſſe noſcitur in imperio memorato; nonnulli tamen in Italiæ partibus poteſtatis & dignitatis faſtigium illicite ambientes, in noſtrum & ſanctæ Romanæ matris eccleſiæ, quantum in eis eſt, præjudicium evidens, ac diminutionem honoris & juris, vicariatus ſeu alterius cujuſcumque nomen officii, quod ipſo Imperatore vivente ex ipſius commiſſione gerebant, in certis terris, territoriis, ſive locis poſt deceſſum ipſius abſque noſtra vel Apoſtolicæ ſedis petita vel obtenta licentia retinere ſibi; & nonnulli etiam de novo aſſumere, quod non geſſerant, aut geſtum antea poſteaque dimiſſum reſumere temerariis auſibus præſumpſerunt, quo vel quibus adhuc non verentur abuti, ac ſub ejus vel eorum colore multa facere & feciſſe noſcuntur, quæ in noſtram & eccleſiæ prædictæ injuriam aperte redundant; non abhorrentes per id variis involvi criminibus, nec divinæ Majeſtatis formidantes offenſam.*

Queritur Joan. nonnullos urbium præfecturas nullo jure invadere.

XXVIII. *Quia igitur error, cui non reſiſtitur, ap-*

*approbari videtur, & latum pandit delinquentibus ſinum, qui eorum perverſis conatibus non reſiſtit; nos, volentes noſtris & eccleſiæ ſponſæ noſtræ juribus & honoribus in hac parte proſpicere, & malis ac ſcandalis, quæ ex retentione, aſſumptione, ſeu reſumptione hujuſmodi orta ſunt hactenus, & quæ periculoſe poſſent in antea ſuboriri, celeriter obviare; necnon periculis animarum hujuſmodi retinentium, aſſumentium, ſeu reſumentium nomina, & eis abutentium, ut præfertur, ſalubriter occurrere cupientes; præſentium auctoritate monemus ſub excommunicationis pœna omnes & ſingulos, cujuſcumque ſtatus, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis exiſtant, etiamſi patriarchali, vel quavis alia ſuperiori, aut pontificali, vel regia, ſeu alia quacumque præfulgeant dignitate, qui poſt vacationem imperii abſque noſtra vel ſedis prædictæ licentia hujuſmodi vicarii, ſeu cujuſvis alterius officii nomen ſibi ubilibet retinuerunt, aſſumpſerunt, ſeu reſumpſerunt & retinent; & qui aſſument, vel reſument fortaſſis in poſterum, & ſub talis denominationis pallio abuſi ſunt & abutuntur, vel etiam abutentur poteſtate vel juriſdictione quacumque, ſeu ejus executione publice vel occulte; quatenus de cætero a denominatione hujuſmodi ſeu nominis aſſumptione, reſumptione ac retentione prædictis; necnon uſu, poteſtate, & exercitio ſupradictis prorſus abſtineant, & omnino deſiſtant; inhibentes inſuper ſub pœna prædicta omnibus & ſingulis patriarchis & prælatis etiam aliis, ſuperioribus & inferioribus, ac Regibus, civitatibus, communitatibus, univerſitatibus, capitaneis, poteſtatibus, rectoribus, comitibus, vicecomitibus, baronibus, & aliis omnibus, cujuſcumque ſint dignitatis, conditionis, aut ſtatus, ne prædictos, hujuſmodi nomen ſeu aliud quodlibet in eodem imperio retinentes, ut præfertur, aut aſſumentes vel reſumentes, vel eorum aliquem ſub denominatione vel titulo hujuſmodi nominum; ſeu procuratores, commiſſarios, judices aut vices eorum gerentes quocumque colore quæſito, recipiant vel admittant; nec ut vicariis, ſeu vicario, aut officialibus imperii pareant vel intendant, aut pareri vel intendi faciant vel permittant, nec in his eis vel ei quodlibet præſtent auxilium, conſilium, vel favorem.*

Objecta iis anathematis pœna.

Intentata eadem pœna iis, qui ipſorum imperia exceperint.

*Alioquin in omnes & ſingulos patriarchas, prælatos etiam, ſuperiores & inferiores, & cæteros denominationem prædictam, ut præmiſſum eſt, retinentes, aſſumentes, ſeu reſumentes; ac illius prætextu exercentes quæcumque officia, poteſtates, ſeu juriſdictiones; & in recipientes eos ut vicarios vel officiales imperii, aut commiſſarios eorum ut talium, & in parentes ſeu obedientes eis ut talibus, aut præſtantes in hoc ſibi auxilium, conſilium, vel favorem; niſi infra duorum menſium ſpatium, a die datæ præſentium numerandum, penitus reſipuerint, vel ſe licentia ſedis Apoſtolicæ ſuper hoc oſtenderint communitos; excommunicationis in ſingulares perſonas, & in terras & loca ipſorum, & quaſlibet communitates, univerſitates, civitates, aut villas interdicti ſententias de fratrum noſtrorum conſilio publice promulgamus; contra eos nihilominus ſpiritualiter & temporaliter gravius proceſſuri, prout inobedientia eorum exegerit, qualitas facti ſuaſerit, & viderimus expedire.* Subdit ſe in eos divinas humanaſque alias pœnas cumulaturum, prout patrati criminis magnitudo juſtitiæ ſeveritatem exaſperarit. Utque omnis fovendæ hujuſmodi temeritatis amputetur occaſio, denuntiat omnia ſacramenta, quibus ii, qui vicariatus imperii nomen retinuerint, aut ſibi arrogarint, fuerint aſtricti, auctoritate apoſtolica reſcindi convellique: præterea omnes coitiones contrarias conventioneſque, quamvis jurejurando corroboratas, diſſolvi ac labefactari; & omnia hujuſmodi ſacramenta, quæ juribus eccleſiæ detrahant, cum vinculum iniquitatis res ſacra eſſe non debeat, penitus infringi. Denique concludit, ut ea publica acta ad omnes pervadere poſſent, in eccleſiæ Avenionenſis oſtiis defigenda, in omnium oculis collocanda. *Dat. Avin. in domo epiſcopali* II. *kal. april. anno* I.

Præſtita ea de cauſa ſacramenta reſciſſa.

XXIX. Vicariatum imperii in Italia Roberto pollicetur Joan.

Meditabatur Joannes Etruriæ, atque Inſubriæ imperialem vicariatum in Robertum Siciliæ Regem Clementis exemplo conferre; ſed cum graviſſimo in Fridericum Regem Trinacriæ bello, ut diximus, implicitus eſſet, rem diſtulit: firmatis autem induciis, ſignificavit (*a*) exeunte anno, ſe ad eum Clementis literas de vicariatu imperii ob illius mortem ſigillo apoſtolico nondum obſignatas ad eum tranſmiſſurum; monuitque nulla ab ipſo pro gerenda ea dignitate ſubſidia expetenda eſſe, cum non oneri, ſed honori eſſet futura, ejuſque avus Carolus I. geſto vicariatu Siculas res confirmaſſet. Creatum vero ineunte anno Robertum a Joanne Urbis ſenatorem, ac pontificiarum copiarum ducem, oſtendunt ea de re literæ idibus januarii exaratæ (*b*). Verum VI. id aprilis Flaminiæ Ferrariæque adminiſtrationem internuntio pontificio Guillelmo epiſcopo Trecenſi Regem ipſum tradere, ſuoſque adminiſtros revocare juſſit. Excitata quippe Ferrariæ ingens fuerat ſeditio adverſus præſidiarios milites a Roberto impoſitos, qui non ſine magna ſtrage in arcem Thedaldi retruſi fuere. Eam quidem defectionem Albertinus Muſſatus in libro VIII. (*c*) M. S. Vat. de geſtis Italicorum, cujus libri pars maxima nondum typis cuſa eſt,

(*a*) *Tom.* I. *ep. ſecr.* 441.

Creat eum Urbis ſenatorem.

(*b*) *Epiſt.* 147. 148.

Coorta Ferrariæ ſeditio.

(*c*) *Muſſ. M.S. Vat. ſign. n.*2962. *l.* 8. *de geſt. Ital.*



eſt, regiorum adminiſtrorum licentiæ & latrocinio aſcribit, cum Mego Caſertanus comes, excitus a Roberto, Nicolao Marantio Apulo eam præfecturam demandaſſet: & divexatos Ferrarienſes magiſtratuum avaritia queritur Joannes; quocirca excitis Raynaldo, Azone, & Opizone marchionibus (*a*) pontificio imperio ſe ſubduxere, arcemque Thedaldi captam ſolo adæquarunt. De Ferrarienſium ad Ateſtinos defectione meminere ſcriptores (*b*), extatque Joannis XXII. edictum, quo Ferrarienſibus perduellionis intendit judicium, ac ni ad dicendam cauſam conſtituta die oratores mittant, graviſſimarum pœnarum terrorem incutit. (*c*)

Illius imperium corripiunt Ateſtini.

(*a*) *Joan. Tom.* I. *ep. ſecr.* 444.

(*b*) *Jo. Vil. l.* 8. *c.* 83. *Ant.* 3. *p. tit.* 21. *c.* 4 *ante* §. I. *Pign. hiſt. Ateſt. l.* 4.

Vocati in in jus Ferrarienſes.

(*c*) *An.* 3. *ep. cur.* 202.

*Joannes, &c. dilectis filiis univerſitati & populo ac communitati Ferrarienſi, eccleſiæ Romanæ ſubjectis.*

XXX. Objecta illis a Pont.

*Nuper, ſicut ad noſtrum auditum fide digna produxit aſſertio, publicaque fama notoria, vos tanquam infideles & ſtolidi, filiique degeneres tam grandia beneficia matris ejuſdem, non abſque multæ ingratitudinis vitio, habere memoriæ dedignantes; immo nobis verius, & eidem eccleſiæ pro tam copioſis muneribus gratiarum compenſantes opprobrium, & pro eiſdem beneficiis rependentes offenſas, & contra nos & præfatam eccleſiam erecta cervice ſuperbiæ conſpirantes, temerariis auſibus rebellaſtis; & ſubſequenter vobis Raynaldo, Azone, & Opizone marchionibus Eſtenſibus & nonnullis complicibus advocatis, burgum civitatis ipſius, quod dicitur S. Marci, caſtro noſtro Theodaldi contiguum, & demum caſtrum ipſum duris expugnaſtis aſſultibus; & illud, quod erat ad veſtrum & civitatis prædictæ munitionem & robur, cremaſtis incendio, ipſo poſtmodum caſtro ut majorem nobis & eidem eccleſiæ pararetis offenſam, converſo funditus in ruinam: in officiales vero chariſſimi in Chriſto filii noſtri Roberti Regis Siciliæ illuſtris, cui regimen veſtrum & civitatis prædictæ, per ſe vel per alium exercendum apoſtolica fuerat auctoritate commiſſum, ad veſtrum & ipſius civitatis regimen deputatos, & nonnullos alios aſſiſtentes eis; demum, ſceleſtis actibus data licentia & debito prorſus humanitatis excluſo, irruiſtis immaniter & eos, paucis exceptis, quos facitis carceri detineri captivos, deprædationi ſpoliis eorum expoſitis, crudeliter trucidaſtis.*

Inita cum Raynaldo Azone & Opizone coitio. Arx Thedaldi diruta.

Roberti Regis præſidiariæ copiæ conciſæ.

*In civitate quoque prædicta, ſuique comitatu, territorio, & diſtrictu, qui ad nos & præfatam eccleſiam velut demanium ſpeciale nedum ab antiquo ſed ab ipſo primario fundamento etiam temporaliter pertinuerunt & pertinet pleno jure; ſicut etiam ſyndici veſtri, procuratores, & nuntii, cum pleno & ſufficienti mandato dudum propter hoc ad ſedem Apoſtolicam deſtinati, coram felicis recordationis Clemente Papa V. prædeceſſore noſtro in conſiſtorio publico aſtante fidelium multitudine copioſa, recognoverunt veſtro nomine ſolemniter & expreſſe; illaque de novo prædeceſſori & Rom. eccl. ſæpe dictis conceſſerunt, ſubjecerunt ſubmiſerunt, & in eos etiam tranſtulerunt, ligio facto in manibus prædeceſſoris ejuſdem homagio, & fidelitatis præſtito juramento; dominium uſurpaſtis civitatis, comitatus, territorii & diſtrictus prædictorum, fortelitia & caſtra nequiter occupando; certis nihilominus ad regimen veſtrum & civitatis ipſius poteſtate, capitaneis, & officialibus aliis vocatis, & jam etiam deputatis: ſicque fidelitatis debito violato, reatum periurii miſerabiliter incurriſtis, de ſinu maternæ dulcedinis in perditionis opprobium lapſu præcipiti corruendo.*

Ferrarienſ. oratores jam ante Clementi V. clientelæ nomine fidem adduxiſſe.

Subdit, quamvis ex apoſtolica manſuetudine, quæ crudelius provocata benignius miſeretur ad delenda venia ſcelera propendeat; tamen ad coercendam improborum audaciam, ne in graviora prorumpat, ſe ipſis aliiſque dignitate conſpicuis, qui ſe defectionis illius crimine devinxerunt, imperare ut intra triginta dierum ſpatium Bononienſi & Atrebatenſi epiſcopis, atque Aymerico de caſtro Lucii archidiacono nunciis apoſtolicis Ferrariam cæteraſque comitatus arces, ejectis aliis præſidiariis militibus, committant, ac ſedi Apoſtolicæ ſuos ad dicendam cauſam oratores ſe ſiſtere jubeant; exauctorari pontificio imperio eos omnes, qui ſe publicæ rei moderandæ ingeſſerunt, eorumque geſta reſcindi; ac ni temere affectato munere abeant, anathemate irretiri: ſi hæc Apoſtolica juſſa ſpernat, fidelium cœtu ſacrorumque communione depelli, neque earum cenſurarum religione, niſi in extremis mortis confiniis ſolutum iri. Cum vero beneficia collata ob ingrati animi vitium revocanda ſint, ſi aliis triginta ſecuturis diebus perſtiterint in pervicacia, omnibus privilegiis, immunitatibus, bonis, & vectigalibus exutum iri: ſubditos clienteſque fidei datæ religione liberandos, interdicenda commercia, denuntiat. Præterea aliis pœnis eorum contumaciam urget: ſi in ea obriguerint, infamiæ nota inuſtos fore; teſtamenti condendi facultatem adimendam, atque ex illo ſuccedendi jus amiſſuros: nullius dignitatis, ſive eccleſiaſticæ vel civilis, gradum adepturos: inſtrumenta eorum opera confecta nullum robur habitura. Tum ſimillimis pœnis eos afficit, qui cum ipſis, dum in rebellione perſtabunt, coitionem fecerint, fœduſve publicum vel tacitum percuſſerint, eorumve partibus ſuſtinendis ſe addixerint: quæcumque vero fœdera contra ſedis Apoſtolicæ jura inita ſint, reſcindi. Adiicit poſtea, cum pertinacia creſcente pœna augenda ſit,

XXXI. Abrogatum a Pont. novis magiſtratibus munus.

Incuſſæ civibus minæ.

ſit, ſi evolutis triginta diebus ultimo præfixis, monitis averſas præbuerint aures, eos omnes, qui publicis muneribus admoti ſunt, exauctorandos, bona vectigalia fiſco addicenda, alia exponenda direptioni. Denique poſt alias id genus pœnas intentatas, ad temperandam clementia ſeveritatem inflicti ſacrorum interdicti, ſubiungit.

Qua ratione ſervandum eccleſiaſt. interdictum.

*Concedimus tamen quod in maiori Ferrarienſi & aliis eccleſiis, locis, ac domibus eorumdem, duæ, tres quatuor, vel quinque, aut ſex perſonæ ſecundum magnitudinem vel parvitatem eccleſiarum, locorum, & domorum prædictorum converſi & illiterati viri, aut clerici in minoribus ordinibus conſtituti; nec non in parochialibus eccleſiis parochiales presbyteri, pro miniſtrandis baptiſmate parvulorum & aliis ſacramentis eccleſiaſticis, quæ de jure interdicti tempore miniſtrantur, poſſint licite romanere. Intendimus enim quod vobis, ſi forſan in rebellione perſtiteritis antedicta, reatus veſtros pœnarum acerbitate deflentibus, fletus veſtri pœnales cedant poſteris ad terrorem, & commiſſum proditionis crimen ſemper in frontibus veſtris ſculptum appareat, & ad confuſionem veſtram tranſeat in memoriam futurorum. Dat. Avinione idibus ſeptembris pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Legati ad eos miſſi.

(a) Ib. ep. 204.

Quo vero facilius Ferrarienſes ad officium adduceret, Bononienſem & Atrebatenſem epiſcopos nuntios apoſtolicos Ferrariam legavit (*a*), ut pontificia juſſa perduellibus exponerent, mulcerent eorum furorem, apoſtolicas in pertinacia obfirmatis cenſuras obiicerent; nec divinas modo, ſed humanas etiam pœnas iis infligeret. Frangere animos ad monita apoſtolica viſi Ferrarienſes, nunciiſque pontificiis ſe obſtrinxere, in Joannis poteſtate & auctoritate futuros; atque etiam in ipſos, porrectis portarum clavibus, Ferrariæ imperium transfudere. Quem felicem ſucceſſum Pontifex Roberto Regi devexo jam anno, nempe id. decembris ſignificavit (*b*): ipſumque paucis poſt diebus, nimirum XIV kal. januarias perſtrinxit, regios adminiſtros Ferrarienſes adeo tyrannico jugo ob nimiam avaritiam exaſperaſſe, ut ipſos ad rebellionem concitarint; & Aemiliam, ni caveat, defectionem moliri. Movere etiam ſeditionem Beneventani in pontificios magiſtratus, gravibuſque edictis (*c*) repreſſi fuerunt.

Redit ad eccleſiæ obſequium Ferraria.

(b) To. 1. ep. ſecr. 442.

(c) An. 3. p. 1 ep. cur. 205.

XXXII. Civili bello ardet Italia.

Per idem tempus laniabatur bellis civilibus Inſubria, quæ non modo diſcors duorum principum Ludovici Bavari ac Friderici Auſtriaci electio, ſed vetera quoque Guelphorum & Gibellinorum nomina pepererant; cumque Ugucio Fagiolanus, Gibellinorum auctus potentia, Piſas recuperare moliretur, propulſatus (*d*) eſt: Genuenſes, excitatis novis diſcordiis, in magnum diſcrimen publicam rem adduxere (*e*): Gibellini Inſubres Cremonam cinxere (*f*) obſidione, quam Bononienſes ſolvere coegerunt: Veronenſes conſurrexere (*g*) in Patavinos duce Cane grandi, cujus prælia Muſſatus (*h*) metro heroico deſcripſit, ac montem Silicem expugnarunt. Ad quæ & alia imminentia mala ſopienda Joannes, apoſtolico zelo impulſus, viros religione præſtantes tranſmiſit (*i*), nimirum Bertrandum e Turre Minoritam & Bernardum Guidonem Prædicatorem ſacræ fidei in Galliis cenſorem, eundemque, ut arbitror, Romanorum Pontificum ac Regum Francorum annalium ſcriptorem, non ob ſtyli elegantiam, ſed veritatis puritatem nobiliſſimum, cujus dicta pontificiis literis conſentientia comperi: quos auctoritate ad diſſolvendos omnes impietatis nexus, & coitiones ſacramento confirmatas reſcindendas inſtruxit (*k*); tum etiam principibus Italis Romano imperio obnoxiis, eccleſiaſticis ac laicis, impenſe commendavit (*l*), ut ſaluberrimis eorum monitis faciles ſe præberent: propoſuit enim ob oculos ingentia mala, quæ ex ipſorum diſcordiis emergerent: animarum diſcrimina, quæ in caducis opibus per fas & nefas comparandis ſubirent; paternum denique amorem ſuaviſſimis verbis, e prophetarum oraculis petitis, explicuit (*m*).

(d) Jo. Vil. l. 9. c. 84.

(e) Id. ib. c. 85.

(f) Ib. c. 87.

(g) Ib. c. 88.

(h) Alb. Muſ. l. 9. 10. 11. de geſtis Italic. Cort. hiſt. l. 2. c. 1.

Nuntii apoſtolici ad civile bellum componen. miſſi.

(i) An. 1. p. 1. ep. cur. 58. 87. 88.

(k) Ib. ep. 89.

(l) Ib. ep. 88. & to. 1. ep. ſecr. 93.

(m) An. 1. p. 1. poſt ep. cur. 59.

*Dilectis filiis nobilibus viris univerſis marchionibus, comitibus, baronibus, cæteriſque nobilibus; poteſtatibus quoque, capitaneis, aliiſque rectoribus; communitatibus & univerſitatibus, ac perſonis civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum, per Lombardiæ, marchiæ Tarviſinæ, & Venetiarum; ac Aquileienſis, & Gradenſis patriarchatuum, nec non archiepiſcopatus Januenſis terras ac partes conſtitutis.*

Italos ad mutuam pacem hortatur Pontifex.

*Etſi divinæ legis teſtetur auctoritas, parentum in filios dilectionis propagari dulcedinem; naturæ tamen id congruit, ſenſus efflagitant, ac vigor id rationis expoſcit, & ipſorum ſolicitudinis ſtudio communis parentum pietas effectum apertius manifeſtat. Quid namque naturæ magis perceptum illabitur? Cui ſenſum vires magis aſſentiunt? Aut quid parentes iidem libentius ut impleant proſequuntur, quam amare quos generant, fovere quos pariunt, diſcordeſque concordare quos conjunxerunt, eoſdemque reducere devios quos lactarunt? Nunquid, juxta propheticum dictum, oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Ubi ex perſona omnipotentis Dei, cujus ſapientia conditi ſumus, & providentia gubernamur, indilate ſubjungitur: Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non oblivisçar tui.*

*Quo fit, ut nos, quos ſuum univerſalem in terris vicarium, dignatione ſua non noſtris exigentibus meritis, patremque*



*que multarum gentium ipſe conſtituit; ac ſacroſancta Romana & univerſalis eccleſia & unica ſponſa ejus, cui præſidemus indigni, cunctorum Chriſti fidelium vera quidem non carne mater, ſed ſpiritu, quos fide docet, ſacramentis regenerat, ſpe refovet, charitate vivificat, nec habet enim aliquod viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis; nequaquam vos noſtros & ejuſdem eccleſiæ ſpiritualis benevolentiæ filios neglecturi relinquamus; ſed indefeſſæ vigilantiæ cura vias quæramus prudentiæ, quibus procelloſis terrarum & partium veſtrarum guerrarum turbinibus, rerum jacturis, animarum corporumque periculis, ac venenoſis partialitatum diſſidiis profligatis, vobis ac ipſis terris & partibus quietis & ſalutis & pacis * propinemus. Nam tribulationes civitatum veſtrarum & partium audivimus, quas paſſæ ſunt, cum non ſolum hoſtilium bellorum ſæva, ſed & civilium ſeditionum tumultuoſa, quinimmo pluſquam civilia, ſcilicet fratrum propinquorum violato neceſſitudinis jure inteſtina bella multiplici ſunt afflictione perpeſſæ; ac in terris prædictis domus contra domum, contra civitatem civitas, gens contra gentem, pars ſurrexerit contra partem: ex quibus fuere ruinæ, deprædationes, depopulationes, incendia, aliaque animarum & damnoſa pericula, rerumque nociva diſpendia ſubſecuta.*

* pocula

Exortas e bellis civilibus calamitates exponit.

XXXIII.

*Verum quia, pater filiis Dei notam faciet veritatem, ut ſcriptura proloquitur; filioli, quos iterum parturimus, donec formetur Chriſtus in vobis, diligenter advertite, quod prædictis actibus, immo exceſſibus indubie Deus offenditur: peccatur in proximum, perſæpe læduntur innoxii; ac nonnumquam juſto Dei judicio in culpam pœna redundat, dum tantorum actores criminum, atrociumque ſcelerum patratores, quietis turbatores & pacis intereunt, occiduntur, & fugiunt, coacti deſerunt propria qui cæci cupidine inhiaverant alienis. Nam diſſipat Dominus gentes, quæ bella volunt, qui etſi permiſſione Dei ſuperaverint proximos, ſeparaverint & exprobraverint & ejecerint tanquam malos; ipſi tamen victores ſua iniquitate vincuntur, dum juxta beati Auguſtini doctoris egregii dictum, nemo injuſtum habet lucrum ſine juſto damno: ubi lucrum, ibi & damnum; lucrum in arca, damnum in conſcientia: tulit veſtem, & perdidit fidem: acquirit pecuniam, & perdit juſtitiam. Nec minus interdum circumagitata inſtabilitatis rota ſubſidunt, qui alta conſcenderant: optant pares fieri dudum minoribus, quos elati deſpexerant; ſuppliceſque ſuper ſe illos evectos inimicos exorant, quia: Depoſuit potentes de ſede & exaltavit humiles: eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes; cum & dives ille guttam aquæ petierit, qui micas panis Lazaro negavit.*

Falſam victorum felicitatem.

Diſſipari Urbes ex civium diſſenſionibus.

*Nec tantum ſingulariter ſinguli; ſed, quod perniciosius eſt, univerſaliter univerſi gravantur ex talibus: creſcit quippe nefas in publicum, & damnum in commune redundat. Suis non eſt terminis contenta nequitia, ſed univerſum commaculans, ingreditur aliena: nam dum ſe invicem partes præponere nituntur alterutri, ambæ deficiunt: & quæ humilitate & charitate proficerent, odiis & jactantia corruunt; quia ut parvæ res creſcunt concordia, ſic magnæ diſcordia dilabuntur: dumque partis hinc inde nomen aſſumitur, totum enervatur & deperit, cum nec totum inibi conſiſtat ex partibus, quæ non ipſum earum ad invicem aggregatione vivendo conficiunt; ſed potius ipſum earumdem diſgregatione dividendo confundunt. Ergo in illis diviſus eſt Chriſtus, qui fecit utraque unum, qui cum ſit juſtus judex, fortis, atque longanimis, reddet retributionem ſuperbis: Gladium, quippe, ſuum vibravit, arcum tetendit & paravit illum, & in ipſo mortis vaſa paravit. Manet namque illos, ſi non reſipuerint, ignis gehennæ perpetuus, exteriores tenebræ, fletus & ſtridor dentium, remordens conſcientiæ vermis ſecunda mors, horrida ſocietas dæmonum, profundum baratrum, animæ perennis & corporis cruciatus. Hortamur itaque univerſitatem veſtram in Domino, dilectiſſimi filii, & monemus ac per aſperſionem pretioſi ſanguinis quaſi agni incontaminati & immaculati domini noſtri Jeſu Chriſti, qui pendens in cruce Patrem pro ſuis perſecutoribus exoravit, obſecramus attentius in remiſſionem peccatorum injungentes, quatenus, &c.* Solicitat ut ſtricta in mutuas cædes arma abiiciant, ponant inimicitias, extinguant odia, coitiones præteritas diſſolvant, atque arctiſſimi amoris fœdere ſuas vinciant voluntates. *Dat. Avin.* IV. *kalend. februarii anno* I. Profectus in Inſubriam Bertrandus e Turre libellum (*a*) Pontifici obtulit, in quo ea, quæ Mediolani, Vercellis, & Novariæ de Guelpha Gibellinaque factione comperiſſet, deſcripſit.

Divinas iras intentat vitæque alterius ſupplicia.

Adjungit amantiſſimas preces.

(a) *Repertus eſt in archivo Avin. gerente legationem Octav. Aquav. an. 1594. Romamque perlatus.*

XXXIV. Matthæus vicecomes Brixienſes bello petit.

Gerebat porro inter Gibellinos principatum Matthæus Vicecomes Mediolanenſis, qui occaſionem e diſcordiis aucupatus viam ſibi ad tyrannidem muniebat. Exercebat ille maxime cum nonnullis Brixianis ſimultates, eoſque bello appetebat: cui malo ut mederetur Pontifex, illum amantiſſimis verbis mulcere ſtuduit (*b*), ac ne Brixienſibus cladem ullam, aut agris vaſtitatem inferret, abducere; viciſſim etiam Brixianos adhortatus, ne qua injuriam Matthæum afficerent. Tum Scaligerum Veronenſem (*c*), cui nomen Canis grandis inditum, Raynaldumque (*d*) dictum Paſſarinum præfectum Mantuanum rogavit, ut ad mutuam alendam pacem animos inclinarent. Sed Matthæus Vi-

(b) An. 1. ep. cur. 81.

Gibellini Principes bello abſtinere moniti.

(c) Ib. 1. 85.

(d) Ib. ep. 84.

Vicecomes condendi poſteris principatus & latrocinandi illecebra delinitus, fucata tuendi cæſarei nominis ſpecie, monita pontificia ſprevit, ſuiſque ſceleribus ſecuto poſtea diuturno & cruento bello, facem prætulit, ut poſtea dicetur. Ex quo patet, quam inique nonnulli Joannem carpant ob geſta in Inſubria adverſus Vicecomites bella, cum conſtet ſtudia omnia, ut pacaret Italiam, ipſum collocaſſe, zeloque juſtitiæ adverſus latrones impios arma ſtrinxiſſe, quos precibus & monitis compeſcere non potuiſſet. Admovit etiam Joannes curas apoſtolicas (*a*), ut eundem Vicecomitem atque Amedeum comitem Sabaudiæ, Philippum ex ea ſtirpe oriundum, ac Manfredum Salutiarum marchionem, armorum ſocietate Matthæo Mediolanenſi adverſus Robertum Siciliæ Regem devinctos, qui Pedemontium bello atterebant, ad pacem cum eodem Rege adduceret: nuntiiſque apoſtolicis Bernardo, ac Bertrando religioſis viris, provinciam impoſuit, ut ipſos bello abſiſtere juberent (*b*), cenſuriſque induciarum violatores percellerent. Mutuis adeo efferatæ erant odiis adverſæ partes, ut facile Pontifici non aſſenſerint: nec tamen ab iis monendis hortandiſque Joannem deſtitiſſe, oſtendunt ejus tum ad Robertum Regem (*c*), tum ad Amedeum Sabaudiæ comitem (*d*), ac Philippum (*e*) Sabaudæ ſtirpis principem datæ literæ, quibus oratores ad diſcordias, quæ de Pedemontio vertebantur, conciliandas mittere juſſit. Dejectas vero admodum in Pedemontio Roberti Regis res fuiſſe, indicant pontificiæ literæ IV. id. aprilis exaratæ (*f*), quibus Regem carpit defendendi ejuſdem comitatus curas ipſum abjeciſſe.

(*a*) Ib. ep. 88. 89. 90.

Amedeus Sabaud. comes Roberto Regi bellum in Pedemontio infert.

(*b*) Ead. ep. 89 & to. 1. ep. ſecr. 91.

(*c*) To. 1. p. 1. ep. ſecr. 287.

(*d*) Ib. ep. 288.

(*e*) Ib. ep. 289.

Roberti res in Pedemontio depreſſæ.

(*f*) Ep. 147.

XXXV.

Confirmatæ porro ſunt Roberti Regis partes nova rerum converſione Genuæ exorta, in qua vicit (*g*) Guelpha factio, ac Gibellina voluntarium ſibi exilium conſcivit. Cæterum erupit ea diſcordia ſequenti anno in bellum atrox, ad quod extinguendum Joannes apoſtolica ſolicitudine non defuit. Nec minus operæ contulit (*h*), ut Genuenſes ab inferendo Henrico Cypri Regi bello abduceret, ac demum pervicit, ut claſſem ad vaſtandam Cyprum non immitterent; qua de re Robertum Siculum (*i*), ac tum etiam Henricum (*k*) ipſum certiores fecit, Genuenſes decreviſſe ad kal. martias anni Domini MCCCXVIII. exercitum in Cyprium non miſſuros: non tamen privatos iis induciis contineri, quos acceptarum injuriarum dolor ad expetendam ultionem impelleret; adduci enim ipſos in ſpem, Genuenſes qui tenerentur a Cyprio Rege in vinculis, libertati reſtitutum iri, ut facilius concordia coaleſcere poſſit. Neque illud prætereundum, rogaſſe Pontificem aliis literis (*l*) Henricum, ut commeatus Rhodiis equitibus, qui rei frumentariæ inopia laborabant, ſuppeditaret; ſineretque debita vectigalia Cypro educere, donec inter Fulconem e Villareto & Mauritium e Pagnaco ſuborta de magiſtratus ſupremi dignitate contentio eſſet apoſtolica auctoritate dirempta.

(*g*) Jo. Vil. l. 9. c. 85.

Guelpha factio Genua Gibellinam pellit.

(*h*) Tom. 1. ep. ſecr. 72.

(*i*) Ib. ep. 132.

(*k*) Ib. pag. 127.

Genuenſes a bello Cyprio retardat Pont.

(*l*) An. 2. p. 2. ep. 24. Boſ. hiſt. Hoſp. eq. p. 2. l. 1.

Controverſia de ſummo ordinis Hoſpitalarior. magiſtratu exorta.

Deſciverat a priſtina virtute Hoſpitalariorum equitum princeps Fulco Villaretus, captaque Rhodo, non ad proferendum Chriſti cultum in Syriam extulerat mentem, ſed in delitias abjecerat; præteritiſque inſoleſcens victoriis, intentuſque privatæ rei, publicas curas ſpernebat: quocirca equites, communicato inter ſe conſilio, eum opprimere ex inſidiis adorti (*m*) ſunt: quas cum effugiſſet, ii inſtituto judiciorum ordine, illum exauctorarunt, ſibique præfecere Mauritium e Pagnaco. Ad quas componendas turbas decreti ſunt a Pontifice internuncii, ac Fulconi & Mauritio dicta (*n*) dies, ut apoſtolico tribunali ſe ſiſterent. Ut vero, Fulcone cedente principatu, Elionus ordini præfectus fuerit, dicetur inferius.

(*m*) Boſ. ib.

Equitum Rhodior. in principem ſuum conjuratio.

(*n*) Ib.

Miſerat (*o*) hoc tempore Oſſinius Rex Armenorum ad ſedem Apoſtolicam, Regeſque occidentales oratores, quorum princeps erat Jacobus epiſcopus Cabanenſis, ut ipſos ad expeditionem pro recuperanda Syria conficiendam incitaret; quos cum excepiſſet Pontifex, atque ad Philippum Francorum Regem dimiſiſſet, ſignificavit Oſſinio Philippum ad traducendum in Aſiam exercitum egregie animatum. Et quidem Philippus pio ardebat inſtaurandæ rei Syriacæ deſiderio: ſed ob exortas in occidente turbas ipſum poſtea Joannes ab eo conſilio retardavit (*p*).

(*o*) Tom. 1. ep. ſecr. 371. Boſ. hiſt. eq. Hier. p. 2. l. 1.

Oſſinius Rex Armen. principum adverſus Sarac. implorat auxilium.

(*p*) To. 2. p. 2. ep. ſec. 54.

XXXVI.

Interea ut vires hoſti ſubduceret, intentato anathemate, merces Saracenis inferri (*q*) vetuit. Cum vero Genuenſes nonnulli avaritiæ furiis perciti edicta de ea re pontificia violarent, Babyloniorumque nefario fœdere inficerentur adeo ut etiam execranda Mahometis ſigna præferrent, ipſos Pontifex ad Chriſtianam pietatem graviſſimis literis revocare ſtuduit (*r*): *Ad noſtrum*, inquit, *non ſine turbatione mentis pervenit auditum, quod nonnullorum concivium veſtrorum animum ſic occupavit ſæva cupiditas, ut qui gloriantur nomine Chriſtiano, Saracenis nominis prædicti blaſphemis, & perſecutoribus infeſtis catholicæ fidei, arma, ferrum, lignamina, & alia probibita ſæpius deferant; ſocietates ac commercia illicita ineant cum eiſdem, eorumque vires damnabiliter fulciant, quos viriliter impugnare deberent: nec his contenti, ſed tanquam in profundum demerſi malorum, nimis impudenter publicantes deteſtabiles actus ſuos, cum perfido ſoldano Babyloniæ familiaritatem*

(*q*) Ann. 1. p. 1. ep. com. 1000.

Pont. merces Saracenis inferre vetat.

Genuenſes nonnulli Mahometis ſigna in mari præferunt.

(*r*) Tom. 1. ep. ſecr. 73.



*tem domeſticam contrahunt; nunc mulieres nunc pueros rapiunt Chriſtianos, quos Saracenis ipſis ad abutendum exponunt; & inſuper ad clarius ſuæ perverſitatis indicium in vexillis ſuis ſigna ferunt nefandiſſimi Machometi. Hæc quidem, ſicut audivimus, faciunt in animarum ſuarum diſpendium & ſcandalum plurimorum.* Et infra: *Hæc, filii, cum veriſimiliter vos latere non valeant, ſi ſub diſſimulationis conniventia pertranſitis, nedum eccleſiam fidei matrem, ſed & fidem ipſam offenditis, ac veſtri nominis claritatem ex hujuſmodi concivium veſtrorum malitia inſici permittentes, vos detractorum linguis exponitis lacerandos, &c.*

Chriſtianos pueros & fœminas Saracenis vendunt.

A Joanne correpti.

XXXVII

Sancius Rex Balearum in Sarac. finitimos claſſem comparat.

Laceſſitus crebris infidelium, e Septa maxime & aliorum Africanorum, injuriis Sancius Majoricarum Rex, ad propulſandos impiorum conatus, qui ſæpius in ipſius regnum, exſcenſione facta, irrumpere tentarant, horrendaſque clades intulerant; atque etiam in mercatores regni ſui, agentes in Africa, immanem exercuerant crudelitatem, expeditionem comparavit: ad cujus ſuſtinendos ſumptus, alendumque militem auxilia a Pontiſice flagitavit. Cujus petitis admiſſis Joannes, vectigalium eccleſiaſticorum decimas a Clemente V. in concilio Viennenſi pro recuperanda Syria indictas, quarum exigendarum Elnenſi epiſcopo provincia impoſita eſt, ad inſtruendam adverſus Africanos claſſem derivavit (*a*), eaque de re literas (*b*) ad Sancium dedit; in quibus poſt exornatam pluribus elogiis regiæ ſtirpis claritatem, atque eximium illius in eccleſiam ſtudium commendatum, de belli ſacri apparatu ab illo adornato, quo ipſe ad eas decimas attribuendas fuerat permotus, hæc affert: *Cum tu*, inquit, *tanquam princeps & athleta catholicus tam ad defendendos fideles eoſdem, quam ad reſiſtendum alias hujuſmodi peſtilenti ſævitiæ reproborum, & ad eorum pertinaciam enervandam, ſicut ex firma tua aſſertione lætanter accepimus, & tua præſtita opera manifeſtant, ferventer intendas, & ad id collectis viribus, te potenter præpares & accingas; jamque ad id certum propugnatorum & galearum armatarum numerum deputaris, & ad hujuſmodi negotium feliciter, auctore Domino, proſequendum te, ut aſſeris, ſubire oporteat, profluvia expenſarum.*

(*a*) An. 1. p. 3. ep. com. 3004.

(*b*) Reg. poſt eand. ep.

Regni decimas attribuit ei Pont.

XXXVIII.

Hiſpani in Granatenſes expeditionem cogitant.

In Hiſpania etiam Petrus Sancii, Alfonſi Regis Caſtellæ patruus ac tutor, ad cœptam anno ſuperiore in Mauros Granatenſes expeditionem promovendam a Pontifice expetiit, ut ſacra militia pro fide amplificanda indiceretur, cruciſque ſymbolum accepturis, vel ſtipem erogaturis præmia indulgentiarum e ſacro eccleſiæ ærario proponerentur. Extulit magnis laudibus ejus zelum Pontifex, atque ad Toletanum & Hiſpalenſem archiepiſcopos & epiſcopum Cordubenſem datis literis v. kal. martii ad ſacra ſigna fideles vocare & crucis ſymbolo inſignire juſſit (*c*). Tum ad tolerandos expeditionis ſumptus centum & quinquaginta aureorum millia eidem Petro Sancii ex decimis vectigalium eccleſiaſticorum, ac duabus partibus tertiæ inſtaurandis templorum ſartis tectis addictæ, redigenda attribuit (*d*), imperavitque intentato anathematis & aliarum pœnarum terrore, ne quis Granatenſibus, excurrente toto a kal. aprilis triennio, merces ullas inferret (*e*). Ac ne quis Petro obſiſteret in ea expeditione conficienda, eumve injuria aliqua afficeret, ipſum & Caſtellæ ac Legionis Regem, dum bellum ſacrum in Mauros gererent, in apoſtolicam clientelam admiſit (*f*): ac Toletano & Hiſpalenſi archiepiſcopis, atque epiſcopo Cordubenſi, quos paulo ante memoravi partes dedit, ut cenſuris eos, qui ipſos laceſſerent, percellerent. Eluſit pontificiam ſolicitudinem, fregitque præclara Petri Sancii conſilia procerum Caſtellæ inteſtina diſſenſio; accuſat enim Joannis alterius regiæ procuratoris invidiam Mariana (*g*), quem ait in Petrum ſimultates concepiſſe, cum ſacerdotiorum decumas, ſe excluſo, ab eo adminiſtrari, ac belli paciſque conſilia ad eum referri, atque in dies æmulum creſcere potentia intueretur.



(*c*) An. 1. p. 1. ep. com. 1002. 2123. & 2125.

(*d*) Ib. ep. 1002. 1003. 2125.

(*e*) Ib. ep. 2124.

Rex Caſtellæ ac Petrus princeps in clientelam apoſt. adſciti.

(*f*) Ib. ep. 2125.

Joannis principis invidia ſacra conſilia diſiecit.

(*g*) Marian. de reb. Hiſp. l. 15. c. 16.

XXXIX.

Queritur Jacobus Rex Arag. in belli ſacri ſocietatem non vocari.

Pontificis reſponſum.

(*h*) To. 1. ep. ſecr. 152.

Suffuſus etiam aliqua in Petrum invidia viſus Jacobus Rex Aragonum, qui apud Pontificem queſtus eſt (*h*), ſe in belli ſacri & gloriæ ſocietatem non vocatum, cum plura pro fide augenda facinora egregia in Mauros explicuiſſet. Cui reſpondit Pontifex, nullam querendi materiam ſubeſſe, cum ipſius oratores eam ſuſcipiendi in Saracenos belli provinciam non popoſciſſent; neque enim hujuſmodi negotia niſi in Cardinalium conſiſtoriis agitanda: pergeret operam dare redintegrandæ inter Siciliæ & Trinacriæ Reges amicitiæ, qua perfecta ſolemnes ad ſedem Apoſtolicam mitteret oratores, atque e Cardinalium conſenſu inferendi Mauris belli conſilia ſe adjuturum. Extulit vero magnis laudibus ejuſdem Regis pietatem, qui pro liberandis e Babylonii ſoldani ſervitute Chriſtianis onuſtam mercibus navim mittere decreverat: ſed ne cenſuras ob vetitum cum Babylonis commercium contraheret, facultatem flagitanti aſſenſit Pontifex, modo ferrum, equi, arma, lignave conflandis apta navibus barbaris non inveherentur.

XL.

Templariorum bona, in Aragonia ſita, adjudicata Hoſpitalariis.

Deciſa eſt hoc anno vetus controverſia de Templariorum bonis, quæ in Aragonum Regis ditione erant, Hoſpitalariis adjudicandis: Jacobum enim Regem in concilio Viennenſi oratorum opera obſtitiſſe,

tiſſe, atque a Clemente controverſiæ ſolvendæ diem conſtitutam; ſed rem illius morte diſcuſſam vidimus. Conſultum vero ita eſt Hoſpitalariorum rei, ut etiam regno cautum ſit, attributis arcibus Templariorum, quæ in regni confiniis ſitæ erant, aliis religioſis equitibus Calatravenſibus, ut ab excurſionibus barbarorum limitem vindicarent. Inſtitutos tunc conventus militiæ S. Mariæ & S. Georgii tum Monteſiæ, creatumque ordinis principem Guillelmum Erilium, refert Surita (a): eam vero religioſam militiam Calatravæ quidem contributam narrat Mariana (b), proprio tamen magiſtro in veſte candida, cruce rubra ſimplici planaque inſignem, cui Ciſtercienſium inſtituto legibuſque vivere mandatum eſt, cujus virtute bellica repreſſi Mauri, qui Valentina litora infeſta reddebant. Addit auctor excitatam aliam a Pontifice proximo tempore in Luſitania novam militiam, cui a Chriſto nomen eſt, eo regno nobiliſſimam, ac rubra cruce linea candida interſecante diſtinctam; Templariorumque ædes, oppida, præſidia ipſis conceſſa: ad caſtrum Marinum præcipuum ordinis domicilium poſitum, indeque Tavarium traductum.

Conſtituta in Aragonia Monteſiæ religioſa militia.

*(a) Surit. ind. l. 2. hoc ann.*
*(b) Mar. l. 5. c. 16.*

Alia in Luſitania condita.

Ita vero novis creandis ordinibus militaribus Joannes operam dedit, ut ad reſtituendum veterum ſplendorem, ac redintegrandam dignitatem incubuerit. Diſceſſerant jamdiu a ſupremi magiſtri obſequio in Luſitaniæ & Algarbii regnis S. Jacobi equites: cujus diſſenſionis labes inde olim fluxerat. Nicolai III. Romani Pontificis temporibus militiæ S. Jacobi magiſter, cum ſæpius Algarbii & Luſitaniæ ædes obire coactus, bona in dies diſſipari ac diſciplinam exoleſcere videret, rem ſedi Apoſtolicæ detulit: ac Nicolaus, ut malo mederetur, edixit ut Luſitaniæ & Algarbii equites magiſtrum crearent, cui bonorum adminiſtratio committeretur; omnes tamen ſupremi magiſtri auctoritati obnoxios juſſit eſſe, eiuſque imperiis obſequentes: at illi ejus mox jugum excuſſere, ac Nicolaum afferre malo remedium meditantem mors oppreſſit. Tenente vero ſummum pontificatum Cæleſtino V. Luſitani equites ab ipſo dolo obtinuere, ut Nicolai conſtitutionem confirmaret: verum Cæleſtini ſucceſſor Bonifac. VIII. de re tota edoctus, Nicolai & Cæleſtini decreta convulſit, ac Luſitanos & Algarbianos S. Jacobi equites, obiecta anathematis religione, ad priſtinam cum Caſtellanis equitibus coniunctionem, ſupremique magiſtri obſequium reverti imperavit, ne illius exempli pernicies in Hoſpitalarios, Minoritas, ac Prædicatores emanaret. Paruere illi tum quidem, ſed poſtea paſtore viduata Apoſtolica ſede, magno Regis Caſtellæ ac ſupremi ordinis magiſtri contemptu principem ſibi præfecere. Quorum pulſatus querelis Joannes Papa Algarbii & Luſitaniæ equites S. Jacobi ad veterem vivendi formam, ac magiſtri Caſtellani obſequium redire juſſit. (c) [1]

Equeſtrem S. Jacobi ordinem redintegrare ſtudet Pont.

Luſitanos & Algarbianos equites magiſtro Caſtellano parere jubet.

*(c) Ann. 1. p. 4. ep. com. 3366.*

XLI.

Vt vero eniſus eſt ſua auctoritate equitum audaciam conprimere, qui magiſtro obſequia præſtare reſpuerent; ita Dionyſii Regis ſubditos, qui ab ejus imperio ſe ſubduxerant, ad officium adducere ſtuduit. Excitatam quidem in Luſitania periculoſiſſimam diſſenſionem hoc anno, Hiſpanici auctores docent (d), cum Alfonſus filius ſceptri heres Sanctium furto genitum, impuriſque natalibus notatum apud patrem nimia auctoritate pollere indignaretur: eoque prorupit ira, ut patri bellum indiceret, quem ea ſuſpicione aſpergebat, abdicandi ſui conſilia agitaſſe, atque a legitimo in ſpurium ſceptrum traducere meditari. Proceres in ſpartes ſciſſi: Conimbrica Portuſque ab Alfonſo occupati ſunt. Adhibuit Joannes apoſtolicam operam, ut funeſtum bellum extingueret, anathematiſque ſententia eos omnes, qui turbarent rempublicam, ac Dionyſio negotium faceſſerent, defixit (e): cujus divulgandæ Elborenſi (f) epiſcopo provinciam dedit. Et quidem regiam dignitatem in grave periculum adductam, oſtendunt Pontificis literæ (g) ad Dionyſium datæ, quibus eum ad eluenda lacrymis anteactæ vitæ ſcelera hortatur: tum enim victoriam de hoſtibus certiſſimam relaturum, cum maculas omnes ſacra pœnitentia deleviſſet.

A Dionyſio Rege Alfonſus filius diſſidet.

*(d) Jo. Marian. l. 15. c. 16. & alii.*

Diſcordia erumpit in bellum.

*(e) To. 1. ep. ſecr. 321.*
*(f) Ib. ep. 322.*

Rebelles cenſuris percuſſi.

*(g) Ib. ep. 323.*

Excitatus Dionyſius ad expianda lacrymis præterita ſcelera.

Anglia bello implicita.

Parem ſolicitudinem ad pacem in Anglia, Scotia, & Hibernia adducendam contulit Joannes. Ardebant ea regna bello graviſſimo, ex quo Robertus Bruſius Scotiæ regnum, excuſſo Eduardi primi jugo, invaſerat: ac poſt graviſſimas clades acceptas, illius defuncti filium parenti militari virtute ac peritia imparem, opprimebat. Ad extinguendum itaque atrox adeo incendium Pontifex inducias primum inter Eduardum Robertumque, obiecta violatoribus cenſurarum religione, indixit (h): tum Gaucelinum tit. S. Marcellini & Petri presbyterum, ac

Induciæ inter Eduardum & Robertum Bruſium indictæ.

XLII.

*(h) An. 1. p. 1. ep. cur. 271.*

NOTÆ [1] ORdo militum de Monteſia anno iſto Pontificis authoritate conſtituitur cujus rei extat Pontificis conſtitutio apud Baluzium to. II. de Vit. Papar. Aven. num. L. quæ data eſt anno primo Joannis die IV. Idus Junii. Sed nondum ædificatum fuiſſe monaſterium, quo equites redigerentur, ex conſtitutione illa diſcimus. Primum Ordinis illius magiſtrum pontificiæ electioni reſervat Pontifex; reliquos dein ex ordine Calatravenſi electione Fratrum Monteſienſium aſſumendos edicit. De forma veſtium, & crucis nihil diſponit. MANSI



ac Lucam S. Mariæ in via lata diaconum Cardinales legatos (a), ampliſſimis mandatis inſtructos (c) miſit. Eduardum (b) vero Regem ac Robertum (d), quem non regio, ſed magnificavi viri titulo ornat, ut Cardinalium monitis obſequentes eſſent, admonuit. Aliiſque literis ad Robertum datis, cur regium nomen, quod apud Scotos ſibi pepererat, ipſi non aſcriberet, excuſavit his verbis: *Quia*, inquit, *diſſenſionis negotio inter te ac præfatum Regem ſupra Scotiæ regno pendente, decenter non poſſumus tibi regii tituli nomen aſcribere, prudentia tua moleſte non ferat, ſi te Regem Scotiæ in eiſdem literis omiſimus nominare: præſertim cum ad nominationem hujuſmodi fratrum noſtrorum conſilium nequaquam accederet; nec Romana eccleſia mater tua, quæ ſuos proceſſus & actus in ſtatera æquitatis appendit, inter diſſidentes conſueverit aliquid cum præjudicio alterius immutare. Dat. XVI. kal. aprilis anno 1.*

Card. legati miſſi.

Demandata iis auctoritas.

*(a) Ib. ep. 243. 244. 246. 253. 254. 256. 259. 260.*
*(b) Ib. ep. 272. 273.*
*(c) Ib. ep. 276.*
*(d) Ib. ep. 263.*

Excuſat ſe apud Robertum Pont. cur Regis Scotiæ nomen ei aſcriberet.

Negatum ſibi a Pontifice regium nomen Robertus non æqui bonique accepit; ſed adeo exarſit ira, ut ne quidem ad pontificias literas admittendas, cum de pace agendum eſſet, niſi regio nomine compellaretur, flecti potuerit: qua de re agetur inferius. Confirmarat is adeo potentiam, ut non Scotiam modo obtineret, verum aliis regnis Eduardum pellere moliretur. Quæ res cum injuſta admodum viſa eſſet, vocante in jus Robertum Bruſium Eduardo apud ſedem Apoſtolicam; illique crebras in Angliam, Uvalliam, Hiberniam excurſiones, templorum everſiones, populationes agrorum, diſturbata Syriacæ expeditionis a ſynodo Viennenſi decretæ conſilia, obiiciente; Joannes Ælienſi & Norvicenſi epiſcopis (e), tum etiam Cardinalibus legatis (f) infligendarum Roberto cenſurarum partes dedit, ſi ipſum evertiſſe eccleſias conſtaret, neque ad crimen expiandum permoveri poſſet, vel etiam ab Anglia, Vvallia, & Hibernia invadendis abduci: nec modo ipſum, verum etiam omnes, qui ad ea regna infeſtanda Roberti partibus ſe irretirent, defigi (g) anathemate; tum illius ſubditos ſacramenti illi præſtiti religione exolvi (h), reſcindique fœdera juſſit. Immo Pontificem ipſum incuſſiſſe eas rebellibus, ex literis (i) ad Cantuarienſem archiepiſcopum ac ſuffraganeos datis conſtat, quibus hiſce verbis conceptam anathematis formam promulgandam præſcribit: *Dum ſicut diſplicenter audivimus, nonnulli nobiles & magnates Rgem ipſum & regnum Angliæ, ac terram ſuam Iberniæ invadere auſu nitantur illicito, in eos, vel præbentes auxilium, conſilium, vel favorem!* & infra, *excomunicationis ſententiam promulgamus, a qua eos ſine ſpeciali mandato ſedis Apoſtolicæ, niſi forſan in mortis articulo, prohibemus abſolvi: in quo ſi fuerint abſoluti, & ipſos contingerit ſanitati reſtitui, niſi ſatisfecerint infra menſem, eadem ſententia ligari volumus eo ipſo, &c. Dat. Avin. kal. aprilis anno 1.*

Graviter rem accipit Robertus.

*(e) An. 1. p. 3. ep. 2283.*
*(f) An. 1. p. 1. ep. cur. 292.*
*(g) Ib. ep. 261.*
*(h) An. 1. p. 3. ep. com. 2289.*
*(i) An. 1. p. 3. ep. com. 2289.*

Hiberni Roberto fœderari devincti anathemate.



Occupare Angliam, Vvalliam, & Hiberniam Robertus tentabat non tam viribus ſuis, quam perduellium populorum armis, qui ab Eduardo exaſperati gravioris ſervitutis jugum a ſuis cervicibus depulerant. Inter cæteros enim Hiberni literas graviſſimis querelis refertas ad Cardinales legatos miſere, quibus ſignificarunt, intolerabili tyrannide ad arma in Eduardum corripienda ſe compulſos fuiſſe; violataſque ab eodem Rege leges, quibus Adrianus Pontifex olim Hiberniam Angliæ contribuerat. De quibus Joannes a Cardinalibus certior factus, ſubjectis literis ad levandum populorum jugum, regiamque clementiam in eos explicandam Eduardum eſt adhortatus (k).

XLIII.

Ob Eduardi tyrannidem queruntur ad arma ſe compulſos eſſe.

*(k) To. 2. ep. ſer. 506. ext. etiam in bull. in Jo. XXII. conſt. 4.*

*Joannes, &c. Eduardo Regi Angliæ illuſtri.*

*Ecce, fili, quaſdam recepimus literas, directas pridem per Ibernicos magnates & populum dilectis filiis noſtris Gaucelino tit. SS. Marcellini & Petri presbytero & Lucæ S. Mariæ in via lata diacono Cardinalibus Apoſtolicæ ſedis nuntiis, & per eos nobis ſuis intercluſas literis deſtinatas: in quarum ſerie vidimus inter cætera contineri, quod cum felicis recordationis Ædrianus Papa prædeceſſor noſter ſub certis modo & forma, diſtinctis apertius in apoſtolicis literis inde factis, claræ memoriæ Henrico Regi Angliæ progenitori tuo, dominium Iberniæ conceſſiſſet; ipſe Rex ac ſucceſſores ipſius Reges Angliæ uſque ad hæc tempora, modum & formam hujuſmodi non ſervantes, quinimmo eos tranſgredientes indebite, diris afflictionibus & gravaminibus inauditis, importabilium ſervitutum oneribus; & tyrannidibus inhumanis ipſos eo miſerabilius & intolerabilius, quo diutius oppreſſerunt, nec fuit hactenus qui revocaret illata gravamina, aut errata corrigeret: non fuit quem pia compaſſio ſuper eorum contritione moveret, quamvis ſuper his ad te recurſus habitus fuerit, & clamor validus oppreſſorum aures tuas quandoque pulſarit: unde, talia ferre nequeuntes ulterius, coacti ſunt ſe a domo tua ſubducere, & alium in ſuum regimen advocare.*

Eduardum Pont. graviter corripit.

*Hæc, dilectiſſime fili, ſi veritate nitantur, tanto nimirum infeſtiora noſtris accedant affectibus, quanto deſideramus intenſius te, ut tibi proſpera cuncta cedant, circa illa verſari ſedulo, eaque promptis affectibus exequi, quæ tuo ſint placida creatori, & ab omnibus abſtinere ſollicite, per quæ contra te debeat provocari Deus ipſe ac dominus ultionum, qui gemitus afflictorum* in-

XLIV.

*injuſte minime deſpicit, & qui propter injuſtitias peculiarem ſuum dejeciſſe deſcribitur populum, & tranſlationem feciſſe regnorum; quanto etiam deſiderabilius, his præſertim impacatis temporibus, cupimus te illis libenter intendere, per quæ tuorum corda fidelium ad tuam benevolentiam & obedientiam debeant allici, & illa pro ſe vitare, quibus valeant a tuæ cultu devotionis avelli.* Et infra: *Ut autem de prædictis gravaminibus & querelis, quibus prædicti innituntur Ibernici, tuis ſenſibus innoteſcat, ad plenam præſcriptas literas miſſas Cardinalibus antedictis; tum formam literarum, quas prædictus Adrianus prædeceſſor noſter eidem Henrico Regi Angliæ de terra Iberniæ conceſſiſſe dicitur, tuæ magnitudini mittimus præſentibus interclusas. Dat. III. kal. julii.*

Monet ut præterita emendet.

XLV. Conciliaſſe ſibi Eduardum, pontificiis excitatum monitis, Hibernos, e felici rerum ipſius in Hibernia eventu colligitur. Concitatos duobus jam ante annis eos populos ab Eduardo Bruſio Roberti Scotiæ Regis fratre, cujus exemplo Hibernicam coronam arripuerat, Thomas Vvalſinghamus ſcribit (a): ſed anno inſequenti ab Regis Anglorum fidiſſimis clientibus cæſo magno Scotorum numero, captum & capitis ſententia in loco, cui Dondalk nomen eſt, ob deſumptum inſigne regium damnatum. Ut vero Joannes Eduardum ad mulcendos Hibernos, ita ad Anglos proceres ſibi devinciendos, conciliandumque Thomam Lancaſtriæ comitem, quem in ſe concitarat eo tempore, quo Anglia graviſſimis tumultibus fluctuabat, inſtruxit (b): aliiſque literis (c) Thomam ipſum eſt adhortatus, ne levi offenſiuncula laceſſitus a regio obſequio ſe ſubduceret; nonnulloſque comiti devinctos ad eum in Regis partes adducendum incumbere juſſit (d). De comitis Lanchaſtriæ adverſus Regem irarum cauſis, pluribus agit Uvalſingamus (e), adductum nimirum in ſuſpicionem Eduardum conflatæ in comitem fœdæ proditionis ac ſua auctoritate iis ſtuduiſſe qui comitiſſam Lanchaſtriæ abduxerant. Cæterum Pontifex optimis monitis imbuit Regem ad regnum probe temperandum, vinciendam populorum fidem, augendum divini Numinis decus, tuendas eccleſias, regiamque componendam; quæ ſubiectis literis ejus animo infundere ſtuduit (f).

(a) Vval. in Eduar. II.
Ut Roberti Bruſii frater Hibernicam coronam corripuerit.
(b) Jo. to. I. ep. ſecr. 216.
(c) Ib. ep. 217.
(d) Ib. ep. 257.
(e) Vvalſin. in Eduard. II.
Irarum cauſæ.
(f) Tom. I. ep ſecr. 136.
Salubria ad Eduardum data a Pont. monita.

*Chariſſimo in Chriſto filio Eduardo Regi Angliæ illuſtri.*

*Urget nos Chriſti charitas, urget illa ſpecialis affectio, quam ad tuæ ſalutem animæ & ad tui gerimus ſtabilimentum honoris aliqua tibi ſcribere, quibus lectis & plenius intellectis, ſaluti tuæ & regni tui quieti provideas, & periculis imminentibus eo certius, quo prudentius via gradiens æquitatis occurras. Hæc eſt ſane noſtri ſumma propoſiti, ut tuum ſtudium excitemus ad te, tuos, & tua tam prudenter quam provide ordinanda. Ad tuam autem ordinationem illud principaliter pertinet, ut Regem Regum ſuper omnia diligas, ejus venereris eccleſias, & honorifices ſacerdotes: tuo jure contentus, nil cupias vel retineas alienum. Divinum officium reverenter audias, & devote nullius colloquium cum celebrationi divinorum intereris, citra neceſſitatis exigentiam admiſſurus: eccleſia namque domus orationis, non collocutionis eſſe deſcribitur, & qui in oratione colloquitur Domino maieſtatis unam magnam ei facit iniuriam, qui colloquentem ſibi audire creatorem omnium dedignatur, illumque ſibi precatur intendere, cui ipſe deprecans non intendit.*

De colendo Deo.

*Audito vero, ut præfertur, officio te tuis adibilem præbeas quoties opus erit, tutela tui corporis loci ac temporis opportunitate ſervatis; nec te levibus aut puerilibus implices, qui quæ ſunt digna principe cogitare, & te illis ſolerter occupare teneris. Cum enim eras parvulus, ſi ſapiebas aut faciebas ut parvulus, æquanimiter poteras tolerari; nunc autem cum in ætatis plenitudinem evaſiſti, cum ſuſcepiſti unctionis regiæ ſacramentum, prorſus evacuare debes quæ ad parvulum pertinent, & ab eis ob conſecrationis reverentiam, cujus virtus non infirma fore dignoſcitur, temperare. Nam & in David, poſtquam a Samuele propheta Domini unctus fuit, directus eſt ſpiritus Domini ab illa die, & in reliquum; & Saul poſt inunctionem in virum mutatus alterum prophetare cœpit, cum acceſſiſſet ad cuneum prophetarum. Cauſa pupilli, viduæ, inopis, ac mendici ad te licenter introeat: & in decernendo favoris dexteram, aut ſiniſtram odii regia ſublimitas non admittat.*

Facili ſubditis præbendo ad ſe aditu.
Tuenda regia gravitate.
Explicanda in miſeros clementia.

XLVI. *Porro ad tuorum ordinationem ſpecialiter illud ſpectat, ut habeas bona latera, viros ſapientes, providos & fideles te diligentes ex animo, quorum diſtincta ſint decenter officia. Sciat quiſque quid ſibi faciendum incumbat, & promiſcuis actibus non turbentur, conſiliarios eligas, & retineas jam electos, qui ſciant regere te & regnum, qui nec minutis alliciantur munuſculis, nec magnis muneribus excœcentur, ingenio naturali dotati, literarum ſcientia præditi, vel multa & grandia ſaltem experti; non præcipites in conſilio, non inciviles in verbo, non ſomno, non otio, non crapulæ dediti, non impatientes conſortii, & qui ſciant, velint, & audeant bene tibi conſulere: qui & impotentiam tuam, ſi ſtatim non ſatisfacias indigentibus, negligentiam vel duritiam, ſi non ſemper, ut decet, vel recipias venientes, vel reſpondeas aliqua poſtulantibus curialiter, noverint excuſare. Cum talibus, fili chariſſime, tracta regni tui negotia, & de illius tuitione diſpone, quorum conſilia,*

Adhibendis optimis conſiliariis.



*cum audieris, non ſubiicias ſeorſum abiens judicio imprudentum; nec tuæ innitens prudentiæ præferas ſententiis talium id quod ſentis; aut eorum reſponſa judicari patiaris ab eis, qui non intelligunt ſe vel illos: ſed ſi forſan aliquis aſſerat quicquam fore ſibi conſultius revelatum, id ad totius conſilii examen reducere non omittas. Sedeant in curia tua, cum & tu ipſe vacare non poteris omni die juridico, aliqui ſapientes, qui ea, quæ poterunt expediri, ibidem expediant, & quæ tractum habebunt, tibi renuntient, ut vel detur forma expeditionis ejuſdem, vel ad ſuos judices remittantur. Judices & officiales gratis conſtituas, ut per id eos ad vitandum vitium venalitatis inducas.*

Librandis conſultorum ſententiis.
Adminiſtranda juſtitia.

*Cæterum ad diſpoſitionem domus tuæ, quam deordinatam in plurimis mundus clamat, præſertim in ſumptibus exceſſivis, credimus expedire, ut aliquam perſonam maturam habeas & honeſtam, quæ videat, & provideat quod nec ex nimia parcitate quicquam tuo honori deſit, nec ex defectu debitæ providentiæ bona tua a garſionibus & guloſis hominibus aut aliis perſonis turpibus conſumi contingat. Cum enim bella Chriſti in terræ ſanctæ ſubſidium diſponas devote peragere, propter quæ te multa expendere neceſſario oportebit, neceſſarium tibi prorſus eſſe dignoſcitur, ut in cibis, veſtibus, & aliis ſumptibus faciendis, ac retinenda familia decens moderamen apponas; ut videlicet ſuperflua reſeces, & nedum tenaciæ notam, ſed & nævum prodigalitatis evites; ſciturus quod nos & fratres noſtri non aliter facimus, quam quod te facere in hac parte monemus, prout per nuntios tuos inde poteris plenius informari. Nec te pudeat de receptis expenſis rationem certis audire temporibus, cum ad id magnatum provoceris exemplis, & nos hoc ipſum tibi & imminentibus celſitudini tuæ negotiis perutile judicemus. Sic denique in his & aliis te, tuos & tua ſalubriter ordina, quod & Deo cedat ad gloriam, tibi ad commodum, tuis ad gaudium & exemplum.* Erudivit vero aliis literis Pontifex Anglos proceres (a) ac præſules (b), qui gratia & auctoritate apud Eduardum florebant, quibus ipſum præceptis ſaluberrimis eſſent informaturi ad ſceptrum egregie ſuſtentandum, provecturique ad virtutes regio faſtigio dignas.

Componenda regia familia.
Caſtigando luxu.
Proceres aliis præceptis ſalubribus informati.
(a) Eod. to. I. ep. ſecr. 223. 224. 225. 226. 227. 228. ad ep. 254.
(b) Ib. ep. 258. ad ep 267.

XLVII. Non ad comprimendas modo turbas Cardinales legati (c) miſſi in Angliam, verum etiam ad recuperanda Romanæ eccleſiæ jura, quæ præteritis temporibus obſoleverant; utque ſacramento fidei Eduardum Regem adigerent. Quo argumento graviſſimis literis ipſi propoſuit (d), ut Joannis Regis exemplo, qui Innocentio III. Angliam & Hiberniam ex pietatis ſenſu ſtipendiarias conſtituerant, fidemque ſedi Apoſtolicæ devoverat, Cardinalibus clientis officia exhiberet.

(c) Ib. ep. 239. 240. 275.
Solicitatur Eduardus ut Cardinalibus legatis fidem clientelæ nomine abdicat.
(d) An. I. p. I. ep. cur. 242.

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Regi Angliæ illuſtri.*

*Si geſta magnifica principum, quos temporibus retroactis produxit inclyta domus tua qua decet, chariſſime fili attentione conſideres, & recenſeas commemorationis officio diligenter, claris tibi patebit indiciis, & innoteſcet evidentibus documentis; immo potius ipſa veritatis notoriæ certitudo, uberrimis operum comprobata fructibus, demonſtrabit quod ſicut principes ipſi natalium illuſtrium ſplendoribus claruerunt, ſic devotionis ingenuæ gratia præcellentes Romanam eccleſiam coluerunt ut matrem & pro illius gloria, per quem bonorum culmina poſſidentur, filialis reverentiæ ſtudiis ampliſque donorum muneribus honorarunt. Et inter alia dona largiflua quæ principes ipſi ducti beatæ conſiderationis ſpiritu eidem eccleſiæ contulerunt, claræ memoriæ Joannes Rex Angliæ, unus de principibus antedictis, devote conſiderans & etiam recognoſcens, quod etiam ipſe Deum & matrem eccleſiam in multis offenderat; qud propterea divina miſericordia plurimum indigebat; nec quod haberet, quod digne pro ſatisfactione Deo & ipſi eccleſiæ debita facienda niſi ſeipſum & regna ſua poſſet offerre, pro eo qui ſe humiliavit uſque ad mortem humiliare ſe volens Spiritus ſancti gratia inſpirante, non dolo inductus nec metu coactus, ſed mera & ſpontanea voluntate communique conſenſu baronum ſuorum, Deo & beatis Apoſtolis Petro, & Paulo & eidem Romanæ eccleſiæ matri ſuæ, ac felicis recordationis Innocentio III. prædeceſſori & ſucceſſoribus ejus Angliæ & Hiberniæ regna cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis pro remiſſione peccatorum ſuorum & omnium de genere ſuo tam vivorum quam etiam mortuorum, totaliter obtulit & conceſſit, ex tunc a Deo & ab eadem eccleſia Romana recipiens, & tanquam feudatarius tenens illa, in præſentia bonæ memoriæ B. Tuſculani epiſcopi tunc Apoſtolicæ ſedis legati & Pandulphi ſubdiaconi & familiaris prædeceſſoris ejuſdem, Deo & Apoſtolis prædeceſſori ac ſucceſſoribus, & eccleſiæ Romanæ prædictis: & juravit, & eidem legato homagium ligium pro regnis eiſdem Deo & Apoſtolis, ac prædeceſſore & ſucceſſoribus ac Romanæ eccleſiæ prædictis, loco & vice ipſorum recipienti publice fecit; ſucceſſores & heredes ſuos, de uxore legitima procreatos, ut Romano Pontifici, qui eſſet pro tempore & ipſi eccleſiæ Romanæ fidelitatem deberent ſecundum conditionem præſtare, & homagium recognoſcere in perpetuum obligando. Et ad hujuſmodi perpetuæ obligationis & conceſſionis indicium voluit idem Joannes Rex & etiam ſtabilivit, ut de propriis & ſpecialibus redditibus regnorum ipſorum pro omni ſervitio & conſuetudine, quæ pro ipſis facere deberet,* ſal-

Ut Joan. Rex Angliam Rom. ecclеſ. beneficiariam conſtituerit.
Legato Card. fidem obſtrinxerit.
Cenſum ſpoponderit.

*ſalvo per omnia denario S. Petri, eadem eccleſia Rom. mille marcas ſterlingorum, videlicet in ſancti Michaelis quingentas & in reſurrectionis feſtivitatibus totidem marcas ejuſdem monetæ; ſeptingentas videlicet pro Angliæ, & trecentas pro Hiberniæ regno; in perpetuum reciperet & perciperet annuatim, juſtitiis libertatibus, & regalibus, ſuis ſibi, & heredibus ejus ſalvis. Quæ quidem omnia Rex præfatus rata volens eſſe, perpetuo atque firme ſe ac ſucceſſores ſuos contra ea non venire ſpecialiter obligavit: & ſi ipſe vel aliquis ſucceſſorum ſuorum id attentare præſumeret, quicumque eſſet, niſi commonitus, reſipiſceret, a regni jure caderet ſupradicti: prout hæc omnia fama notificat, & chronicarum inſpectio manifeſtat. Et licet tam idem Joannes, quam alii ſucceſſores ſui hujuſmodi cenſum ex dicta cauſa ſolviſſe ferantur (claræ memoriæ Eduardo Rege Angliæ genitore tuo, qui aliquanto tempore, ac te, qui ſibi in regno præfato ſuccedis, ab eo tempore, quo, Deo volente, prædicti regni gubernacula ſuſcepiſti, uſque ad præſentem annum, quo nobis & eidem eccleſiæ de dicto cenſu ſatisfactionem impendiſti debitam, & te per nuncios ſpeciales certo modo ſatisfacturum de ipſius cenſus reſiduo promiſiſti, a ſolutione cenſus hujuſmodi propter incumbentia vobis onera diverſa ceſſaſtis, dumtaxat exceptis) aliqui tamen ex ſucceſſoribus ipſis, & præſertim tu ac genitor antedictus, præſtare fidelitatis hujuſmodi juramentum, & recognoſcere memoratum homagium eiſdem prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus omiſiſtis.*

Eduardus pater ac filius clientum ſacramentum exhibere ſedi Ap. prætermiſerint.

XLVIII. Religioſe a majoribus promiſſa temere non violanda.

*Quæſumus igitur, amantiſſime fili, celſitudinem regiam rogamus attentius, & hortamur in illo, qui Regibus dat ſalutem, tibi patris more benevoli tuæ potiſſime conſiderationes ſalutis ſano conſilio ſuademus, quatenus prudenter attendens, quod revocari non debent, quæ Deo ſunt affectu piæ devotionis oblata; & attente conſiderans, quod graviter, non abſque propriæ detrimento ſalutis, diſplicuerint Altiſſimo, qui a recognitione dicti homagii & præſtatione juramenti hujuſmodi ceſſaverunt; in manibus dilectorum filiorum noſtrorum Gaucelini tit. S. Marcellini & Petri presbyteri ac Lucæ S. Mariæ in via lata diaconi Cardinalium nuntiorum ſedis ejuſdem, vel alterius eorumdem, ſi caſu contingeret, ipſorum aliquem impediri homagium recognoſcere, ac juramentum exhibere prædicta noſtro & ipſius eccleſiæ Romanæ vice ac nomine, pro divina & dictæ ſedis ac noſtra reverentia, tuæque ſalutis augmento, ſicut benedictionis filius ſpontaneus non omittas; ut proinde ſuperna clementia in tuis proceſſibus & agendis tibi dexteram ſuæ protectionis extendat magis propitiam & benignam, & ſpiritualis patris animus ad tam chari filii proficuum incrementum fervens & anxius, quantum cum Deo fieri poterit, promovendum tanto efficacius excitetur, &c. Dat. Avin. XVI. kal. aprilis anno* I. Obſecutum pontificiis juſſis Eduardum non conſtat: illum certe cenſum mille marcharum pro regnis Angliæ & Hiberniæ a Joanne Rege conſtitutum ipſis idibus aprilis hujus anni pontificio ærario intuliſſe, cujus media pars feſto reſurrectionis dominicæ, altera die S. Michaeli ſacra pendenda erat, docet Joannis ſyngrapha, qua de eo ſoluto Eduardo cavit. (*a*)

Cenſus ab Eduardo perſolutus.

Dum in Anglia Cardinales impoſito ſibi munere fungebantur, a nefariis prædonibus ſpoliati ſunt (*b*). Ad quorum vindicandam injuriam Joannes cenſuras iis, qui Cardinales inſigni injuria afficiunt incuſſas ab Honorio III. cujus diploma (*c*) ſuo loco attulimus, in facinoris auctores diſtringere juſſit: eoſdemque Cardinales, ne adverſis conſtantiam frangerent ſalubribus monitis erexit (*d*).

(*a*) *An.* I. *p.* 3. *ep. com.* 2300.

(*b*) *Vval. in Eduar. II.*

(*c*) *Ext. to.* 13. *ann. Chr.* 1225. *ſub fin.*

(*d*) *To.* 2. *ep. ſecr.* 422.

*Gaucelino tit. SS. Marcellini & Petri, & Lucæ S. Mariæ in via lata diacono Cardinalibus.*

Ipſos ad conſtantiam in adverſis excitat.

*Quis animo non amaricato conſideret, vos pacis ſemitas proſequentes, & proinde minus cujuſvis ſuſpicantes injuriam, non expectatis hoſtibus tot anguſtiarum vulnera pertuliſſe? Quis amare non ferat, patris mittentis calcata reverentia & matris honore poſthabito, diſcolos filios in pacis angelos ſic electos unanimiter, ſicque damnabiliter fuiſſe molitos?* Et infra: *Sed quia in his malis eum, qui ſe diligentibus omnia reducit ad bonum, aliquid utile ſperamus elicere; devotionem veſtram confortamus & hortamur in Domino, quatenus animus veſter a facie alicujus adverſi non concidat; ſed cum apoſtolo ſpectaculum facti opprobriis & turbationibus rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſupportetis, vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam cognoſcentes. Nec vos illatæ graves contumeliæ ad impatientiam moveant, quinimmo veſtri Salvatoris exempla, qui pro nobis tot probra ſuſtinuit omni confuſione contempta, ad laudabilem ſuſtinentiam vos inducant: in illo ſingulariter confidatis, qui vulnerat & medetur, & ad nutum ſua omnipotentia humiliat & ſublimat, quod ſuæ beneficentiæ dextera reſtituet in integrum ſtatum veſtrum. Nos autem & fratres veſtri, qui in veſtro contemptu nos eſſe contemptos aſcribimus, attenta deliberatione ſuper his habita, jam cœpimus quod circa hæc facienda vidimus agere, nil in antea de contingentibus omiſſuri. Et ecce vobis per apoſtolicas certi tenoris litteras, quas vobis lator præſentium aſſignabit, plenam concedimus poteſtatem pœnas omnes atque ſententias in conſtitutione (e) felicis recordationis Honorii Papæ III. prædeceſſoris noſtri*

Cenſuras in prædones jacit.

(*e*) *Hæc conſtitutio inſerta eſt ad calcem an.* 1225.



*ſtri contentas omnes & ſingulas prædicti facinoris actores aut conſcios incurriſſe publice nuntiandi, & alias etiam in eos, prout contumaciæ qualitas exigit, exaggerandi proceſſus, &c. Dat.* XII. *Kal. decembris.* Ne vero homines impii cenſuras eccleſiaſticas ſacrilego contemptu eluderent, Pontifex Eduardum Regem, præſules (*a*) Anglos, ac proceres (*b*), ut illos meritis pœnis afficerent accendit (*c*).

(*a*) *An.* I. *p.* 3. *ep.* 400. 401. 403.

(*b*) *Ib. ep.* 398.

(*c*) *To.* I. *ep. ſecr.* 396. & 366.

Eduardum ad vindicandam eam injuriam incendit.

*Nunquid*, inquit, *non indignari debet Deus zelotes & dominus ultionum, quod chriſtos ſuos tractatos eſſe ſic immaniter conſpicit, quos utique nolle tangi per prophetam expreſſit? Nunquid & non læſa eſt mater eccleſia, quæ in perſonis tam ſpecialium filiorum tot & tantis contumeliis eſt affecta? An non eſt noſtræ & Apoſtolicæ ſedis reverentiæ derogatum in quoddam Chriſtianæ religionis opprobrium, dum qui honorari deberemus in miſſis, his præſertim, quos ſedes ipſa ad Chriſtianorum omnium ſalubre conſilium ſervitiumque continue tanquam firmiſſimas eccleſiæ columnas aſſumit, tam ignominioſe inhonorati reperiuntur & ſpreti? Nunquid & non detractum eſt notabiliter decentiæ regalis honoris, quod regni tui ſic enormiter fuerit violata tranquillitas, ut Cardinalibus ipſis injunctum ſibi officium pro tuis & ejuſdem regni compendiis promovendis utiliter ac humiliter cupientibus, ſic violenter præcluſus extiterit ſecurus acceſſus? Quomodo ergo nos & tu tam graves & tam accumulatas diſſimulare poſſemus injurias? Quomodo noſter & tuus ita tepet affectus, ut non accenderetur velut ignis ad caſtigandum tot ſcelerum patratores, & crudelitatis tantæ miniſtros pœnæ debitæ ſupponendos? &c.*

(*d*) *Ib. ep.* 396.

Ad tuendam libertatem eccleſiaſticam excitatur.

Præterea eundem Regem aliis literis eſt adhortatus (*d*), ut libertatis eccleſiaſticæ violatores comprimeret, & Cardinalibus ad eccleſiarum ſplendorem aſſerendum opera non deeſſet.

XLIX. Beneficia Eduardo conceſſa a Pontif.

Devoverat ſe religioſæ militiæ accepto crucis ſymbolo, ad inſtaurandas res Syriacas Eduardus: cujus pium conſilium ut promoveret Pontifex, ex ſexenali decima, quæ a Clemente V. in concilio Viennenſi pro expeditione Aſiatica conficienda decreta erat, unius anni decumam in Anglia, Scotia, Vvallia, & Hibernia colligendam, ut nomina ingentia, quæ contraxerat diſſolveret, attribuit (*e*): atque etiam vacantium in iiſdem regnis, excepta Scotia, primo anno ſacerdotiorum vectigalium, quæ fiſco apoſtolico ad eccleſiæ levanda onera inferri juſſerat, mediam partem contulit (*f*). Cumulavit hæc beneficia aliis divinis: ad conciliandam enim ipſi atque Iſabellæ Reginæ Numinis gratiam, & cœleſtia comparanda munera, nonnulla indulgentiarum præmia iis propoſuit (*g*), qui pro ipſis apud Deum preces funderent: tum ut quem vellet Rex ſacerdotem audiendæ exhomologeſi ſine caſuum exceptione adhiberet, conceſſit. (*b*)

(*e*) *Ib. ep. ſecr.* 268. & *an.* I. *p.* 3. *ep. com.* 2276. 2277. & 2284.

(*f*) *Tom.* I. *ep. ſecr.* 155.

(*g*) *Ann.* I. *p.* 3. *ep. com.* 2258. 2279.

(*b*) *Ib. ep.* 2281.

Exactus denarius S. Petri in Anglia.

Neque illud hoc loco reticendum videtur, Pontificem exigi juſſiſſe a Rigando quæſtore (*i*) B. Petri denarium in Anglia, Vvallia, & Hibernia. Utque ſimillia adiungamus; cum electo Upſalenſi & canonicorum collegio provinciam Joannes dediſſet (*k*), ut denarium beati Petri in Suecia cogerent, Regem Sueciæ rogavit, hortatuſque eſt, ne quid impedimenti in eo cenſu a Suecis perſolvendo inferret.

(*i*) *Tom* I. *ep. ſecr.* 300.

(*k*) *An.* I. *p.* I. *ep. com.* 103.

*Chariſſimo in Chriſto filio Regi Suetiæ illuſtri.*

(*l*) *Ann.* I. *p.* I. *ep. cur.* 95

Denarius S. Petri in Suetia colligi juſſus.

*In devotione (l) matris eccleſiæ ſicut benedictionis filius perſeverans, beneplacitis libenter adhæres, ipſamque veneraris ut matrem cum reverentia filiali: propter quod celſitudinem tuam ad eorum promotionem ſperamus invenire paratam, quæ ipſius eccleſiæ honorem contingunt, ac noſtris & Apoſtolicæ ſedis noveris affectibus placitura. Cum itaque cenſus, qui vocatur denarius beati Petri in regno tuo debitus eccleſiæ Romanæ, a pluribus retroactis temporibus eidem eccleſiæ non extiterit perſolutus, noſque ad conſervationem jurium eiuſdem eccleſiæ ſolicitis, ut tenemur, ſtudiis intendentes, collectionem cenſus ejuſdem dilecto filio electo & capitulo Upſalenſi per noſtras ſub certa forma literas duxerimus committendam; magnitudinem regiam paterno rogamus & hortamur affectu, quatenus electo & capitulo ſupradictis, regii favoris auxilium circa collectionem hujuſmodi, quod ſperamus & credimus in hac parte debere multipliciter exiſtere fructuoſum, pro noſtra & dictæ ſedis reverentia liberaliter largiaris &c. Dat Avin.* III. *non. februari anno primo.*

Suecus admonitus ut quæſtoribus ſacerdotibus præſidio non deſit.

In Suetia in Norvegia & Dania.

In Polonia.

Nec ſolum ex Anglia, & Suecia, verum e Norvegia (*m*), etiam Dania (*n*), & Polonia (*o*) exegiſſe denarium S. Petri, datæ ad earum partium Reges, ac Lundenſem, Nidroſienſem, Gneſnenſemque archiepiſcopos apoſtolicæ literæ docent. Gneſnenſi vero partes præterea impoſuit (*p*), ut inter Joannem epiſcopum ac ducem Cracoviæ pacem conſiliaret.

(*m*) *Ib. ep.* 97. 98

(*n*) *Ib. ep.* 96. & 99.

(*o*) *Ib. ep.* 101.

(*p*) *Ib. ep.* 100.

L. Schiſmatici & infideles in Poloniam excurrunt.

Cingebant Poloniam infideles populi ac ſchiſmatici Lithuani & Rutheni, crebris in illud regnum finitimaſque provincias excurſionibus infeſtiſſimi: quos Pontifex ad Chriſtianam manſuetudinem ac fidem pellicere ſtuduit. Quo argumento ad duces Ruthenorum, præfixo hoc titulo, ſalutis inſcribendæ vice: *Illum ſuper cuncta venerari, cui cum voluerit ſubeſt poſſe*; extant literæ (*q*) tum ad ducem Lithuanorum, quem, ut Romanæ eccleſiæ caſtris ſe coniungeret, eleganti oratione hortatur (*r*): ex eo triumphaturos omnes fideles: ipſum magnum collecturum apud mor-

Regem Ruthen. ac ducem Lith. invitat Pont. ut accedant ad ſinum Eccleſiæ.

(*q*) *Ib. ep.* 103.

(*r*) *Michov. l.* 4. *c.* 14. & *alii.*

mortales decus, apud Deum vero æterna ſibi præmia comparaturum. Fuiſſe illum Vitenem ex Polonis hiſtoricis colligitur, quem bellum aſperrimum cum Henrico magiſtro Pruſſiæ geſſiſſe, ac mutuas clades intuliſſe accepiſſeque, referunt.

LI. Nonnulli Cardinales a Pontif. abalienati.

In eo publico orbis malo, ac frementibus civilibus bellis regnis omnibus & provinciis, pontificia aula diſcordiarum expers non extitit: inſtigati enim ſunt nonnulli Cardinales, ut coniurationes adverſus Pontificem conflarent; quibus facem prætuliſſe Bernardum de Artigia pontificium capellanum, Joannes queritur in literis, quibus in nefarium hominem inquirendi partes Galhardo Regenſi epiſcopo & Petro e Pratis commiſit (*a*): *Ad noſtrum*, inquit, *aſſertio fide digna perduxit auditum, quod magiſter Bernardus de Artigia cantor Pictavenſis, commenſalis capellanus noſter, & ſedis ejuſdem reverentiæ filialis officium inofficioſe præteriens, Dei timore poſtpoſito, & fidelitatis debito violato, illius qui primum ſchiſma ſuſcitavit in cœlo, ſtimulis, ut creditur, agitatus, nos & prædictos fratres noſtros, qui in charitatis unione fore firmiſſimi, & unius moris in domo habitare debemus, ab invicem dividere, ac per excluſionem unanimitatis ſeparare pro poſſe ſategit; & per ſe ac mediatores improbos zizaniam ſeminans, nonnullis ex eiſdem fratribus, ut contra nos congregationes, coniurationes & conſpirationes iniquas inirent deteſtandis ſuggeſtionibus perſuaſit, quo ſic ſeparati ſicque diviſi in mundi ſupportandis oneribus debiliores eſſemus; unde nimirum, ſi facta relatibus conſonant, ſe reum læſæ conſtituit majeſtatis: cumque propterea, & periurii etiam in noſtra præſentia per eum commiſſi prætextu, eum noſtro fecerimus carceri detinere, multa quæ hucuſque nos de ipſius turpi vita latuerant, nunc ad noſtram audientiam ſunt aliquorum delatione perlata, &c.*

(a) *Tom. 2. p. 2. ep. ſec. 377.*

Diſſenſionis ſator.

LII. Pontificis hoſtes ipſum veneno necare tentat.

Sedata Cardinalium conjuratio, ſed aliorum improbitas in majus exarſit odiorum incendium: appetitus enim eſt inſidiis hoc anno Pontifex ab inimicis, quorum odia livor accenderat: qui primum ad tegendum ſcelus veneno ipſum inficere moliti (*b*) ſunt. Quo patefacto flagitio, Joannes antidota adverſus veneficorum improbitatem comparavit, tranſmiſitque (*c*) ad ipſum Margareta comitiſſa Fuxenſis cornu ſerpentinum, magnarum ad venena detegenda virium: quod cum inæſtimabilis pretii cenſeretur, Pontifex omnia ſua bona mobilia & immobilia comitiſſæ actis gratiis eo nomine obligavit, atque anathematis pœnam iis, qui illud invita ipſa detinuiſſent, incuſſit. Cum igitur Pontifex adverſus veneficorum inſidias ſe muniret, impiorum veſania in tantum prorupit ſcelus, ut magicis artibus dæmonumque opera ipſum & nonnullos Cardinales morte afficere moliretur. Sed divina providentia immane flagitium oppreſſit: quod cum in lucem emanaſſet, tanto ſui horrore audientes perfudit, ut vix narranti fides a probis haberi poſſet. De quo ambigente admodum Carolo marchiæ comite, Pontifex dubium omne diſcuſſit (*d*): *Ut cujuſvis*, inquit, *dubitationis ſcrupulum a corde tuo ſuper hoc auferat detectio veritatis, ſcire te facimus, quod nonnulli degeneres filii, ac proditores iniqui, in nos & aliquos ex fratribus noſtris S. R. E. Cardinales conſpiratione commiſſa, dolum conceperunt ut perderent; & ut iniquitatem parerent, potiones & imagines paraverunt ad extinguendum nos & fratres eoſdem, opportunitatibus ſæpius perquiſitis. Ille tamen in cujus poteſtate hominis mors & vita conſiſtit, miſericorditer reſiſtentiæ manum appoſuit, & a nocere nitentibus noceri innoxiis non permiſit. Dat. Avin. VI. kal. auguſti.* Nec modo Carolum marchiæ comitem, verum etiam alios principes ac Reges, pervulgata ſtructarum Chriſti vicario inſidiarum fama, armorum potentiam Joanni adverſus ipſius hoſtes detuliſſe, e pontificiis literis colligitur, quibus eo nomine Philippo, Francorum, Regi grates egit. (*e*)

(b) *Ann. 1. p. 1. ep. cur. 65. & to. 1. ep. ſecr. & to. 2. p. 2. ep. 261. 262.*
(c) *To 1. ſup. ep. ſec. 75.*
(d) *T. 1. ep. ſecr. 316.*

Conjurat in Pontificem, & Cardd. magi.

Eorum artes divinitus eluſæ.

Agendum legibus cenſuit Pontifex in tanti ſceleris auctores, & Galhardo (*f*) epiſcopo Regenſi & Petro Textoris decretorum doctori, ac Petro (*g*) e Pratis juris civilis perito, Petro (*h*) e Via equiti, atque Arnaldo e Triamno aulæ pontificiæ ſeneſchallo provinciam impoſuit, ut quæſtionem in eos veneficos & magos exercerent: quo edicto flagitii immanitatem ita ſuis circumſtantiis ac ponderibus librat (*i*): *Non attento*, inquit, *quod leges humanæ atrocius judicant hominem veneno extinguere, quam gladio trucidare, potiones & venena mortifera præpari fecerunt, ut ex illorum propinatione nos et aliquos ex eiſdem fratribus noſtris extinguerent. Et ne deficerent in ſui mali executione propoſiti, propinationis habilitate negata, imagines cereas fecerunt ſub noſtro & ipſorum fratrum nominibus confici, ut magicis artibus, incantationibus vetitis, ac dæmonum invocationibus reprobandis adhibitis, vitam labefactarent inſontium per punctionem imaginum prædictarum. Porro licet hujuſmodi perfidi proditores conceperint dolum hujuſmodi, & ut iniquitatem parerent, opportunitates quærere, ſuoſque frequenter curaverunt pro viribus exercere conatus; ille tamen, in cujus poteſtate hominis & mors & vita conſiſtit, miſericorditer reſiſtentiæ manum appoſuit, & a nocere nitentibus innoxiis noceri non ſinens, potiones & tres ex imaginibus antedictis ab inſperato in manus noſtras devenire conceſſit, &c. Datum* X. *kalend. maii.* Inſtru-

(e) *Ib. ep ſecr. 153.*
(f) *Tom. 2. p. 2. ep. ſecr. 374. & 781.*
(g) *Ib. ep. 375.*
(h) *Ib ep. 385.*

Inſtitutum in ſceleris auctores judicium.

(i) *Ead. ep. 374.*

Ut cereas imagines finxerint.





cta eſt ab iis judiciaria actio, redactaque in publicas tabulas hoc anno, (*a*) quæ in archæo Avenionenſis palatii gerente Venuſianam legationem Octavio Aquaviva Cardinale repertæ Romamque perlatæ anno MDXCIV.

(a) *MS. Vat. arch. ſign. n. 19.*

LIII. Sceleris auctores.

Faſcinatarum illarum imaginum præcipuos artifices fuiſſe Joannem de Amanto medicum, barbitonſorem, ac plures aulæ pontificiæ clericos, cultu dæmonum & commercio inquinatos, ex aliis literis colligitur: qui abjecto vero Numine, necromantiæ geomantiæque ſe addixerant: incluſerant ſæpius annulis, ſpeculis, & circulis dæmones ad captanda vaticinia: ſuccubis abuti non perhorruerant; nec veneno modo, ſed ſolis etiam verbis perdere homines poſſe affirmaverant. In quos Bartholomæus epiſcopus Forojulienſis ac Petrus Textor in jure canonico emeritus, legum ſeveritatem diſtringere juſſi ſunt hiſce literis (*b*):

(b) *Tom. 1. ep. ſecr. 350.*

*Joannes, &c. venerabili fratri Bartholomæo epiſcopo Forojulienſi, & dilecto magiſtro Petro Textoris doctori decretorum.*

*Ad noſtrum aſſertio fide digna, & ſonorum quoddam vulgaris famæ proloquium noviter perduxit auditum, quod Joannes de Lemovicis, Jacobus dictus Brabantinus, Joannes de Amanto medicus*, & infra, *& nonnulli alii, in noſtra curia reſidentes, nolentes juxta doctrinam Apoſtoli ſobrie ſapere, ſed nimiæ vanitatis ebrietate deſipere reprobis auſibus appetentes, ſe necromantiæ, geomantiæ, & aliarum magicarum artium moliminibus implicarunt & implicant, ſcripta & libros habentes hujuſmodi artium: quæ quidem cum ſint artes dæmonum, ex quadam peſtifera ſocietate hominum & angelorum malorum exortæ, vitandæ forent cuilibet Chriſtiano, & omni penitus execratione damnandæ. Speculis & imaginibus ſecundum ritum ſuum execrabilem conſecratis, uſi fuere frequenter; ac in circulis ſe ponentes, malignos ſpiritus ſæpius invocarunt, ut per eos contra ſalutem hominum molirentur, aut eos interimendo, violentia carminis, aut eorum abbreviando vitam violentia immiſſa languoris. Dæmones in ſpeculis, circulis, ſeu annulis interdum incluſerunt, ut eos nedum de præteritis, ſed & de futuris inquirerent, futura ipſa, quæ præſcire ſolius Dei eſt, ex illorum conſultationibus prædicturi. Divinationibus & ſortilegiis ſe immiſcuerunt perperam, Dianis nonnunquam utentes. Sed etiam experimenta quamplurima quandoque fecerunt circa hæc & alia, per eos dæmonibus invocatis.* Quod magos illos Dianis uſos narrat Pontifex, indicat ipſos cum dæmonibus ſuccubis, qui olim gentiles venatricis mulieris forma deluſere, rem habuiſſe. Similiter dæmones per hæc tempora muliebrem ſexum contaminaſſe incuborum ſpecie plangit Alvarus (*c*) Pelagius epiſcopus Silvenſis hiſce verbis: *Aliquæ*, inquit, *ſupponunt ſe dæmoni transfigurato incubo, ſicut in quodam cœnobio ſanctimonialium eam dæmoniacam vexationem poſt multas pœnitentias & conſimilia & prædicationes non uſquequaque de eis potui extirpare: tantam enim familiaritatem cum quibuſdam ex eis iſti dæmones contraxerant, quod ad eorum aſpectum non terrebantur; ſed abſque pavore cum eis loquebantur, & contrectabantur, ſicut ex earum judiciali confeſſione habui. Vere ſpiritus immundus in immunditia delectatur Luc.* XI. XXXII. *q.* IV. *In eo de pœnit. di.* II. *Si enim in fin. Job.* XXXVIII. *Dormit in locis humentibus; id eſt luxuria humoroſa.* Hæc Alvarus. Ut vero magi nefaria dæmonum ſocietate & vi plures hominibus inferant calamitates, ex Pontifice audiamus. *Nec verentur aſſerere, quod nedum potus vel cibi propinatione, quinetiam ſolius verbi prolatione hominum abbreviare ſeu prorogare vitam, aut prorſus perimere, & ab omni poſſent infirmitate curare, talibus ſe uſos fuiſſe firmiter affirmantes.*

De variis incantamentis ab iis exercitis.

Quæſitis dæmonum oraculis.

(c) *Alvar. Pelag. de planctu eccleſ. l. 2. c. 45.*

Immiſſis ab iis in homines morbis.

*Relicto præterea Creatore ſuo, in hujuſmodi dæmonum ſuffragiis confidentes, eoſque dignos arbitrantes, quibus ſerviant & quibus honores divinos impendant, illos idololatrarum more adorare cum exhibitione cultus & reverentiæ præſumpſerunt. His & aliis ſuperſtitionibus deteſtandis, & adverſantibus catholicæ fidei præfati clerici & barberius & eorum quilibet, nec non aliqui alii reſidentes in curia non ſemel, ſed pluries inſtitiſſe feruntur, nedum in ſuarum, ſed & in quamplurium aliarum periculum animarum, &c.* Ad excindendam perniciosiſſimam peſtem Forojulienſi epiſcopo ac Petro Textoris & Petro e Pratis doctoribus, pontificiis capellanis, contra eos ejuſmodi labe inquinatos quæſtionem exercere jubet. *Dat. Avin.* III. *kal. mart.*

LIV. Geraldus epiſc. Caturc. lege majeſtatis damnatus.

Poſtulatum etiam judicio majeſtatis, ac necis paratæ (*d*) Pontifici Hugonem Geraldum epiſcopum Caturcenſem, ferunt: quem plurimis aliis criminibus fœdaſſe dignitatem, ex apoſtolica in eum lata ſententia (*e*) liquet. Arſiſſe quidem avaritia adeo, ut vi ac dolo ingentes pecunias extorqueret a ſubditis, quos ſacramento poſtea devinciebat, nunquam de ea re expoſtulaturos: nec minore elatum ſuperbia in iis reiiciendis, qui ad ſedem Apoſtolicam provocaſſent; atque ob id flagitium epiſcopatu exauctoratum. Dejectum (*f*) etiam omni epiſcopali munere ac privilegio, carcerique perpetuo ad crimen expiandum lacrymis mancipatum (*g*) oſtendunt alia edicta pontificia conſignata XV. kal. junii. Verum ipſum e carcere a foro ſæculari raptum ad ſup-

(d) *Mart. Pol. appen.*
(e) *An. 1. p. 1. ep. com. 793.*
(f) *To. 2. p. 2. ep. ſecr. 380.*
(g) *Ib. ep. 381. eſt extrav. divinis exemp. de pœnis.*

plicium & unco tractum, nudatum cute, ac flammis crematum, tradit Bernardus; (*a*) cujus verba pontificiis literis conſentiunt, arguuntque de immani flagitio convictum fuiſſe: *Degradavit*, nimirum Pontifex, *ac depoſuit a ſacerdotali ac pontificali ordine ac dignitate epiſcopum Caturcenſem Hugonem Geraldi, ablatis ab eodem omnibus pontificalibus inſigniis, videlicet annulo, atque mitra, & cappa cum Romana camiſia, & birreto: ſicque relictus in ſimplici habitu ſæculari fuit adjudicatus perpetuo carceri* IV. *die menſis maii apud Avinionem anno Dom. MCCCXVII. Qui poſtmodum relictus curiæ ſæculari fuit per ejuſdem curiæ in judicium tractus, & excoriatus, atque combuſtus.* Eadem Martinus (*b*) Polonus, & Ptolemæus Lucenſis (*c*) referunt. Quibus conſentanea traduntur ſubjectis verbis in MS. (*d*) bibliothecæ Vaticanæ: *Fuit degradatus per Tuſculanum epiſcopum Cardinalem & curiæ ſæculari traditus, tractuſque fuit & in aliqua corporis parte excoriatus: demum in menſe julii combuſtus, quia in mortem ſummi Pontificis, ut dicebatur, fuit machinatus.* His addimus extare in veteribus MS. judiciaria (*e*) acta adverſus Robertum epiſcopum Aquenſem, qui Bononiæ magicas artes laudaverat, exercueratque. Sed a ſceleſtiſſimis præſulibus ad ſanctum archiepiſcopum lectorem tot criminum horrore perfuſum revocemus.

(*a*) Ber. Chron. Rom. Pon.

Quo ritu munere epiſc. exauctoratus. Nudatus cute & flammis exuſtus.

(*b*) Mart. Polon.

(*c*) Ptol. Luc. hiſt. eccl. MS. l. 24. c. 42.

(*d*) M.S. Vat. ſign. nu. 3765. in Jo. 22.

(*e*) Reper. in arc. Avin. ſign. nu. 115. legato Octav. Card. Aquav. & Romam tranſlata.

LV.

Celebratum (*f*) Bononiæ hoc anno eſt a Raynaldo archiepiſcopo Ravennate, viro ſanctitate vitæ & miraculis inſigni, concilium epiſcoporum provinciæ: in quo ad reſtituendam eccleſiaſticam diſciplinam vetera a Latino Apoſtolicæ ſedis legato, atque a Bonifacio prædeceſſore decreta renovata: tum ad componendas eccleſias, excolendos pietate populos, cleri expoliendos mores, religioſos viros ad vitæ ſanctitatem revocandos, conferenda ſacerdotia, divina ſine ſtrepitu peragenda, ac publica vitia reprimenda, plura religioſiſſime ſancita: quæ cum ſint typis inter reliqua concilia cuſa (*g*), hæc nobis delibaſſe ſuffecerit.

(*f*) Hier. Rub. hiſt. Raven. l. 6

Bononienſe Concilium.

In eo ſtatuta.

(*g*) Ext. in to. conc. p. 2.

Nec ſanctiſſimis modo hujus beati archipræſulis exemplis illuſtrabatur hiſce temporibus Italia; verum B. Claræ e Montefalcone monaſterii S. Crucis abbatiſſæ miraculis: quorum gloria cum in dies effloreſceret, Fulginatum, Peruſinorum, & Spolentanorum precibus adductus Pontifex Peruſino & Urbevetano epiſcopis partes dedit (*h*), ut ſacrum de iis examen, ac publicas tabulas rite conficerent.

B. Clara e Montefalcone miraculis conſpicua.

(*h*) An. 2. p. 1. ep. com. 311.

Cognoſcendi de miraculorum veritate data provincia.

*Attendentes*, inquit, *quod Romana eccleſia, præſertim in tanto fidei negotio, conſuevit cum magna maturitate procedere, ubi videlicet de re tam ardua queritur, ſenſibus quidem abdita, ignota ſcientiis, & novo quodam probandi genere vita, utique & miraculis comprobanda; nam ſi difficile exiſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore, quæ in cœlis ſunt quis inveſtigabit? dilecto filio noſtro Neapoleoni S. Adriani diac. Card. commiſimus, ut apud ſedem Apoſtolicam de hujuſmodi ſanctitate, vitæ ac miraculis prædictæ Claræ informationem per teſtimonia fide dignorum reciperet, illamque nobis referre curaret, &c.* Addit illum, demandato munere perfunctum, nonnulla miracula in Cardinalium ſenatu propoſuiſſe, magnis teſtimoniis corroborata, quæ cum amplius ſilentio obſcuranda non ſint, illis inſtituendi ex præſcripta forma ſacri examinis de vita & miraculis illius opera patratis provinciam imponit. *Dat. Avin.* VIII. *kal. novembris anno* II.

Res diligentius indagari juſſa.

LVI.

Exeunte hoc anno, nimirum III. kalend. januarias, damnavit Pontifex (*i*) varias pſeudoreligioſorum ſive Fraticellorum ſectas, quæ fucatæ pietatis lenocinio veram ſanctitatem labefactabant; & apoſtatarum per orbem vagantium licentiam coercuit. Cum vero ſæpius de Fraticellis mentio occurſura ſit, variæque ſectæ eo nomine notatæ reperiantur, viſum eſt eorum percenſere diſcrimina, ne dum plerumque quaſdam pſeudominoritarum factiones perſtringimus, putet aliquis alias hæreſeon peſtes, Fraticellorum nominis æquivocatione deceptus, ex ſacra Minoritarum familia emerſiſſe. Fraterculorum ſectæ impuriſſimæ, quæ promiſcuos concubitus ſectariis permittebat, & infanticidio ſuum ſacrabat antiſtitem, meminit Joannes Baptiſta Pigna (*k*); illiuſque conditorem ex vetuſtis monumentis refert Armannum Pungilupum Ferrarienſem, cujus oſſa refoſſa ſepulcro undetrigeſimo ab hæreſiarchæ morte anno, ejuſque memoriæ veſtigia abolita vidimus anno Chriſti MCCCI. (*l*) Hanc vero ſectam ita deſcribit Pigna: *Fraterculorum ea labes fuit Anabaptiſtarum, omnia ad communitatem revocantium, non præeſſe imperio, non rem facere aut civilia ulla munera ſuſcipere ſatis dignum Chriſtiana pietate exiſtimans. Hi, quantum Ferrarienſium annales produnt, virgines, nuptas viduaſque lectiſſimas inſtar ſacerdotum ſacris initiabant, quibuſcum antiſtites ſine ullo diſcrimine coibant. Partus primum in lucem editus, ſceleſtum atque inauditæ feritatis commentum! ſtatim coacto cœtu in ſublime jactabatur, ſingulis ab ſeſe reiicientibus; quoad extremam ſpiritum exhalaret: cujus in manus veniſſet in ipſo fugientis animulæ articulo, is pontifex ſacrabatur.*

(*i*) Extr. ſancta Romana de relig. dom.

Pſeudomonachi coerciti.

De Variis Fraticellorum ſectis.

(*k*) Pigna de Ateſt. priv. l. 3. Prateo in voce Fraticell.

(*l*) Annal. to. XIV. an. Chr. 1301. n. 2. 5

Execranda Armanno auctore Fraticellorum hæreſis.

LVII.

Alterius Fraticellorum ſectæ meminit Alvarus Pelagius, (*m*) eoſque cum Sarrabaytis, id eſt, pſeudoeremitis, Begardis, Beguinis, Apoſtolicis, confundit; in eo enim conſentiebant univerſi, quod re-

(*m*) Alvarus Pelag. de planctu eccl. l. 2. c. 51.



religioſo cultu impietatem velarent, ipſoſque graphice ita depingit: *Iſtis ultimis temporibus hypocritalibus plurimi, maxime in Italia & Alemannia & provincia Provinciæ, ubi tales Begardi & Beguini vocantur, nolentes jugum ſubire veræ obedientiæ, ſed libertate noxia potiri, nec ſervare regulam aliquam ab eccleſia approbatam, ſub manu præceptoris & ducis legitimi vocati Fraticelli, alii de paupere vita, alii Apoſtolici, aliqui Begardi: qui ortum in Alemannia habuerunt ſpecie tenus, & quantum ad hominem exteriorem mundo renuntiare videntur; & dicentes, religioſos ab eccleſia approbatos promiſſas regulas non ſervare, durante primo fervore deſerta domeſtica penetrant, ſoli ſedent vel pauci ſimul, paupertatem ſervare videntur, abſtinentiis ſe macerant, ſed ventre replent, diſciplinæ operam dant: ſed deficiente fervore, quaſi poſt annum ſedent ſub umbra juniperi Jonæ* III. *cujus cinis ignem uſque ad annum conſervat: habita occaſione de petenda eleemoſyna, quam nequeunt petere niſi religioſi mendicantes ab eccleſia approbati, extr. de reli. dom. Religionum lib.* VI. *& inferius Declarato, vagari incipiunt, ad homines ſe convertunt, laborare refugiunt, quia panem otioſum inveniunt: familiaritates, maxime fœminarum, nunc ſpiritualium, nunc aliarum accipiunt,* XVIII. *q.* II. *Diffinimus et c. Pernicioſam: eis prædicant contra illud extra de hæreſi. Cum ex iniuncto: de Deo loquuntur, dulces ſermones proferunt,* II. *ad Timoth.* III. *Rom. ult. ſimplices ſe oſtendunt, per domos dominorum & viduarum convivantur, otio vacant,* II. *Theſſal. ult. dictis & enumeratis aliquot Pater noſter, reliquo tempore aut pedes in commotionem dant, aut in ſuis cellis dormitant.* Et infra.

Nefariæ aliæ Fraticellorum factiones.

Diſcrepantes nominibus, ſed hypocriſi conſentientes.

Eorum ſtudia.

LVIII.

Et ignavia ſegnities.

*Et quia obedientia ligati non ſunt, pro libito comedunt & bibunt, ſurgunt & ambulant, & ex occaſione libertatis, quia corrigi non timent, nec per hominem viſitari nec excitari, communiter poltronizant (vulgare eſt Italorum) id eſt, vitam pinguem volunt cum libertate & ſine labore: dediti ſomno & vagationi continuæ, & pro levi commotione ſuborta loca, in quibus habitant, dimittunt & ab invicem ſe dividunt, & ſicut paſſeres inſolentes de monte in montem tranſmigrant pſal. x. & torpore & tepore lethæo tepefacti, cum curtis capitiis & repetiatis, & cum amictibus & habitibus, quos ſibi contra eccleſiam invenerunt, diſcurrunt per mundum.*

Cultus ſordidus.

*Et quia circa jejunia & orationes & obſervationes regulares Domino non promiſerunt, ſed quod faciunt de ſpecie boni ex libertate propria faciunt, ideo recedente primo igne, forſan divino, qui eos urebat, pejores quam frigidi eſſent in ſeculo, quia tepidi recedente calore, ab ore dominico evomuntur apocal.* III. *ſpeciem quidem ſanctitatis habentes, virtutem autem abnegantes, ad literam* II. *ad Timoth.* III. *in ſua hypocriſi ſe & mundum decipiunt: nam eorum prima abſtinentia in gaſtrimargiam vertitur, paupertas in peculium, vigilia in ſomnolentiam, ſilentium in multiloquium, maxime ſub ſpecie loquendi de Deo; ſimplicitas in malitiam, ſolitudo in conſortium & familiaritatem ſecularium & mulierum. Eorum etiam aliqui in civitatibus & villis alii prope habitant, & a ſecularibus de die in diem convivia recipiunt ſub ſpecie charitatis XLIV. di. Convivia, commatres & compatres ſibi faciunt, contra illud de conſecr. di.* IV. *Non licet abbati, & cap. ſequenti; ambaxatas, id eſt legationes faciunt & referunt, de animarum conſiliis præſumptuoſi idiotæ ſe intromittunt contra illud c. extr. de æta. & quali. Cum ſit: de peregrinatione in peregrinationem diſcurrunt, quia acidia eos de cella expellit, quam cum ſic credunt expellere, ſub ſpecie boni peregrinando per mundum per ſanctos, tunc eam amplius nutriunt.* Et infra: *Hodie cellulæ noſtrorum anachoretarum hypocritarum a mulierculis viſitantur quod eis ſæpe Aſſiſii & alibi prohibui: advenientibus ſæcularibus, ſub ſpecie charitatis menſas parant.* Et infra.

Simulata virtus in vitia degenerans.

Abuſus monachorum.

LIX.

*Quidam etiam ex eis, ſuperius Apoſtolici & Begardi nominati, paupertatem evangelicam ſe ſervare dicentes, quia nec locum habent nec aliquid ſe portare dicunt vere girovagi & vere ribaldi per mundum curſitant, in plateis comedunt, quia aliqui eorum conſcientiam habent comedendi in domo, & ſpecialiter ab aliquo aliquid petendi; ſed clamant in plateis eleemoſynam ſibi dari, vel cantant, nil expreſſe petendo, ſed clamando; nec laborare volunt, conſcientias habentes, ſi aliquod opus faciant corporale: dicunt enim, quod debent orare continue, ne cadant in tentationem, & quia Apoſtolus dicit* I. *ad Theſſal. ult. Sine intermiſſione orate; & Maria optimam partem elegit Luc.* X. *& ſimilia allegantes. Iſti in veſtibus ovium veniunt Matth.* VII. *ſed intus ſunt lupi rapaces. Iſti illos hæreticos ſequi videntur, qui in canone Apoſtolici nuncupantur, qui nil proprium poſſidentes, nequaquam recipiunt eos, qui aliquid proprium poſſident in hoc mundo.* XXIV. *q.* III. *Quidam vero Apoſtolici.* Et infra: *Sed iſti pſeudoapoſtoli & Begardi iſtius temporis perfectiores apparere deſiderant, quam veri Apoſtoli & veri anachoretæ, qui & viri apoſtolici extiterunt: ſed mentita eſt iniquitas eis, quia ipſi profeſſionem apoſtolicam non ſervant, nec vitam: Apoſtoli enim in ſe perfectiſſimi* XXIV. *q.* II. *& ult. Legatur, & pauperrimi in ſalutem gentium per orbem a Domino miſſi ſunt ad baptizandum, ad prædicandum Marc. ult. de conſe. d.* IV. *Proprie, ad ligandum & ſolvendum per cla-*

Mendiculi impoſtores paupertatis evangelicæ ſpecimen ſibi arrogant.

Addictos ſe contemplationi fingunt.

Intoleranda eorum arrogantia.

*ves eis a Domino datas Jo.* XX. *de pœn. di.* I. *Quem pœnitet: ſed iſti pſeudoboves ſunt ad præſepe evacuandum, non triturandum & prædicandum* XIII. *q.* I. §. *His ita, quia miſſi ab eccleſia non ſunt, ſed a ſpiritu maligno ad illos de eccleſia decipiendum, extr. de hæret. Cum ex iniuncto non catechizant, neque baptizant, neque prædicant niſi de facto* XVI. *q.* I. *Adiicimus, quia nec presbyteri ſunt, & ſi aliqui ſint, non curati, nec abſolvunt nec ligant quia claves non habent* XVI. *q.* I. §. *Ecce* I. & II. *vere poltrones & ribaldi & ab hominibus deteſtandi ſunt, quia nec eccleſiæ ſerviunt, nec proximo, nec ſibi in Chriſto, nec domino Jeſu Chriſto in nullo ordine permanentes; de paupertate plenis ventribus, quorum ipſi ſunt deus, Phil.* III. *& vita apoſtolica gloriantes, contra enim Dei eccleſiam & ſua ſacra concilia ſuperius in principio iſtius* §. *alleg. ſibi ordinem in oculis hominum invenerunt.* Et infra. *Vtinam hi tales pſeudoapoſtoli & ficti religioſi non ſic orarent, ſed foderent & ararent Geneſ.* III. *& panem in ſudore vultus ſui manducarent, & oratione vocali dominica Pater noſter contenti eſſent, ſicut alii ſimplices hujus mundi, ut non cum ſua ſimulata & imaginaria oratione perirent.*

Profanant ſacramenta.

LX.
Plures ad defugiendum laborem monachalem larvam induunt.

*Sed quidam ex eis in mundo porcarii, quidam pecorarii, quidam armentarii, quidam cementarii, quidam carbonarii, quidam fabriferrarii, aut aliis diverſis operibus mancipati de labore manuum juſte ſibi victum quærentes, & ſuæ familiæ talem ſanctum laborem & a Domino indictum refugientes Geneſ.* III. *quia homo naſcitur ad laborandum, Job.* V. *mutato habitu, quem ſibi adinvenerunt, ſed non corde, de labore & ærumna, vilitate & paupertate ad otium & requiem corporis ubertatem & libertatem noxiam transferunt:* Et infra: *Porro nullus quaſi ſupradictorum Sarrabaitarum girovagorum & pſeudoapoſtolorum, Begardorum & Fraticellorum, & illorum de paupere vita laborare vult manibus ſuis; ſed de eleemoſynis vivunt.* Et infra: *Sed certum eſt, quod omnes prædicti aliquem modum ordinis ſibi conſtituunt in habitu, in vita, & in congregatione: quidam ex eis in ſua ſecta viventes, ſub cujus colore mendicant, de nullo approbato ab eccleſia ordine mendicantium exiſtentes, contra eccleſiam vivunt. Immo iſtis temporibus dominus Papa Joannes* XXII. *contra omnes ſic viventes & eis faventes excommunicationis ſententiam promulgavit in quadam extravaganti edita contra eos, quæ incipit* (*a*). *Sancta Romana.*

Eorumdem inertia.

Damnantur a Joanne.

(*a*) *Extrav. Sancta Rom. de Relig. domib.*

LXI.
Triplex eorum genus.

In hac porro conſtitutione obſervatur hos Fraticellos, qui religioſo cultu ſanctitatis larvam præferebant, triplicis ordinis fuiſſe; atque alios prætexuiſſe, habitum ſe & vitæ ritum ab epiſcopis aut eccleſiarum prælatis accepiſſe; alios jactaſſe, ſe tertii ordinis S. Franciſci, pœnitentium vocati, habitum induiſſe; finxiſſe alios ordinem fratrum Minorum profiteri & S. Franciſci regulam ad literam obſervare, obiecto eo fuco, ipſos a Cæleſtino quinto hujuſmodi vitæ & ſtatus privilegium, quamvis ea ratio non valeat, cum Bonifacius VIII. conceſſa a Cæleſtino reſciderit, ac poſteriori decreto ſtandum eſſet. Hoc porro triplex Fraticellorum ſive pſeudomonachorum genus in hac impietate conſenſiſſe queritur Joannes: *Quia*, inquit, *in errorum barathrum faciliter ruunt, qui conceptus proprios patrum definitionibus anteponunt, ipſorum quamplurimi, ſicut fide digna relatione percepimus, a veritate catholicæ fidei deviantes, eccleſiaſtica ſacramenta deſpiciunt, ac errores alios ſtudent multipliciter ſeminare.* Ut vero in ea pſeudominoritarum ſuperba factione, quæ a ſodalibus divulſa ſe ſpiritualem venditabat ad hypocriſis pompam, & inſtar religioſæ familiæ adoleſcebat, & in Provincia, Etruria, Calabria, & Trinacria, monaſteria occupabat condebatve, nonnullæ hæreſes detectæ (*b*) ſint, proximo anno dicetur. Secuti vero pontificiarum conſtitutionum ſententiam Fraticellorum nomine nunc maxime intelligimus Petri Joannis Olivi ſequaces, & alios pſeudominoritas, qui S. Franciſci inſtituta non ex pontificiis decretis, ſed ex nefaria & delira interpretatione ſua ſectari voluerunt, & in varias prolapſi hæreſes ab eccleſia aberrarunt: in quos veri Minoritæ pie conſurrexere, donec ea peſtis penitus exciſa eſt. Nec vero hi pſeudominoritæ omnes, ſive fuerint ordinis Franciſcani apoſtatæ & perduelles, ſive ex profana multitudine ad eos ſe contulerint, eoſdem penitus errores tenuere: quippe nonnulli etiam reperti, ut plangit Alvarus Pelagius (*c*), qui Beguardorum impuritatem ſectati ſunt: *Multi*, inquit, *ſeculares & fratres Minores pro iſto carnali ſpiritu libertatis per inquiſitoris hæreticæ pravitatis incarcerati fuerunt.* Et infra: *Tales valde ſpirituales videbantur, in lucis angelum transformati.* Ut vero Fraticellorum turbam alii auxerint, vel novam conflarint, qui poſteriores Pontificum conſtitutiones impugnarunt duce apoſtata Michaele Cæſenate, dicetur inferius.

(*b*) *Jo. in conſt. Glorioſam eccleſiam.*

Quinam præcipue Fraticell. nomine indicentur.

Plures Minoritæ in eam ſectam lapſi.

(*c*) *Alvar. Pelag. de planct. eccl. l.* 2. *c.* 52. *in Beguar. errore.*

Ex pontificiis quoque literis coſtant, plures hoc tempore ſolo cultu externo Franciſcanam ſanctitatem profeſſos, re autem vera hæreſi infectos fuiſſe, & improborum dogmatum virus ſimplicibus populis afflaſſe: eaque de cauſa ejuſmodi hypocritas omnibus privilegiis, ſacro S. Franciſci ſodalitio ab Apoſtolica ſede conceſſis, a Joanne Papa exutos; illorumque anteſignanum extitiſſe Joannem Barraut, in quem

Joannes Barraut ſignifer. hæret.





ac ſocios Michael ejuſdem ordinis, fidei cenſor, legum ſeveritatem diſtringere juſſus eſt (*a*): *Sic*, inquit, *efficaciter & ſolerter juxta ſtatuta canonica procedere ſtudeas, quod per tuæ ſolicitudinis circumſpectam prudentiam dicti ordinis ſacra plantatio, exterminatis vulpeculis quæ illum venenoſis morſibus demoliri præſumunt, fructus afferat catholicæ puritatis.* Præterea ſanxit Pontifex (*b*), ut hæretici & apoſtatæ a religione catholica ad Judaicam ſuperſtitionem deficientes, qui ad rempia perfugerent, fidei cenſoribus dederentur.

(*a*) *Jo. an.* 3. *p.* 1. *ep. cur.* 142.

Hæretici Minoritæ exuti privilegiis.

(*b*) *Bullar. in Joan.* 22. *conſt.* 1.

LXII. Hoc anno cum libri Arnaldi e Villanova variis contaminati erroribus, quos ſparſerat, vulgi manibus tererentur, a Joanne Longerio fidei cenſore & præpoſito Tarraconenſi, eccleſia illa ſuo tum paſtore orbata, habitis doctorum cœtibus, damnatæ hæreſes, ex ejus nefariis ſcriptis decerptæ: *Quod natura humana a Deo aſſumpta eſt æqualis Deo in omnibus bonis ſuis, & quod tam alta ſit humanitas in Chriſto, quantum deitas; & tantum poſſit. Quod quam cito anima Chriſti fuit unita divinitati, ſtatim ipſa anima ſcivit omnia, quæ Deus ſcit; quia alias, ut dicebat non fuiſſet cum ea una perſona præcipue, quia ſcire eſt circumſtantia pertinens ad ſuppoſitum individuale, & non ad naturam. Quod in ſacrificio miſſæ non laudatur Deus opere, ſed ſolum ore.* Proſcripti alii ejus errores, quod nimirum univerſi eccleſiæ ordines a Chriſti fide & a charitate defeciſſent, quod monachi a ſalutis via aberrarent, quod eleemoſyna ſacrificio altaris eſſet præſtantior, quod ſacra pro mortuis peragenda non eſſent, nec inſtituenda ſacerdotia; quod mundus an. MCCCXXXV. deſiturus foret: quæ accurate Aymericus (*c*) percenſet.

Arnaldi e Villanov. errores damnati.

(*c*) *Aymer.* 2. *p. derect. inq. q.* 11.

I. Præcipuæ res hoc anno geſtæ.

Tartarorum Imp. egregie in Chriſtianos affectus.

CONdita eſt in Perſide anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo trecenteſimo decimo octavo, indictione prima, archiepiſcopalis ſedes Soltanienſis, miſſique plures antiſtites & evangelii præcones religioſi viri ad gentes pro fide latius proferenda: inſtructi ſacris ritibus Armeni, & tartari ad Dei cultum provocati. Imperabat Tartaris Usbec, qui erga Chriſtianos regiam benevolentiam explicuerat adeo, ut ſub illius auſpiciis religio feliciſſime effloreſceret; cum nonnulli viri impii, diabolico inſtinctu concitati, ad progreſſus evangelii diſturbandos barbarorum auribus afflarunt, campanas, quæ ad divina peragenda & congregandum ad ſacras conciones populum pulſabantur, triſte aliquod Tartaris omen portendere. Quibus ſuſurris in media barbarie ſimplex imperator ſubornatus, edicto pulſari illas vetuit. Vertebatur ea res in religionis noſtræ dedecus, neque ita facile neophyti, ut pietate excolerentur, poterant convocari: de qua re certior factus Pontifex, ad Tartarorum Imperatorem, ut ejuſmodi edictum reſcinderet; tum ad Chriſti fidem non parum, ut præſeferebat, in eam propenſum pelliceret, haſce literas dedit (a).

(a) An. 2. p. 1. ep. cur. 40.

*Magnifico Viro Usbec Imperatori Tartarorum illuſtri divinæ inſpirationis gratiam in præſenti, & fruitionis æternæ gloriam in futuro.*

II. Gratulatur illi de præclaro eo ſtudio Pont.

*Lætanter audivimus, quod tu, non abſque ſpeciali motione divina, ob reverentiam Chriſti Jeſu Domini ſalvatoris, religionis Chriſtianæ cultores, infra imperii tui terminos conſtitutos, benigno favore proſequeris & pertractas: hoc in te per te agente illo, qui pro ſua voluntate bona in nobis velle ac perficere operatur; quique vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem pertingere veritatis. Nos igitur*

Pelliciendi illius ad Chriſtum deſiderium ſuum exponit.

*qui principis Apoſtolorum Petri, quem Chriſtus cœlum aſcendens in terris ſuum vicarium dereliquit, regni cœleſtis traditis ſibi clavibus, per quas ipſe ſuique ſucceſſores poteſtatem aperiendi omnibus & claudendi ejuſdem regni januam obtinerent, ſucceſſores ſumus ſola Dei patientia non noſtris meritis conſtituti, animas Deo lucrifacere ſuper omnia cupientes, & errantes in viam veritatis reducere; ut ipſum agnoſcant Deum vivum & verum omnium conditorem, qui de tenebris nos vocavit, atque utinam te ac tibi ſubjectos populos vocare dignetur, in admirabile lumen ſuum magnitudinem tuam rogamus & hortamur attentius, & per illius miſericordiam obſecramus, qui te ad ſuam fecit imaginem ſe capacem: qui mortis & inferni claves obtinens, cui claudit, nemo aperit, & cui aperit nemo claudit; quatenus prudenter conſiderans, quod vita noſtra vapor ad modicum parens eſſe dignoſcitur, quodque dies noſtri tranſeunt velut umbra; ſaluberrimam fidei catholicæ veritatem, quam ſacroſancta Romana ſervat, prædicat, & docet eccleſia, ſine qua creatori Deo eſt impoſſibile complacere, reverenter amplectens cum ſubjectis tibi populis per ſacratam ac ſacrantem undam baptiſmatis, per quam, ut filii ſimus Dei, accipimus poteſtatem, ſpiritualiter regenereris in Chriſto: ut ſic ab ipſo regni cœleſtis coronam incorruptibilem una cum ipſis populis conſequi merearis.*

Vitæ humanæ fragilitatem.

Filiorum Dei dignitatem.

III.

*Verum quia ipſe Chriſtus, qui eſt veritas, favores & bona, quæ ſuis exhibentur cultoribus, perſonæ ſuæ exclamat & reputat eſſe facta; celſitudinem tuam in Domino deprecamur, quatenus ad Chriſtianæ fidei profeſſores, qui dominationis tuæ terram inhabitant, & maxime qui prædicant inibi verbum Dei, ſic tuæ benignitatis affectu continues, ipſos operoſis favoribus proſequendo, quod tuæ protecti defenſionis clypeo, cujuſquam offenſionis molimina non formident; quin potius aſſidue ſecuritatis dulcedine valeant gloriari.*

Ad protegendos evangelicos præcones eum hortatur.

*Cæterum cum, prout accepimus, ob divini reverentiam nominis Chriſtianos prædictos campanas, ad quarum pulſationem ad divina convenire poſſent officia, dudum per aliquod temporis ſpatium habere, ac pulſare libere permiſiſſes, quamvis poſtmodum inimicorum Chriſti, qui, quantum poſſunt licet ſupervacue, non deſinunt ſuæ iniquitatis jacula jacere contra ipſum, fraudulenta ſeductus inſtantia campanas pulſandi prædictas eis interdici feciſti a tribus annis proximo præteritis facultatem; rogamus denuo ut ſuggeſtiones hujuſmodi, quæ de ipſorum ſentina venenoſa procedant, omnino deſpiciens, Chriſti cultores eoſdem præfatas habere ac pulſare campanas, pro divini honore nominis, permittas ſine difficultate aliqua & concedas. Speramus enim in Domino, quod ex hoc tibi vitæ præſentis augmenta provenient, noſtrique Redemptoris immenſa benignitas, qui nunquam irremuneratum bonum aliquod prætermittit, ad ſui nominis gloriam agnoſcendam oculos tuæ mentis facilius ſuæ lucis ſplendoribus illuſtrabit. Dat. Avinione v. kal. April. anno ſecundo.*

Queritur in prohibendo campanarum uſu ab impiis fuiſſe ſubornatum.

IV. Propagata in Perſide religio.

Diffuderat ſe non modo in Cambalienſi urbe imperiali, aliiſque Scythiæ Aſiaticæ oris religio; verum in Perſide etiam & Indiis: id vero Chriſti vicarium impulit, ut Soltanienſem ſedem patriarchalem in Perſide excitaret (b) quæ fidelibus Tartarorum Imperatori Perſidis principi, Chaydo & Doha atque Indiarum

(b) Ib. ep. 61.



& Æthiopiæ Regibus obnoxiis præeſſet; illique Francum Peruſinum ordinis Prædicatorum præficeret, ac laborum & gloriæ ſocios ſuffraganeos ſex epiſcopos ex eodem ſacro ordine adjungeret (a).

(a) Ib. ep. 63. & poſt eand. ep.

*Joannes, &c. Dilecto filio fratri Franco Peruſino ordinis fratrum Prædicatorum, electo Soltanienſi.*

Perſicæ eccleſiæ cura a Pont. ſuſcepta.

*Pridem gratis relatibus intellecto, quod in partibus Perſidis, & terris aliis circumpoſitis, ſub magni Imperatoris Tartarorum Perſidis imperio conſtitutis, venuſta fidelium & novella plantatio, quam inibi plantaſſe dignoſcitur miſericordia Conditoris, regenerata unda baptiſmatis, nomen veneratur Altiſſimi, & inſpiciens lucem magnam, extollit laudibus noſtri præconia Redemptoris, ingentem ſuſcepimus in corde lætitiam; votis ferventibus affectantes, ut viros, virtutis, honoris, & gratiæ titulo refulgentes, ad cultum novellæ vineæ veræ vitis tanquam cultores induſtrios & operarios opportunos, quorum curioſa cultura ejuſdem vineæ palmites in illarum partium latitudinem uſque ad extremos orbis terminos, Deo auxiliante, ſuccreſcant, per opportunæ ſolicitudinis & diligentiæ ſtudium poneremus. Propter quod villam Soltanienſem in eiſdem partibus & dominio conſtitutam, inter alias villas dictarum partium, prout fide dignorum habet aſſertio, inſignem, nobilem, & famoſam, ac habentem populum copioſum, de fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, in civitatem metropolitanam duximus erigendam: ac ad perſonam tuam, evangelizantem in illis partibus verbum Dei, de cujus ſanctitate vitæ, literarum ſcientia, & aliis copioſis virtutum meritis magna nobis & eiſdem fratribus fide digna teſtimonia ſunt relata, oculos dirigentes, te ordinis Prædicatorum profeſſorem de ipſorum fratrum conſilio, & dictæ poteſtatis plenitudine, eccleſiæ dictæ civitatis in archiepiſcopum præfecimus & paſtorem; curam & adminiſtrationem & ſolicitudinem animarum omnium exiſtentium in eiſdem partibus, quæ ſubduntur præfati Imperatoris, nec non Chaydo & Æthiopiæ ac Indiæ Regum ſeu principum dominiis, tibi plenarie committentes; tibique exercendi omnia, quæ ad jura archiepiſcopalia ſpectare noſcuntur, ſecundum quod eſt ſacris canonibus diffinitum, concedentes plenam & liberam poteſtatem, prout hæc & alia in noſtris ſuper hoc confectis literis plenius continentur.*

Soltanienſis urbs metropolitana erecta.

Francus ord. Præd. archiepiſcopus conſtitutus.

V. Adiuncti epiſcopi ſex ſuffraganei.

*Volentes igitur ut catholicæ fidei veritas ſemper de bono in melius, auctore Domino, in illarum partium latitudine expulſis tenebris eluceſcat, ſex de fratribus dicti ordinis, videlicet Geraldum Caluenſem, Guillelmum Adæ, Bartholomæum de Podio Bernardinum de Placentia, Bernardum Moreti, & Bartholomæum Abaliati, in lege Domini eruditos, vita & religione præclaros, & multarum virtutum titulis commendatos, de dictorum fratrum conſilio, & ejuſdem plenitudine poteſtatis aſſumpſimus & præfecimus in epiſcopos & paſtores ipſoſque in adjutorium commiſſe tibi ſolicitudinis pro majori animarum ſalute in præfatis partibus duximus deputandos, &c. Datum Avinione kal. maji anno ſecundo.*

Impoſuit eidem Soltanienſi archiepiſcopo provinciam (b), ut ſi pluribus epiſcopis ad proferendos evangelii limites opus eſſet, ipſos excitis duobus caholicis antiſtitibus ſacris pontificalibus initiaret auctoritate Apoſtolica: quos cum e vivis excedere contigiſſet, ut Prædicatorum ſodalitia earum partium eccleſiarum curam gererent, conſtituit. Quo vero archiepiſcopalis muneris numeros omnes Soltanienſis ipſe impleret, Pontifex pallium ſuffraganeis tranſmiſit (c), ut poſt conſecrationem, in Perſide conferendam, ei traderent.

(b) Ibid.

Conſecrationem & pallium archiepiſcopo tradere juſſi.

(c) An. 2. p. 2. ep. com. 1744.

VI.

Extant in Pontificio regeſto hujuſmodi literæ Guillelmo Adæ epiſcopo Soltanienſis eccleſiæ ſuffrraganeo, ac Joanni e Florentia Dominicanæ familiæ alumno datæ (d), quos pallium epiſcopo, cujus partium erat Soltanienſem archiepiſcopum ſacris pontificalibus initiare, conſignare juſſit, ut ipſum in Romani Pontificis verba ſolemni ſacramento adactum, eo ornaret: adiecitque ut electus ſacramenti formam conceptis verbis deſcriptam in ſuis ad ſedem Apoſtolicam literis inſereret, chirographoque ſuo muniret: illa vero a Pontifice tranſmiſſa eſt in literis ad ſuffraganeos datis (e), quibus ſignificavit, ſe electi laboribus ac periculis, quæ ſubeunda eſſent, peperciſſe, ſi ex antiquo Romanæ eccleſiæ more ad conſecrationem obtinendam metropolitanus ſe ad Apoſtolicam ſedem non conferret: in ſacramenti tamen forma veniendi ſingulis ſex annis, atque ad ſynodos cum vocatus eſſet, accedendi legem indixit. Quibus porro diebus pallio utendum eſſet in aliis ad eundem Francum literis præſcripſit (f): *Cupientes*, inquit, *prædictam Soltanienſem eccleſiam, ad quam velut opus manuum noſtrarum intenta mente afficimur, cujuſque exaltationem deſideramus ex animo, honoribus gratioſis attollere; tibi & ſucceſſoribus tuis archiepiſcopis Soltanienſibus, qui pro tempore fuerint, in nativitatis & duobus diebus ſequentibus, circumciſionis, epiphaniæ, reſurrectionis & duobus diebus ſequentibus, & aſcenſionis & pentecoſtes, & in quatuor B. Mariæ; nativitatis B. Joannis Baptiſtæ Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium ſanctorum, in die cœnæ Domini ſabbati ſancti, ramis palmarum, commemoratione omnium ſanctorum, B. Laurentii martyris, B. Georgii, B. Gregorii, B. Auguſtini, B. Do-*

(d) Reg. poſt eand. ep.

(e) Ib. ep. com. 1746.

(f) Ib. ep. 1745.

Deſignati dies quibus pallium gerere debeat.

*B. Dominici, & in principali ipſius eccleſia feſtivitatibus, ac in dedicationibus eccleſiarum, conſecrationibus epiſcoporum, in ordinationibus clericorum, in abbatum ac abbatiſſarum & monialium benedictionibus, nec non & in die conſecrationis tuæ, ipſique ſucceſſores infra dictam eccleſiam & totam provinciam Soltanienſem pallio de corpore B. Petri ſumpto, quod tibi & iiſdem ſucceſſoribus per certos nuntios ad partes ipſas tranſmittimus, uti licite valeatis, auctoritate præſentium indulgemus. &c. Dat. Avinione kal. aug. anno ſecundo,*

VII. Evangelici præcones ad gentes miſſi.

Nec ad Tartaros modo Pontifex præcones evangelicos ex ordine Prædicatorum; verum etiam ad alias nationes, toto orbe diffuſas, veterique ſuperſtitione aut ſchiſmatis & hæreſis erroribus imbutas, colluſtrandas divina luce tranſmiſit; quos ad excolendam vineam Domini inſtruxit auctoritate (*a*) ſubjectis literis, accenditque ſacro proferendi evangelii ardore.

(*a*) *Ib. ep. cur. 62.*

*Joannes, &c. dilectis filiis fratribus ordinis Prædicatorum in terris Saracenorum, paganorum, Græcorum, Bulgarorum Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mocolitarum, aliarumque non credentium nationum orientis & aquilonis, ſeu quarumcumque aliarum partium proficiſcentibus.*

Datæ ipſis literæ.

*Gratias agimus gratiarum omnium largitori, qui duritie cordium infidelium, in nonnullis locis aquilonarium & orientalium partium conſiſtentium, tanquam terræ vaſtæ ſolitudinis, & imbre divinæ gratiæ indigenti, imbrem compluit pluviæ baptiſmalis, & per miniſterium veſtrum & aliorum religioſorum terram illam vomere ſanctæ prædicationis excoluit, ſemenque verbi Dei cœleſtis agricola ſeminavit, quod feliciter in ſegetem pullulat, ita quod regiones illæ meſſem multam oſtendunt: quæ quidem, dante Domino incrementum, plures requirit operarios, ut conquiſita jam meſſis dominica inferatur in horrea; & aliorum terra, quam imber cœleſtis gratiæ non infudit, veſtris meritis de vena ſuperioris irrigui madefacta, capiat verbum Dei, reddatur apta colentibus; ut tandem, in ipſa divini verbi ſemine ſeminato, in fœcundam ſegetem pullulet, ſeges uberem fœcundetur in meſſem, ut creſcente veſtro, & aliorum operariorum miniſterio ſpiritualis conſortii ſacris horreis cumuletur.*

*Ad continuandum igitur in partibus illis ſalutis eulogium evangelicæ veritatis, tubam univerſitati non credentium intonandam, ſacris quoque olivæ ramis fidei Chriſtianæ aquilonaris & orientalis infructiferi oleaſtri germina inſerenda, ut fiat Chriſtianæ gratiæ latitudo, ſeque per partes totius orbis extendat; vos hortandos duximus ac etiam excitandos, vobis in remiſſionem peccaminum injungentes, ut tanquam fideles miniſtri ſatoris æterni ſeratis ſemen gratiæ in agrum ſterilem non credentium animarum, neophytorum & nutantium animos confirmetis in fide, corda fidelium confortetis in luce ſermonis & rectitudine operis, propoſitum vobis iter ſine quorumlibet offenſione curatis.*

Commiſſa a Pontifice auctoritas.

*Ut autem miniſterium veſtrum eo plenius proſperetur, quo majori fueritis auctoritate ſuffulti; vobis apoſtolica auctoritate concedimus, ut in terris illarum partium, quæ adhuc ſedis Apoſtolicæ magiſterio non intendunt, proponere verbum Dei; & conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqui fuerint majori excommunicatione ligati, in verbo, officio, cibo ac in aliis honeſtis & licitis communicare ſecure; ipſoſque ſeu alios, quos converti ad unitatem Chriſtianæ fidei affectamus, recipere, baptizare, & aggregare ovili fidelium valeatis: ut per regenerationis gratiam de longinquo ad ſuum revertentes auctorem, liberi efficiantur ex ſervis, de extraneis proveh antur in filios, ex corruptibili carne nati ex Dei ſpiritu renaſcantur; & obtineant per gratiam, quod non obtinent per naturam, &c. Datum Avinione kalend. maii anno ſecundo.*

VIII.

Deſudatum eſt (*b*) adeo ſtrenue ab iis, qui antea in Armeniam miſſi erant ad diſcutiendas errorum tenebras, quibus ii populi erant offuſi, ut Armeni ad Romanæ eccleſiæ gremium fuerint revocati. Quam quidem redintegratam cum Romana eccleſia Armenorum conjunctionem, pontificiæ ad Oſſinium Regem literæ docent (*c*): quibus ipſius oratores perhumaniter ſe excepiſſe ſignificat, comperiſſeque Jacobum Cabanenſem in omnibus fidei articulis Latino dogmati conſentientem, excepto eo capite, quo ſacramentum confirmationis apud Armenos confertur a puro ſacerdote, ab eodemque oleum, quo infirmi inungerentur, conſecratur: demum illi ſervatæ hactenus a Romana eccleſia fidei formulam, tradidiſſe.

(*b*) *Leand. l. 3. Mich. Pius l. 1. de virit. ill. Præd.*

Redintegrata Armenorum cum Romana eccleſ. conjunctio.

(*c*) *To. 1. ep. Secr. 782.*

*Joannes &c. Oſſinio Regi Armeniæ illuſtri.*

Miſſi ab Oſſinio Rege ea de cauſa ad Pont. oratores.

*Fili chariſſime, venerabili fratre noſtro Jacobo epiſcopo Cabanenſi, & dilectis filiis nobilibus viris Stephano & Girardo militibus, ac Gregorio Trucimano ambaſſatoribus tuis & nunciis a tua magnificentia pro arduis regni tui negotiis ad nos miſſis, nuper in curia noſtra præſentibus, noſtro per nonnullos fuit inſtillatum auditui, quod Armeni, Chriſtiani nominis titulo inſigniti, a Romana eccleſia matre tua, quæ caput eſt & magiſtra circa dogmata catholicæ fidei & ritus eccleſiaſticos in aliquibus diſcrepabant. Propter quod nos*



*nos, licet ad id facile noſtræ non inclinaret credulitatis aſſenſus; de tua tamen & tuorum ſalute ſoliciti, & ne tuam & illorum innocentiam cujuſvis obloquii murmur obrueret, aut tui nominis gloriam impoſitio falſa mendaciter obumbraret; prædictos ambaſſatores tuos & nuncios ad noſtram fecimus ſeorſum in camera convocari præſentiam, & adhibito per interpretem Gregorio memorato non in velamentis ænigmatum, ſed in verbis explicitis & aptis recenſuimus, ut infra deſcribitur, profeſſionem fidei, quam tenemus, & ritus eccleſiaſticos, quos ſervamus. Quam utique fidem præfatus epiſcopus, ſuper hoc interrogatus a nobis: non ſub involucro aut verborum ambagibus, ſed clare ac pure fuit profeſſus ibidem, idque te ac tuos aſſeruit corde firmiter credere, & ore ſimpliciter confiteri, quod tenet & docet Romana mater eccleſia in hac parte.*

Ut Pontifex ipſis Rom. eccl. fidem ac ritus expoſuerit.

Armeni fidem orthodoxam tenere comperti.

IX. In ritibus aberrare, quod preſbyteri confirmationis ſacram. conferrent.

*Porro circa eccleſiaſticorum obſervantiam rituum, in hoc tantum non quidem ex contemptu, ſed ex quadam ignorantia & ſimplicitate Armenos diſcrepare ſubjunxit a nobis, quod eorum ſimplices ſacerdotes confirmationis conferunt ſacramentum, quod apud nos ſoli conferre debent epiſcopi per manus impoſitionem, in fronte chriſmando renatos. Ipſi etiam ſacerdotes oleum, quod infirmorum dicitur, conſecrant pro ſacramento unctionis extremæ; cum tamen id apud nos ad epiſcopos ſolos ſpectet. Cæterum ne in his tuæ ac tuorum ſinceritatis extollenda præconia celarentur, voluimus quod ad Dei laudem & gloriam, tuæque ſublimitatis extollentiam atque decus, idem epiſcopus in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia præmiſſa omnia recenſeret; quod & fecit prudenter & provide: dictamque nihilominus profeſſionem a ſe factam nobis dedit in ſcriptis, ut in futurum conſervaretur rei geſtæ memoria, & ipſorum recens notitia poſteris ſe offerret. Ut autem ipſius ſinceritas & veritas fidei quam prædicta tenet eccleſia, quamque nos firmiter credimus & ſimpliciter confitemur, & quam etiam prædictus epiſcopus patenter confeſſus eſt, aſſerens ipſum, ut Romana docet eccleſia, te credere firmiter & tenere, fiat tam tibi, quam tuis omnibus manifeſta; eam per præſentes plene proponimus, & exponimus evidenter.*

Conficerent chriſma ad extremam unctionem.

Data Pontifici Armenorum nomine orthodoxæ fidei, quam tenebant, formula.

Alia a Pontifice tranſmiſſa ad Oſſinium.

X. De Deo uno & Trino.

*Credimus etenim ſanctam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, totamque deitatem coeſſentialem, conſubſtantialem, coæternam, & coomnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis: creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, & per quem omnia, in quo omnia quæ ſunt in cœlo & in terra, viſibilia & inviſibilia, corporalia & ſpiritualia. Credimus ſingulam quamque in ſancta Trinitate perſonam unum verum Deum, & perfectum.*



De Verbo incarnato.

*Credimus ipſum Filium Dei verbum Dei æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu ſancto ex Maria ſemper virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem: Deum verum & hominem verum, proprium in utraque natura, atque perfectum, non adoptivum neque phantaſmaticum, ſed unum & unicum Filium Dei in duabus & ex duabus, divina ſcilicet & humana, naturis; ſed in unius perſonæ ſingularitate impaſſibilem & immortalem divinitate: ſed in humanitate pro nobis & ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum & ſepultum, & deſcendiſſe ad inferos, ac tertia die reſurrexiſſe a mortuis vera carnis reſurrectione: die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne, in qua reſurrexit, & anima aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Patris, inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint ſive mala.*

De duabus in Chriſto naturis.

De reſurrectione & aſcenſu in cælum.

De Spiritu ſancto.

*Credimus etiam Spiritum ſanctum, plenum & perfectum verumque Deum, ex Patre & Filio procedentem, coæqualem & coeſſentialem & coomnipotentem & coæternum per omnia Patri & Filio.*

De eccleſia.

*Credimus hanc ſanctam Trinitatem non tres Deos, ſed unum Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem, & incommutabilem. Credimus ſanctam Catholicam & apoſtolicam unam eſſe veram eccleſiam, in qua unum datur baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credimus etiam veram reſurrectionem ejuſdem carnis, quam nunc geſtamus, & vitam æternam. Credimus etiam novi & veteris teſtamenti, legis, ac prophetarum & Apoſtolorum unum eſſe auctorem Deum ac dominum omnipotentem. Hæc eſt vera fides catholica, & hanc ſuper dictis articulis tenet & prædicat ſacroſancta Rom. eccleſia.*

De carnis reſurrectione.

De ſcripturarum auctore.

*Sed & propter diverſos errores, a quibuſdam ex ignorantia & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat eos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos; ſed per veram pœnitentiam ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum. Quod ſi vere pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignæ pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatorii poſt mortem purgari; & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverint ſecundum eccleſiæ inſtituta. Illorum igitur animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum nullam omni-*

De pœnitentiæ ſacramento.

De purgatorio.

Et paradiſo.

*omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt peccati contractam maculam, vel in ſuis manentes corporibus vel eiſdem exutæ, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ; in cælum mox recipi: illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas, eadem ſancta Romana eccleſia credit & firmiter aſſeverat: & quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.*

Et inferno.

*Tenet etiam & docet eadem Romana eccleſia, ſeptem eſſe eccleſiaſtica ſacramenta. Unum ſcilicet baptiſma, de quo dictum eſt ſupra. Aliud eſt ſacramentum confirmationis, quod per manus impoſitionem epiſcopi conferunt, chriſmando renatos. Aliud eſt pœnitentia. Aliud eſt Euchariſtia. Aliud eſt ſacramentum ordinis. Aliud eſt matrimonium. Aliud eſt extrema unctio, quæ ſecundum doctrinam B. Jacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Romana eccleſia, tenens & docens, quod in ipſo ſacramento panis vere tranſubſtantiatur in corpus & vinum in ſanguinem domini noſtri Jeſu Chriſti. De matrimonio tenet, quod nec unus vir ſimul plures uxores, nec una mulier ſimul habere permittitur plures viros: ſoluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius conjugum, ſecundas & tertias & deinceps nuptias ſucceſſive licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum ex cauſa alia non obſiſtat.*

Septenarius ſacramentorum numerus.

In Euchariſtia fit tranſubſtantiatio.

*Hæc eſt, fili, puriſſima, certiſſima, & ſolidiſſima orthodoxæ fidei & ritus eccleſiaſtici veritas, evangelicæ doctrinæ conſona, a ſanctis tradita patribus, & Romanorum Pontificum in ſuis ſynodis diffinitione firmata. Quod itaque ad hunc fidei veritatem zelo devotionis afficeris, quod ipſam devotus amplecteris, quod claræ memoriæ Regis inclyti patris tui laudabilia imitando veſtigia, ad ejus unitatem & obſervantiam cunctos ſibi ſubditos exemplo laudandæ imitationis inducis, ſciens cum Apoſtolo, quod ſicut unus eſt Deus, unumque baptiſma, ſic cunctorum debet eſſe fidelium una fides; cedit evidenter ad animarum ſalutem & tui nominis gloriam & inſuper ad tui ſtabilimentum principatus accedit. Quid enim puriori luce relucet in principe, quam fidei rectæ ſinceritas & vera religio, quæ cum in luminis & vitæ dirigantur actorem, tenebras reſpuunt, neſciunt ſubjacere defectui, nec verentur occaſum?*

Excitatur Oſſinius ad populos ad eam fidem alliciendos.

Maximum ſibi comparaturum decus.

*Hæc profecto cunctis audientibus, qui ſpiritu Dei aguntur, gaudii & exultationis in Domino materiam ſubminiſtrant: hæc catholicos rei conſcios in jubilum animos excitant. Sed cor noſtrum lætitia eo indubie profuſiori reſpergunt, quo celſitudinem tuam potiori charitate proſequimur, & ex officii debito ac paternæ charitatis inducto ad tuam tuorumque ſalutem ferventius anhelamus. Tu quoque, amantiſſime fili, ex iis habes unde domino Deo tuo in vocem exultationis & confeſſionis erumpas, exultes in eo, & fatearis humiliter tibi & tuis de immenſo ipſius dono conceſſum inter perfidas nationes veræ fidei agnoſcere veritatem, illamque devotis affectibus confiteri. Perſta igitur, noſti enim quod perſeverantiæ palma debetur: cumque præcepto legis cauda hoſtiæ in ſacrificio jubeatur offerri, ille bene immolat, qui ſacrificium boni operis uſque ad finem perducit debitæ actionis.*

XI.

*Ne vero circa ſacramenta, vel ritus eccleſiaſticos inter nos & te ac tuos reliquiæ diſſonantiæ qualiſcumque ſuperſint, quæ tuis & illorum honori derogent & ſaluti; excellentiam tuam inſtanter requirimus & rogamus, obſecrantes eam per illum, cujus perfecta ſunt opera, & quem tu creatura illius in tam placidi conſummatione boni pro viribus imitari teneris, quatenus efficacem pro poſſe des opem & operam, quod totus clerus & populus regni tui ritum ipſius Romanæ eccleſiæ circa ſacramenta confirmationis & extremæ unctionis obſervent: ut videlicet ſacramentum ipſum confirmationis, quod non legitur neque ſcitur ab Apoſtolorum tempore ab aliis quam ab ipſis fuiſſe peractum; quin potius in eorum actibus ſcribitur, quod ad confirmandum baptizatos in nomine domini Jeſu Chriſti Petrus & Joannes in Samariam de Hieroſolymis tranſmiſſi fuerunt; quod utique ſacramentum poſt tempus illorum fuit ſolis pontificibus in eorumdem Apoſtolorum locum ſuccedentibus reſervatum, nulli alii quam epiſcopi exhibere, nec aliqui ab aliis quam ab epiſcopis ſuſcipere quoquo modo præſumant. Licet namque ſacramentum ipſum non ſit a fidelibus contemnendum, tutius tamen eſt illud ſine periculo, quod neceſſitatem non habet, omittere quam ſi ab iis, a quibus illud conferri non licet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non ſine gravi periculo inaniter conferatur, cum umbra quædam oſtendatur in opere, veritas autem non ſubeat in effectu.* Præcepiſſe quoque Innocentium (*a*) III. Gregorium (*b*) IX. & Innocentium (*c*) IV. ne confirmationis ſacramentum ab initiatis tantum ſacerdotio conferretur, vidimus; cum ad id rite conferendum epiſcopalis dignitas deſideretur in conferente, ex poteſtate ſcilicet ordinaria: nam extraordinaria poſſe ſacerdotem, ſi ea auctoritate a ſummo eccleſiæ antiſtite inſtructus fuerit, ſacramentum illud conferre, ex ſancti Gregorii exemplo oſtenſum eſt. (*d*) Pergunt apoſtolicæ literæ.

Monetur ut ritus Rom. Eccleſiæ circa ſacramenta confirmationis & extremæ unctionis inducatur.

Sacramentum confirm. ab epiſcopo tantum conferendum.

(*a*) *Annal.* to. 13. *An. Eh.* 1199. *n.* 63.

(*b*) *Ann.* 1231. *n.* 29. & 30.

(*c*) *Ann.* 1254. *n.* 7.

(*d*) *Ann.* 1231. *n.* 30.



*Efficias etiam, quantum in te fuerit, & procures, quod nullus deinceps niſi epiſcopus oleum ſanctificet infirmorum, cum ut præfertur, ad ſolos ſpectet epiſcopos ipſius olei materiam conſecrare ad inungendum infirmos. Si nempe, ut præmittitur, in fide fundati ſtabiles & immobiles in illa permanſeritis tu & tui; ſi præfato ritui noſtro vos conformare curabitis, nedum opinionis veſtræ cuſtodes eſſe, ac de bono nomine habere dicemini, ſed & retributionis præmia, non ſine laudis humanæ præconio & apoſtolici favoris augumento.*

A ſacerdote Pontificis legato conferri poteſt. Oleum infirmorum ſacrandum ab epiſcopo.

*Nec omittimus, quod ipſa ſacroſancta Romana eccleſia, ſummum & plenum primatum & principatum ſuper univerſam catholicam eccleſiam obtinens (quem ſe ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum principe, ſeu vertice, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & humiliter recognoſcit) ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debet judicio diffinire: ad quem poteſt gravatus quilibet in negotiis ad forum eccleſiaſticum pertinentibus appellare: ſed & in omnibus cauſis, ad examen eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt recurri judicium: & eidem omnes eccleſiæ ſunt ſubjectæ, ipſarumque prælati & obedientiam & reverentiam ſibi debent; apud quam ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quod eccleſias cæteras ad ſolicitudinis partem admittit: quarum multas, & patriarchales præcipue, diverſis privilegiis eadem Romana eccleſia honoravit, ſua tamen prærogativa tam in generalibus conciliis quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalva, &c.* Subiicit epiſcopum Cabanenſem his omnibus aſſenſiſſe, ex quo ſe ad maximas Deo gratias agendas, qui Armenos ſuæ ita veræ fidei luce colluſtravit, ut circumjacentium nationum erroribus non involvantur, excitatum ait: certiſſima vero ipſum ac ſuos, ſi in ea fide ac Romanæ eccleſiæ conjunctione conſtantes perſtiterint, apud Deum præmia manere. *Dat.* III. *kal. maii*. Datæ ſunt eodem argumento ad catholicum Armenorum cæteroſque præſules ipſius auctoritati obnoxios literæ (*a*), in quibus præfatus, quantum Chriſtus mutuam inter ſuos amicorum conjunctionem commendarit, ſubiicit oratorem Oſſinii Regis epiſcopum Cabanenſem profeſſum eſſe fidei catholicæ, quam Romana colit eccleſia, formulam, quæ iiſdem ſententiis ac verbis concepta eſt atque illa, quam Oſſinio tranſmiſſam vidimus uſque ad ea verba *ex cauſa alia non obſiſtat*; quibus alia de primatu annectit: *Nec omittimus*, uſque *ſemper ſalva*; tum hæc adjungit (*b*).

De primatu Rom. eccl.

(*a*) *Ib. ep.* 783.

(*b*) *Ead. ep.* 783.

*Quæ omnia & ſingula præfatus epiſcopus in noſtra & fratrum præſentia prædictorum ſpontanee recognoſcens & reverenter acceptans, vos & totum clerum & populum, antedictos eadem recognitione & acceptatione devote perſiſtere affirmavit. Super quibus omnibus gaudemus in illo, qui mirabiliter ab æternis præferens lumina montibus, & cunctos in hunc mundum venientes illuminans, veſtras & ipſorum cleri & populi mentes in prædictis veræ lucis radio illuſtravit: illi vitulum labiorum exolvimus, qui vos & eos in his tanta proſecutus eſt gratia, tanto prævenit beneficio, ut inter habitantes in regione umbræ mortis lux devotionis veſtræ ſic aperte clareſceret, & velut lilium inter ſpinas ſalubriter emicaret. Hæc profecto catholicos rei conſcios in jubilum animos excitant: hæc cunctis audientibus, qui ſpiritu Dei aguntur, gaudii & exultationis in Domino materiam ſubminiſtrant. Sed & vos fratres, cæterique prælati regni prædicti ſpecialiter habetis ex iſtis, unde in vocem exultationis & confeſſionis erumpatis domino Deo veſtro, exultetis in eo, & humiliter fateamini, prædictis clero & populo, regimini veſtro commiſſis, de immenſo ipſius dono conceſſum inter perfidas nationes veræ fidei agnoſcere veritatem, illamque devotis affatibus confiteri.*

XII. Præſules Armeni ad conſtantiam in fide confirmati.

Gratulatur inter medios infideles fidei puritate radiare.

*Quia igitur ſpiritualis ille citharædus teſtatur in pſalmis, bonum pariter & jucundum exiſtere fratres in unum, & unius moris in domo Domini habitare, ut demum in illa tribus Domini lætantes introeant; fraternitatem veſtram monemus & hortamur attente, obſecrantes in domino Jeſu Chriſto, vobiſque per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus cogitatione recogitantes intenta, quod ad hoc prælatos Dominus in eccleſia ſua præfici voluit, ut exerceant in ea quæ ſoliti ſint paſtores; ad hoc in vineam ſuam illos operarios introduxit, ut ſuæ culturæ ſtudio uberior illa conſtituatur in fructu, ad hoc illos in ſpecula ſtatuit, ut aliis lumine veritatis oſtendant, nedum in fidei confeſſione prædictæ, & recognitione primatus Romanæ eccleſiæ ac eccleſiaſticorum obſervantia rituum inconcuſſa ſoliditate ſedulo perſiſtatis, ſed & in eorum immobili perſiſtentia, ſubditos videlicet clerum & populum confirmetis, ut eis jugiter in confeſſione divini nominis adunatis, una ſit fides mentium & pietas actionum, &c. Datum* II. *kalend. maii.*

Hortatur eos ut populos in primatu Rom. eccleſiæ agnoſcendo foveant.

Nec Armeni modo, qui in Cilicia atque Armenia agebant, Romanæ eccleſiæ dogma ſunt amplexi: verum, alii etiam, qui a Saracenis ſuis pulſi ſedibus in Taurica Cherſoneſo agebant, Caphenſi epiſcopo Latino Romanæ eccleſiæ nomine obſequium devovere: quibus id Ponti-

XIII. Armeni in Taurica Cherſoneſo agentes cum Rom. eccl. ſentiunt.



L 2 fex

fex gratulatus eſt, ipſoſque inſtruxit, ut in divinis myſteriis ſubſtantia panis & vini integris ſpeciebus cum Chriſti corpore & ſanguine commutaretur, & vino conſecrando aqua modica affundenda eſſet ac divina ea re adumbrata myſteria aperuit (*a*).

(a) An. 2. p. 1. ep. cur. 36.

*Venerabili fratri archiepiſcopo Armenorum, & dilectis filiis presbyteris per Caphenſem diœceſim conſtitutis.*

*Exultavit cor noſtrum in Domino, multaque perfudit lætitia mentem noſtram, noviter intellecto, quod lucis creator omnipotens, vobiſcum virtutem faciens, mentes veſtras veræ lucis radiis illuſtravit: dum catholicam fidem, quam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat ſacroſancta Romana mater eccleſia, promiſiſtis juramento præſtito, inviolabiliter obſervare; venerabili fratri noſtro Hieronymo epiſcopo Caphenſi Romani Pontificis & ipſius eccleſiæ nomine obedientiam & reverentiam exhibentes humiliter, & firmiter promittentes. Propter quod ſinceris deſideramus affectibus, & inſtantia multæ ſolicitudinis excitamur, ut ejuſdem eccleſiæ ſalutifera documenta ſervantes, ejus obſervantias ſervetis fideliter; & præſertim in altaris ineffabili ac potiſſimo ſacramento.*

De ſacramento altaris.

*Quamquam enim in ſacramentis cæteris & per ipſa gratia conferatur ſanctificans, in hoc tamen ſacramento tranſubſtantiatis pane in Chriſti corpus, & vino in ſanguinem ſub ſpeciebus utriuſque, quæ remanent, continetur vere ſacramentaliter totus Chriſtus. Itaque noſſe vos volumus nec latere, quod aquam miſceri vino in ſalutaris calice tenet ſancta Romana eccleſia, prædicat, præcipit, & obſervat; non falſis ad hoc fictionibus circumventa, ſed divinis edocta verbis, & rationibus validis ſancto afflante Spiritu, per quem gubernatur & regitur, communita.*

Cur aqua in calice admiſcenda.

*Hunc namque ſervando ritum, hoc ſacramentum celebrans, Chriſto ipſum ſtatuenti veraciter ſe conformat. Non enim credendus eſt Chriſtus ipſe, qui temperantiæ ſummæ cunctis ſe præbuit in exemplum, in die cœnæ, qua hoc ſacramentum inſtituit, vino puro, ſed lymphato potius uſus eſſe; Salomone prædicente in Chriſti perſona diſcipulis pro hac die: Venite comedite panem meum; & bibite vinum, quod miſcui vobis.*

Ob traditum a Chriſto exemplum.

Præſignatum aquæ e latere mortui Salvatoris effluentis myſterium.

*Vino etiam in hoc ſacro myſterio aquam miſcens, expreſſe commemorat mortem Chriſti, de cujus latere in cruce dormientis dira perfoſſo lancea non ſolum ſanguis, ſed cum ipſo pariter aqua fluxit; evangeliſta dicente Joanne, quod unus militum lancea latus ejus aperuit, & continue exivit ſanguis & aqua. Apoſtolus etiam Paulus verba Chriſti de hac commemoratione recitans, dicit: Hoc facite in meam commemorationem: quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis. Denique cum aqua vino apponitur, ſacramenti fructus, qui eſt ſumentes uniri Chriſto, clarius deſignatur; per aquas enim figuratur populus in ſcripturis, angelo dicente beato Joanni in apocalypſi: Aquæ, quas vidiſti, populi ſunt; ut ſic per hoc, quod vino aqua infunditur, Chriſtianus ſumens populus incorporari Chriſto vere intelligitur. Nec quemquam adverſus prædicta movere debet, quod per aquam, quæ de Chriſti profluxit latere, deſignatur unda baptiſmatis: aqua namque non ſolum ſordes carnis abluit & emundat; verum etiam juncta vino reficit & confortat: ut ſic aqua prædicta accepta per ſe baptiſmum ſignificet, permixta vero ſanguinis ſacramentum.*

Chriſtianorum cum Chriſto conjunctionem adumbratam.

XIV. Exhortatio ad Caphenſes ut Rom. eccl. ritibus in eo ſe accommodent.

*Vos igitur, o dilecti frater & filii, juxta Iſaiæ conſilium attendentes ad Abraham patrem veſtrum, Romanum videlicet Pontificem, & ad Saram, quæ peperit vos, Romanam ſcilicet matrem eccleſiam, quæ vos per baptiſmum in Chriſto genuit, & alere ac complecti dulciter prompta eſt & parata ſuis uberibus & brachiis charitatis; ejus legem devota mente ſuſcipite, qua ſtatuit, quod in hoc admirabili ſacramento nec aqua ſine vino, nec vinum abſque aqua per miniſtrum aliquatenus offeratur. Hanc ergo ſervare legem univerſitatem veſtram rogamus & hortamur in Domino, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, charitatique veſtræ in virtute Dei præcipimus & mandamus. Nam juxta Chriſti fidele promiſſum aqua hæc, quam ipſe protulit de ſeipſo, fons aquæ ſalientis in vitam æternam, ritum ſacramenti prædictum obſervantibus vobis fiet; dictaque mater eccleſia fructus colliget uberes ex veſtris actibus virtuoſis. Datum Avenione v. kalen. aprilis anno ſecundo.*

XV. De gymnaſiis ad docendas latinas literas conſtituendis agitatum.

Ne vero facile fidei puritas inter Armenos exoleſceret, Pontifex aperienda in Armenia gymnaſia putavit, in quibus Armeni linguam Latinam diſcerent: quoque major interpretum copia foret, injuncta eſt ea Prædicatoribus provincia, ut ſimul ad Armenos erudiendos incumberent, quos Regi Oſſinio commendavit (*b*) Joannes, ut ipſis domicilia Ajacii quæ in Ciliciæ extrema ora maritima ſita eſt, conſtitueret.

(b) Ib. ep. cur. 67.

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Regi Armeniæ illuſtri.*

*Quoniam Majeſtati divinæ, quæ nos gratis condidit, gratis redemit, gratis etiam ab omni mentis & corporis adverſitate cuſtodit, nihil offertur gratius, nihil acceptius exhibetur, quam ſi homo hominem ad vitam trahat, & divinæ gratiæ, ſine qua ſalvi eſſe non poſſumus, fervidus cooperator exiſtat; proinde cum doctore*



*ctore gentium atteſtante fides ſit ex auditu, auditus autem per verbum Dei, valde neceſſarium eſt, ut linguarum confuſionem, quam ſuperborum hominum inſolentia meruit, diverſorum idiomatum peritia ſuppleat; & defectum, quem culpa intulit, humanum ſtudium prævia Dei bonitate depellat.*

De neceſſario ad promulgandum evangelium linguarum uſu.

*Quis enim, licet eximiæ ſanctitatis ſplendore fulgeat, licet lacteo eloquentiæ fonte decurrat, verbum Dei etiam benevolis atque devotis auribus utiliter proferat, quando vis verborum ab audientibus non percipitur, & audientis animus vocis barbaricæ aſperitate vexatur? Aut cujus unquam præſtantiſſimi viri gratus poterit eſſe convictus, ſi ſermo humanæ mentis interpres a convivente omnifariam fuerit alienus? ut enim verbis utamur Apoſtoli (a): Si neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus; unde & Salvator noſter ad præclaram confeſſionem ſui nominis diverſitatem gentium vocaturus, beatis Apoſtolis, ut linguis loquerentur omnium, poteſtatem tribuit, ut divinæ vocationis novitatem nova lingua promeret, & veritatem Chriſtianæ fidei inauditæ facundiæ celebre miraculum confirmaret.*

(a) 1. Cor. 14.

XVI. Mitti Prædicatores ad gymnaſia aperienda.

*Cupientes, igitur, ut ubilibet gentium, & præcipue in ſubjecto tibi regno divini nominis reverentia creſcat, augeatur Chriſtiana religio, & fides catholica dilatetur; in memorato regno multiplicare proponimus viros religione claros, devotione gratos, & ſcientiæ decore venuſtos; videlicet fratrem Raimundum Stephani ordinis Prædicatorum, & quoſdam alios ſuos ſocios, qui ſubjectum tibi populum verbo ſalutiferæ prædicationis inſtruant, ſanctæ converſationis exemplo ad amorem patriæ cœleſtis accendant, & Latini ſermonis peritiam, functi præceptoris officio, gratis atque copioſe diffundant. Nam etſi veneranda & prona devotione colenda eſt illorum gloria, qui divino munere linguis variis Dei magnalia loquebantur; laudanda nihilominus & prorſus imitanda illorum ſedulitas, qui pro dilatatione Chriſtianæ fidei interpretandi ſcientiam comparare in continuati laboris probitate nituntur: &, ſi impoſſibile eſt, ut omnes gentes ad unius linguæ labium redeant: non impoſſibile, ſed facile & perutile eſt, ſi, accedente magiſtro & non deficiente diſcipulo, interpretum multitudo ſuccreſcat, quorum ſuffragio ad tuas accedentes partes facile poſſint, ultroque citroque mutuum ferendo atque referendo ſermonem, conceptus mentis viciſſim promere, nutrire pacem, ſocialem vitam ducere, & de impugnatione, atque expugnatione inimicorum Chriſtianæ fidei *.. cautius liberiuſque, ſuſcipias; & nos, immo Salvatorem noſtrum, pro cujus amore longam atque laborioſam peregrinationem ſubeunt, in ipſis attendens, illos juxta regalem magnificentiam opportunis favoribus proſequi non deſiſtas; providendo celerius, ut certa loca in regno tuo, & præcipue in civitate Ajacii prædictis Dei famulis aſſignentur, in quibus devotum & debitum ſervitium Deo reddere confluentem plebem inſtruere, & Latini ſermonis copiam valeant miniſtrare. Ad quod ſalubre exercitium juvenilis atque puerilis manus eſt per tuam diligentiam inducenda, ac etiam, ſi opus fuerit, compellenda: quoniam hæc ætas, varietates idiomatum & facilius capit, & tenacius ſervat, & ſuavius atque efficacius promendo refundit. Datum Avinione VI. idus junii anno ſecundo.*

* agere Rogat Regem, ut domicilium ipſis attribuat.

XVII. Conceſſæ ei prærogativæ.

Porrexerant Oſſinius Rex atque Regina Joanna, ex Sicula ſtirpe regia S. Ludovici confeſſoris epiſcopi neptis, ſupplices Pontifici preces, ut ſacerdoti, quem ad exhomologeſim excipiendam adhiberent, ſolvendorum omnium criminum, indulgentiæque in ancipiti mortis diſcrimine conferendæ auctoritatem traderet: quorum piis votis Joannes annuit. Aliis autem literis Pontifex eidem Armeniæ Reginæ commendavit, (*b*) ut virum honore amoreque proſoqueretur, magnoque ſtudio tueretur catholicos.

(b) An. 2. p. 1. ep. 537.

Oſſinius Rex auxilia poſcit.

Cæterum contulere ſe Armenorum oratores ad Robertum Siciliæ Regem, (*c*) Philippum principem Tarentinum, (*d*) ac Philippum Francorum Regem (*e*) ut ipſos ad ſacram in Aſiam expeditionem concitarent. De quibus Oſſinio reſcripſit Pontifex (*f*) Philippum Regem Belgico bello implicitum: ſed ſtrenuum ducem cum lectiſſimis copiis ipſi in auxilium ſubmiſſum iri: cum vero ea diſcordia, quæ Oſſinio ipſi cum Henrico Cypri Rege intercedebat, magnam rei Chriſtianæ perniciem afferat, legatum apoſtolicum ad conciliandam inter eos pacem tranſmiſſurum.

(c) To. 1. ep. ſecr. 527.
(d) Ib. ep. ſecr. 528.
(e) Ep. 36.
(f) Ibid.

Francorum Rex ſubmiſſurum ſe auxilia pollicetur.

Diſcordias inter Cypr. & Armen. Reges ſopire ſtudet Pont. Et Genuenſes Henrico conciliare.

Excercebat etiam Cypri Rex alias cum Genuenſibus inimicitias, quæ in bellum atrox erupiſſent, niſi pontificia ſolicitudo eas ſedare ſtuduiſſet. Quo argumento extant tum ad Genuenſes (*g*), ne adverſus Cyprum claſſem immitterent; tum ad Henricum (*h*) Regem, ut bello injuriiſque inferendis abſtineret; tum de pace inter eos agitari cœpta plures literæ. Exagitabat etiam tunc Cyprius Rex Tyri regulum ſororium, quem Pontifex erigere ad conſtantiam ſtuduit (*i*); auditaſque illius querelas, hiſce verbis ſignificat: *Audivimus oppreſſiones atque moleſtias in tuis & liberorum tuorum bonis & juribus, quibus per chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Henricum Regem Cypri ſororium tuum affici diceris; a quo quidem propter affinitatis vinculum expectare potius conjectura probabili debuiſſes impendium gratiæ & favoris.* Hactenus de

(g) Ib. ep. ſecr. 678. 679 794.
(h) Ib. ep. 677. 795.
(i) Ib. ep. 552.

Aliæ inter Henricum & Tyri regulum diſcordiæ.

de Aſiaticis rebus, quæ ſi diſſidiis non carebant, Europeæ non minus eodem malo fluctuabanr. Utque a Belgico bello, de quo paulo ſuperius, ut rebus orientalibus exitiali illata mentio eſt, inchoemus.

XVIII. Inter Belgas & Francos exorti novi tumultus.

Recruduit inter Philippum Francorum Regem ac Robertum comitem Flandriæ fœderatoſque populos vetus diſcordia, ad quam extinguendam miſſi internuntii Petrus e Palude ordinis Prædicatorum ac Stephanus e Neiraco & Guillelmus e Gandavo Minoritæ: tum exciti ad ſedem Apoſtolicam Philippi Regis ac Roberti Belgarumque oratores pro exigenda hinc inde ad pacis leges ſervandas cautione, ac poſt ancipites tractatus Belgæ ducentorum millium librarum mulctam, ſi a fœdere reſilirent, admiſere, & Inſulam Duacum, & Bethuniam Regi traditum iri, neque Curtracum novis operibus firmandum, ſacramento ſpopondere. Regiis vero oratoribus Philippi nomine varia cautionum genera offerentibus, eaque Belgis reſpuentibus, Pontifex adductis in conſilium non Cardinalibus modo, verum aliis rerum peritia viris conſpicuis, hoc conſilium dedit, quod Francorum Regi ſubjectis verbis ſignificavit. (a)

RegisPhilippi Belgarumque oratores ad ſe vocat Joannes.

(a) To. 2. ep. ſecr. 84.

XIX. Pontificis in ea controverſia conſilium.

*Conſuluimus, & conſulendo diximus, quod tu ſemel dumtaxat per certam perſonam, ad hoc a te deputandam, in animam tuam jures, quod tu dictas conventiones inviolabiliter obſervabis, per te vel alium non venturus aut facturus aliquid contra eas, vel aliquam earundem: & pro obſervatione hujuſmodi tu obliges bona tua præſentia & futura. Singuli etiam ſucceſſores tui in regno ſemel dumtaxat juramentum hujuſmodi * per te & ſucceſſores prædictos in forma præſcripta *, quando comites Flandriæ ad homagium & fidelitatem recipientur, in craſtino videlicet poſtquam hujuſmodi homagium & fidelitatem comites ipſi præſtiterint, & conventiones ſervare juraverint antedictas; curabis etiam tu bona fide abſque fraude aliqua, quantum poteris, quod frater & patrui & conſanguinei tui de Valeſio & de Borbonio, comes S. Pauli, ac pares Franciæ conventiones ipſas, quantum in eis fuerit, obſervare promittant; & quod tibi, ſi contra conventiones ipſas vel aliquam ex eis faceres aut venires, per ſe vel alium in hoc aſſiſtere aut te juvare minime teneantur. Ubi tamen Flandrenſes ipſi de facto conventiones ipſas vel earum aliquam infringerent, aut contra te guerram fortaſſe moverent, tunc prænominati omnes & ſinguli a dictis promiſſionibus ſint liberi & immunes.*

* facient * faciendum.

Quid agitatum ſit, certiores Reges Pontifex facit.

Expoſuit eadem Pontifex (b) non Roberto comiti modo, verum etiam Eduardo Anglorum, Alfonſo Caſtellæ, Jacobo Aragonum, Dionyſio Luſitaniæ, & Sancio Balearium Regibus: cum omnes eam diſcordiam conciliari cuperent.

(b) Ib. ep. ſecr. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 100. 101. 102. 103. 104.

XX. Belgarum vitio pax non conciliata. Petrus e Palude in crimen vocatus.

(c) Ib. ep. ſecr. 67.

Reſpuere Belgæ pontificium conſilium; qua de re Joannes graviſſime queſtus eſt (c): *Non ſufficimus*, inquit, *mirari, quod pax tam fructuoſa Flandrenſibus ipſis renitentibus adeo differatur. Occulta tamen divina judicia novimus, hunc enim indurare novit in ſua malitia, hunc vero ad miſericordiam revocare juxta ſuæ beneplacitum voluntatis.* Cæterum vocatus in crimen eſt Petrus Paludanus [1] ſcientia & auctoritate florentiſſimus Dominicanæ familiæ alumnus, nonnulla verba effu-

NOTÆ [1] IN hiis quæ in tractanda inter Gallos Belgaſque pace a Legatis Apoſtolicis hoc anno geſta ſunt pro plus aliquid diligentiæ in Annaliſta noſtro deſideratur. Igitur qui primi omnium venerunt a Pontifice miſſi, non quidem Petrus Paludanus cum Minoritis duobus aſſignandi ſunt cum eodem Annaliſta; ſed munus illud prius demandatum ſuſpicor Raynaudo Archiepiſcopo Bituricenſi, & Berengario e Landora Ordinis Prædicatorum Magiſtro. Hos enim nuncios ſuos ad Belgas deputavit Joannes literis datis III. Kalend. Maii ut ex Annaliſta num. 23. ex interrogatione teſtium in cauſa F. Petri Paludani coram Pontifice agitata, de qua ſunt acta publica apud Baluzium Miſcella. to. 1. pag. 165. conſtet F. Petrum cum ſociis die XII. menſis maii adhuc Belgicam legationem egiſſe. Quin & Continuator Nangii legationem illam Petri de Palude ſecundam ſtatuit earum quas Papa miſit; ita enim ſcribit: *Papa iterum alios nuncios dirigit ad Flammingos, ſcilicet magiſtrum Petrum Paludanum, & duos fratres Minores.* Sed & idem Continuator Nangii legationem Archiepiſcopi Bituricenſis cum magiſtro Ordinis Prædicatorum in præcedentem annum 1317. refert quod veritati cohærere judico. Cum enim Archiepiſcopus cum ſocio deputati fuerint legati literis a Pontifice datis III. kal. Maii, & Maii die V. Petrus de Palude cum ſociis legatione illa fungeretur; ut ex actis mox laudatis conſtat, vel brevem, vel nullam Archiepiſcopi legationem extitiſſe oporteret, ſi ambo ad eundem annum pertinerent. Igitur turbatum regeſti Pontificiarum literarum ordinem ſuſpicor; & literas de legatione Belgica Archiepiſcopi ad regeſtum ſuperioris anni pertinere vix dubito. Quibus reſtitutis, ita rem totam digero, Superiori anno Pontifex per legatos ſuos Archiepiſcopum Bituricenſem, & Berengarium e Landora pacem conciliare fruſtra conatus, miſit hoc anno novos legatos Petrum de Palude cum ſociis. Veniſſe vero illos in Galliam primum, dein ad Belgas perrexiſſe, Aprili, quantum ex conjectura aſſequor, menſe, ex actis ſupra laudatis eruo. Ex illis enim conſtat in Belgio fuiſſe Legatos die V. Maii cum antea Lutetiæ cum Rege de pace tractaſſent. In Belgio vero agenti Petro de Palude non nihil excidit quo excuſare a crimine defectionis Belgas videbatur, cum nullo crimine illos teneri dixiſſet ſi juſtam ſe cauſam habere belli inferendi cenſerent. Adjecit abſolvendos ab omni culpa fore ſi conſultis Theologis & Juriſperitis juſtitiam belli ſui

illis



effudiſſe temere, ob quæ Robertus ac populi ad pacis monita obduruiſſent: ex quo Philippus Francorum Rex cum in eundem Petrum graves iras concepiſſet, Pontifex mulcere ipſum ſtuduit (a), ſignificavitque ſi quæ ille laxaſſet verba, ea non ex conſilio, ſed ex imprudentia ipſi excidiſſe, ac jurejurando id confirmaſſe. At ſi Petrus e Palude nimio in Flandros ſtudio Philippi incurrit odia, non minus duo Minoritæ, qui Robertum ad pacem flectere nitebantur, Roberti iras in ſe concitarunt: (b) quem Pontifex ad concordiam graviſſimis literis revocare ſtuduit (c), atque obiecit quanta rei Chriſtianæ mala ſua pertinacia intuliſſet: inclinanteque jam in ſenium ætate, non funeſtum bellum cogitandum, ſed divinam ipſi miſericordiam optimis operibus conciliandam.

(a) To. 1. ep. ſecr. 605.

(b) Meyer. hiſt. Fland. in Robert. Belhun.

(c) To. 2. ep. ſecr. 94.

XXI. Corripit Robertum comitem Pont. diuturna bella alere.

*Joannes, &c Roberto comiti Flandriæ.*

*Ecce noſti, cum ſit longe lateque notorium, quod ex indevotione, lapſu, & rebellionis ſtrepitu, in comitatu Flandriæ contra claræ memoriæ Philippum Regem Francorum ab olim ex adipe iniquitatis exorto, & per te cæteroſque Flamingos contra recolendæ memoriæ Ludovicum, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Francorum & Navarræ Reges illuſtres, præfati Regis Philippi filios & heredes, in culpam continuato, diutius multa pervenerunt mundo flagitia, & diſſidia diſpendioſa guerrarum, quæ animarum pericula, corporum ſtrages, facultatum lapſus, & deſtructiones innumeras induxerunt.* Et infra: *Conſidera ergo fili, conſidera, quod cum in his & aliis tuum offenderis redemptorem, qui pacem promiſit bonæ voluntatis hominibus; quique dominis non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis obediri præcepit; nunc ſaltem in vitæ veſpera conſtitutus, tua delicta corrigere, & a via mala pedem tuum cohibere ſalubriter, ac Domini faciem in confeſſione oris & ſatisfactione operis prævenire teneris. Conſidera quod Rex ipſe pacificus, cujus in pace factus eſt locus, corda ſeditioſa non incolit, nec in opere peccatis ſubdito requieſcit. Conſidera brevitatem vitæ tuæ, cum jam ſenilem perveneris ad ætatem, & omne quod antiquatur & ſeneſcit prope interitum eſſe conſtet, & recogitans in amaritudine dies tuos, tui tandem incipias miſereri, initurus pacis optandæ conſilia & quæ tuo accepta creatori putaveris impleturus, ut ſecurus judicem videas, quem redemptorem expectas. Conſidera & quanta poterunt poſteritati tuæ imminere diſcrimina, ſi eam relinquas turbinibus odiorum & guerrarum fluctibus involutam, &c. Dat. Avin. III. kal. maii.*

Objectus illi divini judicii terror.

XXII. Exprobrat rei Chriſtianæ attuliſſe exitium.

(d) Eod. to. 2. ep. ſecr. 83.

Propoſuit etiam ei ac Belgis fœderatis aliis literis Joannes (d), ut Reges Francorum a bello ſacro diſtraxiſſent: creviſſe interim animis ſoldanum Babylonium, peſſum iiſſe rem Chriſtianam, tantique exitii & aliorum malorum, quæ emergerent, ni conficerent pacem, cauſam in ipſos derivatum iri.

*Joannes, &c. nobili viro Roberto comiti, & communitatibus civitatum & communitatum Flandriæ ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, & agendi; ſuperbaque non ſapere, ſed humilibus conſentire.*

*Ex abyſſo, & imperſcrutabili divini judicii altitudine retrolapſis temporibus ſuper ſortem juſtorum virga pertranſiit peccatorum, & in diverſis jam regionibus infideles, fidelibus prævalentes, occupatis & demolitis caſtris, civitatibus, viris & mulieribus captivatis, loca divino quondam cultui mancipata nunc gentes obtinent, quæ nomen Domini non noverunt. Inter quæ terræ ſanctæ captivitatem & miſeriam, quam ſoldani Babyloniæ oppreſſit rabies, amplius deploramus. Verum licet a charis ſuis ſola ſedens civitas ſancta, olim plena populo, facta quaſi vidua tunc domina gentium, princeps provinciarum deſtituta ſubſidio, & humano carcere auxilio crederetur: ille tamen, qui eam ſuo ſanguine conſecravit, multiſque prævenit honoribus, & ex inſperato ſæpius priſcis viſitavit temporibus, ac crebris recuperavit miraculis, cujus manus nequaquam abbreviata exiſtit,*

*in*

NOTÆ illis adprobarent. Demum ea quam Pontificis nomine præſtabat de pace componenda admonitionem eſſe paternam, non vero canonicam monitionem dixit; quare ſi illam negligerent, non ſtatim cenſura puniendos ſe fore metuerent, cum ad illam canonica monitio præmittenda ſit. Pariſiis vero agens injuſtum bellum moliri in Belgas Philippum pro concione dixiſſe accuſabatur. Ea res Philippum exaſperavit, nec Pontifici arriſit, qui actutum Petrum cum ſociis ad ſe accivit, ut de re tota inquireret. Inſtitutum tunc judicium in Petrum die prima Julii hujus anni, auditi ſocii legationis, qui eam depoſuerunt quæ adnotavi. Auditus & Petrus qui ita factum ſuum excuſavit, ut imprudenti quædam excidiſſe fateretur, quæ indicta voluiſſet. Cum vero juratus affirmaſſet nihil a ſe geſtum vel dictum ea mente, ut Belgæ in defectione perſiſterent; impune dimiſſus videtur. Interrogationis hujus acta in publicas tabulas relata a Baluzio ubi ſupra vulgata ſunt. Vacuam tunc legationem adiverunt Bernardus Guidonis ex Ordine Prædicatorum, qui dein ad inſulas Lodovenſes accitus fuit, & Bernardus a Turre Minorita quos a Pontifice deſtinatos ad Conventum Compendienſem in octavis Aſſumptionis B. M. V. ubi de pace tractandum fuerat, aſſerit Continuator Nangii, qui & addit Belgas fidei a ſe datæ de ſiſtendo ſe conventui defuiſſe. Extracta res fuit in biennium, prout in nota ad ſequentem annum demonſtrabo. MANSI

Expeditionem in concilio Vien. decretam diſturbare.

* Philippum.

*in concilio Viennæ noviſſime celebrato clariſſimæ memoriæ Philippum Franciæ & Ludovicum ejus filium Navarræ Reges, chariſſimoſque filios noſtros Carolum Valeſii & Ludovicum Ebroicenſem dicti Philippi fratres, nec non & * Alfonſum Pictaviæ, & Carolum Marchiæ ejuſdem filios comites ad dictæ terræ ſanctæ recuperationem adeo piæ devotionis affectibus divina gratia animavit, quod propter Chriſtum abnegantes ſemetipſos, terrena regna, mundanos honores, uxores, liberos, & ſecularia deſideria contemnentes, ad crucis aſſumptionem & paſſagii, infra ſeptennium per eos faciendi, proſecutionem ſe in dicto concilio obligarunt, dictamque crucem una cum chariſſimo filio noſtro Eduardo Rege Anglorum illuſtri, & innumera baronum, procerum, nobilium, ac populi multitudine poſtmodum Pariſiis de manu dilecti filii noſtri Nicolai tit. S. Euſebii presbyteri Card. per bonæ mem. * Cæleſtinum V. prædeceſſorem noſtrum ad hoc ſpecialiter deſtinati, in Francia ſolemniter receperunt.*

* Clementem

*Porro cum ſe ad dicti paſſagii proſecutionem parare diſponerent, humani generis inimicus, pacis æmulus, rancorum, odiorum, & diſcordiarum ſeminator in cordibus impiorum, a quibus pacis bonum, quod bona continet immenſa, tollitur; & infra, vos ad ſeditioſas guerrarum commotiones contra dictum Regem Philippum maligno conatu perduxit, &c.* Proponit ingentia mala, quæ ex eo bello in rem Chriſtianam redundent, & quæ bona pax allatura eſſet.

XXIII. Neque oratoribus modo Belgarum denuntiavit Joannes, ſe Francorum Regis cauſam cum eccleſiæ & fidei cauſa conjunctam ſuſcepturum; verum etiam Roberto comiti (*a*) ac fœderatis populis (*b*) eas minas incuſſit, ut ipſos ad concordiam infringeret: ac nuntiis apoſtolicis Petro Paludano, Stephano, & Guillelmo partes dedit (*c*), ut Belgas cenſurarum terrore ad officium adducerent. Sed cum parum auctoritate, vel peritia valuiſſent, Pontifex alios nuntios, nimirum Rainaudum archiepiſcop. Bituricenſem & Berengarium e Landora Ordinis Prædicatorum magiſtrum, qui poſtea archiepiſcopatu Compoſtellano donatus eſt, III. kalen. maii ad Belgas legavit (*d*).

(*a*) *Ib. ep. ſecr.* 74.
(*b*) *Ep.* 75. 76. 77. 78.
(*c*) *Ep.* 73.

Alii nuntii ad Belgas miſſi.

(*d*) *Ep.* 79. & 118.
(*e*) *Ep.* 95.

Præfractiorem ſe ad juſſa apoſtolica prætulit Robertus (*e*) comes atque ideo ſacrorum juſtitium Belgio indictum eſt: cumque ille eccleſiaſticæ ſeveritatis vim divinis myſteriis celebrari juſſis eluderet, Joannes graviorum illi pœnarum terrorem incuſſit (*f*); demum ejus pertinaciam fregit, ut inducias imperatas admitteret (*g*): cumque de loco ac tempore ad pacem agitandam conventum eſſet, Bernardum Guidonis cenſorem ſacræ fidei in Galliis ordinis Prædicatorum ac Bertrandum e Turre Minoritam, geſta anno ſuperiori apud Inſubres legatione celebres, XIV. kal. oct. creavit (*b*) Joannes apoſtolicos nuntios, ut adverſas partes ſaluberrimis monitis ad pacem perpellerent. Tum hæc graviter de Roberto comite horum bellorum face conqueſtus (*i*): *Ne inveniatur*, inquit, *patientia divinæ longanimitatis abuti, quæ ipſum ad pœnitentiam de commiſſis debet adducere; ne iram in die iræ ſibi finaliter theſaurizet: verendum etenim eſt, ne ipſum Deum huc uſque longanimem, cui impedimenta ſuccurſus prædicti non leviter, ut creditur, diſplicent; acerrimum cum in brevi ira ejus exarſerit, juſte probet ultorem, &c. Dat. VX. kal. octobris anno III.*

(*f*) *Ead. ep. ſecr.* 95.
(*g*) *Ep.* 96. 112. 113.

Quid ſancitum.

(*b*) *To.* 1. *ep. ſecr.* 692.

Bernardus Guido & Bertrandus e Turre ad pacem conciliandam miſſi.

(*i*) *Ib. ep.* 107.

Nuncii terrorem divini judicii Roberto comiti incutere juſſi.

XXIV. Joannes Namurci comes a Roberto fratre bello appetitus.

Nec ſolum in Regem Francorum bellum geſſerat Robertus, ſed eiam Joannem fratrem Namurci comitem inſectabatur ob ſervatam ſacramenti Clemente V. ſedente nuncupari religionem, quem Pontifex a fratre opprimendo ſibi temperare juſſit: tum publico edicto Joannem ipſum nulla ob non ſecutas in eo bello Roberti fratris partes notandum infamia, ſed laude digniſſimum eſſe pronuntiavit. (*k*)

(*k*) *An.* 2. *p.* 2. *ep. com.* 222.

*Dilecto filio nobili viro comiti Flandriæ ſalutem.*

Pontificia ad Robertum monita.

*Sedes Apoſtolica pia cunctorum mater fidelium & magiſtra, ingentem ſumens de illorum tranquillo ſtatu lætitiam, actus eorum, quos proſpicit fore pacificos, laudis effert condignæ præconiis, nec deſinit illos clypeo defenſionis opportunæ protegere, quibus pro religione fidei datæ, ſeu juramenti præſtiti inviolabiliter obſervanda, temporalia proſpicit pericula imminere. Sane dilecti filii nobilis viri Joannis de Flandria comitis Namurcenſis Leodienſis diœceſis fratris tui oblata nobis petitio continebat, quod dudum ipſe pacem inter claræ memoriæ Philippum Regem Franciæ & te concordatam, & per felicis recordationis Clementem Papam V. prædeceſſorem noſtrum auctoritate apoſtolica confirmatam, variiſque pœnis & ſententiis roboratam, omneſque & ſingulos articulos contentos in ea ad requiſitionem & inſtantiam tuam juravit tenere firmiter & ſervare, ſeque ac heredes & poſteros ſub gravibus pœnis ad ejuſdem pacis obſervantiam obligavit: quodque poſtmodum, incentore malorum hoſte humani generis procurante, inter Regem prædictum & te diſcordia ſuſcitata, idem Joannes requiſitus a Rege præfato ut juxta dictum juramentum per eum præſtitum pacem hujuſmodi obſervaret, & faceret obſervari, nolens reatum perjurii nec pœnas ac ſententias in violatores pacis hujuſmodi per dictum prædeceſſorem prolatas incurrere, ſed acquieſcens in hac parte requiſitionibus dicti Regis, tibi in hujuſmodi guerra contra dictum Regem non aſtitit; ſed quantum in eo fuit pacem & juramentum hujuſmodi inviolabiliter obſervavit, quamquam idem Joannis in omnibus, quæ violationem pacis & juramenti hujuſmodi non contigerint, paratus fuerit & exiſtat tibi tanquam homo tuus ligius & feudalis devote intendere, ut tenetur, & fideliter obedire; verum tu propter hoc contra dictum Joannem fratrem tuum commotus indebite graviter extitiſti, & etiam conturbatus, non attendens quantam infamiæ labem, quantumque propriæ ſalutis diſpendium & animæ periculum incurriſſet, ſi tuo in dicta guerra favendo propoſito ſe ejuſdem reato perjurii ac prædictis pœnis & ſententiis damnabiliter involviſſet: propter quod dictus Joannes nobis humiliter ſupplicavit, ne ſi deincepes (quod abſit) caſus ſimiles movendæ guerræ inter Regem Franciæ, qui eſt pro tempore, & te evenìant, dictumque Joannem utriuque inter pericula conſtitutum, quod tutius eſt pro animæ ſuæ profectu contingat eligere, ac tuam propter hoc indignationem incurrere, in rebus temporalibus ſubire poſſit indebita detrimonta, providere ſibi ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur.*

Sacramenti religionem coluerit.

Ut ipſo flagitante Namurcenſis ſe Gallo obſtrinxerit.



Sine perjurii nota ipſius partes ſequi non potuerit.

*Ne igitur unde præfatus nobilis apud Deum retributionis æternæ præmium, & apud homines præconia laudis condignæ promeruit, inde (quod abſit) indebitam præferat læſionem; auctoritate Apoſtolica, ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, tenore præſentium declaramus, & ad notitiam tuam deducimus, quod idem nobilis laudabiliter egit, non aſſiſtendo in dicta guerra tibi, ſed dictam pacem per dictam ſedem Apoſtolicam confirmatam, gravibuſque pœnis ſententiiſque vallatam, & juramentum per eum ſuper hoc præſtitum inviolabiliter obſervando, & quantum in eo fuit faciendo per alios obſervari: quodque laudabiliter aget in poſterum, ſi per ſe ac heredes & poſteros ſuos ſimilibus evenientibus pacem & juramentum hujuſmodi obſervando tranſgreſſionis ipſorum reatum ac pænarum & ſententiarum hujuſmodi incurſionem ſtuduerit evitare; tibi & hominibus tuis tenore præſentium nihilominus diſtrictius injungentes, ut cum ad apoſtolatus noſtrum ſpectet officium pacem & juramentum hujuſmodi juxta ordinationem prædeceſſoris ejuſdem facere obſervari, quod dictum nobilem in perſona ſua & heredum ſuorum, & ſuper locis & terris eidem nobili ejuſque heredibus donatis & conceſſis in comitatu tuo Flandriæ & extra per quondam Guidonem comitem Flandriæ comunem patrem veſtrum per te vel alium ſeu alios nullatenus inquietes, ſed ipſum & heredes ſuos dictorum locorum & terrarum permittas pacifica poſſeſſione gaudere. Dat. Avin. II. kal. aprilis anno ſecundo.*

Promulgat Pont. Namurcenſem non defuiſſe officio.

Vetat illius ditionem invadi.

Ad tuendam etiam ejuſdem Namurcenſis comitis dignitatem, atque ab omni infamiæ labe vindicandam ob deſertas in eo bello fratris ſui Roberti partes, tum illius bona ab invaſorum manibus eripienda Pontifex ad univerſos provinciarum præfectos, duces, comites, alioſque nobilitate, opibus, auctoritate vel armorum laude florentes ſcripſit (*a*) illum in ea re ſervata dati jurisjurandi religione, præclare ſe geſſiſſe, neque ob id ulla pœna aut cenſuræ nota dignum; immo ut apud Deum ſummum ſibi gloriæ decus pepererat, ita apud homines commendationem promeruiſſe.

Admoniti proceres, ut eidem ſtudeant.

(*a*) *Ib. poſt eand. ep.* 2222.

Ut porro jura regia adverſus principum coitiones defendenda ſuſcepit Pontifex, ita Philippum Regem, ne jus eccleſiaſticum violaret, graviſſimis literis dehortatus eſt (*b*): *A claræ*, inquit, *magnitudinis tuæ ſtatu iniquum compendium abſit, quod pro alicujus iniquæ ſuggeſtionis applauſu in his regalis declinet intentio, ut pro modico caducæ temporalitatis augmento juriſdictio ſeu jura eccleſiaſtica minuantur; abſit ut Rex æternus, qui in eccleſiis & juribus eccleſiaſticis honoratur, quique cunctis Regibus dat regnare, per te, quem in regali ſolio collocavit, in ſuorum uſurpatione jurium offendatur.* Ipſum etiam pluribus aliis literis (*c*) ad privilegia a S. Ludovico abavo eccleſiæ Gallicanæ conceſſa inſtauranda (*d*), ad calumnias aulicorum reprimendas (*e*), regium decus ſervandum, divinum cultum tuendum, & colendam pietatem excitavit; vertitque magno regiæ dignitatis probro, ſi cum divina peragerentur myſteria, animum in preces ardentiſſimas non effunderet, ſed in verba inania laxaret.

Philippus Rex ab invadendis eccleſiarum juribus abſtinere monitus.

(*b*) *To.* 2. *ep. ſecr.* 61.

Ne garriat inter divina.

(*c*) *To.* 1. *ep. ſecr.* 469. & *to.* 2. *ep. ſecr.* 142.
(*d*) *To.* 1. *ep. ſecr.* 802.
(*e*) *Ib. ep. ſecr.* 477.

XXV. Contendere a Pontifice Montiſpeſſulani cives, ut vetera ab Innocentio III. Honorio III. & Gregorio IX. ipſis conceſſa privilegia, quibus patrocinio ſedis apoſtolicæ addicti fuerant, & clientelæ nomine duas auri marchas fiſco pontificio inferre juſſi, redintegraret. Quorum votis annuit Joannes, renovato Gregoriano reſcripto, cujus pars hæc potiſſima eſt: *Cum eccleſiam Romanam filiali reverentia venerantes, ejus vos beneplacitis, tanquam filii benedictionis & gratiæ, laudabiliter exponatis; nos veſtris ſupplicationibus annuentes, ad exemplar felicis memoriæ Innocentii & Honorii prædeceſſorum noſtrorum perſonas veſtras, & villam Montiſpeſſulani cum conſulatu & aliis omnibus, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ad perpetuum autem devotionis indicium duas mar-*

Mons Peſſulanus ſedi Ap. clientelæ nomine addictus.

Cenſum ei pendit.

*marchas auri, centum maſſamutinis computandis pro marcha, quas ſedi Apoſtolicæ obtuliſtis, nobis & ſucceſſoribus noſtris ſingulis annis in feſto reſurrectionis dominicæ perſolvetis*. His Gregorii literis ſubjecit Joannes: *Licet adjectione plenitudo non egeat, ut tamen noſtra erga vos benignitas clareat, veſtris ſupplicationibus inclinati, præſcriptas literas, & quæ per ipſos prædeceſſores noſtros acta ſunt in præmiſſis, rata gerimus, &c. Dat. Avinione* IV. *non. novembris anno* III.

XXVI. De inſtauranda academia Pariſien.

(a) To. 2. ep. ſecr. 157.

(b) Ib. ep. 156.

Neque hoc loco prætereundum videtur, Joannem ad reſtituendam priſtino ſplendori Pariſienſem academiam data jam ante epiſcopo Pariſienſi imperia repetiiſſe (*a*), juſſiſſeque auctorum prælectiones ad normam optimam revocari; (*b*) tum ſingularis ſuæ in eam academiam, in qua ſcientiarum latices hauſerat, benevolentiæ cauſas retexens, monuit academicos profeſſores, ut ſumma cura ac diligentia caverent, ne peregrinum aliquid in ſcientias inducerent. *Ne*, inquit, *unde veritatis derivari conſuevit, irriguum, remotiſſimas etiam irrigans nationes inde ſcaturire, quod abſit, videantur errores, ſalubrem Apoſtoli doctrinam ſecuti ſuggerimus; ut non plus ſapere quam oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem unuſquiſque conetur: nullus in verborum novitatibus aut nimiæ curioſitatis egreſſu ſe occupet, ut doctior videatur; ſed juxta ſapientis eloquium quivis ſuæ prudentiæ modum ponat; ſicque comedat ex melle invento quod ſufficit, ne illud evomat ſatiatus*. Quo vero allicerentur plûres ad eam academiam, ut ſcientiis expolirentur, adeundam præmiorum ſpe, quæ illorum ſcientiæ propoſita forent, patriarchas, archiepiſcopos, & epiſcopos eſt adhortatus (*c*), ut eos, qui in academia Pariſienſi literis exculti eſſent, in conferendis ſacerdotiis cæteris præferrent; ex eo enim defectu & illius academiæ dignitatem obſoleſcere, & eccleſias paſtoribus ſcientiarum ornamentis inſtructis carere: *Ipſa*, inquit, *univerſitas, quæ multos habuit filios, nunc infirmata eſt tanquam Rachel plorat, fere filiis deſtituta; gemit deſerta vinea Domini ſabbaib, pulcrhos habens palmites, quos eccleſiarum prælati reſpicere dedignantur: debita namque virtutibus præmia non impendunt, honorem ſapientiæ non tribuunt; ſed potius Sion ex ſanguinibus ædificare contendunt: & quod deteſtabilius judicamus, nonnulli eccleſiæ principes diligunt munera, & abjectis hujuſmodi deſertæ filiis, obſequiorum licitorum vel illicitorum retributiones ſequuntur, unde ipſa univerſitas miſerabiliter ac lamentabiliter deficere cogitur, niſi per vos cæteroſque eccleſiarum prælatos relevetur, &c.* Ad reſtituendam pariter priſtinæ dignitati academiam Aurelianenſem incubuit Joannes, quam provinciam in Rainaudum archiepiſcopum Bituricenſem contulit (*d*), ac Philippum, ut ſtudium regium in ea re explicaret, eſt hortatus. (*e*) Confirmata etiam ab eodem Pontifice Peruſina (*f*) in Italia, conſtituta Cantabrigiana (*g*) in Anglia academiæ, quam poſtremam Eduardi Regis precibus excitaſſe, ac privilegiis ampliſſimis exornaſſe, datæ ad Cantabrigiani gymnaſii profeſſores oſtendunt literæ: *Apoſtolica*, inquit, *auctoritate ſtatuimus, ut in prædicto loco Cantabrigiæ ſit de cætero ſtudium generale, illudque ibidem vigeat perpetuis futuris temporibus in qualibet facultate; volentes auctoritate prædicta, & etiam decernentes, quod collegium magiſtrorum & ſcholarium ejuſdem ſtudii univerſitas ſit cenſenda, & omnibus juribus gaudeat, quibus gaudere poteſt & debet quælibet univerſitas legitime ordinata, &c. Dat. Avinion.* v. *id junii an. ſecundo.*

A vanis doctrinis abſtinendum.

(c) Ib. ep. ſecr. 155.

Præſules ſacerdotia in Pariſien. academia emeritis conferre juſſi.

(d) Ib. ep. 23.

(e) To. 1. ep. ſecr. 817.

(f) An. 1. p. 2. ep. com. 1590.

(g) Ib. ep. com. 2230.

Cantabrigiana academia privilegiis exornata.

XXVII. Indictæ inter Eduardum & Robertum Bruſ. induciæ.

Eluſerat hactenus apoſtolicam ſolicitudinem Scotos inter & Anglos odiorum pertinacia, ad quam infringendam Joannes pontificia auctoritate, mutuamque pacem facilius adducendam inducias indixit (*b*). Sed Robertum eas violaſſe colligitur, cum Pontifex provinciam Gaucelino & Lucæ Cardinalibus, ut Robertum Bruſium eccleſiaſtica execratione defigerent, impoſuit (*i*); functoſque officio Cardinales ex Vvalſingamo (*k*) conſtat: tradit enim pontificia auctoritate Robertum in Anglia & Scotia ſolemni ritu ſacris depulſum. Nec Robertum modo, verum etiam ipſius fratrem, qui Hiberniam occuparat, cenſuris irretitum docent pontificiæ literæ (*l*). Nec vana in Hiberniam invadentes eccleſiſtica fulmina cecidere, cum hoc ipſo anno cruentiſſimo prælio obtriti ſint (*m*). Factionis princeps Eduardus erat Roberti Bruſii frater, cujus exemplo Hibernicam coronam, ut ille Scoticam, corripuerat. Qui in prælio captus geſtati diadematis pœnas infelicis victimæ inſtar capite luit. Accepto victoriæ nuncio exeunte anno, Joannes Papa Eduardum eſt adhortatus, (*n*) ut illius gloriam Deo referret; nec faſtu inſoleſceret, ſed potius divinam majeſtatem majori demiſſione proſequeretur.

(b) To. 1. ep. ſecr. 520.

(i) Ib. ep. 568.

(k) Vvalſing. hiſt. Ang.

(l) To. 1. ep. ſecr. 760.

Robertus devinctus anathemate.

Ejus frater cæſus in Hibernia.

(m) Vval. ubi ſup.

Partam de illo victoriam gratulatur Regi Angl. Pont.

(n) To. 1. ep. ſecr. 856.

*Sane*, inquit, *liberationem regni Angliæ initiatam in virorum ſceleratorum occubitu ſperamus in nomine Domini feliciter conſummari, ſi tu te conſpectui Regis Regum humilies: ſi non tibi, ſed divino nomini ſoli debitam aſcribas gloriam: ſi tecum pugnantem Dominum in ejus eccleſiis & miniſtris nequaquam impugnes. Dat. Avinione* XII. *kal. januarii*. De parta eadem victoria extant aliæ gratulatoriæ ad eundem Regem (*o*), tum ad Joannem Wintonienſem (*a*) epiſcopum, & Thomam (*b*) comitem Lancaſtriæ datæ, ut Regem ad beneficium referendum divino Numini erudiant.

(o) Ib. ep. 863.



(a) Ib. ep. 862.

(b) Ib. ep. 858. & 864.

XXVIII.

Retulit eam victoriam Eduardus, cum jam ante propenſiore ſtudio pietati ſe addixiſſet: qua de re ipſi gratulatus erat Pontifex (*c*), monueratque ne jus eccleſiaſticum violaret.

(c) To. 2. ep. ſecr. 455.

*Joannes, &c. Eduardo Regi Angliæ illuſtri.*

Gratulatur etiam Eduardo Regi de egregie cœptis.

*Exultavit cor noſtrum in Domino tuorum, fili chariſſime, nuntiorum & multorum aliorum fide digna relatione percepto, quod mutatus in virum alterum, mane ſurgens & divinis primitus vacans obſequiis, ad ea, quæ virum decent & principi congruunt, intendis ſedulo; perſonæ tuæ & domui regiæ ſtatuens ordinem congruum, quo ſtudes reſecare ſuperflua, & ſupplere provide diminuta, juſtitiam abundantius ſolito miniſtrare ſubditis, & a multis eccleſiarum gravaminibus abſtinere. Profecto, fili, hæc mutatio eſt non homini, ſed Excelſi dexteræ aſcribenda. Pro hac habes illi, per quem datur regnare principibus, & a quo cuncta bona procedunt, humiliato ſpiritu gratias agere, ac in continuatione talium operum reſidua vitæ tuæ tempora devovere. Porro, fili, unum tibi arbitramur præter præmiſſa neceſſarium admodum, circa quod nihil reformatum audivimus; ſed potius, quod dolentes referimus, deformatum. Quid illud ſit quæres. Illud utique, quod in regno tuo ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matri tuæ, quæ tuos geſſit progenitores in charitatis viſceribus, quibuſque in periculis variis aſtitit conſiliis & auxiliis opportunis, teque ſinceræ charitatis amplectitur brachiis, honor debitus non ſervatur, ſibi debita non præſtantur, & in ſuorum proſecutione jurium multipliciter moleſtatur. Ut enim de recognitione taceamus ad præſens, cenſus pro eodem regno debitus non exolvitur, in exactione denarii B. Petri ſibi debiti perturbatur, illiſque frequenter, quibus ipſa de beneficiis eccleſiaſticis in regno illo providet, cauſa non cognita ſpoliatis, aliis ipſa beneficia conferuntur; ac in perceptione fructuum beneficiorum vacantium, & multis aliis multipliciter. Putaſne, fili chariſſime, Chriſto ſponſo Eccleſiæ, ſic ſponſæ injurius, eſſe gratus? Putaſne honorem ſponſo poſſe impendere, ſponſam adeo inhonorans? Putaſne ſponſum placare poſſe quibuſvis obſequiis, in illatis ſponſe moleſtiis perſeverans? Profecto, fili, deſipis, ſi ſic ſapis: cum enim ſponſæ corruptibilis & mortalis injuria noſcatur in ſponſi injuriam redundare, redundabit utique ſimulto fortius immortalis, quæ indiſſolubiliori unione, quam alia, conjungitur ſponſo ſuo, &c. Dat. Avinione* XIII. *kal. maii.*

Queritur jura eccl. Rom. in Anglia violari. Cenſum clientelæ nomine non ſolvi. Non denarium S. Petri. Collata ſacerdotia ab Ap. ſede in alios derivari.

Placere Chriſto non poſſe qui ſponſam eccleſiam lædit.



XXIX. De Roberto archiepiſc. Cantuar. in ſanctorum numero collocando.

(d) Harpsfel. hiſt. Angl. eccl. 13. ſec. c. 9.

(e) To. 2. ep. ſecr. 857.

Expetiit a ſede Apoſtolica Thomas Lancaſtriæ comes, ut Robertum Cantuarienſem archiepiſcopum, vitæ ſanctitate & miraculis celebrem (de quo, ut vitiorum hoſte acerbiſſimo, virtutum aſſertore, vindice libertatis eccleſiaſticæ acerrimo, in qua propugnanda exilium ab Eduardo I. erat paſſus, agit (*d*) Harpsfeldius) ſanctorum catalogo apponeret. Cui reſpondit Joannes (*e*) ni magna conſilii maturitate rem perfici non poſſe: quam ſi promovendam putaret, Cardinalium conſiſtorio Anglicani cleri nomine rite adductis in medium editis miraculis, exponenda curaret: *Circa id*, inquit, *quod de canonizatione ſanctæ memoriæ Roberti Cantuarienſis archiepiſcopi ſupplicaſti; ſcire te volumus, quod Romana mater eccleſia non conſuevit ſuper tanta cauſa præſertim, præcipitanter aliquid agere; quin potius tale negotium ſolemnis executionis indagine, ponderare. Propter quod, ſi negotium ipſum credis promovendum, oportet quod illud coram fratribus noſtris in conſiſtorio per ſolemnes perſonas ex parte prælatorum & cleri & populi Anglicani, vitam, merita, atque miracula ipſius archiepiſcopi atteſtantium ſpecialiter deſtinatas, ſolemniter proponatur; ſupplicatione ſubjuncta, ut inquiſitio de hujuſmodi vita mirabili, miraculis ejus & meritis glorioſis perſonis idoneis committatur; ut juxta exitum inquiſitionis ipſius canonizatio fieri debeat, vel omitti, &c. Dat. Avinione* VI. *kal. jan.*

XXX. Item de Thoma Aquinate.

Servatus quidem is ſacer ritus in B. Thoma Aquinate in ſanctorum numerum referendo. Regina enim Maria S. Ludovici epiſcopi mater, Philippus Tarentinus princeps, Joannes Gravinæ comes, ac Neapolitanæ academia oratorum opera primo in purpuratorum patrum conſeſſu illius vitæ ſanctitatem, & divinitus collata illius ſuffragiis beneficia expoſuere, ac Pontifex nonnullis Cardinalibus rem cognoſcendam demandavit: qui adductis in religioſum examen miraculis dicta veritati conſentire Joanni retulere. Tum Neapolitano archiepiſcopo epiſcopo Viterbienſi, ac Pandulpho Sabello partes a Pontifice commiſſæ (*f*) ut miraculorum teſtes e forma ipſis præſcripta diſcuterent.

(f) An. 3. p. 1. ep. com. 10.

*Joannes, &c. venerabilibus fratribus archiep. Neapolitano & epiſcopo Viterbienſi, & dilecto filio magiſtro Pandulpho de Sabello notario noſtro.*

*Dudum ex parte chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ Reginæ Siciliæ, claræ memoriæ Caroli ſecundi Regis Siciliæ relictæ, & dilectorum filiorum nobilium virorum Philippi principis Tarentini, ac Joannis comitis Gravinenſis, & aliorum plurium comitum & baronum regni prædicti; communis quoque, ac univerſitatis* ma-

*magiſtrorum & ſcholarium Neapolitanorum coram nobis & fratribus noſtris propoſitum extitit, & per eorum literas nuntiatum, quod recolendæ memoriæ frater Thomas de Aquino ordinis fratrum Prædicatorum ſacræ Theologiæ doctor, dum viveret, nitore ſanctitatis emicuit, converſatione reſplenduit, ac multis magnis tam ante, quam poſt ſuum obitum miraculis coruſcavit: quare pro parte ipſorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de ejuſdem fratris Thomæ vita & miraculis inquiſitione præmiſſa, ſi reperiremus præmiſſa veritate fulciri, ipſum aſcriberemus ſanctorum catalogo, ipſumque faceremus per univerſas eccleſias bonore congruo ſolemniter venerari.*

Quæ maturitas conſilii in ea re ſervanda.

*Verum licet nobis & eiſdem fratribus noſtris expoſita, ſi vera ſint, noſtrum & fratrum ipſorum corda multiplici jucunditate repleverint; attendentes tamen quod Romana eccleſia, præſertim in tanto fidei negotio, ubi videlicet de re tam ardua quæritur, cum magna conſuevit maturitate procedere: quodque ſcriptum ſit: Cauſam (a), quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam: nam & ſi gloria (b) Dei ſit celare verbum, gloria tamen Regum eſt inveſtigare ſermonem; venerabili fratri Arnaldo epiſcopo Albanenſi, & dilectis filiis noſtris Guillelmo tit. S. Cyriaci in thermis presbytero ac Guillelmo S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinalibus commiſimus, ut apud ſedem Apoſtolicam de hujuſmodi ſanctitatis vitæ, ac miraculorum fama prædicti fratris Thomæ informationem per teſtimonia fide dignorum reciperent; illamque nobis referre curarent, ut veriſimilitudine inde ſumpta, tutius poſſemus procedere in negotio prælibato.*

(a) Job. 29.
(b) Prover. 25.

Duobus Cardd. data provincia, ut de B. Thom. miraculis ad ſacrum collegium referrent.

*Et quia per dictorum Cardinalium relationem fidelem, coram nobis & fratribus noſtris factam, accepimus aliqualem informationem de ſanctitatis & miraculorum fama prædicta; nos pium congruum reputantes, ut ſi vera ſint prædicta, non lateant, de ipſorum fratrum noſtrorum conſilio ſupplicationi hujuſmodi, prout præſentium deſcribitur ſerie, duximus annuendum. Quocirca diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo veſtrum in loco vel locis, ubi expedire videritis, de vita, converſatione, ac miraculis factis Thomæ prædicti, cæteriſque circumſtantiis, hujuſmodi negotium contingentibus, juxta formam, quam vobis ſub bulla noſtra tranſmittimus interclusam, inquiratis diligentius veritatem; & quod ſuper præmiſſis inveneritis, fideliter in ſcriptis redacta ſub teſtimonio ſigillorum veſtrorum per viros idoneos ad ſedem Apoſtolicam deſtinetis: ut per inquiſitionem veſtram ſufficienter inſtructi, ſicut res exigit, & expediens viſum fuerit, ſecurius in ipſo negotio procedere valeamus. Dat. Avinione id. ſeptembris anno* III. Peregere illi adeo accurate imperia, ut decreti B. Thomæ ſanctorum honores fuerint, de quo ſuo loco agetur: nunc res Siculas percurremus.

De iis cognoſci jubet Pontifex.

XXXI. Initis (c) ſuperiori anno Trecenſis epiſcopi & Petri Textoris opera induciis inter Fridericum Trinacriæ & Robertum Siciliæ Reges; iiſque ad firmandam pacem, ſi res ferret, ad ſedem Apoſtolicam iter ſe aggreſſuros pollicitis, Fridericus quidem conſtituto tempore oratores miſit (d): quibus admiſſis Pontifex, cum Roberti Regis adventum expectaret, Jacobum Regem Aragonum rogavit, ut ſuos mitteret oratores. Sed Robertus adeo hæſit, ut Fridericus legatos ſuos ex aula pontificia revocarit. (e) De Roberto porro, qui die conſtituta, ut promiſerat ad curiam pontificiam ſe non contulit, graviſſime expoſtulavit Joannes (f), illum Regibus Aragonum & Trinacriæ, ſedique Apoſtolicæ illuſiſſe, nec in leve diſcrimen, non ſopito periculoſiſſimo bello res ſuas adducere.

(c) Jo. Vill. l. 9. c. 82.
(d) To. 1. ep. ſecr. 595.

Fredericus Trinacriæ Rex conſtituto tempore pro firmanda cum Roberto Sic. Rege pace oratores ad ſedem Apoſt. mittit.

(e) Ib. ep. 682.
(f) To. 2. ep. ſecr. 669. & 686. 694.

Robertus Rex promiſſis deeſt.

*Joannes &c. chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Siciliæ illuſtri.*

*Mirantur (g), fili chariſſime, apud nos qui te diligunt univerſi, quod ardua tua negotia toties procraſtinationum diſcriminibus ſubiicis: quod ſic negligis ſtatum tuum, non curans advertere quantum nocuit differre paratis. Mirantur, quod factum Januæ ſub ſpe tui favoris laudabili datum initio, & cui ex tui adventus celeritate felix exitus arridebat, ex tam diutina mora tua ſic periclitari permittis quaſi nolis advertere ad quantum commodum illius expeditio proſpera, & ad quantum diſpendium ſucceſſus ejus adverſus tibi valeat redundare. Mirantur & tertio, quod tu non recogitans, ut videtur, quot gravium ſumptuum onera, ſtrages corporum, animarum pericula, & diſpendia facultatum tuo corpore, ut de præteritis temporibus taceamus, inutiliter hucuſque produxerit guerra Siciliæ, & quæ, ſi continuabitur, poterit germinare, quibus omnibus in tuo ad curiam adventu per reformationem pacis obviari poſſe probabiliter ſperabatur; tamdiu diſtuliſti venire, vel ſaltem mittere nuncios ſuper hoc ad plenum inſtructos, nunciis chariſſimi in Chriſto filii noſtri Friderici Regis Trinacriæ illuſtris, te jam a priſtino prævenientibus, tuæque expectationis anxiæ tædio diebus pluribus fatigatis: qui cum mandatum de redeundo infra certum terminum a Rege præfato habere ſe dicant, jam a nobis & a fratribus noſtris inſtanter petiere redeundi licentiam, quam nos decenter non poterimus denegare. Sed & nos ſuper omnes in admiratione ſtupemus, * ſic nobis illuſeris, ut etſi per varias tuas literas nobis miſſas adventui tuo varios ſtatueris terminos; in nullo tamen eorum venire curaris, &c. Dat. Avinione non. julii.*

(g) Eod. ep. ſecr. 669.

Graviter ea de re expoſtulat Pont.





* quod

XXXII. Implicitus erat Genuenſi bello Robertus (a), nec quamvis eum Pontifex urgeret literis (b), ut milite & commeatu communita Genua, ad aulam pontificiam accederet, niſi ſequenti anno Genua diſcedere potuit. Premebant Genuam Auriæ & Spinolæ, Matthæi Vicecomitis aliorumque Gibellinorum & Germanorum copiis ſuccincti duce Marco Vicecomitis filio obſidione, jam ante Saona (c) menſe martio noctu proditione occupata, ac pluribus arcibus Guelphis ereptis: quocirca Pontifex Robertum VII. kal. aprilis, ut prompta Genuenſibus ac Pedemontanis laborantibus auxilia ſubmitteret, excitarat (d). Paruit ille monitis pontificiis, atque ad tuendum adverſus Gibellinos Inſubres Pedemontium copias contraxit (e). Tum validiſſimam claſſem, precibus etiam Genuenſium impulſus, comparavit; & una cum Philippo principe Tarentino & Joanne Gravinæ comite Genuam appulit, (f) urbemque in diſcrimen adductam commeatu refecit. Nec tamen Gibellini (g) cœpta conſilia abiecere; ſed novis collectis viribus, ac fœdere cum Imperatore Græcorum, Friderico Trinacriæ Rege, marchione Montisferrati, Caſtrucio Lucano, ac Piſanis confirmato, Regem Robertum in ea urbe obſidione cinxere; tamque acriter urſere, ut diruta mœnium parte, in urbem irrumpere pertentarint, nec niſi magna cæde utrinque edita propulſari potuerint. Audito illius diſcrimine Florentini, Bononienſes, aliique Guelpharum partium ad Regis auxilium confluxere: nec tamen niſi ſequenti anno ſoluta obſidio eſt. Cæterum provocavit Robertum Marcus Vicecomitis Matthæi filius ad certamen ſingulare, ea lege, ut victor Genua potiretur: ſed Rex temerariam provocationem repudiavit.

(a) To. 1. ep. ſecr. 629.
(b) To. 1. ep. ſecr. 644. & 694.

Genuenſi bello diſtinebatur Robertus.

(c) Jo. Vil. l. 9. c. 92.
(d) To. 1. ep. ſecr. 481.
(e) Ib. ep. 163.
(f) Jo. Vill. ubi ſup.
(g) Id. c. 94.

Obſidione cingitur Genuæ a Gibellinis.

Pontificis pro componendo Genuenſi bello ſtudium.

Nec defuit partibus ſuis Pontifex, ut ejuſmodi belli flammam extingueret, atque ideo idibus martii Genuenſes hortatus eſt (h), ut concordiam inter ſe redintegrarent: ad quam conciliandam Bernardum Guidonis & Bertrandum e Turre de quibus ſupra memoravi (i), tranſmiſit: accenſoque jam bello VIII. kal. ſeptemb. indixit inducias, (k) ac Trecenſem epiſcopum & abbatem S. Saturnini ad diſſentientes in mutuam pacem adducendos miſit (l). Quo etiam argumento ad Robertum Siciliæ Regem & Carolum Fliſcum Lavaniæ comitem, ut ea in re operam ſuam collocarent, hortatus (m) eſt: tum Gibellinæ factionis Genuenſes obſidionem ſolvere (n), alios vero fœdus cum iis contrahere juſſit (o). Denique ad dirimendam æquitate non vi controverſiam, adverſis partibus, ſi ab iis, quos judices cauſæ conſtituerat, componi non potuiſſent, intendit judicium: cujus litis cauſas ita retexit. (p)

(h) To. 1. ep. ſecr. 485. & 675.
(i) Ib. ep. 681.
(k) Ib. ep. 703.
(l) Ib. ep. 704.
(m) Ib. ep. 699.
(n) Ib. ep. 697.
(o) Ib. ep. 696.
(p) Ib. ep. 705. Jo. Vill. l. 9. c. 85. 92.

*Joannes, &c. judicibus.*

Civilis hujus diſcordiæ cauſæ.

*Poſt depoſitum ſeu finitum eorum officium, qui tunc civitatis* nimirum Genuæ *regimini præſidebant, duos ejuſdem civitatis cives & incolas, videlicet dilectos filios nobiles viros Carolum de Fliſco comitem Lavaniæ, & Gaſparem de Grimaldis juxta morem hactenus in talibus obſervatum concorditer elegerunt: ſed pacis æmulo malorumque omnium incentore perverſo hujuſmodi ſtatui pacifico invidente, ac inter eos inteſtina diſſidia ſeminante, nonnulli ex prædictis civibus, qui cum ſuis concivibus, ſi voluiſſent civiliter in pacis unanimitate convivere, poterant cum mutuis utrorumque profectibus pacis tranquillitate lætari, quique ſæpius modo ſimili aſſumpti fuerunt ad regimen antedictum; inhiantes ad dictum regimen impudenter, ex hoc tantæ dedignationis, vel potius indignationis materiam conceperunt, quod nulla cauſa rationabili præcedente civitatis ambitum exiverunt; ac poſt hujuſmodi exitum ſuorum concivium, immo potius proprium meditantes exitium, & ut rei pandit eventus, & ad totius civitatis exterminium votis hoſtilibus aſpirantes, nonnullas civitates, villas, & loca eidem communi ſubjecta hoſtiliter invaſerunt & occuparunt, ipſaque contra comitem præfatum ad rebellionis devium deducentes detinent occupata; ac deinde ex certis congeſtis præſidiis, ac ſuorum complicum & ſequacium ex diverſis partibus auxiliis conquiſitis, viribuſque conflatis, ad civitatem Januenſem ſe hoſtiliter contulerunt, ipſamque dura obſidione detinentes obſtrictam, die noctuque inſtructis machinis & aliis bellicis inſtrumentis impugnant.*

Ut Auriæ & Spinolæ patriæ intulerint bellum.

*Et licet prædicti capitanei hujuſmodi capitaneatus officium duxerint deponendum ac præfatum commune chariſſimo in Chriſto filio noſtro Roberto Siciliæ Regi illuſtri uſque ad certum tempus dictæ civitatis & ejus diſtrictus concorditer dominium & regimen duxerint concedendum; dictuſque Rex, hujuſmodi conceſſionem acceptans, & ad bonum pacis & concordiæ intrinſecorum & extrinſecorum civium eorundem ferventer aſpirans, eoſdem extrinſecos requiſiverit, quod cum ipſe paratus eſſet ipſos gratioſe, recipere, eos pacifice gubernare, ac utroſque prout ad ſuum ejuſdem ſuſcepti regiminis officium pertinebat, in juſtæ directionis æquitate ſervare, ſibi tanquam eorum civitatis ejuſ-*

Magiſtratus ſuo munere ſe abdicarint.

Collata ſit Roberto Regi publicæ rei adminiſtratio.

Obtulerit iis exulibus regium ſtudium.

Spreta ſit ipſius benevolentia.

*dem rectori, in his, quæ ad prædictum ſpectabant officium, obedire, & ab obſidione prædicta recedere procurarent; iidem tamen extrinſeci, in deteſtabilem erecti ſuperbiam, requiſitioni ejuſdem Regis laudabili plurimum parere non minus inſipienter, quam contumaciter contempſerunt, &c.* Subdit, cum ex eo inteſtino Genuenſium bello publicæ rei exitii periculum impendeat, ac terræ ſanctæ, quæ eorum viribus, atque induſtria recuperanda foret, recuperatio diſturbetur; tum etiam cum imperio ſuo principe viduato ad ſedem Apoſtolicam, quæ humana divinaque in componenda hujuſmodi diſcordia pollebat auctoritate, confugiendum eſſet, ejuſque auxilium ab iis, qui ſe aliqua in re oppreſſos arbitrarentur, implorandum; graviſſime in cingenda obſidione Genua lapſos eſſe: ad componendam tamen diſcordiam nuncios a ſe mitti, qui diviſos inter ſe animos concilient, atque obſidentibus Genuam graviſſimarum pœnarum incuſſo terrore denuntient, ut coram Apoſtolica ſede controverſias ſuas diſceptent. Dat. VIII. kal. ſeptembris.*

Gibellinos arguit Pont. ad Sed. Apoſt. non confugiſſe.

XXXIII. Ne vero illius belli flammam aleret inviſa Gibellinis potentia Roberti, qui Genuenſis reipublicæ gubernacula pontificio nomine capeſſiverat (*a*), illum Pontifex Genua, ubi ipſam neceſſariis omnibus inſtruxiſſet, diſcedere juſſit (*b*): Perſtrinxit vero non expectato Pontificio imperio eam provinciam ſuſcepiſſe: *Dilecti*, inquit, *filii populus & commmune civitatis Januæ ſincerum ad perſonam noſtram ex nunc devotionis affectum apertis oſtendunt indiciis, nobis & tibi uſque ad certi temporis ſpatium dictæ civitatis ſuique diſtrictus dominium conferendo. Licet enim tu, prout nobis tuis literis intimaſti, noſtro acceptaris nomine collationem hujuſmodi; de quo mirati fuimus & miramur, cum nec noſtram conſcientiam inde cognoſceres, nec ad id mandatum haberes; quia tamen certis conſiderationibus nec nobis, nec tibi, nec ipſis populo & communi expedit, ut eidem collationi præbeamus aſſenſum; præſertim ne adiicere videamur innumeris & immenſis oneribus, quæ ſolicitudo paſtoralis requirit & officii, ab acceptione ipſius collati dominii ex cauſis rationalibus providimus abſtinendum, per alias noſtras literas exhortantes populum & commune prædictos, ut id moleſte non ferant. Dat. VII. kal. ſeptembris.* Extant eæ ad Genuenſes datæ litteræ, quibus ipſos hortatus eſt, ut rem æqui bonique acciperent (*c*), ſi pacis ſtudio Robertus Genua pontificio juſſu abſcederet. Non potuit Rex munus exuere, cum Gibellini pontificias ad concordiam exhortationes reſpuerent, ipſiuſque ſocii undique periculis circumfuſi eſſent, quem etiam una cum conjuge & fratribus circumcluſum ab hoſtibus, & in grave diſcrimen adductum, ex literis pontificiis (*d*) colligitur.

(*a*) *Ib. ep.* 694.
(*b*) *Jo.Vill. l.*9. *c.*93.

Publicæ rei Genuenſ. adminiſtratio Pontifici ac Roberto Regi delata.

Fert graviter Joannes Robertum illius gubernaculis ſe implicuiſſe.

Significat ſe eas curas ſuſcipere non poſſe.

(*c*) *Tom.*1. *ep. ſecr.* 695.

Robertum Genua excedere jubet.

Obſeſſus Genuæ Robertus a Gibellinis magiſtratum non abiicit.

(*d*) *Ib. ep.* 607.

XXXIV. Ut vero Robertum Guelpha Genuenſium factio ſibi præfecit, ita Gibellinam exulem Fridericum Regem Trinacriæ ſibi in dominum adſciviſſe refert Surita (*e*) [1] atque ex eo Genuenſi bello cœptum inter Reges pacis tractatum, de quo ſuperius actum eſt, abruptum: ſed de eo redintegrato poſtea ſuo loco. Jam reliqua, ad Fridericum ſpectantia, conjungamus. Intulit ipſe pontificio ærario tria millia unciarum auri, de quibus acceptis Joannes Syngrapha ei cavit (*f*): tum reliqui cenſus, duobus lapſis ſuperioribus annis non perſoluti, terminum prorogavit ea lege, ut quæ inter eum ac Bonifacium VIII. de illo in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli pendendo erant conſtituta, firma eſſent. Quas vero pœnas antea contraxiſſet, apoſtolica clementia venia delevit.

(*e*) *Sur. l.* 6. *annal. c.*29.

Fridericus Rex Trinacr. ab iis in dominum adſcitus.

Tractatus fœderis inter Fred. & Robert. diſſolutus.

(*f*) *An.*2. *p.*2. *ep. com.*1363.

Rex Trinacr. Pontifici vectigal pendit.

*Non obſtantibus*, inquit, *conventionibus in conceſſione ejuſdem inſulæ olim facta tibi per ſanctam Romanam eccleſiam appoſitis, quibus volumus nullum alias præ-*

NOTÆ [1] QUæ hic ab Annaliſta brevi compendio traduntur, ea accuratius exponere ex anonymo Siculo Martenii opportunum cenſeo. Cum Genuenſes Guelphi ſuperiora contra Gibellinos concives ſuos obtinuiſſent faceſſere illos ex urbe coegerunt die X. Decembris anni ſuperioris teſte Gregorio Stella diligenti, & vetuſto rerum Genuenſium ſcriptore vulgato Rer. Italic. to. XVII. notavit. Sed brevi viribus reſumptis Gibellini infeſta in patriam arma tulerunt, urbem diem XXV. Martii hujus anni obſidione prementes. Ceſſiſſent adverſarii Guelphi, niſi fractas vires ſuas reparare ſuccurriſſet, accito ad opem ferendam Roberto Rege quem eo veniſſe die XXI. Julii cum XXV. triremibus circiter idem Genuenſis Annaliſta teſtatur. Haud diu poſt nempe die XXVII. ejuſdem menſis ſupremi Genuenſium Magiſtratus, qua ſe abdicarunt ſe dignitatem in Robertum, & Joannem Pontificem tranſtulerunt ad decennium. Stella ad hunc annum. Rebus ita conſtitutis variis utrinque aggreſſionibus pugnatum eſt, victoria plerunque alternante. Cœptum anno præcedenti bellum in decem annos extractum teſte Stella ibid. Cum vero Gibellini impares ſe adverſariis ſentirent, quamquam ſub eorum inſignibus militantibus Maffeo Vicecomite Mediolanenſi, Cane grandi de Scala Veronæ Domino, aliiſque Fridericum Trinacriæ Regem ut arma adverſus æmulum ſuum Robertum jungeret incitarunt; ſtatimque ille claſſe inſtructa accurrit, portumve Genuæ die III. Septembris tenuit. Hæc tamen Friderici expeditio, quamquam hoc anno ab Annaliſta narratur: nonniſi biennio poſt, anno ſcilicet 1320. Stella & Anonymus Siculus cap. XC. teſtantibus cœpit. Brevis tamen Friderici in ditione Genuenſi mora extitit cum eodem quo venit Septembri menſe redierit, ait Anonymus Siculus ibidem. MANSI



Pœnis quas ob id non ſolutum contraxerat ſolvitur.

*præjudicium generari & inconcuſſas & illibatas eas omnino ſervari. Et te nihilominus ab excommunicationem ſententiis, quas propter ceſſationem dicti cenſus pro annis ſextodecimo & decimoſeptimo ſupradictis incurriſſe dignoſceris, abſolvimus; & interdicti, cui propterea inſula prædicta ſubjacet, nec non omnes pœnas ſpirituales, quas, & ſi quas temporales propter ceſſationem prædictam præfati cenſus ſextidecimi & decimiſeptimi annorum incurriſti, vel potuiſti incurrere, relaxamus ac prorſus viribus vacuamus: abolentes omnem notam, ſive maculam, ſi quas ex ceſſatione vel incurſione pœnarum quarumcumque hujuſmodi contraxiſti, de gratia ſpeciali, &c. Dat. Avenione* XIV. *kal. auguſti anno* II.

Ut clementiam in Fridericum explicuit Pontifex, ita ipſum in Zachariæ patritii Genuenſis filium a Catalanis, quos Achajam, cæſo Gualtero Brenna, invaſiſſe, ſupremumque illius dominium in Regem Trinacriæ transfudiſſe vidimus, captum & in Siciliam abductum regia uti clementia perſuaſit (*a*): *Cum ſicut*, inquit, *audivimus dilectum filium nobilis viri Martini Zachariæ de Janua per ſocietatem illam, ne dicamus colligationem, quæ ducatum Athenienſem temeritate damnabili occupare præſumſit, & detinet occupatum ſine cauſa rationabili;* incitatos enim a ſchiſmaticis Græcis adverſus Gallicæ ſtirpis catholicos vidimus cum tamen in orientem, ut in Turcas bellum ſacrum gererent, trajeciſſent; *captus extiterit & ad te in Siciliam cum eiſdem concapitivis adductus; nos qui & eiſdem captivorum injuſtæ detentioni compatimur, ac deſideramus claritati conſuli famæ tuæ, ne in ejus quod abſit, redundet infamiam malitia perverſorum; magnitudinem tuam hortamur, &c.* Addit preces ut ipſos reſtituat libertati, *Dat.* VII. *kal. julii.* Cæterum ut Achaja e Catalanorum manibus, qui injuſtis armis eam ſubegerant, eriperetur conciliatum eſt inter Iſabellam principatus heredem ac Joannem Gravinæ comitem fratrem Siculi Regis matrimonium: ad quorum gratiam, ut iniri poſſet, legem de conſanguinitatis gradibus Pontifex ſolvit (*b*).

(*a*) *To.* 1. *ep. ſecr.* 580.

Catalana ſocietas in Græcia in catholicos graſſatur.

Jo. Gravinæ comes Iſabellam Achaici principatus hæredem ducit.

(*b*) *Ib. ep.* 551.

Ut vero hic reliqua ad Græcas res ſpectantia conjungamus; Cephaloniæ comes Thomaſium levirum Græciæ deſpotam necavit, invaſitque principatum, quem ex pactis conventis, ac jure hereditario coniugi ſuſceptoque ex ea filio deberi contendebat: qua de re Joannes Francorum Regem ex Philippi principis Tarentini literis certiorem fecit (*c*).

Thomaſius deſpota a Cephaloniæ comite cæſus.

(*c*) *Ib. ep.* 860.

Coiere eo tempore inter ſe fœdera armorum Macedoniæ proceres ad excutiendum Uroſii Raſciæ Regis ſchiſmatici ſervitutis jugum, Romanæque eccleſiæ obſequium amplectendum: contulerunt prius ea conſilia cum Pontifice, qui ipſos ad ea perducenda hiſce literis inflammavit (*d*).

Uroſius Raſciæ Rex ſchiſmaticus.

(*d*) *Ib. ep.* 57.

*Joannes, &c. dilectis filiis nobilibus viris Guillelmo Bleniſte Protoſevaſtori, Guillelmo comiti, Paulo Materango, cæteriſque baronibus regni Albaniæ.*

*Ex fide dignæ inſinuationis aſſertione non abſque paternæ compaſſionis affectu percepimus, quod vos ſub gravi tyrannide illius Regis perfidi Raciæ, nedum ſchiſmatici & religionis Chriſtianæ totaliter inimici; quin etiam omni humanitatis deſtituti fœdere, & ultra feralem ſævitiam efferato animo ſævientis quaſi ex cujuſdam neceſſitatis indicto propter temporis corrupti malitiam inviti convivitis, firmo concepto propoſito illius declinandi perfidiam quamprimum opportunitas arridebit, ne ab ipſius convictu mores perditos contrahatis; tanquam viri catholici & in orthodoxæ fidei veritate fundati, ac ſpiritu inſpirati dominico, dum favebit aura felicior, educturi libenter in publicum quod ad tempus diſſimulare cogimini, quodque latet de ſinceritate veſtræ fidei ac devotionis introrſum. Porro, filii, de tam laudando veſtro propoſito gratulamur, quod nimirum acceptum habemus in germine, & profecto fiet acceptius dum ſuo tempore ad fructum pervenerit conſummatum.*

Sua impietate ac ſævitia proceres in ſe concitat.

*Perſtate igitur, & ſpiritum nolitis extinguere; & tam laudandum veſtrum in hac parte conceptum quam celerius, tute, ac opportune poteritis, in partum producere viriliter ſtudeatis. Nec vos ipſius ſchiſmatici maglinitas terreat, non quævis turbatio in partem alteram claudicare compellat: ſed ſpe ſub omnipotentis fiducia de noſtra & Romanæ matris eccleſiæ, quæ caput eſt omnium fidelium & magiſtra, & quæ de filiorum ſalute lætatur, favorabili proſecutione concepta, ipſius ſpei fortitudine roborati, ac confortati in virtutis divinæ potentia, robur ſpiritus aſſumatis: & quod nunc ſub diſſimulatione tranſire vos expedit, ſuis loco & tempore nullatenus ommittatis implere; beatam ſpem, ac magni Dei & Apoſtolicæ ſedis auxilium, quod vobis, ut ſperamus, aderit de propinquo, fiducialiter expectantes, &c.* Subdit eos tam egregio facinore ſummam apud Deum hominesque gloriam collecturos Circenſemque epiſcopum, quid factu opus ſit ipſis dicturos. *Dat. Avinione* XV. *kal. Julii.* Aliis etiam literis excitavit (*e*) ad conſtantiam in fide catholica, in qua hactenus perſtiterant, Mentulum Muſatium comitem Cliſſaniæ, Andream Muſatium regni Albaniæ mareſcallum, & Theodorum Muſatium protoſevaſtorem; atque in ſuſcepto de pellendæ impii Raſciæ Regis ſervitutis, tuen-

Excitantur a Pont. ut meditata conſilia ad opus generoſe perducant.

(*e*) *Ib. ep.* 571.

endæque fidei catholicæ conſilio confirmavit. Præterea Bladiſlaum Conoic Diocleæ & maritimæ Albaniæ comitem, virum catholicum, ad premenda alto pectore egregia illa conſilia, cumque affulgeret occaſio, explicanda perducendaque eſt adhortatus (*a*).

(a) Ib. ep. 573.

Deficit ab Uroſio Macedonia.

Animati pontificiis exhorationibus atque auxilii ſpe Albaniæ proceres, abiurato ſchiſmate ad tuendum catholicum dogma in tyrannum inſurrexere. Quo accepto Joannes eorum conſtantiam his verbis extulit (*b*): *Inducti fortitudine curaſtis opportunitate captata conſurgere, & jugo ſuæ tyrannidis & iniquæ converſatione*, Uroſii ſcilicet Raſciæ Regis ſchiſmatici, *abiecto in libertatem & confeſſionem fidei proſilire, laudabiliter educentes in publicum, quod quandoque latuerat de ſinceritate veſtræ fidei ac devotionis introrſum: & ad indicium plenius devotionis veſtræ laudabilis de Romana eccleſia, matre veſtra quæ caput eſt omnium fidelium & magiſtra, & quæ de fidelium ſalute lætatur, filiali ſecuritate confiſi, eam fidenter in veſtrum auxilium advocaſtis, &c.* Addit fideles omnes ingenti perfuſos lætitia, cum ipſos ſervitutis ſchiſmaticæ jugum e ſuis cervicibus depuliſſe acceperunt, neque illis opera defuturos. Profecto iniiſſe in eorum auxilium armorum fœdus Philippum Tarentinum principem, Carolum Ungariæ Regem, ac Banum Maladinum Boſſinenſem, innuunt literæ pontificiæ ad Philippum Tarentinum datæ (*c*), quibus bellum adverſus Græcos ſchiſmaticos, ac maxime Uroſium ſuſcepiſſe gratulatur, pontificiaque opera ſe non defuturum pollicetur.

(b) Ib. ep. 571.

Implorat Rom. eccleſ. auxilia. Suſcipit in Uroſium bellum ſacrum Carolus Ungar. Rex.

Et Banus Maladinus Boſſinenſis. Et Philippus Tarent. prin.

(c) Ib. p. 162.

XXXVI. Bellum ſacrum in Mauros Granat.

Neque adverſus ſchiſmaticos modo ſacrum bellum, ſed etiam in Mauros ſuſceptum. Præclara adverſus Saracenos Granatenſes Petri Sancii facinora, quæ anno ſuperiori explicuerat, illius patruum Joannem e Caſtellana ſtirpe regia principem, alterum Alfonſi pueri Regis tutorem, laudis cupiditate incendere, ut in barbaros, ſacræ militiæ accepto crucis ſymbolo, arma devoveret. Utque pia conſilia proveheret, cum Joanne Papa egit (*d*), ut divina humanaque ſibi auxilia porrigeret. Uſus eſt etiam illius ex fratre nepos Petrus Sancii, qua florebat apud Pontificem gratia, ut Joannem, qui equites quingentos cataphractos, ac nonnullas triremes in ea expeditione ſe duce vel filio conficienda, inſtruere meditabatur, ſedi Apoſtolicæ commendaret. Sed cum procuratorem ea, quæ neceſſaria erat, auctoritate pollentem non miſiſſet, Pontifex ne ſacro bello moræ tardiores obiicerentur, Compoſtellano archiepiſcopo atque epiſcopo Cordubenſi provinciam dedit, ut Joannem principem in belli Granatenſis ſocietatem adiſci operam navarent, atque una com Maria Lupi comitis Farenſis filia & Eliſabetha Alfonſi Luſitanæ ſtirpis principis nata iis legibus convenirent, quæ cum Raimundo Cardona Petri nomine fuerant conſtitutæ; obſtringerent etiam fidem Joannes princeps ac filius vel ducturos exercitum, vel ſtrenuum ducem miſſuros ac pacem cum Petro regiæ procuratore Regeque Alfonſo ſervaturos: ipſiſque ad comparandas copias in Granatenſes decimarum mediam partem conferrent. Quod ad Mariam & Eliſabetham ſpectat; ducendæ (*e*) eæ erant in uxores a Joanne principe ac filio, ſolvente ad eorum gratiam legem de conſanguinitatis gradibus Pontifice ea conditione, ut cum e re Chriſtiana foret, in regni Granatenſis limite bellum adverſus barbaros gererent: inflammavit etiam Chriſti vicarius pium Joannis Caſtellani principis evertendæ ex Hiſpaniis Saracenæ ſuperſtitionis ardorem ſubiectis literis (*f*).

Jo. princeps Petri princ. exemplo crucis ſymbolum accipit.

(d) An. 1. p. 2. ep. com. 157.

Attributæ certis legibus ei nonnullæ decimæ.

(e) Ib. ep. 1688. 1689. 1690.

Pontificiis literis ad cœpta accenditur.

*Joannes, &c. dilecto filio nobili viro Joanni infanti, nato claræ memoriæ Alfonſi Regis Caſtellæ.*

(f) Ib. ep. 1694.

*Copioſus in miſericordia Dominus, qui de ſua abundantia pietatis corda fidelium ad ſuæ majeſtatis obſequia devotionis ardore ſuccendit præcordiis tuis adeo copioſæ gratiam cæleſtis inſpirationis infudit quod tibi delectabile reputas propriam exponere, in ipſorum proſecutione perſonam; ſicque pio ductus propoſito, tanquam ſtrenuus athleta Domini negotium impugnationis perfidorum Agarenorum, a quibus regnum Granatæ in Dei contumeliam detinetur, tutorio nomine chariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi Caſtellæ Regis illuſtris, qui ſub teneritudine puerilis ætatis adhuc dignoſcitur conſtitutus, aſſumpſiſti ſub ſpe cæleſtis auxilii ferventer & viriliter proſequendum. Ut igitur Rex præfatus & tu ex præmiſſis in prompti exhibitione favoris percipiatis apertius mentem noſtram, perſonam dicti Regis & tuam; necnon & ipſius Regis, regna ac ejuſdem & tuas terras & dominia, ac bona mobilia & immobilia, quæ in præſentiarum juſte & rationabiliter poſſidetis, ab eo die quo tu perſonaliter cœperis in executione hujuſmodi officii proficiſci, & quamdiu proſecutioni hujuſmodi inſtiteris; ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, &c.* Subdit ſe Toletano atque Hiſpalenſi archiepiſcopis, & epiſcopo Cordubenſi provinciam demandare, ut cenſurarum eccleſiaſticarum terrorem illis, qui bellum iis moverint, aut in bona ipſorum involarint, incutiant. *Dat. Avin. id. aug. anno ſecundo.*

Apoſtolicum patrocinium ei pollicetur.

Extant hujuſmodi litteræ (*g*) ad eos præſules, datæ, quibus divinam clementiam extollit, quæ Joannis animum ad ex-

(g) Ib. ep. 1695.



excindendos Saracenos, delendamque illam Chriſtiani nominis labem ac peſtem excitavit; præcipitque tum, ut principem in eo ſacro bello diſtrictum tueantur, tum Caſtellanis, Aragoniis, Cathalanis, Valentinis, Luſitanis & aliis, qui in illius belli ſocietatem confluxerint, eadem indulgentiarum præmia proponant, quibus in terram ſanctam transfretaturi affici conſueverunt; eaque ad pelliciendos ad tanti operis gloriam, & commovendos Chriſtianos in eccleſiis, iis in regnis ſitis, ſolemni ritu promulgent.

XXXVII. Commeatus Granatenſibus inferri vetat.

Ad elidendas vero Saracenorum vires incuti iis eccleſiaſticas pœnas, atque in Aragonia, Caſtella, & Balearibus promulgari juſſit (*a*), qui Granatenſibus commeatus, merceſque vetitas inferrent, ſi qui vero eo crimine ſe devinxiſſent, ea lege a Compoſtellano, Toletano & Hiſpalenſi archiepiſcopis abſolvendos commiſit (*b*), ut injuſte apud Granatenſes parta ad eos edomandos converterent. Præterea præſulibus iiſdem injunxit (*c*), ut decumas ac duas partes decumæ reparandis eccleſiarum ſortis tectis addictas cogerent, atque in bellum Granatenſe derivarent: tum ad conciliandam inter proceres concordiam incumberent. Conſtituta (*d*) ea eſt Valliſoleti, ubi regni conventus habiti, præcipua Reginæ induſtria: ac ſancitum, ut Joannes & Petrus principes diviſis copiis publico ærario in Maurorum fines irruerent: ſed quam triſti rerum exitu, ſequenti anno dicetur, ne luctum ante tempus accerſamus. Juſto quidem divini Numinis Caſtellanorum plectentis crimina judicio ea clades aſcribi poterit: cum mores populi a Chriſtiana pietate deficerent, ac præſules vitiorum potius quam virtutum exempla transfunderent: quos Pontifex miſſis Toletano archiepiſcopo & ſuffraganeis literis ad ſanctitatem colendam, ac ſubjectos populos verborum & operum nitore erudiendos eſt cohortatus (*e*).

(a) Ib. ep. 1226. 1227.

(b) Ib. ep. 1225. 1228.

(c) Ib. ep. 1223. 1224.

(d) Marian. l. 15. c. 16.

Admoniti Caſtellæ præſules ut reſecandis cleri, & populi vitiis ſtudeant.



(e) To. 1. ep. ſecr. 566.

XXXVIII.

Ut facilius priſtinus religionis ſplendor in finitimo Aragoniæ regno refloreſceret, novam in eo archiepiſcopalem ſedem, Cæſarauguſtanam ſcilicet excitavit (*f*), [1] de qua hæc Bernardus (*g*). *Anno Domini MCCCXVIII. in menſe auguſti memoratus dominus Joannes Papa archiepiſcopatum Terraconenſem unicum antea in regno Aragoniæ diviſit, & conſtituit eſſe duos, epiſcopalem ſedem Cæſarauguſtanam in archiepiſcopalem erigens pro ſecundo, quinque ſibi ſuffraganeis epiſcopis deſignatis ex illis undecim, quos prius Terraconenſis metropolitanus obtinebat, ſex ſibi tantum ſuffraganeis reſervatis.* Extant ad Jacobum Regem Aragonum ea de re Pontificis literæ (*h*); qui cum Aragoniæ epiſcopatus in plures, ut in Galliis anno ſuperiori egerat, dividere meditaretur, Terraconenſis archiepiſcopus, ne id præſtaret, precibus ab eo contendit (*i*) cum epiſcopatuum vectigalia adeo ampla non eſſent, ut ſuſtinendæ epiſcopali dignitati partita ſufficerent.

(f) An. 2. p. 1. ep. cur. 97.

(g) Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. ſign. n. 3765. in Clem. V.

Cæſarauguſtana epiſc. ſedes in archiepiſcopalem excitata. Tarraconenſis archiepiſcopatus in duos diviſus.

(h) To. 1. ep. ſecr. 724.

(i) Ib. ep. 586.

XXXIX.

Similiter de Ulyſſiponenſi in Luſitania epiſcopatu dividendo agitavit Pontifex, Compoſtellanoque archiepiſcopo provinciam dedit (*k*), ut de vectigalium ac diœceſis amplitudine cognoſceret. Tractabat tunc Ulyſſiponenſis eccleſiæ gubernacula Stephanus (*l*), quem diſcordias, de quibus anno ſuperiori actum eſt, inter Dionyſium Regem & Alfonſum filium ac Reginam diſſeminaſſe, Pontifex arguit. Aſperſerat illi hoc crimen Luſitaniæ Rex: ſed

(k) Ib. ep. 579.

(l) Ib. ep. ſecr. 502.

N

NOTÆ [1] DE conſtituto hoc anno Cæſareauguſtano Archiepiſcopatu, cum antea Eccleſia illa ſuffraganea eſſet Eccleſiæ Tarraconenſi, agit hic Annaliſta. Hujus erectionis, quam Pontifex meditabatur, occaſione Concilia in Aragonia hoc anno duo celebrata ſunt. Cæſarauguſtanum nempe quo die XIII. Decembris metropoli jam conſtituta convenit, aſſidentibus Archiepiſcopo Petro de Luna, cum Epiſcopis Oſcenſi, Tiraſonenſi, Calaguritano, & Vicariis Epiſcoporum abſentium, duorum nempe aliorum Epiſcoporum, qui e Terraconenſi metropoli avulſi Cæſarauguſtanam conſtituerant. Quid in eo Concilio actum ſit, quamvis nullibi legitur facile intelligimus; agebatur enim de legibus novæ Metropoli conſtituendis. Suum pariter concilium ante Metropolis ſuæ ſciſſionem habuit Eximenus Archiepiſcopus Tarraconenſis die VIII. Martii anni 1317. ſtilo veteri, novo vero anno 1318. cui præter Archiepiſcopum Epiſcopi ſeptem adfuerunt, per procuratorem tantummodo Cæſarauguſtano cæteriſque præſentibus. Literæ a Patribus illis ad Pontificem datæ pro adlegendo in Sanctorum album S. Raymundo. Nec plura de rebus in eo conſtitutis in Collectione Veneto Labbeana. Sed ejus duo Canones referuntur in Collectione canonum Tarraconenſium, approbata a Concilio Tarraconenſi anni 1329. legendo in Collectione Veneto Labbeana to. XV. col. 376. can. LVIII. & LIX. Dein in Collectione Martenii to. VII. col. 305. extant ejus Concilii Canones VII. inter quos duo illi a Concilio anni 1329. relati occurrunt, hoc tantummodo diſcrimine quod in Canonibus Collectionis jubentur Clerici, & Canonici non ſacerdotes *ter in anno communicare*; cum *bis* tantummodo in Martenii actis legatur. Utra lectio præferenda ſit ignoro. In reliquis canonibus quædam ſtatuuntur de Beguardis & Beguinis, ne ſcilicet conventus extra Eccleſiam agant, ne cohabitent in eodem domo, ne veſtes præter conſuetas provinciæ & loci gerant, ne libros Theologiæ vernaculi ſcriptos habeant; ſed illos actutum ad diœceſanos referant. Nihil tamen novi injungitur illis qui ad normam regulæ tertii Ordinis S. Franciſci a Nicoalo III. approbatæ vitam in Collegio communem inſtituerint. Denique ne quis niſi quibus a jure conceſſum virginalis continentiæ puellarum votum exigat vel admittat. MANSI

ſed cum nullus in Stephanum accuſator legitimus compareret, Regi reſcripſit Joannes legibus in ipſum agi non poſſe: deinde ad confirmandum in adverſis animum, pacemque cum ſuis ſectandam hortatus eſt, cum in eo bello ſine luctu victor eſſe non poſſet; deque morte Dionyſii nepotis mœrentem eſt ſolatus (a). Alfonſum vero filium graviſſimis literis a gerendis in parentem armis deterruit (b), ne impii filii infame nomen ſibi pareret: tum detractorum conſiliis ſubornari ſe non pateretur, qui ad aucupanda ſua commoda ipſum in flagitium præcipitem agerent.

(a) Ib. ep. 576.
(b) Ib. ep. 501.

*Joannes, &c. dilecto filio nobili viro Alfonſo chariſſimi in Chriſto filii noſtri Dionyſii Regis Portugalliæ illuſtris primogenito.*

Alfonſum corripit in parentem arma geſtare.

*Adverſus talium molitiones iniquas conſtantiam tuæ magnanimitatis oppone. Conſidera, quæſumus, quam indecens eſſet & reprobum, præfatos tuos genitorem ac genitricem ab invicem dividi, qui debent in unanimitate convivere, & incumbentia onera communi & concordi conſilio & auxilo ſupportare. Conſidera quam abominabile Deo & hominibus cenſeretur diſſidere inter ſe patrem & filium cum civilis auctoritas patrem pro filio conſilium capere, & in eo pluſquam in ſe ipſo pati perhibeat; filiuſque totum quod eſt poſt creatorem ſuum debeat genitori, de cujus carne & ſanguine, ſementativæ originis & naturæ beneficio corporalem exiſtentiam principaliter mutuavit.*

*Conſidera quantum ſit apud Deum & homines commendabilis & accepta exhibita patri reverentia, quamque ſit execrabilis & damnata infauſtis eventibus irreverentia in parentes. Et quidem parentes honorari Dominus præcepit, & pro honore illis exhibito dierum longitudinem repromittit. Deo vero abominabilis eſſe dignoſcitur, qui moleſtare patrem aut irritare conatur: immo ſicut putreſcit membrum ſeparatum a corpore, & ramus ab arbore avulſus areſcit; ſic & filius ſejunctus a devotione paterna jam non eſt filius, ſed frater & collega illorum, qui ex patre diabolo deſcribuntur. Conſidera denique, quod in ſectione hujuſmodi ſi quod abſit, forte procederet, regno, cujus es poſt dictum Regem volente Deo gubernacula poſſeſſurus, deſolationis poſſet imminere diſcrimen, &c. Dat. XII. kal. aprilis.*

B. Eliſabetham hortatur Pontifex ad pacem inter virum & filium conciliandam.

Nullas prætermiſit partes Regina Eliſabetha, quam admirandæ virtutes & miracula inſignia ad ſanctorum numerum extulere, ut pacem inter filium maritumque conciliaret; qua de re Pontifex ipſi eſt gratulatus (c): *Diſplicenter* inquit *audivimus filia, qualiter nonnulli illius, qui primum ſchiſma ſuſcitavit in cælo, veſtigia proſequentes, inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Dionyſium Regem Portugalliæ, virum tuum ex una parte, & te ac dilectum filium nobilem virum Alfonſum utriuſque primogenitum ex altera, niſi ſunt occultis machinationibus diſcordiam ponere, ac tuum & ipſius primogeniti animos contra Regem ipſum latenter perverſis perſuaſionibus concitare. Sane quod hujuſmodi diſcolorum in hac parte non habuit, ſicut gratanter accepimus, conatus effectum, in illo gaudemus, &c.* Hortatur, ut filium in parentis obſequio contineat, maritoque obtemperet. Pontificiis monitis adeo ſedulo Regina ſanctiſſima morem geſſit, ut quamvis ferret fama Dionyſium ipſius filio legitimo eripere hereditarium ſceptrum moliri, ut in ſpurium transfunderet, adverſus ipſum non modo in arma non proſilierit, ſed ut utrumque demulceret, atque acies oppoſitas dirimeret, ſtudium omne collocarit; ac licet Dionyſius thori jura violaſſet, ipſa tamen adulteræ filios divini amoris intuitu, ut ſuos raro exemplo tractaret.

(c) Ib. ep. 500.

Egregia virtutum exempla B. Eliſ. in domeſtico bello explicat.

XL.

Tranſmiſit ad Dioniſium Pontifex (d), ut ipſum ad pietatem excitaret, nonnullas ſanctorum reliquias, in pretioſo vaſculo reconditas: ac viciſſim Luſitanus Rex Pontificem quatuor millium aureorum munere eſt proſecutus (e). Utque adiungamus ſimilia; ſuſcepiſſe Joannem a Philippo Longo Francorum Rege pretioſa munera, docent pontificiæ ad Regem ipſum datæ literæ (f), ex quibus hæc decerpſi: *Præſentata nobis nuper in feſto circunciſionis dominicæ grandia tuæ ſerenitatis munera, ipſa quidem materia, nec minus opere ſuperante in pleriſque materiam pretioſa, pulchros videlicet ſcyphos, potos atque barilia; annulos, ſpeculum, & linguaria ſerpentina, affectu grato ſuſcepimus, &c.* gratias pluribus verborum officiis agit. *Dat. Avinione XV. kal. febr.* Exceperat etiam ſuperiori anno (g) a Maria Regina Siciliæ (h) annulum aureum pulcherrimo ſmaragdo inſignem: & a Guidone epiſcopo Aretino (i) crucem, ac duo angelorum ſigna argento conflata; a Beatrice (k) vero comitiſſa Lucemburgenſi tabulas refertas reliquiis ſanctorum, cui grates hiſce verbis exolvit: *Jocale pulcherrimum, tabulas videlicet, nedum decoratas ornatu mirabili, ſed etiam variis ſanctorum reliquiis copioſe munitas, quas nobis tua nuper devotio offerre curavit, tanto lætiori manu ſuſcepimus, quanto magis in ſpiritualis ædificationis auxilium, & remedium conſolationis aſſiduæ tam pretioſiſſimis beatiſſimiſque theſauris reliquiarum hujuſmodi optamus piæ ambitionis affectu ditari.*

(d) To. 1. ep. ſecr. 574.
(e) Ib. ep. 498.
Dionyſ. Rex auri vim munere ad Pontif. tranſmittit.
(f) Ib. ep. 467.
Philippi Regis Franc. munera contra veneficorum inſidias.
Alia a Regina Sicil. & comitiſſa Lucemb. tranſmiſſa.
(g) Ib. ep. 439.
(h) Ib. ep. 430.
(i) Ib. ep. 48.
(k) Ib. ep. 50.

Abe-



XLI.

Ferrarienſes & marchiones Ateſtini ad Pont. imperia redeunt.

Aberant ab eo Regum & principum in Chriſti vicarium ſtudio nonnulli eccleſiæ clientes, ac viri nobiles, qui ex ejus ſpoliis opes aggerere, atque ad novam anniti potentiam moliebantur. Defixi anno ſuperiori ob Ferrariam ereptam eccleſiæ marchiones Ateſtini, ac Ferrarienſes ob initam cum iis coitionem cenſuris eccleſiaſticis, miſſo ad veniam deprecandam oratore (a), pontificiis imperiis ſe ſubiecerant [1]. Pontifex itaque ad amiſſa jura recuperanda (b) Atrebatenſem & Bononienſem epiſcopos, magiſtrum Aymericum e Caſtro Lucii nuncios apoſtolicos, in divinis humaniſque Ferrarienſibus rebus ſumma auctoritate fultos (c) miſit, provincia impoſita, ut urbis palatia & arces a marchionibus reciperent (d); qua etiam de re Raynaldo, Azoni, & Opizoni principibus imperia dedit (e), utque ipſorum fratres Bertoldus & Nicolaus procuratorum opera, ut conventum erat, id ratum haberent: *Nobilitatem*, inquit, *veſtram monemus & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus palatia ſupradicta cum fortalitiis, appenditiis, & pertinentiis ſupradictis, ſicut per eadem confinia deſignantur, eorum poſſeſſionem pacificam præfatis nunciis, aut duobus vel uni eorum, ſeu alii vel aliis, cui vel quibus ipſi vel duo ex eis id duxerint committendum, infra terminum antedictum plene & integre noſtro & eccleſiæ prædictæ nomine reddere & aſſignare curetis; ratificationem, confirmationem, & approbationem prædictas per Nicolaum & Bertoldum eoſdem cum auctoritate curatorum ſuorum, ut præmittitur, fieri ſine difficultate qualibet facientes, &c. Dat. Avinion. VIII. kal. julii anno ſecundo.*

(a) An. 3. p. 1. ep. cur. 124.
(b) Ib. ep. 123.
(c) Ib. ep. 50.
(d) Ib. ep. 122.
(e) Ib. ep. 323.
(f) Ib. ep. 51. & 52. & 152. & 153. 154. & an. 2. p. 1. ep. cur. 204. 205.

Ad conſtituendam denique rem Ferrarienſem Joannes redintegrata a Clemente cum Veneris pacta, quæ inter ipſos ac Ferrarienſes Opizonis atque Azonis temporibus viguerant, confirmavit (f). Ubi (g) etiam, adductis in medium Venetorum, Ferrarienſium, atque Imperatorum publicis tabulis, Ferrariam ditionis eſſe eccleſiaſticæ comprobat (h). Quæ illuſtrant etiam aliis inſerta literis (i) Ferrarienſium publica monumenta quibus oratorum opera Clementi V. ut vero ac juſto domino, fidem obſequiumque devovere. Præterea Joannes Patavinos (k), Tarviſinos (l), Ravennates, (m) Brixienſes (n), & Florentinos (o), ut pacem cum Ferrarienſibus colerent, ſolicitavit. Bononienſes vero, qui ad continendam in eccleſiæ obſequio Ferrariam egregiam operam navarant, commendavit (p): pariterque Carolum Roberti Jeruſalem & Siciliæ Regis majorem natu filium ducem Calabriæ coortam Beneventi ſeditionem, immiſſo milite compreſſiſſe, eſt gratulatus (q). Cæterum Ateſtini iterum Ferrariam in defectionem traxere.

(g) Sup. ep. 52. an. 3.
Publicis monumentis illuſtrata Pontificis in Ferrariam jura.
(h) Ib. ep. 205.
(i) To. 1. ep. ſecr. 824.
(k) Ep. 825.
(l) Ep. 826.
(m) Ep. 827.
(n) Ep. 828.
(o) Ib. ep. 830.
Beneventana ſeditio compreſſa.

XLII.

Fluctuabant etiam aliæ eccleſiaſtici principatus provinciæ. Æmiliam quidem Ordelaffus (r), qui Forolivienſium & Foropopulienſium ſtudiis fretus, inita cum nonnullis Imolenſibus, Faventinis, & Cæſenatibus exulibus coitione turbare moliebatur. Adverſus quem ac fœderatos apoſtolicis nunciis Bernardo Atrebatenſi, cui curam poſtea provinciæ commiſit (s), ac Bononienſi epiſcopis, atque Aymerico e Caſtrolucii ſine forenſi ſtrepitu inquirendi, ac fœderis injuſti reſcindendi partes demandavit. Infenſus etiam erat eccleſiæ Fridericus comes e Monteferetro, qui licet Callenſem comitatum Anconitanæ marchiæ præſidi reſtituiſſet; Urbinum tamen, atque alias terras eccleſiæ injuſta ſibi dominatione ſubjecerat; quas ut reſtitueret, Pontifex literis ſolicitavit (t). Pariebat ſane crebras populorum defectiones nimia libertas, quam eccleſiæ ſubditi in adſciſcendis ſine apoſtolica auctoritate præfectis ſibi arrogabant; liberas enim ii publicæ rei habenas nacti, ad ſtabiliendam potentiam in tyrannos deſciſcebant: atque id in poſterum fieri pluribus reſcriptis (u) Joannes vetuit.

(p) Ib. poſt ep. 662.
Ordelaffus Æmiliam miſcet.
(q) An. 2. p. 1. ep. cur. 188.
(r) An. 3. p. 1. ep. cur. 53.
Frideric. comes e Monteferetro Urbinum & alia loca occupat.
(s) To. 1. ep. ſecr. 854.
Præfecti a populis adſciſci vetiti inconſulto Pontifice.
(t) An. 1. p. 1. ep. cur. 187. & an. 3. p. 2. ep. cur. 36. 37.

Gliſcebat etiam in aliis Italiæ terris diſcordiæ malum: ac Senæ (x) Guelphæ Gibellinæque factionis turbine concuſſæ ſunt. Cremona quæ ſuperiori anno Canis Scaligeri ac Gibellinorum impetus fregerat (y), menſe aprilis proditione capta ſub illius potentia ſuccubuit. Occupavit etiam Scaliger, juncto cum Goritiæ comite armorum fœdere, nonnullas Tarviſinæ ditionis terras, quæ ut priſtinis dominis reſtituerentur,

(u) Jo. Vill. l. 9. c. 95.
(x) Id. c. 87.
(y) Id. c. 90.
Cremonam Scaliger occupat.



Jo-

NOTÆ [1] DE reſtituenda quidem Ferraria Pontifici hoc anno agitatum fuiſſe conſilium, non abnuo, ſed nunquam re ipſa redditam cenſeo. Cum enim eo forte tempore, quo Pontifex literas ea de re ſcribebat eas, quæ in Annalibus recitantur Azo Eſtenſis deceſſerit, obiit enim die XXIV. Junii ut aſſerit anonymus Eſtenſis Chroniſta Rer. Italic. to. XV. col. 382. hinc forte omnis de pace tractatio abrupta eſt. Id colligo ex ſilentio coævorum Scriptorum, qui reditus hujus Ferrarienſium ad Pontificem hoc anno facti nuſpiam meminerunt. Quin, & ipſemet Annaliſta fatetur, hoc ipſo anno Ferrarienſes ſub Ateſtinorum jugum iterum rediiſſe. Quæ rerum viciſſitudines nunquam ſine bello fuiſſent, & bellum, ſi quod interceſſiſſet anonymus Eſtenſis nunquam præteriiſſet. MANSI

(a) To. 1. ep. ſecr. 841. 842. 843.

Invadit alias Tarviſinorum terras.

Erepta Tarviſin. reſtitui jubet Pon.

(b) An. 3. p. 1. ep. cur. 157.

Ungar. Regem admonet Jaurienſe caſtrum epiſcop. reddat.

Joannem apoſtolicam adhibuiſſe auctoritatem ad nuncios Atrebatenſem & Bononienſem epiſcopos, Rambaldum comitem e Collealto, ac Tarviſinos literæ docent (*a*). Pari etiam ſtudio contendit Pontifex (*b*) a Carolo Ungariæ Rege, ut Jaurienſe caſtrum juris eccleſiaſtici epiſcopo Jaurienſi reſtitueret; id regii honoris & decoris fore: *Indubitanter*, inquit, *fili chariſſime, tenere te volumus, quod tuos honores tuæque laudis & famæ præconium affectione paterna diligimus, & ſic in virtuoſis tuis actibus, qui honeſtatem regiam condecent, delectamur. Sic equidem, ſi a laudibus & modeſtia deviant, zelo benevolentiæ commovemur: optamus etenim actus tuos illa ſemper maturitate fulciri, quod in conſpectu omnium placeant, & quempiam non offendant*. Commendavit eidem Regi (*c*) Ungaricas eccleſias, ut ad tuenda earum jura regiam potentiam explicaret: ac Strigonienſi archiepiſcopo & ſuffraganeis epiſcopis præcepit (*d*), ut clerum, cujus mores obſoletiores erant, ab impudicitiæ labe ad ſanctitatem vitæ revocare ſtuderent. Neque illud prætereundum videtur, excitatum a Pontifice Moguntinum archiepiſcopum (*e*), ut Bruſvicenſem ducem, qui Piſovienſe monaſterium in Nuembergenſi diœceſi diripuerat, ad crimen expiandum, prædamque reſtituendam incuſſo anathemate, prædiorumque ac locorum beneficio eccleſiæ acceptorum privatione intentata, ſubditis fidei ſacramento exhibito pronuntiatis liberis, cogeret: ac ni officio defungeretur, archiepiſcopus cenſuras ipſi objecit.

(c) Tom. 1. ep. ſecr. 671.

Strigon. arch. ad diſciplinam eccl. reſtituendam juſſus incumbere.

(d) Ib. ep. 672.

(e) An. 3. p. 1. ep. com. 174.

Dux expilata reddere juſſus.

XLIII.

Novæ hæreſes in Boem. & Polonia ſerpunt.

Expoſitæ erant crebris diripientium rapinis hiſce temporibus Germanicæ eccleſiæ ob continua Friderici Auſtriaci & Ludovici Bavari, de imperio certantium, prælia: ſed levior hæc erat, quam bonorum patiebantur, jactura. Illa gravior animarum, quæ turbulentis iis temporibus profanis erroribus inficiebantur. Serpebat variis in locis, ac maxime in Boemia, Miſnia, & Polonia fœdarum hæreſeon lues, ad quam præfocandam Joannes præſules earum partium excitavit: (*f*) inter quos Joannem Muſcatam epiſcopum Cracovienſem, qui munus epiſcopale negligentius tractabat, ut ad naſcens malum, quo par erat zelo, excindendum incumberet, hiſce literis adhortatus eſt.

(f) Ann. 2. p. 1. ep. cur. 54.

*Joannes, &c. venerabili fratri epiſcopo Cracovienſi.*

Epiſc. Cracovien. inertiæ arguitur.

*Non ſine amaritudine cordis accepimus, quod in aliquibus partibus regnorum Boemiæ ac Poloniæ, & in eorum confinibus & limitibus, præcipue in civitate & diœceſi Cracovienſi adeo patenter hæreticæ infidelitatis error invaluit, quod ibidem quamplurimi a via veritatis prorſus averſi, euntes poſt devium falſitatis, ac ſeipſos diverſis & variis hæreſibus maculantes, peſtiferas ad concutiendum orthodoxæ ſoliditatem fidei machinas conſtruunt, ipſamque ſubvertere falſis & vulpinis impulſibus fallacium argumentationum intendunt. Quid ergo, frater, tu ad hæc? Nunquid ſtabis tota die otioſus, & tanquam nulla ſit tibi cura de ovibus iis, qui exprobrant nomini agminum Iſrael, te zelo fidei non oppones? An non attendis, quod clamat ad te Dominus per prophetam, ut loquaris ad omnes civitates Juda ſermones, quos locutus eſt tibi & ſermones illos exprimendo ſubjungit: Vade & clama: Revertere adverſatrix Iſrael, dicit Dominus, & non avertam faciem meam a te? Nunquid etiam clamat idem Dominus per Ezechielem dicens: Si ſpeculator viderit gladium venientem, & non intonuerit buccina veneritque gladius, & tulerit animam unam de populo, ſanguinem ejus de manu ſpeculatoris requiram? Redde ergo tuæ teſtimonium fidei, & in Chriſti negotio ulterius non lenteſcas: nec ſit apud te verbum Domini alligatum; ſed diligenter paſtoralis partes officii exequaris. Noli otiari in talento Domini; ſed ut illud Dominus cum fœnoris acceſſione recipiat, evangelicam negotiationem exerce. Inſta importune & opportune: opus fac evangeliſtæ, miniſterium tuum imple, & animam, ſi neceſſe fuerit, pro defenſione fidei ponere non formides, &c. Dat. Avin. kal. maii anno ſecundo.*

Urgetur, ut in hæreticos inſurgat.

XLIV.

(g) Dubrav. l. 20. hiſt. Boem.

Rex Boemiæ hæreticos flammis damnat.

Fuiſſe eos hæreticos ſecta Dulcinianos, refert Dubravius (*g*); atque in eos voluptatum aucupes ignis ſupplicio a Joanne Boemiæ Rege ſævitum: *Hoc*, inquit, *laude dignum, quod nocturnis pervigilationibus ritu Dulcinianorum fraterculorum, de quibus ſupra commemoravimus, Pragæ occulte fieri incipientibus, in ipſo ſtatim introitu obſtiterit: exuſtiſque quatuordecim viris mulieribuſque hac dulcedine corruptelaque depravatis, reliquis eum metum injecerit, ut bacchanalia facere deſinerent, contenti poſthac religione incorrupta a patribus accepta*. Dandum id ſtudio Romani Pontificiis, qui Joannem Regem Boemiæ, Vvladiſlaum Cracovienſem, Boleſlaum Loktekum Vvratiſlavienſem duces, & marchionem Miſniæ adhortatus eſt, ne religionem novis erroribus obſoleſcere & obſcurari paterentur, ac ſacræ fidei cenſoribus opera & ſtudio non deeſſent. Iniunctum id munus fuit (*h*) Peregrino Oppolienſi & Nicolao Hippodines Prædicatoribus, Coldæ & Hermanno Minoritis, dataque ipſis imperia, ut adverſus ſontes divini cultus zelum explicarent. (*i*)

Principes Poloniæ in hæreticos a Pont. concitati.

Inſtituti in impios fidei cenſores.

(h) An. 2. p. 1. ep. cur. 56.

(i) Ib. ep. 68.

Præter Beguardos, quos in Germania in-



Lollardi Germaniam inficiunt.

certo auctore pullulaſſe ex Alvaro Pelagio antea dictum eſt, aliam Lollardorum peſtem graſſatam ferunt. Et quidem una cum Beguardis Lollardos emerſiſſe, cum Henricus VII. ſceptrum Germanicum ſuſcepit, indicat Hocſemius (*a*) ejus temporis auctor: *Eodem*, inquit, *anno*, nimirum MCCCIX. *quidam hypocritæ gyrovagi, qui Lollardi, ſive Deum laudantes vocabantur, per Hannoniam & Brabantiam quaſdam mulieres nobiles deceperunt*. Ex quo conſtat eos hallucinatos (*b*), qui ad poſteriora longe tempora Lollardorum originem retulerunt, quod Wicleffo primum ſuas ſpargente hæreſes, Lollardorum nomen infame Wicleffiſtis inditum vulgo fuerit: quare Walſingamus (*c*) paſſim Wicleffiſtas Lollardos vocat. Cæterum de Lollardorum principe Waltero quodam hoc tempere nefaria dogmata diſſeminante per Germaniam, Auſtriam, & Boemiam meminere Trithemius (*d*), Sanderus (*e*), Genebrardus (*f*), & alii. Fœdiſſimi erant illorum hæreticorum errores, quos hiſce verbis recenſet Trithemius (*g*): *Articulorum hæreſeos eorumdem primus erat iſte: miſſas vanitatem eſſe dicebant, & nullius vel reverentiæ vel utilitatis. Secundus articulus fuit, Luciferum cum dæmonibus ſuis cœlo iniuria pulſum dicebant, tandemque beatitudini cum omnibus ſuis reſtituendum: Michaelem & Angelos omnes æternis cruciatibus deputandos, homineſque ab eorum ſecta alienos ſimiliter eſſe damnandos; unde cum ſe mutuo ſalutarent, dicebant: Salutet te iniuriam paſſus, id eſt Lucifer. Tertius articulus iſte nefandiſſimus fuit, dicebant enim: Maria ſi virgo manſit poſt partum, non hominem ſed angelum peperit: virgo poſt partum non fuit. Item dicebant ſe habere duodecim Apoſtolos, qui totum imperium ſingulis annis perluſtrarent, & duos ex eis ordine & profeſſione ſeniores ſingulis annis paradiſum intrarent: poteſtatem ab Elia & Enoch ligandi & ſolvendi accipere quam aliis communicabant in eadem ſecta conſtitutis. Sacramentum baptiſmi irridebant, dicentes: Si baptiſmus eſt ſacramentum, ergo quodlibet balneum eſt ſacramentum, & per conſequens quilibet balneator eſſet Deus. Sacramentum pœnitentiæ turpiter vitiabant, confitentes non ſacerdotibus, ſed laicis in genere peccata ſua, in ſpecie* * *exprimentes, ſperantes ſe ex hac confeſſione omnium peccatorum a pœna & culpa remiſſionem plenarium recepturos. Sacramentum dominici corporis non credebant, hoſtiam conſecratam Deum fictitium appellantes. Sacramentum quoque matrimonii juratum meretricium in vulgari nuncupabant. Sacramentum extremæ unctionis irridebant, & interrogati ſuper eo quid ſentirent, unanimiter reſponderunt: Nos credimus, olera quanto fuerint oleo plus condita, tanto eſſe meliora. Conſecrationes eccleſiarum cœmeteriorumque, & benedictiones palmarum, ſalis, aquæ, & cæterorum, quæ in eccleſia fiunt, nihil eſſe dicebant.*

(a) Hocſem. l. 1. c. 31.

De eorum origine.

(b) Prateol. in elench. hæreſ.

(c) Vvalſing. in Eduard. III.

(d) Trith. chron. Her. ſang.

(e) Sander. de viſibil. monarch.

(f) Genebr. in chron.

(g) Trithem. ubi ſup.

Et dogmatibus.

Miſſæ ſacrificium ab iis ſpretum.

Cultus Demon.

Deiparæ virginitas negata,

Ut Apoſtolos ſibi præfecerint.

Baptiſmum contempſerint.

* non

Clavium poteſtatem uſurparint.

Blaſphemæ eorum voces in Euchar.

Et ſacramentum matrimonii.

Et extremæ unctionis.

Deriſa ab iiſdem ſacramentalia.

*Item dicebant Deum nec ſcire nec punire mala, quæ ſub terra fierent: unde in ſpeluncis & cavernis ſubterraneis convenientes, pater cum filia, frater cum ſorore, ac filius cum matre indifferenter turpitudinem carnis ſuæ exercebant. Romanam eccleſiam non Chriſti, ſed gentium infidelium eſſe dicebant; omniaque ſtatuta eccleſiæ cum prælatis & miniſtris ejus contemnebant. Jejunium irridebant; carnibus omni tempore etiam in ſexta feria paraſceves veſcebantur. Dies feſtos non ſervabant, ſed in die paſchæ laborabant. Perjurium dicebant non eſſe peccatum. Merita & interceſſiones quorumlibet ſanctorum poſſe hominibus apud Deum præſtare ſuffragia, negabant. Sed & alios complures articulos profitebantur erroris, quorum prolixitas inſerta his tædium lectoribus, ut vereor, generaret. Magnus eorum numerus fuit in Auſtria, Boemia, & terris vicinis*. Et infra: *Multi eo tempore in Auſtria fuerunt in diverſis locis combuſti, qui omnes unanimiter in ſuis erroribus pertinaciſſime uſque ad mortem cum magna hilaritate permanſerunt: inter quos puella una ſpecioſa nomine Giſla, dum jam eſſet cremanda, interrogatur a judice, ſi adhuc eſſet virgo. Quæ coram omnibus reſpondit: Super terram adhuc virgo ſum, ſub terra vero minime; credebant enim fatui virgines ſub terra non poſſe deflorari, etiam ſi a mille viris cognoſcerentur, neque tale ſtuprum eſſe peccatum*. Gloriari talibus patriarchis dæmonum fœderatis poſſunt hujus ſeculi novatores, qui plura ab his venena hauſere. Non tulit autem impune ſcelus ſectæ princeps Vvalterus, quem Coloniæ exuſtum anno MCCCXXII. ferunt (*h*), cum hæreſim, quam ſcriptis propagarat, tueretur pertinaciter. Ut vero dæmon impios illos in aperta ſcelera voluptatum lenocinio impulit, ita alios, qui pietatis ſtudio videbantur delibuti, adumbratæ ſanctitatis fallaci ſpecie deluſit:

Negarunt Dei ſcientiam, immenſitatem & juſtitiam.

Spurci eorum mores.

Contemptus in eccleſiam.

Jejunia, feſtos dies ſanctorum ſuffragia ſprevere.

Inſania meretriculæ Lollardæ.

Hos jactent ſigniferos novatores.

Walterus ſectæ princeps exuſtus.

(h) Trit. ubi ſup. & alii.

XLV.

(i) An. 1. p. 1. ep. com. 381.

Henricus e Ceva Minoritar. apoſtata.

Signifer horum hypocritarum extitit Henricus (*i*) e Ceva Franciſcanæ familiæ apoſtata, atque hæreſiarcha, qui plures ex eo ſacro ordine infecerat. Deſciverant ii adeo a B. Franciſci inſtitutis, quem ſuis, ut reverentiam in Chriſti vicarium, Cardinales ac præſules religioſiſſime colerent, imperaſſe vidimus: atque in eam ſuperbiam viri impii prorupetant, ut duas fingerent eccleſias, alteram diffluentem opibus & deliciis obſitamque ſordibus, cui præeſſet Romanus Pontifex; alteram humanarum rerum inopia divitem

Illius ac ſociorum errores.

tem, ac virtutum omnium genere exornatam, qua ipſi ſoli continerentur: negarent præſules ulla vel ad jus exercendum, vel divina conficienda auctoritate pollere: virtutem ſacramentorum a ſacerdotis ſanctitate pendere, juſjurandum ſine crimine uſurpari non poſſe, Chriſti evangelium extinctum antea fuiſſe, atque in ipſis revixiſſe & florere effutiebant. Ut vero nefandas adeo hæreſes Joannes eliderct, eas ſingulas cumulatis pluribus divinæ ſcripturæ oraculis refellit (a).

(a) Eod. ep. 381. ext. in bull. in Jo. XXII. conſt. 3.

*Joannes, &c. venerabilibus patriarchis, archiepiſc. & epiſcopis ac dilectis filiis electis ad quos literæ iſtæ pervenerint, &c.*

Minoritarum ordinis elogium.

*Minorum fratrum ſacer ordo ab ipſo ſuæ fundationis exordio almi confeſſoris B. Franciſci regulari traditione, & Apoſtolicæ ſedis auctoritate atque confirmatione indiſſolubili quadam textura connexus, fide clarus, ſpe validus, charitate perfuſus, humilitate placidus, obedientia devotus, velut ſingulare jubar ſanctitatis exemplo ac doctrinæ verbo per univerſum orbem claruit, & eccleſiaſtico decori multum utilitatis & plurimum inclytæ alacritatis invexit. Verum quia humani generis inimicus ubi virtutum ſegetes uberius videt exurgere, ibi ſcandalorum vepres & diſſidiorum zizania ſatagit cumulatius ſeminare, nonnulli hujus ſacræ religionis ſolo nomine profeſſores, dum altiora ſe petunt; dum præpoſteris & perturbatis gradibus, citius ruituri, in magnis & mirabilibus ſupra ſe ambulare conantur, illius deluſi fallaciis, qui ſe, ut alios decipiat, in lucis angelum transfigurat; ſibimetipſis ruinam, infirmioribus ſcandalum, ſolidioribus vero probationem & meritum pepererunt, pro viribus ſatagentes tam præclari ordinis unitatem ſcindere, obnubilare famam, perturbare quietem.*

Ut diſcordia inter eos oborta fuerit.

Malorum cauſa hypocriſis fuit.

*Dudum ſiquidem hujuſmodi ſuperſtitioſi & diſcoli homines, in provincia Provinciæ adverſus communitatem præfati ordinis inſurgentes, & ſe ſolos ſuoſque complices de obſervantia regulæ B. Franciſci mira vanitate jactantes, reliquam ordinis multitudinem, de tranſgreſſione regulæ perperam judicando, notabant; nonnullos profanæ multitudinis verbis mendacibus, & mentitæ ſanctitatis obtentu in ſui erroris devium adducentes. Quorum vipereos partus in ipſo ſui exortu felicis recordationis Nicolaus Papa IV. prædeceſſor noſter, ne in multorum perniciem alerentur, ad veritatis petram elidere cupiens, generali miniſtro, qui tunc temporis memorato ordini præſidebat, diſtricte præcipiendo mandavit, ut hujuſmodi præſumptores diſciplina debita coerceret, prout in literis ipſius prædeceſſoris noſtri plenius continetur: ſed horum peſtilentiſſimas novitates hoc remedio compreſſas fuiſſe potius quam extinctas, redivivus error enuntiat, & triſtis experientia manifeſtat.*

Exorientem peſtem præfocare niſus eſt Nicolaus IV.

Ut ejus factionis ſequaces apud Clementem ſodalibus litem moverint.

*Nuper enim nonnulli factionis ſuperſtites memoratæ, adjunctis ſibi quampluribus de dicta provincia Provinciæ, & provincia Tuſciæ, & aliis diverſarum fratribus nationum, coram piæ memoriæ Clemente Papa V. prædeceſſore noſtro diverſas regulæ quæſtiones, diverſaſque contra univerſitatem dicti ordinis propoſuere querelas: & quaſi ipſi ſoli, ipſorumque complices B. Franciſci regulam & perſpicacius intelligerent, & efficacius adimplerent, notam actionis contrariæ in univerſitatem præfati ordinis impie detorquebant. Qui Clemens prædeceſſor, hujuſmodi homines benignitate magis quam ſeveritate ſatagens emendare, illorum peſtiferos conatus patientiæ virtute tolerans, prædictas quæſtiones atque querelas pluribus archiepiſcopis, epiſcopis, & ſacræ theologiæ profeſſoribus, & aliis juris ſcientia præditis, diſcretione dotatis examinandas commiſit, & ad ſuam audientiam proferendas.*

Hanc ſedare Clemens tentarit.

*Quibus diligenter & cum multa maturitate peractis, ſæpenominatus Clemens prædeceſſor, de veritate certior factus, præfatam religionem ſanctam, & ut ejus utamur ſermonibus, muris obſervantiæ regularis firmiter undique aſſeruit circumcluſam, & quædam, quæ circa regulam dubium ſenſum afferre poterant, declaravit; diſtricte, præcipiendo mandans, ut dicti fratres, qui contra præfatam communitatem ordinis hujuſmodi quæſtiones moverant & querelas, ad conventus, unde diſceſſerant reverterentur, & ſuis ſuperioribus obedirent humiliter & devote, harum quæſtionum & querelarum prætextu ad Romanam curiam de cætero minime reverſuri. Et ut ipſius ſalubris ordinatio ad optatum duceretur effectum, venerabilibus fratribus noſtris archiepiſcopo Januenſi, & Lucano ac Bononienſi epiſcopis per ſuas literas demandavit, ut ipſi vel alter eorum, per ſe ſeu alium vel alios, fratres illos de provincia Tuſciæ, qui occaſione præfatæ diſſenſionis & adhærentiæ ad illicita laxatis habenis quædam loca dicti ordinis in provincia Tuſciæ conſtituta occupaverant, & occupata temeritate damnabili detinebant, ſuis alias obedire ſuperioribus aſpernantes, compellerent ut, eiſdem locis per eos occupatis omnino dimiſſis, ad ſuorum ſuperiorum obedientiam qualibet exceptione & occaſione poſtpoſitis reverterentur, moraturi ubicumque & ſicut iidem ſuperiores ducerent diſponendum: quarum literarum auctoritate dilectus filius Bernardus prior eccleſiæ S. Fidelis juxta Senas, cui præfatus Bononienſis epiſcopus ſuper hoc commiſerat vices ſuas, in ipſos fratres dicti mandati contemptores, eorum exigente contumacia, excommunicationis ſententiam promulgavit, & eos fecit excommunicatos publice nuntiari.*

Perduelles reponi juſſerit.



Spretis ab his pontificia mandata.

*Qui eccleſiaſtica vincula non verentes, non abſque temeritatis audacia, apoſtaſiæ nota, mentiſque veſania, contra apoſtolica mandata & dicti ordinis inſtituta ſe ad partes inſulæ Siciliæ tranſtulerunt, & inibi ab obedientia & unitate dicti ordinis & prælatorum ejus ſe totaliter ſeparantes, quaſi memorati ordinis beati Franciſci ſtabilem firmamque compaginem reſcindere ſtolida præſumptione valerent, novi ordinis, immo abominabilis horroris caſſis conatibus moliti ſunt ponere fundamenta, tam deteſtabili turbæ præficientes magis idolum quam prælatum Henricum de Ceva, dicti ordinis refugam & apoſtatam fugitivum. Et ut tam fœdo capiti membra cætera reſponderent, provinciales miniſtros, cuſtodes præterea & guardianos eligere temeritate ſimili præſumpſerunt, plurimos ad ipſorum ſectam recipere, prædicatores & confeſſores aſſumere, eoſdemque ad hujuſmodi confeſſionis & prædicationis officium tranſmittere; loca etiam a locis fratrum ipſius ordinis ſemota ad habitandum de novo conſtruere, ſeu conſtructa recipere contra Romanorum inſtituta Pontificum in animarum ſuarum periculum, aliorumque perniciem attentantes. Et ut ipſorum error veritas, & impietas religio putaretur, temeritate propria quoſdam habitus cum parvis caputiis curtos, ſtrictos, inuſitatos, & ſquallidos, ſimulationis conſcios, irriſionis amicos, ac diſſidii non ignaros diſcrepantes a communitate ordinis ſupradicti, aſſumere: & in ſimplicium cordibus, ut eoſdem ſecum in devium erroris adducerent, ſeminare dictos habitus fore ſecundum regulam B. Franciſci, & in ipſis ſolum pſeudofratribus ordinem conſiſtere, famamque aliorum fratrum præfatæ communitatis diverſis convitiis lacerare procaci impudentique verſutia præſumpſerunt.*

Condita nova ſecta præſide Henrico Ceva.

Auctoritas clavium per nefas præſumpta.

*Verum quia ſic ſunt caſus mentis, ut primo quidem infelix animus per ſuperbiam intumeſcat, & inde in contentionem, de contentione in ſchiſma, de ſchiſmate in hæreſim, & de hæreſi in blaſphemias infelici gradatione, immo præcipiti ruina deſcendat; prædicti temeritatis atque impietatis filii, ut habet fide digna relatio, ad eam ſunt mentis inopiam devoluti, quod adverſus præclariſſimam & ſaluberrimam Chriſtianæ fidei veritatem impie ſentiunt, ſacramenta eccleſiæ veneranda contemnunt, & in religioſum eccleſiæ Romanæ primatum, cunctis nationibus percolendum, ab ipſo coercendi citius, impetu cæci furoris impingunt. Et ne aliquid prædictarum blaſphemiarum tolerabile videatur aut dubium, de plurimis eorum erroribus aliquos, ne latere & proinde nocere valeant, præſentibus duximus annotandos.*

E ſchiſmate in hæreſes lapſi.

Negarunt primatum Rom. eccleſ.

XLVI. Confictæ ab iis duæ eccl.

*Primus itaque error, qui de iſtorum officina tenebroſa prorumpit, duas fingit eccleſias, unam carnalem divitiis preſſam, effluentem delitiis, ſceleribus maculatam, cui Romanum præſulem alioſque inferiores prælatos dominari aſſerunt: aliam ſpiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate ſuccinctam; in qua ipſi ſoli eorumque complices continentur, cui etiam ipſi ſpiritualis vitæ merito, ſi qua fides eſt adhibenda mendaciis, principantur. Quæ impietas ſic iſtis ſceleratis eſt propria, ut a nulla hæreſi poſſit eſſe ſejuncta: quippe omnes impii, dum prave in fide ſentiunt, dum ab unitate eccleſiæ atque obedientia per contumaciam ſeparantur, univerſitatem fidelium carni, ſeipſos vero ſpiritui ſervire frivolis aſſertionibus mentiuntur. Quorum dementiæ nihil adiici poſſe illi manifeſte cognoſcunt, qui ſicut unum Chriſtum prædicant ſic unam eccleſiam profitentur; doctore gentium atteſtante, qui ait: Ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ejus.*

Demonſtratur unica eccleſia, cujus unicum caput eſt.

*Una eſt igitur ſancta, univerſalis, apoſtolica, atque Romana eccleſia, quæ non humana præſumptione ſeu poteſtate nititur; ſed divina, & prorſus incommutabili auctoritate fundatur; cujus egregium primatum ſi quis impie docendo negat, non ſolum criminoſus aut ſchiſmaticus eſſe convincitur, ſed hæreticus impietatis ſuæ merito divina etiam atque humana ratione & auctoritate cenſetur: quia peccatum paganitatis incurrit quiſquis, dum ſe Chriſtianum aſſerit, ſedi Apoſtolicæ obedire contemnit. Cui inter cætera dona hoc privata largitione conceſſum eſt, ut ſaluberrima fides, quam B. Petrus, cœleſti Patre revelante, cognovit; & immenſa poteſtas, quam ei in eodem Apoſtolorum principe Chriſtus indulſit, ſic per legitimam Romanorum Pontificum ſucceſſionem illibata decurrat, ut illam uſque ad finem ſeculi nec perfidia maculet, nec adulterini paſtoris pontificium interrumpat: quam velut validiſſimam navem divinæ gubernationis præſidio communitam, nec variarum opinionum atque hæreſum turbines a ſuæ unitatis compage divellunt, nec tyrannicæ poteſtatis incurſus ad ima deprimit: quin potius & illos auctoritate atque veritate ſuperans, & iſtos patientiæ virtute ſupplantans, inter blanditias terrenæ felicitatis & aſperitates ſeculi felici navigatione media graditur, donec ad portum futuræ beatitudinis, duce Domino, veniatur. In qua, velut in arca, animalia munda atque immunda ſervantur: ſicut in area frumenta paleis permiſcentur: quemadmodum in ſagena boni piſces & mali*

Ejus integritas ob fidei puritatem.

In ipſa ſancti & peccatores continentur.

Non illi officiunt divitiæ, quibus ut Dei creaturis utitur.

Hypocritarum eam blaſphemantium vanitas.

*mali coeunt: ut in agro zizania & triticum ſimili germinatione ſuccreſcunt: nec tamen ipſam membrorum infirmantium immunditia polluit, extollit levitas, corrumpit nequitia, inſolentia ſcindit; ſed manens integra atque perfecta, adoptionis filios fide generat, verbo nutrit, auctoritate defendit, pœnitentia purgat, patientiæ virtute ſupportat: nec illam divitiarum cumulus ſuffocat, quia illis tanquam creatura Dei bona cum gratiarum actione bene utitur: & aurum habet, non ut in illo finem conſtituat, ſed ut neceſſitatem patientibus, miſericorditer largiendo, ſuccurrat. Extra quam ſalus eſſe non poteſt, quia natura non patitur, ratio non ſinit, & divina prudentia non permittit, ut membrum, quod a totius corporis unitate ſejungitur, virtute quæ a vertice in corpus influit, aliqualiter vegetetur: quo fit, ut apud iſtos vaniloquos nec ſancta paupertas, nec caſtitas munda, nec virtus poſſit eſſe perfecta; quin conſequens eſt ut omni virtute, omni bonitate priventur, qui Dominum virtutum, cujus eſt totum quod eſt optimum, per inobedientiam derelinquunt.*

XLVII.

Præſules carere auctoritate affirmant.

Ut Donatiſtis in eo ſimillimi ſint.

*Secundus error, quo prædictorum inſolentium conſcientia maculatur, venerabiles eccleſiæ ſacerdotes, alioſque miniſtros ſic juriſdictionis & ordinis clamitat auctoritate deſertos, ut nec ſententias ferre, nec ſacramenta conficere, nec ſubjectum populum inſtruere valeant vel docere; illos fingentes omni eccleſiaſtica poteſtate privatos, quos a ſua perfidia viderit alienos: quia apud ipſos ſolos, ut ipſi ſomniant, ſicut ſpiritualis vitæ ſanctitas, ſic auctoritas perſeverat. In qua re Donatiſtarum ſequuntur errorem, qui olim facto ſchiſmate ab unitate eccleſiæ recedentes, ita in ſua ſecta Dei gratiam dixerunt eſſe coactam, ut nullus eam recipere eſſet idoneus, qui non foret ipſorum ſcelere maculatus: quorum impietatem zelus fidelium illo in tempore ſic exhorruit, ſic pia perſecutione compreſſit, ut homines tam peſtilenti contagione reſperſos, & cenſura eccleſiaſtica anathematis mucrone feriret, & legum publicarum ſanctio extremo judicio prædamnaret: quia dignum & æquum, ut contra illos utriuſque gladii poteſtas exurgeret, qui auctoritatem eccleſiaſticam a ſolo Deo traditam & in perpetuum duraturam, profanis aſſertionibus abnegarent.*

Stabilitur Roman. Pont. auctoritas.

*Manet igitur, etiam iſtis reclamantibus, & uſque ad finem ſeculi permanebit apud Romanum præſulem ſicut ſumma auctoritas, ſic immenſa poteſtas: quam ſicut gratis accepit, ſic in eos, quos in partem ſolicitudinis evocat, in unitate fidei & Romanæ ſedis obedientia permanentes benigne refundit; tam fortiter atque ſuaviter moderamina indultæ poteſtatis exercens, ut in corpore Chriſti, quod eſt eccleſia, a ſummo vertice uſque ad extrema veſtigia nihil per inobedientiam diſſolutum, nihil relinquat ordinis confuſione turbatum: cujus ſuaviſſimum ſed validiſſimum jugum impii, quia humiliter geſtare refugiunt, quod rebus non poſſunt, laceſſere maledictis atque convitiis non deſiſtunt.*

XLVIII.

Tertius error circa juſjurandum. Vera de eo doctrina.

*Tertius iſtorum error in Vvaldenſium errore conjurat, quoniam & ii & illi in nullum eventum aſſerunt fore jurandum, dogmatizantes mortalis criminis contagione pollui, & pœna teneri quos contigerit juramenti religione conſtringi. Quorum blaſphemias pietas Chriſtiana condemnans non levitate mota, ſed utilitate aut neceſſitate coacta veritatem præteritorum atque præſentium, & certitudinem futurorum jusjurandi religione confirmat: certiſſime tenens quod nullatenus de ſuo genere poteſt eſſe peccatum, quod Chriſtus exercuit, qui peccatum non fecit, ſed peccatum omne ſua paſſione damnavit. Juravit etenim Dominus, juravit & Apoſtolus Paulus, ſuæ operationis exempla monſtrantes, adhoc tantum juramentum eſſe probibitum, ne jurandi facilitas frequentiam, frequentia conſuetudinem, conſuetudo perjurium introducat. Bonum eſt ergo juramentum, per quod veritas rerum divino teſtimonio confirmatur: ſed malum eſt illi, qui eo male utitur; & a malo infirmitatis humanæ eſt, ut aliquis verum proferens jurare cogatur.*

XLIX. Quartus error, conficiendi ſacramenti poteſtatem a ſanctitate ſacerdotis pendere.

*Quarta hujuſmodi impiorum blaſphemia, de prædictorum Uvaldenſium venenato fonte prorumpens, ſacerdotes rite etiam & legitime ſecundum formam eccleſiæ ordinatos, quibuiſlibet tamen criminibus preſſos, non poſſe conficere vel conferre eccleſiaſtica Sacramenta confingit: quorum utrorumque dementiam eccleſiaſticæ veritatis doctrina redarguit, & cenſura percellit, quoniam nil a bono majus, nil a malo minus perficitur ſacerdote; quia ſacramentorum virtus non in merito conſecrantis, ſed in virtute ſancti Spiritus, & verbo perficitur Creatoris.*

L. Quintus ipſos ſolos Chriſti evangelium ſervare.

*Quintus error ſic iſtorum hominum mentes obcæcat, ut evangelium Chriſti in ſe ſolis hoc in tempore aſſerant eſſe completum, quod hactenus, ut ipſi ſomniant, obtectum fuerat immo prorſus extinctum. Quæ impietas ſic tenebroſos Manichæorum calles oberrat, ut tamen Montani atque Priſcillæ fœda veſtigia non relinquat. Illi enim promiſſionem Domini de Spiritu ſancto non in Apoſtolis, ſed in ſeipſis completam eſſe aſſerunt: iſti evangelium Chriſti, cujus virtus in ſancti Spiritus perceptione conſiſtit, ita in ſe completum autumant, ut ab illius claro intellectu & vera obſervatione univerſitatem fidelium mentiendo ſecludant. Sancta vero & univerſalis eccleſia, talium hominum figmenta deridens, firmiſſime tenet, & nullatenus dubitat, Spiritum ſanctum juxta fidele Salvatoris promiſſum in beatos Apoſtolos die pentecoſtes ſic pleniſſime fuiſſe refuſum, ut illos omnem veritatem, quæ ad ſalutem pertinet, perfecte doceret; ut ipſos ad amorem Dei mirabiliter inflammaret, & ut eoſdem contra omnem tentationem invictæ virtutis firmitate muniret. Cujus ſpiritus virtus ita ſanctam eccleſiam uſque ad finem ſeculi nova ſemper prole fœcundat, ut renati fonte baptiſmatis una ſit fides mentium & pietas actionum: quod profecto non eſſet, ſi ſanctum evangelium, in quo Chriſtianæ fidei regula continetur, omnibus eſſet clauſum, & iſtis ſolummodo, quod cogitare impiiſſimum eſt, apertum.*



LI. Plures alios errores ſpargebant.

*Multa ſunt alia, quæ iſti præſumptuoſi homines contra coniugii venerabile ſacramentum garrire dicuntur.* Contemptum a nonnullis, nimirum Lollardis hæreticis, ſacramentum matrimonii & juratum meretricium ſcelus appellatum, paulo ante vidimus: eandemque hæreſim Beguardum quendam Durandum de Baldach Gerundæ in medio rogo propugnaſſe, refert Eymericus. (*a*) Alio errore huic affini de vxore invita dimittenda, ſolvendoque matrimonii ſacramento tinctus fuiſſe videtur Petrus Corbaria, qui poſtea Ludovici Bavari ſcelere pontificatum invaſit, quippe ut ex judiciariis actis conſtat, Minoritis uxore repugnante ſe aggregavit, ut ſuo loco dicetur. Hunc vero errorem a pſeudoapoſtolis, qui plures errores cum Vvaldenſibus & Beguardis habuere communes, hauſiſſe indicat Guido (*b*) Elnenſis epiſcopus, cundemque confutat.

(a) *Eymer. 2. p. direct. inq. q. 11.*

(b) *Guido ſumma de hæreſ. pſeudoapoſt. c. 2.*

Sacramentum matrimonii ſpretum ab hæreticis.

Ab iiſdem diſſolutum.

Refellitur.

*Pſeudoapoſtoli*, inquit, *Apoſtolorum doctrinæ evangelicæ & apoſtolicæ ſunt adverſi, dicentes quod vir ſine conſenſu uxoris & e diverſo poteſt ipſorum ſectam ingredi, & propter ingreſſum maledictæ ſectæ poteſt ſine mutuo conſenſu matrimonium ſeparari. Hoc Chriſtus veritas non docuit immo prohibuit, qui interrogatus Matth. XIX. an liceret homini uxorem dimitterre quacumque ex cauſa, reſpondens Phariſæis tentantibus ait: Non legiſtis, quia qui fecit homines ab initio maſculum & fœminam fecit eos? & dixit (c): Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non ſeparet. Sic etiam Apoſtolus I. Cor. VII. præcipit ex prædicta ſententia Domini, quod vir uxorem non dimittat, nec uxor virum; & ponit rationem, quod vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier: igitur non poteſt vir ſuum corpus continentiæ dare ſine voluntate & conſenſu uxoris cujus eſt, & e diverſo; unde ait Apoſtolus: Nolite fraudare invicem niſi forte ex conſenſu, ut vacetis orationi. Contradicunt ergo Apoſtolo & etiam Chriſto miniſtri ſathanæ pſeudoapoſtoli, dicentes quod matrimonium ſine mutuo conſenſu poſſit per continentiam ſeparari: quia mulier alligata eſt legi viri quandiu vir ejus vivit, & e diverſo; unde ab hac lege non poſſunt ſolvi niſi ex mutuo conſenſu.* Secuti etiam eandem impietatem ſunt in oriente duce Gregorio Palama pſeudomonachi Græci, qui matrimonia diſſolvere (*d*), & viros invitis coniugibus attonſos cucullo induere præſumpſerunt. Præter quos errores alios etiam de variis hominum ſtatibus vario temporum flexu ex Petri Joannis Olivi deliriis & de fine ſeculi, vel eodem ſomniatore, vel præſtigiatore Arnaldo Villanova auctoribus, effutiiſſe queritur Pontifex ſubiectis verbis: *Multa, ſunt quæ de curſu temporum & fine ſeculi ſomniant, multa quæ de antichriſti adventu, quem jam inſtare aſſerunt, flebili vanitate divulgant: quæ omnia quia partim hæretica, partim inſana, partim fabuloſa cognoſcimus, damnanda potius cum ſuis auctoribus, quam ſtylo proſequenda aut refellenda cenſemus: ipſa enim mendoſa commenta ſeipſa deſtruunt, quia nec ratione vigent, nec auctoritate conſtant, nec aliqua veriſimilitudine fulciuntur: in hujuſmodi doctrinis variis & peregrinis ſæpenominati homines ſtudia ſua conterunt; ad hoc ſimplicium corda blandis fictiſque ſermonibus & ſimulatæ humilitatis prætextu attrahere moliuntur.*

(c) *Gen. 2.*

Monachi etiam ſchiſ. ſolvunt conjugia.

(d) *Decr. ſyn. Græc. apud Leon. Allat. de conſenſ. eccl. Orien. & occid. l. 2. c. 16.*

Vana de fide mundi jactata a pſeudominoritis.

LII. Monitus Rex Frid. ut eos pelleret.

Paret Pontifici.

*Cupientes igitur quod dicti peſtiferi homines, aut in melius commutato conſilio a ſuis perverſitatibus reſilirent, aut ſaltem alios pernicioſis ſermonibus & ſuæ pravitatis exemplo contaminare non poſſent; chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fridericum Regem Trinacriæ illuſtrem hactenus rogavimus & monuimus, per apoſtolica ſcripta mandantes, ut hujuſmodi viros peſtiferos & ſeminatores errorum de prædicta inſula expelleret & penitus extirparet: & miniſtris, cuſtodibus, ſeu guardianis dicti ordinis Minorum, cum ab eis ſuper hoc requireretur, faciendo etiam ſi expediret, ſæpedictos pſeudofratres capi, & eorum ſuperioribus tradi capitulos, juxta diſciplinam ordinis corrigendos, ſtuderet impendere favorem, conſilium, & auxilium opportunum. Ipſe vero tanquam obedientiæ filius per ſuas patentes literas, noſtrarum literarum ſeriem continentes, ſingulis officialibus ſuis per dictam inſulam conſtitutis præcipiendo mandavit, ut ad capiendos hujuſmodi falſos fratres rectoribus dicti ordinis, ut prædictæ noſtræ literæ continebant, darent conſilium, auxilium, & favorem quodque ipſa mandata in noſtris contenta literis ſtuderent*

*vent executioni in omnibus demandare.*

*Quæ præſentientes peſtiferi memorati, cum ad ſinum piæ matris redire ſaltem eccleſiaſtica diſciplina coacti humiliter debuiſſent, ſalubrem coertionem & felicem neceſſitatem, quæ ad meliora compellit, fugæ præſidio declinarunt, nonnullis eorum in locis abditis & latebroſis dictæ inſulæ derelictis, qui ſuis fautoribus, ſub quorum defenſione conſiſtunt, pro mercede iniqui favoris perverſi dogmatis venena rependunt. Alii vero per loca infidelium diſcurrentes mare, & aridam circuire feruntur, ut unum ſaltem faciant proſelytum, ſimul cum illis gehennæ ignibus applicandum. Ii ſunt quos doctor gentium caute vitandos admonuit dicens: Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit, ambulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum Dei. Ii ſunt diffidentiæ filii, nubes ſine aqua, quæ a ventis circum feruntur, ſidera errantia, quibus procella tenebrarum reſervata eſt; qui juxta pſalmiſtæ vaticinium: Neſcierunt neque intellexerunt: in tenebris ambulant. Erraverunt ab utero, a veritate ſcilicet ſanctæ matris eccleſiæ recedendo, locuti ſunt falſa; vanos & varios errorum tribulos per diverſas regiones præſumptione damnabili ſeminando.*

Ii perduelles in Græciam aufugiunt.

Ineſcant ſimplices.

*Quamobrem zelus fidei, fervor compaſſionis animarum excitare debent corda omnium, qui Chriſti nomine gloriantur, & ipſius ſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ finibus continentur, ut contra iſtorum inſaniam quaſi contra publicam peſtem valenter exurgant, nec eos in locis, ubi Chriſtianæ religionis viget auctoritas, patiantur pacifice vivere, quos adverſus matrem & dominam ſuam, ſanctam ſcilicet Romanam eccleſiam, rebellionis ſuæ calcibus & errorum blaſphemiis conſpiciunt inſanire. Fruſtra enim utuntur nomine Chriſtiano, qui talibus impietatibus non reſiſtunt, & conſequens eſt, ut poſſint hæc credere, qui poſſunt talia patienter audire. Tantas igitur & tam graves inſolentias, errores peſtiferos, deteſtabiles blaſphemias in Creatoris iniuriam, populi Chriſtiani perniciem, & nefariæ operationis exemplum per patientiam, immo vecordiam tolerare nolentes; univerſitatem veſtram monemus ſedule, hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus præfato Henrico de Ceva aliiſque pſeudofratribus, qui ad memoratam Siciliæ inſulam hactenus confugerunt, nullum detis, vel dari, quantum in vobis eſt, permittatis in præmiſſis conſilium, auxilium, vel favorem: quin potius ipſos velut apoſtatas, excommunicatos, ipſius eccleſiæ Romanæ rebelles, ſchiſmaticos, & perverſi dogmatis aſſertores, lupos graves gregi dominico non parcentes, a veſtris finibus arceatis; capientes ipſos vel capi facientes, & captos tradentes rectoribus ſæpenominati ordinis fratrum Minorum, cum ab ipſis, vel eorum vicariis, procuratoribus, ſeu nunciis fueritis requiſiti, per eos juxta ipſorum demerita caſtigatione debita puniendos, &c. Dat. Avinione x. kalendas februarii pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Juſſi præſules Henricum & ſocios Minoritis dedere.

LIII. Contendunt falſo nonnulli calumniis appetitos.

Tantarum hæreſeon calumnias falſo impactas his pſeudominoritis [1] contendit ex inanibus coniecturis auctor recentior (*a*), & a ſodalibus contra fas accuſatos, eo quod obſoleſcentem S. Franciſci diſciplinam ſuo ſplendori reſtitui cuperent: *Non leve*, inquit, *ſed evidens argumentum eſt falſæ informationis nimia acerbitas & invectio ſtyli, ſine ulla perſonarum acceptione adverſus eos, qui regulari obſervantiæ & puritati adhærebant, eandemque in alios transformare ſatagebant: ſpecialiter namque perſtringit fratrem Petrum Joannis, qui ſub Nicolao IV. incurrit aliquorum, quibus via latior placuit indignationem ex ſtudio veræ diſciplinæ*. Crediderim ignoraſſe auctorem hunc Petrum Joannis inſignem hypocritam plurimum hæreſeon inventorem judiciaria eccleſiæ ſententia damnatum, neque advertiſſe quam longe abſit a ſedis Apoſtolicæ in condendis decretis maturitate dignitateque, ad leves obtrectatorum ſuſurros ita Chriſtianum orbem commovere. Certe hujuſmodi apoſtatarum ſectam, quæ Cœleſtino pontifice pullularat, contaminatam hæreſibus fuiſſe, at-

(*a*) *Auct. Franciſc. nitela c.7.*

Refelluntur.

NOTÆ [1] BAluzius in Miſcellaneis to. I. pag. 198. producit acta inquiſitionis in quatuor Fratres minores Maſſiliæ inſtitutæ. Ex his vero Fratrum illorum hæc nomina diſcimus, Joannes Barrani, Deodatus Michaelis, Guillelmus Sautonis, Poncius Rocha. Hæreſum, quibus pervicaciter inſiſtebant, ſumma hæc fuit, quod nec Pontifici fas eſſet Fratribus Minoribus mandare ut nimium in veſtibus paupertatis rigorem lenirent, atque ad communem cum reliquis Fratribus vivendi legem ſeſe componerent. Sententia in illos lata ab Inquiſitore Maſſilienſi, ut ſæculari poteſtati traderentur die VII. Maii 1318. in die I. Hæc latius deduxi ut conſtaret nullam eſſe fidem M.S. Vaticani in quo damnati ad ſupplicium die revelationis S. Michaelis anni 1317. memorantur. F. Bernardus Delitioſus inter cætera crimina reus poſtulatus fuit de martyrum elogio his nominibus impenſo. De cauſa hujus Bernardi Delitioſi Monachi Ordinis Minorum, quæ anno ſequenti ab Inquiſitoribus fidei tractata fuit, atque de lata in illum ſententia carceris aliarumque pœnarum. Vide acta apud Baluzium in Vita Papar. Aven. to. II. pag. 341. MANSI



atque in eam zelum acuiſſe Bonifacium VIII. vidimus (*a*), nec non Benedictum (*b*) XII. & Clementem VI. (*c*) in eandem leges diſtrinxiſſe viſuri ſumus: interque alia eoſdem ſectarios confinxiſſe eccleſiæ auctoritatem omnem in ipſos refuſam: Pontifices vero inanem umbram larvamque præferre: neque excuſari poſſunt, quin percuſſi anathemate auctoritatem ſolvendi peccata ſibi contra fas arrogarint, ob quam & ſuperiorem hæreſim, hujuſmodi pſeudominoritis rogi parati fuerunt. Et quidem hoc anno quatuor ejus ordinis hipocritas Maſſiliæ flammis addictos refert Eymericus (*d*): rem vero ſuperiori anno geſtam narrat M. S. Vaticanum (*e*) *Hoc anno*, nempe *MCCCXVII. in vigilia revelationis S. Michaelis combuſti fuerunt in Maſſilia quatuor fratres Minores propter hæreſim de paupertate*.

(*a*) *Annal. to. XIV. an. Chr. 1297. n. 55.*

Extant de eo aliorum pontificum gravia teſtimonia.

(*b*) *Bened. an. 2. ep. 189.*

(*c*) *Clem. l. 3. ep. ſecr. 52.*

(*d*) *Eymer. 2. p. direct. q. 15.*

Pſeudominoritæ exuſti.

(*e*) *MS. bibl. Vat. ſign. n. 3765.*

Obortæ fuerunt circa paupertatem variæ hæreſes: non potuit autem illa eſſe, quam Michael Cæſenas amplificavit, an Chriſtus & Apoſtoli jus in his quibus uſi ſunt, obtinuerint; cum is error nondum damnatus eſſet hæreſeos, de quo fuſe inferius: ſed alia potius hæreſis fœdiſſima eſſe potuit a Donatiſtis, Catharis, Waldenſibus, pſeudoapoſtolis excepta, deinde ad alios tenebriones propagata, qua effutiebant, Pontificem ac præſules omni auctoritate ſacra ſpoliatos adeo, ut ſacramenta ab iis non confici contenderent (*f*), quod nimirum paupertatem Chriſti & Apoſtolorum non imitarentur; unde eccleſiaſtica ſacramenta & ab iis & ab aliis deſpecta Joannes in conſtitutione, *Sancta Romana atque univerſalis eccleſia*, conqueritur (*g*): iidem vero licet ſacris ordinibus initiati non eſſent, tamen non ſacerdotalem modo, ſed pontificalem quoque auctoritatem ſibi arrogabant (*h*), exomologeſes ſimplicium audiebant, & inanes indulgentias ipſis flagitio conferebant: quippe eos veros Apoſtolorum ſucceſſores jactabant, qui inopem vitam profiterentur: poſtea vero cæteris hæreſibus Michaelis hæreſim de proprio addiderunt; in quas peſtes fuit flamma ſæviendum. Memoratos porro hæreticos exuſtos a ſequacibus cultos fuiſſe ut martyres ferunt (*i*), habitos in veneratione eorum cineres, & nomina in kalendaria & litanias relata, jactatumque Chriſtum in iis fuiſſe ſpiritualiter crucifixum; Pontificem autem & præſules, ac fidei cenſores ut hæreticos execratione defixos. (*k*) Nec vero tantum Maſſiliæ, ſed in Narbonenſi etiam provincia, & in Capite ſtagni, & Biterris, & apud Lodovam, & in diœceſi Agathenſi, & apud Lunellum: & in Magalonenſi diœceſi hujuſmodi novatores addictos incendio narrant Bernardus (*l*), & Eymericus (*m*).

(*f*) *Jo. 22. in ſupr. conſt. Glorioſam eccleſ. Ant. 3. p. tit. 21. c. 5. §. 1. Peg. in Can. 41. 2. p. direct. inquiſit.*

(*g*) *Extrav. Sancta Rom. de relig. dom.*

(*h*) *Joan. 8. p. 2. ep. ſecr. 231.*

(*i*) *Eymer. 2. p. direct. q. 15.*

Culti a ſequacibus ut martyres.

(*k*) *Id. ib.*

(*l*) *Bern. chr. Rom. Pont. MS. bibl. Vat. ſign. num. 2043.*

(*m*) *Eymer. ubi ſup.*

Acerbitas legum in plures alios exercita.

Sunt qui dicunt (*n*), impactum iis hæreſeos crimen, cum negarent Pontificem contra Franciſcani inſtituti formulam cellas frumentarias ac vinarias Minoritis poſſe concedere. At non ob eum, ſed alios de quibus memoravimus, errores cum fide Chriſtiana pugnantes flammis injectos putandum eſt: præſertim cum in præfatione conſtitutionis, quæ incipit, *Glorioſam eccleſiam* (*o*), promulget Joannes, eos factioſos Minoritas, qui tanto ardore arctioris inſtituti amatores ſe profitebantur, ſubjectas hæreſes in ſuis conventiculis effudiſſe: quamquam putandum eſt, nonnullos, qui pio zelo adducti de collapſa diſciplina conqueſti aliis initio ſe conjunxerunt, animadverſa ſociorum impia hypocriſi, errorum præcipitia defugiſſe: & quamvis Fraticelli dixerint, ſuperiores pſeudominoritas concrematos, *quia*, ut refert Eymericus (*p*), *nolebant aſſentire in laxationem regulæ, nec recipere diſpenſationem prædicti domini Papæ factam ſuper illam;* potuerunt tamen more hæreticorum mentiri veram ſubticendo cauſam.

Excuſantur ab auctore recentiore.

(*n*) *Vvad. in annal. Minor. hoc ann. n. 26.*

Potius illis impietas quam eccleſiæ crudelitas adſcribenda.

(*o*) *Joan. 2. p. 2. ep. com. 381. Ext. in bull. conſtit. 3. & int. lit. apoſt. pro offic. S. inquiſiſ.*

(*p*) *Eym. direct. inquiſ. 2. p. q. 15. err. 19.*

Cæterum Joannes Papa (*q*) indicata ſuperius illa duo exortæ inter Franciſcanos de arctiori & laxiori vita diſceptantes, de habitus & caputii forma, ac de frumentariis ac vinariis cellis habendis, controverſiæ capita ea ratione definivit, ut provincialium, ut vocant, ordinis judicio rem permiſerit reſcripto apoſtolico (*r*) nonis octobris hujus anni exarato: ex quo inſani Fraticelli fundendarum in eccleſiam Romanam blaſphemarum vocum occaſionem ſumpſere, ut narrat Eymericus (*s*) his verbis, dum Beguinorum errores recenſet: *Quartusdecimus*, inquit, *error & hæreſis eſt, quod dominus Papa Joannes XXII. faciendo quandam conſtitutionem, quæ incipit, Quorumdam, in qua dicitur concedere ac diſpenſare cum fratribus Minoribus, quod poſſint congregare vinum & bladum in granariis vel cellariis pro tempore futuro ad arbitrium prælatorum ordinis ipſorum, fecit contra evangelicam paupertatem; & per conſequens, ut ajunt, contra evangelium Chriſti: & ideo dicunt quod factus eſt hæreticus, & quod ex hoc perdidit poteſtatem papalem ligandi & ſolvendi & alia faciendi, ſi in hoc perſeveraverit; & quod prælati per eum facti, ex quo dictam conſtitutionem fecit, non habent aliquam eccleſiaſticam juriſdictionem ſeu poteſtatem*. Ut vero jure condere memoratam conſtitutionem potuerit, quidve poſſit decernere, quidve non, ex doctore (*t*) ejus temporis inſigni, qui tum in curia pontificia verſabatur, adverſus pſeudominoritas pontificias conſtitutiones impugnantes diſputante, decerpere viſum eſt.

(*q*) *MS. Vat. ſign. n. 3765.*

Vana hæreticorum apologia.

(*r*) *Jo. an. 2. p. 1. ep. 57. & extrav. de Quorundam verb. ſign.*

(*s*) *Eymer. direct. inquiſ. 2. p. q. 15. error. 14.*

Eorum figmentum de exauctorato divinitus Pontifice.

De pontificia poteſtate in condendis ſtatutis quæſtio.

(*t*) *MS. bibl. Vat. ſign. n. 4869. p. 21.*

LIV. Ventilata pontificiæ curiæ doctore.

Prima concluſio dominus Papa non poteſt condere canones contra determinata per ſacram ſcripturam. Secunda quod nec contra quatuor concilia principalia, adde nec alia œcumenica quoad decreta fidei, nec judiciariam in controverſia fidei, Pontificis prædeceſſoris vel ſui ipſius ſententiam. Tertia, quod poteſt contra determinata per quoſcumque doctores ſanctos, ſcilicet Auguſtinum & Hieronymum, & ſic de aliis. Quarta, quod contra determinata per prædeceſſores ſuos vel ſeipſum, in iis nimirum quæ ad fidem non ſpectant.

Primam concluſionem probo & auctoritate & ratione. Primo auctoritate domini noſtri XXV. q. I. c. Sunt quidam dicentes, quod Romano Pontifici ſemper licuit novas condere leges, niſi ubi evangeliſtæ, Dominus, vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes ſancti patres ſententialiter aliquid diffiniverunt: in eis vero non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius quod prædicatum eſt, uſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Quia ſi quod docuerunt Apoſtoli & prophetæ deſtrueret, quod abſit, videretur non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur. Iſtud idem probatur ibidem c. Omne quod reprehenſibile eſt. Ex hoc arguo primo ſic: Illud non eſt licitum Romano Pontifici, in quo convinceretur non ſententiam dare, ſed magis errare. Sed ſi determinaret contra determinata per ſacram ſcripturam, ex hypoteſi nempe impoſſibili ob promiſſum Spiritus ſancti præſidium, convinceretur non ſententiam dare, ſed errare, ut probatum eſt. Ergo, &c. Confirmatur quia ſecundum Auguſtinum IV. de Trin. c. VI. contra rationem nemo ſobrius, contra ſcripturas nemo Chriſtianus, contra eccleſiam nemo pacificus. Si ergo contra ſcripturas determinaret, non eſſet Chriſtianus. Ergo, &c.

Papa non poteſt aliquid contra S. Scripturam decernere.

Ratio additur.

Secundo: Impoſſibile eſt veritatem contrariari veritati, quia ſicut dicitur I. ethic. vero omnia conſonant. Sed inconcuſſe & indubitanter quidquid in ſacra ſcriptura continetur verum eſt. Ergo nulla veritas ſibi poteſt contrariari. Si ergo determinaretur contra ſacram ſcripturam, neceſſario illud non eſſet verum, ſed falſum. Probatur minor ex proverb. VIII. Veritatem meditabitur guttur meum; & eccleſ. XXIV. Hæc omnia liber vitæ & teſtamentum Altiſſimi, & agnitio veritatis; & apoc. XXI. Hæc verba fideliſſima ſunt & vera; & pluribus locis ſacræ ſcripturæ. Item Auguſtinus primo de doctrina Chriſtiana dicit, quod titubat fides, ſi divinarum ſcripturarum vacillet auctoritas. Et infra: Et XI. q. contra Fauſtum dicit: Extat auctoritas ſcripturarum novi & veteris teſtamenti, quæ Apoſtolorum confirmata temporibus per ſucceſſiones epiſcoporum, & propagationes eccleſiarum: quæ in ſede quadam ſublimitatum conſtituta eſt, cui pius & fidelis ſubſerviat intellectus: ibi enim non licet dicere, auctor hujus rei non tenuit veritatem, &c. Et ſubdit: In illa canonica ſacrarum eminentia literarum, etiamſi minus propheta ſeu Apoſtolus, aut evangeliſta aliquid in ſuis literis poſuit, ſi ipſa canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quod verum ſit: alioquin nulla erit pagina, qua humanæ imperitiæ regatur infirmitas, ſi librorum ſaluberrima auctoritas, aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur. Et infra: Sequitur ergo concluſio, quod non poteſt contra determinata per ſacram ſcripturam condere canones. Tertio ſic: Inferior non poteſt determinare contra decreta ſui ſuperioris. Sed ſcriptura digeſta eſt a Spiritu ſancto dicente B. Petro in I. can. ſua cap. I. Non voluntate humana allata eſt prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines; & eccleſiaſtici primo dicitur: Unus eſt Altiſſimus creator omnipotens, & Rex potens, &c. & ſequitur: Ipſe creavit eam in Spiritu ſancto, & vidit, & dinumeravit, & menſus eſt, &c.

De auctoritate ſacræ Scripturæ.

LV. Papa non poteſt condere canones contra concilia œcumen. quoad decreta fidei.

Secunda concluſio eſt, quod nec dominus Papa poteſt condere canones contra quatuor concilia principalia: & hanc concluſionem probo auctoritate Gregorii in decr. XV. d. c. Sicut ſancti evangelii quatuor libros, ſic quatuor concilia ſuſcipere & venerari me fateor. Obiicit ſibi auctor decreta conciliorum revocari poſſe, quia concilium non dat auctoritatem ſummo Pontifici, ſed ſummus Pontifex concilio q. XVII. Reſpondet: Quod hoc competit quatuor conciliis, non in quantum concilia ſunt, ſed in quantum de tali materia ſunt, ſcilicet de veritate articulorum fidei; & ſic dico, quod competit hoc illis quatuor conciliis, quod revocari non poſſunt, propter hoc ſcilicet quia non fuerunt niſi declarativa articulorum veritatis. Idem vero de conciliis & Pontificum ſanctionibus ex cathedra Petri editis in controverſo dogmate dicendum: in iis enim, quæ ad finem ſpectantia decernunt, revocari non poſſunt.

Nec contra decreta fidei a Pontificibus vel a ſe edita.

Tertia (a) concluſio eſt, quod poteſt condere canones contra determinata per quoſcumque doctores quantumcumque ſanctos, & hoc probo auctoritate & ratione. Auctoritate XX. di. c. Decretales epiſtolæ, &c. Ratione ſic: Cujus auctoritas & poteſtas eſt ſupra alterius poteſtatem & auctoritatem, illius legibus non ligatur, ſed potius e contra: hoc patet, quia inferior non imponit legem ſuperiori, ſed ſuperior inferiori. Sed auctoritas & poteſtas domini Papæ eſt ſuper auctoritatem & poteſtatem omnium doctorum talium, immo omnium Apoſtolorum aliorum a Petro

(a) Ib. pag. 22.

Poteſt condere contra dicta Patrum.



tro. Ergo ipſe poteſt eis legem imponere, non ipſi ſibi. Sed dices Chariſſime tu, videris tibi contradicere: nunc dicis, quod ſua poteſtas eſt ſuperior poteſtate cæterorum Apoſtolorum a Petro. Ergo ſi ratio tua concludit, hic ipſe poterit condere canones contra dicta per Paulum in epiſtolis ſuis, & contra quatuor evangeliſtas; immo fere contra totam ſcripturam ſacram cujus oppoſitum dicebas in prima concluſione. Reſpondendo dico, quod contra dicta omnium Apoſtolorum extra ſcripturam ſacram poteſt dominus Papa, quia ſic ſuperior eſt: ſed contra dicta contenta in Scriptura ſacra non poteſt non quia Pauli ſunt, ſed quia in ſcriptura ſunt, quæ neceſſario continet infallibilem veritatem, quæ a Spiritu ſancto eſt principaliter, a Paulo autem ſolum miniſterialiter, accidentario; ac attribuuntur prinpipali agenti, non miniſteriali: & ideo cum Spiritus ſanctus ſit ſuperior Papa, ſi faceret contra Spiritum ſanctum, aſſerere non eſt contradictorium. Idem dicendum de decretis fidei editis a conciliis œcumenicis & a Romanis Pontificibus (a).

Cur non poteſt contra dicta Pauli, ſiquidem Paulo gradum altiorem tenet.

In dictis Pauli principalis auctor eſt Spiritus S.

Et in decretis fidei editis a Conciliis & Pontificibus.

(a) Turrec. Summ. de eccl. l. 2. c. 109. Bell. de Rom. Pont. l. 4. c. 3.

Obiectio circa auctoritatem patrum.

Reſpondetur ſcientiam non ſufficere ad definiendum, ſed requiri auctoritatem.

Sed contra iſtam concluſionem inſto, ſicut inſtat Gratianus XX. di. c. Decretales epiſtolæ, & arguo ſic. Quanto quiſque magis utitur ratione, tanto majoris auctoritatis ejus verba videntur. Sed tales doctores, cum fuerint majori ſcientia præditi, magis ratione utuntur. Ergo dicta eorum ſunt dictis Romanorum Pontificum præferenda. Reſpondeo ſicut reſpondet Gratianus, qui quaſi reſpondet eodem modo quo dominus noſter loquitur in conſtitutione: dicit enim, quod unum eſt, quod ad definiendum aliquid ſcientia ſine poteſtate non ſufficit; & hoc ſatis patet, quia omnis lex debet habere virtutem coercitivam. Licet ergo tales doctores in ſcientia excellant; tamen quia talem poteſtatem, qualem Papa adepti non ſunt, ideo etſi forte in ſcripturarum expoſitione præferantur; tamen in cauſarum ſeu dubiorum definitione merito poſtponuntur. Quare Romanorum Pontificum determinatio eſt eorum determinationi merito præferenda.

LVI. Decreta, quæ non ſunt fidei, revocari poſſunt.

Quarta concluſio eſt, quod poteſt condere canones contra determinata per prædeceſſores ſuos, & contra determinata per ſe ipſum valde, rationabiliter plerumque, ſi ea nimirum non fuerint decreta fidei judiciaria, & hoc probo auctoritatibus, executione, & ratione. Primo auctoritate Eſther XVI. ubi dicitur ſic: Nec putare debetis, ſi diverſa jubeamus, exanimi noſtri venire levitate, ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, ut rei publicæ poſcit utilitas, ferre ſententiam; & extra de conſang. et affi. c. Non debet, dicitur ſic: Non debet reprenſibile judicari, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta varientur humana; & extr. de ſent. ex. lib. VI. c. Alma mater dicitur ſic: Alma mater eccleſia nonnulla plerumque rationabiliter ordinat & conſulte, quæ poſtmodum conſultius & rationabilius revocat; in meliuſve commutat ut dominus noſter in conſtit. Quia nonnunquam, dicit valde pulchre ſic: Quia nonnunquam quod coniectura profuturum credidit, ſubſequens experientia nocivum oſtendit, non debet reprehenſibile judicari, ſi canonum conditor canones a ſe vel ſuis prædeceſſoribus editos, vel aliqua in eiſdem contenta canonibus revocare, modificare, vel ſuſpendere ſtudeat: ſi ea obeſſe potius viderit quam prodeſſe. Probatur etiam hoc in di. v. Verum. Iſtud etiam confirmatur exemplo ſacræ ſcripturæ: conſtat enim quod Dominus mandavit exaltari ſerpentem æneum in deſerto, ut eum aſpicientes ſanarentur a morſibus ſerpentum, ſicut patet numer. XXI. quod tamen poſtea Ezechias Rex confregit, ſicut patet IV. Regum XVIII. quia filii Iſrael ſibi adolebant incenſum. Ex quo patet, quod illud quod eſt ex præcepto communi rationabili ordinatum, poſtmodum inſtinctu ejuſdem rationabilius revocatur; quia frequenter quod pro uno tempore fuit expediens, alio tempore reperitur nocivum. Iſtud etiam probo ratione ſic: Par in parem non habet dominium, extra de election. c. Innotuit, & prob. XXI. Inferior. Sed tantam poteſtatem habet unus ſummus Pontifex ſicut alius. Ergo conſtitutio primum facta non arctat alium, quin poſſit eam, ſi voluerit revocare. Confirmatur quia ſicut Imperator ad Imperatorem, ſic Papa ad Papam. Sed Imperator poteſt contra determinata per alium prædeceſſorem. Ergo, &c. Et ideo valde pulchre dicit dominus Bonifacius de r. p. c. ult. li. VI. quod licet Papa non poſſit ſuo ſucceſſori legem imponere, poteſt tamen quod ſibi licere non patitur ſuis ſucceſſoribus indicare. Ratio autem quare rationabiliter hoc poteſt facere, licet iſtud rationabiliter fuerit ordinatum, eſt iſta, quia ſecundum Dionyſium bonum conſtat ex omni cauſa, ita quod defectus unius circunſtantiæ debitæ ineſſe ſtatim ponit rationem mali, & ideo ſecundum philoſophum II. ethic. virtus conſiſtit in medio rationis: & quia aliud expedit uni quam alii uno tempore quam alio, & ſic de aliis circunſtantiis, omni enim negotio tempus eſt & opportunitas, ut dicitur eccleſiaſt. VIII. ideo frequenter ea quæ primo fuerunt rationabiliter ordinata, poſtmodum rationabiliter revocantur; maxime in agibilibus, in quibus non poteſt haberi infallibilis certitudo; quare, &c.

Sæpæ mutantur magna prudentia.

Probatur exemplo in veteri eccleſia.

Item a ſimili ex geſtis Regum.

Aptanda tempori conſilia.

Nunc ex iſtis elicio duo corollaria. Primum eſt, quod ex iſtis poteſt concludi evidenter, quod dominus noſter ea quæ continentur in illis conſtitutionibus, &c. potuit valde rationabiliter & ſalubriter ordi-

Probatur Joannis decreta juſte edita.

*dinare, quod probo ſtatim. In his quæ non ſunt contra fidem, bonos mores & ſacram ſcripturam, nec quatuor principalia concilia, poteſt dominus noſter condere canones & editos a ſuis prædeceſſoribus, prout expedies viderit, revocare. Sed nihil eorum, quæ in dictis conſtitutionibus continetur, eſt contra fidem, nec contra bonos mores, nec contra ſcripturam ſacram, nec contra quatuor concilia*, adde, ut dictum eſt, neque contra alia, quod ad decreta fidei attinet, neque contra ſanctiones Romanorum Pontificum in controverſo dogmate e Petri cathedra editas, *vel in ſcriptura vel in ſymbolo fidei de illis mentio non habetur, vel ſi habetur, ut puta de paupertate Chriſti & Apoſtolorum, magis ex ſcriptura habetur, quod ipſe determinat, quam ejus oppoſitum. Ergo quidquid in dictis conſtitutionibus ordinavit, potuit valde rationabiliter ordinare. Secundum corolloarium eſt, quod cum detrahentes ſacris canonibus, ut blaſphemi & Spiritui ſancto reſiſtentes, ut probatur* xv. *q.* I. *c. Violatores item anathematizati, vel ſaltem anathematizandi; item prævaricatores fidei catholicæ, ut probatur ibidem c. Generali decreto ſunt etiam tales, quod eis venia deinceps eſt deneganda, ut probatur ibidem c. omnia.* Ex his eniteſcit, ut cum non ſpectet ad fidem neque ad ſalutem neceſſario, cellas frumentarias vel vinarias habere, vel non habere, & ſummus Pontifex confirmandi abrogandive religioſos ordines, vel eorum diſciplinam conſtituendi polleat auctoritate; nullam hæreſim edita ſanctione, *Quorumdam exigit*, admiſiſſe; & ſi pſeudominoritæ hæreticum propterea Chriſti vicarium nuncuparint, ipſos veræ pietati deliria ſua prætuliſſe.

Neque vero ex his, quæ dicta ſunt, dicenturve adverſus hujuſmodi peſtiferos homines, qui a S. Franciſci inſtitutis defecere, ulla labes reliquæ Minoritanæ multitudini doctrina & ſantictate clariſſimæ, quæ partim in occidente praefocandis his hæreſibus ſedulam dabat operam, partim in oriente religionem propagabat, aſpergitur; ut nulla aliena Nitela egeat Franciſcana religio, quæ ſuo ſplendore nitet: & ſicut non detraxere Apoſtolorum collegio evangeliſtæ, cum in eo Judam proditionis in Chriſtum accuſarunt; neque putabit antiſtitum ordo, illatam ſibi injuriam, ſi aliquos epiſcopos magicæ impietatis crimine damnatos referant annales; nec ſummorum Pontificum violatur majeſtas, ſi aliquorum vitia perſtringantur; ita non deteritur ſacræ Minoritarum familiæ ſplendor, ſi ex ea aliqui hæretici emerſerint; cum in iis debellandis clariſſimos triumphos retulerit. Ut ergo exortos in reliqua eccleſia hæreſiarchas, quamvis patriarchali fulgerent apice, non tacet eccleſiaſtica hiſtoria, ita neque hæreticos in religioſis familiis emergentes ſilentio prætermittet. Sed de his ſatis: ad apoſtolica in excindendis erroribus ſtudia orationem revocemus.

LVII. Magi ad ſupplicium quæſiti.

Diſtringi eodem tempore juſſit Pontifex judiciorum ſeveritatem in Aymericum e Caſtro, atque alios in Carcaſſonenſi diœceſi hæreſeos nota aſperſos: (*a*) tum in nonnullos etiam magos, (*b*) qui veneficiis ad inferendam mortem, vel philtris ad homines mulierum irretiendos amoribus utebantur: conſulebant dæmones in ſpeculis: vocabant in circulos, cum ſuccubis ſive Dianis coibant; in quos etiam ſuperiori anno legibus agi cœptum vidimus. Invaluiſſe vero dæmonis cultum tempore hoc inſignis ejus ævi auctor (*c*) ſubiectis verbis queritur: *Adorare dæmonem, baptizare imagines, & talia ſunt valde gravia peccata, & modernis temporibus multum incipiunt pullulare. Valde rationabiliter poſſet eccleſia ſtatuere, quod talia facientes, etſi non haberent errorem fidei in intellectu, ſi facerent hoc præciſe propter aliquod pactum cum dæmone habitum velut hæretici punirentur; & forſitan expediret, ut propter gravitatem pœnæ homines a talibus arcerentur.* Non hæ modo peſtes emerſerant in occidente; verum etiam in ea Græciæ parte, quæ Latini ritus & juris erat, hæreſis ſuum virus diffuderat: quod ne latius ſerperet, Pontifex apoſtolico zelo incenſus Conſtantinopolitanum patriacham, archiepiſcopos, & epiſcopos orientales monuit (*d*), ut evellendis his zizaniis operam navarent: tum Achaiæ principem & Latini generis proceres, ut ſacræ fidei cenſoribus in contaminatis ea labe inſectandis ſtudio non deeſſent. Quo argumento Venetorum ducem, ut ſuam adhiberet in defendenda religione auctoritatem, eſt adhortatus (*e*).

(*a*) *An.* 2. *p.* 1. *ep. com.* 728.
(*b*) *Ib. ep.* 550. & *an.* 2. *p.* 2. *ep. com.* 378. 379.

Ut hoc tempore dæmonum cultus invaluerit.

(*c*) *MS. bibl. Vat. ſig. num.* 4869. *p.* 79.

Serpente in Græcia hæreſim excindi jubet Pont.

(*d*) *An.* 2. *p.* 2. *poſt ep. com.* 1436.

*Dilecto filio nobili viro duci Venetiarum.*

(*e*) *Ib. poſt ep. com.* 1436.

Scriptæ ad ducem Venet. lit. ut zelum ea in re explicet.

*In vinea Domini conſtituti ſuperna diſpoſitione cultores, ſpiritualem in illa culturam vigilantibus ſtudiis exercemus, inſtantia multæ ſolicitudinis vigilantes, ut in ea, fruge ſanctorum operum ſuccreſcente, nullius radiis amaritudinis convaleſcat. Ipſius quidem vineæ palmites fructuoſos peſtilentes hæretici peſtiferis morſibus præcidere molientes, fidelium animas tamquam animalia venenoſa conantur extinguere, illis virus mortiferum in aureo Babylonis calice propinando. Propterea nos qui vulpeculas parvulas voce ſponſi capere commonemur, ad extirpandam peſtem hæreticæ pravitatis eo ferventius ſtudium apoſtolicæ ſolicitudinis adhibemus, quo deſiderabilius concupimus, ut ubique cultus fidei catholicæ dilatetur.*

*Cum igitur dilecto filio priori provinciali fratrum ordinis Prædicatorum in*

*Græ-*



*Græcia dederimus noviter per noſtras ſub certa forma literas in mandatis, ut aliquos de ipſius ordinis fratribus ſibi commiſſis, quos ad hoc idoneos fore cognoverit, inquiſitores adverſus eoſdem hæreticos in partibus illis ſtudeat deputare; nobilitatem tuam rogamus & hortamur in Domino, ac per Dei miſericordiam obſecramus, tibique in remiſſionem injungimus peccatorum, quatenus diligenter attendens, quod nedum hæreticos, ſed receptatores, fautores, & defenſores eorum pœnis percellunt graviſſimis canonicæ ſanctiones; quoſlibet in dictis partibus Græciæ, tuæ ditioni ſubjectos, a quovis auxilio, conſilio, & favore hæreticis, fautoribus, receptatoribus, & defenſoribus, antedictis; nec non & Judæis qui contra fidei veritatem plura nefanda committunt, & religionis Chriſtianæ cultores perverſis corrumpunt dogmatibus, quomodolibet impendendo cohibens, abſtinere eis mandes diſtrictius & iniungas, ut inquiſitoribus, per provinciam deputandis eandem, ad exterminandum de partibus illis peſtem hujuſmodi, dictoſque Judæos pœna debita puniendum ferventer aſſiſtant, & auxilium efficax, opportunumque conſilium & auxilium largiantur; ut inquiſitores ipſi, hujuſmodi auxilii & favoris ſuffulti juvamine, in inquiſitionis negotio contra pravitatem eandem, ad divini nominis laudem & gloriam, utilius proficere valeant; ac tu & ipſi, præter mercedem retributionis æternæ, quam tua & ipſorum ſinceritas inde merebitur, noſtram & Apoſtolicæ ſedis valeatis benedictionem & gratiam uberius promereri. Dat. Avinione* VIII. *kal. auguſti anno ſecundo.*

Fautores hær. & Judæos, qui religionem impugnant, comprimat.

Nonnullæ Chriſtianorum uxores in oriente fidem deſerunt.

Pulſarant juſtis querelis ſedem Apoſtolicam patriarcha Conſtantinopolitanus, atque alii in oriente epiſcopi Latini, quos lucrandarum Chriſto animarum zelus urebat, nonnullas fœminas, quæ abiuratis erroribus, catholicis thoro junctæ fuerant, tum in Græcorum, tum etiam Tartarorum imperio poſtea, fide turpiſſime prodita, ad priſtinos errores deflectere. Ad quod tollendum malum Joannes Venetorum, Genuenſium, & Piſanorum magiſtratibus, qui illis in regionibus verſabantur, apoſtolica auctoritate ad coercendam illarum mulierculaum levitatem juſſit incumbere.

XVIII. Propoſitæ indulgentiæ, qui ſubveſpertino crepuſculo ter Angelicam orationem recitant. Ampliſſima Deiparæ elogia.

Hoc denique anno ad incendendam in Deiparæ cultum fidelium pietatem, cum pius mos in Xantonenſi eccleſia ſuſceptus eſſet, ut vergente in noctem die campana ad præmonendos fideles, ut ſalutatione angelica Virginis ſuffragia implorarent, pulſaretur; Pontifex decem dierum indulgentiam iis, qui pie ter eam orationem flexis genibus funderent, ſi vere eos criminum pœniteret, conceſſit (*a*). Quæ vero de matre Dei encomia in iis literis exararit, præteriri a nobis non potuerunt: *Quam pium*, inquit, *quam debitum & jucundum exiſtit, laudibus Virginis glorioſæ Dei genitricis inſiſtere, dignis ſibi jubilare præconiis, & myſticis eam muneribus honorare; plene devota mens conſpicit, quæ ad laudem & gloriam Redemptoris quidquid genitrici honoris impenditur pertinere ſummæ devotionis ſpiritu intuetur. Huic namque divinis & angelicis laudatæ præconiis, ab angelo venerabiliter atque officioſiſſime ſalutatæ, in mulieribus benedictæ, gratia plenæ; quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam, non deſinat humana lingua cantica laudis exolvere, & ſpiritualis muneris impendere famulatum. Huic humana devotio, quod nequit, vocis & cordis deſideriis exequatur, ut quæ ſuper choros angelorum ultra omnem humanitatis naturam meruit exaltari, pro nobis apud Redemptorem noſtrum ad Patris dexteram reſidentem jugiter intercedat, &c. Dat. Avin.* III. *id. octobris anno* III.

(*a*) *An.* 3. *p.* 1. *ep. com.* 50.

Reſti-

I. REſtituta eſt Poloniæ intermiſſa regia dignitas anno a partu Virginis ſupra milleſimum trecenteſimo decimonono indictione ſecunda, ut eo auguſtiore titulo inſignita vires adverſus Tartarorum, Lithuanorum, Rhutenorum, aliorumque barbarorum excurſiones confirmaret, ac religionem Chriſtianam tueri facilius, & felicius propagare poſſet. Vocabatur communibus Polonorum votis ad regium apicem Vvladiſlaus Loktekus Vvladiſlaviæ, Cracoviæ, aliarumque provinciarum dux, ditionis amplitudine, populorum numero, opum magnitudine inter eos florentiſſimus; decretique ſunt a publicis ordinum comitiis oratores ad ſedem Apoſtolicam, qui ab ea precibus contenderent, ut regio faſtigio Vvladiſlaum ornaret. At Boemiæ Rex Joannes ſuam dignitatem infringendam ratus, ſi Poloni regium decus recuperarent, oratores ad rem diſcutiendam miſit, nonnulla in Poloniam jura obtendens, quæ cum æquitate non niti contenderent Poloni, atque Vvladiſlaum ſucceſſione principatum adeptum, Pontifex ut utriſque conſuleret, beneficium diſtulit, ac Gneſnenſem archiepiſcopum atque epiſcopos ſuffraganeos certiores fecit (*a*), Polonorum jura ea mora non labefactatum iri.

De reſtituenda Poloniæ regia dignitate agitatum.

Vvladiſlaus Lokte-cus Rex deſignatur

Pontificia ad id expetita auctoritas.

(*a*) *An.* 3. *p.* 1. *ep. cur.* 165.

*Venerabilibus fratribus archiepiſcopo Gneſnenſi ejuſque ſuffraganeis.*

II. *Dudum venerabilis frater noſter Geribardus epiſcopus Vvladiſlavienſis, veſter & dilectorum filiorum abbatum, monaſteriorum, priorum Prædicatorum, & guardianorum Minorum ordinum, & conventuum eorundem; nec non & capitulorum, eccleſiarum, ac nobilium virorum, ducum, comitum, baronum, ac univerſitatum, civitatum, & caſtrorum per regnum Poloniæ conſiſtentium, nuntius ad hoc ſpecialiter deſtinatus, ad præſentiam noſtram accedens, nobis veſtras & eorum literas præſentavit, per quas apoſtolatui noſtro inter cætera ſignificare curaſtis, quod ab olim poſt obitum bonæ memoriæ ... Regis Poloniæ, qui tunc erat, ſeditionibus & diſſidiis, ac guerrarum diſcriminibus inteſtinis inter ipſius habitatores regni peccatis exigentibus ſuſcitatis, regni ſtatus ejuſdem, quod ſolebat florere divitiis, tam propter hoc, quam etiam propter crebros Tartarorum, Lithuanorum, Rutbenorum, & aliorum paganorum incurſus, qui Polonorum gentem quaſi novellam in fide captivam, diverſis vicibus abducentes, in miſerabilem redegerant ſervitutem, & lumine fidei derelicto in noſtri contumeliam Redemptoris idololatriæ ſervire cogebantur; nec non & propter occupationes diverſarum ejuſdem regni partium & locorum, defenſore carentis, quæ nonnulli alienigenæ violenter invaſerant, erat graviſſima depreſſione collapſus; in eccleſiis vero, monaſteriis, & aliis Deo dicatis locis, fidelium devotione conſtructis, in quibus devotis laudibus colebatur Omnipotens, cultus divini nominis neglectui tradebatur; quorum aliqua ſpeluncæ latronum effecta, aliqua ſolitudini derelicta & multa ipſorum ruinæ vaſtitatibus ſubjacebant; adjicientes nihilominus in literis ſupradictis, quod niſi per ſedis Apoſtolicæ providentiam circumſpectam ſuper his occurreretur celeriter de remedio opportuno, vereſimiliter poterat formidari, ne terra ipſa ad exinanitionem irreparabilem deveniret; propter quod tam vos, per epiſcopum & literas ſupradictas, quam idem epiſcopus per ſe ipſum cum multa nobis inſtantia ſupplicaſtis, ut cum regnum prædictum eſſet nobis & eccleſiæ Romanæ nullo mediante ſubjectum, & in ſignum ſubjectionis hujuſmodi, cenſus, qui denarius beati Petri vocatur, nobis & eidem eccleſiæ annis ſingulis deberetur; ejuſdem regni fidelibus aperientes viſcera pietatis, & eorum calamitatibus, ac preſſuris paterno compatientes affectu, & illud clementis propitiationis oculis intuentes, de tali Rege provideremus eiſdem, qui ſe patenter exemplum oſtenderet, qualiter ſubditos oporteret per juſtitiæ ſemitas ambulare: quique in potentia virtutis Altiſſimi dirigeret in directa, inſolentes reprimeret, reſtauraret deperdita, dictumque regnum tantæ calamitatis anguſtiis, quibus ſubiicitur, inceſſanter Deo auxiliante ſubductum, ſtatum reſumeret quietis, & dulcedinis primitivæ; dilectum filium nobilem virum Vvladiſlaum Cracoviæ, Sandomiriæ, Syradiæ, Lancitiæ, Cujaviæ, regnique Poloniæ, ac terræ Pomeraniæ ducem, & heredem & etiam poſſeſſorem; ſtrenuitate ſublimem, induſtria providum, militia ſtipatum, multitudine vaſſallorum onuſtum, divitiis, munitionibus, & fortelitiis præpotentem, promovendum per nos in Regem Poloniæ concorditer nominando; ſupplicantes inſtanter ut præfatum ducem in Regem dignaremur ipſius regni Poloniæ de benignitate apoſtolica promoveri, & coronari diademate regio mandaremus.*

Geribardus epiſc. orator ad Jo. miſſus.

Oborta ex Regum intermiſſione mala.

Confugiendi ad Rom. Pont. neceſſitas.

Polonia ſedis Ap. beneficiaria.

Vvladiſlai jura.

III. Polonicæ cauſæ ratio.

*Quia vero vobis ex præmiſſis firmæ ſpei fiducia ſuggerebat, quod præfatum regnum, per promotionem hujuſmodi ad virium ſuarum potentiam reſtauratum, fortius dictorum paganorum prævaleret incurſibus, & facilius peſtiferos conatus reprimeret eorumdem, ubertate pacis cultu ſervato juſtitiæ frueretur, libertas eccleſiaſtica ex præmiſſis diſſidiis conculcata ſuum reſumeret Deo propitiante, vigorem; eccleſiaſticæ dicti regni perſonæ, etiam eccleſiis eorundem ab oppreſſionibus relevatis, poſſent vacare commodius circa cultum divini nominis ampliandum; ipſiuſque regni fideles in divinis beneplacitis proſequendis, & ejuſdem eccleſiæ Romanæ, quam ipſi matrem eorum, & dominam recognoſcunt, fidelitatis & devotionis firmius ſtabiliri conſtantia; prædictos epiſcopum & literas benigne recepimus, & ea, quæ idem epiſcopus ſuper ejuſdem promotione ducis proponere voluit coram nobis, libenter audivimus, dictarumque literarum tenorem cum multa jucunditate proſpeximus diligenter.*





IV. *Demum autem chariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Regis Boemiæ illuſtris ſupervenientibus nuntiis, per eos apoſtolatui noſtro fuit humiliter ſupplicatum, ut cum eidem Regi jus in dicto Poloniæ regno competeret, quod ſe offerebant ſuo loco & tempore probaturos, abſtinere ab ipſius promotione ducis Poloniæ dignaremur. Sed idem epiſcopus poſt nuntiorum ipſorum inſtantiam ſicut prius, crebris vicibus contrarium certitudinaliter affirmando, propoſuit quod Rex præfatus nullum in dicto regno Poloniæ jus proprietatis ſeu poſſeſſionis ſibi poterat vendicare, cum plenum jus prædicto duci tanquam ipſius regni domino naturali & hæredi legitimo, cui ſucceſſio jure naturæ a ſuis progenitoribus debebatur, in regno competeret ſupradicto, pro hujuſmodi ſæpedicti promotione ducis tam pro parte veſtra, quam per ſe ipſum ſuppliciter inſiſtendo. Nos igitur volentes unicuique jura ſua ſervari, ab hujus promotione petita ad præſens providimus abſtinendum, non intendentes per hoc juri veſtro & aliorum ſupplicantium prædictorum præjudicium aliquod generari, quin illo ſic uti, ſi, & quando vobis expedire videbitur valeatis, quod tamen cujuſvis alterius non lædatur. Dat. Avinione* XIII. *kal. ſeptembris anno tertio.*

Obtendit Boemus in Poloniam jura

Negat Geribardus æquitate illum niti Definiendæ controverſiæ dies extracta. Data Polonis ſuo jure utendi auctoritas.

V. Intellexere ex his, tum Gerardi epiſcopi, cui Pontifex ex arcano mentem aperuerat, literis Poloni, quid ſibi agendum incumberet. Proximo itaque ineunte anno regii faſtigii honos apud eos revocatus (*a*), ægre admodum rem ferente Joanne Rege Boemiæ. Ex ea vero occaſione Polonos ad veteres titulos inſtaurandos excitatos ferunt: Joannes Boemus a Vvernero Pruſſiæ magiſtro excitus, ut Prutenis olim ab Othogaro clientelæ nomine Regibus Boemiæ addictis contra Lithuanos Polonorum fœderatos auxilio eſſet erepta in Pruſſia Polonis Dobrina, ac Vvladiſlavienſi ditione ſubacta, ac mox utraque in Vvernerum transfuſa, in Lithuaniam irrupit, Pomeraniamque juris Polonici provinciam cruciferis attribuit, regioque confirmavit diplomate: querenteque de illata injuria Vvladiſlao Lokteko, reſpondit ſe Poloniæ Regem eſſe, illum autem principem; plus vero dignitatem regiam, quam principalem, in jure ſuo vindicando pollere. Perculit ea vox Vvladiſlaum ac reliquos Polonos, qui ne Boemis inferiores eſſent, regiam coronam a ſede Apoſtolica popoſcerunt. Perſtringit Romanum Pontificem Dubravius (*b*), creato Poloniæ Rege Imperatoris partes ipſum ſibi vindicaſſe: ſed nulla certe Cæſaris injuria id factum fuiſſet, cum Polonia imperio non eſſet obnoxia; quidni enim apud Polonos Pontifex regiam poterat revocare dignitatem, qui jam ante illam apud Ungaros, Armenos, Ruſſos, Bulgaros, Lithuanos, & alios, de quibus ſparſa in Baronianis & noſtris Annalibus exempla repetere opus non eſt, cum ipſum etiam imperium reſtituiſſe occidenti conſtet, quæ jure facta docent pluribus theologi, qui temporalem poteſtatem eccleſiaſticæ ſubjectam probant (*c*). Adde imperialem, auctoritatem, quæ ad hoc non erat neceſſaria, viduato ob Ludovici Bavari & Friderici Auſtriaci diſcordem electionem ſuo principe imperio, penes Romanum Pontificem fuiſſe: qua etiam Joannem uſum conſtat veluti in Rambaldi comitis ac Tarviſinorum cauſa, cum Henricus Goritiæ comes, Canis Scaliger præfectus Veronenſis, Ugucio Fagiolanus magiſter militum, & Guecellus e Camino inita armorum ſocietate extremo ſuperiori anno Tarviſium obſidione cinxiſſent (*d*), delatum a Tarviſinis patrocinium ſuſcepit; utpote in quem imperialis auctoritas ad injuſte oppreſſos a potentiorum tyrannide vindicandos interregni tempore devoluta eſſet, ut ipſemet his verbis profitetur in literis (*e*) ad Atrebatenſem & Bononienſem epiſcopos, & Aymericum archidiaconum internuntios apoſtolicos datis.

(*a*) *Matth. Michov. l.* 4. *c.* 9. *Chron. l.* 11. *Dubr. hiſt. Boem. l.* 20

Inſtaurandæ regiæ dignitatis cauſa.

De Joanne Reg. Boem.

Dorbrina & Vvladiſlaven. ditio ab eo ſubactæ

Irrumpit in Lithuan. Pomeraniam juri Polonici Vvernero attribuit.

Querenti Vvladiſlao inſultat.

(*b*) *Dubr. ſupr. l.* 20.

Refellitur Dubravii dicterium in Pontificem.

(*c*) *Palud. de ecclesiaſtica poteſtate MS. bibl. Vat. ſign. num.* 4109. *Aug. Triumb. de poteſt. eccl. q.* 38. *art.* 6. *Alc. de S. Elpid. tractat.* 2. *c.* 3. *Turrec. ſum. de eccl. l.* 1. *c.* 90. *Card. Bellar. de Rom. Pon. l.* 5. *c.* 7. *& aliis.*

Tarviſinii a Scaligero & fœderatis bello appetiti.

VI. *Attendentes*, inquit, *quod imperii Romani tempore, quo illud vacare contingit, ſicut tunc vacabat, & adhuc vacare dignoſcitur, regimen, cura, & adminiſtratio; necnon & defenſio fidelium ejuſdem imperii oppreſſorum, ac punitio ſubjectorum eorundem cum ad alium præterquam ad Rom. Pontificem recurſus haberi non poſſet, ad nos pertinebat, ſicut dignoſcitur pertinere; ac inſuper comiti Goritiæ, Cani, Uguitioni, & Guecello ſupradictis & quibuſlibet aliis de præfato Rambaldo comite & communi Terviſino, ac ſingulis de ipſo communi conquerentibus offerentes liberaliter exhibere, & nihilominus per vos fieri mandantes juſtitiæ complementum; vobis per noſtras ſub certa forma literas dedimus in mandatis &c.* Addit Joannes ſe memoratis internuntiis dediſſe imperia, ut Scaligerum ac fœderatos inten-

(*d*) *Cortuſ. l.* 2. 4. *Bonifac. hiſ. Tarviſ. l.* 8.

Suſcipit eorum clientelam Pont.

(*e*) *An.* 3. *p.* 3. *ep. cur.* 110.

Adminiſtratio vacantis imperii ad Pont. ſpectat.

tata cenſurarum religione ab inferendo Tarviſinis eorumque prætori Rambaldo comiti bello ſibi temperare juberent: ac ſi iterum illi obſidionem, quam ſolviſſe acceperat, adverſus Tarviſium deſignant, cenſuras iis incuti jubet. Tum Paganum Turrianum epiſcopum Patavinum, cui Albertinus Muſſatus ſuam de geſtis Italorum hiſtoriam inſcripſit, deſignatum patriarcham Aquilejenſem monuit (*a*), ne ex patriarchali ditione ſubſidia ab hoſte inferri pateretur. Illum quidem Tarviſinis amicum fuiſſe, refert Bonifacius; (*b*) ſed ex equo in terram alliſum brevi interiiſſe: imploraſſe vero Tarviſinos pontificiam opem ait. Verum cum hoſtes, profeſſi ſe imperii jura tutari, cenſuras eccleſiaſticas ſpernerent, diuturno Tarviſini bello attriti ſunt a Scaligero, donec ii interprete Goritiæ comite Friderici Auſtriaci deſignati diſcordibus ſuffragiis Regis Romanorum clientelæ ſe commendarunt (*c*). Quam ob rem exaſperatus Scaliger cum Friderici æmulo Ludovico Bavaro fœdus junxit: atque ita Germanicæ diſſenſiones inter cæſarei nominis ſtudioſos irrepſere. Gibellinæ porro factionis ſplendidum nomen aucupabantur multi, ut eo fuco latrociniorum turpitudinem colorarent.

(*a*) *Ib. ep.* 108.
(*b*) *Boniſ. hiſt. Tarv. l.* 8.
Tarviſini a Scalig. bello attriti. Regis Romanor. clientelæ ſe commendant.
(*c*) *Cortuſ. l*2. *c.*4.

VII. Recinetenſium perduellium ſcelera.

Inter hos in Piceno Recinetenſes, in Amelium provinciæ præſidem coniuratione inita (*d*), excitis Auximanis, impetu facto in pontificios adminiſtros, trecentos ferro concidere: eos qui cum pontificiis ſenſerant, detruſere in carceres, ac liberos ſummo furore enecarunt: rapuere virgines, coniuges violarunt, ſanctimoniales ſtuprarunt, epiſcopum & clerum pepulere (*e*), eorum bona diripuere, urbiſque adminiſtrationem in Fridericum comitem Montisferetri Gibellinum contulere (*f*). Inter conjurationis & latrocinii principes (*g*) erant Lippatius & Andreas e Gonzelina ſtirpe, Auximani patritii qui nefarios quoſque in ſuam ſocietatem adſciverant quam, ut flagitium pietate colorarent, B. Virginis ſodalitium nuncupabant. Inter cæteras autem leges, quas ſuis præſcripſerant, ea erat, ut ſine ullo pœnæ metu quoſque eccleſiæ partium neci traderent, maxime eos, qui in Romani Pontificis gratiam verba feciſſent. Cum vero plerique cenſuras eccleſiaſticas contemptu ſacrilego eluderent, Pontifex legatum in ipſos judicio hæreſeos agere, ac pœnas ſtatutas in hæreticos diſtringere juſſit (*h*). Fridericus præterea Montisferetri comes Recinetenſium, Auximanorum, & exulum Æſinorum ſe ducem dixit, atque ad novum principatum in ruinis eccleſiæ excitandum Spoletanos Gibellinarum partium ſubornavit (*i*), ut correptis armis Guelphos pellerent, atque in ipſum urbis transfunderent dominatum.

(*d*) *An.*3. *b.*1. *pag.* 160. 161. 192. 193.
(*e*) *An.*3. *p.*1. *ep. cur.*160.
(*f*) *Ib. ep.* 185.
(*g*) *Ib. ep.* 170.
Impia ſocietas B. Virginis nomen ſibi aſciſcit.
(*h*) *An.*3. *p.*1. *ep. cur.* 201.
Fridericus comes perduellium dux.
(*i*) *Jo. Vil. l.*9. *c.*103.
Spoletanos in ſuas partes allicit.

VIII. Magni in Inſub. Guelph. & Gibell. motus.

Exagitabant eædem Guelphorum Gibellinorumque furiæ Inſubriam: ad quam pacandam Bertrandum tit. S. Marcelli presbyterum Cardinalem A. S. L. x. kal. aug. miſit (*k*), ampliſſimis inſtructum mandatis. Cremona (*l*) proditione a Giberto Corregia & Brixianis capta in Guelphorum imperium conceſſit, quæ urbs olim florentiſſima opibus, ob inteſtinas ſeditiones veterem ſplendorem amiſerat: Ticinum ad Guelphorum & eccleſiæ partes ſpectabat, ni Iſnardus patriarcha Antiochenus eccleſiæ Ticinenſis adminiſtrator acceptorum a ſede Apoſtolica beneficiorum immemor obſtitiſſet. Diſtrinxit itaque in eum Joannes anathematis ſententiam (*m*) ipſumque omni dignitate exuit, cum nimirum graviſſimis ſacrilegiis, cædibus, rapinis, incendiis, perjuriis, aliiſque ſceleribus ſeſe inquinaſſet: Gibellinis partibus ſe implicuiſſet, addictos Romano Pontifici ſæviſſime inſectatus eſſet, invaſiſſet aliena virorum nobilium bona; bellumque contra dignitatis pontificiæ decus iniuſte moviſſet, in quo graviſſima ſcelera fuerant patrata, incenſa templa, profanatæ aræ, cædes editæ, prædæ abactæ: ſæpius etiam in iis locis, quibus præerat, Guelphos ab excubitoribus ad mortem inſanis vocibus depoſci non modo tuliſſet æquo animo, verum etiam vultum ad eas voces ad hilaritatem porrexiſſet: cumque Ticinum eo tempore, quo a Guelpharum partium magiſtratibus adminiſtrabatur, defeciſſet ad Gibellinos, ac nonnulli cives, qui eam defectionem inique ferebant, in ſpem erigerentur, auxilia Roberti Siciliæ Regis affutura; ille inter auguſtiſſima miſſæ ſolemnia, dum ad populum concionem habebat, ſcelerate pronuntiarat, dandos neci illos, qui ſpem auxilii Roberti Regis iniicerent; adieceratque illos, qui hujuſmodi viros e medio tollerent, a ſe omnis noxæ religione liberandos. Denique vocatus ad ſedem Apoſtol. ut ab impoſitis criminibus ſe purgaret, cum inſignis perjurii convinceretur, mutata veſte, ſe proripuit, atque ad pontificiam aulam redire juſſus imperia reſpuit: quare obfirmatum in pertinacia virum Pontifex hac ſententia perculit.

(*k*) *An.*4. *p.*1. *ep. cur.* 145
(*l*) *Id. ib.* §. 4.
Cremona in Guelph. poteſtatem redacta.
(*m*) *Ib. ep. cur.* 195.
Iſnardus patriarcha rebellat.
Accerſitus in judicium.
A pontificia aula aufugit.

*Ipſum contumacem merito reputantes, in nomine Domini cum Apoſtolo tantam inobedientiam & irreverentiam ulciſci, exceſſuſque ſic deteſtabiles ſic enormes, ſicut etiam noſtri debitum expoſcit officii, diſciplina debita caſtigare volentes, ne ipſorum impunitas auſum in aliis pariat, & auſus exceſſum; in Iſnardum prædictum, qui omni honore, dignitate, atque adminiſtratione adeo reddidit ſe indignum, de fratrum noſtrorum conſilio perpetuæ depoſitionis ſententiam promulgamus, eum-*

*que*



*que tam a patriarchali quam pontificali, & omni ſacerdotali & clericali privantes officio, condemnamus; ac corpus ejus dantes ſathanæ, ut ejus ſpiritus ſalvus fiat, in ipſum excomunicationis ſententiam promulgamus. Nulli ergo, &c. Dat. Avinione* III. *kal. aug. anno* III.

Patriarchali munere dejicitur.

IX. Intentavit etiam cenſurarum terrorem Pontifex (*a*) Philippo Sabaudæ regiæ principi, qui Florentinorum oratores ad aulam pontificiam accedentes non ſine iniuria ſedis Apoſtolicæ interceperat: ac Taurinenſi epiſcopo, niſi ab evoluto menſe reſtituerentur libertati, provinciam dedit, ut Taurinum & alia loca, in quibus tenerentur in vinculis, eccleſiaſtico interdicto ſupponeret. Sæviebat in eos Philippus Guelpharum partium odio, cum Florentini Roberto Regi, a quo diſſentiebat, ſtuderent. Et ſane egregias illi auxiliares copias in Genuenſi obſidione periclitanti ſubmiſere (*b*): quibus claſſi impoſitis, cum ſemeſtri integro Gibellinorum copiis circumſeptus eſſet, exſcenſione in portu, cui Sextus nomen eſt, facta in hoſtem magno impetu irrupit, ipſumque fudit. Qua parta victoria, Richardo Gambateſta Abrutino cum præſidiario milite Genuam dimiſſo, cum quadraginta triremium claſſe Avinionem ad Pontificem ſe contulit (*c*). Captata Roberti Regis receſſus occaſione, Genuenſes (*d*) exules vires collegere, ac viginti octo triremium claſſem præfecto Conrado Auria inſtruxere, noviſque copiis ex Germanis & Inſubribus comparatis, Genuam obſidione tentarunt: in qua plurima hinc inde illata acceptaque clades.

(*a*) *An.*4. *p.*1. *ep. com* 105.
Florent. oratores capti.
Pont. pro iis liberandis ſtudium.
Roberti Regis de Gibel. Genuen. victoria.
(*b*) *Jo. Vill. l.*9. *c.*94. & 96. *Ant.*3. *p. tit.* 21. *c.*4. §. 3.
Avenion. ad Pont. ſe confert.
(*c*) *An.*2. *p.* 2. *ep. com.*372.
*Jo. Vill. l.*9. *c.*97.
(*d*) *Id. c.* 98. & *Ant. ubi ſup.*

X. Non inteſtino modo in Italia, verum etiam externo in oriente bello impliciti erant Genuenſes: quo ipſos inter atque Henricum Cypri Regem conſurgente, cum extrema rei Chriſtianæ in oriente calamitas impenderet, Pontifex ad illius ſemina præfocanda, cum accepiſſet Genuenſes claſſem ad invadendam Cyprum acceptaſque ulciſcendas iniurias apparare, miſſis apoſtolicis nuntiis, apud eos inſtitit (*e*), ut cœptis abſiſterent: permiterent ſuas iniurias ſedi Apoſtolicæ: illam partes pontificias adeo ſolerter adhibituram, ut illata damna ſarcirentur, ipſorumque dignitati conſultum foret: moxque Henrico Regi ſignificavit, ut operam ſuam ad avertendos ab infeſtando ipſius regno Genuenſes, cum ſe ad bellum pro exigenda iniuriarum ultione compararent, collocaſſet: proinde ad propulſanda imminentia pericula, & pacandos quos læſerat, ſolicitavit. Cyprio vero Rege ſuos oratores mittente, ut in Pontificem, uti fidiſſimum arbitrum, compromiſſum ederent; diſcutiendi utriuſque partis juris Joannes provinciam non admiſit, cum aliorum negotiorum mole premeretur. Sed adhibitis in conſilium viris prudentia conſpicuis ſanxit, ut illata utrinque damna ſarcirentur, priſtinæ ii libertati immunitatique in inſula Cypro reſtituerentur, illatæ iniuriæ venia & oblivione delerentur, mancipati vinculis in libertatem aſſererentur, quæ erepta conſtaret ſine forenſi ſtrepitu redderentur: ad ea vero quæ juris ambigui viderentur, illuſtranda mitteret ad Genuenſes virum prudentia & auctoritate inſtructum, ut ea ſine judicii contentione dirimerentur: viciſſimque Genuenſes e ſuis alium pari induſtria & poteſtate auctum dirigerent ad ea, quæ in Cyprio regno in diſceptationem caderent, dirimenda. Si vero deſignati arbitri inter ſe diſſentirent, rem totam ſedis Apoſtolicæ judicio permitterent, ut quod ſuaderet æquitas ſervandæ mutuæ inter ipſos amicitiæ ſtudio definiret. Contendit demum Pontifex precibus ab Henrico ut ſuos ab inferenda ulla Genuenſibus injuria contineret, pacique ſanciendæ ſe accommodaret, & quæ ſedes Apoſtolica ſtatuerat religioſiſſime ſervaret: exploratum vero haberet, ſe illam partem ſtudiis ſuis promoturam, quæ hujuſmodi apoſtolico decreto paruiſſet. At ne interim novæ repullularent diſſenſiones, annuas inducias Cypriis ac Genuenſibus imperavit, quas a Nicoſienſi archiepiſcopo in Cypro; in Liguria a Catanenſi epiſcopo & Saonenſi præſule deſignato promulgari juſſit (*f*) atque anathema ſeu Liguribus ſeu Cypriis nova moturis bella intentavit; de quibus extant hæ ad Cyprium Regem literæ (*g*).

Genua a Gibell. iterum oppugnata. Inter Genuen. & Cyprios vetus bellum.
(*e*) *An.* 3. *ep. com.* 1038.
Genuenſes, ut ab inſtruenda claſſe abſiſtant hortatur Pont.
Delectus Pont. controverſiæ arbiter.
Nonnullas concordiæ leges ſtatuit
(*f*) *Ib. ep.* 1137.
(*g*) *An.*3. *ep. com.* 1045.
Henricum Cypri Regem ad illas ſervandas hortatur.

*Chariſſimo in Chriſto filio Henrico Regi Cypri illuſtri.*

*Quam ſit utile tibi, fili chariſſime, cum omnibus Chriſti fidelibus & præcipue cum dilectis filiis communi & populo Januenſi in pacis unitate convenire; quam ſit periculoſum cum talibus diſcordiam enutrire, regni tui diſpoſitio indicat, & balſphemorum crucis, qui ad tuas jugiter aſpirant iniurias, vicinitas manifeſtat. Licet igitur ex cujuſdam ordinationis tractatu, inter te & ſubditos tuos ex parte una & præfatum commune & ſingulares perſonas illius ex altera perſiciendæ nuper habito, ſicut per noſtras literas magnitudini regiæ clare & ſerioſius intimamus, inter te & ſubditos tuos & eoſdem Januenſes, ſi votis apoſtolicis cum efficacia operis exhibeas aurem cordis ſperemus ſoliditatem (dante Domino) plenæ concordiæ proventuram; ne tamen (quod abſit) interim ex qualicumque ſcintilla diſcordiæ quævis utrinque exerceatur hoſtilitas, neve dictis blaſphemis unquam machinationis janua pateat, ſi cujuſlibet ſortis dubiæ auferatur eventus; cum ad nos, qui (licet immeriti) vices*



*Re-*

*Regis pacifici gerimus, ſingulariter pertinere noſcatur in uniniverſali eccleſia totaque congregatione fidelium pacem quærere, & eam diligentius facere obſervari; de fratrum noſtrorum conſilio inter te & ſubditos tuos prædictos & præfatum commune & ſingulares perſonas ipſius uſque ad unum annum a die receptionis præſentium numerandum, treuguas indicimus, a vobis hinc inde inviolabiliter obſervandas: ut interim (auxiliante Deo) quantocius ſedetur utrinque diſcordia, & per commoditatem medii operationis, ac per efficacem obſervantiam ordinationis prædictæ pax invicem ſolidetur; celſitudini tuæ & ſubditis regni tui, & præfatis communi & populo & ſingularibus perſonis ipſius, quibus ſuper hoc ſimiles literas deſtinamus, ſub excommunicationis in ſingulares perſonas, & interdicti in regnum tuum & in civitatem prædictam pœnis & ſententiis, quas in non ſervantes vel violantes treuguas eaſdem ex nunc ferimus, diſtrictius iniungentes, ut dictas treuguas recipere & ſervare, & recipi & ſervari facere per dictum annum involabiliter ſtudeatis; non obſtantibus quibuſcumque privilegiis tibi, fili, & prædictis Jannuenſibus ac quibuſcumque aliis ab Apoſtolica ſede conceſſis, &c. Dat. Avin. II. kal. auguſti anno III.*

Inducias ad annum indicit.

Obiectæ fœdifragis pœnæ.

XI. Nec Cyprus modo, verum etiam Rhodus diſſenſionibus non carebat: ad quas ſopiendas, ne rei Chriſtianæ afferrent exitium, abdicante ſe juſtis ex cauſis ſummi Hoſpitalariorum equitum magiſtri munere Fulcone Villareto, & Mauritio Pagnaco æmulo exauctorato, ſollicitus Pontifex transfundendæ in eum dignitatis, qui pares tanto oneri virtutes haberet, Franciæ, Toloſæ, Campaniæ, Alverniæ, Caſtellæ, ac Legionis, Portugalliæ, Navarræ, & Venetiarum priores, qui in aula pontificia verſabantur, excivit ut ipſorum in re dubia conſilium exquireret: cumque in ſanctiore Cardinalium conſiſtorio illi ſeorſim inter ſe de eo contuliſſent, qui regimini admovendus videretur, unanimi conſenſu in Helionum, qui tum vitæ religioſæ pulcherrimis exemplis fulgebat, tum præclara adverſus Saracenos belli facinora explicuerat, ſuffragia coniecerunt: cumque vota Pontifici aperuiſſent, illorum adductus precibus, quem deſignarant, gerendo muneri præfecit, atque ad illud capeſſendum apoſtolicis literis inſtruxit (*a*).

Helionus Rhodior. equitum magiſter creatus.

(*a*) *Ib. ep. com.* 884.

XII. In Græcia ſocietas Catalana, quam omiſſo Turcico bello in Gallici generis reliquias, quæ Achajæ inſidebant, arma vertiſſe jam ante vidimus, ut latius limites proferrent, Gualterum Athenarum ducem infeſtis ſignis petiere. Quam rem graviſſime accepit Pontifex, fideles ab ea ſocietate infeſtari, quos Latinarum partium ſtudio tueri, debuiſſet; ac ne muneri deeſſet Athenarum ducatus clientes, atque Argolicenſes excitavit (*b*), ut adverſus hoſtes colligerent animos ac vires, nec Gualtero duci deeſſent: eoque argumento Gualterum e Fincherolis Argorum præfectum, alioſque nobiles ad retundendos hoſtiles conatus accendit. Addictæ erant eæ fœderatæ cohortes clientelæ nomine, ut regia auctoritate tutæ eſſent, Regi Friderico. Quem hoc anno a Tunetano Rege, qui regno Bugiæ Rege Arabum opera pulſus fuerat, ad expeditionem Africanam ſolicitatum magno auri pondere ferunt (*c*): cum obſeſſus barbarus majore auri vi Fridericum ſibi conciliavit; qui ita emunctis ab utroque barbaro ingentibus opibus obſidionem ſolvit, Bugiæque Rex Tuneto, quo ab altero primum fuerat rejectus, potitus eſt. Fridericum porro cenſum pro regno Trinacriæ perſolviſſe, pontificia de eo accepto ſyngrapha docet (*d*). Intulit quoque fiſco apoſtolico Robertus Siciliæ Rex (*e*) decem millia unciarum auri. In utramque vero ulteriorem & citeriorem Siciliam Pontifex Stephanum e Pinu clericum Lemovicenſem miſit, ut abbatiarum non conventualium vacantium vectigalia (*f*) colligeret: apoſtolicas conſtitutiones in eos, qui ſacerdotia curæ animarum addicta ſacris ordinibus initiari neglexiſſent, unde divinus cultus exoleſceret, promulgandas curaret (*g*); cognitaque cauſa, ipſos contentas in ſanctione, quæ a verbo, *Execrabilis*, ducit exordium, ob retenta iniuria ſacerdotia contraxiſſe pronuntiaret. (*h*)

(*b*) *Ib. ep. com.* 957. *& poſt ean. ep.*

Debilitare nefarios illius conatus ſtudet Pont.

(*c*) *Jo. Vil. l.* 9. *c.* 104. *Ant.* 3. *p. tit.* 21. *c.* 4. §. 4.

Fridericus Trinacriæ Rex Tunetanum Regem reſtituere aggreditur.

Ab hoſte auro corruptus bello abſiſtit.

Solvit cenſum Rom. eccleſiæ. Et Robertus Rex.

(*d*) *An.* 4. *p.* 1. *ep. com.* 87.

(*e*) *Ib. ep.* 446.

Stephanus e Pinu nuntius in utramque Sicil. miſſus.

XIII. Præterea Arianenſi epiſcopo provinciam dedit, ut pœnas, quas in Rogerium e Bonito ob cæſum Frequentinum epiſcopum ſtatuerat, divulgaret, ac ni crimen rite expiaret, anathemate devinctum declararet. Quæ vero pœnæ ad tantum ſcelus luendum incuſſæ, ſubiectæ literæ oſtendunt. (*i*)

(*f*) *Ib. ep. cur.* 14.

(*g*) *Ib. ep. cur.* 11.

(*h*) *Ib. ep. cur.* 13.

Frequentinus epiſ. a Rogerio cæſus.

(*i*) *An.* 3. *ep. com.* 1524.

*Joannes, &c. venerabili fratri epiſcopo Arianenſi.*

*Rogerium de Bonito militem Arianenſis diœceſis, latorem præſentium, qui Rogerium epiſcopum Frequentinum auſu ſacrilego interfecit, ab excommunicatione, quam propter hoc incurrit, in hujuſmodi homicidii reatu ad te remittimus juxta formam eccleſiæ abſolutum, mandantes ſub debito præſtiti juramenti, ut ante omnia ſufficienter & idonee caveat coram te, quod infraſcripta, per nos ſibi injuncta, & a te etiam injungenda complebit; quodque eccleſiæ, cujus epiſcopum interfecit, ſatisfactionem congruam, cum primum poterit, ad arbitrium tuum, cujus conſcientiam oneramus, exhibebit. Injunximus quoque ſibi ſub debito juramenti prædicti, ut per majores omnes eccleſias illius loci, ubi tunc fuit facinus perpetratum, nudus & diſcalceatus, braccis dumtaxat retentis, virgam ferens in manibus & corrigiam circa collum, ſi ſecure poterit, incedat; & ante fores ipſarum eccleſiarum a presbyteris earundem, pſalmum pœnitentialem dicentibus, ſe faciat verberari, cum major in eis aderit populi multitudo, ſuum publice confitendo reatum: & ſi aliquod feudum, officium, vel beneficium eccleſiaſticum vel temporale a dicta eccleſia tenuit, vel jus patronatus obtinet in eadem, quibus ipſe ejuſque heredes ipſo jure perpetuo ſint privati, ea eccleſiis, a quibus illa tenebat, dimittat omnino, ſic quod eccleſiæ ipſæ de illius diſpoſitione valeant, prout eis videbitur, expedire: & ne minus vindictæ, quam exceſſus memoria prorogetur, uſque ad quartam generationem ipſius poſteritas in clericorum collegium, vel aliquod eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium ſeculare vel regulare nullatenus poſſit aſſumi.*

Impoſita Rogerio pœnitentia publica.



*Noſque propter hoc ſibi dari fecimus ſignum crucis in ſubſidium terræ ſanctæ, & pro pœnitentia eidem duximus injungendum, ut cum fuerit paſſagium generale vel particulare per eccleſiam Romanam indictum, perſonaliter legitimo impedimento ceſſante debeat transfretare: & ſi cum prius mori contigerit, de rebus ſuis, ſi habuerit, diſponat mittere idoneum bellatorem: limina Apoſtolorum Petri & Pauli tribus vicibus, & ſemel B. Jacobi debeat viſitare: uſque ad ſeptem annos ſemel qualibet hebdomada unam miſſam pro anima occiſi epiſcopi faciat decantari, & qualibet ſexta feria in pane & aqua jejunet, & quarta feria a carnium eſu abſtineat, niſi fuerit infirmitate detentus, vel in itinere conſtitutus; & decies orationem dominicam recitet omni die. Tu autem præter iſtam pœnitentiam injungas ſibi, quod animæ ſuæ ſaluti videris expedire. Si enim cautionem prædictam, aut ſatisfactionem, ſi poterit, non præſtiterit, ut præfertur, & alia, quæ mandantur facere forte contempſerit, nunties eum in eandem excommunicationis ſententiam recidiſſe. Cæterum volumus, & præſentium tibi auctoritate mandamus, quod per ſingulas diœceſes Beneventanæ provinciæ ſupradictas pœnas facias publicari. Datam Avinione kalend. auguſti anno III.*

XIV. Conſulturus etiam ſaluti animarum, ne hæreticorum erroribus irretirentur, pontificiis & imperialibus Friderici II. ſanctionibus inflictas hæreticis, vel ea aſperſis infamia, pœnas renovavit, quas a Bertrando tit. S. Marcelli A. S. L. in Inſubria in illos diſtringi (*a*) juſſit. Cumque ea lues plures in Chroatia etiam ac Boſnia inficeret, Maladinum banum graviſſimis ſententiis ad zelum in ea extinguenda, divinoque cultu in ipſius ditione revocando exercendum excitavit: (*b*) nonnulli enim ementito ſanctitatis habitu ex Vvaldenſium impia propagine ſuis erroribus ſimplices circumvenerant, ut vivificæ cruci nullus honos deferretur, non perciperetur euchariſtia, nec etiam baptiſmus pleriſque in locis conferretur.

(*a*) *An.* 3. *p.* 1. *ep. cur.* 101.

(*b*) *Ib. ep. com.* 1248.

Renovatæ in hæreticos veteres leges.

*Dilecto filio nobili viro Maladino Chroatorum & Boſnæ comiti, alias dicto bano.*

*Multa, nec immerito, mentem noſtram amaritudo perfundit, gravis dolor nos afficit, cum audivimus eſſe in populo Domini perditionis filios, maledictionis alumnos, qui a Chriſtianæ religionis obſervantia deviantes, & volentes ſuo potius errore perire, quam aliena perſuaſione proficere, in tenebris ambulant: & obcæcati mente, ut lumen cæli non videant, errores hæreticos damnabiliter edocent & obſervant. Spectat igitur ad unumquemque fidelem hoſtiliter contra tales inſurgere, ſicque ipſos in brachio virtutis Altiſſimi radicitus extirpare, quod peſtifera eorum rabies pereat, & fideles alios, favente Domino, non contingat. Sæpe namque, non abſque gravi turbatione mentis relatione fide digna percepimus, quod terra Boſnenſis, ejuſque patria hæreticorum, ob rectorum negligentiam longó tempore ibidem degentium, tanta ſit infidelitatis labe polluta, quod ibi deſolentur eccleſiæ, clericalis ordo ſit extirpatus radicitus, & Chriſti ſacra irriſione peſtifera conculcentur: non ibi crucis reverentia, de qua ſola voluit Apoſtolus gloriari, non vivifici ſacramenti communio; ipſius etiam baptiſmi, quod eſt religionis initium, nomen in pleriſque partibus ignoretur, agentibus proculdubio peſtiferis doctoribus, qui fidem ſimplicium ſimulato religionis habitu pravorum dogmatum conſperſione fœdarunt. Profecto non indigne gravi doloris aculeo noſter animus ſauciatur, & ad vindicandas tantas noſtri creatoris injurias animamur.*

Hæreſis in Boſnia graſſatur.

Cleri inertia.

Præcipui errores, qui in iis locis ſerpebant.

*Tuam igitur, fili, induſtriam, quam & nobilitas generis, & morum probitas, & orthodoxæ fidei religioſa profeſſio dignis laudibus efferunt, paterna duximus diligentia commonendam, ut ad extirpandos errores de terra & patria ſupradictis, & præparandum veræ religionis cultum, potentiæ tuæ dexteram ſolicitudine religioſa convertas: tunc etenim vere poteris hoſtium tuorum triumphator exiſtere, cum de agro dominico crucis Chriſti æmulos ſtudueris extirpare: noſque, qui totis animi votis ad veræ fidei gloriam jugiter aſpiramus, quique tuos in hac parte labores gratos plurimum habebimus & acceptos, in tuæ nobilitatis promovendis negotiis conſtitues promptiores. Dat. Avinione* XV. *kal. auguſti anno* III.

Maladinum excitat Pont. ad religionem revocandam.

XV. In Ungaria clerus Auguſtinum Zagabrien-

Ungar. clerus Zagabrien. epiſc. oratorem ad Pont. mittit.
(a) An. 4. p. 1. ep. com. 45.

brienſem epiſcopum Ungaricarum eccleſiarum dignitatis tuendæ gratia ad ſedem Apoſtolicam miſit. Audita cauſa Pontifex, ne Carolus Rex aliqua ſuſpicione ſuffuſus epiſcopo infenſus eſſet, ſignificavit ipſi (a), nulla de illo niſi laude & commendatione digna retuliſſe; atque adeo ad eccleſiam reverti pateretur, neve obtrectatorum ſuſurros admitteret. Eximia etiam ſunt in re ſimili pro defendendo magiſtro Radulpho pontificia præcepta (b) Philippo Regi Francorum, apud quem in invidiam erat adductus, data: *In benigniorem*, inquit, *partem ſemper interpreteris, in dubio nullum habiturus ex levi cauſa ſuſpectum: fideles etenim ſi putaveris facies, & dum quilibet confidentiam tuam in ſe fidenter recumbere viderit, ab omnibus, quæ infidelitatem ſapere valeant, cautius, ut credimus, abſtinebit.*

(b) Tom. 2. ep. ſecr. 25.

Vitæ diſcrimen una cum Regina Philip. Rex adit.

Adiit eo tempore Philippus una cum Regina Joanna, ut ſunt inſtabiles humanæ res, ac tenui etiam filo Regum ſceptra pendent, ingens vitæ diſcrimen, vixque e parietis ruinis emerſit. Quod ubi accepit Pontifex, grates divino Numini ob ſervatum Philippum egit; ſumptaque inde occaſione Regem (c), ac Reginam (d) gravibus præceptis erudivit, ut ab humanis rebus adeo fragilibus ad divina mentem ſtudiumque transfunderent: *Hæc te cautiorem*, Regem alloquitur, *contra hoſtis illius inſidias debent reddere & promptiorem, ut liberatori tuo ſtudeas devotius & ſtudioſius deſervire. Ex his, fili chariſſime, tua providentia poteſt percipere, quod nec poteſtatis ſublimitas, nec generis nobilitas, nec formoſitas aut valetudo corporis a periculis liberant, quæ nec poſſunt utique humano ingenio prævideri; ſed ille, in cujus conſpectu ſunt mille anni futuri ſicut dies heſterna quæ præteriit, quos vult ab iis miſericorditer liberat, & quos vult illa ſubire permittit, &c.* Inſtruxit eundem Regem ſaluberrimis aliis præceptis, ut conceſſa Gallicanæ eccleſiæ a S. Ludovico privilegia reſtitueret (e), eamque priſtino aſſereret ſplendori: familiarem in principum aula peſtem calumniatores, qui regias aures obſiderent, reprimeret.

(c) Ib. ep. ſecr. 66.
(d) Ib. ep. 67.

Hortatur illum ad rerum terren. contemptum Pont.

(e) Ib. ep. ſecr. 802.

XVI. Gaucelini Card. opera Belgæ Philip. conciliati.

Conciliata eſt hoc anno, ac ſequenti corroborata a Pontifice concordia inter Philippum Francorum Regem & Belgas Gaucelini tit. SS. Marcellini & Petri presbyteri Cardinalis; cenſurarum metum Belgis incutientis, præcipua opera, ad quam navandam ſtrenue incitarat ipſum Pontifex (f): qui illius nuntio ingenti gaudio perfuſus, ut eam confirmaret, pluribus literis cum Philippo Rege (g), Regina Joanna (h), comite Valeſiorum, (i) Roberto Belgarum principe (k), [1] ac fœderatis urbibus egit; Gaucelinoque Cardinali præcepit (l) ne, niſi perfecta re, diſcederet aula regia, in qua plurimum floruiſſe gratia atque a ſede Apoſtolica commiſſa impleviſſe eſt gratulatus (m).

(f) Ib. ep. ſec. 65.
(g) Ib. ep. 207.
(h) Ep. 208
(i) Ep. 209.
(k) Ep. 290. ad 297.
(l) Ep. 247.
(m) Ep. 201

Philippus Rex ſacrum bellum cogitat.

Retardarant Philippi ineundæ Aſiaticæ expeditionis conſilia Belgici tumultus: quibus compoſitis animum ad inſtaurandam rem Syriacam, pro cujus apparatu inſtruendo, tum reficiendo ærario, quod in parentis & fratris Regum teſtamentis exequendis exhauſerat, duas excurrentis triennii ſpatio decimas exigendas obtinuerat (n), advertit; cum ſuperiori anno ab Oſſinii Regis Armeniæ oratoribus ad id egregie animatus eſſet: quo argumento datæ ad Armenum extant literæ. (o) Sed tam ardua provincia ſine aliorum Regum opera non ſuſcipienda ab ipſo, Pontifici viſa eſt (p), cum impar illius potentia Saracenicæ videretur: ſuperiorique anno vergente ſignificavit non ſufficere pacatas eſſe Gallias, ſed reliquum orbem Chriſtianum ad mutuam pacem revocandum: laniatum vero adeo bellis civilibus, ut ſine magno diſcrimine rem aggredi non poſſet.

(n) Ep. ſec. 634. & poſt eand. ep.
(o) Tom. 1. ep. ſecr. 371.
(p) Tom. 2. ep. ſecr. 54.

*Joannes, &c. Philippo Regi Franciæ, & Navarræ illuſtri.*

XVII.

*Intenſum tuum, fili chariſſime, deſiderium, quod te ad proſecutionem negotii terræ ſanctæ gerere, præſertim pace jam a pacis auctore reddita regno tuo, miſſa nobis noviter epiſtola regia nunciavit, multipliciter in Domino merito commendantes, illud ei aſcribendum credimus, qui ubi vult ſpirat; quique corda Regum ha-*

NOTÆ [1] ISto quidem anno pacem inter Philippum Regem, & Robertum Belgarum comitem conciliare adniſus fuit Gocelinus Cardinalis A. S. legatus. Quam & compoſuiſſe ſibi ille blandiebatur, cum Robertum comitem coegiſſet ut Lutetiam veniens Regis Philippi clementiam imploraret ſed ille *nullatenus comparuit*, ſcribit Continuator Nangii ad hunc annum, *more ſuo frivolas excuſationes per internuntios allegando*. Quare res ad annum ſequentem extracta. Sequenti vero anno Robertus quidem venit; ſed cavillationibus quibuſdam rem primo quidem in longum protraxit, dein clam ſe ex urbe proripuit. Nequidquam tamen nam urbium Belgicarum legati periclitari ſeſe vita intelligentes ſi res infecta deſtituenda fuiſſet, cum in poteſtate Philippi Regis tunc agerent, illum coegerunt, ut invitus licet pacis conventiones firmaret. Hæc Continuator Nangii, ex quo Annaliſta qui pacem hoc anno firmatam ſtatuit, corrigas. Animadvertere hic juvat ex Baluzio in adnotat. ad vitas Papar. Aven. to. 1. col. 720. male hic ab Annaliſta nomen Cardinalis ſcribi *Gocelinum*, cum ex probatiſſimis, & coævis documentis vocandum eſſe *Gaucelinum* conſtet. MANSI



*habens in ſuæ poteſtatis arbitrio, eadem ad nutum ſuæ voluntatis attrahit & inclinat: cui gratias in humilitate ſpiritus exolvimus, quas valemus. Sane ſi, juxta ſapientis ſententiam, in omni negotio ſunt tempus & opportunitas attendenda, in hoc profecto negotio, utique nimirum arduo & difficultate repleto, ſunt hæc ſingulariter inquirenda. Sed, proh dolor! hæc procul abeſſe conſpicimus, non adeſſe: pax ſiquidem, quæ inter Chriſticolas ejus proſecutioni præcipue neceſſaria noſcitur, pene ab ipſis Chriſticolis exulat; cujus loco turbatio, & adeo dura viget commotio, quod ut alter offendat alterum offenſam propriam non abhorret; & ut in periculum præcipitet alium, præceps præcipitium feſtinat in ſuum. Leva, fili chariſſime, in circuitu oculos mentis tuæ; & profecto quaſi ubique reperies, peccatis exigentibus, guerrarum fremitus, & bellicos apparatus. Vide regnum Angliæ contra regnum Scotiæ, & e contrario inſungens. Attende principes Alamanniæ guerris & bellicis actibus contra ſe mutuo intendentes.*

Proponit ei difficultates Pontif.

Occidentalium diſcordias.

Anglos & Scotos mutuo implicitos bello.

Diviſam ſub gemino Cæſare Germaniam.

*Conſidera chariſſimos filios noſtros Siciliæ & Trinacriæ Reges; non eſt utique pax inter eos, ſed ſolum tregua brevi tempore duratura: nec videmus, quod dolentes referimus, ad pacem inter ipſos diſponi negotia, ſed potius augeri continue odia, & multiplicari rancores. Et ne omittamus Cypri & Armeniæ Reges, pax non eſt utique inter ipſos, ſed odia, ſuſpiciones & inſidiæ creſcunt continuæ hinc & inde. Regna quoque Hiſpaniarum contra regnum Granatæ, & ſuas fronterias ſatis reperies occupata. Converte, fili chariſſime, tuum intuitum ad partes Lombardiæ: profecto reperies unam civitatem inſurgere contra aliam; immo, quod gravius eſt, invenies quaſi quamlibet civitatem inteſtinis odiis & inſidiis eſſe plenam, ac tyrannos illarum partium igne & gladio perſequi ſibi non parentes. Vide illam tam inſignem civitatem Januæ, tam præfato negotio opportunam, & ipſam propter talia odia deſolatam reperi, & quaſi omni auxilio deſtitutam. Mare quoque in partibus ipſis invenies invium, & per terram iter itinerantibus, non patere, nec de præmiſſis regnis & terris putes provenire, in præfati proſecutione negotii, præmiſſis durantibus, ſubſidium vel auxilium, ſed potius nocumentum. Conſidera inſuper ſtatum miſerabilem ordinis hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani, jam quaſi diſpoſitum ad ruinam: debet ſiquidem ſolis duabus ſocietatibus ultra trecenta ſexaginta millia florenorum; ſic quod de dicto ordine nullum, aut parum poteſt proſecutione dicti negotii provenire ſubſidium: a quo tamen maximum probabiliter ſperabatur.* Et infra.

Siciliæ & Trinacriæ Reges ad bellum pronos.

Cypri & Armeni mutuo ſuſpectos.

Hiſpanos Granatenſi bello diſtrictos.

Italos Guelphos & Gibellinos factione ſciſſos.

Hoſpitalarios alieno ære ingenti oppreſſos.

XVIII. *Si hæc, chariſſime, & alia, quæ tibi Dominus circa hæc miniſtrabit, deduxeris in rectæ conſiderationis examen, profecto procul tempus & opportunitatem pro proſecutione præfati negotii perſpicies, & non prope. Ideoque nobis & aliis, cum quibus deliberavimus, expediens videretur, quod ante omnia ad ſedandas & ſopiendas, vel ſaltem uſque ad tempus non modicum per treuguarum beneficium differendas diſſenſiones hujuſmodi tam tu, fili chariſſime, quam nos operoſum ſtudium & ſtudioſam operam impendere curaremus: quod profecto jam dudum fecimus, nec ceſſamus.*

Sedandas prius principum diſcordias.

*Si autem regali providentiæ videatur, quod præmiſſis non obſtantibus ſit ad proſecutionem præfati negotii procedendum, attende fili chariſſime, quomodo negotium ipſum prudenter valeat inchoari. Conſidera qualiter continuari poterit, & adverte quomodo feliciter valeat conſummari. Examina quas expenſas tantum requiret negotium: & proinde provide, unde poterunt miniſtrari; nec ad impoſſibilia, ſicut audivimus alias, tui conſiliarii convertant acies mentis ſuæ Metire vires tuas, & circumſpice in quo excellentia regia, tuique regni magnates, zelum habentes, ad antefatum negotium voletis & poteritis ſubvenire: & ſuper his deliberatione præhabita diligenti, mittat magnificentia regia viros prudentes & gnaros veritatis, ac præfati negotii zelatores, regalis conſcientiæ plene conſcios, & ſuper præmiſſis plenius informatos: quos utique audire, dante Deo, proponimus, & in quibus ſecundum Deum poterimus, exaudire. Dat.* III. *kal. decembris anno* III.

Mittat oratores ad belli ſacri agitanda conſilia.

XIX. Eduardus Rex bellum ſacrum cogitat.

Præ ſe etiam ferebat Eduardus Angliæ Rex ingens expeditionis illius aggrediendæ deſiderium: cui Pontifex, commendata pia ejuſmodi voluntate, ut prius hoſtes, qui latebant in pectore, vitia ſcilicet excinderet, reſcripſit (a). Excuteret diligenter conſcientiæ omnes ſinus, ne quam Numini divino vel proximo injuriam inferret: ita enim ſedatis animi motibus, facile regni motus compoſiturum, pacemque revocaturum, ſine qua expeditionis Aſiaticæ conſilia nunquam perducere poſſet.

(a) Ib. ep. ſecr. 321.

*Joannes, &c. Eduardo Regi Angliæ illuſtri.*

*Quia, dilectiſſime fili, promoturum in his & aliis negotia Domini ſic condecet propriæ conſulere puritati, ut pacem in domo, id eſt conſcientia ſua, primitus ſolidet; ne ſi forſan intus pugna domeſtica laceſſente diſtrahitur, minus timeatur ab exteris, & culpa in eum, cui obſequium creditur præſtari commiſſa, fructum impediat aſſumpti, laboris, vellemus te prius inſpicere quid domi agitur: & ſi forte tumultum faciant, ſi tibi moveant prælium in*

Reſpondet Joannes internos animi domandos hoſtes.

*in eadem commiſſæ per te in Deum & proximum interdum offenſæ, vellemus ut prius ſuper illis te & tibi conſuleres, & in confeſſione oris ac ſatisfactione operis faciem Domini prævenires; ut per id eum tibi placatum efficeres, ut ab eo tibi & regno tuo tranquillitatem & pacem, ſine quibus ultramarino paſſagio te commode nequis impendere, facilius impetrares. Super quibus illius, in cujus manu corda ſunt principum, miſericordiam ſuppliciter imploramus, ut cor tuum ad præmiſſa & alia ſua beneplacita exequenda convertat, dies & actus tuos in ſua pace dirigat, regnum tuum ſolidæ quietis amœnitate corroboret; & te circa dictæ terræ ſubſidium in tam ſancti propoſiti ſoliditate conſervet, &c.* Addit ad conciliandam ipſi divinam gratiam, archiepiſcopis ſe Anglicanis præcepiſſe, ut populum ad porrigendas pro ipſius ac regni ſalute ſupplices Deo preces incenderent. *Datum VIII. kalendas junii.*

Angliæ prius reſtituendam pacem.

Significat publicas preces pro ipſo indictas.

XX. Perſuaſum fuerat Eduardo a nonnullis viris religioſis, ipſum divina ope regni tumultus compreſſorum ac feliciter bellum Aſiaticum confecturum, ſi quodam balſamo liniretur, quod a Deipara S. Thomæ martyri datum, ejuſque juſſu a monacho Pictavenſi monaſterii S. Cypriani in ædicula S. Georgii reconditum acceperat; tum vero a duobus orientalibus Chriſtianis ex reſponſo dæmonum ſoldano Saracenorum dato compertum fingebatur, ac primum Henrico Imper. traditum, deinde duci Brabantiæ, qui eo munere Eduardum affecerat, injecta ſpe ipſum illius inunctionis virtute Aſiam debellaturum. Qua de re conſuluit Pontificem Rex depromptis nonnullis argumentis, quæ dictis fidem conciliare viderentur; ac flagitavit, ut alicui epiſcopo inungendi illius pontificio nomine provinciam traderet.

Vana opinio de quodam cæleſti oleo iniecta Eduardo.

Verum Joannes audita re, cum de ea ſibi non conſtaret, hæc reſpondit (*a*): *Retulit idem frater* N. nimirum Dominicanæ familiæ alumnus, qui regias literas Pontifici reddidit, *quod tu, attente conſiderans, tibi poſtmodum regnoque tuo adverſitates plurimas accidiſſe, informatus ab aliquibus putabas indubie, ea tibi ac regno eveniſſe tuo propter omiſſionem unctionis prædictæ; quodque ſi eam ſuſciperes, a te cuncta pellerentur adverſa, teque felices ſucceſſus in omnibus ſequerentur, unde ipſam ſuſcipere ferventi deſiderio affectabas: verum, præfato non obſtante deſiderio, hoc facere diſtuliſti, donec noſtrum accepiſſes reſponſum, an peccatum eſſet ipſam ſuſcipere, & an te ipſa inungi bonum & expediens putaremus: quapropter memoratus frater* N. *pro ſerenitate tua nobis humiliter ſupplicabat, quatenus ſuper præmiſſis noſtrum tibi conſilium mittere dignaremur, & quod tibi noſtro judicio accipere unctionem illam culpa non eſſet, alteri dilectorum filiorum noſtrorum Cardinalium, qui apud te tunc temporis præſentes erant, aut prælato alicui regni tui, quod eam tibi impenderet, daremus per noſtras literas in mandatis. Nos vero volentes tibi ſuper iis maturius reſpondere, diximus fratri præfato, quod nobis unum de Cardinalibus, cum quo conferre poſſemus, & de quo tu plene confideres nominaret: quo nominante Sabinenſem epiſcopum, ipſoque ad præſentiam noſtram propterea evocato, & ſibi impoſito quod ſecreto teneret omnia, quæ audiret tangentia factum iſtud, voluimus ut in ejuſdem epiſcopi præſentia omnia, quæ nobis ſolis ſuper hoc dixerat, enarraret, ipſique ſimul ad partem conferret ſuper hujuſmodi negotio diligenter.*

(*a*) *Ib. ep. ſecr.* 479.

Conſulit Pontificem an illo oleo liniendus ſit.

*Præmiſſis igitur in noſtram conſiderationem deductis, & ſuper his cum ſæpedicto,* nempe Sabinenſi epiſcopo, *Cardinali collatione habita diligenti, quoad primum quæſitum; viſum nobis fuit finaliter, ſuppoſito tamen quod tu, fili, ex probabilibus & rationabilibus conjecturis crederes firmiter unctionem hanc a B. Virgine datam eſſe, & te eſſe illum, qui primus ex ea prædicitur inungendus, nec non quod hanc optabas accipere ad honorem Dei, & ſpecialiter ad debellandos ultra mare fidei inimicos; quod cum non colligeretur ex nobis relatis obſervatio diei vel horæ, ſeu ſuperſtitioſæ rei alterius, ipſam ſumere non poterat ſuperſtitio, nec peccatum *; unctio etiam hæc primæ non derogat, quam ſumpſiſti, tum quia regalis unctio in anima quidquam non imprimit, tum etiam quod ab illa iſta eſſe alterius rationis dicitur quoad materiam & ad formam.*

Reſpondet Pont. in illa unctione ſumenda peccati ſpeciem non apparere.
* eſſe

*Secundæ vero petitioni tuæ, qua petebas per nos conſuli tibi, an deberes recipere, & de conferenda daremus prælato alicui in mandatis; taliter tunc duximus reſpondendum, quod cum de prædictis nobis, prout convenit, non conſtaret, quod ea ungi deberes nolebamus conſulere: ſed nec concedere vel negare. Diximus tamen ei, quod ſi te recipere ipſam contingeret, hoc per epiſcopum clam fieret & ſecreto: nam ſi palam, poſſent ex hoc admiratio magna & ſcandalum forſitan exoriri. Committere autem prælato cuicumque, quod tibi conferret eandem, omnino renuimus: quinpotius petitionem factam ſuper hoc certis ex cauſis totaliter duximus denegandam.*

Dictorum incertam eſſe veritatem.

Se rem nec ſuadere nec diſſuadere.

Si velit inungi clam id fiat.

*Verum cum tuos felices ſucceſſus ex noſtri cordis intimis affectemus, hoc dudum celſitudini tuæ per dictum* N. *commiſimus ac tibi per noſtras literas id idem mandavimus, quod cum nec unctio nec aliquid aliud, niſi ad Deum eſſes diſpoſitus, proficere quidquam poſſet, magno affectu hortabamur te, ſicut & hoc ipſum recolimus alias pluries nos feciſſe, quod te ſolicite divinis coaptares beneplacitis, virtuoſam ducendo vitam, in te & tuis ſubditis colendo juſtitiam, ac recognoſcendo, ut teneris, Romanam eccleſiam matrem tuam, nec non & omnes eccleſias tui regni & dominii in ſuis libertatibus, & privilegiis integre conſervando.*

Hortatur ad explicanda virtutum exempla.



XXI. Ingraveſcente inter Eduardum Angliæ Regem ac Robertum Bruſium bello Gaucelinus & Lucas Cardinales legati, cum ipſis tutus in Scotiam acceſſus non pateret, pontificias literas, quibus ad ponenda arma ſolicitabatur Robertus, tranſmiſere (*a*). Quibus ille acceptis, rem cum ſuis in conſilio ſe agitaturum reſpondit: nuntiis vero Cardinalium a Scotis proceribus in ſcriptis reſponſum eſt, nullum pacis tractatum ipſos admiſſuros, niſi Robertus in eo regio nomine inſigniretur; cum Cardinales, ne diſcordiæ malum ulterius gliſceret, inducias imperarunt. Cumque in Scotiam de iis promulgandis literæ tranſmiſſæ eſſent, Robertoque allatæ, is nuntium intentata capitis pœna regno juſſit abſcedere: ac poſtea Cardinalibus fallaci ſpe concordiæ aliquandiu deluſis, Warvicum aliaque Regis Angliæ loca, effuſo multo humano ſanguine, in ſuam poteſtatem redegit. Cum itaque exploratum eſſet eum pœnis adiectis ob temeratas inducias ſe implicuiſſe, Cardinales Scotiam ſacris interdixere. Verum antiſtitibus ſententiam temnentibus, Pontifex quatuor Scotos præſules, qui Roberti partes efferebant, Willelmum S. Andreæ, Duncheldenſem, Henricum Arbodenſem, & Davidem Moravienſem epiſcopos ad ſedem Apoſtolicam accerſivit, tum ut meritæ a contumacibus pœnæ exigerentur, tum ut cum iis de pace in Scotiam, quæ belli malis attrita erat, adducenda tractaret: ac ne inanibus excuſationibus ſe ab adeunda eadem ſede excuſarent, illorum ſaluti ſyngrapha liberi commeatus cautum iri pollicitus eſt.

(*a*) *An.* 4. *p.* 1. *ep. cur.* 18.

Robertus Bruſ. pacem niſi regio titulo decoretur reſpuit.

Induciæ inter ipſum & Eduardum promulgatæ.

Vvarvicum a Roberto occupatum.

Scotia interdicto ſuppoſita.

Præcipui Scot. præſules in judicium vocati apud ſedem Ap.

XXII. Poſtulavit etiam judicio Robertum, ut recurrentibus inſequentis anni kalen. maii ſedi Apoſtolicæ ad dicendam cauſam ſe ſiſteret, evulgatis ea de re ſubjectis literis (*b*).

*Joannes, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Cum Robertus excommunicationis & interdicti, & alias ſententias, claves eccleſiæ contemnendo omnino, ſuſtinuerit per annum & amplius, & adhuc ſuſtineat, ſicut accepimus, animo indurato; ſicque a ſe videatur timorem Dei & hominum repuliſſe, ut quaſi clavo pertinaciæ in concepta perverſitate confixus nec conſcientiæ ſtimulo urgeatur, nec pudore confundatur infamiæ, neque pœnis pro culpa imminentibus terreatur; ſed potius mala malis in ſuæ damnationis cumulum coacervans, de novo dicti Regis Angliæ terram cum gentibus ſuis manu armata hoſtiliter ingredi, ſicut fide digna percepimus relatione, præſumpſit, caſtra, villas, & loca dicti Regis poſt illationem damnorum gravium per rapinas & incendia illatorum ibidem invadere ſatagendo propter quod ſcrupulo non caret hæreticæ pravitatis; nos tamen, volentes ex manſuetudine dictæ ſedis ipſius in hac parte nobilitati deferre, eundem Robertum cum, ſicut poteſt colligi veriſimiliter ex præmiſſis, his; quibus citationem hujuſmodi committi contingeret, ad dictum regnum Scotiæ pro citatione hujuſmodi facienda tutus non pateret acceſſus; tenore præſentium, hac fidelium aſtante multitudine copioſa, citavimus ut uſque ad kalendas maii proximo venturas, quas pro peremptorio termino aſſignamus, per ſe vel procuratorem idoneum apoſtolico ſe conſpectui repræſentet, legitime in hujuſmodi negotio proceſſurus ac facturus, & recepturus quod juſtitia ſuadebit, &c. Dat. Avinione XIV. kal. decembris anno IV.*

(*b*) *An.* 4. *p.* 1. *ep. cur.* 22.

Intentatum Roberto Bruſio ob ſpretas cenſuras judicium.

Conſtituta ad dicendam cauſam dies.

XXIII. Paruit Pontificio edicto Robertus Bruſius, ac ſequenti anno oratores ad diluenda obiecta, gratiamque Pontificis comparandam miſit. Quod vero ad Vvarvicum ab ipſo Regi Angliæ ereptum illataſque cædes & agrorum populationes ſpectat; captum proditione fuiſſe, refert Vvalſingamus (*c*). Dum vero Vvarvici obſidionem Rex Eduardus urgebat, atque in illius urbis recipiendæ ſpem efferebatur, temere verba ipſum laxaſſe, quibus captæ urbis ejuſdem præfecturam Hugoni Spenſerio & Rogerio Tamari traditurum indicabat; eaque voce exacerbatum Thomam ducem Lancaſtriæ, regiis caſtris ſe ſubduxiſſe, coactumque Eduardum obſidionem ſolvere. Quibus Rex conflictatus malis biennales inducias cum Roberto pepigit. De tractata vero inter eos pace ſequenti anno dicetur: nunc ad Hiſpanicas res variis inquietas tumultibus, ſtylum convertamus.

Paret Pontifici.

Vvarvicio potiuntur Scoti.

(*c*) *Vvalſ. hiſt. Angl. Polyd. Virgil. in Eduard. l. l.* 1. *Buchan. hiſt. Scot. l.* 8.

Eduardi imprudentia.

XXIV. Confugerat ad ſedem Apoſtolicam Alfonſus Cerda S. Ludovici ex Blanca filia, atque ex Fernando Caſtellani ſceptri herede Alfonſi X. Romanorum Regis deſignati nepos, cujus cauſa atrox bellum Gallos inter & Caſtellanos exortum ſuperiori tomo vidimus; cum Galli Fernandi, ut majoris natu, atque in illius jura ſuccedentibus filiis contenderent, Alfonſus vero Rex ſecundum natu, Sanctium primogeniti extincti filiis prætuliſſet; ac poſt diuturna bella Luſitaniæ & Aragoniæ Reges delecti controverſiæ arbitri. Lata in potentioris gratiam ſententia, Alfonſo ac fratri non-

Alfonſus Cerda ditione dejectus.

Reſtituere illum principatui nititur Pontifex.

nulla prædia atque oppida, Regis Caſtellæ imperio libera attribuerant. Quam levem regni compenſationem indignatus Alfonſus regno abſceſſerat, & adhuc bonis dejectus exul vagusque extiterat. Movit illius calamitas ad miſericordiam Pontificem, qui Compoſtellano archiepiſcopo provinciam impoſuit (*a*), ut apud Mariam Reginam Alfonſi Regis impuberis aviam ac tutricem; tum apud Joannem ac Petrum principes, quibus ſumma rerum Caſtellæ demandata erat, incuſſa cenſurarum religione, ad principatum Alfonſo a Regibus arbitris Jacobo & Dionyſio adjudicatum reſtituendum adigeret.

(*a*) *An.* 2. *p.* 2. *ep. com.* 1271.

*Joannes, &c. venerabili fratri Berengario archiep. Compoſtellano.*

De bello inter Regem Caſt. & Alfonſum principem ſopito.

*Inſinuante nobis dilecto filio nobili viro Alfonſo, nato quondam Fernandi primogeniti claræ memoriæ Alfonſi Regis Caſtellæ, quod olim cum chariſſimi in Chriſto filii noſtri Jacobus Aragonum & Dionyſius Portugalliæ Reges illuſtres a claræ memoriæ Fernando Rege Caſtellæ ac eodem Alfonſo ſuper ſopiendo gravi diſſidio animarum diſcrimina, grandiaque corporum rerumque diſpendia producente, inter ipſos ab olim exorto, arbitrationes & amicabiles compoſitiones ſub certis pœnis ac præſtitis hinc inde juramentis electi, pro bono pacis & concordiæ inter cætera ordinaſſent, ut dictus Alfonſus & heredes ac ſucceſſores ipſius infra Caſtellæ & Legionis regna certam terram per Reges deſignatam eoſdem in francum allodium cum mero & mixto imperio liberam & exceptam ab omni juriſdictione, dominio, ſubjectione, ſervitute ac etiam appellatione tam dicti Regis Fernandi, quam aliorum poſt eum futurorum Caſtellæ & Legionis Regum in perpetuum obtinerent; & tam dictus Fernandus, quam plures nobiles & barones illarum partium per ſe, ac nonnullæ communitates civitatum & villarum inſignium dictorum regnorum per eorum ſyndicos & procuratores legitimos ſuper obſervatione ordinationis prædictæ emologatæ a partibus juramentum præſtitiſſent, prout inſtrumentis publicis & autenticis literis inde confectis plenius dicitur contineri; idemque Rex Fernandus dictam terram aſſignaſſet Alfonſo præfato juxta formam ordinationis ejuſdem, dictuſque Alfonſus poſt aſſignationem hujuſmodi per ſex annos eam poſſediſſet integre, pacifice & quiete; dictus tamen Fernandus Rex, dum adhuc ageret in humanis, non attendens quam periculoſum, quamque indecens ſit cenſendum in quolibet juramento præſtitum non ſervare, ſed præſertim in principe, cujus etiam verba ſimplicia nullatenus irrita fore debent, cum Regis ſit gloria ſervare promiſſa; contra ordinationem hujuſmodi pro libito veniens, ſpretis juramento prædicto & pœnis in illo contentis, eundem Alfonſum majori parte dictæ terræ armata manu per violentiam ſpoliavit, qua dictus Alfonſus tam ipſo Rege ſuperſtite, quam poſt ejus obitum remanſerat deſtitutus, in juris injuriam, ſuumque diſpendium, & ſcandalum plurimorum, & in periculum animæ dicti Regis, quæ ut probabiliter credi poteſt, pœnis inde gravibus ſubjacet, cum non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, dictoque Alfonſo ſuper his Apoſtolicæ ſedis auxilium implorante; nos chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Mariam Reginam Caſtellæ illuſtrem aviam & tutricem chariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi Regis Caſtellæ illuſtris pupilli, & dilectos filios nobiles viros Joannem quondam Alfonſi, & Petrum quondam Sanctii Regum Caſtellæ filios tutores ejuſdem Regis pupilli per ſpeciales noſtras literas rogavimus & hortati fuimus in domino Jeſu Chriſto, & eiſdem propriæ ſalutis obtentu conſuluimus bona fide, ut conſiderantes attente, quod eidem pupillo hoc præſertim tempore plurimum expediebat & expedit ad ſe pro ſua & regnorum ſuorum tranquillitate corda magnatum attrahere, & omnem ſcandalorum materiam amputare; una cum magnatibus aliis regnorum ipſorum ac communitatibus ſupradictis, quarum ad conſilium proſpicerent adhibendum, ſic ordinarent, ſicque diſponerent, quod dicta terra, qua dictus Alfonſus taliter extit ſpoliatus, eidem Alfonſo, qui ſicut aſſerit conſtanti animo & invariabili voluntate, ubi ſibi fieret debita reſtitutio ſublatorum, ſe dicti pupilli Regis & Reginæ beneplacitis coaptare totaliter diſponebat, reſtitueretur ac dimitteretur libere & quiete; necnon de fructibus, redditibus, & proventibus medio tempore perceptis debita ſibi ſatisfactione præberetur.*

Principatus a Regibus Arag. & Luſitan. arbitris Alfonſo attributus

Ut Ferdinandus Rex illum vi rapuerit. Alfonſi patrocinium ſumpſerit Pontifex.

Mariam Reginam, ac tutores erepta illi reſtituere juſſerit.

XXVI. Eluſa ſint imperia pontificia.

*Cum autem præfata Regina tutrix ac tutores prædicti, ſicut ex ejuſdem Alfonſi iterata conqueſtione percepimus, hujuſmodi precibus & hortationibus apoſtolicis, quæ ejuſdem Regis pupilli profectum, & tam Regis præmortui patris ſui, quam propriam tutricis & tutorum prædictorum ſalutem, dictorumque regnorum tranquillitatem & pacem proculdubio ſapiebant, parere efficaciter non curarint; nos attendentes, quod ad nos pertinet omnis cenſura peccati, & ubi præſertim agitur de jurisjurandi religione contempta, immo etiam violata, juſtitiam denegare non debemus oppreſſis, ne deferre videamur homini contra Deum, &c.* Imponit provinciam archiepiſcopo, ut in ea loca ſe conferat, excitiſque iis, qui evocandi viſi fuerint, ac ſine forenſi ſtrepitu quæſita atque explorata de re tota veritate, pupillum Regem, aviam, ac tutores regios Jo-

Intentatæ Caſtellanis cenſuræ ni Alfonſus reſtituatur principatui.



Joannem ac Petrum; præterea locorum magiſtratus ac populos, qui ſe jurejurando obſtrinxere, daturos operam, ut Fernandus Rex ſacramento promiſſa ſervaret, incuſſo cenſurarum eccleſiaſticarum aliarumque pœnarum juris terrore ad reſcindenda revocandaque omnia, quæ contra datam fidem tentata fuerint, adigat: tum pontificia auctoritate irritas eſſe jubet omnes prærogativas, quæ archiepiſcopi diligentiam, atque imperia apoſtolica eludere poſſent. *Dat. Avinione* XIII. *kal. julii anno* III.

XXVII.

Perfunctum impoſito ſibi munere Berengarium archiepiſcopum Compoſtellanum, paulo ante ea inſignitum dignitate, refert Mariana (*a*), atque in conventu Caſtellæ ordinum Valliſoleti a Regina Maria habito pontificias minas objeciſſe, ni Alfonſo Cerdæ attributi a Regibus Luſitano & Aragonio agri traderentur: Caſtellanos vero proceres miſericordia quidem viri in ſpem regni nati, fortunis ſpoliati, tactos; ſed ſacramenta obtendiſſe, quibus ſe obſtrinxerant, minore Rege quidquam ex illius ditione detrahi non permiſſuros.

(*a*) *Jo. Marian. l.* 15 *c.* 16.

Proceres ſacramenti religionem obtendunt.

In iis Valliſoletanis conventibus conſtitutum, ut regiæ procuratores Joannes ac Petrus patruus nepoſque alternæ potentiæ æmuli, conciliatis diſcordiis, arma in Mauros verterent. Nec minus ad ſuſtinendos eorum impetus Iſmael Granatenſis Rex ſe comparabat, atque ex Africa auxilia, attributis Regi Marrochitano Algezira & Arunda cum interjectis agris, evocarat. Irrupere in Granatenſe regnum variis agminibus Joannes ac Petrus: Tiſarum a Petro expugnatum: reliqua prona ad victorem fuere. Joannes illius facinoris gloria invidiaque perſtrictus, majus aggredi atque ad principem regni urbem penetrare conſtituit. Conjunctæ ad Alcaudetem copiæ collatæque: equitum novem millia, peditum innumera multitudo: Toletanus & Hiſpalenſis archiepiſcopi tum religioſorum equitum magiſtri in caſtris erant. Perrupere illi in interiores terras, ingentique illata vaſtitate, caſtra in Granatæ conſpectu defixere ac nulla re alia geſta tertio die profecto S. Joannis Baptiſtæ retro movere. Ducebat primum agmen Petrus atque poſtremum Joannes: cum barbari in noſtros in loco, in quo aquæ penuria erat, atque ex æſtu affligendus ſiti exercitus, irruere & compluribus cæſis dirripuere impedimenta. Petrus princeps in ipſo belli ardore ſiti, ſole, labore, moleſtia intercluſa repente anima, concidit: Joannes haud diſſimili morte occubuit, ad noctem abalienata mente ſpirare viſus: atque hic luctuoſus Granatenſis illius expeditionis finis extitit. Barbari præferoces ea victoria in Chriſtianorum terras excurrere, nonnullaſque iis arces eripuere: diſcordia vero inter proceres, qui Rege impubere ad regni adminiſtrationem enitebantur, accenſa; nec leves pluribus in locis tumultus excitari.

Joannes & Petrus principes in Granatenſes movent.

Rex Marrochii in auxilium a Granaten. excitus.

Petrus princeps ſtrenue in barbaros rem gerit.

Joannes actus invidia Granatam penetrat.

Oſtentatis copiis recedit.

In receſſu fideles profligati. Joannes & Petrus principes ex labore extincti. Barbari in Caſtell. limitem excurrunt. Exortæ graves inter proceres diſſenſiones.

Recruduit tum ea Compoſtellæ controverſia, quæ de urbis imperio inter archiepiſcopum [1] & cives vertebatur. Adducti fuerant antea ad archiepiſcopi obſequium Compoſtellani cenſurarum religione, quas ſedes Apoſt. infligi juſſerat; ac Berengarius ex ordinis Prædicatorum magiſtro in eam ſedem evectus paterna in ſuos manſuetudine, precibuſque Reginæ Caſtellæ cum civibus atque Alfonſo Sugerio, qui urbem archiepiſcopo obnoxiam ſibi ſubjecerat, in hanc concordiæ formam deſcenderat (*b*): *Videlicet quod eadem eccleſia, libere dicto archiepiſcopo reſtituta, ſibi una de portis civitatis ejuſdem cum ſuo fortelitio, per quam idem archiepiſcopus ingredi & egredi libere poſſet, & tam per eam quam per alias portas civitatis ejuſdem neceſſaria pro ipſius eccleſiæ defenſione in illam introducere, traderetur.* Addit Pontifex paulo poſt Compoſtellanos, ſacramenti religione temerata, archiepiſcopum obſidione cinxiſſe, intercluſiſſe commeatus, denique mortis intentato terrore ad deditionem paciſque ſubjectas leges compuliſſe: ut arcem Alfonſi affini viro prænobili cuſtodiendam traderet, donec Rex Caſtellæ e puerili ætate ad annos viriles perveniſſet: tum Alfonſum, qui anathemate defixus fuerat, cœtui fidelium reſtitueret. At Pontifex tuendi juris Compoſtellanæ eccleſiæ ergo internuntiis apoſtolicis & Hiſpanis præſulibus dedit (*c*) impe-

XXVIII. De Compoſtellæ dominatu inter archiep. & Alfonſ. Sugerium controverſia.

(*b*) *An.* 4. *p.* 1. *ep. com.* 244.

Quibus legibus cum Berengario archiep. compoſita.

Rebellant in archiepiſc. Compoſtellani.

Ad iniquas leges Berengarium adigunt.

(*c*) *Ibid.*



NOTÆ [1] BErengarius Compoſtellanus archiepiſcopus, qui cum Alphonſo Sugerio de jure in Urbem Compoſtellanam hoc anno contendit; alter plane fuit a Berengario Compoſtellano itidem Archiepiſcopo, ad quem Clemens V. anno 1313. literas ſuas pro reſtituenda Salmantina academia dedit; qua de re in Annalibus ad A. 1313. 37. Igitur Berengarius iſte Monachum egit Ordinis Prædicatorum, pro Joanne XXII. legationem obiit in Gallia ad pacem cum Belgis conciliandam anno 1317. ut in nota ad A. 1318. 20. Tunc vero ſupremum Ordinis Prædicatorum Magiſterium gerebat, ex quo demum anno 1318. a Joanne Pontifice ad Compoſtellanas infulas acceitus fuit. Huic de ſe factæ electioni aſſenſum legitimum præbuit die XIV. Kal. Octobris ejuſdem anni teſte Bernardo Guidonis, qui tunc in Ordine Prædicatorum florebat in libello de Magiſtris Ord. Prædicat. apud Martenium Vet. Monum. tom. VI. col. 413. Ex his vero corrigendæ ſunt præcedentes omnes horum Annalium editiones, quæ in indice rerum in calce voluminis geſta utriuſque Berengarii uni eidemque aſſignant; quod in noſtra editione emendandum curavimus. MANSI

peria, ut Compoſtellanos cenſuris percellerent, Philippumque principem ob præſidium Compoſtellæ impoſitum perſtrinxit.

Equeſter religioſus ordo inſtitutus in Luſit.

XXIX.

In Luſitania inſtitutus equeſter religioſus ordo ad comprimendas Saracenorum excurſiones, militiæ Jeſu Chriſti nomine inſignitus, [1] cruce rubra linea candida interſecante diſtincta decorus, cui prædia ædeſque Templariorum attributa; de quo hæc Bernardus (a): *Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXIX. pridie idus martii idem dominus Papa pontificatus ſui anno III. de fratrum conſilio inſtituit novum ordinem militum, qui dicerentur de militia Jeſu Chriſti in regnis Portugalliæ & Algarbii, ad reſiſtendum in illis partibus Saracenis pro defenſione fidei & Chriſtianorum: cujus ordinis caput ſeu domum conſtituit principalem in caſtro Marino Silvenſis diœceſis, conceſſitque & donavit dominus Papa militibus dicti ordinis bona omnia cum pleno jure, quæ fuerunt ordinis quondam Templi in prædictis regnis, accedente ad præmiſſa beneplacito & conſenſu Regis Portugalliæ & Algarbii, qui prædictum caſtrum eidem ordini munificentia regia contulit & conceſſit, ſede Apoſtolica confirmante. Ordo vero prædictus debet vivere & militare Deo pro defenſione fidei & infidelium impugnatione ſecundum regulam & inſtituta ordinis Calatravenſis; & quando opus fuerit, debet viſitari, corrigi, & reformari tam in capite, quam in membris per abbatem monaſterii de Alcobalia Ciſtercienſis ordinis diœceſis Ulyxbonenſis. De præmiſſis vero & de forma juramenti, præſtandi pro tempore Regi Portugalliæ per magiſtrum ejuſdem ordinis, necnon abbati præfato nomine Romanæ eccleſiæ, ac etiam de aliis conditionibus & circumſtantiis appoſitis & ſervandis in literis Apoſtolicis inde confectis ſerioſius ac plenius continetur. Actum Avinione ad perpetuam rei memoriam.* Conſentit Bernardo præter alios Joannes Mariana (b), qui ait eam ſacram militiam in illo regno nobiliſſimam, geſtarum rerum gloria floruiſſe, & caſtro Marino, in quo primum domicilium fuerat conſtitutum, Tovarium migraſſe. Subdit in eodem regno priora civilia bella inter Regem Dionyſium Alfonſumque filium, ad rerum ſummam aſpirantem, arſiſſe; atque ad ea ſopienda Reginam Mariam Caſtellæ ſocrum Alfonſi Mirobrigam eſſe profectam, ſed re infecta reverſam.

(a) *Bern. chr. Rom. Pont. MS. Vat. bil. ſig. num. 3765. in Jo. 22. Stero in Annal. hoc ann. Mar. l.15. de reb. Hiſp. c.16.*

Caſtrum Marinum præcipua illius ſedes.

Templariorum prædia in Luſit. & Algarb. ſita illi attributa. Calatravenſium inſtituta equites ſequi juſſi.

(b) *Marian. eod. c.16.*

Maria Regina Alfonſum Dionyſio Regi Luſit. conciliare fruſtra nititur.

Jacobus ſceptri Arag. hæres jura in fratrem transfundit.

Contrariis ſtudiis jactata eſt Aragonia, Jacobus enim Regis Aragonum filius ſceptri heres, tranquillioris vitæ deſiderio regni hereditate, reluctante patre ac nequidquam monita, ut non tantum ſibi, ſed orbi natum ſe meminiſſet patriæque conſuleret ingerente, vigeſimo tertio decembris die in publicis comitiis, uxore Eleonora intacta in Caſtellam ad ſuos dimiſſa, & Calatravæ habitu ſumpto ſe abdicavit: indeque regni jus proximo natu Alfonſo quæſitum. Certatum eſt multorum ſermonibus de re adeo nova, collaudantibus aliis, aliis damnantibus; demum licentia morum effrenata ad eam levitati adſcribendam plures adduxit.

XXX.

Hoc anno celebrata eſt magna religionis pompa tranſlatio reliquiarum S. Ludovici epiſcopi Toloſani, præſente illius fratre Roberto Siciliæ Rege: editaſque ad ejuſdem ſancti invocationem plures cœleſtes virtutes, & reſtitutos valetudini ægrotos, narrat Jordanus his verbis: (c) *Anno Domini MCCCXIX. VI. id. novembris ſummus Pontifex ad tranſlationem ipſius miſit ſex Cardinales, ut in præſentia Regis Jeruſalem atque Siciliæ germani ejus atque Reginæ, multorum prælatorum*

(c) *Jord. MS. Vat. bibl. ſig. n.1960.*

S. Ludov. epiſ. tranſlatio.

NOTÆ [1] Militaris Ordo novus in Luſitania hoc anno cœpit; de cujus epocha legendus Annaliſta hic. Unum tamen addendum hic ſupereſt quod præteriſſe pigeret. Illius inſtituendi ſcopus Dionyſio fuit, ut Regnum adverſus Saracenos tuerentur; ſed fruſtra res ceſſit; cum in ipſis Ordinis crepudiis equites illi domeſticis, ut arbitror, diſcordiis laborantes, rebus ſuis providere coacti externa curare non potuerint. Cujus rei aſſertorem exhibeo Joannem Papam qui anno XV. Pontificatus ſui die XVI. Kal. Majas, ideſt an. 1331. hæc ſcribit in literis ad Alfonſum Caſtellæ Regem: *Novi Ordines militares in Regnis Aragonia & Portugallia creati noviter, tantum habent facere cum ſe ipſis quod aliis nequeunt aſſiſtere opportune.* Extant literæ illæ in Codice diplomatico Melitenſi to. II. num. LXII.

Animadvertere hic etiam juvat militari huic Ordini nomen idem fuiſſe impoſitum ac Ordini militiæ Jeſu Chriſti, ſæculo præcedenti in Provincia inſtituto opera. S. Dominici, ut in Albigenſes hæreticos pugnaret. De Ordine illo inſtituendo extant Honorii III. literæ datæ *Laterani XVII. Kalend. Auguſti pontificatus* ejus *anno* quinto ideſt anno 1220. quas ex Archivis exhibet ſupplementum Bullarii Ord. Prædicat. to. VII. pag. 2. Injunctum fuit militibus, qui ſacro huic Ordini nomen dixiſſent, ut *ſecundum obſervantiam ordinis Fratrum militia templi viverent, habitu dumtaxat excepto.* Ex his militibus, quos Ordini Prædicatorum in ipſa ſua inſtitutione aggregatos fuiſſe ejus Bullarii collector P. Bremond ex literis Innocentii III. datis anno 1210. ſed obſcuris admodum & ambiguis deducit; ex his, inquam, militibus natum Ordinem Fratrum Tertii Ordinis S. Dominici tenent Veteres recentioreſque Ordinis illius Scriptores; qua de re idem Bremond ibid. Profecto Ordinem hunc religioſorum equitum ab iis, quos hoc anno in Luſitania cœptos Annaliſta ſcribit, longe diverſum non locorum tantummodo diſcrepantia ubi conſidebat, demonſtrat, ſed ex eo pariter arguas, quod veteres illi equites Templariorum leges, quamvis ab illis diverſi, adoptaverant; Luſitani vero recentiores ad Calatravenſes accedebant. MANSI



*rum ac baronum, concurrente etiam cleri ac populi innumera multitudine, cum miris ſolemniis & reverentia multa corpus ejus de terra levatum eſt, & in argenteo & ornato ſarcophago ſuper altare reconditum in eccleſia ſumptuoſo opere ad ipſius dedicata honorem. Ubi mirabilis Deus in ſanctis ſuis ſtupenda miracula operatur: nam per ipſius invocationem & merita votis emiſſis a propinquis & notis XV. vere mortui rediere ad vitam. Multa quidem & alia extant miracula, quæ juxta morem gratia brevitatis in hoc libro ſcripta non ſunt: nam circa viginti variis legi infirmitatibus liberatos, & totidem juxta notarium haberi, & in quaternis aliis ultra ducentos: quæ omnia manu publica ſcripta, & diligenter examinata de mandato Maſſilienſis epiſcopi, ab iis dumtaxat expoſita, qui & oculis viderunt, & manibus contrectaverunt; & firmata ſunt præſtito juramento.*

Miracula ad illius nomen imploratum edita.

XXXI. Minoritæ quatuor affecti martyrio.

Non modo beatiſſimi hujus confeſſoris ſanctitate illuſtrata eſt hoc tempore Franciſcana familia, verum in India etiam quatuor martyrum Thomæ, Jacobi, Demetrii, & Petri glorioſiſſima conſtantia: qui cum a Saracenis ob fidem orthodoxam in rogum conjecti eſſent, in mediis flammarum globis illæſi perſtitere, collaudante Criſtum univerſa gentilium multitudine; deinde clam necati immortalitatis palmam ſunt conſecuti; de quibus hæc laudatus Jordanus hiſtoriæ commendavit (a): MCCCXIX. *Papa Joannes legit in conſiſtorio cum magno favore literas ſibi miſſas infraſcripti tenoris: quod videlicet religioſi viri de ordine Minorum atque Prædicatorum, euntes pro prædicanda fide infidelibus uſque Ormeſe, cum nullibi proficerent, ad Indiam tranſire cupiunt in Columbum: & cum perveniſſent ad inſulam, quæ Dyo vocitatur, fratres de ordine Minorum a cæteris tam Prædicatoribus quam ſæcularibus Chriſtianis ad aliam terram profecti ſunt, quæ Thana vocatur, ut inde in Columbum tranſirent. Erat autem in loco unus Saracenus de Alexandria Yſuphus nomine, qui acceſſit ad Melicum, id eſt rectorem terræ, & induxit eum ut inquireret, quomodo & ad quid veniſſent. Ille accerſitos interrogat: Quales homines nuncupamini. Illi ſe Francos eſſe reſponderunt, ſanctæ paupertatis amatores, ad S. Thomam proficiſci cupientes. Tunc fratre interrogato, ſe veros Chriſtianos aſſerunt, & de fide Chriſti cum ſancto fervore multa dixerunt. Cum vero a Melico licentiati eſſent, præfatus Yſuphus uſque tertio Melicum induxit, ut eos caperet & detineret. Tandem congregati ſunt Melicus & Cadi & populus terræ tam Saraceni, quam pagani & idololatræ; & interrogaverunt fratres: Quomodo Chriſtus, quem dicitis filium Virginis, poteſt eſſe filius Dei, cum Deus uxorem non habeat? Illi de generatione divina plura dixerunt exempla de radiis ſolis, de arboribus, de gramine terræ, ita ut infideles reſiſtere non valerent ſpiritui, qui loquebatur in eis. Sed accenderunt ignem copioſum Saraceni, & dixerunt: Vos aſſeritis legem veſtram meliorem lege Mahumeti. Si verum eſt, ignem intrate, & miraculo quod dicitis comprobate. Fratres reſponderunt, quod pro honore Chriſti libenter id agerent & accedens frater Thomas primus intrare voluit: ſed contradixerunt Saraceni, eo quod cæteris ſenior videretur.*

(a) *Jord. MS. lib. Vat. ſign. n.1960. c.234.*

Inſana Saracenor. adverſus Trinitatem objectio.

Refellitur a ſimili.

XXXII. Martyres in mediis flammis illæſi.

*Tunc junior acceſſit frater Jacobus de Padua, novus athleta Chriſti, & incunctanter ignem intravit, & uſque ad ignis pene conſumptionem in eo permanſit lætabundus & laudans abſque ulla capilli vel pili tunicæ combuſtione. Videntes autem qui aſtabant alta voce clamabant: Vere iſti homines boni & ſancti ſunt. Cadi vero tam præclarum miraculum inficiari volens ait: Non eſt, ut creditis, ſed veſtimenta ejus de terra ſunt Abrahæ magni amici Dei, qui in igne poſitus Chaldæi lædi non potuit: ideo iſte in igne illæſus manſit. Tunc expoliaverunt innocentem juvenem, & totus nudus, ſicut de matre natus fuit, a quatuor viris in ignem projectus eſt. Ille vero innocue ignem ſuſtinuit, & cum gaudio de igne illæſus exivit. Tunc vero pagani, ſed & Saraceni clamabant; Sancti ſunt, ſancti ſunt. Tunc Melicus eos libertati reſtituit, ut ſecundum voluntatem ſuam abirent. Cadi vero & prædictus Yſuphus iniquitate pleni ſcientes eos in domo cujuſdam Chriſtiani receptatos, Melico ajunt: Quid agis? Cur Chriſticolas hos non interficis? Ille reſpondit: Quia nullam cauſam mortis invenio in eis. Illi vero ajunt. Si eos dimiſeris, omnes credent in Chriſtum, & lex Mahumeti totaliter deſtruetur. Melicus iterum ait: Quid vultis, ut faciam, cum cauſam mortis nullam inveniam? Illi vero dixerunt: Sanguis eorum ſuper nos: videtur enim, quod qui non poteſt peregrinari ad Mecham, ſi unum interficiat Chriſtianum, ita plenam obtinet veniam peccatorum, ac ſi Mecham perſonaliter viſitaſſet. Nocte igitur ſequenti tres prædicti Melicus, Cadi & Yſuphus miſerunt ſatellites, qui tres fratres Thomam, Jacobum, & Demetrium cum palma martyrii ad cœli gaudia tranſmiſerunt. Poſtmodum vero fratrem Petrum, in loco alio exiſtentem, ſibi præſentari fecerunt: & cum firmus in fide Chriſti perſiſteret, duobus diebus eum diris martyriis afflixerunt, & tertia die capitis obtruncatione complevit martyrium. Audientes vero ſocii Prædicatores & alii ad partes occiduas hæc ſcripſerunt, lugubri la-*

Saraceni flaminis impoſtura.

Saracenica indulgentia.

*lamentatione querentes, quod a ſanctorum martyrum ſocietate disjuncti fuerant, & quod recuperandis martyrum reliquiis devoti intenderant*. Hæc Jordanus, qui paucis adjectis chronologiæ ſuæ finem imponit. His conſentanea tradit S. Antoninus, (a) quamvis de rei geſtæ tempore diſcrepet, atque ad annum hujus ſæculi vigeſimum primum id referat. Retexit pariter eorundem martyrum ſacram hiſtoriam fuſius Lucas Wadingus ex Odorici Forojulienſis chronico & plurium Minoritarum orientalium literis (b).

*(a) Ant. 3. p. tit. 24. c. 9. §. 15.*
*(b) Luc. Vvad. in annal. 1321. n. 1. & ſeqq.*

Claudimus hiſtoriam hujus anni Bernardi verbis, qui de inſtituto Caſſinenſi epiſcopatu hæc tradit (c): *Anno Domini MCCCXIX. æſtatis tempore veterem abbatiam montis Caſſini S. Benedicti abbatis in novam epiſcopalem ſedem erexit, eidem de primo epiſcopo ſuo tempore proviſurus*. Extracta autem hæc res videtur ad triennium: quippe diploma (d) pontificium, quo Caſſinenſium monachorum conventus deſignandi epiſcopi jure donatus eſt, atque ab omni alterius quam Romani Pontificis imperio liber renuntiatus VI. non. maii pontificatus Joannis anno VI. conſignatum eſt.

Caſſinenſis epiſcopatus inſtitutus.

*(c) Bern. chr. Rom. Pont. & MS. bibl. Vat. ſign. n. 3765. in Jo. 22.*
*(d) Jo. an. 10. p. 2. ep. com. 1636.*

Ampli-



I. Relata de Uroſio Rege ſchiſmat. victoria a Carolo Ung. Rege.

AMplificata eſt in Raſcia & Macedonia res catholica anno Domini vigeſimo ſupra milleſimum trecenteſimum indictione tertia: parta Caroli Ungariæ Regis virtute glorioſiſſima victoria de Uroſio tyranno ſchiſmatico, qua regnum illud ampliſſimum ditioni ejus adjunctum eſt; cum proceres Macedones, quos antea impietatis odio, & conjunctionis cum Romanæ eccleſiæ deſiderio defectionis conſilia cum Pontifice communicaſſe, atque Maledini Boſſinenſis bani & Philippi Tarentini principis armis adjutos vidimus ad depellendum e ſuis cervicibus ſchiſmatis jugum, cum Rege Carolo paribus adverſum Uroſium ſtudiis conſenſiſſet. Hæſerant tamen adhuc in ſchiſmaticorum poteſtate maritima Macedoniæ loca: ad quæ expugnanda, ac parta retinenda, cum novis viribus opus eſſet, Pontifex cujus auſpiciis & conſiliis bellum illud ſacrum ſuſceptum erat, Ungariæ finitimos Reges ac principes orthodoxos, ut in tam commendanda cauſa ad rem catholicam propagandam latius, confirmandamque auxiliaribus copiis Carolum Regem juvarent, ſolicitavit literis, quæ in regeſto pontificio Friderico Romanorum Regi deſignato inſcriptæ ſunt (a).

Frideric. Auſtriac. ad jungenda cum Carolo arma ſolicitat Pont.

*(a) An. 4. p. 1. ep. com. 977.*

*Chariſſimo in Chriſto filio Frederico in Regem Romanorum electo.*

II. De ipſius in propaganda fide zelo gratulatur.

*Firmam gerit de celſitudine tua mens noſtra fiduciam, quod in his, quæ divini nominis laudem, exaltationem fidei, & infidelium & ſchiſmaticorum depreſſionem, eorumque reductionem ad fidei catholicæ unitatem reſpiciunt, ingenitæ tibi commendabilis voluntatis inſtinctu ubi nulla extrinſecus providentiam tuam ad id ſolicitatio commoveret, ferventi deſiderio te promptum, utilem, & ſolicitum cupias exhibere. Sane chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Ungariæ illuſtris jucunda & grata relatio noſtro apoſtolatui patefecit, quod dudum ipſe ſub ſpe cœleſtis auxilii, cujus eſt athletarum ſuorum dirigere & roborare proceſſus, contra ſchiſmaticos & orthodoxæ fidei inimicos in potenti manu & exercitu copioſo procedens, ſuperna ſibi favente potentiæ dextera, de dictis ſchiſmaticis feliciter triumphavit; ita quod regnum Macedoniæ, ſicut nota evidentia facti in illis partibus evidentius notum reddit, de manibus illorum ereptum ſuæ ſubdidit ditioni. Qui tanquam princeps catholicus, & tam genere quam magnanimitate præclarus, ad debellandum dictos ſchiſmaticos & infideles uſque ad partes maritimas ſpem robuſti cordis ſtrenuitate protendens, ad id invigilat, ſuaſque vires catholicas roborat atque conſtat, ut in exercitu gravi & dextera extenta, aliorum catholicorum principum fultus auxilio, procedere valeat ad dictorum ſchiſmaticorum & infidelium reſiduum conterendum.*

Partum a Rege Ungar. triumphum exponit.

Macedoniam debellatam.

Ad perſequendas hoſtium reliquias illum incumbere.

*Quia igitur, fili, decet te, qui ſibi es affinitate, & dilectione conjunctus, ſuper proſecutione tam pii utiliſque negotii non deeſſe, ſed in favorem orthodoxæ fidei, & dilatationem ipſius tui opem ſubſidii miniſtrare; ſerenitatem tuam affectuoſe rogandam duximus & hortandam, quatenus ob ejus intuitum, qui ſuo pretioſo ſanguine nos redemit, cujus in hac parte negotium geritur, cujuſque in his beneplcitis deſervitur, noſtræque interceſſionis inſtantiam eidem Regi in hujuſmodi laudabilis proſecutione negotii aſſiſtas viriliter & potenter, ſibi juvamen & opem, prout ejuſdem negotii magnitudo depoſcit, per te & ſubditos tuos liberaliter impenſurus; ſic in præmiſſis te utiliter & favorabiliter habiturus, quod Altiſſimus digna proinde tibi præmia recompenſet, noſque devotionem tuam dignis poſſimus in Chriſto proſequi actionibus gratiarum. Dat. Avin. VI. non. julii anno IV.*

Ad Frid. exhortatio, ne Carolo deſit.

Conceptæ eadem verborum forma literæ ad Wladiſlaum Loktekum, quem Regis Poloniæ nomine exornat, ad Joannem Regem Boemiæ; ad Luipoldum Auſtriæ, Henricum Carinthiæ duces, atque alios proceres, ut ſtrenuam in eo bello Regi Carolo operam explicarent, tranſmiſſæ (b). Sed eos Reges aliis bellis implicitos vel nulla aut exigua auxilia Carolo ſubmiſiſſe, ex auctoribus colligitur. Fridericum ſane adverſus Canem Scaligerum clientem Ludovici Bavari, prementem obſidione Patavium, ad liberandos Patavinos, qui ipſius implorarant opem, copias in Italia diſtraxiſſe (c), videbitur inferius; in Germania vero, ut adverſus illum de imperio certaret, quem potuit validiſſimum exercitum contraxiſſe, refert Joannes Villanus (d): qui addit Ludovicum pariter maximas copias collegiſſe, adeo ut in illis exercitibus totius Germaniæ flos ſub ſignis eſſet: nullum vero conſertum prælium, cum Rhenus interfluens acies dirimeret, ac Ludovicum inopia ærarii diſſolvere exercitum coegiſſet.

III. Reges ac principes ad ejuſdem belli ſocietatem vocati.

*(b) Reg. poſt eand. ep.*
*(c) Chron. rer. Pol. to. 2. l. 12. Bonif. dec. 2. l. 9. & alii.*
*(d) Jo. Vill. l. 9. c. 119.*

Frid. & Lud. æmuli acies oſtentant.

*(e) Eod. l. 9. c. 125.*

Non commiſſa pugna abſcedunt ad propria.

Agitabat etiam alia, quam belli Macedonici, conſilia Joannes (e) Boemiæ Rex, quem in Sileſiam vertiſſe arma, eamque ſibi ſubjeciſſe ferunt auctores (f): quocirca non parum Polonica res labefactata. Wladiſlaus vero Poloniæ Rex, quamvis Regi Carolo nova affinitate devinctus (g), filiam enim Eliſabetham feliciore duobus præteritis conjugio illi deſ-

IV. Jo. Rex Boem. Sileſiam ſibi ſubiicit.

*(f) Dubrav. l. 20. hiſt. Boem. Chromer. Pol. rer. l. 16. Michov. l. 4. c. 15.*
*(g) Chron. & Michov. ib. Bonif. dec. 2. l. 9.*

pon-

ponderat, cum Boemos haberet infenſiſſimos, atque etiam Pomeraniam ereptam injuria (*a*) fuere enim ob eam invaſam Pruſſiæ religioſi equites notati anathemate) recuperare meditaretur, in tuendo recens ſumpto regio nomine, quod Boemiæ Rex ipſi invidebat, erat occupatus. Accepiſſe illud Wladiſlaum narrat Chromerus (*b*), cum Joannes Papa ferre ſententiam pro Wladiſlao, ne Regem Boemiæ in ſe exaſperaret, diſtuliſſet; ſignificaſſetque Gerardo præſuli Polonorum procuratori, ut Poloni jure ſuo uterentur; atque ita ineunte hoc anno Wladiſlaum regia corona redimitum: *Comitiis* inquit, *Cracoviam indictis ad vigeſimam diem januarii menſis, VVladiſlaus cum uxore Hedvvigi in baſilica Cracovienſi, tunc primum inſtaurata & conſummata, ab archiepiſcopo & cæteris epiſcopis ritu ſolemni coronatur an. Chr. MCCCXX. atque ex eo tempore jus coronandi Reges, atque ipſa regni inſignia Gneſna Cracoviam propter amplitudinem ſplendoremque urbis, & plurimas maximaſque commoditates, tranſlata ſunt.* De Cracovienſi vero eccleſia, in qua inungendorum Regum Poloniæ ſuſceptus mos hoc anno, egregio extructa opere Nankeri archiepiſcopi præcipuis opibus ac ſtudio, meminit etiam Michovias (*c*), qui clerum urbis ac diœceſis attributis vacantium ſacerdotiorum unius anni vectigalibus, & fideles opes ſuas magna laude contuliſſe, refert.

(*a*) *Chrom. ubi ſup.* Pruſſiæ equites devincti anathemate.

(*b*) *Chrom. rer. Pol. 4. l. 12.* VVladiſlaus Cracoviæ Polon. corona redimitus.

Cracovienſe templum extructum. (*c*) *Micov. ubi ſup.*

V. Redimitum pariter in Dania regio inſigni per hæc tempora Chriſtophorum, [1] e pontificiis literis ad Daniæ epiſcopos datis (*d*) colligitur, quibus ſignificat, Elgerum Lundenſem archiepiſcopum ad tuendam eccleſiæ ſuæ dignitatem expoſuiſſe, veteri jure ad Lundenſem præſulem ſpectare electum Daniæ Regem inunctione regia linire; qui cum Danicæ eccleſiæ nomine in aula pontificia ageret, ne illius juribus detraheretur, a ſede Apoſtolica conſuli flagitaſſe: adductum itaque ejus precibus, celebrandam regiam inunctionem ſe ad natalitia Domini extraxiſſe, teſtatur Pontifex (*e*).

Chriſtophorus Daniæ Rex. (*d*) *An. 4. p. 1. ep. com. 589. & 1408.* Dilata ejus coronatio.

(*e*) *Ib. ep. com. 1408.*

*Venerabilibus fratribus epiſcopis regni Daciæ.*

VI. *Exhibita nobis venerabilis fratris noſtri Elgeri archiepiſcopi Lundenſis petitio continebat, quod a fundatione Lundenſis eccleſiæ uſque ad hæc tempora eſt inviolabiliter obſervatum, quod archiepiſcopus Lundenſis, qui eſt pro tempore, electum & præficiendum in Regem Daciæ habet inungere, ac diadémate coronare. Quare dictus archiepiſcopus, qui pro Lundenſi & totius eccleſiæ regni Daciæ negociis in Romana curia occupatur, timens ne per vos in poſſeſſione juris, quod habet in unctione & coronatione hujuſmodi dicti Regis quomodolibet perturbetur, nobis humiliter ſupplicavit, ut providere ſibi ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur dicti archiepiſcopi ſupplicationibus inclinati, vobis auctoritate apoſtolica diſtrictius duximus inhibendum, ne infra tunc proximo venturum feſtum beati Joannis Baptiſtæ, ad unctionem & coronationem Regis Daciæ præſumeretis procedere quoquo modo; decernentes irritum & inane, ſi ſecus contingeret attentari, prout in noſtris ſuper his confectis literis continetur.*

Lundenſium archiep. in coronandis Regibus Dan. jura.

*Attendentes igitur, quod idem archiepiſcopus negociis adhuc apud ſedem Apoſtolicam occupatur; quodque mora, quam dictus archiepiſcopus pro eiſdem negociis apud ſedem contrahit memoratam, nullum ſibi debet præjudicium generare; adhuc eadem auctoritate vobis diſtrictius inhibemus, ne ad unctionem & coronationem chariſſimi in Chriſto filii noſtri Chriſtophori Regis Daciæ illuſtris uſque ad inſtans proximum venturum feſtum nativitatis Domini abſque conſenſu dicti archiepiſcopi nullatenus procedere attentetis. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus per quoſcunque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Datum Avinione* IX. *kal. aug. anno quarto.*

Ut Pontifex pro iis tuendis celebritatis pompam extrahi juſſerit.

VII. Succeſſerat (*f*) demortuo Erico fratri in regno Chriſtophorus, nec ſine magnis difficultatibus Daniæ gubernacula capeſſivit: Ericus enim frater ipſum non modo patria pepulerat, verum edixerat, ut ob quædam ſcelera nunquam regno gerendo admoveretur. Probabant nonnulli defuncti Regis ſupremam voluntatem atque Ericum Slevicenſem ducem ad ſolium evehere nitebantur: alii vero illius conditionem miſerti, cum fratri Erico ac patri Chriſtophoro jure proximus ſuccederet, & ſi qua

(*f*) *Crantz. Dan. l. 7.* Ericus Rex hæreditarium ſceptrum illi eripere niſus erat.

NOTÆ [1] ASſumptio Chriſtophori fratris Erici Regis ad Regnum Danicum obitu fratris ſui abſque hærede defuncti vacuum, optime cum hoc anno ab Annaliſta componitur. Hoc enim anno in feſto converſionis S. Pauli *in parlamento VVibergenſi electus fuit*, quæ verba ſunt anonymi Chroniſtæ apud Ludevvig Reliquiar. to. IX. pag. 110. Solemnem vero regis hujus inaugurationem integro biennio dilatam Chroniſtæ omnes Danici apud Ludevvig ibid. ad Anno 1322. notant: *Eſgerus Archiepiſcopus duos Reges Danorum ſimul in Eccleſia VVotbingborgh, videlicet Chriſtophorum & Ericum filium ejus conſecravit. Et ſequenti die idem Rex omnia juramenta fidelitatis, quæ prædicto Archiepiſcopo, & Eccleſiæ ſuæ fecerat rupit, & ipſum Archiepiſcopum & ſuos diffidavit*; ſed ambo Reges ſequenti anno expulſi ſunt, Daniæ regno a Principibus Holſatiæ diſtracto, & occupato. MANSI



ſi qua flagitia dum juventute arderet, admiſiſſet; e ſuperioribus calamitatibus atque extincto ætatis fervore ad modeſtiam revocatum, ac probe ſceptrum, moderaturum arbitrati, præcipua Joannis uterini fratris opera in regnum revocarunt. Et ſane Chriſtophorum ob gravia facinora (ſed quæ dum impiis fratris voluntatibus obſequebatur, patrarat) nimirum ob Joannem archiepiſcopum Lugdunenſem conjectum in vincula (*a*), ac duos presbyteros carceris diuturni ſqualore necatos anathemate notatum a Bonifacio Papa, oſtendunt literæ pontificiæ, quibus annitente Elgero archiepiſcopo, Lundenſi eccleſiæ a Bernardo e monte Valrano Apoſtolicæ ſedis nuntio conciliari juſſus eſt.

Joannis fratris opera regnum obtinuit.

(*a*) *An. 4. ep. com. 1404.* Anathema contraxerat.

VIII. Proſecutus eſt nonnullis apoſtolicis beneficiis (*b*) Chriſtophorum Joannes, atque inter alia, ut quem vellet ad excipiendam exhomologeſim ſacerdotem adhiberet (*c*), deditque aliis literis pontificia imperia eidem Chriſtophoro (*d*), ut oppreſſos a fratre Erico Rege extincto Hoſpitalarios equites priſtinis juribus reſtitueret, ad quorum tuenda jura ad Regem Norvvegiæ ſcripſit (*e*). Qui porro Ericum Regem ſequenti anno, cum annis triginta quinque ſceptrum tenuiſſet, e vivis exceſſiſſe tradunt (*f*), haud parum aberrare e literis ſuperioribus conſtat, cum ex iis, quæ VIII. kal. mart. hujus anni conſignatæ ſunt, exeunte circiter anno ſuperiore defunctum colligatur.

Apoſtolicis beneficiis proſecutus. (*b*) *Ib. ep. com. 1405. 1406.* (*c*) *Ep. 1407.* (*d*) *Ep. 1402.* (*e*) *Ep. 1403.* (*f*) *Crantz. Dan. l. 7.*

Brandeburgenſis march. mors.

Quo etiam Vvaldemarum marchionem Brandeburgenſem, nullis relictis liberis extremum diem clauſiſſe, ſcribit Albertus Argentinenſis (*g*); unde graviſſima in eo principatu exorta diſſidia, cum illum Ludovicus deſignatus Rex Romanorum, ut beneficium imperii ſibi vendicaret, Pontifex vero ipſi adverſaretur: qua de re plura inferius. Porro Joannem hoc anno, obeunte Petro Moguntino archiepiſcopo, ad Roberti Regis Siciliæ gratiam Mathiam e Bucheke Hugonis comitis fratrem, ducibuſque Auſtriæ gratiſſimum ad archiepiſcopatum evexiſſe, ac magna pompa exceptum, addit idem auctor (*h*). Quibus adjungimus Albertum deſignatum archiepiſcopum Patavienſem ſubiecta ſacramenti forma Pontifici fidem obſtrinxiſſe (*i*): *Ego Albertus electus Patavienſis ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro, ſanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & domino meo Joanni Papæ XXII. ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in conſilio, &c.* Concepta eſt iiſdem verbis hæc forma, quibus alias concipi ſolitam attulimus. Nec ſolum hoc modo ſacramento Germaniæ epiſcopos adigi moris fuiſſe vidimus; verum etiam, ut

(*g*) *Albert. Argen. in chron.*

Et Petri Mogunt. archiep. Matthias archiep. creatus.

(*h*) *Id. ib. & Serar. Mog. rer. l. 5.* Sacramentum a Patavien. Epiſc. Pontifici delatum. (*i*) *An. 4. p. 1. ep. com. 870.*

cum diſcors Regis Romanorum eſſet electio, eum Regem agnoſcerent ac tuerentur, quem Romanus Pontifex ſuffragio apoſtolico extuliſſet.

IX. Neutram quidem in illa imperii inter Ludovicum ac Fridericum deſignatos Reges Romanorum controverſia, de qua ſuperius illatus ſermo eſt, electionem probabat Pontifex; ac vel in Fridericum, qui Guelphorum partes in Italia tuendas ſuſceperat, vel ad imperium in Gallicum genus, ut nonnulli ſuſpicati ſunt, revocandum propendere videbatur: & donec in ea cauſa a ſede Apoſtolica, ad quam dirimendæ ejuſdem controverſiæ auctoritas ſpectabat, ex legum æquitate pronuntiaretur, ac ſi interregnum eſſet, ſe gerebat: iniitque cum Roberto Siciliæ & Philippo Francorum Regibus Guelphiſque armorum fœdus, ut Gibellinos, qui Ludovici Bavari tuendi ſpecie urbium ac provinciarum dominia invadebant, ac turbabant Italiam, in ordinem redigeret.

Ut Joann. XXII. in imperii controverſia ſe geſſerit.

Robertus Rex in Italia imperii legatus.

X. Confirmavit (*k*) itaque Robertum Regem imperii proconſulem, jam ante a Clemente V. aſſentiente Cardinalium ſenatu creatum in Inſubria, ut Matthæum Vicecomitem everteret, qui Genuam continuis oppugnationibus urgebat, ac Mediolani, Ticini, Placentiæ, Vercellis, Novocomi, Bergomi, Dertonæ, & Alexandriæ trium filiorum ſtrenuorum ducum fultus potentia, regiam pene auctoritatem exercebat (*l*). Roberto alter ſubrogatus eſt vicarius Philippus (*m*) Caroli Valeſiorum comitis filius comes Cœnomanenſis, qui Gallicum poſtea ſceptrum geſſit, ut cum Francorum robore Inſubriam ad pontificias voluntates cogeret, utque benevolentia ad ſuas partes fluctuantes alliceret, cui clerum Inſubrem obſequentem eſſe juſſit Joannes (*n*). Præterea Bertrando Pojeto Cardinali legato partes dedit (*o*), ut cenſurarum religione ipſos ad comitis Cœnomanenſis excipienda imperia adigeret. Cum vero plures, qui ſua commoda ex publicis incommodis ac malis aucupabantur, pontificia conſilia diſcuterent, aliaſque ex aliis ſererent diſcordias, Pontifex legatum eundem in iis provinciis publicæ ſervatorem pacis creavit (*p*), & ampliſſimo imperio, ut tumultuantes in concordiam redigeret; frangeretque tum armis tum cenſuris ad pontificia obſequia inſtruxit: *Te*, inquit, *in eiſdem provinciis & partibus conſtituimus pacis de ipſorum fratrum conſilio ſervatorem, te paciarium in eiſdem provinciis & partibus ordinantes, ut inter quoſlibet in ipſis provinciis & partibus conſtitutos, quos fœdere pacis videris reformandos pacem & concordiam reformare & conſervare procures. Et ut commiſſum tibi in hac parte miniſterium utilius & com-*

(*k*) *An. 4. p. 1. ep. cur. 62.* Pontificis conſilia in Matthæum Vicecom.

(*l*) *Jo. Vill. l. 9. c. 108.* (*m*) *Id. ib.* Philippum comitis Valeſ. filium cum exercitu Gallico evocat. (*n*) *An. 4. p. 1. ep. cur. 62.* (*o*) *Ib. ep. cur. 64.* Bertrandus A. S. L. pacis publicæ ſervator creatus. (*p*) *Ib. ep. cur. 146.*

*modius exequaris, tam contra pacem facere jurare & firmare volentes, quam eandem præſumentes infringere; nec non & contra eos, qui in eiſdem provinciis & partibus diſcordias & ſcandala ſeminant, odia ſuſcitant, fovent, & nutriunt; contra illos quoque qui ſtatum pacificum earundem provinciarum & partium ac hujuſmodi paciarii ſeu ſervatoris pacis, commiſſum tibi officium perturbare vel impedire præſument; pro præſumptione hujuſmodi ſpiritualiter & temporaliter, prout facti ſuaſerit qualitas, & expedire videris, procedendi ac proceſſus tuos executioni mandandi; marchionum inſuper, comitum, aliorumque magnatum, poteſtatum, capitaneorum cæterorumque rectorum & conſiliariorum, ac univerſitatum & ſingularium perſonarum tam ipſarum provinciarum & partium, quam etiam aliunde ad id, quoties opportunum fuerit, auxilium & potentiam invocandi, & contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendi*; & infra, *concedimus poteſtatem. Dat. Avinione* IV. *non. junii anno* IV. [1]. Dedit eidem legato Cardinali imperia, ut Matthæo Vicecomiti ob correptam contra mandata apoſtolica Mediolanenſem præfecturam judicium apud ſubſellia pontificia intenderet, liberumque ituro commeatum polliceretur. Ad quæ mandanda operi legatus flectere primum clementia Matthæum pertentavit, miſſo Mediolanum internuntio, qui turpiſſime habitus ejectuſque eſt: ad quam vindicandam injuriam, antequam in arma conſurgeret, inſtituto apud Aſtam judiciario ordine, Matthæum ipſum anathemate perculit, edixitque intentata graviore mulcta, ut bimeſtri excurrente ſedi Apoſtolicæ ſe ſiſteret: eamque ſententiam ad Inſubriæ præſules omnes, ſolemni ritu divulgandam, tranſmiſit (a).

Miſſus a legato ad Matthæum vicecomitem concordiæ interpres.

*Bertrandus miſeratione divina tit. S. Marcelli presbyter Cardinalis A. S. L. venerabilibus in Chriſto patribus univerſis patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis: ac dilectis nobis in Chriſto electis abbatibus prioribus &c.*

(a) *Extat. in rotulo pergam. ſignato n. 1. ex archivo Avinion. in Vat. delato.*

*Nos, volentes tanquam obedientiæ filius, contenta in literis apoſtolicis executioni mandari comperto prius per diligentem informationem, quam ſuper hoc fecimus, quod ad civitatem Mediolanenſem, ubi dictus Matthæus de Vicecomitibus moram trahere dicitur, tutus ad hujuſmodi mandatum apoſtolicum exequendum haberi non poſſet acceſſus (de quo nobis ex eo maxime conſtitit, quod cum nuper paulo poſtquam fines noſtræ legationis intravimus, diſcretum virum magiſtrum Ricanum Petri capellanum noſtrum, familiarem, & domeſticum cum literis noſtris exhortatoriis, quarum aliæ præfato Matthæo, aliæ vero dirigebantur communi Mediolanenſi & populo, ad ipſos Matthæum, commune, & populum miſiſſemus, rogantes, requirentes eos, & inſtantius exhortantes, ut ad nos ſuos ambaxiatores & nuntios mitterent, de ſua intentione plenarie informatos, viros ſani, prudentis & maturi conſilii, Deum timentes, diſcretionem & conſcientiam bonam habentes, cum quibus eorum vice conferre, tractare deliberare, & ordinare omnia, per quæ ipſis & incolis ac partibus provinciæ Lombardiæ daretur pacis & tranquillitatis ſerenitas, valeremus; quique ab ipſis Matthæo, communi, & populo ſuper his plenum & ſufficiens mandatum haberent, idem Matthæus preces noſtras hujuſmodi & monita non ſolum exaudire, ſed elata etiam obſtinatione & obſtinata elatione audire deſpexit: quinimmo adventum capellani noſtri præfati præſentiens, ſatellites ſuos armis armatos ad hoſpitium, ad quod idem capellanus cum ſua ſimplici comitiva in dicta civitate Mediolanenſi declinaverat, deſtinavit: qui eidem capellano ex parte vicarii dicti Matthæi verbis terribilibus injunxerunt, ut ſtatim dictam civitatem exiret: & non ferentes, quod dictus capellanus ſe dicti Matthæi conſpectui præſentaret, dictaſque noſtras exhortationes & quaſdam alias apoſtolicas literas, quas præfatus dominus noſter Papa ipſis communi & populo tranſmittebat, eiſdem Matthæo communi & populo præſentaret, nec quod equi dicti capellani & ejus comitivæ,*

Scriptæ hortatoriæ ad pacem literæ.

Miſſus a Cardinale internuntius turpiter ejectus.

NOTÆ [1] EXpeditionem hanc Longobardorum in Maffeum Vicecomitem licet optime huic anno conſignat & ſine errore narrat Annaliſta, diligentius tamen exponendam cenſeo cum coævo authore Chronici Aſtenſis vulgato a Muratorio Rer. Italic. to. XI. cap. CI. & CII. Tradat ille Philippum Valeſium Aſtam veniſſe die V. Julii hujus anni eademque die moviſſe in Maffeum, qui tunc cum Germanis militibus Vercellas obſidebat. Maffeus miſit in adverſum duos ex filiis, qui Novariam uſque procedentes hoſti occurrerunt. Uterque exercitus biduo hæſit immotus; tertia demum die miles quidam clam a Maffeo ſubmiſſus arcana quædam cum Philippo communicavit, qui dein tacitus caſtris deſertis rediit Vercellas; tum craſtina die non ſine damno & cæde copiarum ſuarum remeavit ad propria. Fama eſt auro Vicecomitum corruptum rem prodidiſſe. Secundum hæc Beltramus Cardinalis venit Aſtam menſe Auguſti, ſtatimque alios alioſque ſubmiſit nuncios ad Vicecomitem, ut ad Eccleſiam rediret ſuadens. At ſurdo cecinit; ille enim intermiſſam obſidionem reſumens, Vercellas ſeptembris menſis dimidio in arctum redigere cœpit, donec tandem anno ſequenti menſe Aprili medio ſui curſu jam elapſo Urbanus Vercellenſis Epiſcopus deditionem Urbis fecit, nec tamen ipſe evaſit incolumis a victore actus in cuſtodiam, e qua tamen ipſe clam ſe ſubduxit. MANSI



*qui ſatis laboraverant illa die nec adhuc fuerant adaquati, ducerentur ad aquam, immo nec quod ſervitores & famuli præfati capellani, qui in prandio erant, ad plenum cibum ſumerent, eundem capellanum ſuper equum ſuum quaſi captivum ducentes, non permittentes quod capellum ſuum reciperet, extra ipſam civitatem ignominioſe & viliter ejecerunt, ipſumque capellanum, & qui cum eo erant in caſtro de Roſato & quibuſdam aliis terris & locis civitatis Mediolanenſis per multos dies tenuerunt vinctos, non permittentes, quod dicto capellano loqui poſſet aliquis ſine eorum licentia; hæc omnia & multa alia, quæ præſentibus inſerere longum eſſet, in perſonas dicti capellani & ſervitorum ſuorum (non ſine magna temeritate & contemptu noſtro, immo verius ſedis Apoſtolicæ) commiſerunt, prout de his etiam fuimus ſufficienter informati conſiderantesque quod de civitate Aſtenſi executio contentorum in dictis literis apoſtolicis nobis directis ad notitiam dicti Matthæi poterit pervenire, eundem Matthæum, de labe pravitatis hæreticæ ex cauſis contentis in ipſis literis apoſtolicis non indigne ſuſpectum, ſuper quo ne gregem dominicum contagione ſuæ peſtis inficiat, idem dominus noſter Papa urgente conſcientia intendit inquirere contra eum, in dicta civitate Aſtenſi in eccleſia fratrum Minorum civitatis ejuſdem, aſtante, cleri & populi multitudine copioſa, tertia die menſis ſeptembris excommunicatum, pulſatis campanis & candelis accenſis, publice nuntiavimus, & ab omnibus mandavimus arctius evitari: ipſumque ex parte dicti domini noſtri Papæ peremptorie citavimus, ut infra duorum menſium ſpatium poſt citationem hujuſmodi, quos idem dominus noſter præfato Matthæo pro termino peremptorio aſſignavit, ſub decem millium marcharum argenti & amiſſionis omnium privilegiorum, libertatum, immunitatum, gratiarum, feudorum, jurium, officiorum, honorum, & conceſſionum quarumlibet ab eccleſia & imperio Romano, & quibuſlibet aliis eccleſiis conceſſorum eidem, pœnis perſonaliter, etiamſi hujuſmodi terminus in tempus caderet feriatum, Apoſtolicæ ſedis conſpectui repræſentet, inquiſitionem hujuſmodi ſubiturus, ipſiuſque domini noſtri Papæ pariturus beneplacitis & mandatis, & alias facturus & recepturus, quod juſtitia ſuadebit: dictaſque literas & contenta in eis in noſtra præſentia ſolemniter fecimus publicari, ac præfatas domini noſtri ſecuritatis literas paratos nos obtulimus præfato Matthæo mittere, vel aſſignare, ubi & quando ipſe vel alius pro eo ſufficiens ad hoc habens mandatum, eas duxerit poſtulandas. Et ut hujuſmodi præfati domini noſtri & noſter proceſſus ad*

Non permiſſum, ut pontificiæ literæ Matthæo redderentur.

Vocatus in ſuſpicionem hæreſeos Matthæus

Inſtitutus in eum judiciorum ordo.

Dicta illi dies ad comparendum.

*dicti Matthæi & aliorum, quos contingere poſſunt, deducerentur notitiam, chartas ſive membranas, proceſſus, excommunicationes, publicationes, citationem, pœnarum adjectiones, & comminationes continentes eoſdem, majoris & fratrum Minorum, ubi nos reſidemus, eccleſiarum Aſtenſium appendi oſtiis faciemus, quæ proceſſus ipſos & contenta in eis ſuo ſonoro præconio publicabunt; ita quod præfatus Matthæus & alii, nullam poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos proceſſus ipſi non pervenerint vel quod ignorarint eoſdem, cum non poſſit eſſe incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Cæterum ut circa præmiſſa tanto minus prætendi poſſit ignorantia, quanto ea in plurimorum notitiam deducentur, univerſitati veſtræ in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus vos & quilibet veſtrum, qui ſuper hoc fuerit requiſitus, tenorem literarum ipſarum inſertum præſentibus, nec non & omnia per nos geſta circa executionem prædictam, dictum Matthæum excommunicatum, pulſatis campanis & candelis accenſis, in eccleſiis veſtris, dum miſſarum ſolemnia celebrabuntur in ipſis, ubi aderit populi multitudo, publicetis ſolemniter & faciatis ab aliis etiam ſolemniter publicari, ac ab omnibus arctius evitari, & in lingua materna exponi, facientes de publicatione & denuntiatione hujuſmodi fieri publica inſtrumenta, illa nobis quantocius tranſmiſſuri. Actum & datum ſub ſygillo noſtro in præmiſſorum teſtimonium in prædicta eccleſia fratrum Minorum Aſtenſium prædicta die III. menſis ſeptembris pontificatus ejuſdem domini Joannis Papæ XXII. anno IV.* Tranſmiſſa ſunt hæc legati Cardinalis acta judiciaria in Matthæum ad Inſubriæ epiſcopos, atque ab iis ſolemni ritu divulgata (a). Verum Vicecomes Gibellinorum ſignifer in pervicacia obduruit.

Promulgatur devinctus anathemate.

(a) *In eod. rotulo pergam.*

XI. Conſpirabant Guelpharum partium proceres cum Card. legato, Roberto Rege, ac Philippo Cœnomanenſi: nec tamen armis cenſuriſve eccleſiaſticis Gibellina factio edomita eſt, Philippi imprudentia (b), qui cum mille quingentis equitibus tantum ſuccinctus, non expectatis Pontificis, Neapolitani, Francorumque Regum, nec non Guelphorum auxiliaribus coppiis, ad Vercellenſes ſocios, cum adverſariis pugnantes, juvandos provolaret, in Mortarenſi agro a Vicecomitibus, longe validiori exercitu pollentibus, circumfuſus ſalutem redemit fœdere, ornatuſque ab iis muneribus in Gallias ſe ſubduxit. Exinde Pontificiis & Roberti res depreſſæ: ac Vercellenſes a Vicecomitibus obſidione cincti ſub hoſtium, quamvis obiicerentur his cenſuræ, (c) potentia ſuccubuere.

(b) *Jo. Vill. l. 9. c. 108. & 109.*

(c) *An. 5. p. 1. ep. cur. 105. & 113.*

XII. Opponebat enim Matthæus Vicecomes cenſuris eccleſiaſticis arma, eaque juſta contendebat, cum Ludovici Bavari deſignati Regis Romanorum legatum ſe gereret: quo nomine abſtinere a Pontifice juſſus, habito ludibrio imperio pontificio, domini Mediolani nomen affectavit; in quem ideo Joannes hanc ſententiam tulit, quam a legato Cardinale promulgari juſſit (a):

(a) *An.* 4. *p.* 1. *ep. cur.* 101.

Matt. Vicecom. vicarii nomen ſibi arrogare vetitus dominum Mediolani ſe appellat.

*Licet Matthæus Vicecomes de Mediolano, qui ſe dudum in civitate Mediolanenſi vicarium imperii nominabat, vicariatus hujuſmodi nomen ſuppreſſerit; ipſius tamen vicariatus officium tacite retinens, illius exercitium, poteſtatem, & uſum hujuſmodi, noſtris monitis omnino contemptis, exercere præſumit nequiter, ſicut prius; & in majorem ſuæ indevotionis oſtentationem & notabilius noſtrum & prædictæ ſedis eludium, ſibi dominii dictæ civitatis nomen uſurpans, ſe nominare dominum Mediolani, & facere publice nominari præſumpſit, & adhuc, ſicut per literas ſuas proprio ſignatas ſigillo certius nobis conſtat, nominare præſumit; juriſdictionem, dominium, ac poteſtatem in civitate & diſtrictu Mediolanenſi prædictis, & certis diſtrictibus, territoriis, locis, & partibus damnandis auſibus exercendo: ex quibus ipſe Matthæus nobis & eccleſiæ ſe patenter inobedientem exhibens, & notorie contumacem, prædictam ſententiam excommunicationis incurrit, quam demum publicari fecimus contra eum, & ipſum excommunicatum publice nuntiari, &c.*

A Pontifice anathemate notatur.

Subdit ut ſententiam apoſtolicam contumaciſſime ludibrio habuerit: ad cujus tamen frangendam pervicaciam iterum præcepit legato ut cenſuras ſolemni ritu in templis promulgaret, illumque ad ſedem Apoſtolicam ad dicendam cauſam pergere juberet; quæ ſi eluderet imperia, aliarum pœnarum terrorem incuſſit. *Dat. Avinione v. kal. julii an.* IV.

XIII. Poſtulatur judicio hæreſis.

(b) *Ib. ep. cur.* 95. 96. 104.

Ad vindicandam illum cenſurarum contemptum Joannes intendit (b) Matthæo Vicecomiti judicium hæreſeos, cum illi eccleſiæ auctoritas ſacrorumque religio ludibrio eſſet. Poſtulatus etiam (c) judicio Raynaldus Paſſarinus, atque ad dicendam cauſam de Mantuæ vicariatu ſuſcepto, interregni tempore, cum ad ſedem Apoſtolicam imperii provinciarum adminiſtratio ſpectaret, dies conſtituta:

(c) *Reg. poſt ep. cur.* 96.

Alii etiam tyranni in judicium vocati.

(d) *An.* 4. *p.* 1. *ep. cur.* 74.

*Dilecto filio Bertrando tit. S. Marcelli presbytero Cardinali A. S. L.*

Adminiſtratio imperii ad Pontificem devolvitur vacuo ſolio auguſtali.

*Licet (d) liquidum foret de jure, & ab olim fuiſſet inconcuſſe ſervatum, quod imperio Romano vacante, ſicut & nunc per obitum quondam Henrici Romanorum Imperatoris vacabat & adhuc vacare dignoſcitur, cum in illo ad ſecularem judicem non poſſet haberi recurſus ad ſummum devolvebatur Pontificem juriſdictio ac diſpoſito & regimen imperii ſupradicti, ipſeque illa, ejuſdem imperii vacatione durante, per ſe vel alium ſeu alios in imperio exercuiſſet eodem & exercere deberet; nonnulli tamen in Italiæ partibus conſtituti vicariatus ſeu cujuſcumque nomen officii, quod ipſo imperatore vivente ex illius commiſſione gerebant, in certis terris ac territoriis ſive locis, poſt deceſſum Imperatoris ejuſdem ſibi abſque noſtra & Apoſtolicæ ſedis licentia retinere, & nonnulli in aliis de novo aſſumere, quod non geſſerant, aut geſtum antea poſtmodumque dimiſſum reſumere, & illis abuti in noſtri & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ derogationem honoris temerariis auſibus præſumebant, ſe per hoc non abſque divinæ majeſtatis offenſa variis criminibus involvendo, &c.*

Conſtitutio circa præfectos urbium.

Subdit ut ipſe ad emergentia inde pericula propulſanda, tuendamque eccleſiæ dignitatem omnibus quocumque honoris gradu ſive regio ſive patriarchali conſpicuis interdixerit, ne in terris imperio Romano obnoxiis præfecturam ullam, quocumque nomine eam appellarent, arrogarent ſibi, vel a populis delatam admitterent: qui, ſi imperia apoſtolica reſpuerent, anathemate, ditionem vero ipſorum ſacrorum interdicto percuſſum iri denuntiarit.

Pœnæ in præfecturarum invaſores.

Paſſarini contumacia.

Cum vero Paſſarinus, ſpreta auctoritate pontificia, ſe Mantuæ imperii vicarium dicere contra edicta apoſtolica non vereretur, promulgavit Pontifex, illum anathemate irretitum teneri, atque omnia loca urbeſve, quæ ipſi parerent, ſacris interdicta. Tum Bertrando legato provinciam impoſuit (e), ut Patavii, Bononiæ, atque in aliis circumiectis locis vibratas in Paſſarinum ejuſque ſtudioſos cenſuras ſolemni ritu divulgaret, juberetque omnes ab illius ut fidelium cœtu avulſi hominis familiaritate & conſortio declinare. Quibus literis adiecta eſt hæc temporis nota. *Dat. Avin. XIV. kal. julii anno* IV.

(e) *Ib. ep.* 99. & 100.

Veronæ præfecturam vocatus eſt Canis Scaliger (f) cum illius gerendæ auctoritatem a ſede Apoſt. petere debuiſſet, ipſumque una cum ſequacibus anathemate defigi juſſit Pontifex.

(f) *Ib. ep.* 74. 102. & *an.* 5. *p.* 1. *ep. cur.* 99.

Scaliger Patavium obſidet.

Sprevit eas cenſuras Scaliger, ac Patavii quod magno excercitu cinxerat, obſidionem urgebat (g); cum viribus ſuis nimium præfidens, ac parum de tuitione caſtrorum ſolicitus, a Goritiæ comite, qui a Friderico Auſtriæ duce, atque Ludovici Bavari in imperii cauſa æmulo, ſubmiſſus erat ad Patavinos Guelpharum partium defendendos, maga clade deletus præcipiti fuga ſibi conſuluit: in qua obſidione Ugucio Fagiolanus, quem Piſis antea tyrannide arrepta multa ſecunda prælia ac præclara facinora geſſiſſe vidimus, occubuit.

(g) *Jo. Vil. l.* 9. *c.* 119.

Obſidionem ſolvere cogitur.

Ugucio Fagiolanus in caſtris moritur.

Inter hæc vero Gibellini exules ſummo animorum ardore

in



in Genua oppugnanda perſtitere (a), ac terra marique propulſati toties, novos impreſſere conatus.

(a) *Eod. l.* 9. *c.* 106. & *c.* 114.

XIV. Robertum inter & Frid. Reges bellum recrudeſcit.

Cæterum belli hujus occaſione recruduit Fridericum inter Trinacriæ Robertumque Siciliæ Reges bellum, quod antea Romanorum Pontificum diligentia ſopitum videbatur: cujus excitati incendii cauſam Joannes Papa re altius repetita, in Fridericum derivat, ut oſtendunt literæ ad transfundendam poſteris rei geſtæ memoriam exaratæ (b); in quibus præfatur, ut Clemens Quintus, increbreſcente rumore parari bellum in Regem Siciliæ ejuſque terras citra Pharum pontificiæ aulæ vectigales, & in variis portubus triremes ac naves magno apparatu bellico inſtrui ornarique, graviſſimis pontificia auctoritate incuſſis pœnis illis, qui juſſa infringerent, imminens periculum comprimere ſtuduiſſet;

(b) *An.* 4. *p.* 1. *ep. cur.* 116.

De induciis antea initis.

acceptiſque eccleſiæ gubernaculis Joannes ipſe ad conciliandam inter diſſentientes principes concordiam inducias indixiſſet, & Guillelmum epiſcopum Trecenſem, Petrum abbatem montis S. Saturnini Tholoſani S. R. E. vicecancellarium, tunc priorem S. Antonini ordinis S. Auguſtini Rhutenenſis diœceſis miſiſſet, ut apoſtolica auctoritate inducias infringi vetarent; quæ poſtea ad tres annos fuerant extractæ, atque ad eas ſervandas miſſi a Regibus oratores Friderici & Roberti nomine ſacramento ſe devinxiſſent. Ut vero a Friderico violatæ ſint, ita exponit Pontifex.

*Joannes, &c. Treuguas ſubſequenter procuratores ipſi ad hæc & alia infraſcripta ſpeciale mandatum habentes, ratificarunt nomine Regum ipſorum, & etiam approbarunt; & quod eas dicti Reges per totum tempus prædictum inviolabiliter obſervarent, ſupra ſancta Dei evangelia tacta corporaliter ab eiſdem in Regum ipſorum animas juraverunt, ſuper hoc inter ſe procuratores ipſi dictorum Regum nomine homagio præſtito & recepto.*

Miſſis a Frid. ad ſedem Apoſt. nuntiis.

*Cumque dictus Fredericus, juxta noſtræ requiſitionis inſtantiam, tempore procedente, pro hujuſmodi pacis proſecutione tractatus ad ſedem Apoſtolicam ſuos nuntios deſtinaſſet, tandem iidem nuntii, cum per dies aliquot moras traxiſſent ibidem, quia dictus Robertus Rex Siciliæ ſupervenientibus certis impedimentis eidem, ad ſedem præfatam, quamvis ad hoc ſe paraſſet, tunc venire non poterat, nec ſuos nuntios deſtinare, de noſtra licentia receſſerunt;*

Tardiore Roberti adventu.

*licet idem Rex Siciliæ, poſtmodum ab impedimentis expeditus eiſdem propter hoc ad memoratam ſedem, ubi adhuc morari dignoſcitur, acceſſiſſet.*

XV. *Nuper autem cum alios dicti Frederici nuntios per eum ad noſtram præſentiam tranſmittendos (ſuper quo per diverſas literas noſtras poſt receſſum dictorum nuntiorum rogandum & hortandum attentius duxeramus eundem ut cum eis ac dicto Rege Siciliæ, vel aliis ad hoc deputandis ab ipſo, hujuſmodi pacis proſequi poſſemus negotium & tractatum) anxie noſtrum deſiderium expectaret; quidam miles, qui dicti Frederici nuntium ſe dicebat, ad civitatem Avenionenſem, ubi nos cum Romana curia reſidemus, accedens ad hoſpitium dicti Regis, in eadem conſtitutum civitate, ſe contulit: & ejuſdem hoſpitii aulam ingreſſus, coram aſtantibus ibidem improvide, noſtra reverentia & ſedis prædictæ calcata, expreſſe ac publice dixit, quod Fredericus Rex prædictus præfatum Robertum Siciliæ Regem ſuoſque valitores, vaſallos, & homines diffidabat.*

Denuntiatur a Friderico Roberto bellum.

*Quibus verbis per militem prolatis eundem, ipſius Roberti Regis, qui tunc erat in camera ſua ejuſdem hoſpitii, nequaquam expectata præſentia; licet ab aſtantibus ibidem fuerit requiſitus, nec aliquo ſuper hoc exhibito vel oſtenſo mandato, præſumptuoſe receſſit. Et deinde, fama publica referente, multarumque literarum ad diverſos, in curia morantes eadem, tranſmiſſarum inſinuatione percepimus, quod idem Fredericus galeas & milites ac gentes alias præparabat, & ad regnum & terram prædicta invadendum, ut creditur, & etiam impugnandum.*

Perjurii nota Friderico a Pont. objecta.

*Per quod patenter oſtenditur, quod dictus Fredericus Rex, quamvis de tempore dictarum treuguarum, quas nos de fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica ratificandas duximus & etiam approbandas, uſque ad feſtum nativitatis Domini proximo venturum reſtare noſcatur; tranſgreſſionem hujuſmodi juramenti, dictaſque pœnas & ſententias non formidans, ad ipſius Regis Siciliæ dictorumque regni ac terræ, non abſque noſtra & ejuſdem eccleſiæ Romanæ injuria, moleſtia, & contemptu, impugnationem hoſtilem, & guerrarum commotionem intendit.*

XVI. *Nos igitur, qui præfatum regnum Siciliæ, tanquam recreationis noſtræ pomœrium paternæ dilectionis oculis intuemur, quique in ipſius non poſſemus læſione non lædi, talibus conatibus occurrere congruis & opportunis remediis intendentes, eidem Frederico (maxime cum nos de dicto Roberto Rege Siciliæ omnibus de ipſo conquerentibus parati ſumus plenam juſtitiam exhibere) & aliis univerſis & ſingulis tam clericis quam laicis, cujuſcumque ſtatus, ordinis, conditionis, præeminentiæ vel dignitatis exiſtant, etiam ſi pontificali vel imperiali ſeu regali, ut prædicitur, aut quacumque alia dignitate præmineant;*

Roberti regnum invadi vetat Pont.

*ac univerſitatibus, communitatibus, & populis civitatum, terrarum, locorum, caſtrorum, & aliorum quorumcumque locorum, ubicumque conſiſtentium;*

hac

*hac fidelium aſtante multitudine copioſa, auctoritate apoſtolica diſtrictius inhibemus, &c.* Imperat, graviſſimarum pœnarum terrore intentato, ne quis in Roberti terras eccleſiæ ſtipendiarias hoſtili furore excurrere, vaſtare agros, urbes invadere, aut tentare obſidione audeat: interdictum eccleſiaſticum provinciis incutit, populoſque ac principes omnibus vectigalibus bonis exuit, quæ ab eccleſia obtinent, vel imperio, cujus ſuo principe viduati adminiſtratio ad Romanum Pontificem pertinet: eccleſiaſticos viros ſacerdotiis, ac dignitatibus deturbat; cæteris vero, quacumque auctoritate atque honore floreant, aliarum pœnarum, quas ipſorum in ſe verterit audacia, metum infligit. ac ne Fridericus hæc imperia ipſum latuiſſe opponat, in publicis locis defigenda ſancit. *Actum & datum in palatio ejuſdem eccleſiæ Avinionenſis X. kal. Auguſti anno* IV. Extant de violatis a Friderico induciis, belloque Roberto illato plures literæ, quibus ipſum Pontifex a præſulibus anathemate cum fœderatis percelli juſſit (a), populoſque in Roberti fide confirmavit (b).

Imperia ſpernentibus incuſſæ pœnæ.

(a) *Reg. poſt eand. ep.*
(b) *Ep. com. 117. & reg. poſt eand. ep.*

XVII.

De eodem bello hoc anno inter Fridericum Trinacriæ & Robertum Siciliæ Reges geſto, refert Joannes Villanus (c), Fridericum valida claſſe conflata, cui Gibellinorum triremes præfecto Corrado Auria ſe conjunxere, Genuaque irrito conatu tentata, in Iſchiam inſulam vela feciſſe: quam cum exſcenſione facta, miles vaſtaret, Roberti claſſem militum triremiumque numero florentiſſimam (d) duce Raymundo Cardona hoſtem in fugam adventu ſuo avertiſſe: additque elapſam Frederici claſſem repetiiſſe Genuam, ac finxiſſe reportatam de Roberti maritimo exercitu victoriam, ut obſeſſos ad deditionem eo metu adducerent; ſed eorum impetus civium virtute propulſatos.

(c) *Jo Vill. l. 9. c. 112.*
Genua a Gibellina claſſe tentata.
(d) *Ib. c.* [illegible]

XVIII.

Ferrarienſium defectio.

Corripuit illius belli flamma ditionem eccleſiaſticam ac plures populos civilis furor exercuit, utque a Ferrarienſibus ducamus initium: defecerant ii ab officii religione, ac violata data olim Romanis Pontificibus, atque etiam Clementi V. fide, coram quo erant profeſſi, Ferrariam a primis incunabulis eccleſiæ obnoxiam fuiſſe; excitiſque Azone & Opizone marchionibus Ateſtinis, pontificiam arcem everterant: dein moniti officii apoſtolico edicto Azo & Opizo, conſtitutis procuratoribus, tum Ferrarienſes polliciti ſunt, urbem ad clientelam obſequiumque Romani Pontificis ut juſti domini redituram: cumque nunciorum Apoſtolicæ ſedis auctoritate Franciſcus Griſlerius eques Bononienſis Ferrariæ præfecturam iniiſſet, atque in propugnaculis pontificia ſigna fixiſſet; deinde Ferrarienſium oratores in ſacro Cardinalium ſenatu Pontifici propoſuiſſent, ad excipienda omnia illius imperia ſe acceſſiſſe; iiſque conſueta benevolentia auditis juſſum eſſet, ut Azo & Opizo marchiones palatio, quod tunc inſederant, atque ante rebellionem Ferrariæ motam a Romana eccleſia obtinebatur, abſcederent, aliaque ad id ſpectantia nuntiis apoſtolicis traderent; tum Ferrarienſibus imperatum, ut arcem Thedaldicam, aggeres, propugnacula, ac mœnia, quæ everterant, in priſtinum ſtatum reſtituerent: marchiones tamen, quamvis pollicerentur, ſe in ſedis Apoſtolicæ auctoritate futuros palatio cedere prætermiſere, ac populum in rebellionem conjecerunt. At Pontifex ut ea ab invaſorum audacia vindicaret, Ferrarienſibus, Raynaldo, Opizoni, aliiſque earum partium anathema incuſſit; ac ſi contemnerent cenſuras, judicio hæreſeos poſtulandos edixit.

Juſſi Ateſtini palatio Ferrarienſi abſcedere.

Imperia reſpuere.

Intentatæ Ferrarienſibus pœnæ, ni redirent ad officium.

In Piceno paſſim conjurationes factæ: Recinetenſes (e), Auximani (f), Fanenſes (g) rebellionis ſigna extulere; nonnullique viri nefarii cumulandarum opum & augendæ potentiæ cupidi, eccleſiaſticæ ditionis urbes, oppida, vicos occupare, diripere, incendere, ac nulla ſexus ætatiſve miſericordia ſævire in omnes, explere libidinem, cumulare ſpolia, infeſtamque reddere provinciam non ſunt veriti. In quos Pontifex agere legibus (h), intendere judicium, cenſuraſque, demum in obſtinatos arma expedire decrevit. Exutum (i) eſt ejus perduellionis occaſione Recinetum epiſcopalis ſedis dignitate, quæ Maceratam ob egregia illius urbis in eccleſiam ſtudia traducta (k) eſt. Urbinates pariter Friderici, Guidonis, & Sperantii comitum Montiſferetri fœdiſſimæ ſervituti ſe addixerant: in quos judiciario ordine decretæ pœnæ (l), quarum tamen metu ad officium adducti non ſunt; immo ad confirmandam tyrannidem, conſtituendumque e ruinis eccleſiæ principatum ambitione perciti Spoletum, inita cum Gibellinæ factionis civibus conjuratione, invaſere (m). Procurrere in Guelphorum auxilium Peruſini, urbemque cinxere obſidione: quam dum urgebant, ob Aſſiſinatium ad Fridericum comitem Feretranum deſciſcentium rebellionem ſolvere coacti, ut caſtra ad Aſſiſium tranſferrent: ex quorum receſſu Gibellini Spoletani e metu recreati, efferatique rabie in Guelphos, quos in vincula conjecerant, facibus injectis carceribus, exeunte anno ſuperiore, inhumaniſſime ipſos in favillam redegerunt.

Conjurationes contra Pontif. in Piceno.

(e) *An. 5. p. 1. ep. cur. 15.*
(f) *Ib. & ep. 21.*
(g) *Ib. ep. 77.*
(h) *Ib. ep. 16. 17. 18. 19. 20. 24. 77. 95.*
(i) *Ib. ep. 96.*
(k) *Ead. ep.*
(l) *Ib. ep. 16.*

Spoletum Gibellin. opera occupatum.

(m) *Jo. Vill. l. 9. c. 103.*

Aſſiſinatum rebellio.

XIX.

Abſolvimus res Italicas pontificiæ ſeveritatis in Iſnardum patriarcham Antiochenum ac Ticinenſis eccleſiæ adminiſtratorem exauctoratum exemplo.



Iſnardi patr. Antioch. exauctorati contumacia.

Supra a nobis memoratum eſt, ut ille ob ſecutam Gibellinam factionem, ac plura ſcelera commiſſa judicio poſtulatus, ad ſedem Apoſtolicam dicturus cauſam ſe contulerit; convictuſque perfidiæ, non expectata ſententia, mutata veſte Ticinum ſe receperit: damnatus itaque crimine contumaciæ, anathemate defixus, atque priſtino munere dejectus in tantam prorupit temeritatem, ut non modo divinis ſe ingereret, verum etiam in Chriſti vicarium indignas voces evomeret, ejuſque carperet auctoritatem. Legibus igitur in nefarium hominem Bertrandus A. S. L. cui exercendæ etiam in hæreticos quæſtionis data provincia erat, ne cenſuræ eccleſiaſticæ ludibrio haberentur, agere cœpit; atque cenſoribus fidei in Inſubria provinciam ſubiectis literis, (a) contulit, ut in Iſnardum velut ſchiſmaticum animadverterent, omnique opera vinculis manciparent.

Judicio hæreſeos poſtulatus a legato.

(a) *Ext. in MS. Vall. ſig. lit. B. n. 12. pag. 144.*

*Bertrandus miſeratione divina tit. S. Marcelli presbyter Cardinalis A. S. L. venerabilibus in Chriſto patribus Aſtenſi & Novarienſi epiſcopis, ac religioſis viris S. Ambroſii & Dionyſii & S. Simpliciani Mediolanenſis ac S. Marciani Terdonenſis monaſteriorum abbatibus; necnon Joanni præpoſito de Ponterolio Mediolanenſis diœceſis ac archipresbytero & cimiliarchæ eccleſiæ Mediolanenſis, ac univerſis inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in provincia Lombardiæ ſuperioris per ſedem Apoſtolicam deputatis ſalutem in Domino, &c.*

*Poſt prædicta* latas nimirum cenſuras *pro patriarcha Antiocheno & adminiſtratore ecleſiæ Papienſis ſe gerere, & talem ſe nominare, ac officium pontificale & ſacerdotale agere non expavit, inſignia epiſcopalia & patriarchalia deferendo, ſe divinis officiis immiſcendo multoties ſicut prius, redditus & proventus eccleſiæ & epiſcopatus Papienſis recipiendo & in uſus proprios convertendo; dicendo prædictum dominum Papam non debuiſſe, nec potuiſſe taliter procedere contra ipſum, ſeque ad obſervandum & tenendum dictas ſententias contra eum prolatas aliquatenus non teneri, & contra prædictum dominum Papam multa verba profana & blaſphema proferendo, quæ verba innuunt, dominum Papam prædictum non habere plenitudinem poteſtatis; non attendens ſacris canonibus eſſe cautum, quod qui eccleſiæ unitatem non tenet, alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt.*

Male ſentire de Roman. Pont. auctoritate accuſatur.

*Hæc namque eccleſia domus Dei ſupra firmam petram ædificata, claves ligandi & ſolvendi accepit, quam ſi quis corrigentem, corripientemque contempſerit, ut publicanus & ethnicus, immo verius ut hæreticus eſt habendus. Domum enim iſtam ſolus Dominus ipſe fundavit, & ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clavigero, & ejus ſucceſſoribus Romanis Pontificibus terreni ſimul & cœleſtis imperii jura commiſit. Non enim quælibet terrena ſententia, ſed illud verbum quo conſtitutum eſt cælum & terra, per quod denique omnia elementa ſunt condita, Romanam fundavit eccleſiam, & illius privilegio fungitur, cujus auctoritate fulcitur. Et ideo qui Romanæ eccleſiæ primatum, ab ipſo ſummo omnium eccleſiarum capite traditum, auferre conatur, in hæreſim labitur, & hæreticus eſt cenſendus: fidem quippe violat, qui adverſus illam agit, quæ eſt mater fidei; & ei contumax invenitur, qui eam cunctis eccleſiis prætuliſſe cognoſcitur: nititur enim tunicam inconſutilem ſcindere, & corpus Chriſti domini noſtri, hoc eſt ſanctam eccleſiam, lacerare; unde tanquam diviſionem & ſciſſuram faciens in eccleſia ſancta Dei debet non ſolum rerum proſcriptione, ſed & dura & arcta cuſtodia coerceri per judiciales & publicas poteſtates. Quis enim dubitat inter alia commiſſa ſceleratius eſſe ſchiſma, quod ſcripturæ ſacræ teſtimonio hiatu terræ, ſepultis auctoribus ejus rimis, & cæteris cæleſti igne conſumptis, invenitur gravius vindicatum?*

Rom. eccl. primatus illuſtratur.

*Nos igitur ad provincias Lombardiæ & Tuſciæ, & alias Italiæ partes in literis noſtræ legationis expreſſas per præfatum dominum noſtrum cum plenæ legationis officio deſtinati, inquirendi & procedendi contra hæreticos & eos puniendi nobis & per ſuas literas poteſtate conceſſa, &c.* Provinciam imponit cenſoribus fidei, ut Iſnardum velut ſchiſmaticum, atque hæreſis nota aſperſum compingant in carceres, magiſtratuum implorent auctoritatem, & iis, qui cum ipſo ſenſerint, cenſuras incutiant. *Dat. Aſtæ* IV. *id. octob. pontificatus ejuſdem domini Joannis Papæ* XXII. *anno v.* Navata eſt ſtrenua adeo in Iſnardum a cenſoribus fidei opera, ut ipſum proximo tempore comprehenderint. Quo accepto Pontifex Joanni e Beccaria Minoritæ, cui eccleſiæ Ticinenſis adminiſtrationem contulerat (b), partes iniunxit, (c) ut ipſum fidiſſimis ſtipatum cuſtodibus ad ſedem Apoſtolicam meritis afficiendum pœnis mitterent.

Datum fidei Cenſoribus munus illum vinculis mancipandi.

Comprehenſus ad Sed. Ap. duci juſſus.

(b) *An. 5. p. 1. ep. cur. 86.*
(c) *Ib. ep. 87.*

Habita eodem tempore in Galliis inquiſitio de Philiberto ſacerdote Biſuntino, qui in Auxitana diœceſi Uvaldenſium virus vomuerat, ſumptumque de illo ſupplicium: Pontifex enim Toloſano archiepiſcopo, ut ipſum ſacerdotali dignitate exueret, provinciam dedit. Cum vero ad Gallicas res defluxerit oratio, ad eas ſpectantia proſequamur.

Philibertus Uvaldenſis ſupplicio affectus.

XX.

Extincto ſuperiori anno exitiali bello quod Gallos ac Belgas mutuas cædes duobus ac viginti annis efferarat (d), ac pace feliciſſime revocata, ad eam ſanciendam aſtrin-

(d) *Ber. chr. Rom. Pont.*

aſtringendamque firmiore vinculo, conventum hoc anno, ut Margarita Regis Galliarum filia Ludovico comiti Nivernenſi Flandriæ comitis majori filio thoro jungeretur. Gratulatus (*a*) eſt Philippo Pontifex de pace confirmata, ſeque ingentem lætitiam ex felici nuntio traxiſſe; Robertum comitem acceptum beneficio auctoritateque Gallicæ aulæ Belgium profeſſum eſſe, clientelæque nomine ſacramento fidem Regi devinxiſſe, Gaucelino Cardinali legato ſignificavit (*b*), ipſumque ad omnes concordiæ leges ad exitum perducendas incumbere juſſit. Perſtringit illas Bernardus (*c*), explicatius vero recenſet Meyerus (*d*), additque adiectam eam pacis legem, ut ſi Ludovicus Nivernenſis comes Roberti ſenioris Belgii comitis major natu filius e vivis ante parentem excederet, in principatu non Robertus ſecundus natu, ſed Ludovicus junior avo ſuccederet. Alias præcipuas leges concordiæ ſubiicit, ut Inſula, Duacum, & Orchiacum Gallici juris eſſent: Belgæ triginta millia nummum ad refundendos belli ſumptus Philippo Regi penderent, nec ære vel copiis comites, ſi pacem infringerent, aliove modo unquam juvarent. Ex eo porro Ludovici cum Margarita matrimonio, ex quo Galli res ſuas augere ac Belgas arctiori vinculo aſtringere arbitrabantur, confirmatas poſtea & amplificatas Belgarum res, idem auctor refert, cum Margaritæ beneficio Atrebatum & Burgundiæ comitatus cum Belgio conjuncti fuerint.

(*a*) *Tom. 2. p. 2. ep. ſec. 366.*
Profitetur Robertus comes Belgium beneficio Philippi ſe accepiſſe.
(*b*) *Ib. ep. ſecr. 363.*
(*c*) *Ber. chr. Regum Franc.*
(*d*) *Meyer. in Robert.*
Concordiæ leges.

XXI. Paſtorelli in arma coorti.

Excitati hoc tempore tumultus periculoſiſſimi improbo nonnullorum zelo, qui profectionis Aſiaticæ aggrediendæ ſpecie in arma conſurrexere. Nullum tum ſermo pervulgatior erat, quam de ſacro bello in orientem adverſus Saracenos traducendo: decreta enim jam ante fuerat a Clemente V. ea expeditio in Viennenſi concilio, exactæ a ſacerdotibus decimæ, Oſſinius Armeniæ Rex miſſis in occidentem oratoribus Reges ac principes ſolicitarat, ut periclitantibus Chriſtianorum reliquiis ſuppetias ferrent; Francorum Rex crucis ſymbolum acceperat, alii principes eidem ſe militiæ devoverant, inculcarat toties Pontifex, Belgas ne bellum illud ſuſpiceretur obſtare. At pacem jam conciliata; cum omnium expectatio ſacræ illius expeditionis deſiderio ſuſpenſa eſſet, vertebantur alio conſilia: Pontifex namque Philppum Francorum Regem ob civilia Chriſtianorum Regum bella avertebat, ratus funeſtam aliquam cladem, niſi pacatus eſſet occidens, expectandam, nec unius regni vires potentiſſimis ſoldanis pares eſſe, aucupandumque videri tempus commodius; cum plebeculæ fæx impatiens tantarum morarum imprudenti accenſa zelo, arma corripit: ovium, armentorum, porcorumque ductores concurrunt ſub ſigna: religioſi, ſacerdoteſque multi eorum pietatem commendant: ſimplicibus ruſticanis facinoroſi quique ſe conjungunt, atque exclamant invito reliquo orbe ad recuperandam terram ſanctam profectionem ſe inituros. Cumque nullius ducis auctoritate regerentur, graſſari ferro, rapinis ac flamma cœpere.

Ex quibus cauſis.

Plura temere & crudeliter gerunt.

Pontifex cum jam ea turba inſano zelo efferata in agro Avinionenſi fremeret, ſacro Chriſti in cœlum aſcendentis die cenſuras iis omnibus, qui ſub ſigna confluerent ante indictum a ſede Apoſtolica profectionis tempus, incuſſit (*e*); atque Narbonenſem, (*f*) Toloſanum (*g*), & Arelatenſem (*h*) archiepiſc. eorumque ſuffraganeos eas divulgare juſſit. At tutum non erat percitæ furore multitudinis obſtare conatibus, quæ non ſentientes cum ipſis impietatis damnabat: ac Toloſanus archiepiſcopus Pontificem conſuluit, qua ratione in ea re ſe gereret, cum grave immineret periculum, ne ipſos in ſe concitaret Cui Pontifex tempori ſerviendum reſpondit, (*i*) conſuluitque ut aliquos plebeios ex ſingulis Toloſæ vicis ad ſe evocaret, proponeretque gravi oratione quanta ex Paſtorellis impenſo ſtudio pericula emergerent, ac nunc publice nunc privatim ad officium revocare niteretur. Præfectos etiam provinciarum, magiſtratuſque urbium populari illi furori obſiſtere juſſit: quo argumento Belliquadrenſi magiſtratui hæ datæ literæ (*k*).

Intentatis cenſuris a Pont. cœptis abſtinere juſſi.
(*e*) *To. 2. p. 2. ep. ſecr. 240.*
(*f*) *Ib. ep. ſecr. 247. & 248.*
(*g*) *Ib. ep. 622.*
(*h*) *An. 4. p. 1. poſt ep. cur. 73.*
(*i*) *To. 2. p. 2. ep. ſecr. 248.*

*Joannes, &c. dilecto filio nobili viro ſeneſcallo Bellicadri.*

(*k*) *An. 4. p. 1. ep. cur. 73.*
Magiſtratus ad eos armis reprimendos ſolicitati.

*Habet multorum fide digna relactio, quod nonnulli porcorum & ovium aliorumque cuſtodes animalium ruſticani, qui ſe nominant Paſtorellos, ignorantes tramitem rationis, ac transfretare ſe velle in terræ ſanctæ ſubſidium prætendentes, congregationes varias in diverſis partibus ordinare, impuberibus ad hoc & mulieribus imprudenter aſſumptis, tam indiſcrete quam improvide, moliuntur; nonnullis aliis ſucceſſivis diebus ad congregationes accedentibus ſupradictas quorum multi armis carent neceſſariis ad bellandum, & quidam ex eis inſufficienter armis neceſſariis ſunt muniti, & omnes ad transfretandum pariter deſtituti quolibet apparatu nullum ſequi ducem, nullumque ſibi præponere capitaneum, & nullum noverunt aſſumere directorem: & quod eſt in eis gravius deteſtandum, ad impietatis opera laxantes crudeliter manus ſuas, quamplures immaniter gladiis trucidarunt, diverſorum tam clericorum quam laicorum, & etiam Judæorum bona, temporis opportunitate, captata, violenta prædatione ſubripiunt, & ea in uſus proprios, non ſine grandi noſtri Redemptoris offenſa & propriæ ſalutis*

Cædes & rapinæ paſſim a Paſtorellis patratæ.



*tis diſpendio convertentes, pluribus diverſorum principum & magnatum officialibus graves & enormes injurias irrogarunt: non enim hominum tam imprudentium obſequia, qui per improbos actus oſtendunt, devotione ſe ſteriles, redduntur in oculis divinæ majeſtatis accepta; nec eorum terra prædicta ſubſidio, cum ſint viribus & facultatibus impotentes, in ſuis poteſt neceſſitatibus adjuvari.*

*Cum igitur ad ipſius terræ paſſagium, quod ſpecialiter inſidet cordi noſtro, cum chariſſimo in Chriſto ſilio noſtro Philippo Regem Francorum illuſtri ( qui ſigno vivificæ crucis aſſumpto ad ipſius terræ ſubſidium & ſuccurſum deſideranter aſpirat; & ſuper hoc diverſa jamdudum & utilia exquirendo conſilia laboravit, & indefeſſis non ceſſat ſtudiis laborare ) promptis deſideriis intendamus, & nonnullis ſcandalis variiſque periculis quæ frequenter in diverſis partibus ex tam inordinatis congregationibus, ſicut manifeſte docet magiſtra rerum experientia, provenerunt in ſcrutinio debitæ conſiderationis eductis, & ne ſimilia contingant in poſterum, paternæ diligentiæ ſtudiis proſpiſcere cupientes; nobilitatem tuam rogamus & hortamur in domino Jeſu Chriſto, quatenus omnes & ſingulos, qui Paſtorelli, ut prædicitur, nomninantur & quoſuis alios, laicos tamen, quocumque cenſeantur nomine de congregationibus antedictis, qui velle ſe aſſerunt transfretate per terras conſiſtentes & loca tuæ jurisdictioni ſubjecta, quod a præmiſſis deſiſtant, quouſque de dicto negotio, Deo dirigente, fuerit ordinatum pro divina & Apoſtolicæ ſedis reverentia, ſtudeas coercitione debita cohibere. Datum Avinione* III. *kal. julii anno* IV.

XXIII.
(*a*) *To. 2. p. 2. ep. ſecr. 240.*
E pluribus regnis concurrerant Paſtorelli.

Viſus (*a*) eſt initio Philippus Francorum Rex cruceatæ expeditionis ſtudio, cui ſe devoverat, Paſtorellis favere: qua de re graves querelas Joannes apud Gaucelinum A. S. L. agentem in aula Gallica fudit, cum non crucesignati, ſed lupi rapaces & homicidæ potius appellandi eſſent. Nec modo e Galliis, ſed ex aliis quoque regnis ea popularis fæx conſurrexerat in arma: de Anglis enim Walſingamus (*b*) ait plures transfretaſſe in Gallias; cumque in finitimas mediterraneo mari provincias perveniſſent, ac deeſſent naves, temerarium conſilium abiicere coactos: Bernardus (*c*) vero, qui hæc oculis hauſit, diſſipatos illos teſtatur, cum ob gravia ſcelera ac direptiones agrorum ( nullis enim ſtipendiis ſuſtentatis niſi rapto vivere ſupererat) magiſtratus in ſe aſperaſſent, ac pluribus ex iis necatis ſuſpendio, reliquos ut fumum evanuiſſe; de quibus hæc Jordanus refert (*d*): MCCCXX. *congregatio multorum facta eſt valde pericuIoſa in Gallicanis partibus, qui Paſtorali vocabantur. Hi omnis ſuperioris poteſtatis jugum excuſſerant, & ut neceſſitatibus ſuis conſulerent & avaritiæ, Judæorum bona capiebant, ſi baptizari nolebant, & eis mortem inferebant: locis & caſtris, per quæ tranſibant, violentias inferebant & damna, maxime in bonis clericorum. Contra hos & fautores eorum camerarius domini Papæ per religioſos mandavit prædicationes fieri: cito autem incompoſita & agreſtis illa multitudo evanuit.*

(*b*) *Walſing. in Eduard. II.*
(*c*) *Ber. chr. Rom. Pont.*
Brevi diſſipati.
(*d*) *Jord. MS. bibl. Vat. ſign. n. 1960.*

Judæos perſequuntur.

Tum in Aquitania accidiſſe ferunt, ut quingenti ex Judæis in turrim ſe reciperent, quibus circumſeſſis a Paſtorellis cum nullum effugium pateret, verſi in deſperationem, jacta ſorte, unum elegere, qui reliquis gulam frangeret; ſed cum is ætate, ſenex eſſet, juvenem in ea crudeli carnificina ſocium popoſcit: ii duo reliquos, voluntariæ morti ſe offerentes, ne in Paſtorellorum manus inciderent, necavere. Qua perfecta re, ſenex a juvene idem crudele popoſcit officium: quo ille perfunctus, non ſibi manus intulit, ſed Paſtorellis ſe dedidit, ac baptiſmo una cum pueris ſuperſtitibus luſtrari flagitavit. At ipſum ii, ut generis ſui tortorem, ſupplicio affecere. Commotus ob Paſtorellorum ſævitiam Pontifex, Judæorum adverſus ipſos ſuſcipere clientelam eſt compulſus, literiſque (*e*) ad principes Chriſtianos ac viros nobiles datis, armis a Paſtorellorum feritate Judæos defendere juſſit.

Suſceptum a Pont. Judæorum patrocinium.
(*e*) *An. 4. p. 1. ep. com. 952.*

In ea porro perſecutione a Paſtorellis excitata plures Judæi ad baptiſmi ſacra perfugere (*f*), quibus aliiſque in poſterum convertendis ut conſuleret Joannes, editas antea ſuperioribus annis conſtitutiones, ut a Judaica ſuperſtitione ad fidem traducti bonorum jacturam, quæ antea obtinebant, non paterentur ( religionis enim odio nefarium illum morem Judæi induxerant ) renovavit (*g*). Divinæ porro juſtitiæ a Paſtorellis edita ſtrages aſcribi poterit, ſi atrocia Judæorum ſcelera ac blaſphemæ voces, quas in Chriſtum & Virginem vomebant, perpendantur; utque thalmudicis fabulis ſimplicem populum irretire niterentur. Ad quorum perfidiam frænandam Pontifex talmuth aboleri flammis, ac reliquos abuſus, quos invexerant, tollendos conſtituit (*h*).

(*f*) *Ib. ep. cur. 115.*
Plures ex iis ad fidem converſi.
(*g*) *Ib. ep. cur. 250. & ſuper ep. 115.*
Renovata contra thalmudiſtas veterum Pont. decreta.

*Joannes, &c. venerabilibus fratribus archiepiſcopo Bituricenſi, ejuſque ſuffraganeis.*

(*h*) *Eod. an. 4. p. 1. ep. cur. 190.*

*Dudum felicis recordationis Clemens IV. blaſphemiis Judæorum innumeris, abuſionibus multis, & deteſtabilibus blaſphemiis contra ſalvatorem & dominum Jeſum Chriſtum, ac præcelſam & glorioſiſſimam ſemper virginem Mariam genitricem ejus, in quodam libro contentis ipſorum, plenius in-*

Horrendæ in thalmudicis libris contentæ blaſphemiæ.

intellectis; & demum piæ memoriæ Honorius Romani Pontifices prædeceſſores noſtri aſſertione veridicæ relationis audito, quod ipſorum Judæorum damnata ſuggerente perfidia, nonnulli fidei Chriſtianæ cultores, tam mares quam mulieres, in certis articulis cum Judæis judaizabant eiſdem, & alia multa tam Chriſtiani & Chriſtianæ, quam Judæi ſupradicti enormia, committebant, quæ in gravem noſtri contumeliam Redemptoris, & detrimentum fidei catholicæ redundabant; iidem prædeceſſores, videlicet Clemens Terraconenſi & poſtmodum Honorius Eboracenſi archiepiſcopis, qui tunc erant ſuper his per eorum ſub certa forma contra dictos Judæos literas direxerunt; & inſuper bonæ memoriæ Oddo Tuſculanus epiſcopus in regno Franciæ Apoſtolicæ ſedis legatus, quia quoſdam Judæorum ipſorum libros, qui talmutz nominantur, per ſe & alios fidei zelatores inſpectos reperit errores innumerabiles, abuſiones & blaſphemias continere, contra Judæos pronuntiaſſe dignoſcitur ſupradictos, prout in eiſdem literis ac pronuntiatione, quarum tenores fecimus annotari præſentibus, continetur.

Ut Damnati ii a Clem. IV. Honor. & Oddone legato fuerint.

Nos igitur, ad quos ſpecialiter pertinet fidei orthodoxæ defenſio, in debitæ conſiderationis ſcrutinio recenſentes, quod tam peſtilens tamque pernicioſus morbus, qui adhuc in diverſis perdurat partibus, non eſt aliquatenus contemnendus, ne proceſſu temporis inficiendo fideles alias damnabilius convaleſcat; ſed potius ad præcidendum radicitus illius peſtiferos palmites, ne in diſcrimen ipſius fidei dilatentur, ſolicitis ſtudiis procedendum; fraternitati veſtræ, dictorum prædeceſſorum inhærendo veſtigiis, in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus Chriſtianos & Chriſtianas omnes & ſingulos per veſtras civitates & diœceſes conſtitutos, tam in cathedralibus & aliis eccleſiis ipſarum civitatum & diœceſum per vos vel alios, quos ad hoc duxeritis deputandos, quam in prædicationibus & ſermonibus veſtris, quos propter hoc frequenter fieri volumus & mandamus, monere curetis & eis diſtrictius inhibere, ut a præmiſſis omnibus & ſingulis aliis in literis eiſdem contentis ſtudeant penitus abſtinere, eos ab iis per ſpirituales pœnas, de quibus expedire videritis, appellatione poſtpoſita compeſcendo; & alias ſuper his contra Chriſtianos & Chriſtianas eoſdem, nec non & contra præfatos Judæos, ut a præmiſſis blaſphemiis, erroribus, imprecationibus, & falſitatibus, ac aliis, quæ in literis continentur eiſdem omnino reſiliant, juxta ſtatuta canonica, & per alia congrua & opportuna remedia providendo. Et nihilominus a Judæis, in civitatibus & diœceſibus conſiſtentibus ſupradictis, legem ſeu librum hujuſmodi, quem talmutz, ut prædicitur, vocant, omneſque alios ipſorum libros cum additionibus & expoſitionibus eorumdem faciatis vobis integraliter aſſignari, eos ad hoc pœnis, de quibus expedire videritis, canonicis compellendo: dictoſque talmutz & libros eis prius cum aliquibus de Minorum, Prædicatorum ordinum fratribus, ac aliis prudentibus & peritis viris, quos in lege Domini noveritis eruditos, diligenti examinatione diſcuſſis; vel illos ex eiſdem, quos eoſdem blaſphemias, vel errores, aut imprecationes, ſeu falſitates repereritis continere, igni comburatis, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis: attentius proviſuri, ut una ſimul in dicto conſilio ſic provide, ſic conſulte in hujuſmodi negotio procedatis, quod in eiſdem civitatibus & diœceſibus veſtris mandatum noſtrum hujuſmodi circa talmutz & librorum aſſignationem hujuſmodi, vobis integre faciendam, uno eodemque tempore celeriter effectum executionis debitæ ſortiatur, ne Judæorum ipſorum fallacia dictos libros quomodolibet valeat occultare. Tenores autem literarum & pronuntiationis prædictarum tales ſunt.

Præſules deterrere a nefario Judæor. commercio fideles juſſi.

Reſpuentes imperia coercere.

Talmudicos libros eripere Judæis flammiſque abolere.

XXV. Clem. IV. contra Judæos conſtitutio.

Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus archiepiſcopo Terraconenſi, & ſuffraganeis ejus ſalutem & apoſt. benedictionem.

Damnabili perfidia Judæorum propter ingratitudinis vitium olim merito reprobata, & ſynagogæ dato libello repudii ſuæ viſitationis tempus agnoſcere contemnenti, cœcus ille populus, qui peccatum peccavit juxta Jeremiæ vaticinium, inſtabilis eſt effectus; immo vagus & profugus ſuper terram velut fratricida Cain, qui ejectus fuit a facie Domini, quaſi major ejus eſſet iniquitas, quam ut poſſet veniam promereri. Hujuſmodi namque miſerabilis populus Patris æterni filium dominum Jeſum Chriſtum, qui ſecundum carnem factus eſt ex ſemine David, prout ante in ſcripturis ſanctis promiſerat per prophetas, frater ipſorum erat, & ad participium hereditatis æternæ illos vocare venerat tanquam ad oves, quæ perierant domus Iſrael; non ſolum nequiter negaverunt, dicentes in ſua deſipientia: Non eſt Deus; verum etiam cæſum, flagellatum, & crucifixum impie occiderunt, ejus ſanguinem ſuper ſe ac ſuos deteſtabiliter imprecantes. Verum cum diſperſiones Judæorum ipſorum adhuc noluerint intelligere ut benefaciant, cum ipſis ſatis humaniter agitur, quod inter fideles abſque gravibus contumeliis vivere permittuntur. Sed ecce prava iſta generatio, dum cohabitationem ejus pietas ſuſtinet Chriſtiana, dum ipſam ex quadam benignitate receptat, ſe ingratam inde conſtituit, & nocivam reddens pro gratia contumeliam, pro familiaritate contemptum

De illorum ob Chriſtum enecatum diſperſione.

Cæcitate & ingrati animi vitio.





& pro beneficiis illa ſtipendia, quæ munus in pera, ſerpens in gremio, & ignis in ſinu ſuis hoſpitibus juxta vulgare proverbium largiuntur.

XXVI. Aragoniæ Judæi talmud. addicti.

Dolentes quidem audivimus & narramus, quod Judæi de regno Aragoniæ, lege veteri prætermiſſa, quam per Moyſem ſuum contulit majeſtas omnium Conditoris, quandam legem aliam, ſeu traditionem, quam talmutz vocant, falſo tradidiſſe Dominum confingunt: in cujus amplo volumine per orbis latitudinem deſtinato, quod textum novi & veteris teſtamenti excedere dicitur, abuſiones fere innumerabiles, ac deteſtabiles blaſphemiæ contra eundem dominum Jeſum Chriſtum, & genitricem ejus beatiſſimam continentur; quorum relatio vel auditus ſine interventu pudoris & horroris graviſſimi vix poteſt ab aliquo ſuſtineri: maledictiones quoque graviſſimæ, ac imprecationes horribiles, quæ ab eiſdem Judæis ingratis & perfidis contra Chriſtianos emittuntur quotidie in dicta lege ſeu traditione damnabili, ſunt aſcriptæ. Quid plura? Hujuſmodi & alia deteſtanda, quæ in dicta lege vel traditione profana ſunt damnabiliter annotata, præcipua eſſe cenſetur ea cauſa, propter quam prædictus fatuus & infidelis populus in ſua ſtetit perfidia obſtinatus.

XXVII. Ut exoriens novum in fidem ſcandalum excindere Clem. IV. ſtuduerit.

Quia vero his & aliis abuſionibus eorumdem, quæ ut accepimus, nimis excreſcunt, non ſine detrimento catholicæ fidei quoſcumque fideles, ſed nos præcipue, qui conſtituti ſumus in ſpecula, ut reſiſtamus aſcendentibus ex adverſo, decet tam congruis quam feſtinis remediis refragari; fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus adverſus prædictos Judæos ſuper præmiſſis prudenter & viriliter inſurgentes, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Aragonum Regem illuſtrem, & omnes barones, nobiles, & ballivos regni & terrarum ipſius moneatis, & inducatis attente barones, nobiles & ballivos eoſdem, ad hoc per cenſuram eccleſiaſticam, ſi neceſſe fuerit, appellatione poſtpoſita compellendo, ut a Judæis ſibi ſubditis totam talmutz cum ſuis additionibus & expoſitionibus, & omnes eorum libros vobis faciant exhiberi. Quibus exhibitis, illos ex eis, qui de textu bibliæ & alios de quibus nulla ſit dubitatio quod blaſphemias vel errores contineant ſeu etiam falſitatem, Judæis reſtituatis eiſdem: cæteros vero ſigillis veſtris, ut expedit, conſignatos in aliquibus tutis locis, quibus vobis videbitur, deponatis cuſtodiendos fideliter, donec ſuper his conſulta ſedes Apoſtolica ordinet in poſterum, quod de ipſis * ... fieri opportunum.

Talmudicos omnes libros implorata regia potentia eripi Judæis juſſerit.

* ſenſerit

Volumus autem, quod tam examinationem librorum, quam hujuſmodi reſtitutionem, conſignationem, & depoſitionem cæterorum in præſentia & de conſilio fratrum Prædicatorum & Minorum, aliarumque perſonarum, quæ licentiatæ ſint & providæ, faciatis; proviſo attentius, ut condicto conſilio cum prædicto Rege aliiſque perſonis idoneis, prout fuerit opportunum, commiſſum vobis tam pium & ſalubre negotium taliter ordinetis, ac ita prudenter & caute procedatis in ipſo, quod id ubicumque contingat fieri, ſimul & eodem tempore fiat, ne Judæorum ipſorum fallacia dictos libros quomodolibet valeat occultare; ſed noſtrum in hac parte potius mandatum executionis votivæ pulchritudinem conſequatur. Ad hæc autem dilectus filius noſter Paulus, dictus Chriſtianus, de ordine fratrum Prædicatorum lator præſentium creditur non modicum profuturus, tum quia ex Judæis trahens originem, & inter eos literis Hebraicis competenter inſtructus, linguam novit & legem antiquam, ac illorum errores; tum etiam quia de ſacro fonte renatus zelum habet fidei catholicæ, & eruditus occurrit laudabiliter in theologica facultate. Præceptum igitur noſtrum in hac parte implere taliter ſtudeatis, ut exinde dignis laudibus & favoris augmento veſtræ ſinceritas habeatur. Datum Viterbii id. julii pontificatus noſtri anno tertio ſub anno dominicæ incarnationis MCCLXVII.

Item.

XXVIII.

Honorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus archiepiſcopo Eboracenſi, & ejus ſuffraganeis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Alia Honorii contra Judæos Angl. conſtitutio.

Nimis in partibus Anglicanis, prout accepimus, Judæorum damnata perfidia in noſtri contumeliam creatoris & detrimentum catholicæ fidei nefandis actibus & horrendis operibus relaxavit habenas; ipſi etenim librum quendam maligna fraude compoſitum habere dicuntur, quem talmutz vulgariter nuncupant, abominationes falſitates, infidelitates, & abuſiones multimodas continentem. In hoc quippe libro ſuum continuant ſtudium, & circa ipſius nefaria dogmata ipſorum prava ſolicitudo verſatur. Illius inſuper doctrinæ lethiferæ proprios ab annis teneris filios deputant, ut hujuſmodi venenoſis pabulis imbuantur, eoſque inſtruere & informare non metuunt, quod magis in libro contentis eodem, quam expreſſis in lege Moſaica credi debet, ut iidem filii, Dei filium fugientes, per devia infidelitatis exhorreſcant, & ad veritatis ſemitam non accedant. Præfati quoque Judæi non ſolum mentes fidelium ad eorum ſectam peſtiferam allicere moliuntur, verum etiam eos, qui ſalubri ducti conſilio infidelitatis abjurantes errorem ad legem catholicæ fidei convolarunt, donis multimodis ad apoſtatandum inducere non verentur: quorum aliqui, doloſa Judæorum

Judæorum veſania circa talmudicos libros.

*ipſorum ſeducti malitia publice illis cohabitant juxta ritum & legem ipſorum, in parochiis, in quarum eccleſiis renati ſacro fonte baptiſmatis extiterunt, ſævam immo nequiſſimam vitam ducunt in noſtri Redemptoris injuriam, fidelium ſcandalum, & derogationem fidei Chriſtianæ; ac etiam nonnullos ex talibus iidem Judæi ad alia loca nequiter deſtinant, ut ibi tanquam incogniti ad ſuam perfidiam revertantur.*

XXIX. Eorum fraudes ad Chriſtianos ad Judaiſmum pelliciendos.

*Nec omittit Judæorum ipſorum nequitia, quin orthodoxæ fidei cultores quolibet die ſabbati ac aliis ſolemnitatibus eorundem invitet, ac inſtanter inducat, ut in ſynagogis ipſorum officium audiant, illudque juxta ritus ſui conſuetudinem ſolemnizent, rotulo involuto membranis ſeu libro, in quibus lex eorum conſcripta conſiſtit, reverentiam exhibentes: quamobrem plerique Chriſticolæ cum Judæis pariter judaizant. Præſumunt quoque præfati Judæi Chriſtianos in ſua familia retinere, quos in divinæ majeſtatis opprobrium diebus dominicis & feſtivis operibus occupari ſervilibus, a quibus eſt potius abſtinendum, nefaria juſſione compellunt. Admittunt autem in ſuis domibus Chriſtianas ad ipſorum infantes ſeu pueros educandos, & tam iidem Chriſtiani, quam Chriſtianæ Judæis cohabitant, eiſque convivunt; ſicque dum opportunitas ſuggerit, & pravis actibus tempus favet, Judæorum mulieribus Chriſtiani, & Judæi Chriſtianorum fœminis infauſto commercio commiſcentur. Alii etiam Chriſtiani viciſſim in domibus propriis ſæpe conveniunt, ut dum ſimul commeſſationibus & potationibus vacant, erroris materia præparatur. Singulis quoque diebus in orationibus, vel verius execrationibus ſuis, in maledictionem Chriſtianorum damnabili præſumptione prorumpunt, alia nonnulla committendo nequiſſima, quæ noſcuntur in offenſam Dei, & animarum Chriſtianarum diſpendium redundare. Verum etſi nonnulli ex vobis ſæpeſæpius fuerint, prout aſſeritur, requiſiti ut ſuper his opportunum remedium curarent adhibere, id tamen efficere neglexerunt: de quo tanto propenſius admirari compellimur, quanto ex debito paſtoralis officii ſe paratiores & efficaciores exhibere tenentur ad ulciſcendas noſtri Salvatoris iniurias, & hoſtium fidei Chriſtianæ conatus nefarios reprimendum.*

Impudicitia in iis contaminandis.

Impietas in evomendis blaſphemis vocibus.

XXX. Honorii ad hæc mala abolenda zelus.

*Cum itaque non ſit tam peſtilens & periculoſus morbus aliquatenus contemnendus, ne quod abſit, relictus neglectui tractu temporis convaleſcat; & adverſus tantæ tamque damnabilis temeritatis audaciam promptis teneamini conſurgere animis, & ad ejus repreſſionem & confuſionem omnimodam efficax ſtudium operamque ſolicitam impertiri, ut frænatis hujuſmodi perverſis auſibus, catholicæ fidei dignitas gloriosis proficiat incrementis; fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſuper præmiſſis et ſingulis præmiſſorum per inhibitiones & pœnas ſpirituales & temporales, alioſque modos, de quibus expedire videritis, in prædicationibus veſtris ex his & iis, & ad hoc temporibus congruis per vos vel alios exprimendos, ſtudeatis juxta officii veſtri debitum ita efficaciter, & ſolicite providere, ut morbus hujuſmodi per adhibendæ medicinæ remedium computetur; voſque proinde apud æterni Regis clementiam præmium conſequi valeatis, ac nos veſtram curioſam ſolertiam, & diligentiam vigilantem dignis in Domino laudibus attollamus. Quod autem in hac parte feceritis, nobis per veſtras literas plenius intimetis. Dat. Rom. apud S. Sabinam* XIV. *kal. decembr. pontific. noſtri anno* II. *anno Domini MCCLXXXV.* Item.

Data Anglic. præſulibus imperia.

*Oddo miſeratione divina Tuſculanus epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus univerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino.*

Oddonis Card. legati ſententia in talmudicos libros lata.

*Noverit univerſitas veſtra, quod nos Pariſiis anno Domini milleſimo ducenteſimo XLVIII. id. maii ſuper quibuſdam libris Judæorum, qui talmutz appellantur, præſentibus magiſtris Judæorum & ad hoc vocatis, diffinitivam ſententiam protulimus in hunc modum.*

*In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti Amen. Exhibitis auctoritate apoſtolica a magiſtris Judæorum regni Franciæ quibuſdam libris, qui talmutz appellantur, quos inſpeximus & per viros diſcretos & expertos in talibus, Deum timentes & zelum habentes fidei Chriſtianæ fecimus inſpici diligenter: quia eos invenimus errores innumerabiles, abuſiones, blaſphemias, & nefaria continere, quæ pudori referentibus, & audientibus ſunt horrori, in tantum quod prædicti libri ſecundum Deum ſine fidei Chriſtianæ injuria tolerari non poſſunt; de conſilio bonorum, quos ad hoc ſpecialiter duximus evocandos, pronunciamus prædictos libros tolerandos non eſſe, nec magiſtris Judæorum, reſtitui debere: & ipſos ſententialiter condemnamus. De aliis vero libris nobis non exhibitis a magiſtris Judæorum, licet a nobis ſuper hoc pluries fuerint requiſiti, vel etiam non inſpectis, plenius cognoſcemus loco & tempore, & faciemus quod fuerit faciendum.* Nomina autem illorum, de quorum conſilio prædicta ſententia lata fuit, ſunt hæc: venerabilis pater Guillelmus Dei gratia Pariſienſis epiſcopus, &c. quorum ſigilla appoſita ſunt præſentibus una cum noſtro in teſtimonium hujus rei. *Dat. anno Domini MCCXLVIII. menſe maii.* Subdit Joannes *Dat. Avinione* II. *non. ſeptembris pontificat. noſtri anno* IV. Earumdem porro



ro Clementis, & Honorii Pontificum, atque Oddonis Cardinalis *literarum*, quibus talmutz Judæorum damnatum eſt, exemplum Toloſano archiepiſcopo atque Pariſienſi epiſcopo, apoſtolico Joannis diplomati inſinuatum, tranſmiſſum fuiſſe, teſtatur pontificium regeſtum.

Divina in præſulem qui obſtiterat ne comburerentur ultio.

Sane omnes thalmudicos libros exuſtos Pariſiis S. Ludovici Regis imperio, cum divina ultione percuſſus fuiſſet præſul regiorum conſiliorum particeps, qui Judaico auro corruptus pium illud facinus retardarat, refert Cantipratenſis (*a*): ſed Judæorum improbitate thalmudica impietas repullularat.

(*a*) *Cantip. l.* 1. *c.* 3.

XXXI. Magica peſtis graſſata in Gallia Narbon.

Nec ad hanc modo, verum ad magicam excindendam navata eſt hoc anno opera: quippe cenſores fidei ampliore inſtructos auctoritate, ut in eos acerbe inquirerent, oſtendunt epiſcopi Sabinenſis literæ (*b*), quarum exemplum ſubiicio.

(*b*) *Ext. apud Jo.* 22. *an.* 15. *p.* 2. *ep. cur.* 2.

*Frater Guillelmus, miſeratione divina, epiſcopus Sabinenſis religioſo viro .. inquiſitori hæreticæ pravitatis in partibus Carcaſſonenſibus ſalutem in Domino ſempiternam.*

Execranda magorum opera.

*Sanctiſſimus pater noſter & dominus dominus Joannes, divina providentia, Papa XXII. optans ferventer maleficos infectores gregis dominici effugare de medio domus Dei, vult, ordinat, vobiſque committit, quod auctoritate ſua contra eos, qui dæmonibus immolant, vel ipſos adorant, aut homagium ipſis faciunt, dando eis in ſignum chartam ſcriptam, ſeu aliud quodcumque; vel qui expreſſa pacta obligatoria faciunt cum eiſdem, aut qui operantur vel operari procurant quamcumque imaginem vel quodcumque aliud ad dæmonem alligandum, ſeu cum dæmonum invocatione ad quodcumque maleficium perpetrandum; aut qui ſacramento baptiſmatis abutendo imaginem de cera, ſeu re alia factam baptizant, ſive faciunt baptizari, ſeu alias cum invocatione dæmonum ipſam fabricant quomodolibet, aut faciunt fabricari, aut ſi ſcienter baptiſmus ſeu ordo vel confirmatio iterantur; item de ſortilegis & maleficis, qui ſacramento Euchariſtiæ, ſeu hoſtia conſecrata, necnon & aliis ſacramentis eccleſiæ, ſeu ipſorum aliquo quoad eorum formam vel materiam, utendo eis in ſuis ſortilegiis ſeu maleficiis abutuntur; poſſitis inquirere, & alias procedere contra ipſos: modis tamen ſervatis, qui de procedendo cum prælatis in facto hæreſis vobis a canonibus ſunt præfixi. Ipſe namque dominus noſter præfatus poteſtatem inquiſitoribus datam a jure, quoad inquiſitionis officium contra hæreticos; necnon & privilegia ad præfatos caſus omnes & ſingulos ex certa ſcientia ampliat & extendit, quoaduſque duxerit revocandum. Nos ita præmiſſa omnia vobis ſignificamus per has noſtras patentes literas de præfati domini noſtri Papæ ſpeciali mandato, facto nobis ab ipſo, oraculo vivæ vocis. Datum Avinione die* XXII. *menſis auguſti anno Domini MCCCXX. pontificatus prædicti domini Papæ anno* IIII.

Eorum abuſus circa ſacramenta.

Cenſores fidei in hos juſſi inquirere.

Incubuere magno ſtudio ad coercenda hæc magorum ſcelera Narbonenſis archiepiſcopus ejuſque ſuffraganei, ac fidei cenſor. Nec tamen tot execrabilium errorum radices evellere potuere: quare evoluto poſt decennio Pontifex, *intellecto*, ut ait, *quod errores & abominationes in eiſdem literis comprehenſi in partibus illis, de quibus in literis ipſis habetur mentio, adhuc vigent;* apoſtolico accenſus zelo edita a præſulibus & inquiſitore acta judiciaria in magos, ad ſe tranſmitti juſſit (*c*), ut ad reſecanda ea mala graviores curas adiiceret. Hactenus de impietate excindenda e Galliis: nunc reliqua ad hunc annum ſpectantia percurramus.

Pontificiæ ad hæc mala abolenda curæ.

(*c*) *Jo. ubi ſup.*

XXXII. Claſſis ad arcendos Hiſpania Africanos comparata.

Debilitata in Hiſpania ex accepta ſuperiore anno a Granatenſibus clade Chriſtiana res fluctuabat, nec metus aberat Saracenos Africanos ea excitatos victoria magno agmine in illa regna irrupturos. Ad quorum antevertenda conſilia propulſandoſque conatus Pontifex operam dedit (*d*), ut claſſis validiſſima compararetur, quæ ipſos trajectu arceret. Attribuit itaque Dionyſio Regi Luſitaniæ triennalem decimam ex ſexennali in Viennenſi concilio indicta, in illius claſſis ſumptus convertendam. Tum religioſorum equitum S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, & Hoſpitalariorum ordines egregie inſtructus copias pro tutando ab excurſionibus barbarorum Chriſtiano limite ſuis ſumptibus alere juſſit. (*e*) Nec deerant officio Monteſiæ equites, quos flagitante Jacobo Rege Aragonum lineis in bello uti permiſit (*f*), ne bellicis laboribus ſuccumberent.

(*d*) *An.* 4. *p.* 1. *ep. com.* 818.

(*e*) *An.* 5. *p.* 1. *ep. cur.* 102.

Permiſſum Monteſiæ equitibus lineis in bello uti.

(*f*) *An.* 4. *p.* 1. *ep. com.* 935.

Cum vero noſtrorum diſcordiæ vires augerent barbarorum, convertit Joannes apoſtolica ſtudia, ut principes in concordiam adduceret. In Luſitania quidem adeo furor exarſerat, ut necdum poſt plures annos odiorum flamma reſtincta eſſet. Petebat armis parentem Alfonſus, ſuſpicatus Dionyſium meditari ſceptrum in Sanctium ſpurium tranſfundere; ac falſus rumor ipſius iras inflammabat, poſtulatum precibus a Pontifice, ut rem auctoritate apoſtolica probaret. Cum vero ea fama longe a veritate abhorreret, publicis literis Joannes ſuſurronum artes damnavit (*g*), conteſtatuſque eſt nunquam alienas ab æquitate hujuſmodi preces ſibi porrectas eſſe, quo præferocem principis animum, atque ira in nothum fratrem incenſum mulceret.

Alfonſus falſo rumore in Dioniſ. patrem Regem concitatus.

(*g*) *An.* 5. *p.* 1. *ep. cur.* 2.

*Joan-*

*Joannes, &c. venerabilibus fratribus univerſis patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis &c.*

XXIII. *Nuper ad aures noſtras multorum non contemnenda relatione perducto, quod nonnulli belial filii, hoſtes pacis, æmuli charitatis inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Dionyſium Regem Portugalliæ illuſtrem & dilectum filium magnificum virum Alfonſum ejus primogenitum, ac inter Alfonſum prædictum & dilectum filium nobilem virum Alfonſum Santii naturalem filium dicti Regis zizaniorum ſemina falſis ſuggeſtionibus ſpargere satagebant, aſſerentes, quod Rex præfatus nobis ſupplicaverat, ut diſpenſare cum eodem ejus naturali filio deberemus, quod non obſtante defectu natalium ſucceſſionem regni poſſet velut legitimus obtinere, quodque multa Alfonſus prædictus nobis ſcripſerat contra ipſum; noſtro præfato ingeſſit horrorem auditui, paternum amaricavit animum non indigne relatio ſupradicta. Quis enim abſque amaricatione recenſeat inter tanta neceſſitate conjunctos falſis præſumere inventionibus jura ſanguinis violare? Quis animo non amaro conſideret, quod quis unigenitum filium provocet contra patrem, patrem dicimus utique ſolicitum & attentum, ut in regno opulento & pacifico ſuum relinquat unigenitum ſucceſſorem? Quis amare non ferat contra fratrem ſuum naturalem legitimum filium irritare?*

Tulerat is rumor Dionyſium flagitaſſe a Pont. ut ſceptrum in filium ſpurium transfunderet.

*Profecto, fratres & filii, hæc ſunt membrorum ſathanæ opera, qui odium diligunt, & charitatem execrantur ac pacem. Propter quod nos conatibus talium obviare volentes, cum vicarii ejus ſimus, licet immeriti, qui de ſinu Patris deſcendit in mundum, ut perhibeat teſtimonium veritati, ut commiſſæ vicis officium exequamur; ſuper præmiſſis in ejus conſpectu, qui veritas eſt & vita, teſtimonium perhibemus, quod nunquam ex parte Regis prædicti vel cujuſvis alterius, ſcripto vel verbo, ſuper diſpenſatione prædicta nobis extitit ſupplicatum; & ſi ſupplicatum per quoſvis ſuper hoc extitiſſet, ipſi profecto ſupplicationi abnuere, non annuere merito curaſſemus. De Alfonſo Santii prædicto teſtimonium ſimiliter perhibemus, quod nunquam nobis contra præfatum Alfonſum, ſeu contra quemvis alium ad nos vel alium, nobis ſcientibus, ejus literæ pervenerunt. Jmmo nec pro ſe nec pro alio tenet noſtra memoria, quod recepimus ſcripta ſua, &c.* Hortatur ipſos, ut falſis ejuſmodi rumoribus averſas aures præbeant, ſtudioque omni potius & opera contendant, ut Alfonſus tanto patri obſequatur, viciſſimque Dionyſius filium paterno amore complectatur; Alfonſus vero Santius Alfonſum ut dominum colat, atque Alfonſus Luſitani ſceptri heres illum ut fratrem debita benevolentia proſequatur; depulſaque omnis odii ſuſpicione mutua pax & concordia refloreſcat. *Dat. Avinione iv. id. ſeptembris anno v.*

Conteſtatur Jo. nunquam ſibi injuſtas adeo preces porrectas.

Regiæ familiæ principes ad mutuum amorem cohortatur.

XXXIV. Plena turbarum etiam erat Caſtella (a) ob Joannis & Petri principum, impuberis Alfonſi tutorum mortem, proceribus fidei oblitis ad rerum faſtigium annitentibus: cum enim Reginæ imbecillitas, graviſſimis regni curis impar, pleriſque contemptui eſſet, Joannes Emanuel remotior ſtirpe, ſed florens opibus regioque ſanguine ſatus, regiæ procuratoris provinciam invaſit injuria, ac maximos motus peperit: eoque diſcordia progreſſa, ut non provinciæ modo, ſed etiam urbes factionibus ſciſſæ magnos ſtudio partium tumultus moverent. Cum Romanus Pontifex de calamitoſo adeo rerum ſtatu certior factus, Joannem Emanuelem apoſtolico zelo monuit, ut tutoris nomine abſtineret; Compoſtellanoque & Toletano archiepiſcopis, atque epiſcopis Burgenſi provinciam dedit, ut ad ſopiendas (b) inter principes diſſenſiones ſummum ſtudium collocarent, ac Joannem (c) Emanuelem a cœptis abducerent.

(a) *Jo. Marian. l.15. c.17.*

Caſtella in diſcrimen adducta.

Pontifex opem ferre ſatagit.

(b) *An.4. p.1. ep. com.138. 139.*

(c) *An.5. p.1. ep. cur. 31.*

*Venerabilibus fratribus Compoſtellano & Toletano archiepiſcopis & epiſcopo Burgenſi.*

*Quanta dudum ambitioſa cupiditas officii tutoriæ chariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi Regis Caſtellæ illuſtris regnis & terris ejuſdem diſcriminoſa pericula & periculoſa diſcrimina ſuſcitarit; quanta ipſis procurant diſpendia, & graviora in poſterum, niſi occurratur celeriter, comminetur, quantumque ſuperbia Agarenorum temeritatem auxerit & corda fidelium depreſſerit & virtutem, vos latere non credimus, cum hæc in remotis partibus publica fama notoriet, & in vicinis facti evidentia manifeſtet, quæ ipſis imputantur ambientibus non indigne. Propter quod dilectum filium nobilem virum Joannem Manuelis per alias noſtras literas rogandum duximus attentius & hortandum, in remiſſionem peccaminum ſuadentes eidem, ut præmiſſa & alia quæ ſibi ſuper hoc ſcribimus, deducens in ſcrutinio rationis, tutoris nomen, quod auctoritate (ne dicamus temeritate) propria dicitur aſſumpſiſſe, deponat; efficacem opem & operam impenſurus, quomodo juxta morem patriæ de tutore ſeu tutoribus Regi prædicto & regnis ſufficientibus & idoneis valeat provideri, &c.* confert ipſis auctoritatem provinciamque, ut ad perrumpenda omnia contraria obſtacula, quæ in ſubmovendo Joanne a regia tutela ſeſe opponent, omnes coitiones fœderave etiam ſacramento munita corroborataque reſcindant, & quæ in ea re geſſerint quamprimum ſedem Apoſtolicam doceant. *Datum Avinion. v. non. octobris anno v.*

De tutorum Alfonſi regis nimia ambitione.

Joannes Manuel invaſum munus abiicere juſſus.

Compoſtellanus & Tolet. archiepp. huic rei operam dare juſſi.



XXXV. Perſtrictus ambitione Joannes Emanuel monitis aures avertebat (a) atque in dies diſſenſio majores inferebat calamitates: *hinc*, ut deplorat Hiſpanicarum rerum ſcriptor (b) *ſcelerum licentia, cædes, latrocinia, luctuoſiſſima rerum facies: a potentioribus tenuiores opprimebantur, regia vectigalia domum avertebant magiſtratus principeſque, infame latrocinium, turpiſſimum peculatum; nullum erat genus mali, quod ea provincia non pateretur.* Ut his mederetur Chriſti vicarius, cui pupillorum ac viduarum cura incumbit, Guillelmum Sabinenſem epiſcopum Cardinalem A. S. L. ſumma pro fungendo eo munere rebuſque componendis auctoritate inſtructum miſit (c) tum præcipue ut coitiones diſſolveret (d), injuſta reſcinderet ſacramenta, tumultuantes comprimeret; cenſuriſque eccleſiaſticis nobiles viros Caſtellam turbantes, ac ſentientes cum iis populos percelleret.

(a) *An.5. p.1. ep. com. 189.*

Joannes Manuel. adminiſtrationem abiicere recuſat.

(b) *Mari. an. ubi ſup.*

(c) *An. 5. p.1. ep. cur.34.*

(d) *Ib. ep. 67.*

*Joannes, &c. venerabili fratri Guillelmo epiſcopo Sabinenſi A. S. L.*

*Dum nuper de altitudine apoſtolicæ ſpeculæ orbis agrum commiſſum noſtræ cuſtodiæ, quem meditaturi frequenter ingredimur, intentione ſolicita ſpectaremus, ut eis, quibus major neceſſitas imminet, opportuna noſtri miniſterii remedia promptius præberemus, occurrit meditationibus noſtris regnorum & terrarum Hiſpaniæ miſeranda conditio, quæ nobis illatarum iniuriarum memoriam replicans, & imminentium periculorum congeriem repræſentans, inſtanter apoſtolicæ pietatis remedium in periculo tantorum diſcriminum interpellat. Dum enim in conſiderationis noſtræ ſcrutinio recenſemus, quod pacis hoſtis, quietis impatiens, & invidus charitatis dolorum machinamenta conglutinans, & fomenta diſcordiæ clandeſtinis interſerens, ſupplantator ſtatui regnorum & terrarum ipſarum vulnera dolendæ corruptionis inflixit; illumque per tempeſtuoſos guerrarum fluctus & turbines, diſſenſionibus undique ſuſcitatis & ſcandalis deformavit, non mediocris perferimus doloris in animo punctiones, fidelium animas per guerrarum commotionem hujuſmodi perditionem lugentes expoſitas, & corpora diſcriminibus periclitari continuis multiplicatis facultatum diſpendiis deplorantes.* Et infra, ubi expoſuit Caſtellæ Regem ob ætatis imbecillitatem tantos bellorum æſtus ſedare non poſſe: *Tibi, inquit, tam in Caſtellæ ac Legionis, quam aliis regnis & terris ejuſdem Regis vices noſtras ac plenæ legationis officium, ut deformata reformes, indirecta dirigas, & corrigas corrigenda, ac in eis, reddens populum acceptabilem Domino bonorum operum ſectatorem, evellas & deſtruas, diſſipes & diſperdas & plantes, ac ſtatuas in nomine Domini, prout gratiæ cæleſtis infuſio, tuaque tibi providentia miniſtrabit, de fratrum prædictorum conſilio tanquam pacis angelum deſtinamus; tibi, ut in regnis & terris eiſdem inter eccleſiaſticas ſecularesve perſonas, duces, principes, marchiones, barones & nobiles, communitates & univerſitates, ac populos & alios univerſos & ſingulos bonum pacis ſtudeas reformare; & agere nihilominus & tractare quæcumque ad cultum Dei & Apoſtolicæ ſedis honorem, obſervantiam canonicæ ſanctionis, redintegrationem eccleſiaſticæ libertatis, reformationem morum, honeſtatis cultum, relevationem eccleſiarum, & pauperum animarum ſalutem & tranquillitatem corporum, ac robur ſtatus proſperi regnorum & terrarum ipſarum quomodolibet pertinebunt, &c.* Inſtruit ipſum auctoritate neceſſaria ad frangendam eorum audaciam, qui pontificia imperia detrectarint. *Dat. Avin. VIII. id. novembris anno v.* Eodem argumento datæ literæ (e) ad Caſtellæ & legionis proceres alioſque dignitate, opibus, auctoritateque florentiſſimos, populos, alioſque eccleſiaſticos, quibus præcepit, ut legatum debito honore exciperent, ejuſque juſſis obtemperarent. Inter eos vero tumultus nonnulli ſpargendarum impune hæreſeon occaſionem aucupati, liberius vomebant virus: in quos eorumque ſtudioſos Cardinalem legibus agere Pontifex juſſit (f).

Ad pacem redintegrandam Pont. legatum decernit.

Guillelmo epiſcopo Sabinen. id munus datum.

Quæ illi demandata auctoritas.

(e) *Reg. poſt eand. ep.*

Hæreticos comprimi jubet Pont.

(f) *Ib. ep. 35.*

Quod vero ad Joannem Emanuelis maximum turbarum auctorem ſpectat; cum iis in provinciam Granatenſi regno finitimam contra Reginæ Mariæ Regis Alfonſi aviæ, ac procerum voluntatem abiiſſet, ac nova moliretur, Carpetaniam & eam Luſitaniæ partem, cui Extremaduræ nomen eſt, invaſiſſe refert Joannes Mariana (g): quocirca Pontifex eundem principem monuit officii, ut tutoris nomen exueret, ac publicæ paci conſuleret: Guillelmo vero Cardinali provinciam dedit (h), exaratis II. non. decemb. literis, ut ſi princeps monitis ad munus, quod invaſerat exuendum flecti non poſſet, reſciſſis contrariis prærogativis, objecto cenſurarum eccleſiaſticarum terrore, ad officium adduceret, omneſque coitiones ac fœdera, quæ revocandæ concordiæ obſiſterent, auctoritate apoſtolica convelleret. Apoſtolicum etiam ſtudium adhibuit (i) Joannes, ut imminens bellum, quod in Regis Balearium terris, in quibus nonnulli nobiles ipſi infenſi ampliſſima prædia obtinebant, concitandum videbatur diſcuteret, inducias ſemeſtres inter Amalricum Narbonenſem comitem alioſque diſſentientes indixit.

Joannes Manuel.

(g) *Mariana ubi ſup.*

(h) *An. 5. p.1. ep. com.189.*

Eum ad officium revocare nititur Pont.

(i) *An.4. p.2. ep. com.1277.*

XXXVI. Jactabatur hæc inter Scotico bello

An-

Scoticum in Anglos bellum.

(a) An. 4. p. 1. ep. com. 318. 319. 320.

Anglia & licet Pontifex incendii flammam omni opera reſtinguere eſſet conatus, incuſſiſſet cenſuras (a), ac fieri ſacra in Scotia vetuiſſet, indixiſſet etiam apoſtolica auctoritate inducias, ut earum beneficio facilius concordia revocaretur; adeo tamen mutuo odio efferati erant animi, ut armis non abſtinerent, ac præcipue Scoti præteritis elati victoriis in Angliam facta irruptione late populationem inferrent: quos etiam hoc anno ad Eboracum infeſto agmine excurriſſe, ac Joannem e Britannia comitem Richemundiæ cepiſſe, refert Vvalſingamus (b). Pontifex itaque cum antea nonnullos præſules ob violatum eccleſiaſticum interdictum, atque Robertum Bruſium ob non ſervatas inducias factaſque in Anglia populationes, templa everſa, direptave judicio poſtulaſſet, neque ii die conſtituta ad dicendam cauſam coram ſede Apoſtolica comparuiſſent; Pontifex S. Andreæ, Dunchelnenſem, Arbordenſem, & Moravienſem ob peracta non rite divina, cum indictum ſacrorum juſtitium fuiſſet, damnatos contumaciæ defixit (c) anathemate; atque etiam in Robertum Bruſium ob ſpreta toties imperia apoſtolica ſententiam ſubjecta forma verborum conceptam tulit (d), in qua, recenſitis patratis ab eo in bello malis, ſubdit.

(b) Vvalſing. in Eav. II.

Præcipui Scotiæ præſules notati anathemate.

(c) To. 2. p. 1. ep. ſecr. 553.

(d) Ib. ep. ſecr. 554. & an. 4. ep. com. 1012.

Robertus Bruſius damnatus contumaciæ.

*Dictus Robertus tantis exceſſibus contemptum contumaciæ ſuperaddens, per ſe vel per procuratorem idoneum comparare in eodem termino coram nobis, & poſtmodum expectatus diutius, non curavit. Propter quod ipſum de fratrum noſtrorum conſilio reputamus & pronuntiamus, exigente juſtitia, contumacem & fore contra ipſum tanquam contra contumacem merito procedendum. Ideoque cum eiſdem fratribus deliberatione præhabita, primo tam ad ipſius Roberti convincendam malitiam, & contumaciam prægravandam in audientia noſtra publica; quam etiam in conſiſtorio in dictorum fratrum & aliorum aſtantium præſentia, præmiſſis ſolemnibus tribus requiſitionibus ſeu proclamationibus, ſi aliquis eſſet, qui pro dicto Roberto vellet, ut præmittitur, comparere, vel ejus in hac parte contumaciam excuſare, vel pro ipſo aliquid allegare; & cum nullus cum ipſo procurator, vel excuſator ſeu nuncius compareret, in eundem Robertum excommunicationis ſententiam propter hujuſmodi ipſius contumaciam manifeſtam, exigente juſtitia, de ipſorum fratrum conſilio promulgavimus; ad pœnas altas contra eum, prout & quando nobis & eiſdem fratribus noſtris expedire videbitur, proceſſuri, &c.* Vetat quemvis ipſum anathemate niſi in urgente mortis diſcrimine abſolvere. *Dat. Avinione* XVI. *kal. julii anno* IV.

Defigitur anathemate.

XXXVI.

Miſſi a Roberto ad Pont. oratores, Cenſuras diſſolvi impetrant De pace inter Anglos & Scotos agitatum.

Contulere (e) ſe ad ſedem Apoſtolicam proximo ab ea lata ſententia tempore Roberti Bruſii oratores, ut Pontificis ei animum conciliarent; ac propoſitis ſuæ cauſæ argumentis, petitaque ſi qua in re lapſi eſſent venia, flexere Joannem, ut cenſuras ad anni inſequentis kal. aprilis diſſolveret, ut excurrente illius temporis ſpatio Anglos inter & Scotos pax componi poſſet, ad quam agitandam dies fuerat conſtituta. Significavit mox Pontifex Eduardo Regi (f), archiepiſcopo Cantuarienſi (g), epiſcopo Norvvicenſi (h), pluribuſque aliis præſulibus ac proceribus Anglis, (i) qua pacis ſtudio in Robertum & Scotos in remittendis cenſuris clementia uſus eſſet; tum etiam Roberto, quid ipſius oratores apud ſedem Apoſtolicam egiſſent, ſubiectis literis expoſuit. (k)

(e) To. 2. p. 2. ep. ſecr. 388.

(f) To. 2. p. 1. ep. ſecr. 391.

(g) Ib. ep. 392.

(h) Reg. poſt cand. ep.

(i) Ib. ep. 390.

(k) Sup. ep. ſecr. 388.

*Joannes, &c. dilecto filio Roberto, dicenti ſe Regem Scotiæ, et gerenti pro Rege, ſpiritum conſilii ſanioris.*

Pontificia apud Robertum excuſatio, ſi regio nomine ipſum non exornet.

*Moleſte ferre non debet tuæ magnitudinis providentia, ſi te Regem non aſſerimus Scotiæ, cum hoc nobis conſuetudo curiæ, quæ duobus de regno aliquo contendentibus, neutri aſcribit regii dignitatem nominis, interdicat: nec tuum debet adeo turbare animum, quod propter hujuſmodi omiſſionem nominis noſtras recuſes recipere literas, & contenta in eis intelligere prætermittas. Nuper quidem dilecti filii Odoardus de Maubuſſone & Adam de Gordan milites, tui nuntii, ad noſtram præſentiam venientes, literas tuas noſtro apoſtolatui præſentarunt: quibus benigne receptis, & præfatis nuntiis audientia plene conceſſa, quæ ipſi coram nobis ex parte tua proponere voluerunt, audivimus diligenter.*

Ut expoſuerint regii oratores, Scotiam ſedis Ap. tantum beneficiariam.

*Continebant autem inter cætera literarum ipſarum ſeries, quod Romani Pontifices prædeceſſores noſtri Scotorum regnum tanto charitatis fervore dilexerant, quod regni ejuſdem eccleſiam nemini voluerunt niſi Pontifici Rom. ſubeſſe: nec in hoc prædeceſſorum dilectio quieverat eorundem; ſed regnum præfatum ac Reges ipſius multis decoraverant privilegiis libertatum. Ad quorum beneficiorum plenitudinem promerendam ſemper in votis geſſeras & gerebas, ſanctiſſimæ ſedi Apoſtolicæ in omnibus reverentiam exhibere; in eadem ſubiuncto, quod ſuper eo, quod citius ad nos tuos nequiveras nuncios propter impedimenta in eiſdem expreſſa literis deſtinare, nec invenire quos mitteres, excuſatam habere tuam innocentiam dignaremur; adiiciens in literis ſupradictis, quod aliquorum, licet hoc nequaquam credere poſſes, nos contra magnitudinem tuam tibique adhærentes fore commotos, relatio aſſerebat: cujus commotionis cauſam ſcrutari non poteras, niſi forſan illa eſſet occa-*

Robertum velle debita Pontificibus præſtare officia.



Cur pontificiæ literæ admiſſæ non fuiſſent.

*ſio, quod literas, quas ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales ad partes ipſas tranſmiſſi tibi per ipſorum nuntios deſtinarant, abſque procerum tuorum conſilio aperire nolueras: nec ipſas poſtmodum, habito cum proceribus eiſdem tractatu ſolemni, de conſenſu omnium admittere nolueras cum effectu; non quod mandatum noſtrum contemneres, ſed pro eo quod literæ ſupradictæ titulum regium non habebant: quamvis dictos nuncios cum reverentia, qua decuit, admiſiſſes.* Et infra.

Apoſtolicis voluntatibus obſequi paratum expoſuerint.

*Poſtremo autem nobis per eaſdem literas ſupplicaſti, ut te regnumque tuum habere dignaremur paternæ pietatis auxilio commendatos: & ſi aliquid per nos contra te proceſſum exiſteret, revocare de benignitate ſedis Apoſtolicæ dignaremur; offerens te pariturum noſtris beneplacitis & mandatis, prout dicti nuntii hic ex parte tua nobis plenius explicarunt. Ad hæc autem tuæ magnitudini breviter reſpondentes fatemur, quod Romani Pontifices prædeceſſores noſtri illius plenitudine charitatis, quam in tuis literis expreſſiſti, erga eccleſiam, regnum, & Reges Scotiæ, qui fuerunt pro tempore, ferbuerunt: quorum veſtigia, niſi per te & ejuſdem regni incolas ſteterit, ſequi intendimus, & abundantiori charitatis fervore proſequi, quam ipſi, regnum & ejuſdem regni eccleſiam fuerint proſecuti, &c.*

Quid reſponderit Pontif.

XXXVIII. Præteritarum irarum juſtas cauſas affert.

Subdit merito ſe in ipſum commotum, cum non modo literas, quibus ad inducias ſolicitabatur, ipſe excipere reſpuiſſet; verum ejus milites virum religioſum illas legatorum apoſtolicorum juſſu deferentem expoliaſſent: non debere ipſum moveri, ſi regio nomine ornatus non fuiſſet in hujuſmodi literis, cum Romanorum pontificum conſuetudo id non ferret. Quod ad relaxandas incuſſas ſententias attinet; reſpondet Roberto Pontifex, cum Cardinales illas induciarum violatoribus inflixiſſent, ipſe vero eaſdem inducias infregiſſet, cenſuris ſe devinxiſſe, ac jure Scotiam ſacris interdictam; ipſum vero iis contemptis divina celebrari juſſiſſe: ac licet exerceri in eum quæſtio debuiſſet, fuiſſe tamen ipſi ad dicendam cauſam diem indictam: in qua cum non apparuiſſet, ex Cardinalium conſilio fidelium conſortio abactum, ac Scotiam interdicto eccleſiaſtico perculſam fuiſſe: tum nonnullis Cardinalibus quæſtionis in ipſum exercendæ provinciam impoſitam; deinde adiicit.

Cenſuræ ſervato legum ordine incuſſæ.

Qua ratione ad tempus carere viribus juſſerit.

*Verum quia præfati nuntii ad petendum relaxationem ſententiarum hujuſmodi, & alia faciendum, quæ natura negotii requirebat, mandatum aliquod non habebant, ad relaxationem prædictam procedi de jure non poterat: nec debebat: propterea nuntii memorati nobis iterata precum inſtantia ſupplicarunt, ut proceſſum & inquiſitionem hujuſmodi jam incœptam ſuſpendere, & publicationem & aggravationem ſententiarum ipſarum uſque ad kalendas aprilis proxime venturas ſuperſedere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur intendentes, ut manſuetudinem dictæ ſedis tibi reperias propitiam & benignam, de fratrum noſtrorum conſilio ſupplicationi prædictæ de ſpeciali gratia duximus annuendum, &c.* Addit magna ſe lætitia perfuſum, diem ad pacem ipſum inter & Eduardum conciliandam fuiſſe conſtitutam, atque Angliæ Regem literis ad eam firmandam adhortatum eſſe. *Dat. Avinione* XVII. *kal. ſeptembris anno quarto.*

XXXIX.

De miſſis ad Pontificem a Roberto Bruſio oratoribus meminit Hector Boetius (a), qui geminam legationem, alteram ad Pontificem, alteram ad Francorum Regem decretam ait, atque oratores e ſententia apud Pontificem provinciam confeciſſe: firmaſſe etiam cum Gallis vetera fœdera, quibus ad utrumque regnum confirmandum illud adjunctum refert: *Ad antiquas fœderis leges cum Gallis id additum, ſi alterutrius Regis ſoboles deficeret, nec regni certus conſtaret heres, tum per primores id regni arbitros diſcuteretur; & non ſolum quemque non declaratum Regem regnum occupare non permitteret, ſed ſumma vi, ſi eſſet opus, præſentia etiam ſua probiberet: declaratum vero non minus defenderet, quam non declarato obſiſtendum eſſet. Quæ ut apud poſteros etiam rata eſſent, ſumpto ſacroſancto Chriſti corpore jurejurando ea utrinque confirmarunt, & a Pontifice probanda curaverunt.* Addit auctor, reſtinctum ex eo tempore Scotos inter & Anglos bellum, ac utrumque principem præliis magis feſſum, quam rebus pacatis, armis quieviſſe. Verum cum e literis pontificiis diem ad tractandam pacem conſtitutam viderimus, ac ſopitum bellum teſtetur auctor, initum aliquod concordiæ genus videtur.

(a) Boet. l. 14.

Vetera Gallos inter & Scotos redintegrata fœdera.

Qua religione confirmata.

XL.

Extant quidem eo argumento ad Eduardum (b), tum ad Robertum Bruſium (c), IV. kal. aug. pontificatus anno IV. hortatoriæ ad concordiam literæ, quibus apud Robertum, ſi regium nomen ipſi non aſcriberet, ſe excuſavit. At Robertus nullam ſe pacis mentionem admiſſurum profeſſus eſt, niſi regio nomine ornaretur: & ne literas quidem pontificis, ſi eum titulum non aſcriberet, excipere dignatus. Neque in dubium revocandum Robertum, Oddonis e Maladuno opera, cui liberi commeatus ſyngrapha X. kal. octobris hujus anni, ut ad ſedem Apoſtolicam accederet, data (d) eſt, rem vehementiſſime urſiſſe: adeo ut Joannes, cum ſuam auctoritatem eludi intueretur, nec ponti-

(b) To. 2. p. 1. ep. ſecr. 386.

(c) Ib. ep. 387. & ep. 444.

Concordiæ ſtudio regium nomen Bruſio defert Pontifex.

(d) An. 5. p. 1. ep. com. 18.

ficias literas admitti in Scotia, niſi nomen regium Robertum deferret, concordiæ ſtudio in literis regium titulum XII. kal. novembris aſcripſit (*a*), profeſſus ſe ea appellatione Eduardi juribus, quæ in Scotiam obtineret, non detrahere.

(*a*) *To.* 2. *p.* 1. *ep. ſecr.* 404.

*Joannes &c. chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Scotiæ illuſtri.*

Cavet ex eo Angliæ Regis jura non læſum iri.

*Licet nobis non eſſet incognitum, quod per talem denominationem* regiam ſcilicet *nec poterat juri dicti Regis Angliæ detrahi, nec tibi novum aliquod jus acquiri, prout habet conſtitutio felicis recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri ſuper hoc edita, cujus copiam tibi ſub bulla noſtra tranſmittimus; ne tamen ſaltem quantum ad vulgi labia, videretur per denominationem eandem aliqualiter in jus dicti Regis impingere, diſſenſionis inter te & Regem ipſum ſuper regno Scotiæ pendente negotio, aut Romanæ matris eccleſiæ, quæ ſuos proceſſus, & actus in ſtatera æquitatis appendens, inter diſſidentes nihil immutare cum alterutrius præjudicio conſuevit laudabili obſervantia derogare; ipſius jam dictæ denominationis titulum tunc de fratrum noſtrorum conſilio conſulte providimus ſubticendum. Nunc vero vulgari murmuri poſtponentes veritatis eſſentiam, & ipſius eccleſiæ ſervare morem in tui ſcandalum non curantes, tibi per præſentes ſub intitulatione regia ſcribimus, ut per hujuſmodi noſtræ benignitatis amabilem condeſcenſum ad condeſcendendum nobis in iis, quæ placido ſunt Regi pacifico, tuiſque fructuoſa compendiis, tuum facilius animum inclinemus, &c. Dat. Avin.* XII. *kal. novembris.*

Cur hactenus regium illi nomen denegarit.

Nunc tribuere aſſenſerit.

XLI.

(*b*) *Ib. ep. ſecr.* 445.

Conſtitutio Clementis V. de ea re renovata.

Tranſmiſit (*b*) alias eodem argumento literas ad Robertum ipſum, quibus Clementis V. conſtitutionem illam inſeruit, qua cautum erat, Romanum Pontificem non cenſendum cuiquam regiam dignitatem confirmare, quamvis vel literis id nomen adſcribat, vel alia quavis ratione ut Regem pertractet.

*Chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Scotiæ illuſtri.*

Rom. Pont. quempiam regio nomine appellans non illi novum jus comparat.

*Ne tuam celſitudinem lateat conſtitutio, quam felicis recordationis Clemens Papa V. prædeceſſor noſter ſuper hoc edidit, quod Romanus Pontifex aliquem ſub titulo cujuſlibet dignitatis, ex certa etiam ſcientia, verbo, conſtitutione, vel literis nominando, per hoc eum in illa dignitate non intelligitur approbare, aut quidquam eidem tribuere novi juris; præſentibus inſeri juſſimus conſtitutionis prædictæ tenorem, qui talis eſt: Si ſummus Pontifex ſcienter etiam cum excommunicato participet literis vel oſculo, ſeu alio quovis modo, ipſum per hoc abſolvere nulla ratione cenſetur, niſi ſe velle forſitan exprimat illum ex hoc pro abſoluto haberi. Similiter quoque ſi quem ſub titulo cujuſlibet dignitatis, ex certa etiam ſcientia, verbo, conſtitutione, vel literis nominet, honoret, ſeu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipſum approbare non intelligitur, aut quidquam ei tribuere novi juris.* His ex Clemente repetitis, Joannes diploma ſuum ita conſignat. *Dat. Avin.* VI. *kal. novembris.*

Licet ut Regem tractet non tamen confirmat.

XLII.

(*c*) *Ib. ep.* 397.

Eduardum Joannes pontificii in hac re conſilii admonet.

Mulcere vero Eduardum ſtuduit (*c*) ut æqui bonique acciperet, ſi Robertum pacis ſtudio regio nomine cohoneſtaret: nec ſui conſilii eſſe ipſius juribus quidquam detrahere; ſed cum rerum neceſſitas expoſceret, in eam demum ſententiam deſcendiſſe: aſſentiretur itaque optimo conſilio, nec ſe aliquorum inanibus verbis ſubornari pateretur.

*Joannes, &c. Eduardo Regi Angliæ illuſtri.*

*Ad nos eſt inſinuatione fideli perductum, quod dilectus filius magnificus vir Robertus de Brus, regnum Scotiæ nunc gubernans, tantam concepit materiam ſcandali pro eo, quod in literis ſuper reformanda inter te & ipſum deſiderata concordia ſibi miſſis non ſcripſimus eidem ut Regi, quod literas ipſas, quaſi ſibi non eſſent directæ, nedum recipere noluit; quin etiam cum dilectis filiis noſtris Gaucelino tit. SS. Marcellini & Petri presbytero & Luca S. Mariæ in via lata diacono Cardinalibus A. S. N. pro ipſius reformatione concordiæ deſtinatis, inire tractatum hactenus recuſavit: per quod executio tanti boni contra deſiderii noſtri votum non tam poſſet diſpendium moroſæ dilationis incurrere; quam totalis, quod abſit, periculum impedimenti ſubire.*

*Quia igitur, ſicut patet per conſtitutionem felicis recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editam, cujus copiam fecimus præſentibus intercludi, per intitulationem hujuſmodi non intelligitur alterutrius accreſcere juri vel detrahi, cum nec cognitionaliter imponatur, nec id habeat intentio nominantis; videtur nobis expediens, ut per id cœptum negotium, Deo auctore, deſideratos fructus ſortiatur & celeres, quod eidem Roberto ſub regni tituli deſcriptione ſcribamus. Unde ſuper ipſo negotio dicto Roberto noſtras cum regia denominatione dirigimus literas per nuntios ipſos ſibi, de tua tamen conniventia, præſentandas; excellentiam regiam affectuoſe rogantes, tibique conſulentes nihilominus bona fide, quatenus noſtram rectam & puram intentionem attendens, eamque tuo prudenti conſilio & ſpiritu quieto diſcutiens, eidem ſalubriter te conformare procures, non impediturus quominus per nuntios ipſos*



*ſos noſtros pro tanti negotii conſummatione, Domino diſponente, felici literæ prædictæ ipſi Roberto ſub denominatione regia, quæ tibi, ut præfertur, proficere non officere poterit, præſententur. Nec in his contrarium forte ſuggerentibus acquieſcas, ſed rectum ſequendo judicium, vulgi murmuri veritatis eſſentiam anteponas. Dat. Avin.* XII. *kal. novemb.*

(*a*) *Ib. ep. ſecr.* 394.

(*b*) *Ib. ep.* 442.

(*c*) *An.* 5. *p.* 1. *ep. com.* 60.

(*d*) *To.* 2. *ep. ſecr.* 395.

Biennales induciæ inter Angliæ & Scotiæ Reges promulgatæ.

Delato itaque Roberto Bruſio regio nomine, adjecta ea conteſtatione, Pontifex biennales inducias inter Angliæ & Scotiæ Reges indixit (*a*), eo loquendi genere uſus, cum ante (*b*) inter Eduardum Regem Angliæ & Robertum regentem regnum Scotiæ, vel gerentem (*c*) ſe pro Rege Scotiæ, dicere conſueviſſet. Eaque appellatione contentus Robertus, qui inducias a Pontifice indictas literis, quibus regio nomine decoratus non fuerat, violarat (*d*); has demum ſervavit, ut ex Boethii paulo ſuperius dictis colligitur: ac demum Anglia crudeliſſimo bello jactata conquievit. Ferunt (*e*) tamen excitare, ſed irrito conatu, novas in eo regno turbas meditatum nebulonem, qui ſe verum Eduardi ſenioris Regis filium jactare auſus, Eduardum partum ſuppoſititium eſſe deblaterabat: at a regiis adminiſtris comprehenſum laqueo eſſe præfocatum. Cæterum Eduardum hoc anno mille marcharum cenſum ob Angliæ & Hiberniæ regna ſedis Apoſtolicæ beneficio obtenta pontificio ærario intuliſſe, Joannis ſyngrapha de eo accepto VI. kal. junii hujus anni exaratum docet. (*f*)

(*e*) *Vvalſin. in Eduar. II.*

Impoſtor, ſe Regem dictitans ſupplicio aſſectus.

Solutus ab Eduar. Angl. & Hiber. cenſus.

(*f*) *An.* 4. *ep com.* 7552.

XLIII.

B. Thom. Hereford. in ſanctor. numero collocatus.

(*g*) *A. C.* 1287. *n.* 16.

(*h*) *Harpsfel. hiſt. Angl. eccl.* 13. *ſæc. c.* 21.

(*i*) *Ber. chr. Rom. Pont. & MS. bibl. Vat. ſign. n.* 3765. *in Jo.* 22. *Ptol. Luc. in hiſt. eccl. MS. l.* 24 *c.* 42. *& alii.*

Colluſtrata hoc anno eſt novo ſplendore gloriæ Anglia adiecto ſolemni ritu a Pontifice ſanctorum catalogo Thoma epiſcopo Herefordenſi, de quo a nobis jam ante actum eſt (*g*) & inſignia ſanctitatis argumenta ab Harpsfeldio referuntur (*h*); *Illum*, inquit, *crebra & paucis annis ad centum ſexaginta tria poſt obitum miracula mirifice orbi commendarunt*. De eodem hæc Bernardus ſcribit: (*i*) *Anno Domini MCCCXX. XV. kal. maii apud Avinionem canonizavit, & ſanctorum confeſſorum catalogo annotavit cum ſolemnitate in hujuſmodi conſueta, S. Thomam epiſcopum Herfordenſem a tranſitu ejus anno* XXXVIII. *qui fuit vir nobilis genere, nobiliorque vita & moribus: præditus ſcientia & doctrina, doctor in decretis, & magiſter in theologica facultate. Cujus præclara & ingentia merita, ingens fama virtutum tam præcedentium, quam ſequentium miraculorum longe lateque declarat; non ſolum in beneficiis & remediis ſanitatum, verum etiam pluribus mortuis ejus meritis ſuſcitatis, in quibus mirificavit Dominus ſanctum ſuum, & colendum exhibuit univerſis*. Extant in eam ſententiam in regeſto pontificio literæ (*k*) quæ etiam in bullario typis mandatæ ſunt, in quibus Pontifex nonnulla ad divinæ maieſtatis providentiæque in ſanctos commendationem præfatus, ſanctiſſimi epiſcopi virtutes his verbis in luce collocat.



(*k*) *An.* 4. *p.* 1. *ep. com.* 1002. *& bullar. in Jo.* 22. *conſt.* 7.

XLIV.

Nobilis Anglus.

Doctoratus lauream receperat.

Ut libidinis aculeos præfocare ſtuduerit.

*Sane beatus hic Thomas natione Anglicus, angelicus homo ipſe de parentibus nobilibus & catholicis originem ſuam trahens, ab ætate primæva morum honeſtate præclarus, ſtudiis literarum ſic ſe dedicavit totaliter, ſic in ipſis ſolicite ſtuduit & profecit, quod tam in humanis ſcientiis, quam etiam in divina honorem magiſterii eſt adeptus: poſtque doctrinæ ſuæ radios longe lateque diffundens, quamplures ad juſtitiam erudivit, velut luminare in mundo præfulgidum continens verbum vitæ. Ne autem terrenæ carnis inhabitatio deprimeret ſecum ſenſum cœleſtia cogitantem, ipſam ut ſerviret ſpiritui, vigiliis & abſtinentiis, nec non pungenti cilicio, ſeu cibi & potus parſimonia continua macerabat; abſtinens a vino ſæpius, ſciens quod in ipſo lubricum latet carnis. Sciens etiam, quod Deus ſe promittit in obiectum & præmium mundis corde, ab juventute ſua caſtitatis pulchritudinem adamavit; proptereaque mulierum conſortia, quæ pretioſam viri animam rapiunt, ac ipſarum blanda colloquia prudentiſſime devitabat: noverat namque, quod propter mulieris ſpeciem, a qua factum eſt peccati initium multi perierunt.*

XLV.

Ejus in pauperes liberalitas.

Quo zelo gregem paverit.

*Iſte ſanctus etiam ut alter Job ſimplex, rectus, ac timens Deum, a Chriſto didicit eſſe manſuetus, mitis, corde humilis, & benignus. Miſericordia nihilominus, quæ ab infantia ſecum crevit, erga pauperes & afflictos ſuæ pietatis viſcera ſic affecit, quod ipſe verus pauper ſpiritu dives rebus illos largis ſuſtentabat eleemoſynis, iſtos vero crebris conſolationibus refovebat: cum Apoſtolo namque Paulo infirmabatur cum infirmabantibus, & cum patientibus ſcandalum urebatur. Hic demum ſanctus de innocente agno factus in Herfordienſi eccleſia bonus paſtor, ſe ipſo in mente major effectus eſt, ſtudens ſemper de virtute progredi in virtutem. Quo in tempore in Dei templo in virtutum culmine poſitus ſic effulſit, quod merito gemma præſulum dici poſſet. Orationi vero inſiſtebat aſſidue, ac ſui fervorem ſpiritus demonſtrabant in orationibus & celebratione miſſæ abundanter ex oculis lachrymæ defluentes. Commiſſas vero ſibi oves perducebat ad paſcua, & a lupis protectas rapacibus, paſtaſque verbo & exemplo pariter ad Chriſti caulas ſedule reducebat. Jura vero ſuæ eccleſiæ defenſabat indutus juſtitia ut lorica: paratus namque pro ſibi commiſſo grege animam ponere, non timuit in hoc principem, nec magnatem.*

*Et quia dignum erat quod huic tam excellenti merito daretur æterna requies poſt laborem, cum pro ſuæ cauſis eccleſiæ ad Romanam perveniſſet curiam, diem clauſit extremum, receptis devote prius eccleſiæ ſacramentis. Sicque vir felix iſte,* Pie obiit. *ad Deum tranſmittendo ſpiritum, de peregrino & advena factus eſt eximius cœli civis: & quod decebat multum divinam potentiam majeſtatis, ut ſanctum hunc in cœlis regnare ſecum per ſignorum evidentiam fidelibus declararet, ipſum coruſcare in terris miraculis multis fecit: quorum quædam fidelibus probata teſtimoniis ad Dei laudem & gloriam ſancti hujus duximus inſerenda.*

XLVI. Patrata ab illo divinitus plura miracula.

Adducit plura prodigia S. Thomæ epiſcopi ſuffragiis divinitus patrata, quinque pueros variis mortis generibus extinctos ad vitam revocatos, variis morbis implicitos valetudine donatos, contractis membrorum liberiorem uſum, cœcis oculorum lumen, gibboſis rectam corporis formam reſtituta. Quorum admiratione perſtrictus Pontifex in has voces erumpit: *Hi ſunt ſancti tui, omnipotens Deus, qui tuo dono gratia ſemper* Eximium ejuſdem elogium. *virent, rubent ut roſa, candent ſicut lilium, ut mel placent: currunt ut ſpiritus, fragrant ut balſamum, ut ſol fulgent. Sic clemens Deus ſanctum ſuum Thomam glorificans fidem firmat, nubiloſos errores diſſipat & confundit: ad ſuperna noſtros rapit affectus, amoris flammis ſuccendit frigida corda noſtra, &c.* Excitat cœleſtes ſpiritus ab omni humana contagione ſegregatos, hominesque, ac præcipue Herefordienſem eccleſiam, tanto illuſtratam paſtore, ad divinas laudes concinendas: iiſque miraculis vitæque ſanctitatis exemplis impulſum ſe ait e purpuratorum patrum conſilio ſanctorum honores Thomæ Herefordenſi decreviſſe, atque univerſos fideles ad ejus recolendam memoriam his verbis accendit: *Univerſitatem veſtram monemus & hortamur attente per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus VI. non. octobris feſtum confeſſoris ejuſdem devote & ſolemniter celebretis, ut pia ejus interceſſione & hic a noxis protegi, & in futuro ſempiterna gaudia conſequi valeatis, &c.* Nonnulla indulgentiarum præmia ſepulcrum recurrente quotannis ipſius, feſto atque octo diebus ab eo evolutis adeuntibus proponit. *Dat. Avin. XII. kal. maii pontificatus noſtri anno IV.* Hactenus de occidentalibus rebus: jam orientales perſtringamus.

Inſtitutus ſacer illius memoriæ dies VI. non. octob.

Sepulcrum veneraturis propoſitæ indulgentiæ.

XLVII. De Genuenſium & Cypriorum diſcordiis.

Nondum ſopita erat inter Genuenſes & Henricum Cypri Regem vetus controverſia: quæ cum jam ante in bellum erumperet, Pontifex Genuenſes eoſdem a paranda claſſe abduxerat, & Cyprius illata damna compenſare atque judicio ſedis Apoſt. ſtare ſpoponderat. Sed cum difficilem provinciam ſuſcipere Joannes detrectaret, nonnullas concordiæ leges, intentata obnitentibus cenſurarum religione, indixerat; denique a republica Genuenſi Nicolino Fliſco, cui nomen Cardinalis erat, & Petro Grillo ad rem componendam in Cyprum miſſis, Joannes Henricum Regem monuit, (*a*) ut Genuenſes antea apoſtolicis imperiis obſequentes fuiſſent, modo ipſe præſcriptas leges impleret, quas ſi infringeret, opere ſe ac ſtudio Genuenſibus non defuturum. Neque Cyprum modo a Genuenſi, verum etiam Armenico bello liberare ſtuduit (*b*) Pontifex, impoſita Genuenſium oratoribus provincia, ut pacem inter Henricum ipſum Cypri & Oſſinium Armeniæ Reges, inter quos indixerat (*c*) inducias, redintegrarent: utque principes ad pacem flecteret, apoſtolicis literis XII. kal. junii datis rei Chriſtianæ, quam in periculum adducebant, conſulere juſſit.

Miſſi pro componenda controverſias oratores.

(*a*) *An. 4. p. 1. ep. com. 737.*

Henricum Regem admonet Pont. ut a ſe pronuntiata ſervet.

(*b*) *Ib. ep. 735. & poſt eand. ep.*

Ipſum inter & Regem Armen. pacem redintegrare ſtudet.

Exceſſit porro e vivis eo tempore Oſſinius, [1] ſceptrumque Armeniæ Leoni tranſmiſit, ut ex pontificiis literis (*d*) X. kal. octobris hoc anno exaratis colligitur, quibus ſignificatur, Moriſium e Panaco Hoſpitalarium equitem nonnullas terras Armeniæ adverſus Saracenorum excurſiones defendendas repetere, quæ olim Hoſpitalariis ab Oſſinio Rege attributæ fuerant; egregiamque illum operam adverſus barbaros navaturum. Injunxerat antea eidem Moriſio atque Petro e Junilhaco Nicoſienſi canonico partes Joannes, ut inter Oſſinium & Henricum Reges inducias, de quibus illatus paulo ante ſermo eſt, pontificia auctoritate promulgarent: ſed cum defuncto Oſſinio mutata rerum facies eſſet, repetitis literis Junilhaco munus tradidit, (*a*) ut inter Leonem atque Henricum eaſdem renovaret.

Oſſinio Regi in Armeniæ Leo filius ſuccedit.

(*c*) *An. 5. p. 1. ep. com. 204.*

(*d*) *An. 5. p. 1. ep. cur. 108.*

NOTÆ [1] QUo menſe, & die Oſſinus ſeu Oſcinius Armenorum Rex obierit incertum eſt. Annum hunc emortualem ejuſdem Regis recte aſſignat Annaliſta. Neque enim ante hunc annum obiiſſe potuit, cum hoc ipſo anno auguſto menſe ineunte die feſta Transfigurationis Jeſu Chriſti idem Rex interfuerit Concilio nationali Adanenſi, in quo Armenorum Epiſcopi cum Conſtantino eorum Catholico coeuntes fidem Romanam ſe per omnia tenere profeſſi ſunt. Concilium iſtud vulgavit Galanus Concil. Eccleſ. Armenor. tom. I. Cap. 29. & ex eo in novam Conciliorum editionem Veneto Labbeanam tranſiit. Profitentur in eo Patres probare ſe Romanam fidem in iis, quæ ad geminas in Chriſto naturas, ad receptionem Chalcedonenſis Concilii, admixtionem aquæ cum vino in Calice conſecrationis, ad celebrationem feſtorum Natalis & Baptiſmi Domini pertinent. Eſt autem Concilium hoc ſecundum, in quo Armenorum errores in Manaſgardenſi Conciliabulo aſſerti damnantur. Priori enim Concilio Manaſgardenſi oppoſitum fuit Siſenſe a Gregorio Catholico anno 1307. celebratum. Ex his autem conſtat Oſcinum Regem vergente hoc anno obiiſſe; & quidem non diu poſt Concilii hujus celebrationem, ut colligitur ex literis Pontificiis hujus anni ab Annaliſta hic recitatis, quæ datæ ſunt Kal. Octobris aſſumpto jam in Regem Armenorum Leone Oſcini filio & ſucceſſore. MANSI



(*a*) *An. 5. p. 1. ep. com. 204.*

XLVIII. Induciæ inter Leonem Armeniæ & Henricum Cypri Reges promulgatæ.

*Cum*, inquit, *te dictumque fratrem Moriſium ad partes illas pervenire poſtmodum contigiſſet, tu & ipſe treugas inter Reges eoſdem, ſicut per literas tuas accepiſſe meminimus, prædicti duraturas temporis ſpatium indixiſtis. Verum quia poſſet forte contingere, quod idem Rex Cypri cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Leone Rege Armeniæ illuſtri, qui Oſſinio præfato in Armeniæ regno ſuccedit, & e converſo idem Leo cum dicto Rege Cypri treugas nollent obſervare prædictas; noſque nolentes ab inceptis deſiſtere, quin potius tantis periculis, opportunis remediis occurrere cupientes; diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatos Reges ad obſervationem treugarum ipſarum ex parte noſtra congruæ perſuaſionis inſtantia ſolerter inducas, & efficaciter exhorteris. Quod ſi hujuſmodi tuis inductionibus & exhortationibus acquieſcere forſitan non curarent, tu inter eoſdem Reges & regna, terras, homines, & ſubditos eorundem, pro tempore, de quo tuæ diſcreptioni videbitur treugas, non tamen propter hoc a dictæ pacis deſiſtendo tractatu, indicere non omittas, faciens eas per idem tempus ab eiſdem Regibus, regnis, hominibus, & ſubditis per excommunicationis in perſonas; & regna, terras, & loca ipſorum interdicti ſententias, ac publicationem, & aggravationem ipſarum firmiter obſervare treugas ipſas; Regibus memoratis, & alias in locis, de quibus videris expedire, per te vel per alium, ſeu alios ſolemniter publicando, &c. Datum Avin. x. kal. octob. anno quinto.* Imperia dedit aliis literis (*b*) ut cenſuras eccleſiaſticas iis incuteret, qui merces vetitas e Cypro ſoldani Ægyptii terris inveherent: ipſorum bona publico fiſco addiceret; atque illorum commercio & uſu familiari reliquos fideles interdiceret. Neopatrenſi vero archiepiſcopo provinciam dedit (*c*), ut ad Cephaloniæ comitem, qui ad Græcorum ſchiſma defecerat, ad Latinum ritum revocandum operam defigeret.

(*b*) *Ib. ep. 207.*

Cenſuræ in merces vetitas Saracenis inferentes renovatæ.

(*c*) *An. 5. p. 1. ep. cur. 71.*

XLIX. Nicolaus Cephal. comes ad ritum Græc. deſciſcit.

Celebrata exeunte anno eſt tertia ſeptem Gallorum Cardinalium nimirum ſex presbyterorum & unius diaconi, creatio a Joanne, de qua meminit Bernardus his verbis (*d*) *Anno Domini MCCCXX. XIV. kal. januarii, feria VI. in jejuniis quatuor temporum in adventu dominus Papa fecit ordinationem unam ſeptem Cardinalium, quos aſſumpſit: quibus poſtmodum ſingulis ſingulos titulos aſſignavit; videlicet dominum Reginaldum Laporta de Alaſſaco Lemovicenſis diœceſis archiepiſcopum Bituricenſem, cui datus eſt titulus presbyteri Cardinalis SS. Nerei & Achillei: dominum fratrem Beraudum de Ganabolico diœceſis Caturcenſis de ordine fratrum Minorum & magiſtrum in theologia archiepiſcopum Salernitanum, cui datus eſt titulus presbyteri Cardinalis S. Vitalis: dominum Petrum de Prato diœceſis Caturcenſis archiepiſcopum Aquenſem, cui datus eſt titulus presbyteri Cardinalis S. Potentianæ, dominum Simonem de Archiaco diœceſis Xanctonenſis electum Viennenſem, cui datus eſt tit. presbyteri Cardinalis S. Priſcæ: dominum Pilum fortem de Rapiſtagno de S. Georgio prope Tarnum diœceſis Albienſis epiſcopum Rivenſem, cui datus eſt titulus presbyteri Cardinalis S. Anaſtaſiæ: dominum Petrum Textoris de S. Antonino diœceſis Caturcenſis vicecancellarium curiæ Romanæ, cui datus eſt tit. presbyteri Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte: dominum Raimundum Ruffi de Caturco civitate, cui datus eſt tit. diaconi Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin.*

(*d*) *Ber. chr. Rom. Pont.*

L.

Conditus eſt per hæc tempora novus religioſorum virorum ordo, cui Montis Oliveti nomen eſt, auctore B. Bernardo Senenſi, de cujus inſtituta ſacra diſciplina hæc Ferrarius narrat (*e*): *Bernardus, ante Joannes, Senis ex nobili Ptolemæa familia natus, a prima ætate literis humanioribus, deinde legibus operam dedit; quas & publice, factus doctor, ſumma cum laude eſt interpretatus. Cum autem publicam habiturus diſputationem in gravem oculorum ægritudinem incidiſſet, ſanctiſſimam Virginem precatus eſt, ut ſi ſibi lumen & priſtinam oculorum ſanitatem reſtitueret, ſe ſuo famulatui, relicto ſeculo, perpetuo addicturum. Qui mox compos voti factus, loco lectionis diſputationiſque gravem habuit de ſeculi hujus contemptu concionem in maxima auditorum, quibus quæ ſibi accidiſſet narravit, frequentia. Nec mora promiſſionis ſuæ memor, rudi amictu indutus, urbeque egreſſus, ſe in montem Olivetum apud montem Ilcinum contulit, quem Patricius ex Patricia familia & Ambroſius Picolomineus, ambo nobiles Senenſes, eodem propoſito ſecuti ſunt. Ibi ædicula celluliſque extructis, ordinis fundamenta jecit, facultatibus ſuis ei dicatis; aſperamque cœpit in jejuniis, vigiliis, & orationibus vitam ducere: viditque inter orandum ſcalam ad cœlos uſque pertingentem, angeloſque deſcendentem,*

(*e*) *Ferrar. cat. ſanct. Ital. die 21. Aug. ex chron. olivetan.*

Ordinis montis Olivetani initia.

Joannes Senenſ. Deiparæ ope oculorum uſum adeptus.

Cæleſte viſum illi objectum.

*tem, angeloſque deſcendentes monachos albi veſtitus per ſcalam ad ipſum angelorum Regem ejuſque genitricem candido amictu fulgentes deducere conſpexit.*

*Cum autem multi in dies ad eum diſcipuli confluerent, ecce ſanctos viros æmuli quidam quaſi hæreticos apud Joannem XXII. Pontificem maximum, Avinione agentem, deferunt, qui eos ad ſe extemplo accerſivit. Cum vero Pontifex ab iis, quos Bernardus miſerat, omnem vitæ eorum rationem intellexiſſet, illos tanquam innocentes ad Guidonem epiſcopum Aretinum, in cujus diœceſi erat locus, qui eis regulam præſcriberet approbaretque ſodalitatem, remiſit. Epiſcopus itaque, cum ſibi ſanctiſſima Deipara in ſomnis albis induta veſtibus apparuiſſet, recentemque congregationem commendaſſet, illos inter miſſarum ſolemnia in eccleſia cathedrali, habitu candido ſolemni adhibita benedictione, die* XXI. *martii anno ſalutis MCCCXIX. induit, eiſque D. Benedicti Abbatis regulam ſervandam præſcripſit, congregationique S. Mariæ montis Oliveti, & Joannis Bernardi nomen indidit, &c.* Hi quidem religioſi viri ad maximas virtutes effloruere: Guido autem in tyrannum impium deſcivit; qui tamen in extremo mortis diſcrimine ſcelerum pœnituiſſe fertur, de quo agetur inferius. Cæterum novi hujuſce ordinis originem refert ad ſuperiora tempora M. S. (*a*) Vaticanum his verbis, *Anno eodem*, nimirum *MCCCXVII. in Italia in comitatu Senenſi & diœceſi Aretina cœpit ordo montis Oliveti ſub regula S. Benedicti per Bernardum de Ptolemæis & duos ſocios Senenſes.*

(*a*) *MS. bibl. Vat. ſign. n. 3765. in Jo. 22.*

LI. Adoleſcens Virginis ope e rogo ſalvus exit.

Editum hoc anno circiter ingens miraculum Avinione implorata Virginis ope memorati M. S. auctor refert his verbis; *Anno MCCCXX. vel circa Avinione, duobus pro crimine ſodomiæ commiſſo uno ſene & alio juvene ignis incendio adjudicatis, eiſque ad columnam ligatis & accenſis, minor ille ad invocationem B. Mariæ virginis, ſene cremato, illæſus exivit; unde dictus dominus Papa capellam in eodem loco conſtrui fecit, & dotavit pro perpetuis capellanis: quam capellam de miraculis intitulavit.* Confirmant auctoris dicta Pontificiæ literæ (*b*) de condito ſacello juxta Avenionem in loco, cui Beſtel nomen eſt, in quo beatiſſima Virgo ingens miraculum patraſſe, multis illud ſpectantibus, ferebatur. Celebre etiam erat in Nemauſenſi agro templum Deiparæ ſacrum, cui a valle viridi nomen erat, illudque adituris indulgentiarum præmia fuerunt propoſita a Joanne: qui hac panegyri pietatem in Virginem commendat (*c*).

Conditum in eo loco ſacellum

(*b*) *To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 177.*

(*c*) *Joan. an. 4. ep. 853.*

*Joannes, &c. Regina cælorum ſedens a dextris virtutis Altiſſimi ornata monilibus, & omnium virtutum floribus inſignita virgo Dei genitrix glorioſa, quæ utique ſicut cedrus in Libano exaltata, & ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans ſuavitatem odoris, excelſa ſupra ſydera laudis ſingularis præconio beata ab omnibus generationibus prædicatur, almum in mundo germen florem pretioſiſſimum, immarceſcibilem & æternum dominum Jeſum Chriſtum humani generis redemptorem ineffabili ſancti Spiritus cooperatione produxit, januam cæli aperiens, & pereuntibus vitam reddens. Hæc igitur Regina miſericordiæ & ſpes noſtra, ad quam recurrunt continue exules filii Evæ in hac valle miſeriæ conſtituti, ubique locorum pro redemptis pretioſo ſanguine Jeſu Chriſti ad ipſam clamantibus non deſinit ferre ſuffragia, & piæ interceſſionis inſtantia a ſplendore gloriæ Patris æterni gratiam impetrare; ob cujus reverentiam Virginis cuncta loca ejuſdem Virginis vocabulo inſignita ſunt veneranda, &c. Dat. Avin.* VII. *kal. iul. anno* IV.

Ut pro peccatoribus apud Numen intercedat.





I. Fides propagata apud Tartaros

(*a*) *To. 3. ep. ſecr. pag. 87. & an. 6. p. 1. ep. cur. 34.*

Abuſcanus Regis filius Chriſtianus.

(*b*) *An. 6. p. 1. ep. cur. 40. & to. 3. ep. ſecr. pag. 87.*

ANno a partu Virginis milleſimo trecenteſimo vigeſimo primo indictione quarta, effloreſcente (*a*) apud Tartaros religione Chriſtiana, quam Abuſcanus Coſogani Aquilonaris Tartariæ Regis filius Hieronymi Caphenſis epiſcopi opera amplexus erat, Romanus Pontifex, cum jam Hieronymus poſtquam propagandæ latius apud infideles fidei conſilia cum ſacro eccleſiæ ſenatu contuliſſet, reditum ornaret, datis ad Abuſcanum literis, piorum ipſum cœtui, exutis erroribus veteribus, ſe aggregaſſe gratulatus eſt (*b*), utque ad ſubditos ad evangelii lucem e ſuperſtitionis tenebris evocandos operam ſtudiumque defigeret, eſt adhortatus: e tanto enim opere immortale decus ab ipſo collectum iri.

*Joannes, &c. dilecto filio nobili viro Abuſcano nato claræ memoriæ Coſogani Regis in partibus Tartariæ.*

Ad divinam adorandam clementiam ipſum Pontif. excitat.

*Conſidera, quæſumus fili, opus clementiſſimæ pietatis, quod in te dignatus eſt Dominus miſericorditer operari de ſua inacceſſibili luce, ne tranſirent dies tui & non videres bonum, nec excludereris a deſiderio collium æternorum, illuminans habitaculum mentis tuæ. Profecto, fili, ecce quod nos & Romana mater eccleſia mater tua in laudem, benedictionem, & gloriam Dei ac Salvatoris noſtri ſponſi cæleſtis oculos noſtros erigimus, & manus noſtras levamus in ſancta ejus, qui amorem ſuum in generis humani ſalute continua miſeratione conſervans, te ſicut venerabilis fratris noſtri Hieronymi epiſcopi Caphenſis & ſociorum ejus aſſertione læti percepimus, ad ſponſæ ſuæ thalamum, ſancti Spiritus lumine illuceſcente, direxit: propterea Deum noſtrum in ſalutari ejus anima noſtra magnificat, noſque in te jubilo cordis & ſpiritus exultamus. Verum ut ſuper te tanquam dignum benedictionis filium perpetuæ pacis fida tranquillitas requieſcat, volumus te prudenter agnoſcere, quod inter cætera, quæ te dirigere poſſunt rectis greſſibus ad ſalutem, hæc recolenda facti memoria ætatis tuæ tempora futuris ſeculis collaudanda mandabit, ſi ſubditi tui vivido ac individuo eccleſiæ catholicæ corpori ad participationem vitalis ſpiritus tua prudentia jungerentur.*

Adducendis ad Chriſtum ſubditis populis dare operam admonet.

*Quare nobilitatem tuam paternis rogamus & hortamur affectibus, ac per Dei miſericordiam obſecramus, tibique in remiſſionem iniungimus peccatorum, quatenus ineſtimabilis boni præmium pro eiſdem ſubditis procurando, ſic res felici ducatu dirigas ad ſalutem, quod tuo ſalutari conſilio ſacri baptiſmatis unda renati Deo & angelis ejus, in communione ſanctorum & communicatione ſancti Spiritus uniantur inſeparabili fœdere charitatis, idque te in ſublimitatem gloriæ celſioris adducat; & noſtram deinde & dictæ ſedis benedictionem & gratiam plenius merearis. Cæterum cum dictus epiſcopi & ſocii pro tua dictorumque populorum procuranda ſalute ad partes ipſas cum benedictionis noſtræ gratia revertantur ad præſens, quæſumus fili, ut tam eos, quam alios Chriſtianos in eiſdem partibus commorantes pro divina & dictæ ſedis ac noſtra reverentia benigne pertractans, eos favoribus munias opportunis, tuæque protectionis auxiliis a moleſtiis tuearis, & in libertate plenæ ſecuritatis manuteneas & conſerves. Dat. Avin.* X. *kal. decemb. anno* VI.

II.

(*c*) *Ead. p. 87. & an. 6. p. 1. ep. cur. 34.*

Muſſaydan Imp. Tartar. in Chriſtianos bene affectus.

(*d*) *Ib.*

Ad religionem eum allicere ſtudet Pont.

Item Zopam Begilay Regem.

(*e*) *To. 3. ep. ſecr. pag. 88. & an. 6. p. 1. ep. cur. 38.*

Explicabat (*c*) etiam egregium in Chriſtianos ſtudium Muſſaydan Imperator Tartarorum, ac viros religioſos Minoritas Petrum & Jacobum benevolentia proſequebatur: qua de re Pontifex, ut barbarum ad Chriſti fidem pelliceret, gratias ei egit (*d*), ſignificavitque ſe in ſpem maximam efferri, ipſum Chriſtiana ſacra ſuſcepturum; utque Tartaros, qui in ipſius imperio baptiſmalibus ſacris initiati erant, haberet commendatos excitavit. Optime etiam meritus de re Chriſtiana videbatur Zopan Begilay aliorum Tartarorum Rex (ea enim natio, tum victarum gentium multitudine celeberrima, regna ampliſſima ad extremas uſque ſeptemptrionis meridiei, atque orientis oras obtinebat) ac Pontifex propagandæ religionis pio deſiderio incenſus, ut illius ſtudium erga Chriſti fideles prolectaret, quas ſubiicio literas exaravit. (*e*)

*Nobili viro Zopan Begilay Regi gratiam, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

III. Gratulatur in præcones evangelicos ſtudio propenſum fuiſſe.

*Larga Dei patris & copioſa clementia qui neminem vult perire, ex eo tui cordis intima tetigiſſe videtur, quod fidei Chriſtianæ cultores, infra latitudinem degentes Imperii Tartarorum, multæ humanitatis (ſicut dilecti filii Jacobus & Petrus ordinis Minorum exhibitores præſentium quod læti ſuſcepimus, voce laudabilis commendationis attollunt) benignitate proſequeris & pertractas, & a tuæ protectionis favoribus non excludis: ex quo datur nobis ſpei gratiæ fiducia, quod noſtri Redemptoris ineffabilis pietas, a quo chariſmatum omnium dona emanant, oculos mentis tuæ ſplendoribus ſuæ claritatis irradians, de vitæ veteris cœcitate ad agnitionem ſui nominis miſericorditer revocabit. Quare prudentiam tuam rogamus & hortamur attentius,*

Fideles, qui in illius imperio verſantur commendat.

*& per miſericordiam ejus, qui vult omnes ſalvos fieri, inſtantius obſecramus, quatenus quod circa fidei cultores ejuſdem tibi dedit pietas inchoari, laudabili proſecutione continuans, prædictos fratres, qui pro tua & populorum imperii memorati ſalute procuranda ad ejuſdem partes imperii cum noſtræ benedictionis gratia revertuntur; nec non & Chriſtianos alios, in eodem degentes imperio, habens pro divina & Apoſtolicæ ſedis ac noſtra reverentia propenſius commendatos, eos tui favoris ope confoveas, a quibuſvis defendas moleſtiis, & tuæ protectionis auxiliis tuearis. Dat. Avin. kal. decem. anno* VI.

IV. Confirmat ipſos ad conſtantiam. Pro Chriſto contumelias patientibus indulgentias impertit.

At quamvis Tartarorum Imperatores ac Reges egregia erga Chriſtianos benevolentia affecti eſſent, non deerant tamen viri ſceleſti, qui vel malevolentia ſuffuſi, vel etiam dæmonum furiis perciti improbitatem exercerent in ipſos; quos ut ad conſtantiam Chriſti vicarius confirmaret, indulgentiarum præmia iis propoſuit (*a*), qui ob ſuſceptam fidem aliqua injuria afficerentur, vel ad barbaros ad Chriſtum adducendos incumberent, vel pronuntiata Chriſti ac Deiparæ nomina religioſo corporis flexu proſequerentur: *Vobis*, inquit, *univerſis & ſingulis, & aliis de præfato imperio, qui ad fidem catholicam orthodoxam convertentur in poſterum, ſingulis diebus, quibus vos aut dictos convertendos contumelias, aut tribulationes, vel perſecutionem pro eodem nomine pati contigerit; & omnibus, qui alios ad dictæ fidei communionem inducent, ſingulis diebus quibus ſuper hoc fideliter laborabunt; nec non & illis, qui nomini ejuſdem domini noſtri Jeſu Chriſti & beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ genitricis ejus dominæ noſtræ reverentiam devotis animis exhibebunt, vere pœnitentibus & confeſſis, ſingulis diebus, quibus reverentiam hujuſmodi facient, viginti dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Dat. Avin. x. kal. decembris anno* VI. Plura de Minoritis, qui in religione Chriſtiana apud Tartaros amplificanda operam ponerent, Vvadingus refert (*b*): quos etiam & alios viros religioſos ea inſtructos auctoritate, ut apud infideles omnia munera, exceptis iis, quæ epiſcopalis ſunt dignitatis, obire poſſent, pontificiæ literæ docent (*c*).

(*a*) *Ep. ſecr. pag. 89. ep. cur. 36.*

(*b*) *Vad. in annal. Minor. to. 3. hoc an. An. 6. p. 1. ep. cur. 24.*

(*c*) *Ib. ep. cur. 39.*

Commendata neophytis perſeverantia.

Extant aliæ ad neophytos Aquilonares Caphenſis epiſcopi ac Prædicatorum & Minoritarum zelo ad Chriſtum pellectos datæ ut in conjunctione Romanæ eccleſiæ perſtarent, ſequi æternitatis ſpe ad vitæ labores excitarent: *Filii*, inquit, *univerſitatem veſtram paternis rogamus & hortamur affectibus, & per Dei miſericordiam obſecramus quatenus diligentius attendentes, quod coronam gloriæ perſeverantia repromittit, in hujuſmodi ſinceritate fidei, per quam merebimini conſortium angelorum, in * nonnullis radicibus ſtabiliti, illam ſemper devotis animis obſervare curetis, ut ipſe cognitor ſecretorum Omnipotens vota veſtra percipiens, ſuis beneplacitis confirmare in vobis gratiæ ſuæ dona multiplicet; & poſt vitæ præſentis excurſum regni ſui faciat coheredes. Dat. Avin. x. kal. decembris anno* VI.

* *immobilibus*

V. Epiſcopus Caphen. a nonnullis. Genuen. indigne habitus. Suſceptum a Pontif. ejus patrocinium.

Perſtricti Caphenſis epiſcopi virtutum ſplendore (fuiſſe enim ipſum pietate inſignem, prolati latius illius opera Chriſtianæ religionis termini, atque ex ſuperſtitionis erroribus, quibus irretiti tenebantur, erepti Tartari teſtantur) nonnulli Genuenſes, cum ipſum juvare omni ope debuiſſent, graviſſimis injuriis affecere. Ad cujus dignitatem ab eorum contemptu & contumeliis vindicandam Pontifex religioſis Minoritis Caphenſibus dedit imperia (*d*), ut Genuenſes eoſdem ad expiandum rite crimen, objectis cenſuris eccleſiaſticis, adigerent.

(*d*) *Ib. ep. cur. 37.*

In Cameleſia exorti circa divina abuſus.

Conſtituendis porro Tartariæ eccleſiis intentus Pontifex, cum nonnullos in Cameleſia ad dignitates eccleſiaſticas irrepſiſſe injuria accepiſſet, alios etiam ſacris ordinibus rite initiatos non eſſe, ut his mederetur malis, archiepiſcopo S. Thadæi e Cameleſia provinciam dedit (*e*), ut vel ſacros ordines, auctoritatemve neceſſariam pontificio nomine conferret.

(*e*) *Ib. ep. cur. 25. ext. etiam in MS. arch. Vat. de reb. infid. & ſchiſm. pag. 8.*

*Joannes, &c. venerabili fratri Cachanæ archiepiſcopo S. Thadæi Apoſtoli de Cameleſia, & dilectis filiis vicario Prædicatorum & cuſtodi fratrum Minorum in imperio Tartarorum conſiſtentibus.*

Iis medendis ſtudet Pont.

*Cum, ſicut accepimus, nonnulli prælati tam ſecularium, quam regularium eccleſiarum imperii Tartarorum ad prælaturas eccleſiarum ipſarum canonicum non habeant ingreſſum, ac nonnulli alii rite promoti ad ordines non extiterint; nos ſaluti eorum in hac parte miſericorditer providere volentes, vobis pro ſalute cleri & populi Chriſtiani in imperio prædicto degentibus, necnon pro reconciliatione eorum præſentium auctoritate concedimus, ut demum poſtquam illa, quæ tam circa catholicam fidem quam circa cætera, in aliis noſtris vobis directis literis comprehenſa, fuerunt ſine ſimulatione completa cum prælatis eiſdem, quod in ſuis remaneant prælaturis auctoritate apoſtolica diſpenſare libere valeatis, vel eos, ſi maluerint, eadem auctoritate in imperio prædicto transferatis ad alias prælaturas, prout ſaluti animarum ipſorum videritis expedire.*

Rite non promoti ex ſacris canonibus promovendi.

*Illos vero, qui ut præmittitur, rite quan-*



*quantum ad ſubſtantiam ordinum celebrantis ordines ſine poteſtate promoti non exiſtunt ad ordines, tu frater archiepiſcope rite ordines ſecundum ſtatuta canonica inſtituta: in novitate tamen hujuſmodi reductionis eorum, cum nondum eſſent in firma radice plantati, quaſi modo genitos infantes lacte dulcedinis nutriendos, tolerantiæ ſupportandos humeris, & ad præmiſſa lenitate potius quam neceſſitate tradendos, merito judicamus. Sic ergo vos circa hæc ſolerter ac ſolicite habeatis, quod per veſtræ diligentiæ ſtudium prava redeant in directa, & vigor catholicæ fidei ſemper inibi laudabilibus proficiat incrementis, &c. Dat. Avin. idus octob. anno* VI.

Utendum in neophytos clementia.

VI. Zacharias archiep. S. Tadæi de re cathol. benemeritus.

Incumbebat feliciter ad proferendam latius fidem Zacharias S. Thadæi archiepiſcopus, nec leves ab impiis Chriſti cauſa injurias acceperat: quem Pontifex ad proſequenda egregie cœpta ac religionem augendam ſubjectis literis inflammavit (*a*). Cum vero in iis regionibus altiſſimis obſitis tenebris is vigeret error, ut ſacramentum confirmationis conferretur a ſacerdotali tantummodo dignitate præditis, vel etiam ſacraretur oleum, quo fideles in ancipiti ex ægritudine mortis diſcrimine conſtituti liniendi ſunt; illum adductis ſacræ ſcripturæ oraculis, ac propoſita ſuſcepta veteri ab Apoſtolis conſuetudine erudivit; utque Romana eccleſia omnium eccleſiarum princeps eſſet, a qua difficultatum exorientium lux ac veritas peti deberet.

(*a*) *An. 6. p. 1. ep. cur. 56. & an. 8. p. 1. ep. cur. 21. Ext. etiam in MS. arch. Vatic. de rebus Tartar. infidel. & ſchiſm. p. 21.*

*Joannes, &c. venerabili fratri Zachariæ archiepiſcopo S. Thadæi.*

De conjunctione cum Rom. eccl. gratulatoriæ lit.

*Sane, dilectiſſime frater, de te multa lætitiæ cauſam & exultationis habemus, quia tu in ejuſdem fidei veritate ſpiritu beatæ conſiderationis inductus, pro divini nominis gloria ſtabiliter perſeverans, pro ipſius obſervatione fidei ab æmulis ejus multas te perpeſſum anguſtias, multoſque te percepimus pertuliſſe labores: propter quod ſperamus in illo, qui bonorum eſt omnium magnificus elargitor, quique pro minimis grandia recompenſat, quod pro laboribus tuis gloria copioſæ mercedis in cælis eſt tibi de ſuæ pietatis miſericordia reſervata. Profecto quod tu ad hanc fidei veritatem zelo devotionis afficeris, quod ipſam devotus amplecteris, quod ad unitatem & obſervantiam ejus cunctos tibi ſubditos exemplo laudandæ imitationis inducis; ſciens cum Apoſtolo, quod ſicut unus eſt Dominus, unumque baptiſma, ſic cunctorum debet eſſe fidelium una fides; cedit evidenter ad animarum ſalutem, tuæ fraternitatis laudem, & ad ſtabilimentum tui ſtatus accedit: ſed cor noſtrum lætitia eo indubie profuſiori reſpergitur, quo te potiori charitate complectimur, & ex debito apoſtolatus officii ad tuam tuorumque ſubditorum ſalutem ferventius anhelamus.*

*Tu quidem ex his habes unde domino Deo tuo in vocem exultationis & confeſſionis erumpas, exultes in eo, & fatearis humiliter tibi & tuis de immenſo ipſius dono conceſſum, inter perfidas nationes veræ fidei agnoſcere veritatem, & illam devotis affectibus obſervare. Perſta igitur, noſti etenim quod perſeverantiæ palma debetur: cumque præcepto legis cauda hoſtiæ in ſacrificio jubeatur offerri, ille bene immolat, qui ſacrificium boni operis uſque ad finem perducit debitæ actionis. Ne vero circa ſacramenta vel ritus eccleſiaſticos ab eccleſiæ Romanæ matris tuæ obſervatione diſcordes, fraternitatem tuam rogamus inſtantius, & per merita obſecramus illius, cujus perfecta ſunt opera, quatenus ritum ipſius eccleſiæ Romanæ circa ſacramenta confirmationis & extremæ unctionis obſerves, & a tuis ſubditis facias obſervari; ut videlicet ſacramentum ipſum confirmationis, quod non legitur, neque ſcitur Apoſtolorum tempore ab aliis quam ab ipſis fuiſſe peractum; quin potius in eorum actibus ſcribitur, ad confirmandum baptizatos in nomine domini noſtri Jeſu Chriſti Petrus & Joannes in Samariam & Jeroſolymas tranſmiſſi fuerunt, quod utique ſacramentum poſt tempus illorum fuit ſolis pontificibus in eorumdem Apoſtolorum locum ſuccedentibus, reſervatum; nulli alii quam epiſcopi exhibere, nec aliqui ab aliis quam ab epiſcopis ſuſcipere quoquo modo præſumant.*

Confirmatio a ſolis epiſcopis conferenda.

VII.

*Licet igitur ſacramentum ipſum non ſit a fidelibus contemnendum, tutius tamen eſt illud ſine periculo ex neceſſitate, quæ legem non habet, omittere quam ſi ab iis a quibus illud conferri non licet, ex temeritate contra legem damnabili non ſine gravi periculo inaniter conferatur, cum umbra quædam oſtendatur in opere, veritas autem non ſubeat in effectu. Tu & epiſcopi ſuffraganei tui tantum, & nullus alius deinceps oleum ſanctificet infirmorum cum, ut præfertur, ad ſolos epiſcopos, & ſuperiores prælatos pertineat ipſius olei materiam conſecrare ad ungendum infirmos; ſi nempe, ut præmittitur, in fide fundati, ſtabiles, & immobiles tu & ſubditi tui in illa permanſeritis; ſi præfato ritui noſtro vos & iidem ſubditi conformare curabitis nedum opinionis veſtræ cuſtodes eſſe, ac de bono nomine curam habere dicemini, ſed & retributionis cæleſtis larga merebimini præmia, non ſine laudis humanæ præconio & apoſtolici favoris augmento.*

Oleum infirmorum ab iiſdem ſacrandum.

*Nec omittamus, quod ipſa ſacroſancta Romana eccleſia, ſummum & plenum primatum & principatum ſuper univerſalem catholicam eccleſiam obtinens, quam ſe ab ipſo*

Primatum Rom. eccleſ. edocet Pont.

ipſo Domino in beato Petro Apoſtolorum principe, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & humiliter recognoſcit; ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debet judicio definire: ad quem prægravatus quilibet in negotiis, ad forum eccleſiaſticum pertinentibus, appellare in omnibus cauſis, ad examen eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt recurri judicium; & eidem omnes eccleſiæ ſunt ſubjectæ; ipſarumque prælati & obedientiam

In rebus eccleſiaſt. ad illius judicium confugiendum.

& reverentiam ſibi debent: apud quam ſic plenitudo poteſtatis conſiſtit, quod eccleſias cæteras ad ſolicitudinis partem admittit, quarum multas, ſed patriarchales præcipue, diverſis privilegiis eadem Romana eccleſia honoravit; ſua tamen prærogativa tam in generalibus conciliis, quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalva. Quare iterato fraternitati tuæ ſalutaribus monitis ſuademus, quatenus in præmiſſorum omnium ſalubri obſervantia inconcuſſe perſiſtere ſtudeas, & eoſdem ſuffraganeos epiſcopos & alios ſubditos tuos, quantum in te fuerit, ad ſedule perſiſtendum ſolerter inducas. Si enim tu & tui hoc adimplere curabitis, ſperamus in illo, qui in veſtri cordis habitaculum diffudit lucem ſuam, quod in montem ſanctum ſuum, in communionem ſcilicet & unitatem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, per obſervationem fidei, recognitionem & acceptationem primatus ejuſdem eccleſiæ, ſuo ducatu deducti, tandem feliciter adducemini per continuationem bonorum operum in dilecta ejus tabernacula, viſione ſemper fruituri beata. Dat. Avin. x. Kal. decembris anno VI.

VIII. Pontificium ſtudium pro Georgianis ad Rom. eccl. ſinum adducendis.

De primatu Romanæ eccleſiæ ac ſumma illa, qua Romanus Pontifex in cæteros orbis præſules pollet auctoritate, ſcripſit etiam Joannes ad Georgianos; utque a Græcorum ſchiſmate ad Romanæ eccleſiæ conjunctionem ipſos revocaret, datis ad Georgium Regem atque Georgianos proceres literis (a) ſignificavit, ſe ad redintegrandum vetus Georgianæ cum Romana eccleſia fœdus ſynodum convocaturum: adductiſque in medium pluribus e veteri teſtamento tropologicis argumentis, atque ex evangelio oraculis divinis ſupremam Romani Pontificis in omnes fideles poteſtatem illuſtravit.

(a) An. 6. p. 1. ep. cur. 23. & eod. MS. pag. 5.

Joannes, &c. Georgio Regi Georgianorum illuſtri, ejuſque baronibus, & baroni Porcelli, &c. ac univerſis populis per regna, provincias, & terras imperii Tartarorum conſtitutis Deum diligere & timere.

Cum ſimus ſuper ſedis Apoſtolicæ ſpeculam conſtituti, & infra, orthodoxorum neminem jam credimus latere, unum in terris caput eſſe tantumodo, ex quo totum corpus contexitur militantis eccleſiæ, rerum id exigente natura, quæ corpus ſi habuerit duo capita, indicat monſtruoſum.

Unicam eſſe eccleſiam & unum illius caput figuris illuſtratur.

Probat hoc idem ratio exemplaris æterni, juxta quod militantem eccleſiam ſub utroque tempore diſponendam per inſtructionem evangelicam didicit legiſlator, Paulo Apoſtolo referente: Vide, facito omnia juxta exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt; ubi divina diſpoſitione hierarchiæ per media ultima, ipſaque per primam mediatori omnium connectuntur, quod imitandum fore neceſſario peregrinanti eccleſiæ ſcriptura ſacra tam figuris, quam teſtimoniis aſſerit atque probat. Unus Adam deputatus ad cuſtodiam paradiſi, unum eſt ſortitus uxorem; unum dominum Jeſum Chriſtum in juſtitia & veritatis ſinceritate ejuſdemque unum in terris vicarium; & unicam ejus ſponſam eccleſiam præfigurans, doctore gentium atteſtante: Sacramentum hoc, inquit, magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & eccleſia. Lamech vero, quod humiliatum ſignificat, dum uxorem unam diviſit in duas, ſanguinarius eſt effectus, & virum in vulnus ſuum occidit: ad inſtar cujus qui eccleſiam ſcindunt, occidunt animas parvulorum.

Ex cæleſti hierarchia ſumptum exemplum. Eccleſia unica Chriſti ſponſa in Adamo & Eva adumbrata.

In arca Noe expreſſa.

Deinde ſalutis arcam tantum unam fuiſſe legimus, quæ cuncta vaſtante diluvio, ſuper unius patriarchæ remigis potentatu paucas animas ſub perfectionis numero reſervavit; facti cujus myſterium paſtor eccleſiæ Petrus Apoſtolus tangens ait: In arca Noe pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam: quod & nos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma.

IX. Argumenta ex evangelio petita. Unicum ovile & unus paſtor.

Ipſa etiam Veritas, gentium vocationem prædicens, aſſeruit quod in ovili ſuo unus tantum debeat eſſe paſtor: Fiet, inquiens, unum ovile, & unus paſtor. Ad hoc ovile Paulus ipſe divina clementia revocatus docet & prædicat, unum caput eſſe tenendum fide pariter & amore: unde ſchiſmaticos, & ab unitate corporis eccleſiæ per inobedientiam recedentes notans, vitandoſque inſinuans ait: Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione, quam non vidit, angelorum ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum Dei. Nulli fideli venit in dubium, quin ipſe Chriſtus ſit paſtor eccleſiæ, atque caput non tantum militantis, ſed etiam triumphantis: qui ſecundum carnis aſſumptæ naturam mortem pro ſuis ovibus ſubiturus; & poſt reſurrectionem ad patris dexteram aſcenſurus, ut quo caput ibat, membra ſe ire ſperarent; ne corpus peregrinantis eccleſiæ propter corporalem ipſius abſentiam videretur acephalum, remanere ſibi ſucceſſorem ſubſtituit vicarium ſpecialem: non quidem Jacobum

Chriſto ſummo Paſtori unicus in terris paſtor ſubrogatus, nimirum Petrus.





aut Joannem, qui columnæ videbantur, non Paulum legis ſcientia præditum & doctrina, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus; ſed Simonem, quem & Petrum cognominavit.

Chriſti ea de re teſtimonium.

Hunc itaque ſuarum ovium paſtorem ſubſtituens univerſalem in terris, earundem paſcendarum curam indiſtincte commiſit, eidem tertio dicens: Paſce oves meas; cui ex prærogativa ſpeciali, ut nobis ipſum caput poſt ſe fore totius eccleſiæ demonſtraret, promiſerat dicens: Tu vocaberis Cephas; quod interpretatur caput, ut ſicut in capite ſenſuum plenitudo conſiſtit, a quo ad ſingula membra occultis meatibus pars aliqua tanquam a fonte rivulus derivatur; ſic tres fidelium ordines in eccleſia, Noe, Daniel, & Job,

De tribus in eccleſia ordinibus.

prælati videlicet, continentes, & conjugati: quos Ezechiel vidiſſe legitur in viſione ſalvandos a Petro. Petra ſuper quam non domum ſaltus Libani, non porticum columnarum, non domum filiæ Pharaonis; ſed eccleſiam ſuam ædificavit Dominus, fidelibus videlicet de omni genere piſcium in ejus rete concluſis, tanquam a primate primatum, qui de fonte dominici pectoris fluenta potavit; & ſuæ ſalutis debent poſtulare remedia, & cum omni patientia & doctrina, non contenſioſe vel ſuperbe in aliquo reſiſtentes, a mentis ſuæ tenebris dubietatis ſcrupulos removeri. Nam etſi Paulus ex verbo Domini, Petro cæteriſque Apoſtolis univerſaliter ſic dicentis: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt; cum Petro fuit, miniſterium dignitatis exercens; fuit etiam ex verbis ejuſdem auctoritatis regulariter Petro propoſitis: Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis; in Petro auctoritatis officium recognoſcens: & ideo ad eum tanquam primatem, & evangelii dominici fontem venit Jeroſolymam, & poſtmodum cum ipſo & aliis ſecundum revelationem contulit evangelium, ne in vacuum curreret vel etiam cucurriſſet.

Uni Petro ſolvendi & ligandi in cælo data auctoritas.

S. Paulus ipſum convenit, ut de evangelio conferret.

Quæ Petri auctoritas ex ejuſdem Domini verbis expreſſius roboratur, cum ſibi ſoli dicitur ab eodem: Duc in altum; & poſtea ſubinfertur: Laxate retia in capturam; Si ergo Petrus per excellentiam fidei, quæ in uno Chriſto duas naturas divinitus recognoſcens, cum dixit: Tu es Chriſtus filius Dei vivi; claves regni cæleſtis in terris ſolus accepit, cum unum ſit caput eccleſiæ militantis; reſtat ut ad regimen generalis eccleſiæ, quam ipſe cum Paulo & cæteris de gentibus congregavit, caput ejuſdem, ſuumque Dominus per ea, quæ præmiſſa ſunt, manifeſte oſtenderit ſucceſſorem. Prævidens autem Dominus, quod eccleſia ſua conculcaretur a tyrannis, laniaretur ab hæreticis, & a ſchiſmaticis ſcinderetur, ait: Ego pro te oravi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Ex quo colligitur evidenter, quod ad ſedem Petri omnis ſit quæſtio referenda, &c.

Claves cælorum uni Petro traditæ.

Illius ac ſucceſſorum fides deficere non poteſt.



X. Solvendæ omnes circa fidem a Rom. Pont. controverſiæ.

Subdit, ſe officii religione ad promovendam omnium ſalutem devinciri; ac magno teneri dolore, Georgianos a Romanæ eccleſiæ conjunctione divulſos, atque ad eos illius gremio reſtituendos ſumma ardere cupiditate: initurum in id omnem conſentaneam rationem: paratum ſe pro re perficienda indicere concilium, ſi ita flagitarit; regii quidem muneris eſſe populos ad ſalutem adducere, conjunctiſque mutuo fœdere omnibus fidelibus eccleſiam magno afficiendam gaudio, remque Chriſtianam confirmatum iri. Commendat demum Minoritas, qui ad Tartaros pro inferenda evangelii luce mittuntur, utque iis per Georgiam libere commeare permittat hortatur. Dat. Avin. id. octobris anno VI.

Offert Georgianis pro redintegranda conjunctione œcum. concilium.

XI. Armenos ad conjunctionem cum Rom. eccl. ſolicitat.

Pellicere etiam Armenos, qui in Tartarorum imperio verſabantur, atque alios orientales ad Romanæ eccleſiæ obſequium ſtuduit; utque fidem a patribus acceptam incorruptam ſervarent, ipſis conceptam eadem verborum forma profeſſionem fidei, quam Armenis aliis propoſitam vidimus (a) tum quid de purgatorio, non iterando baptiſmate, tranſubſtantiatione in auguſtiſſimo miſſæ ſacrificio, quidque de aliis ſacramentis credendum obſervandumque eſſet, inſtruxit (b).

(a) Ann. Ch. 1318. n. 10 & Annal. to. XIV. an. 1267. n. 75.

(b) An. 8. p. 1. ep. cur. 22. ext. etiam in MS. arch. Vat. de reb. Tart. in fid. & ſchiſ. pag. 21.

Venerabilibus fratribus de Aguemaz & de Aribamar archiepiſcopis, ac Zachariæ Argis, Joanni de Noravans, Stephano Traiſair, ac.. de Pictriviaco.. de Aſtarat de Carry, Jacobo de S. Bartholomæo, Zachariæ de Naczoan, Thadæo de Pacevan, Nerſes de Uvanavaniz, Sarbas de Arepada, de Arteron, de Arzenga, & de Cars, ac aliis orientis epiſcopis. Et infra: ac clero & populo fidelium per imperium Tartarorum degentibus ſalutem, &c.

Orthodoxæ fidei elogium.

Nequaquam ſine dolore poſſumus intueri a tanti capitis corpore membra quædam eſſe diviſa, videlicet Armenorum orientis eccleſiam: ſejuncta nempe per inobedientiam a ſuo capite ſpirituali corporis ſanctificationem nequaquam participat, cum ab ejus ſe ſubtraxerit unitate. Hæc eſt igitur doctrina, quam tenet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, quæ juſtos vivificat, labentes ſtabilit, corda purgat. Hæc eſt vere pugnanti clypeus, arrha ſponſæ, præmium & triumphus. Docet inſuper baptiſmum non eſſe aliquatenus iterandum, & eos, qui poſt baptiſmum in peccata relabuntur, non eſſe baptizandos; ſed per veram pœnitentiam ſuorum poſſe conſequi

Baptiſmus non repetendus. Poſt baptiſmum lapſi pœnitentiæ ſacramento Deo conciliandi.

Criminum reliquiæ igne purgatorio expiandæ. Pia fidelium opera defunctis proſunt. Puræ ab omni labe animæ in cælum evolant. Lethifero ſcelere inquinatæ ſuppliciis inferorum addicendæ. Puerorum non baptizatorum Dei conſpectu cariture.

*veniam peccatorum. Quod ſi vere pœnitentes in charitate diſceſſerunt, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & ommiſſis, eorum animas pœnis purgatorii poſt mortem purgari: & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, ſcilicet ſacrificia, eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundum eccleſiæ inſtituta. Illorum vero animas, qui poſt ſacramentum baptiſmatis nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi: illorum autem animas, quæ in mortali peccato, vel cum ſolo originali diſcedunt, mox in infernum deſcendere: pœnis tamen ac locis diſparibus puniendas; nimirum puerorum animas pœna damni non ſenſus in limbo afficiendas.*

Eccleſiæ ſacramenta ſeptem. A ſolo epiſcopo conferenda confirmatio. Et oleum infirmorum ſacrandum. In ſacramento altaris fit tranſubſtantiatio. Modica aqua vino conſecrando affundenda. Jejunium ſumptione ſacramenti non violatur. Multiplicitas uxorum aut virorum damnata. A morte conjugis aliæ nuptiæ licitæ. Exhomologeſis ſingulis annis repetenda.

*Tenet etiam & docet ſacroſancta Romana eccleſia ſeptem eſſe eccleſiaſtica ſacramenta, ſcilicet baptiſma, de quo dictum eſt: aliud eſſe ſacramentum confirmationis, quod per manus impoſitionem epiſcopi confertur chriſmando renatos chriſmate, in cœna Domini per ſolum epiſcopum vel ſuperiorem ipſo antiſtite conſecrato. Aliud eſt extrema unctio, qua de oleo per epiſcopum vel ſuperiorem, ut prædicitur, benedicto infirmantibus ſecundum doctrinam beati Jacobi per presbyteros exhibetur. Aliud eſt Euchariſtiæ quod ex azymo conficit eadem Romana eccleſia, tenens & docens quod in ipſo ſacramento panis verus tranſubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem domini noſtri Jeſu Chriſti: in quo ſacrificio in calice aquæ modicum vino apponitur ad conſecrationem dominici ſanguinis celebrandam, ita quod nec aquam ſine vino, nec vinum ſine aqua offerri debere, eadem eccleſia ſancta docet; quodque per ſumptionem hujus ſacramenti ſanctiſſimi non frangitur jejunium a ſumente. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir inſimul plures uxores, nec una mulier habere permittatur plures viros. Contracta vero matrimonia inter conjunctos uſque ad quartum conſanguinitatis gradum incluſive, citra diſpenſationem Romani Pontificis, per ſanctam Romanam eccleſiam nullatenus rata ſeu legitima reputantur. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterius coniugum, ſecundas & tertias & deinceps nuptias ſucceſſive licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum ex cauſa alia non obſiſtat. Aliud eſt ſacramentum pœnitentiæ, quo ſecundum inſtitutionem ejuſdem eccleſiæ fidelis quilibet Chriſtianus omnia peccata ſua ſemel ad minus in anno debet ſacerdoti proprio confiteri. Septimum vero ſacramentum eſt ſacer ordo: eadem quippe Romana eccleſia quatuor agnoſcit minores ordines, quorum primus eſt ordo oſtiarii, ſecundus lectoris, tertius exorciſtæ, & quartus acolythi; nec non & tres majores, ſubdiaconatus videlicet, diaconatus, & presbyteratus ordines, quos ſtatutis a jure temporibus in eadem confert eccleſia ordinatis, &c.*

Sacramento ordinis tres majores & quatuor minores contenti.

XII. Excitat Armenos ad conſtantiam in Romanæ eccleſiæ coniunctionem ſervandam, nec in ea re ſe commodi vel honoris ſui, ſed pii animarum lucri cupiditate duci, ac potius ad eos apoſtolicis ſtudiis provehendos ornandoſque operam converſurum. Denique addit, ut ritu Romano nonnullos dies, Chriſti myſteriis ſanctorumve felici obitu vel triumpho potius inſignes, feſtos agitent: *Ut larga Dei patris, & copioſa clementia in laudem & benedictionem & gloriam ſui beatiſſimi nominis ſuorum veneratione ſanctorum vos devotis percipiens ſtudiis delectari, in vobis gratiæ ſua dona multiplicet, quæſumus ut glorioſiſſimæ nativitatis Dei & ſalvatoris noſtri domini Jeſu Chriſti, annuntiationis beatiſſimæ & præcelſæ genitricis ejus ſemper virginis Mariæ dominæ noſtræ, S. Joannis Baptiſtæ, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & aliorum ſanctorum feſtivitates juxta ritum, quem prædicta Romana tenet eccleſia, vobis per dilectos filios fratrem Jacobum & Petrum de ordine Minorum exhibitores præſentium peritos in lege divina tradendum, cum omni devotione, ut multiplicatis interceſſionibus apud Deum ejus miſericordiam valeatis abundantius promereri, colere ſtudeatis, & per eoſdem ſubditos veſtros coli reverentibus animis faciatis, &c. Dat. Avin.* x. *kal. decembris anno* VI.

Commendata ſanctorum veneratio.

Qui præcipui feſti dies peragendi.

XIII. Devinxerant (*a*) ſe gravi ſcelere nonnulli Armeni in Saraicenſi Tartariæ urbe, qui inita cum Saracenis coniuratione, Sthephanum epiſcopum catholicum, in excolenda vinea Domini deſudantem, magna divini Numinis & eccleſiæ iniuria expulere: quos Pontifex monuit, ut animarum ſaluti conſulerent, atque epiſcopum in priſtinam ſedem revocarent.

(*a*) *An.6. p.1. ep. cur* 35.

Stephanus epiſc. cathol. a Saraicen. Armenis ejectus.

*Joannes, &c. dilectis filiis populo Armenorum per Saraicenſem civitatem & diœceſim conſtitutis.*

De patrato ſcelere Saraicenſes corripit Pont.

*Nuper, non ſine multa turbatione percepimus, quod vos contra venerabilem fratrem noſtrum Stephanum epiſcopum Saraicenſem patrem & paſtorem animarum veſtrarum, adiuncti vobis quibuſdam de Saracenorum fœtida natione hoſtium Dei & catholicæ fidei, nequiter inſurgentes; & ei, quem a moleſtiis aliorum deberetis uſque ad ſanguinis effuſionem tueri, gravibus iniuriis & contumeliis irrogatis, eum ſede ſua, non ſine multa divina majeſtatis offenſa & ejuſdem eccleſiæ Romanæ contemptu, per violentiam ſpoliatum bonis omnibus ejeciſtis: & (quod mentem noſtram duriori vexatione moleſtat) nonnulli veſtrum ab unitate ipſius eccleſiæ & fidei catholicæ, ſine qua Deum nemo unquam videre poterit, receſſerunt (quod mœſti referimus) veritate. Cum itaque, filii, multipliciter, vobis expediat, ut erroris tam execrabilis cœcitatem, quæ veſtram ſalutem multipliciter impedit, vos a Dei ſeparat voluntate, per ſatisfactionis debitum & pœnitudinem cordium celeriter corrigatis; univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attentius, & per miſericordiam obſecramus ipſius, qui deducit ad inferos & reducit, per apoſtolica ſcripta vobis mandantes, quatenus ejuſdem epiſcopi gratiam humiliter repetentes, & ſuper præmiſſis ſatiſfactionem congruam impendentes eidem, ipſum tanquam patrem & paſtorem animarum veſtrarum devote recipere, ſuiſque ſalubribus monitis & doctrinis efficaciter acquieſcere ſtudeatis, &c. Dat. Avin. x. kal. decembris anno* VI.



Arachiel. archiep. in Gazar. ob fidem cathol. a ſchiſmaticis exagitatus.

(*a*) *To.3. ep. ſecr. pag.*86.

Modica aqua ſacrando vino immiſcenda.

Cumque ſimillimis pro Chriſto iniuriis Arachiel Armenorum in Gazaria archiepiſcopus fuiſſet appetitus, atque ſchiſmatici Patriarchæ ſtudio e ſua ſede deturbatus, ipſum Chriſti vicarius apoſtolicis literis excitavit (*a*), ut animos erigeret, rerumque cœleſtium tractatione vitæ moleſtias mulceret; admonuitque, ut inter divina calici modicam aquam affunderet: *Cum Romana eccleſia mater veſtra*, archiepiſcopum ac ſacerdotes alloquitur, *ſtatuerit quod in altaris mirabili ſacramento nec aqua ſine vino, nec vinum ſine aqua per miniſtrum aliquatenus offeratur, quæſumus ut ſemper aquam vino, ſicut alias per literas noſtras ſcripſiſſe meminimus, in hoc ſacramento beatiſſimo miſceatis. Dat. Avin.*

XIV. Flagitavit a ſede Apoſtolica Piſanorum reſpublica, ut cum plures cives Africæ, Aſiæ, Græcique imperii oras ad permutandas merces percurrerent, eodem privilegio in Syria, Armenia, Cypro, Pontis Euxini portubus, quo in Tunetano & Bugæano regnis, ac multis orientalibus partibus potirentur; ut nimirum templa genti Piſanæ addicta ſuis ſumptibus poſſent excitare, in quibus ſine ulla præſulum moleſtia ſacra baptiſmalia conferre divinoque cultui operam dare poſſent. Quorum piis poſtulatis Pontifex aſſenſit (*b*): *Veſtris*, inquit, *ſupplicationibus inclinati vobis, ut in quibuſlibet locis regnorum Syriæ, maris majoris diſtrictus, ac imperii & partium prædictarum, ubi dicti fideles degunt vel etiam converſantur, eccleſias in quibus divina officia celebrentur, ex propriis bonis conſtruere, ipſiſque dotes congruas aſſignare, & in ipſis ad opus eorum fontes baptiſmales & cœmeteria obtinere libere valeatis, auctoritate præſentium indulgemus; ac nihilominus, ut quivis catholicus antiſtes, gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis habens, ad veſtram requiſitionem ſingulis eiſdem eccleſiis primarium lapidem imponere, ac fontes & cœmeteria ſupradicta benedicere, vobis & eiſdem antiſtiti duximus concedendum, &c. Dat. Avin. x. kal. octobris anno* VI.

Data Piſanis in Aſia & Græc. eccleſiarum condendarum poteſtas.

(*b*) *An.6. p.1. ep. com.*584.

Divina in iis celebrare & baptiſmum conferre permiſſum.

XV. Hoc anno in exitium Græcorum res adduxit (*c*) atrox civilis diſcordia, de imperii ſucceſſione exorta. Cauſa par Andronicum ſeniorem Imperatorem in extremam pene perniciem præcipitem egit, quam Alfonſum Caſtellæ Regem difficillimo implicuiſſe bello vidimus, cum prætermiſſis Ferdinandi e vivis erepti majoris natu filiis, ſceptrum ad filium ſecundum natu Sancium tranſmiſit: ita enim Michaele imperii cum patre collega Theſſalonicæ e cumulatis duorum filiorum funeribus dolore extincto, anno ab orbe condito ſexies milleſimo octingenteſimo vigeſimo nono IV. idus octobris, ut Joannes Cantachuzenus annum conſignat (*d*), Andronicus ſenior in filium ſecundum natu Conſtantinum, nepote Andronico juniore Michaelis primogeniti filio excluſo, transfundere imperium in animum induxit. Efferatus ea injuria juvenis, qua nocte patriarcha Geraſimus obiit (*e*), Conſtantinopoli fuga ſe ſubduxit: utque in eum prona erant hominum ſtudia, præpotentem exercitum contraxit, adverſuſque Conſtantinopolim caſtra movit. Communibus amicis redintegrata concordia, partitumque inter avum & nepotem imperium. Sed non ea diu pax tenuit, iterumque in priores diſcordiarum fluctus conjectum imperium eſt: quibus dum agitaretur, excitis in auxilium Turcis invadendæ Europæ patefactus aditus eſt. Differunt de eo bello civili pluribus Joannes Cantachuzenus ac Nicephorus Gregoras, quorum prior Andronici junioris magnus domeſticus & conſiliorum particeps, alter in ſenioris Imperatoris aula ſerviebat: quocirca contrariis ſtudiis impliciti non minus inter ſe dictis, quam alii armis pugnare videntur, dum quiſque partem quam ſequitur nixam æquitate probare nititur. Illud vero exploratum eſt, Andronicum ſeniorem, dum a Romana abhorret eccleſia, Turcaſque ut amicos vocat, Græcorum imperium præcipiti ruinæ objeciſſe. Antequam vero ejuſmodi bellum erumperet, prodigium ingens Andronicum horrore perculiſſe, narrat hiſce verbis Gregoras (*f*).

Præcipites in exitium Græcorum res

(*c*) *Jo.Cantachuz.l.*1 *c.*1. *& ſeqq. Nic. Greg. l.*8. *Georg. Phran. l.* 1. *c.*10.

Andronic. Imp. primogeniti mors.

(*d*)*Cantac. l.* 1. *c.* 1.

Hujus filio eripere imperium molitur Andronicus.

(*e*) *Ib. c.* 19.

In avum nepos bellum parat.

Turcas Andronicus ſenior Europam vocat.

Cantacuzen. & Gregoras inter ſe dictis contrarii.

Andronicus ſenior ſchiſmatis fautor imperium orientale ruinæ objecit.

Exitii Græcis imminentis præſagia.

(*f*) *Greg. l.* 8.

XVI. *Primo quadrageſimæ ſabbato, cum poſtridie orthodoxorum Imperatorum & patri-*

*triarcharum memoria proclamanda eſſet, tum quoque is a veſpera ad nocturna ſacra illa de more acceſſit. Tum ſub mediam noctem, me aſtante, & doxologiam audiente, quidam ab Imperatore adeſt, novum illi nuncium apportans, & ejus ſententiam exquirens: Modo enim, inquit cum imperatori bipenniferi & milites & enſiferi cubitum ituri eſſent, tantus ſubito hinnitus circa palatium exauditus eſt, ut omnes percellerentur: intempeſta enim nocte, cum neque imperatorii, neque ſenatorii equi, nec in ipſo palatio, nec ante fores eſſent, improviſa res animos audientium perturbavit, & alii alios quid rei eſſet interrogarunt. Eo tumultu nondum ſedato, alter hinnitus priore major exauditus eſt ab ipſo etiam Imperatore: qui miſſo miniſtro, unde is eſſet, quæſivit. Sed nihil audivit aliud, niſi ab equo in quodam palatii pariete ante victricis Deiparæ ſacellum, quem Paulus olim præſtantiſſimus pictor effinxiſſet, D. Georgium Chriſti martyrem pulcherrime ſuſtinentem, eſſe editum. Ad hæc logotheta jocatus, ut ſolebat ad Imperatoris interrogationes: Gratulor tibi, inquit Imperator futuros triumphos, monſtroſum enim iſtius equi hinnitum nihil aliud indicare reor, niſi tuam adverſus Agarenos, Aſiam noſtram populantes, expeditionem. Quibus Imperator auditis, alio adoleſcente ad eum miſſo: Tu quidem, inquit, iſto reſponſo ſive, ut ſoles, mei exhilarandi gratia, ſive alia de cauſa dato, rem ignorare videris: ego autem, quid verum eſſe cenſeam tibi dicam. Nam, ut patres noſtri nobis tradiderunt, equus iſte alias etiam ad eundem modum hinniit, cum Balduinus Latinorum princeps a patre noſtro pulſus urbem amiſſurus eſſet: quo monſtro cum & ille diu ut ominoſo terreretur, tandem nec multo poſt eventum ipſe expertus eſt, cum urbem a Romanis vaſtari cerneret. Logotheta vero, cum quid reſponderet non haberet, adoleſcentem abire juſſit, ſe poſtridie Imperatori reſponſurum. Præterea columna, quæ ante orientalem arcem ſtat, in qua Byzantis conditoris urbis imaginem olim fuiſſe fama eſt, ante multos dies & ipſa commoveri cœpit: quæ agitatio per dies complures duravit, omnibus ad ſpectaculum concurrentibus.* Hæc Nicephorus. Quæ præſagia ſi quis in illum ſenſum detorqueat, Andronicum Conſtantinopolis exitii cauſam fuiſſe, dum orientalis eccleſiæ cum Romana coniunctionem diremit, is a vero non aberrabit, ſed de ſchiſmaticis hactenus. Jam ad hæreticos orationem traducamus.

Columna pluribus diebus agitata.

XVII. Minoritæ duo ab hæret. trucidati.

Affecere martyrio hoc anno hæretici duos Minoritas Chatalanum Fabri & Paſchalem, qui cum zelo incorruptæ fidei acceptæ a patribus tuendæ in Valentinum Lugdunenſis Galliæ municipium, cui Cabioli nomen eſt, ſe recepiſſent, ut de nonnullis in hæreſim relapſis & aliis ea infectis lue cognoſcerent, accenſi furore impii conjuratione facta cum iis, qui in oppido erant, noctu armati irrupere; ac religioſos viros adorti gladiis ipſos concidere: utque furorem ſatiarent, lethalibus non contenti vulneribus, etiam ultra mortem ſævierunt. Luget tantam immanitatem Pontifex in literis ad Valentinum & Vivarienſem epiſc. datis (*a*), quos impios inſectari juſſit, atque ad tundendam improborum licentiam magiſtratuum ac nobilium virorum potentiam implorare. Eorum corpora Valentiam ſanctimonialis præcipua opera, quæ cæleſti ipſorum viſo valetudinem recuperavit, tranſlata & in ſacello Minoritarum ſepulchro mandata ſunt: moxque cum multis miraculis eorum gloria efflorеſceret, Pontifex Valentino epiſcopo, ut de iis religioſum examen inſtitueret, partes demandavit (*b*): Cum: inquit, *ſicut habet multorum relatio, omnipotens Dominus, qui ſanctos ſuos mirificat meritis & eos facit coruſcare miraculis, meritis eorundem fratrum, qui fidei proſequendo negotia a viris perfidis martyrium ſuſceperunt, evidentia miracula in eccleſia, ad quam eorum corpora delata fuerunt, circa infirmos, qui dictorum corporum devotum poterant habere contactum, fuerit operatus & jugiter operari dicatur; ac dignum exiſtat, ut quos ſignis & prodigiis Dominus ſanctos venerandos oſtendit, eos veneratione dignos fidelium mater eccleſia debeat publicare; nos de præmiſſis miraculis volentes cum omni, qua poſſumus, cautela & diligentia veritatem plenius indagare, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus de fratrum noſtrorum conſilio præſentium auctoritate committimus & mandamus, quatenus vocatis & adhibitis tecum aliquibus probis viris, tam de vita & converſatione dictorum fratrum, quam de profeſſione fidei facta per eos, dum erant in agone recepti martyrii conſtituti, & de ſpontanea ſuſceptione dicti martyrii; quam de dictis miraculis, ac ipſorum circumſtantiis univerſis ſecundum datam tibi a Deo prudentiam diligenter inquirens, nobis quæ inveneris, ſtudeas fideliter per tuas literas nuntiare. Dat. Avin. 11. kal. dec. an. VI.*

(a) *An. 6. p. 1. ep. cur. 41.*

Clarent miraculis.

(b) *Ib. ep. cur. 43.*

De eorum veritate inquiri jubet Pont.

XVIII. Peſtifera Bizochorum ſecta.

Graſſabantur eodem tempore in variis Chriſtiani orbis partibus multi hypocritæ, quorum alii ementito ſanctitatis habitu pura ſancti Franciſci inſtituta, ut ſonabat vocum candida ſimplicitas, poſtpoſitis cujuſvis conquiſiti ſenſus ambagibus, colere jactabant: atque ita ſpretis Pontificum circa eandem Franciſcanam diſciplinam decretis, commenta ſua erroreſque propagabant: quamvis hæc ſecta,



quæ Cæleſtini V. auſpiciis cœpiſſe ferebatur, poſtea a ſede Apoſtolica damnata eſſet: alii tertii ordinis S. Franciſci ſacram formulam ſervare præ ſe ferebant; ſed cum graves errores apud eos pullularent, nonnulli enim ex ipſis eccleſiaſtica ſacramenta ludibrio habebant, ac res in fidei & ſacræ Minoritanæ familiæ exitium vergebat, præſulibus ac fidei cenſoribus provinciam dedit Pontifex, ut (*a*) ad diſſipandam illam ſectam incumberent.

(a) *An. 6. ep. com. 1189.*

*Joannes, &c. venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiſcopis, & epiſc. & dilectis filiis fratribus Prædicatorum & Minorum ordinum inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ad quos literæ præſentes pervenerint.*

*Dudum fide digna relatio ad apoſtolatus noſtri pervenit auditum, quod nonnulli viri peſtiferi, qui vulgariter Fraticelli, ſeu fratres de paupere vita, aut Bizochi, ſive Bichini, vel aliis fucatis nominibus nuncupantur, in diverſis Italiæ partibus ac inſula Siciliæ, comitatu Provinciæ, Narbonenſi & Tholoſana civitatibus & diœceſibus atque provinciis, aliiſque diverſis ciſmarinis & ultramarinis partibus, contra ſacros canones habitum novæ religionis aſſumere, congregationes & conventicula facere, & ſuperiores ſibi ipſis eligere, quos miniſtros, ſeu cuſtodes, vel guardianos, aut aliis nominibus appellabant; plurimos ad eorum ſectam recipere, loca etiam de novo conſtruere, & ab aliis conſtructa recipere & communiter habitare, & publice mendicare, & alia facere, quaſi eorum ſecta foret una de religionibus per ſedem Apoſtolicam approbatis, temeritate damnabili præſumebant; & ut error ipſorum veritas, & impietas religio putaretur, plurimi eorum regulam ordinis fratrum Minorum, quam S. Franciſcus inſtituit, ſe profiteri & obſervare ad literam confingebant, quamquam ſub obedientia vicarii generalis vel provincialium miniſtrorum ipſius ordinis minime morarentur; prætendentes ſe a ſanctæ memoriæ Petro confeſſore, tunc Cæleſtino Papa V. prædeceſſore noſtro hujuſmodi vitæ ſeu ſtatus privilegium habuiſſe; quod tamen, ſi etiam oſtendiſſent, caruiſſet & careret roboris firmitate, cum piæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter ex certis cauſis rationabilibus omnia privilegia ab ipſo Cæleſtino conceſſa, quæ per ipſum Bonifacium non contingeret approbari, viribus penitus vacuaſſet, dictumque vitæ privilegium non reperiatur per eundem Bonifacium approbatum,* & infra, *nonnulli etiam ex ipſis, aſſerentes ſe eſſe de tertio ordine B. Franciſci pœnitentium nuncupato, dictum ſtatum & ritum eorum ſatagebant ſub velamine talis nominis palliare, cum tamen in regula dicti tertii ordinis talis vivendi ritus nullatenus eſſet conceſſus; quodque quidam eorum, a veritate catholicæ fidei deviantes, eccleſiaſtica ſacramenta ſpernebant, & errores alios ſtudebant multipliciter ſeminare; nos attendentes, quod talium damnanda temeritas in ejuſdem fidei detrimentum, fidelium ſcandalum, præfati Minorum & aliorum ordinum opprobrium, & etiam ſuarum & aliarum animarum multarum redundabant; ſectam, ritum, & ſtatum hujuſmodi de fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica nullius fuiſſe & eſſe decernimus firmitatis: & quatenus de facto proceſſerant, de conſilio & auctoritate præmiſſis revocantes omnino, perpetuæ prohibitioni ſubjecimus, eoſque ab eccleſia Dei penitus duximus abolendos: eiſdem perſonis & aliis quibuſcumque ſub pœna excommunicationis, quam eas ſi ſecus facerent incurrere volumus ipſo facto, injungentes expreſſe, ne ſtatum ſive ſectam & ritum hujuſmodi ab ipſis aſſumptum ulterius ſectarentur, vel de novo ipſum aſſumere præſumerent quoquomodo, prout in conſtitutione noſtra ſuper hoc edita, quæ incipit: Sancta atque univerſalis eccleſia; plenius continetur.*

Valde propagata.

Fingebat inſtitutam ſe a S. Franciſco vivendi formulam, ut ſonarent verba ſervare.

Subreptum a S. Cæleſtino privilegium revocatum fuerat a Bonif. VIII.

Plures in ſecta ea, hæretici latebant.

Ut damnata ſit a Jo.

*Quia igitur, ſicut accepimus, in nonnullis ciſmarinis & ultramarinis partibus prænominati peſtiferæ ſectæ viri contra prædictos proceſſus venire & facere moliuntur; nos attendentes, quod parum eſſet prohibuiſſe præmiſſa, niſi ſit qui eadem tueatur, & puniat tranſgreſſores; diſcretioni veſtræ in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, &c.* Præcipit, ut cum a Minoritis rogati fuerint, ad pontificiam ſanctionem mandandam operi ſuam auctoritatem explicent, ac rebelles cenſuris coerceant: tum, ſi vi publica pervicacia ipſorum infringenda fuerit, ea utantur. *Dat. Avin. anno* VI.

Pontificia ſententia ab iis ſectariis ſpreta.

Legibus in eos agendum conſtituitur.

XIX. Beguinæ mulieres.

Irretitæ ſimili ſecta erant plures mulieres, in Belgio præſertim & Germania, quæ tractandarum cæleſtium rerum colore abreptæ in devia, veſana temeritate nova inducere dogmata, de divina eſſentia & ſumma Trinitate quæſtiones agitare, fidem catholicam depravare, ac ſimplices implicare errorum laqueis non perhorruerant, eaque de cauſa Clementis V. lege fuerant damnatæ. Cum vero nonnullæ aliæ feminæ ſola nominis Beguinarum notatæ infamia, ſed quæ veræ pietatis ſtudio ſe addixiſſent, atque ab aliarum abhorrerent erroribus, in invidiam abducerentur; Pontifex epiſcopo Atrebatenſi partes dedit, (*b*) ut ſi recte de fide ac pietate ſentirent, ipſas ab obtrectatorum injuriis vendicaret. Captum porro hoc anno Narbonæ Beguinum ferunt (*c*) ejuſque occaſione ſathanam concitaſſe (*d*) in Minoritas ſummum Pontificem ad illud uſque tempus Franciſcano-

Conſultum iis, quæ piæ erant.

(b) *Ep. com. 2461 & ext. com. Ratio recta de rel. domib.*

(c) *MS. Vat. ſign. n. 4008. pag. 1. Vvading. in annal. Min. hoc ann. n. 16.*

(d) *Id. ib.*

norum amantiſſimum. Verum de hoc Beguino, ortaque inde controverſia de paupertate Chriſti proximo anno dicetur.

Joannes non a dæmone, ſed a Spiritu S. concitatus.

Quod autem ad Pontificem ſpectat; luce illuſtrius eſt, ipſum non a ſathana, ſed a ſancto Spiritu incitatum ad fidem orthodoxam aſſerendam contra novatorum impietatem, ut apoſtolica decreta demonſtrant: (*a*) concitatos autem a ſathana nonnullos pſeudominoritas hæreticos, qui delira figmenta circa paupertatem Chriſti & Apoſtolorum pro evangelicis oraculis jactarunt, qui definiendis fidei controverſiis ſe ingeſſerunt, ſuaque erronea apoſtolicis decretis prætulerunt; qui maxima ſcandala invexere, qui antipapatum corripuere, qui perſecutionem in fideles indixere: quorum tanta fuit cœcitas & inſania, ut cum ipſi eccleſiam & pios Minoritas concuterent, fingerent tamen S. Franciſcum de ipſis ut ejus veris alumnis prædixiſſe, eoſdem graviſſimam perſecutionem paſſuros: ſchiſmaticus enim pſeudominorita, qui plura de hac hæreſi compegit, hæc habet (*b*): *Incipit tribulatio & tentatio, quam prædixit beatus pater noſter Franciſcus in morte ſua ordini appropinquare: ſed felices vocavit illos fratres, qui perſeverabunt in his, quæ promiſerunt Domino obſervare. Prædixit autem ipſe beatus pater in infirmitate, de qua mortuus eſt, ſcilicet anno Domini MCCXXVI. & tribulatio & tentatio incœpit anno Domini MCCCXXI. fratre Michaele de Cæſena exiſtente generali, anno generalatus ſui* VI. Hæc ille ob ſuperiorem proculdubio in Fraticellos ſanctionem. Verum ea S. Franciſci prophetia, vel intelligenda eſt ea commotio, quæ contigit Elia ſupremo Minoritarum præfecto ad Fridericum II. contra Innocentium IV. Pontificem deficiente; vel ſi ad poſteriora tempora referatur, non eam interpretari debuerunt prophetiam de iis Fraterculis, qui uſum rerum ſine ullo jure, quod non religioſorum, ſed furum & prædonum eſt, promiſiſſe confinxere, ſeque felices putabant, ſi perſtarent in ea amentia, & tentatorem vocabant Chriſti vicarium; ſed de illis Minoritis, qui in Pontificis & eccleſiæ conjunctione, quæ a S. Franciſco ſuis alumnis unice commendata eſt, perſtarent; quamvis eorum magiſter Michael Cæſenas ipſos in hæreſim & ſchiſma impellere tentaret. Cæterum Joannem licet ab impiis hypocritis Franciſcani cultus larva indutis tot injuriis appetitus ſit; illius tamen reliquam Minoritarum multitudinem piam & fidei zelo ardentem paterne dilexiſſe viſuri ſumus.

(*a*) *Bullar. in Jo. 22. conſt. 3. Glorioſam eccleſiam & extr. Cum inter nonnullos & Quia quorundam de ver. ſig. & Quia vir reprobus.*

Pſeudominoritæ vere a dæmone acti.

(*b*) *MS. Vat. bibl. ſign. n.* 4010. *p.* 1.

Eorum amentia in pervertenda interpretatione prophetiæ S. Franciſci.

Quis fuerit verus illius ſenſus.

Minoritarum hoſtes ex ipſo ordine erupere.

Ex multis exemplum inſigne proponemus ut Joannes Franciſcanum ordinem tutandum adverſus pſeudoprophetas & hæreticos, qui ex ſanctiſſimo ordine inſtar vermiculorum ex nobiliſſimo humano corpore erumpentium illudque rodentium eruperunt, tutatus ſit.

Defenſus is ordo a Joanne

Franciſcus e Lutra impoſtor.

Graviſſimas hoc anno in Germania turbas miſcuit adverſus Minoritas Franciſcus e Lutra, ejuſdem ordinis impoſtor inſignis, qui ut ſodales ſuos ad Fraticellorum ſectam traheret, finxit ſe prophetam eſſe, ſibique divinitus a Chriſto ſignificatum, omnes Minoritas, qui prærogativis & decretis apoſtolicis uſi paupertatis Franciſcanæ acerbitatem mitigarant, lethali peccato devinctos teneri; ſe vero a Chriſto conſtitutum, ut Minoritarum diſciplinam priſtino ſplendori reſtitueret: præcipiebatque ſodalibus, ut præſulum ſuorum jugum excuterent. Addebat vir inſanus dictis ſuis obtemperandum a Pontifice, idque a Chriſto imperatum: in eamque prorupit veſaniam, ut deliria ſua tanquam oracula promulgaret: qua de re publica hæc documenta ad Pontificem tranſmittenda edita fuerunt (*c*).

(*c*) *Ext. in rotulo pergam. ſignat. n.* 5. *ex archivo Avin. in Vatic. delato.*

Publica de his documenta.

*In nomine Domini. Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum pateat univerſis, quod anno a nativitate ejuſdem MCCCXXI. indictione quarta, præſidente ſanctæ Romanæ & univerſali eccleſiæ domino Joanne, divina providentia ſummo Pontifice Papa XXII. pontificatus ejus anno V. in præſentia mei notarii publici infraſcripti & teſtium ſuſcriptorum conſtitutus vir religioſus frater Mengotus guardianus ordinis fratrum Minorum domus Spirenſis propoſuit contra fratrem Franciſcum de Lutra, qui ſuus fuerat ſubditus, & ſe ab obedientia & poteſtate ordinis ſubtraxerat ( quem etiam reverendus in Chriſto pater & dominus Enicho Spirenſis epiſcopus eum clero ſuo in defenſionem ſuam receperat, ac in domo ſeu palatio ſuo tenebat & adhuc tenet, miniſtratis eidem expenſis ac tuitione tali, ſine qua ordini ſuo talem jacturam facere nullatenus potuiſſet ) quod idem Franciſcus lapſus videtur in errorem ſive hæreſim damnatam & reprobatam per eccleſiam in quibuſdam pſeudofratribus qui Sarabaytæ nuncupantur, in articulis infraſcriptis. Primo quia ſe dicit prophetam, ut patet in litera ſua, quæ affixa fuit ex parte ipſius Franciſci foribus eccleſiæ majoris Spirenſis, in illa parte ubi dicit: Poſtquam inſpirationi divinæ ad plenum parui in publicatione deviorum voti fratrum, &c. gratia Dei præventus, exiſtens in ſpiritu, audivi vocem divini ſpiraminis dicentem mihi: Sede cito, & ſcribe. Et ego ſedi & ſcripſi. Et dixit mihi: Et tu, fili hominis, evangeliza, &c. Cum tamen vita ipſius adeo ſancta non fuerit, ut ſe habere ſpiritum prophetiæ præſumere poſſet.*

Ut ille prophetam ſe finxerit.

De eccleſia minus pie ſenſerit.

*Item arcana ſeu ſecreta eccleſiæ catholicæ, & auctoritatem ſummi Pontificis ſu-*

*ſpe-*



*ſpecta videtur reddere, etiam ſeipſo ſentire, & hoc in illa parte literæ ſupradictæ ubi dicit: Veſtri prædeceſſores in agnitionem plenam omnium occultorum totius eccleſiæ meæ ſanctæ, & maxime plenitudinem auctoritatis ſummorum Pontificum rimantes, callide ſubintrojerunt:* Et infra: *Rigoris eccleſiaſtici arcana perſcrutantium, &c. Item videtur ſentire in eadem litera, quod uti privilegiis a ſede Apoſtolica indultis ſit impugnare veritatem vitæ: quod utique non caret errore. Et hoc patet in illa parte literæ, ubi dicit: Veritatem, quam eccleſia mea ſancta docet & tenet, non ſolum impugnare, verum etiam conculcare ſatagentes, &c. Item apparet falſorum criminum impoſitor, immo potius calumniator ſive infamator. Et hoc patet in illa parte prædictæ literæ, ubi dicit: Veritatem etiam agnitam impugnando.* Et infra: *Veritati quaſi agnitæ in hac parte cum remorſu conſcientiæ reſiſtendo, nullo prælato ordinis tam notorium errorem corrigente, &c. Item errorem ſapit in illa parte literæ, ubi dicit: Non parendo veſtris pro nunc prælatis, multitudini malignantium conſentientibus, &c.*

*Item errorem ſapit reprobatum ab eccleſia in illa parte literæ, ubi dicit, loquens de perſonis damnatis, ut prædicitur, ſcilicet Sarabaytis, dicit ſic: Unde nec ipſum volui multitudine ſapientium, ut quidam ex eodem ordine pluries attentarunt, conſummare: ſed per pauperculum ſpiritu, deſtitutum viribus corporalibus, &c. & loquitur de ſe ipſo quaſi ſectam prædictorum damnatorum velit ſequi. Et ex aliis pluribus locis prædictæ literæ & ſermonum ipſius Franciſci apparet evidenter, ipſum in errorem eſſe lapſum, & omnes ejus fautores ſeu defenſores reprehenſibiles inveniri. Item apparet quod pertinacia ſui erroris in eo perſeverat, ex eo, quod in alia litera conſulibus ſeu civibus Spirenſibus ex parte ipſius præſentata, pro tali veritate, quam ipſe dicit ſe tenere, exponit ſe morti pro ea defendenda: cum tamen ei conſtet, quod eccleſia Romana talem ſectam damnaverit & reprobaverit; & tamen a ſua pertinacia non reſipiſcit. Tenores vero literarum, de quibus ſuperius habita eſt mentio & inferius annotantur, tales ſunt.*

Suaſerit Minoritis præſulum jugum excutere.

Reſtauratorem ordinis ſe jactarit.

Pſeudoprophetia Franciſci e Lutra.

*Ecce ego Franciſcus frater ordinis B. Franciſci, poſtquam inſpirationi divinæ ad plenum parui in publicatione deviorum voti fratrum, qui ſe dicunt ordinis B. Franciſci, gratia Dei præventus exiſtens, in ſpiritu audivi vocem divini ſpiraminis dicentem mihi: Sede cito, & ſcribe. Et ego ſedi, &, ſcripſi. Et dixit mihi, Et tu, fili hominis, evangeliza quondam populo meo, nunc autem non populo* ( in margine deſcripta ſunt hæc verba: *Nota, quod ſi non eſt populus Dei, ſed ſecluſus ſive ſeparatus a Deo, eccleſia, quæ a Spi-*



*ritu ſancto regitur, male fecit approbando) & dices ad eos: Audite verbum Domini, fratres ſolo nomine non re Minores quondam populus meus, nunc autem non populus. Hæc dicit Dominus: Retribuam vindictam ſervorum meorum, & propitius ero terræ populi mei, quoniam inimici ſeu hoſtes ſervorum meorum maxime fuerunt domeſtici ut patet ab initio temporis in Cain Abel juſtum occidente, & progreſſu temporis in cœtu filiorum Jacob Joſeph ſanctum in exilium tanquam mortuum retrudente. Ex multis quoque antiquis rerum hiſtoriis comprobatur, veritatem juſtorum per domeſticos, dum eam ſuſcitare putantur profundius, tendentes inſidias facilius, multifarie fore laceratam, & ex certa malitia impugnatam ſive conculcatam; quam veritatem vos, qui pro nunc dicimini fratres Minores, ſed non eſtis in ſtatu vocationis veſtræ deſeritis: in quo, ut liquet ex verbo B. Franciſci, vocati eſtis Minores ideo, ut non per eccleſiaſticas præeminentias pontificales ſeu quaſvis alias hujus ſeculi dignitates præſumeretis fieri majores ſive altiores, paternæ eruditionis immemores tanquam filii degeneres. Jamdudum multi ex vobis per ſubornationes indefeſſas ambitione notorie plenas eccleſiaſticis dignitatibus ſe ingeſſerunt, & ad eaſdem ſic aſſumpti veſtri prædeceſſores in agnitionem plenam omnium occultorum totius eccleſiæ meæ ſanctæ, & maxime plenitudinem auctoritatis ſummorum Pontificum rimantes, callide ſubintrojerunt, ſumentes ex hoc diffugii voti veſtri fundamentalem occaſionem per inexemplatam præſumptionem* in margine jacent hæ voces: *Nota, quod dicit, fratres voti ſui inobſervantiam aſſumunt ab eccleſia; & hoc idem dicunt Sarabaitæ qua inſtigatione importuna fratrum ad prælaturas ſic aſſumptorum, rigoris eccleſiaſtici arcana perſcrutantium, privilegiis infinitis vallati ſtatuta ſanctorum patrum omnibus Chriſti fidelibus & maxime eccleſiaſticis perſonis indiſtincte injuncta ſub ſpecie ſimulatæ ſanctitatis talia impetrantes, jam ab eorum innumerabilium obſervantia vos eximi procuraſtis temeritate inexemplata ab ullis perſonis eccleſiaſticis tam ſecularibus quam religioſis; veritatem, quam eccleſia mea ſancta docet & tenet, non ſolum impugnare, verum etiam conculcare ſatagentes productione privilegiorum ſtatuto concilii Viennenſis caſſatorum tunicam Chriſti mei inconſutilem, ſcilicet unitatem ſpiritus Chriſtifidelium, quæ ſubſiſtit in vinculo pacis, tota die litigioſis proceſſibus nitimini lacerare, veritatem etiam agnitam impugnando: propter quod jam Chriſtifideles in effrænem contemptum ſtatutorum eccleſiæ, & maxime in Alemannia, induxiſtis faſtu veſtræ veſanæ pertinaciæ, an per ſtatuta concilii Viennenſis*

Calumnia inſignis in Minoritas.

Perperam damnat aſſumptos ex eo ordine ad epiſcopatus.



*pri-*

*privilegium Bonifacii VII. de communione corporis Chriſti ſororibus & fratribus tertii ordinis conceſſum, eſſet annullatum ab eo, cujus ſolius intereſt & intererat interpretari & definire, ſummi Pontificis nunc Chriſti mei vicarii Joannis XXII.* * *requirere ac interpellare, antequam eo uteremini, infrunito animo contempſiſtis, in tam notoria contradictione omnium ſapientium totius Alemanniæ, ex certa malitia adhuc in eodem perſiſtendo veritati quaſi agnitæ in hac parte cum remorſu conſcientiæ reſiſtendo, nullo prælato ordinis tam notorium errorem corrigente; providentia mea infallibili hoc permittente, ut in tam notoria culpa voti veſtri devia jamdudum occultata panderentur, ut coercitione condigna corrigantur. Et ideo in hoſtes ſervorum meorum B. Franciſci, S. Antonii, S. Ludovici vindictam retribuam, eo quod hi ſervi mei faſtum terrenæ præeminentiæ abnegantes, doctrina & exemplo in ædificationem totius eccleſiæ indefeſſe refulſerunt, quorum veſtigia imitari in his, ſine quibus non eſt ſalus, vos ſcandaloſe recuſaſtis, notorie & publice comprobaſtis, quod hoſtes ſervorum meorum cenſemini: quia ſi in tam notoriis degeneraſtis ſedis Apoſtolicæ præceptis non obtemperando, convincimini quod veritatem veſtræ profeſſionis multo minus hactenus formidaſtis enervare peccato obſtinationis fræna laxantes, obſervantiam voti veſtri, a ſervis meis exemplatam, auſu temerario exterminando profanaſtis. Ego igitur patiens redditor Deus peccata diſſimulans hominum, volens* (in marginali ora hoc apponitur: *Nota quod duo anni ſunt elapſi, quod iſte ſpiritus nihil facere potuit de eo, quod efficaciter promiſit ſe facturum*) *prædeſtinatos inter vos ad gremium ſanctæ matris eccleſiæ efficaciter revocare a tantæ temeritatis ignavia, qua voti veſtri deviis ex certa ſcientia occultatis, ſpeciem fictæ ſanctitatis prætendentes, ſtatum veſtræ profeſſionis omnimode dignoſcimini abdicaſſe.*

* definitionem

Sodales impudenter vocat hoſtes ſanctorum.

*Volens igitur eſſe propitius terræ populi mei, qui propter impugnationem veritatis & deſtructionem obſervantiæ regularis ex certa malitia jamdudum per vos hoſtes ſervorum meorum inſtauratam non populus meus, nunc autem populus meus paternæ condeſcenſionis clementiæ, meæ inſpirationis efficacia per ſervum meum fratrem Franciſcum de Lutra non meritorum ipſius ulla exigentia, ſed meræ meæ exuberantis gratiæ redundantia, qua & Paulum eccleſiæ perſecutorem in actu perſecutionis in vas electionis mihi adoptavi, volui manifeſtari voti veſtri devia, ut profeſſores ordinis S. Franciſci non quotidianis culpis ſeu etiam earumdem recidivis obſtinati ab eccleſia, ſicut de novo Templariis accidit, exterminentur; ſed magis meritis ſervi mei B. Franciſci apud me impetrare dum viveret promeruit, uſque in finem hujus ſæculi ſaltem in paucis fratribus votum ſuum, ſine quo non eſt ſalus, obſervantibus ordo B. Franciſci conſervetur, & ab eccleſia toleretur: quia ſicut ex paucis non multorum annorum curriculis numerum fratrum dilatavi tunc fratribus de virtute in virtutem proficientibus, ſic ex nunc volens dare virtutem populo meo in paucis ex eodem ordine adoptato, ut ego Deus deorum in Syon, id eſt in cordibus fratrum pacis viſione tranquillatis doctrina & exemplo videar ad inſtar perfectionis, qua a ſervo meo S. Franciſco ordo veſter fuit inſtitutus, ut in hoc per dictam ſapientiam verſutæ calliditatis fratrum, nunc ut filii hujus ſeculi ſapientum, reſtaurem deperdita collegio pauperum paucorum in ſpiritu humilitatis committentium ſe ex toto, ut a principio inſtitutionis ordinis providentiæ meæ liberalitati, quærendo primum regnum Dei, non innitentes humanæ proviſionis ut filii degeneres refugio, quia dabo virtutem non ſolum ſpiritualem, ſed etiam corporalem populo meo, eum in pace benedicendo, cujus benedictionis ſi vultis fieri participes devia voti veſtri abſque ulla mora quilibet veſtrum abdicet, non parendo veſtris pro nunc prælatis* (in margine habetur: *Nota, novum modum abdicandi devia voti dicit eſſe, ut non pareatur prælatis ordinis*) *multitudini malignantium conſentientibus, & ſubditos in malitia ex certa ſcientia* (*quantum in eis eſt*) *obſtinantibus. Alioquin evaginabo gladium meum, videlicet juſtæ ultionis, & interficiet vos manus mea ſubtractione gratiæ juſtificantis, ſubſequente ſententia infallibili damnationis in morte æterna vos perpetuantis; quia non eſt prudentia, non eſt ſapientia, non eſt conſilium contra me, qui ſum & non eſt alius, volens ut Chriſti mei vicarius in terris reformationi ordinis B. Franciſci ſecundum ſeriem inſpirationis præſentis abſque mora invigilet* (in margine adjecta hæc obſervatio: *Nota quod Spiritus mandat Papæ, quod ipſe ſecundum ſeriem præſentis inſpirationis procedat abſque mora*) *ſagaciter animadvertendo, quod ad hoc infirma mundi elegerim, ut fortia quæque confundam, volens opus reformationis jam dictæ nulli abſcribi creaturæ, ſed meæ tantum potentiæ & providentiæ: unde nec ipſum volui multitudine ſapientum, ut quidam ex eodem ordine pluries attentarunt, conſummare; ſed per pauperculum ſpiritu, deſtitutum viribus corporalibus, nulli induſtriæ ac providentiæ creatæ in hoc facto annitentem, ſed omni irrequiſito refugio auxilii creati, antequam paretur in executione operis præſentis ſe totaliter in omnibus meæ ſubmiſit providentiæ, ſpem non*

Impoſtoris jactantia.

Illecebra ad ſectam conſtandam.

Pro ſervando voto infringi votum jubet.

Parendum ſibi a Pontifice ait.

ha-



*habens in alio: cujus inſpirationis efficacia fructum volui elicere ſubſcriptum, ut potentia mei Dei, ſcilicet Patris, ſecundum formam & modum, quem per bajulum hujus lucis, videlicet fratrem Franciſcum per me ad hoc electum ex utero matris, Chriſti mei vicario reſerabo, fratres, qui ſe dicunt pro nunc Minores, a deviis voti ſui revocentur, & a latebris conculcationis veritatis, quibus tunica Chriſti mei inconſutilis notorie eſt lacerata, ad gremium eccleſiæ meæ ſanctæ in obedientia ex regula ſibi præſcripta refugere abſque mora compellantur: & ut ſapientia mei ſcilicet filii Dei, phariſæi in tota eccleſia in eiſdem latebris impugnationis veritatis ſe jam occultantes, hac luce veritatis inſpiratæ pœnitentiæ fructu facto condigno ab errore tam peſtifero, videlicet hypocriſis, reſilire alliciantur, & ut bonitate mei Dei videlicet Spiritus ſancti Chriſti fideles a fermento phariſæorum, quod eſt hypocriſis, ſagacius attendant ſe præſervare, ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, pacis inquam cuſtodientis corda & intelligentias Chriſti fidelium in Chriſto meo Jeſu, id eſt in veritate, quam eccleſia mea ſancta in certis articulis Chriſtianæ veritatis firmiter credit & ſimpliciter profitetur: qua veritate, quia nuda ſunt omnia oculis meæ divinæ majeſtatis, per eam nihil relinquitur occultum fermento falſitatis corruptum, ut in inſpirato præſcripto, quod non reveletur; nec opertum, quod non ſciatur. Item alia litera ſic incipit.*

Bajulum lucis electum ex utero ſe vocat.

*Reverendi domini civitatum, qui eſtis hic congregati una cum dominis civibus Spirenſis civitatis, ne vobis ac veſtris concivibus videatur factum meum ex phantaſia propria attentatum;* & infra, *ſponte me offero ad omnem pœnam, quæ ſecundum tenorem regulæ & ſtatutorum ordinis regulæ, ut inſtituta fuit, conſonorum poteſt & debet infligi: & quod magis, ſi tamen auderem contra regulam, obligarem me ad ſubeundam mortem, quam ipſi fratres poſſent excogitare turpiorem. In quo advertatis, quod nulli innitor niſi veritati, quam docet & tenet ſancta eccleſia, & veritati ſtatus inſtituti a B. Franciſco, &c.* Subdunt publica documenta, priores literas foribus principis eccleſiæ Spirenſis affixas; poſteriores vero in publicis cœtibus oratorum, qui ex variis urbibus Spiræ convenerant, perlectas fuiſſe. Pſeudominoritæ hujus audacia adeo projecta fuit, ut poſtea e ſacro ſuggeſtu declamaret, omnes qui Minoritis eleemoſynam erogarent, letali noxa ſe obſtringere. Quem furentem Joannes Papa ad tuendum Franciſcanum ordinem compreſſit, ut inferius viſuri ſumus: adeoque Minoritas apoſtolico ſtudio eſt proſecutus, ut vere dixerit (a) adverſus ſuſurrones: *Ex quo cœpit ipſorum ordo, nullus efficacius quam nos pro ſtatu eorum laboravit.* Atque ex his refelluntur facile recentiorum aliquorum mendacia, qui Joannem quaſi de Minoritis male meritum ob ſucciſos enaſcentes hypocritarum errores in invidiam vocaverunt: neque animadverterunt quam turpe ſit Chriſti vicario calumnias impingere ad ineptas apologias in hæreticorum & apoſtatarum gratiam conſcribendas.

Spirenſes, & alios Germanos concitare nititur in Minoritas.

Dolus ad perſuadendum.

Peccari in ſtipe Minoritis danda declamat. Reprimitur a Joanne.

(a) To. 6. ep. ſecr. p. 3. pag. 201.

Perperam traductus Joannes a recentioribus.

XX. Repreſſus a Romana eccleſia eodem tempore novus error, quem Joannes e Poliaco [1] Pariſienſis doctor eccleſiaſticæ diſciplinæ ſanciendæ ſpecie, re autem vera religioſorum ordinum ac pietatis odio ventilabat: docebat enim (a) in ſcholis, ſpargebatque in populum exhomologeſes apud religioſos ſacerdotes factas

Joannis e Poliaco error.

(a) Henr. Bictuel. MS. Vat. ſign. n. 4019. pag. 261.



NOTÆ

[1] Joannis e Poliaco dogma ad confeſſiones laicorum apud Regulares viros quod attinet *novum errorem* male appellat Annaliſta, cum ante annos circiter ſeptuaginta Guillelmus de S. Amore idem docuerit in tractatu de periculis noviſſimorum temporum; & quamquam validos adverſarios vir ille nactus fuit, quin & Romani Pontificis Alexandri IV. cenſura librum ejus & dogmata omnia confixerit, inter quæ non infimum locum tenebant errores de Confeſſionibus laicorum apud regulares ſacerdotes; adhuc tamen opinio illa benignos nacta fuit patronos. Cum enim totus liber Guillelmi damnatus fuerit, ſingula in eo aſſerta dogmata peculiarem cenſuram nondum obtinuerant. Hinc plures e Gallia Præſules adhuc exigendum a fidelibus duxerunt, ut ſemel ſaltem ſingulis annis laici delicta ſua pro confeſſionibus parochis exponerent. Id enim ſanxit Concilium Colonienſe anni 1280. cap. VII. Rotomagenſe anni 1299. cap. VII. Conſtantienſe anni 1300. cap. XXXIII. Quin & Martinus IV. literis ad ſupremos Præſules Ordinis Prædicatorum datis apud *Urbem Veterem IV. Idus Januarii Pontificatus ſui anno I.* ideſt anno 1282. recitatiſque apud Martenium Anecdot. to. I. col. 1172. facultatem illis conceſſit ut idoneis fratribus munus audiendi fidelium Confeſſiones demandarent; ita tamen ut qui ſe apud fratres illos expiaſſent, tenerentur *adhuc ſemel in anno, prout Generale Concilium ſtatuit, parrochialibus Preſbyteris confiteri.* Idem etiam ſtatuiſſe Bonifacium VIII. anno 1304. in nota ad eundem annum num. 21. contra Annaliſtam ex Nangio demonſtravi. Verum Benedictus XI. an. 1304 nova conſtitutione contrarium ſtatuit, ab hoc impoſito onere pœnitentes Fideles relevans, qua de re lege Annales ad A. 1304. n. 21. Poſt hanc Benedicti conſtitutionem vix invenies Concilium aliquod in quo præceptum de confeſſione annua proprio Sacerdoti præſtanda ita inculcetur, ut irritæ definiantur confeſſiones apud Religioſos Viros præſtitæ. Merito igitur Joannes de Poliaco, qui id affirmare auſus fuit poſt Benedictum, erroris & falſi dogmatis arguitur. MANSI

non rite expiare conſcientias, niſi eadem crimina a fidelibus ſuis parochis iterum aperirentur; atque ad confirmandam ſententiam in pravum ſenſum ſtatutum Lateranenſis concilii, Omnis utriuſque ſexus, detorquebat. Adducta eſt ea controverſia ad ſedis Apoſtolicæ tribunal, judiciaria dirimenda ſententia; atque diutius a theologis, collatis hinc inde argumentis contrariis, agitata; de qua inſignem tum editum commentarium (a) e Vaticanis monumentis in lucem producimus.

Ingens inde lis exorta.

(a) MS. Vat. bibl. ſign. n. 4109. pag. 265. Inſignis de ea commentarius.

Utrum confeſſi legitime privilegiatis teneantur eadem peccata proprio curato confiteri. Et fuit quidam magiſter, qui determinavit, quod in caſibus, in quibus parochianus de jure communi eſt exemptus a parochiali curato, non debet eadem peccata confiteri, ſcilicet ſi habeat inimicitias capitales, vel ſi timet revelationem confeſſionis, vel ſi ſacerdos parochialis ſit ignarus: in his caſibus poteſt dominus Papa concedere auctoritatem religioſis audiendi confeſſiones & abſolvendi nec tunc abſolutus tenetur eadem peccata confiteri proprio curato, licet debuerit ab eo petere licentiam, qua petita, ſive obtenta fuerit ſive non, poteſt confiteri ſuperiori vel privilegiato & non alii ſacerdoti: & in incerto poteſt eſſe expediens privilegiare, ſi aliquis haberet devotionem pluries confitendi alicui privilegiato eadem peccata, petita, tamen licentia a curato. Extra vero illos caſus non poteſt Papa privilegiare quemquam, nec privilegiavit, nec privilegiare expedit.

An exhomologeſis peracta apud religioſos, apud parochum repetenda.

Excepti aliqui caſus ex mente Joannis e Poliaco.

XXI. Ejus argumenta.

Et quod non poſſit arguit ſic: quia parochialis non commiſit jus ſuum privilegiato, nec Papa privilegiat niſi ſalvo jure alieno, ſicut principis privilegium intelligi debet. Ergo confeſſus privilegiato tenetur & ſuo parochiali confiteri. Antecedens declaratur in civilibus, nam ſi princeps dat alicui privilegium ædificandi in aliquo loco publico, intelligitur ſalvo jure alieno ff. Ne quis ædificet in loco publico l. prima Si qua cum principe; ſimiliter in electis eccleſiaſticis XXV. q. III. Dicit Gregorius ſi defenderis: In ſingulis eccleſiis ſua jura ſervamus.

Secundo arguitur ſic: Quod eſt de jure divino, a nullo Papa, vel ab alio immutari poteſt. Sed ſubjectio populi ad ſacerdotem parochialem eſt hujuſmodi, quia a Chriſto inſtituta. Ergo Papa hanc immutare non poteſt, quod fieret, ſi poſſet ſic privilegiare, quod confeſſi privilegiatis non tenerentur iterum eadem, &c. nam per tale privilegium ſubtraheretur ſubjectio ad curatum. Minor patet, quia ſicut Chriſtus miſit XII. Apoſtolos, ita miſit LXXII. diſcipulos immediate, ut dicitur Luc. X. ubi dicit gloſſa, quod ſicut in duodecim Apoſtolis eſt forma epiſcoporum, ita in ſeptuaginta duobus diſcipulis eſt forma preſbyterorum: & ita Chriſtus immediate conſtituit in eis ſuperioritatem ad populum, quare & ſic conſtituit immediate ſubjectionem populi ad ipſos. Et hoc confirmatur per Bernardum II. lib. ad Eugenium Papam: Erras, inquit, ſi ut ſummam ita & ſolam a Domino inſtitutam tuam exiſtimas poteſtatem. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo, qui dicit: Omnis poteſtas a Deo eſt; & infra: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta eſt, non dicit poteſtati quaſi in uno, ſed poteſtatibus quaſi in pluribus Non tua ergo ſola poteſtas a Deo eſt, ſed & mediocres & inferiores; & quomodo quos Deus conjunxit non ſunt ſeparandi; ſic quos Deus ſubjecit, non ſunt privilegiandi.

Tertio arguitur ſic: Qui de jure divino nullam habet ampliorem poteſtatem, quam cæteri epiſcopi, non poteſt ſubtrahere juriſdictionem epiſcoporum de jure divino: ſed ſolum de jure poſitivo, vel de conſuetudine introducta, cui poteſt derogari per poſitivum ſtatutum, vel deſuetudinem contrariam. Sed dominus Papa non habet de jure divino a Chriſto poteſtatem ampliorem quam cæteri epiſcopi. Ergo non poteſt ſubtrahere a jure ipſorum, vel ab eis alios eximere niſi de conſuetudine, vel de poſitivo jure, cui poteſt & expedit derogare per conſuetudinem contrariam vel ſtatutum, ut ſic eccleſiæ redant ad ſuam priſtinam libertatem. Maior probatur XXI. di. c. In novo, ubi dicitur, quod omnes Apoſtoli poteſtatem & honorem pari conſortio acceperunt, ipſumque beatum Petrum principem ſuum eſſe voluerunt: ex quo ſequitur papatum & principatum Petri, & per conſequens Romani Pontificis, non eſſe a Chriſto ſed ex humano ſtatuto.

Error adverſus primatum Petri.

Quarto arguitur ſic: Papa non poteſt ſubvertere totum ordinem eccleſiaſticum, quia ad Corinth. IX. dicitur: Non eſt data poteſtas ad deſtructionem & ſubverſionem, ſed ad ædificationem. Sed quamvis aliquo modo, non tamen totaliter per abbatem privilegiatum tollitur ordo eccleſiaſticus, quia adhuc multi remanent epiſcopis ſubiecti, in quibus ordo eccleſiaſticus ſervatur; tamen per privilegium prædictum de confeſſionibus totus ordo eccleſiaſticus & ſtatus ſubtrahitur, quia nullus tenetur confiteri epiſcopo vel curato, & quia quilibet poteſt confiteri privilegiato, & tunc non tenebitur confiteri epiſcopo. Ergo Papa hoc facere non poteſt, ſicut non poteſt facere, quod in eccleſia non ſint epiſcopi; unde Bernardus ad Eugenium: Non te tollat memoria (loquor) omnium eccleſiarum, quæ verſari ſe clamant & demembrari. Subtrahuntur enim abbates epiſcopis, epiſcopi archiepiſcopis, archiepiſcopi patriarchis: ſic faciendo probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitiæ non. Ex quo arguitur, quod Papa, ſi hoc faciat, hoc facit de facto, de jure tamen non poteſt.

Hypotheſis falſa, quod ab exemptis evertatur hierarchia.



Quinto dicunt hoc aſſerentes, quod dominus Benedictus Papa, concedens hoc privilegium, attendens quod de jure divino tenentur parochiani ſuis confiteri parochialibus ſacerdotibus, aliter non conceſſit dictum privilegium, niſi ut confeſſi privilegiatis teneantur eadem peccata confiteri propriis ſacerdotibus: nam ipſe dicit in conſtitutione prima, quod vult, quod legitime confeſſi dictis privilegiatis teneantur eadem peccata confiteri ſuis parochialibus ſacerdotibus. Conſtat autem quod non confitetur legitime qui non intendit debita ſua ſolvere illis, quibus debet. Cum ergo quilibet teneatur de jure divino ſuo parochiali confiteri omnia peccata ſua, niſi hoc cum confitetur privilegiatis, non eſt hujuſmodi confeſſus, &c. ut prius, ſcilicet quod non obſtante dicta conſtitutione talis teneatur eadem peccata confiteri, &c.

Benedicti XI. ſanctio in alienum ſenſum diſtorta.

Sexto in eadem conſtitutione præcepit dominus Papa Benedictus fratribus, ut moneant ſibi confitentes, quod eadem confiteantur ſuis parochialibus: conſtat autem quod * præcepiſſet, niſi quia de jure naturali & divino tenentur parochialibus confiteri; aliter enim dixiſſet, quod vel primario vel vicario epiſcopi. Ergo, &c.

* non

Dicunt ulterius, quod talis conſtitutio non eſt utilis nec expediens. Primo quia confundit totum ordinem eccleſiaſticum XI. q. Pervenit: Si ſua unicuique juriſdictio epiſcopo non ſervatur, quid aliud agitur, niſi ut per eos per quos eccleſiaſticus ordo illæſus cuſtodiri debuit, confundatur? Et Oſtien. extra de pœn. & re. Omnis utriuſque, dicit quod licentiati nulli alii quam ſacerdoti parochiali debent petere licentiam & obtinere, aliter eſſet confundere eccleſiaſticum ordinem & eccleſiaſticam diſciplinam. Secundo non eſt utilis talis conſtitutio, quia per hanc ſubtrahitur debita reverentia a prælatis, quæ debetur a ſubditis, & quæ maxime ſervatur in confeſſione; quam etiam reverentiam Dominus voluit exhiberi, cum dicit: Ite oſtendite vos ſacerdotibus; ſuper quo verbo dicit glo. quod dominus noſter Jeſus Chriſtus ſervavit ſemper honorem ſacerdotibus. Tertio non eſt utilis nec expediens, quia per hoc datur populo occaſio evagandi & libere peccandi, quod reprobat Bernardus, III. lib. ad Eugenium. Quarto quod fit, in præiudicium ſacerdotum fieri non debet XXXV. q. 2. Abſit hoc a me, ut ſtatuta fratrum meorum diſſolvam, &c.

Fingitur dolo prælatorum poteſtatem obſoleſcere.

Dicunt etiam iſti, quod ſi eſt aliquid boni vel aliqua utilitas inde proveniens, quod poteſt etiam ſine tali privilegio & exemptione provenire, quia ubi curatus eſſet ignarus, ſicut in pluribus contingit, vel ubi aliquid eſſet expediens, quod alteri confiteretur; tamen debet ſubditus petere licentiam a curato ſuo, qui eo tempore concederet, & ſic ſervaretur debita reverentia ad curatum: et ſi forte curatus nollet dare, deberet ſubditus frangere cor ſuum, & confiteri curato, & eſſet ſibi ad meritum, quia aliter non eſſet vere contritus, ut docet dominus Bonaventura in quarto ſententiarum.

Detrahitur publicæ utilitati.

Ad intentum propoſitæ quæſtionis & eorum quæ dicta ſunt, ſeptem ſunt facienda. Primo videndum eſt, ſi dominus Papa habet ſuperioritatem reſpectu epiſcoporum & aliorum prælatorum. Secundo qualem poteſtatem habeat, utrum ſcilicet mediatam vel immediatam. Tertio qualem poteſtatem habent epiſcopi reſpectu inferiorum rectorum. Quarto quantam poteſtatem habeant curati parochiales reſpectu privilegiatorum per primam decretalem, Omnis. Quinto quod Papa poteſt talem conſtitutionem facere, quod confeſſi fratribus, &c. Sexto oſtendetur quod hoc expediens fuerit & neceſſarium. Septimo reſpondebitur ad oppoſitas rationes.

XXII. Summa eorum, quæ tractanda ſunt.

Circa primum; ſciendum eſt, quod poteſtas ſacerdotis ſive eccleſiaſtica eſt ſpiritualis poteſtas collata miniſtris ad miniſtrandum ſacramenta, per quæ homo provehitur in vitam æternam. Hæc autem poteſtas in duobus conſiſtit, ſcilicet in ſanctificatione materiæ, & vocatur poteſtas ordinis in comparatione ad corpus Chriſti verum; & in præparatione populi ad debitam ſuſceptionem dicti ſacramenti, præcipue per ſacramentum pœnitentiæ, & vocatur poteſtas clavium; quæ poteſtas ligandi atque ſolvendi in foro conſcientiæ eſt, & eſt eadem poteſtas cum prima ſecundum eſſentiam, differens ſecundum diverſos actus: nam ſicut unica virtute agentis perfecti inducitur forma & fit præparatio materiæ ad ſuſceptionem formæ, ſic eadem poteſtas datur miniſtris eccleſiæ ad corpus Chriſti conſecrandum & conficiendum, & ad præparandum populum ad ejus debitam ſuſceptionem. Hæc autem poteſtas clavium prædicta licet in radice ſit eadem cum poſtate ordinis, & conferatur una cum alia in ſuſceptione ordinis ſeu ſacerdotii; tam non tranſit cum effectu niſi in debitam materiam, quæ eſt peccator ſubditus, ſicut nec poteſtas ordinis tranſit cum effectu, niſi adſit panis triticeus; prædicta autem ſubiectio datur per juriſdictionem, cum alicui datur juriſdictio & præſidentia ſuper aliquos. Et ideo inter miniſtros eccleſiæ duplex invenitur ordo poteſtatis, unus eſt ſecundum poteſtatem ordinis in habitudine ad corpus Chriſti verum, & ſecundum hoc ſuper epiſcopalem poteſtatem non eſt aliquis gradus altior in eccleſia: nam ſacerdos ſimplex, quamvis attingat ad conficiendum & conſecrandum corpus Chriſti, eſt tamen quaſi puer reſpectu epiſcopi, quia non poteſt facere alium ſacerdo-

Reſpondetur ad primum argumentum de poteſtate eccleſiaſtica.

Ut verſetur circa corpus Chriſti verum & myſticum.

Quæ circa verum corpus Chriſti ſumma eſt in epiſcopo.

Incomplete in ſacerdote ex defectu potentiæ creandi alterius ſacerdotis.

*dotem, qui hoc idem facere poſſit; & ideo ſimilis eſt puero, qui non poteſt generare. Sed epiſcopus non ſolum attingit ad corpus Chriſti verum, ſed etiam facit alium ſacerdotem, qui reſpectu corporis Chriſti habet ſimilem poteſtatem: & ideo dicitur ſacerdos magnus, quia habet poteſtatem ordinis perfectam & completam, ſuper quam nullus eſt gradus altior in eccleſia in habitudine ad corpus Chriſti.*

Poteſtatis circa corpus myſticum varius ordo.

*Alius autem eſt ordo juriſdictionis acceptæ in habitudine ad corpus Chriſti myſticum, ſecundum quam Papa habet ſuper epiſcopum gradum dignitatis altiorem: nam cum ſit multiplex communitas hominum, ſcilicet vici, in quo communicant quaſi homines unius miniſterii vel officii, & communitas civitatis, in qua communicant homines unius linguæ, & communitas regni, in qua communicant homines diverſarum linguarum ſub uno politico principatu, & communitas mundi, in qua tota gens continetur, parochialis ſacerdos habet juriſdictionem in vico, epiſcopus in civitate & attinentiis, archiepiſcopus in provincia, & patriarcha in regno, & Papa habet univerſalem in toto mundo.*

Diſcrimen curati, epiſcopi, archiep. & Papæ.

XXIII. Juriſdictio Papæ in omnes immediata.

*Circa ſecundum; ſciendum, quod quidam dicunt, quod Petrus vel Pontifex jure papatus non habet immediatam juriſdictionem ubique, quia non habet extra ſuam diœceſim niſi ſicut archiepiſcopus ſupra ſuos ſuffraganeos epiſcopos; nam ipſe quidem magnus patriarcha ſeu archiepiſcopus habens ſolum poteſtatem ubique in caſu appellationis ad ipſum, & hoc propter negligentiam vel defectum inferiorum prælatorum: nam ſi immediatam & ordinariam haberet ubique, eſſent plures ſponſi ejuſdem eccleſiæ, ſcilicet Papa & epiſcopus, contra illud quod habetur* VII. *q.* I. *Scilicet alterius uxor. Sed hoc eſt falſum, nam archiepiſcopus non eſt de jure divino, ſed poſitivo introductus; & ideo archiepiſcopus ſuper epiſcopos non habet ſuperioritatem niſi in iis, in quibus jus poſitivum eos ſibi ſubjecit. Sed principatus Petri eſt de jure divino a Chriſto, ſcilicet quia totam eccleſiam ſuam, nihil retinendo, commiſit Petro per illud Joannis ultimo: Paſce oves meas, ut infra magis patebit auctoritatibus ſanctorum multorum. Ipſe ergo ubique poteſt, nec juriſdictionem habet ab aliis, ſed omnes ab ipſo, qui aliorum quemlibet in partem ſolicitudinis vocat: nec ſi ordinarius eſt, erunt plures ſponſi unius eccleſiæ; eſt enim unicus ſponſus ſcilicet Chriſtus, de quo Joannis* III. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt; cæteri vero non ſunt ſponſi niſi miniſterialiter, generando filios eccleſiæ non ſibi, ſed Chriſto, qui verus eſt ſponſus: & ideo Chriſtus, Papa, epiſcopus, & curatus non ſunt quatuor ſponſi, ſed unicus quia * unico miniſtrant, cum eccleſia filios generat, licet unus mediante alio. Sequeretur autem inconveniens, ſi duo præficerentur ex æquo uni eccleſiæ, quod canones prohibent.*

Aliter ſe habet in patriarchas & archiepiſcopos, quam archiepiſcopus in epiſcopos.

Non ex eo plures ſunt ſponſi ejuſdem eccleſiæ.

* *tres alii*

XXIV. Varia ordo relationis curati ad epiſcopum & epiſcopi ad Papam.

*Circa tertium; ſciendum, quod non ſic ſe habet curatus parochialis ad epiſcopum in potentia, ſicut ſe habet epiſcopus ad Papam, quia majus jus habet epiſcopus in ſua diœceſi ſub Papa, quam habeat curatus ſub epiſcopo in ſua cura: nam ipſe parochialis ſacerdos non eſt ordinarius in ſua parochia ſicut epiſcopus, cum non fiat per electionem ſicut epiſcopus, ſed per proviſionem epiſcopi; ſicut dicitur de archidiaconis, quod non ſunt ordinarii niſi ubi de conſuetudine ſunt per electionem, propter quod etiam adjutores ſunt epiſcopi, & non prælati; unde in eorum ordinatione dicunt epiſcopi: Quanto fragiliores ſumus, tanto magis hujus adjutorio indigemus; unde & Apoſtolus ad Cor.* XIII. *dicit: Alii ſunt gubernantes, alii opitulantes. Per opitulantes ſecundum gloſſam intelligit eos qui majoribus opem ferunt, cujuſmodi ſunt archidiaconi & curati: propter quod etiam quidam doctores ſcribunt, eos ſe habere ad epiſcopos in parochia ſicut ſe habent ballivi ad dominos caſtri vel villæ: ſicut ballivi nihil poſſunt niſi quantum eis a dominis committitur, ſic nec curati in parochiis niſi quantum eis ab epiſcopis committitur: propter quod* XIII. *q.* I. *Dicitur cunctis fidelibus: Omnibus presbyteris, diaconibus, & reliquis clericis attendendum, ut nihil abſque epiſcopi ſui licentia agant, non utique miſſas abſque ejus juſſu quiſquam presbyterorum in ſua parochia agat, non baptizet, &c. Ex quibus patet, quod majorem poteſtatem habet epiſcopus & Papa ſimiliter in ipſo, quam ipſemet ſacerdos parochialis, quia epiſcopus committendo ei curam non ſe exonerat, ſed adhuc habet de parochia curam principalem & poteſtatem in eadem ſicut ante; ſicut ignis, dans ligno poteſtatem calefaciendi, faciendo lignum calidum, adhuc retinet poteſtatem alia ligna calefaciendi. Ex his etiam patet, quod eadem ſubjectione, qua ſubiicitur populus parochiali ſacerdoti, quod eadem ſubiicitur & epiſcopis: & ubi Papa vel epiſcopus abſolvit, deobligatur parochianus a parochiali ſacerdote, quantum ad tenentiam confeſſionis faciendæ vel abſolutionis petendæ.*

Papa & epiſcopus plus habent auctoritatis in parochianos quam parochi.

XXV. Verus ſenſus ſtatuti Later. *Omnis utriuſque ſexus.*

*Circa quartum, ſcilicet quod debetur ſacerdotibus parochialibus virtute illius conſtitutionis, Omnis utriuſque ſexus; ſciendum, quod intentio illius decretalis eſt in duobus, unum eſt declarare jus quoddam: nam olim pullulavit error circa poteſtatem clavium, credentibus quibuſdam, quod quilibet peccator a quolibet ſacerdote abſolvi poſſet abſque determi-*



*minatione juriſdictionis alterius; nam poteſtatem ligandi atque ſolvendi cum effectu dicebant recipi in ordinis ſuſceptione: quem errorem excludit dicta decretalis, decernens quod quililibet Chriſtianus tenetur confiteri peccata ſua omnia ſacerdoti; non cuilibet, ſed proprio, ideſt juriſdictionem & poteſtatatem habenti, & non alieno, ſi juriſdictionem non habeat. Aliud eſt autem, quod dicta decretalis intendit determinare, ſcilicet tempus confeſſionis faciendæ, quia ſemel in anno. Quid ergo juris datur ſacerdotibus parochialibus per primam decretalem reſpectu privilegiatorum, vel epiſcoporum? Certe videtur quod nihil; nam non dicit decretalis, quod ſemel in anno quilibet confiteatur ſuo parochiali ſacerdoti, ſed dicit proprio ſacerdoti; proprius enim ſacerdos non ſumitur hic prout proprium diſtinguitur contra commune, quia ſic ſolus parochialis ſacerdos eſt proprius, & non epiſcopus vel Papa, & per conſequens confeſſus Papæ vel epiſcopo non eſſet deobligatus a tenentia confeſſionis faciendæ proprio ſacerdoti: ſed proprium ibi accipitur prout diſtinguitur contra alienum, ut dicatur ſacerdos alienus, qui nullam habet juriſdictionem ſuper iſtam gentem, ut curatus unius parochiæ eſt alienus reſpectu parochianorum alterius parochiæ; & dicitur proprius ſacerdos quicumque habet poteſtatem abſolvendi ordinariam ſeu delegatam, ut Papa vel epiſcopus, curatus, & quilibet privilegiatus, vel ab ordinario ſubſtitutus: & quod ſic accipiatur in decretali proprius ſacerdos contra alienum patet ad evidentiam, quia ſubjungitur in eadem: Quod ſi alieno privetur eccleſiaſtica ſepultura. Cum ſit ergo æque proprius ſacerdos privilegiatus ſicut parochialis, nihil per decretalem primam datur parochiali reſpectu privilegiati pluſquam æquo; ſed confeſſus & abſolutus a privilegiato, vel Chriſto, vel Papæ, eſt deobligatus a tenentia ſupradicta. Etſi decretalis de ſolo parochiali ſacerdote intelligeretur (quod non eſt dicendum) poſſet dici, quod confeſſus privilegiato teneretur confiteri parrochiali ſuo non eadem peccata ſed alia ſi qua habet; vel ſi nulla habet, debet ſe oſtendere parochiali, & dicere ſe nihil habere confitendum, quia alias eſt confeſſus.*

Quis intelligendus ſacerdos proprius.

XXVI. Demonſtratur juriſdictio ordinaria Papæ in parochiis & epiſcopatibus.

*Circa quintum, ſcilicet ſi Papa talem conſtitutionem facere potuerit, quod populus confiteretur ſic, ſcilicet privilegiatis, nec teneretur eadem peccata confiteri ſuo parochiali ſacerdoti vel etiam epiſcopo; ſciendum, quod indubitanter potuit, quia ea quæ ſunt juriſdictionis & non ordinis, poſſunt committi ſaltem habentibus ordinem, & modo quo aliquis habet hoc poteſt committere: dictum eſt autem ſupra quod epiſcopus & Papa habent juriſdictionem ordinariam in diœceſi & in parochia, etiam magis principalem quam parochialis ſacerdos, & poteſtate ordinaria poſſunt in parochia abſolvere, nec confeſſi eis tenentur parochiali eadem confiteri. Ergo hæc iidem poſſunt quibuſlibet ordinem habentibus committere. Et hoc etiam apparet exemplo Apoſtolorum in primitiva eccleſia; nam Apoſtoli presbyteros ordinabant in villis, qui cum plebibus morabantur, & nihilominus aliquos mittebant, qui populum catechizarent. Sic non obſtante, quod Apollo eſſet presbyter Corinthiorum, tamen Paulus ad eos miſit Timotheum* I. *Corinth.* IV. *Conſuetudo etiam Romanæ eccleſiæ habet, quod poteſt quilibet impetrare literas a pœnitentiario Papæ ad quoſlibet ſacerdotes, qui eos abſolvant; & ſtultum eſſet dicere, quod confeſſi & abſoluti a talibus tenerentur ſuo parochiali eadem peccata confiteri, vel quod confeſſus Timotheo teneretur eadem confiteri Apollo & etiam apud prædicatores bulla domini Alexandri Papæ jure declarabat, quod Papa poteſt committere auctoritatem audiendi confeſſiones & abſolvendi fratribus etiam ſuperioribus ſacerdotibus, immo prælatis quibuſcumque, non ſolum non requiſitis, ſed etiam invitis. Et quod ſic privilegiati poſſint abſolvere, patet quia additur, quod non ſolum contrarium dicere, immo, dubitare hæreticum judicamus. Non eſt autem dubium, quod ſi Papa eo quod poteſt abſolvere in parochia poteſtate ordinaria, quod hoc idem poteſt committere: quod ſi poteſtate ordinaria poteſt in parochia abſolvere, ita quod abſolutus ab eo non teneatur eadem peccata confiteri ſuo parochiali vel cuiquam alteri, poterit ſimiliter hoc idem committere fratribus, ita quod abſoluti ab eis non tenebuntur eadem peccata alteri confiteri.*

Probatur exemplo Apoſtoli.

Papa poteſt parochianos abſolvere, ergo & id committere aliis.

XXVII.

*Circa ſextum, ſcilicet utrum expediat conſtitutionem facere, vel tale privilegium dare; ſciendum, quod in indifferentibus, quæ etiam ſua natura non ſunt de ſe mala, ſed poſſunt bene fieri, ſi fiant a principe, non licet judicare in deteriorem partem, ſcilicet quod male ſint facta: nam ſecundum jura ſacrilegium eſt de judicio vel de facto principis diſputare, niſi ad majorem evidentiam, vel niſi ſit manifeſte contra Deum. Et ideo ex quo dominus Benedictus talem conſtitutionem edidit, quæ non eſt in evidentia contra Deum, cum habeat rationes plurimas etiam ad utramque partem, ſacrilegium videtur dicere, quod non ſit expediens vel utilis eccleſiæ Dei; ſed quod alia ſit utilis huic contraria. Sed reſpondeo & dico, quod credendum eſt utramque fuiſſe utilem & eſſe pro tempore, licet utilitate nobis occulta: forſan enim expediebat tempore Bonifacii, ut per ſubtractionem conſtitutionum a fratribus populus ſentiret & cognoſceret quid eti-*

Conſtitutiones diſcrepantes pro temporum ratione recte editæ.

*utilitatis ex primis alias habuiſſet; & forſan niſi Bonifacius hanc feciſſet, Benedictus iſtam conſtitutionem non dediſſet, propter quod utraque utilis eſſe poteſt: ſed utrum ex natura rei conſtitutio prædicta Benedicti ſit utilis, ſcilicet quod fratres poſſent, &c. & non teneantur confeſſi eadem peccata, &c. reſpondeo & dico, quod ſic: & ſi non eſſet factum, conſulendum eſſet quod fieret propter multa. Primo propter multorum ſacerdotum ignorantiam, quæ eſt cauſa ruinæ multorum, quia dicit Auguſtinus lib. de pœnitentia: Qui vult confiteri peccata ſua, ut inveniat gratiam, quærat ſacerdotem, qui ſciat ligare, & ſolvere, ne cum negligens extiterit, negligatur ab eo qui eum miſerit, & ambo in foveam cadant, quam ſtultus vitare noluit. Secundo propter plebis multitudinem, quæ interdum uni ſacerdoti gubernanda committitur, qui ſi toto tempore vitæ ſuæ aliquid non faceret, vere omnium confeſſiones audire non poſſet; propter quod Matth.* IX. *dicitur:*

Oſtenditur religioſos ſacerdotes utiles eſſe parochis.

*Meſſis quidem multa, &c. gloſ. turba multa, operarii vero pauci, ſcilicet ſacerdotes, confeſſionibus intendere ſufficientes: & ideo rogandus eſt dominus meſſis, ſcilicet dominus Papa, ut mittat operarios. Propter hoc laudatur David, quod cultum Dei ampliavit, ſacerdotes conſtituendo, ut magis poſſet expediri. Et ſuper Ezechielem dicit Gregorius: His qui animarum cuſtodes ſunt, & paſcendi gregis onera perceperunt, mutare loca minime permittantur.* Et infra: *Tertio propter confitendi difficultatem, nam quidam, ut experimento compertum eſt, omnino a confeſſione deſiſterent, ſi non poſſent aliis quam parochialibus ſacerdotibus confiteri: patet hoc de concubinis eorum, &c. quoniam propter verecundiam, verecundantur, enim confiteri ei, cum quo converſantur. Quandoque etiam quia eos eorum inimicos ſuſpicantur; & ſi non ſint, tamen ſuſpicantur. Timent etiam quandoque de revelatione confeſſionis: & propter multa alia, quæ ſcripto non ſunt commendanda. Et ideo pie eorum infirmitati Papa volens condeſcendere, ne in diſperationem aut perditionem laberentur, de aliis voluit providere confeſſoribus. Quarto etiam propter alicujus vel aliquorum ad aliquem vel ad aliquos ſpecialem devotionem, cui non eſt obſiſtendum, ſicut extra de ſepulturis cap. Firmitatem habetur.*

Et plebi Chriſtianæ.

XXVIII. Solvuntur argumenta Joannis e Poliaco.

*Nunc autem ad argumenta ſuperius facta reſpondendum eſt. Ad primum, cum dicitur, quod Papa non poteſt, quia eſt contra jus parochiani & privilegium principis, &c. reſpondeo quod argumentum deficit tripliciter, quia primo tenentur, & abſolute non tenentur parochiani ſuo parochiali confiteri, ſed ſub diſtinctione vel conditione: nam ſolum tenentur confiteri proprio ſacerdoti prout diſtinguitur contra alienum, ut dictum eſt; & ille proprius ſacerdos indifferenter eſt omnis ſacerdos habens poteſtatem ordinariam vel delegatam: propter quod tenentur parochiali ſuo de jure confiteri ſive fuerint alteri confeſſi, poteſtatem habenti, & e contra. Secundo deficit, quia non poteſt in præjudicium illius ſibi ſubtrahi quod in ejus favorem non eſt ei conceſſum; ſubjectio vero populi curato ſacerdoti vel epiſcopo non introducitur in favorem præſidentis, ſed populi: ſecundo populo non datur, ut præſit, ſed ut proſit; unde Ezech.* XXXI. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges paſcuntur a paſtoribus? Ideo non præjudicant ſacerdotibus dummodo utilitas populi conſequatur. Tertio deficit, quia non ſolum eis non præjudicatur, ſed & adjutorium præſtatur: quod libenter acceptare debent ſacerdotes, qui non quærunt quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. Unde Gregorius ſuper illud Numer.* XI. *ibi, Æmularis pro me, dicit: Pia mens paſtoris, quia non gloriam quærit, ſed Dei auctoris quærit, ab omnibus vult juvari.*

Ad primum.

Parochi non curare debent ut præſint ſed proſint.

XXIX. Ad ſecundum.

*Ad ſecundum, cum dicitur, quod ſubiectio populi ad curatum parochialem eſt de jure divino, cum ſacerdotes ſint immediate miſſi a Chriſto ſicut Apoſtoli; reſpondendum eſt, quod deficit multipliciter. Primo quidem, quia non idem ordo rerum in inſtitutione & in progreſſione: nam in inſtitutione ordo eſt, quo una res eſt ſub alia ut ſibi digniori; non tamen ab illa, ſed ambæ ab uno principio, ſicut patet in primis individuis rerum ſuperiorum & inferiorum, quæ ab uno proceſſerunt; ſed in progreſſione eſt ordo, quod inferior res eſt ab alia, ſcilicet ſuperiore quaſi ab eo acta & mota: & ideo quamvis in eccleſiaſtica conſtitutione ſacerdotum alias diſcipuli non ſint miſſi ab Apoſtolis, qui ſunt forma epiſcoporum, ſed ambo a Chriſto immediate; tamen in progreſſione eccleſiæ voluit, quod ab epiſcopis ponerentur, & nihil haberent juriſdictions niſi eis ab epiſcopis committeretur tanquam eorum adjutoribus, quia ubique eſſe & vacare non poſſunt; etſi non habent præſidentiam de jure divino, ut dicebatur. Secundo deficit argumentum, quia dato, quod ſic eſſent inſtituti a Chriſto, non ſequitur, quod eſſent ordinarii ſicut epiſcopi; nam miſſi & poſiti a Chriſto poſſunt aliquos mittere & poteſtatem committere delegatam, &c. poſſunt ponere vicarios, ſcilicet Papa, epiſcopus, & curatus; nec tamen eſſent ibi duo ordines a Chriſto miſſorum & inſtitutorum: quia cum inſtituti ab aliis non abſolvunt auctoritate ſua, ſed mittentis, non faciunt tertium ordinem abſolventium, nec etiam præſidentium. Tertio deficit argumentum, quia ſicut revera corporis Chriſti veri non fuerunt a principio niſi duo ordines ſacerdotum; tamen revera corporis Chriſtici myſtici eccleſia poſſet facere tertium ordinem, qui etiam poteſtate ordinaria abſolveret: nec tamen homo eximit quos Deus conjunxit, tum quia ſimiliter remanet ſubiectus quomodo antea, tum etiam quia confeſſus privilegiato tenetur ſe ei oſtendere, tum etiam quia exemptio non intellegitur fieri ab homine, ſed a Deo, cujus iſtinctu eccleſia regi præſumitur.*

Parochi conſtituuntur ab epiſcopis non autem immediate a Chriſto.



XXX. Ad tertium.

*Ad tertium de Papa qui, ut dicunt, non habet a Chriſto ſive de jure divino ultra alios epiſcopos, ſed ſolum ex humano ſtatuto; reſpondeo dicendo, quod falſum eſt. Principatus & papatus Petri & Romani Pontificis in Petro eſt a Chriſto; unde Cyrillus Alexandrinus epiſcopus in tertio libro theſaurorum: Ut membra uniamur in capite noſtro apoſtolico throno Romanorum Pontificum, a quo noſtrum eſt quærere quid credere quid tenere debeamus; ipſum venerantes præ omnibus, quoniam ipſius eſt ſolum reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ſolvere, & ligare loco illius, qui ipſum ædificavit, & nulli alii quam Petro quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit: cui omnes jure divino corpus inclinant, & poteſtates mundi tanquam domino Jeſu Chriſto obediunt. Chryſoſtomus etiam ſuper illud Joannis ultimo: Paſce oves meas, loco mei præpoſitus eſto & caput fratrum tuorum. Et Cæſarienſis ſuper eodem loco: Commiſſio Petro fit, & nulli aliquomodo commendat; & ſimile dicunt Gregorius & Gelaſius Papæ, & diſt.* XII. *in multis canonibus ibi, & Bernardus ad Eugenium lib.* II. *Singuli ſingulos, tibi univerſos credidit, uni unus, ſcilicet Chriſtus. Ex quibus patet, quod de jure divino Romanus Pontifex habet ſuperioritatem ſuper omnes: immo communem juriſdictionem habet a Chriſto, & omnis juriſdictio a Petro ad cæteros eſt derivata, qui quidem ſunt vocati in partem ſolicitudinis, licet differant; nam juriſdictionem impertitur quibuſdam per ſimplicem & abſolutam commiſſionem, & iſti ſunt commiſſarii vel delegati; quibuſdam vero ad electionem populi, committens ſeu concedens illi, quem populus elegerit, quod in populi favorem eſt introductum, & iſti ſunt ordinarii: omnes tamen qualitercumque habuerint ſive habeant a Petro accipiunt, & ipſe a Chriſto. Quod autem arguunt quod de jure divino non habeat per illud cap. In novo; dico quod ſecundum gloſſam omnes a Chriſto honorem & poteſtatem accipiunt pari conſortio, id eſt communi: & loquitur de poteſtate ordinis & apoſtolatus, & non juriſdictionis vel adminiſtrationis, in qua quidem fuit Petrus major &c. ſi quidem dicit ibi, quod alii eum comprincipem voluerunt; dico quod verum eſt, non inſtituendo, ſed inſtitutum approbando, &c. Exponit Anacletus Papa* XXI. *diſt. c. Sacroſancta, ubi dicit: Licet omnes eſſent Apoſtoli, Petro tantum a Domino conceſſum eſt, ut reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis; & Cephas, ideſt caput & principium teneret apoſtolatus.*

Oſtenditur Papam habere de jure divino auctoritatem ultra alios epiſcopos. Patrum de ea re teſtimonia.

Univerſalem juriſdictionem Papa accepit a Chriſto. Eam per gradus derivat in alios.

XXXI. Ad quartum.

*Ad quartum de ſubverſione totius ordinis eccleſiaſtici, reſpondetur quod per illud idem argumentum poſſet concludi, quod totus ſtatus eccleſiaſticus ſubverteretur, quod confeſſi presbytero ad quod liceret impetrare a pœnitentiariis Papæ, teneantur confiteri propriis ſacerdotibus ſive parochialibus. Quomodo ergo dicunt, quod iterum tenentur, niſi in caſibus, in quibus ſunt de jure communi exempti a ſacerdotibus, vel quantum ad volentes bis confiteri. Dicendum quod per hoc non ſubvertitur ordo & ſtatus eccleſiaſticus, quia adhuc manent ſubjecti curatis quantum ad aliquos actus: tenentur etiam eis confiteri non eadem peccata ſed alia, ſi habent; & ſi non habent, debent ſe eis oſtendere & dicere, ſe eſſe abſolutos ab eo, qui potuit, &c.*

Ad quintum.

*Ad quintum, cum dicitur, quod dominus Benedictus ita non fecit, quia ponit in conſtitutione, &c. reſpondeo quod legitime confitetur privilegiato, qui non intendit eadem iterum confiteri parochiali, quia ei non tenetur ad hoc, ut dictum eſt; ſed ſolum tenetur confiteri auctoritatem habenti, a qua tenentia abſolvit ſe confitendo privilegiato.*

Ad ſextum.

*Ad ſextum, cum dicitur, quod nec expedit nec eſt utile, &c. reſpondeo quod licet tollatur ordo ſecundum partem in ordinatis, qui quodammodo ad aliquid ſubtrahuntur a curato; tamen manet ſalvatus ordo quantum ad intentionem ordinantis, quæ eſt utilitas populi, propter quam dictus ordo eſt inſtitutus.*

Ad ſeptimum.

*Ad ſeptimum quod dicitur* XI. *q.* I. *Pervenit ſi cuiquam, reſpondeo loquitur ibi quæſtio ubi ſine utilitate quidam trahebant clericos ad publica judicia in ſeculari foro, contemptis propriis epiſcopis; quod erat præjudiciale & inutile.*

XXXII. Utilitas populi a prælatis anteferenda proprio honori.

*Ad hoc quod dicunt, quod ſubtrahitur debita reverentia ad prælatos; reſpondeo & dico, quod hoc eſt privatum; ſed utilitas populi, quæ ſequitur eſt publica, in cujus favorem ſubjectio introducta eſt: & ideo ipſi prælati vel curati debent poſtponere id, quod de ſua reverentia ſubtrahitur, proprie utilitati populi, ut ſupradictum eſt. Et quod dicitur, quod Dominus ſervare voluit honorem ſacerdotibus, dicendo: Ite, &c. dico quod honor eſt eis exhibendus, & ad hoc eſt populus a privilegiatis inducendus, & nihilominus abſoluti debent ſe oſtendere ſacerdotibus, ut dictum eſt.*

Itur obviam majori malo.

*Ad illud de oſtendendo, reſpondeo quod loquitur, ut ipſemet exprimit, ubi in conceſſione non exprimitur licentia non petita, & ubi non confitetur aliqua ſemel in an-*

*anno, nec de ſe oſtendit alii eſſe confeſſum.*

*Ad illud de vagatione & libertate peccandi, reſpondeo ſi hoc eſt malum; tamen re vera plurimum tollitur majus malum, ſcilicet difficultas confitendi, occaſio deſperandi, & ſequitur facilior expeditio populi; & hoc debet librare Papa committens, quia ſpiritualis homo omnia judicat, dicit Apoſtolus; nec eſt ſimile in caſu exemptionis abbatum ab epiſcopis.*

Graves cauſæ cur religioſis communicata juriſdictio.

*Ad illud quod ulterius dicitur, quod eſt præjudicium curatorum, reſpondeo & dico, quod non eſt verum, quia eis non debetur abſolute, nec de jure divino, nec de jure poſitivo, nec eſt in parochialium favorem introductum, ſed populi. Ad id quod melius fieri poſſet ſine exemptione, ſcilicet petendo licentiam a prælatis & curatis, reſpondeo & dico; quod non fieret ita bene propter cauſas multas, una eſt ex parte curatorum, qui libenter eos non vocarent nec hujuſmodi licentiam faciliter concederent, ut temporibus his ſæpe probatum & compertum eſt; unde ſic poſſet verificari illud exod. II. Puellæ voluerunt aquare gregem, ſed ſupervenerunt paſtores, qui ejecerunt eas, &c. Alia cauſa eſt ex parte ſummi Pontificis, qui efficacius per gratias & alia poteſt inducere religioſos & privilegiatos ad utiliter exequendum. Alia cauſa eſt ex parte religioſorum, qui ſub incerto, quod non eſſent vocandi a curatis, non ita eſſent ſoliciti de ſtudio, ſicut ſunt, certificati per privilegium, quod audire poſſunt confeſſiones quando volunt & ubi ſciunt expedire. Alia cauſa ex parte populi, cujus devotioni non ita ſatisfieret, & quia cum dicitur, quod debent frangere cor ſuum, & cederet ſibi ad meritum, nam alias confiteretur fictus; reſpondeo ſi confiteretur fictus, id eſt non contritus, non ideo non reportaret effectum abſolutionis, quia confeſſioni non præexigitur contritio, ſed ſufficit attritio, quæ virtute clavium fit contritio: nec ideo eſt fictus, ideſt, non contritus, ſi non elegit confiteri curato parochiali, cum non teneatur confiteri niſi proprio ſacerdoti, id eſt, poteſtatem habenti. Et ſit finis quæſtionis.*

XXXIII. Ex his colligitur non levem hunc Joannis Poliaci errorem fuiſſe, ſed graviſſimum; atque ideo fortiter oppugnatum a doctoribus theologicæ ſcientiæ laude florentiſſimis: Scripſitque inter alios de juriſdictione eccleſiaſtica elegantem commentarium (*a*) Herveus ſupremus ordinis Prædicatorum magiſter, egitque non tam religioſorum, quam eccleſiæ univerſalis cauſam adverſus temerarium novatorem & ejus ſequaces, quos hiſce verbis perſtringit: *His diebus quidam ignorantes poteſtatem ſedis Apoſtolicæ, vel contemnentes eandem, & quærentes ſuam poteſtatem ſtatuere & indebite ampliare, nolunt recognoſcere ſuam poteſtatem eſſe a ſede Apoſtolica, nec eam volunt ſuper prædictam poteſtatem ſedis Apoſtolicæ recognoſcere ſtabilitam, dicentes poteſtatem curatorum immediate eſſe a Deo ſicut poteſtatem ſedis Apoſtolicæ; & poteſtatem curatorum non eſſe a Papa, ſed immediate a Chriſto.*

(*a*) *Ext. in MS. Vat. bibl. ſign. n. 4109. pag. 196.*

Ex quo fonte fluxerint lites in religioſos.

Præter Herveum vero inſignem edidit commentarium (*b*) Petrus Paludanus poſtea patriarcha Jeroſolymitanus, de poteſtate eccleſiaſtica, cumque Joannes e Poliaco hierarchiæ eccleſiaſticæ fundamenta concuteret, dum omnium eccleſiarum paſtores æque immediate a Chriſto poteſtatem in commiſſas oves accepiſſe contendebat, demonſtravit Petrum a Chriſto juriſdictionem accepiſſe in alios Apoſtolos, nec ipſum Paulum, cum Chriſti ovis eſſet, Petri imperio liberum fuiſſe: quæ a nobis delibanda viſa ſunt, cum Gallus auctor recentior contrarium de Paulo errorem inſtaurare ſit niſus, quem Sanctiſſimus Pater Innocentius X. diſcuſſa prius mature controverſia, in Cardinalium doctiſſimorumque virorum cœtibus, quibus ipſe infimus ab eodem Pontifice pariter juſſus interfui, juſte damnavit: cujus ſententia decretoria a Gallis ipſis ſumma veneratione excepta eſt: hæc vero Petr. Paludanus ſubjectis verbis docebat.

(*b*) *Ext. in MS. pag. 216.*

Ut Jo. Pol. faverit etiam ſchiſmaticis.

Petrus Palud. de poteſtate eccleſ. ſcribit.

XXXIV. *Prima concluſio eſt, quod Petrus habuit a Chriſto poteſtatem ſuper omnes Apoſtolos tamquam princeps & prælatus eorum: quod patet ſic, quia ſicut paterfamilias aliis filiis aliquem unum quaſi primogenitum præponit, quem facit hæredem univerſalem, alios vero hæredes particulares ſub primo, ſicut geneſ. XII. Jacob, cui dedit primogenita, dicit Iſaac: Eſto dominus fratrum tuorum; ſic Chriſtus quando dicit Apoſtolis: Omnes vos fratres eſtis Matth. XXIII. unum de Apoſtolis, ſcilicet Petrum, quaſi primogenitum aliis præponere voluit; unde dicit Cyrillus ſuper illud Lucæ XXII. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; omiſſis cæteris, venit ad Petrum cæteris prælatum. Item Auguſtinus de verbis Domini, tractans illud Matth. IX. quia Petrus ambulabat ſuper aquas; Primo Apoſtolo, id eſt Petro in ordine Apoſtolorum firmo & præcipuo, in quo figurabatur eccleſia. Item Cyrillus ſuper illud: Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos: Quaſi dicat poſtquam me negato ploraveris, & ſic pœnitueris, corrobora cæteros fratres tuos, cum te principem Apoſtolorum deputaverim, hoc enim decet: qui mecum robur es & petra eccleſiæ: ubi ſequitur: Hoc autem intelligendum eſt non ſolum de Apoſtolis, qui tunc erant ut roborarentur a Petro, ſed de omnibus, qui*

Stabilitur Petri univerſalis juriſdictio.



*qui uſque ad finem mundi futuri ſunt fidelibus. Item ſuper illud Jo. XXI. Paſce agnos meos, &c. dicit Chryſoſtomus: Eximius enim Apoſtolorum erat Petrus, & os diſcipulorum & vertex collegii, unde & negatione deleta committit ei prælationem fratrum, & negationem quidem ei non exprobrat, ſed dicit: Si diligis me præſide fratribus. Item Petrus præ cæteris accepit claves; unde ſuper illud Matt. XVI. Tibi dabo claves regni cælorum; dicit Rabanus: Quia enim * Regem cælorum major præ cæteris collatis clavibus regni cæleſtis dotatus eſt.*

* *per*

Apoſtoli pares non fuere.

*Contra concluſionem primo quod omnes fuerunt pares, unde XXI. di. in novo dicitur: Cæteri Apoſtoli cum eodem, ſcilicet Petro, pari conſortio honorem & poteſtatem acceperunt. Solutio hujus eſt de poteſtate ordinis ſacerdotalis primo, & epiſcopalis tandem, quæ non recipit magis nec minus: ſed non eſt verum de poteſtate juriſdictionis.*

An Paulus Petro par fuerit.

*Secundo quod ſaltem Petrus & Paulus fuerunt æquales, Ambroſius enim quæſt. alleg. Beati Petrus & Paulus eminent inter Apoſtolos univerſos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt: verum inter eos quis cui præponatur incertum eſt, puto enim illos æquales meritis eſſe, qui æquales ſunt & paſſione, &c. Sed de hoc reſpondetur per hoc, quod dicit meritis quidem, ſed prælatione impares: ſed ſicut etiam dicit Gregorius in fine primi dialogi, meritis ſpecialiter martyrii pares. Unde X. quæſt. Paulus dicit Hieronymus: Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet niſi ſe non imparem ſciret; ubi ſubjungit Gratianus: Hoc non de officio eccleſiaſticæ dignitatis, ſed de puritate vitæ & ſanctitate converſationis intelligitur: ſolus enim Petrus inter Apoſtolos primatum gerebat; unde Aug. eadem quæſt. Puto quod ſine ulla ſua contumelia Cyprianus epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quidni? obtinent martyrii coronam: cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam; quis enim neſciat rationem, Apoſtolatus principatum cuilibet epiſcopatui præferendum? Sed & ſi diſtat cathedrarum gratia, una tamen eſt martyrii gloria.*

Solvuntur contraria argumenta.

*Sed contra hoc eſt ſtylus curiæ Romanæ in indulgentiis, in quibus oſtenditur illorum paritas per hæc & ſimilia verba: De beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi centum dies de pœnitentiis relaxamus. Sed dicendum, quod ſolus Petrus fuit ſuperior, & omnes alii ſibi ſubditi, etiam Paulus; ſed ideo in geſtis ſpecialibus Paulus Petro conjungitur, quia Urbem ſuo martyrio conſecraverunt, & in paſſione ſocii fuerunt XXII. di. Sacroſancta.*

*Tertio videtur de Jacobo quod fuerit major Petro, quia ille qui judicat inter omnes videtur major & prælatus. Sed Jacobus tulit ſententiam in quæſtione legalium actor. III. Petro & Paulo allegantibus, dicens: Ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur. Solutio, Jacobus judicavit non tanquam judex omnium, ſed tanquam judex ejus loci ſpecialis: non quia Petrus non potuiſſet judicare ſi voluiſſet, ſed quia voluit illi deferre in loco ſuo; ſicut Papa, quando eſt in civitate alia, non aufert propter hoc officialem nec curiam epiſcopo illius civitatis, ſed de his, quæ ibi emergunt, ei judicium dimittit.*

Aliud argum. de Jacobo refellitur.

XXXV. *Secunda concluſio principalis eſt quod Petrus a Chriſto habuit prælationem ſuper totam eccleſiam univerſalem, quia in uno corpore non debent eſſe plura capita, ſed unum tantum, alias eſſet monſtrum, & illis diſſidentibus, membra non poſſent bene regi; unde uni corpori ſuo myſtico Chriſtus Petrum ſicut caput unum præfecit. Propter quod ſuper illud: Tibi dabo claves regni cælorum; dicit gloſſa: Specialiter eam Petro conceſſit, ut ad unitatem nos invitaret: ideo enim eum principem Apoſtolorum conſtituit, ut eccleſia unum principalem Chriſti haberet vicarium, ad quem diverſa membra eccleſiæ recurrerent, ſi forte inter ſe diſſentirent; quod ſi diverſa capita eſſent in eccleſia, unitatis vincula rumperentur. Item ſuper illud Lucæ: Ait Petrus ad Jeſum, &c. Faciamus hic tria tabernacula; Damaſcenus: Non te Dominus tabernaculorum, ſed univerſalis eccleſiæ conſtructorem conſtituit. Hæc verba tua, tui diſcipuli, oves tuæ mandaverunt effectui, Chriſto tabernaculum conſtituentes, necnon & ſervus ejus*. Item Leo Papa XXIV. q. I. Cum beatiſſimus Apoſtolus a Domino accepit principatum. Item Chryſoſtomus ſuper actus Apoſtolorum: Petrus a Filio ſuper omnem, qui filii eſt, poteſtatem accepit: non ut Moyſes in gente una, ſed in univerſo orbe. Item Cyrillus Alexandrinus in libro theſaurorum dicit ſic: Cui, ſcilicet Petro, omnes jure divino caput inclinant, & primates mundi tanquam Jeſu domino obediunt. Item ſuper illud Lucæ XXII. Tu autem converſus confirma fratres tuos, dicit Theophil. Petrus obtinuit, ut eſſet antiſtes mundi.* Ex his refelluntur temporis hujus ſectarii, qui tanquam impoſtorum more fingentes ſe miſſos a Chriſto, ſummos gregum, quos in errorum devia præcipites agunt, paſtores mentiuntur & hierarchiam eccleſiæ evertere moliuntur. Sed his dimiſſis ad Paludanum (*a*) revertamur, qui omnem in eccleſia auctoritatem a ſummo hierarcha manare ita argumentatur.

Unicum caput eccleſiæ oſtenditur.

Refelluntur novatores.

(*a*) *Ib. pag. 231.*

XXXVI. *Tertia concluſio principalis, quod omnis poteſtas juriſditionis eccleſiaſticæ & præ-*

*prælatio in eccleſia procedit & derivatur & originatur a Papa vel a ſede papali, id eſt ab eccleſia Rom. probatur tripliciter.*

A Papa omnis juriſdictio eccl. dimanat.

*Primo ex præcedentibus cum auctoritatibus ſic. Sicut ſe habuit Petrus, poſtquam fuit Papa, ad Apoſtolos & ad diſcipulos & primitivam eccleſiam, ſic ſe habet Papa ad omnes prælatos eccleſiæ & ad omnes alias eccleſias. Sed Petrus ſic ſe habuit ad illos, quod a Petro habuerunt omnem poteſtatem juriſdictionis, non a Chriſto immediate. Ergo Papa ſic ſe habet ad iſtos, quod ab ipſo habent omnem poteſtatem juriſdictionis. Major patet quia Papa Romanus in omni præeminentia, plenitudine, & dignitate juriſdictionis ſuccedit plene & perfecte Petro, ut probatum eſt in probatione majoris præcedentis rationis: & iterum probatur tripliciter auctoritatibus Græcorum: primæ ſynodi Nicænæ, quæ magnæ auctoritatis ſemper fuit apud eos & totam eccleſiam Dei, in qua inter cætera legitur ſic: eccleſia Romana ſemper primatum habuit ſemperque habere debet. Quod autem ſemper habuit, intelligendum eſt ex quo eccleſia fuit, & ex quo primus in ea Petrus ſedit, & in ipſa finaliter reſedit. Secundo patet iſtud per auctoritatem alterius concilii apud eos, ubi dicitur ſic: Revereamur ſecundum ſcripturas, & canonum ſanctificationem ſanctiſſimum antiquæ Romæ epiſcopum primum eſſe, & maximum omnium epiſcoporum. Dicit autem antiquæ Romæ ad differentiam Conſtantinopolis, quam Conſtantinus illuc ſedem ſuam transferens & privilegiis urbis Romæ extollens, novam Romam voluit appellari. Tertio patet iſtud auctoritate concilii Chalcedonenſis, ubi inter cætera habetur, quod tota ſynodus acclamavit Leoni Papæ: Leo ſanctiſſimus, apoſtolicus, & œcumenicus, id eſt univerſalis, patriarcha per multos annos vivat. Quod autem epiſcopi ſucceſſerint loco Apoſtolorum, & curati, & omnes inferiores prælati loco diſcipulorum, probatur di. XXI. In novo LXVIII. Quorum.*

Græcorum de Papæ auct. teſtimonia.

*Secundo probatur ſic: Omnis juriſdictio & prælatio ſive poteſtas cujuſlibet perſonæ eccleſiaſticæ procedit & derivatur originaliter & principaliter ab inſtitutore & fundatore eccleſiæ, cui præſidet: inſuper principium & origo totius dignitatis ſe poteſtatis vel etiam prælationis, qua fungitur & in qua reſidet. Sed omnes aliæ eccleſiæ & dignitates earum ſunt inſtitutæ ab eccl. Romana, ipſa vero a ſolo Chriſto. Ergo poteſtas & dignitas eccl. Rom. eſt a ſolo Chriſto, omnis vero alia poteſtas juriſdictionis & prælationis in omnibus aliis rectoribus prælatis procedit ab eccleſia Romana vel Papa, quod idem eſt, quia non intelligitur Papa ratione perſonæ, ſed ratione ſtatus & dignitatis in qua eſt.* Nonnulliſque in hanc ſententiam interjectis ſubdit auctor: *Probatur id per alias duas auctoritates. Primo auctoritate Gregorii* II. *q.* VI. *Decreto, ubi dicitur ſic: Sancta Romana eccleſia ita vices ſuas impertivit eccleſiis, ut in partem vocatæ ſint ſolicitudinis non in plenitudinem poteſtatis. Secunda auctoritas eſt Julii Papæ in cauſa ſequenti, dicentis ſic: Ipſa namque eccleſia, quæ prima eſt, ita vices ſuas reliquis eccleſiis credidit largiendas, ut in partem, &c. Iſta enim impertitio ſive largitio vicium ſuarum non poteſt intelligi de particulari, ſpeciali, accidentali commiſſione, quam Papa fecit quibuſdam eccleſiis primo ad primatum & dignitatem legationis, nec de quotidianis commiſſionibus, quas fecit eccleſiaſticis perſonis, tamen quia iſtud non convenit niſi certis & paucis ac determinatis eccleſiis, & perſonis, auctoritates autem loquuntur de omnibus aliis eccleſiis in communi; tum quia iſta commiſſio eſt accidentalis, illa autem quæ ſunt per accidens non cadunt ſub arte & neceſſitate: unde antecedentes ſunt intelligendæ de poteſtate, quam habent eccleſiæ communiter, & non accidentaliter, quod ſcilicet talis procedat ab eccleſia Romana.*

Alia Latinorum teſtimonia.

*Inter has autem auctoritates licet videantur prima facie credibiliores illæ Græcorum, teſtimonium & confeſſio contra ſe ipſos, quam auctoritates Romanorum Pontificum, qui ſunt quaſi teſtimonium in cauſa propria, ut dicatur cuilibet eorum: Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum; verum ſecundum veritatem auctoritates Romanorum Pontificum ſunt efficaciores in hoc & in ſequentibus, ſi attendamus illud verbum Chriſti ad Petrum pro ſe & pro ſede ſua Luc.* XXII. *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. Ex quo habetur, quod in Romana eccleſia in fide errari non poteſt, nec de ejus fide dubitare licet; ſed in omnibus eſt ſequenda. Unde ipſe S. Ambroſius: In omnibus ſequi magiſtram ſanctam Romanam eccleſiam profitemur.* XXII. *di. Omnes, in fine. Unde cum per prædictas auctoritates conſtet, Romanam eccleſiam & Chriſti vicarios tanto tempore tenuiſſe, docuiſſe, & per ſacram ſcripturam confirmaſſe ipſam Romanam eccleſiam a Chriſto factam fundamentum aliarum, & alias inſtituiſſe, & in partem ſolicitudinis vocaſſe, & alias ejus vices gerere; temerarium eſt tantorum patrum determinationi præponere ſenſum ſuum.*

Cur Pontificum teſtimonia in propria cauſa maximi fieri debeant.

XXXVII Apoſtolica adverſus errores Joannis e Poliaco ſententia.

His & aliis convulſa ſunt fundamenta erroris Joannis e Poliaco; diſcuſſaque diligentiſſime hac controverſia a doctoribus, ut dictum eſt, tum a præſulibus, nec non a Cardinalibus, & a Pontifice, demum lata eſt judiciaria ſententia (a), damnatique ii errores: *Dudum*, inquit Joannes, *cum dilectum filium magiſtrum Joannem de Poliaco ſacræ theologiæ doctorem certis ex cauſis de fratrum noſtrorum conſilio ad noſtram præſentiam vocaviſſemus, fide digna relatio ad noſtrum perduxit auditum, quod ipſe in quibuſdam articulis tangentibus pœnitentiæ ſacramentum non ſobrie, ſed perperam ſapiebat, infraſcriptos articulos, periculoſos continentes errores, docens publice in ſuis prædicationibus & in ſcholis. Primo ſiquidem aſtruens, quod confeſſi fratribus, habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio ſacerdoti. Secundo quod ſtante Omnes utriuſque ſexus edicto in concilio generali, Romanus Pontifex non poteſt facere quod parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio ſacerdoti confiteri, quem dicit eſſe parochialem curatum; immo nec Deus poſſet hoc facere, quia, ut dicebat, implicat contradictionem. Tertio quod Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſionem; immo nec Deus, quin confeſſus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio ſacerdoti, quem dicit eſſe, ut præmittitur, proprium curatum, &c.* Interjectis nonnullis, ut indicta fuerit cauſa Joanni e Poliaco, iſque a doctoribus convictus argumentorum vi in Cardinalium ſacro ſenatu opinionem maleſanam revocarit; ſanxit hæc Joannes.

(a) Extr. *Vas electionis de hæret.*



Ut damnati fuerint.

Revocati fuere a Joanne e Poliaco in ſenatu Cardd.

*Omnes articulos, & quemlibet eorum tanquam falſos & erroneos, & a doctrina ſacra devios auctoritate apoſtolica condemnamus, & reprobamus de fratrum noſtrorum conſilio; prædictorum doctrinam contrariam veram, & contrarium eſſe catholicum aſſerentes, ſcilicet quod illi, qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam ſi ea alias confeſſi fuiſſent eorum proprio ſacerdoti juxta concilium generale, &c.* Edixit deinde, Alexandri IV. & Clementis IV. ſecutus veſtigia, ne quis eos errores amplius diſſeminare ac tueri auderet, Joannemque e Poliaco publice in ſcholis & concionibus ſacris priores errores abjurare ac refellere juſſit. *Datum Avin.* VIII. *kal. auguſti anno* V. Repetit eandem conſtitutionem Joannes Baconus (a) Anglus Carmelita, ac plura in hoc argumentum ſcripſit.

Et publice Pariſiis.

Armacan. primas Hibern. parochorum litem inſtaurat adverſus monachos.

Obſecutus Pontifici Joannes e Poliaco, tum in ſcholis, tum in ſacris concionibus publice errorem ejuravit (b). Non defuere tamen qui poſtea aliis nixi argumentis contenderint, ſemel vertente anno ſacram exhomologeſim apud parochum repetendam, neque apud religioſos peractam ſufficere: quorum princeps fuit Armacanus (c) dictus Richardus primas Hiberniæ, qui religioſis apud Innocentium VI. de abrogandis eorum privilegiis ob varios abuſus litem intendit. Præcipuum ejus argumentum id fuit (d), contemni ea ratione clerum, nec labe peccati lethalis eum contemptum immunem: & quia unum peccatum ſine alio non dimittitur, ideo exhomologeſim apud parochum repetendam, quantavis religioſi criminum nexus ſolvendi poteſtate a Pontifice accepta valerent. Sed negatum eſt contemni propterea paſtores, vel peccatum ex eo ſuſcipi; ac refelluntur pluribus ab Henrico Bictvvelt argumenta Armacani, qui cum non tam zelo tuendæ diſciplinæ eccleſiaſticæ duci, quam ſuffuſus livore in religioſos ob prona in eos populorum ſtudia videretur, votis excidit, non quod pontificia curia auro corrupta a religioſis fuerit, ut deblaterat Walſingamus (e), ſed quia falſa erat Armacani doctrina & ejus cauſa æquitate fulta non erat, ut ſuo loco oſtendetur.

Aſſerta religioſis priſtina auctoritas.

XXXVIII. Exorta in Italia nova ſuperſtitio.

Hoc tempore in Italia fœdiſſimæ errorum tenebræ ſe offuderant, ac non cogendus doctorum cœtus, ſed validus exercitus adverſus novum ſuperſtitionis & idololatriæ genus, quod eccleſiæ hoſtes invexerant, congregandus fuit. Erant ii Recinetenſes aliqui præterita perduellione in Pontificem ac cædibus, latrociniis, ſtupris, adulteriis, incendiis, omnique impietate inſignes, quorum nomina Joannes hac notat (f) infamia: *Poſtmodum autem Jacob, Berardus, Ajoletus, Cerolus, Leo, Canolus, Bulgariſcus, Percivallinus, & Albritutius antedicti, documentis veritatis abjectis, & ad obſcœnas operationes & ſordidas inquinati, non advertentes quod illa virtus, illaque ſapientia, & illa eſt vera colenda majeſtas, quæ univerſitatem mundi creavit ex nihilo, & in quas formas voluit & menſuras terrenam cœleſtemque ſubſtantiam omnipotenti ratione produxit, idololatriæ nefandiſſimo cultui per profanas ſuperſtitiones & horrendas ſe ſtulta & cæca dementia ingeſſerunt, labe reſperſi peſtifera hæreticæ pravitatis. Ecce quidem hoſtes profani catholicæ matris adverſus Chriſtum ſponſum ejus inſurgunt blaſphemiis, fidei catholicæ murum detractionis ictibus impetunt, ejuſque diruere nituntur matris orthodoxæ ſtructuram, & illam ſuarum invaſione virium aggredi non formidant, &c.*

Nonnulli dæmonum & idolorum cultui ſe mancipant.

Blaſphemias in eccleſiam voces evomunt.

Cenſor fidei in eos legibus agit.

Subdit, ut ſacræ fidei cenſor, tantorum criminum fama permotus ipſos ſacro tribunali ſe ſiſtere juſſerit: qui cum contumaciter accedere reſpuiſſent, ille quæſita explorataque diligentiſſime veritate, ſententiam tulerit, ipſos hæreſeos & idololatriæ crimine devinctos, atque ideo ob anathematis notam ab omnibus ipſorum conſortium fugiendum: tum ſæculari foro permiſerit, ut ſupplicio merito

(a) *Jo. Bacon. Carm. q. 3. diſt. 15.*

(b) *Holcot. ſup. 4. ſent. q. 5. Henr. Bictuelt. MS. bibl. Vat. ſign. n. 4109. pag. 262.*

(c) *MS. bibl. Vat. ſign. 3765. in Innoc. VI.*

(d) *Henr. Bictu. ubi ſup.*

(e) *Vualſig. in Eduard. III. ad an. 1358.*

(f) *Joan. 6. p. 1. ep. cur. 28.*

rito ipſos afficeret, bona fiſco pontificio addixerit, poſteros ab honoribus removendos promulgarit, denique domum, in qua obſcœnum idolum colebatur, funditus excindendam, atque in perpetuæ infamiæ monumentum numquam inſtaurandam pronuntiarit: & quamvis idololatris ipſis ex apoſtolica clementia diem dixiſſet, ut benignitate potius ad Chriſtum revocaret, quam juſta ſeveritate perderet, pontificia eos monita ludibrio habuiſſe; atque etiam a Recinetenſibus, Auximanis, Spoletanis, comitibus Montisferetri, aliiſque fœderatis receptos defenſoſque fuiſſe.

Flagitii auctores a rebellibus eccleſiæ defenſi.

Ad excindendum ergo ingraveſcens malum pontificio zelo permotus Joannes ſacram in eos expeditionem ornandam edixit, ac patriarchæ Aquilejenſi, & ſuffraganeis populos ad crucem induendam, propoſitis indulgentiarum præmiis, incendere juſſit: & quem ex tanto animarum exitio dolorem hauriret, hiſce verbis aperuit: *Dolet mater eccleſia, quod ſacro regenerati fonte baptiſmatis, & naturæ divinæ conſortes effecti, converſatione degeneri in vilitatem veterem per mortis illecebras, & præruptam erroris execrabilis ſemitam, relicta gloria catholicæ fidei, relabuntur; noſque non immerito triſtamur ab intimis, quod perditionis filii decorem catholicæ matris, quam noſtra intereſt uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto, hæreticæ pravitatis conantur obſcœnitatibus maculare. Non enim expedit, ut tam horrendorum ſcelerum in ſuccedentia temporum ſecula ſine recordatione vindictæ memoria differatur, ne illorum infamis impunitas in generationes futuras ſimilium proroget audaciam præſumptorum: ſed potius eo fortius eſt ipſorum reſiſtentiæ obice intentio elidenda, eoque potentius repugnantiæ obſtaculo ſui proſecutio reprimenda propoſiti, eorumque pravis affectibus contrariis effectibus obviandum, quo magis infideles Chriſtianæ ſalutis æmuli in fidelium intendunt pectoribus cultum catholicæ fidei, ſine qua nemo unquam Deum videre poterit, depravare. Datum Avinione* II. *id. octobris anno ſexto*. Promulgandæ ejuſdem criminum condonationis arma in novam illam hæreticorum colluviem correpturis multis præſulibus in Italia, utraque Sicilia, & Gradenſi patriarchatu provinciam impoſuit (*a*).

Promulgata in eos ſacra militia.

Divulgatæ tota Italia Pont. lit.

(*a*) *Ib. poſt ep. cur.* 28.

Præterea Germaniam ad peſtem eamdem in ipſis eccleſiæ viſceribus hærentem evellendam commovit, ac Bremenſem, Moguntinum, Trevirenſem, Colonienſem, Salzburgenſem archiepiſcopos, alioſque ipſis obnoxios præſules populos ad arma in tam juſta cauſa capeſſenda concitare juſſit (*b*). Repetitæ etiam eodem fere exemplo ad eoſdem præſules literæ, ut ſacra illa indulgentiarum præmia adverſus Lipparium (*c*) & Andream Auximanos equites, nec non adverſus Fridericum, Guidonem, & Sperantiam Montisferetri comites, qui ſe eorum idololatrarum partibus inquinarant, præluſerantque tanto ſceleri non levibus aliis, antea enim Urbini dominium invaſerant, initaque cum aliis perduellibus conjuratione, graviſſimis cladibus provincias pontificias attriverant. Ex iis vero Fredericus longe fratres improbitate vincebat (*d*), ut qui fœdiſſima illa idololatria ſe infeciſſet, atque a ſacræ fidei cenſore, comperta graviſſimis argumentis veritate, meritis pœnis addictus devotuſque fuiſſet. Præteritis vero novum ſcelus adjecerat, ac Spoletanorum, quos in ſuas partes traxerat, imperium corripuerat. Conatus etiam fuerat Pontifex, graviſſimarum pœnarum objecto terrore, Aſſiſinates ad officium traducere: ſed cum illi promulgatam in eos pontificiam ſententiam reſpuiſſent, intentatas pœnas contraxere, ut queritur Pontifex, qui ad alia aſperiora remedia, ne ſceleri adblandiri videretur, confugere coactus eſt. (*e*) Conjunxere ſe etiam aliis hoſtibus eccleſiæ Fanenſes, in quos Pontifex eorumque ſtudioſos cenſuras tulit (*f*).

Germani adverſus novam illam peſtem concitati.

(*b*) *Reg. poſt eand. ep.*

(*c*) *Ib. ep. cur.* 30. & 31.

(*d*) *Ib. ep. cur.* 29.

Frideric. e monte Feretro eadem idololatria pollutus.

Aſſiſinates in concepta rebellione obfirmati.

(*e*) *Ib. ep. cur.* 44.

Fanenſes perduellibus ſe aggregant.

(*f*) *Ib. ep. cur.* 49. 63. & 78.

XXXIX. Collabeſcit ditionis eccl. ſtatus.

Fœdabat alia ditionem eccleſiaſticam labes: creverat adeo ex Pontificum abſentia nobilium virorum & populorum audacia, ut principum inſtar, qui ab armis juſtitiam petunt, mutuo ſe bello laceſſerent. Quos ut in ordinem redigeret Joannes, eccleſiæque principatum nutantem confirmaret, tum audaciam improborum frænaret, objectis gravioribus pœnis, temperare armis, atque judicum tribunalibus controverſias committere juſſit (*g*). Cumque in patrimonio (*h*) B. Petri in Tuſcia, atque in Sabinia, Arnulphorum terra, ac reliqua ditione eccleſiaſtica jura pontificia plures viri nobiles, ac populi nonnulli etiam præfecti plura invaſiſſent, alienaſſentque Pontifex ad ea recuperanda, temere geſta reſcidit (*i*), & pontificio reſcripto ad ſedem Apoſtolicam revocavit. Ad tuendam vero internuntiorum & adminiſtrorum pontificiorum dignitatem edixit, ne cenſores fidei aut judices ordinarii iis judicium intenderent. Nec tumultibus & periculis carebat Roma, dum Joannes in Avinionenſi ſeceſſu agebat, qui ne Urbis curam penitus abjeciſſe videretur, hiſce literis ſenatum populumque Romanum in officio continere, & conjurationes adverſus eccleſiam a Cæſareæ factionis ſtudioſis initas ſopire ſtuduit (*k*).

(*g*) *Ib. ep. cur.* 47.

(*h*) *An.* 9. *p.* 1. *ep. cur.* 152.

(*i*) *Ead. p.* 1. *ep. cur.* 150.

Roma a ſeditioſis in diſcrimen adducta.

(*k*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 99.

*Joannes, &c. Senatoribus & populo Romano.*

*Dudum plena querelis mater eccleſia nobis inſinuans lamenta ſuæ turbationis expoſuit, quod nonnulli mendacem filiorum titu-*



*tulum præferentes, & contra eam inſtinctu quaſi relegato naturæ innectentes, colligationes iniquas ad Romanam urbem inclytam, Apoſtolicæ ſedis prædilectam filiam invadendam, & ipſius ſtatum pacificum ſubvertendum ſcandalis & ſciſſuris, ſibique vendicandum dominium, in eadem conglutinare machinamenta clandeſtina præſumebant; ac vos, ut ab ipſius eccleſiæ fidelitate perverterent, & ſubverterent in infidelitatis errorem, proponentes aſtutiis circumvenire fallacibus, ac virus deceptibilis adulationis effundere, ubi non poſſent viribus perfidiam conſuetæ tyrannidis exercere. Propter quod nos univerſitatem veſtram per noſtras literas rogandam duximus attentius & hortandam, ut animos veſtros contra talium præſumptorum conamina ſolitæ firmitatis munimine roborantes, ac pretioſum fidelitatis veſtræ theſaurum Deo & eidem eccleſiæ abſque defectu & macula conſervantes illæſum, contra talium præſumptuoſam audaciam, quicumque & cujuſcumque conditionis exiſterent, ad noſtram & ejuſdem urbis tuendam omnimode libertatem vos tanquam murum indefeſſæ fortitudinis opponeretis viriliter & ferventer, neminem illorum vel ipſorum nuntios in urbe recipiendo prædicta, vel per alios, quantum in vobis eſſet, recipi permittendo, &c. Dat. Avin. v. kal. decembris anno* VI. Ut vero Romani demum, Joanne in Urbem redire abnuente, deſciverint ad Ludovicum Bavarum, inferius dicetur.

Conflata conſilia de eripiendo Pontifici Urbis principatu.

Romani ad fidei conſtantiam excitati.

XL. Guelpha & Gibellin. factio exercet Etruriam.

(*a*) *Jo. Vill. l.* 9. *c.* 126. *Ant.* 3. *p. tit.* 21. *c.* 5. §. 1.

Laniabat (*a*) reliquam Italiam Guelphorum Gibellinorumque furor. Florentini inito cum Spineta marchione Malaſpina Gibellinæ quidem factionis viro, ſed Caſtrucii Lucanorum præfecti hoſte, armorum fœdere in Lucanos conſpiravere. Qui mox arma in Spinetam convertit, eundemque ad Canem Scaligerum Veronenſem abegit. Fremebant (*b*) etiam armis utriuſque factionis Inſubria & Pedemontium. In Pedemontio quidem ad lapſas res ſuperiori anno turpi Philippi Cœnomanenſis comitis & Gallorum receſſu reſtituendas Robertus Siciliæ Rex Raimundum e Cardona juſto ſuccinctum exercitu, cui Pontifex legatum Cardinalem adjunxerat, ſubmiſit. Galeatius tamen Placentinorum præfecti opera marchionem Cavalcabonem, pontificiis auxilio cum equitatu expedito venientem exeunte novembre delevit.

Turbidæ Inſubriæ res.

(*b*) *Jo. Vill. c.* 128. *Ant. ubi ſup.*

Guelphor. copiarum pars cæſa a Galeatio Vicecom.

Fridericus Rex Trinacr. bellum in Robertum Sic. Reg. molitur.

(*c*) *Jo. Vill. l.* 9. *c.* 133. *Sur. l.* 6. *c.* 41.

(*d*) *Ann. to.* 14. *ann.* 1303. *n.* 27.

Incumbebat (*c*) Roberto Regi alterius belli moles. Fridericus Trinacriæ Rex, quem in ſuperiori annalium tomo (*d*) iis legibus cum Carolo II. Siciliæ Rege Bonifacii VIII. temporibus pacem confeciſſe vidimus, ut Trinacriam, donec aliud regnum ex infidelibus armis ſibi comparaſſet, vel in reliquum vitæ tempus, ſi ea res non ſuccederet, obtineret; morienſque Carolo vel ſucceſſoribus ereptam vi & injuria Trinacriam reſtitueret, in poſteros coronam traducere, violato ſolemni illo fœdere, decernit. Petrum itaque filium Panormi magna pompa inſigni regio exornat, atque in illius verba Trinacrios proceres ſacramento adigit (*e*). Tentarat (*f*) anno ſuperiori a Roberto, cum Avinione cum Pontifice ageret, ut regnum novo conſtituto fœdere in filium tranſmitti impetraret; ac Jacobus Rex Aragoniæ pro firmandis fraternis rebus acturos de concordia oratores ad aulam Avinionenſem miſit (*g*), ſed cum neceſſaria auctoritate ad arduam provinciam conficiendam inſtructi non eſſent (*h*), Pontifex rem infectam eſſe Jacobo ſignificavit (*i*); utque ſedulo ad redintegrandam concordiam incumberet, excitavit (*k*). Agit de ea legatione a Jacobo ad Pontificem miſſa Surita (*l*). Cæterum Pontificem e Cardinalium conſilio triennales inducias indixiſſe inter Reges, ac Fridericum eas infringentem defixiſſe anathemate, Joannes Villanus refert (*m*): quem etiam ne Jacobus Rex contra leges ac jura Fridericum potentia ſua adverſus Robertum fulciret, cenſuras iis omnibus, qui regnum Siciliæ bello peterent, conducerent ſtipendiarios, inſtruerent triremes, copias contraherent, ſubmitterent arma, aut alia quavis ratione ſuam operam ad inferendum Roberto bellum conferrent, incuſſiſſe docent apoſtolicæ literæ (*n*). At nec ea religione deterriti ſunt plures viri nobiles, quin ex Aragonia & Catalonia aliiſque locis in Trinacriam confluerent, atque adverſus Robertum venirent ſubſidio. Quocirca Pontifex Terraconenſi archiepiſcopo imperia dedit, ut mare conſcenſuros ſacramento adigeret, adverſus Robertum arma non arrepturos. Ad piiſſimum Jacobus Aragonum Rex opus, redimendos nimirum e Saracenorum ſervitute Chriſtianos incumbebat, pluresque ex iis etiam nobilitate inſignes, qui diu ſub barbarorum jugo luxerant, patriæ libertatique reſtituerat: cumque cœptis egregie inſiſteret, ac naves onuſtas mercibus, ut felicius res ſuccederet, mittere ſtatuiſſet, facultatem illius rei a Pontifice ob reſcripta apoſtolica in eos, qui merces Saracenis Aſiaticis inveherent, edita flagitavit: cujus votis annuit Joannes (*o*) ea lege, ut ferrum, arma, ligna conflandis navibus

Inſignis Friderici perfidia. Petrum filium Trinaciæ Regem dicit.

(*e*) *Jo. Vill. ubi ſup.*

(*f*) *Sur. ubi ſup.*

(*g*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 52.

(*h*) *Ib. pag.* 55.

(*i*) *Ib. pag.* 53.

Indictæ a Pont. triennales inter Reges induciæ.

(*k*) *Ib. p.* 54.

(*l*) *Sur. l.* 6. *c.* 38.

(*m*) *Jo. Vill. l.* 9. *c.* 133.

Incuſſæ Siciliam citeriorem invadentibus cenſuræ.

(*n*) *An.* 6. *p.* 1. *ep. cur.* 27.

Jacobi Regis Arag. in redimendis Chriſtianis pietas.

(*o*) *An.* 5. *p.* 1. *ep. com.* 216.

ido-

idonea, quibus Chriſtiani lædi poſſent, ſoldani terris non inferret. [1]

Mauri in Murcianos fines incurrunt.

XLI. Nec vero in Syria ſolum Chriſtiani plures ſub ſervitute Saracenorum ingemiſcebant, verum in ipſa Hiſpania infelici jugo variis excurſionibus ſubdebantur. Ex diſſenſione quidem fidelium graſſandi occaſionem aucupati Granatenſes in Murciæ regni limitem incurrere; atque arcem, cui Lorcha nomen eſt, in Carthaginenſi diœceſi ſitam bellico furore tentarunt. Cujus diſcriminis metu commoti cives, ſuos ad Pontificem oratores miſere, ut fidelium auxilia ad tuendum Chriſtianum nomen ſubmitteret. Quorum precibus ille adductus Caſtellanos ad propulſandos barbarorum impetus, propoſitis indulgentiis, a præſulibus excitari, ſacramque militiam conſcribi juſſit (*a*).

(*a*) *An.* 5. *p.* 1. *ep. cur.* 165. 166. 167. (*b*) *Ibid. ep. cur.* 164. (*c*) *An.* 6. *p.* 1. *ep. com.* 32.

Guillelmum præterea epiſcopum Sabinenſem Apoſtolicæ ſedis in Hiſpania legatum monuit (*b*), ut Lorchanis validiſſima auxilia ſubmittenda curaret, ac vectigalium eccleſiaſticorum decumas in eam rem derivaret (*c*), ne ii ſub potentia Saracenorum tandem fatiſcerent, Chriſtianæque religionis dignitas labefactaretur. Denique eos, qui Saracenici furoris impetus ſtrenue adhuc exceperant fregerantque, ad laborum conſtantiam his verbis incendit (*d*): *Vos igitur, filii, conſtanter in eo, cujus agitur in hac parte negotium, quique de ſua confidentes miſericordia non relinquit, figentes anchoram ſpei veſtræ, præfatis hoſtibus virilibus animis reſiſtatis, ut ſtabilimentum fidei poſſitis a præſentibus & poſteris prædicari, aliis conſtantiæ ac fortitudinis præbeatis per exemplum, vobis præmium retributionis æternæ, quod promittitur bellum Domini gerentibus, rependatur; & in Apoſtolicæ ſedis gremio, veſtris claris exigentibus meritis, mereamini ſemper ſpecialis favoris locum præcipuum obtinere; ſcituri, quod cum nos, & Romana eccleſia mater veſtra vos & terram veſtram gerimus in viſceribus charitatis, noſtrum erga vos, cum expedierit, auxilium quantum cum Deo fieri poterit, non tepeſcet. Dat. Avin.* IV. *id. junii anno* V. Repreſſos fuiſſe barbaros, facile colligitur, cum nullos adverſus rem Chriſtianam progreſſus ab iis factos auctores Hiſpanici hoc anno referant.

Fortiter excipiunt Lorchani Saracenorum impetus. (*d*) *An.* 5. *p.* 1. *ep. cur.* 166. Ad conſtantiam confirmantur.

Indicti Palentiæ conventus pro reſtituenda concordia. (*e*) *Mar. rer. Hiſp. l.* 15. *c.* 15.

Debilitatæ ſane Caſtellanorum vires admodum civili diſcordia, ex qua infideles animos collegerant: ad quam extinguendam Sabinenſem epiſcopum A. S. L. regni conventus indixiſſe Palentiæ, Joannes Mariana refert (*e*): principes enim auctoritatis ſuæ ac potentiæ confirmandæ cauſa præfecturas urbium jure vel injuria corripiebant, unde magni motus concitati. Legione quidem cum Philippus princeps Sancii Regis filius, atque Alfonſi patruus urbem ingredi pararet, coorta (*f*) ſeditio: cum enim cives ipſum ingreſſu arcerent, ille conciliatis præſidiariis, qui in arce excubias agebant, urbe exceptus confugientes ad eccleſiam principem cives obſidione cinxit, valviſque exuſtis compulit ad deditionem: quo bello confecto, eccleſiam ſitu & opere munitam cinxit propugnaculis, ac milite firmavit. Quæ res cum adverſus epiſcopi Legionenſis jura tentata eſſet, Pontifex eccleſiaſticæ libertatis tuendæ ſtudio Philippum principem monuit, ut eccleſiam reſtitueret epiſcopo, indeque præſidiarios milites amoveret: tum Guillelmo Sabinenſi epiſcopo A. S. L. partes injunxit (*g*), ut ſi Philippus pontificias preces reſpueret, ad æquanda ſolo quæ excitarat in eccleſiæ circuitu propugnacula, eamque epiſcopo reddendam, ut divinum in ipſam cultum converſo in laudes Dei armorum fragore revocaret, cenſurarum religione compelleret.

(*f*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 46. Philippus princeps Legionem occupat. (*g*) *Reg. poſt eand. ep.*

Compoſita eccleſiæ Compoſt. controverſia. (*h*) *An.* 6. *p.* 1. *ep. com.* 139.

Geſſiſſe morem pontificiis imperiis Philippus princeps videtur, cum ex aliis literis x. kal. oct. ejuſdem anni exaratis (*h*) colligatur, ipſum in re ſimili, nimirum reſtituendis Compoſtellanæ eccleſiæ juribus, ad ſedis Apoſtolicæ voluntates animum flexiſſe. Certatum jam ante diu fuerat de Compoſtellanæ urbis imperio inter archiepiſcopum prædeceſſorem & cives; atque archiepiſcopus, obtenta in ſuæ eccleſiæ gratiam a ſan-

NOTÆ [1] QUæ toto hoc paragrapho tractat Annaliſta res Siculas perſequens, lucem & correctionem accipiunt ex Authore coævo hiſtoriæ Siculæ vulgatæ a Muratorio Anecdot. to. III. qui Cap. XCII. ſcribit: *Die Dominico XIX. Aprilis quartæ indictionis*, quo fuit *Paſcha Dominica Reſurrectionis anno a Nativitate Domini MCCCXXII.* (lege MCCCXXI. ut indicat character Paſchalis) *Dominus Rex Fridericus ad poſtulationem Comitum* &c. *unxit, & coronavit in Regem Siciliæ dictum Regem Petrum filium ſuum; & in dicta Coronatione non interfuerunt Prælati vel Eccleſiaſticæ aliqua perſona.* Idem vero Scriptor ſuperiori Capite XCI. hæc ſcribit de interdicto in ejuſdem Regis ditionem lato. *Cujus guerræ occaſione interdictam extitit inſulam Siciliæ, quod interdictum Fridericus ſervari juſſit, & fecit prædictam Inſulam a principio Januarii quartæ indictionis anno MCCCXXI. in antea, licet Panormi fuit inceptum ſervari in die feſto S. Juliani, quod eſt XXII. menſis Januarii; licet idem interdictum non dicatur ab Eccleſia emanaſſe.* (Errat ergo Villanus, qui anathemate inuſtum a Pontifice Fridericum hoc anno ſcribit lib. IX. cap. CXXXI.) *Quod interdictum duravit uſque ad Vigiliam feſti S. Antonii, quod fuit indictione III. anno MCCCXXV.* MANSI



ctiore Regis Caſtellæ conſilio ſententia, compoſtellanos clientelæ nomine ſacramento adegerat. Neque ita multo poſt ii iterum defecere: iterumque ad officium revocati, rurſus ſacramentum fregere, cum Philippi principis Alfonſique viri opibus & auctoritate florentiſſimi ſtudiis efferrentur. Verum proximo tempore Alfonſo e vivis erepto, Philippus princeps religione motus, ſupplex veniam exoravit: quamobrem Pontifex ingenti gaudio delibutus, Compoſtellano archiepiſcopo provinciam commiſit, ut principem & Compoſtellanos pœnis omnibus vel Clementis V. in Viennenſi concilio conſtitutione ſancitis, vel a delegatis judicibus inflictis ea lege abſolveret, ut ſumptus, quos in conficiendo itinere ad ſedem Apoſtolicam pro venia flagitanda facturi eſſent, in terræ ſanctæ ſubſidium derivarent.

Philippus princeps occupata illius eccleſ. jura reſtituit.

Balearis Rex ab eccleſiæ Terracon. juribus abſtinere juſſus. (*a*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 59. (*b*) *Ibid.* Ex ingenti periculo cum uxore & nepote eripitur.

XLII. Ad vindicanda pariter Terraconenſis eccleſiæ priſtina jura, quæ in Balearibus inſulis obtinebat, Pontifex graviſſimis literis Sancium Majoricarum Regem, ut ab iis invadendis ſibi temperaret, monuit. (*a*) Quem quidem divino munere ex ingenti periculo ſervatum, oſtendunt aliæ literæ (*b*), quibus Joannes ipſum feliciſſime ex inſidiis emerſiſſe eſt ei gratulatus hiſce verbis: *Ingens periculum, quod contra te & chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Reginam Majoricarum illuſtrem, & dilectum filium nobilem virum Jacobum nepotem tuum hoſtis ille perfidus, cujus invidia mors in orbem terrarum, intravit, qui veluti leo rugiens quærens quem devoret, curavit mare commovens, rapidos ventorum flatus ſuſcitans, his diebus præteritis ſuſcitavit; illiuſque clementia, cui venti obediunt, & maria acquieſcunt, te cum præmiſſis a tantis periculis agnovimus magnifice liberatum, &c. Dat. Avin.* IV. *id. novembris anno* VI.

(*c*) *Mar. l.* 15. *c.* 17. Cantabri Navarram infeſtant.

In Navarra etiam pacatas res haud fuiſſe, refert Mariana (*c*); arcemque Gorritiæ, a Cantabris ea parte, cui Guipuſcoæ nomen inditum, improviſo adventu occupatam: cumque Navarreni injuriæ vindicandæ ſtudio, contractis copiis duce Pontio Morentia, pro Rege Gallo, in eo regno præfecto, eſſent progreſſi, a Cantabris montium juga inſidentibus, ſaxaque in ſubiectum hoſtem provolventibus, fuiſſe profligatos.

(*d*) *Vvalſing. hiſt. Angl. in Eduard. II.* Angliæ proceres in Eduardum conſpirant.

XLIII. Excitati præterea hoc anno in Anglia (*d*) priores diſcordiarum fluctus, a quibus recreata videbatur. Nimia enim Spenſeriorum, qua apud Regem florebant gratia, atque inviſa principibus potentia, quam cumulatis in dies novis opibus confirmarant, Hunfridum Herefordienſem & Thomam ducem Lancaſtriæ ad eam evertendam concitavit: contractis ii copiis Regem Eduardum, ut eos aula abigeret, adigere ſunt aggreſſi. Pervenerant aliqua ad S. Albani cœnobium agmina prædaſque agere cœperant; cum Deus in eorum ductorem ultionis exemplum ſtatuit: verſus enim in furias ſeipſum diſcerpſit, ac ſecundo a patrato flagitio die in oppido, cui Alysbury nomen, animam evomuit. Duces Londinum advolarunt cum excercitu, ac Regem, quamvis primum niſi ſecundum leges & jura acturum in Spenſerios pronuntiaſſet, ut ipſos cauſa non cognita mulctaret exilio compulere; paxque redintegrata. Sed ea parum tenuit: cum enim Bartholomæus e Baletſmere illius conjurationis particeps Reginam Iſabellam in ſuam arcem admittere detrectaſſet, judicatus hoſtis eſt, belliqne prioris flamma in incendium atrox erupit, quod in ſequentes annos graſſatum poſtea videbitur. Jam Gallicas res perſtringamus.

Sacrilegi militis ſupplicium.

Florebat placidiſſima pace Francorum regnum, atque in eum rerum ſtatum agitata toties Aſiaticæ expeditionis conſilia perducta erant (*e*), ut Philippus Rex firmum ſacri belli ſuſcipiendi animum gereret, ac profectionis diem Chriſti vicarius indicturus eſſet, totoque Chriſtiano orbe promulgaturus, ut cruceſignati ad portus maritimos confluerent; cum pia illa conſilia adverſa regis valetudo retardavit (*f*). Pontificem itaque exoravit (*g*) Philippus, ut indicendam expeditionem a S. Martini feſto ad recurrentem ſequenti anno purificatæ Virginis ſolemnitatem extraheret: ſed funeſta rei Chriſtianæ Regis mors ineunte ſequenti anno eadem conſilia diſſipavit. XLIV.

(*e*) *To.* 3. *p.* 1. *ep. ſecr. p.* 1. Francorum Rex morbo ab expedit. Aſiatica retardatur. (*f*) *Eod. p.* 1. (*g*) *Ib. p.* 14.

Dum illo recuperandæ Syriæ zelo fervebat Gallia, leproſi ac Judæi atroci veneficii crimine poſtulati (*h*) ſunt, ipſos nimirum ſubornatos a Saracenis Aſiaticis, & corruptos pretio, ut fontes ac puteos veneno ad fideles necandos inficerent: convicti ex iis nonnulli vario ſuppliciorum genere perempti ſunt; pulſi cæteri, ne fidelibus exitio eſſent: ſynagogæ vero Judæorum Chriſtiana religione conſecratæ, ut in iis divinæ laudes perſonarent. Certe in Venuſino comitatu Judæis Bidauda municipio ejectis, eorum ſynagogam, ſuperſtitionis odio, æquatam ſolo in ſacram ædem converſam Joannis juſſu, ſumptibuſque inſtauratum fuiſſe, literæ pontificiæ docent (*i*).

(*h*) *Vvalſ. in hiſt. Angl. Meyer. hiſt. Fland.* Judæi & leproſi veneficii in Chriſtianos convicti. Synagogæ Judæor. in eccleſias verſæ. (*i*) *An.* 5. *p.* 1. *ep.* 58.

In vicinis etiam provinciis (*k*) Amedeum Sabaudiæ comitem inter ac Guidonem delphinum Viennenſem, tum fœderatos horum proceres atrox diſſentio erat exorta, ex qua crebræ cædes, hoſtiles in agros excurſiones, rapinæ, populationes, cladeſque plurimæ fiebant: ad quæ ſopienda mala imperatæ a Pontifice induciæ (*l*). Quarum ſimiliter promulgandarum, ad ſedandos (*m*) Sabaudiæ

(*k*) *Ib. ep. cur.* 160. 161. (*l*) *Ib. ep.* 162. 163. (*m*) *An.* 6. *p.* 1. *ep. cur.* 11.

Indictæ inter Lud. Sabaudum & alios induciæ.

diæ motus, qui inter Ludovicum principem Sabaudiæ ſtirpis, & comites e S. Martino, & e Caſtro monte concitati erant, provinciam Bertrando tit. S. Marcelli A. S. L. demandavit (a), atque graviores pœnas obnitentibus intentavit: *In non ſervantes*, inquit, *treuguas ſeu violantes eaſdem, ad graviores ſpirituales & temporales pœnas tam apoſtolica quam imperiali auctoritate, quæ in nobis ad præſens pro eo reſidere dignoſcitur, quod imperium Romanum Imperatoris regimine caret ad præſens, prout expedire videris nihilominus proceſſurus, &c. Dat. Avin. kal. octobris anno VI.*

(a) *Reg. poſt eand. ep.*

Inde enata inter Regem Ungar. ac Venetos diſcordia.

XLV. Recrudeſcente etiam vetere contentione inter Carolum Ungariæ Regem ac Venetos de Jaderæ imperio, quæ a Joanne Superantio ad Venetam ditionem revocata (b) fuerat, ad eam ſopiendam Pontifex apud Regem auctoritatem adhibuit (c), ut rem æquitate componeret, hortatuſque eundem eſt evecti ad Strigonienſem ſedem Boleſlai occaſione, (d) ut eccleſias regni Ungarici, cujus limites glorioſiſſime protulerat, regiæ clientelæ commendaret; eique ob felices progreſſus fauſte hiſce verbis precatus eſt: (e) *Optamus, dilectiſſime fili, ut ſicut poteſtas ineffabilis Dei ſummi tua in regno mundi dilatavit culmina principatus, ſic tuæ laudabiles actiones te reddant in oculis ſuæ majeſtatis acceptum, per quas tibi in cœleſti patria corona ineffabilis gloriæ præparetur, &c.*

(b) *Append. chr. Andr. Dandal.*

Jadera ad Venetam ditionem a Jo. Superantio revocata.

Pontificis ſtudio compoſita.

(c) *To. 3. ep. ſecr. pag. 75.*

(d) *An. 6. p. 1. ep. 147.*

(e) *Reg. poſt eand. ep.*

Peruſinum gymnaſ. ſcolarum numero auctum.

Hoc anno amplificavit Pontifex Peruſinam academiam, quæ cum a Clemente V. inſtituta eſſet, atque in ea publicæ juris civilis & canonici ſcholæ apertæ; adiunxit Joannes (f) ut medica ars ac philoſophia in ea docerentur.

(f) *An. 5. p. 1. ep. com. 394.*

XLVI. Thomas Aquinas miraculis inclareſcit.

Efflореſcente Thomæ Aquinatis ſanctitatis gloria ob plura miracula ejus beneficio patrata; tum etiam Reginæ Siciliæ Caroli II. relictæ viduæ, ac filiorum principis Tarentini comitiſque Gravinenſis, atque Neapolitanæ academiæ precibus adductus, provinciam dederat Humberto Neapolitano archiepiſcopo & epiſcopo Viterbienſi ac magiſtro Pandulpho, ut de miraculis ac vitæ ſanctitate illius veritatem diligentiſſime indagarent, teſtiumque fide dignorum dicta in ſcriptum redacta ſedi Apoſtolicæ tranſmitterent: injunctoque ſibi munere archiepiſcopus & epiſcopus, Pandulpho abſente, perfuncti ſtrenue, quæ ab ipſis erant explorata ſuo munita chirographo Pontifici miſere. Qui ut majorem tantæ rei conſilii maturitatem afferret, Anagnino & Terracinenſi epiſcopis ac memorato Pandulpho novam hanc provinciam demandavit (g).

De eorum veritate inſtitutum examen.

*Cum ſuper ejuſdem miraculis, quæ ipſius meritis in monaſterio Foſſænovæ Ciſtercienſis ordinis Terracinenſis diœceſis, ubi corpus ejuſdem quieſcere dicitur, & in diverſis aliis locis, ſicut aſſeritur, dignatus eſt Dominus miſericorditer operari, quorundam teſtium, qui juxta dictarum literarum noſtrarum formam recepti per dictos archiepiſcopum & epiſcopum non fuerint, reſtet adhuc receptio & examinatio facienda; diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, de fratrum noſtrorum conſilio per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel duo veſtrum tam in dicto monaſterio Foſſænovæ quam in loco vel in locis aliis, ubi expedire videritis, de prædictis & aliis miraculis fratris Thomæ prædicti, quæ extra Romanam curiam ipſius meritis dignatus eſt, vel ex nunc pendente inquiſitione hujuſmodi dignabitur Dominus operari (non tamen de illis ſuper quibus per præfatos archiepiſcopum & epiſcopum ad receptionem & examinationem prædictorum teſtium noſcitur eſſe proceſſum prout per proceſſum ſuper hoc per eos habitum cujus copiam vobis fieri volumus, poteritis inſtrui) cæteriſque circumſtantiis, negotium hujuſmodi tangentibus, juxta formam, quam vobis ſub bulla noſtra tranſmittimus interclusam, inquiratis diligentius veritatem, &c. Dat. Avin. kal. junii anno V.*

(g) *An. 5. p. 2. ep. com. 1373.*

Aliorum teſtium dicta recognoſci, & explorari jubet Pontif.

Obiere ii adeo egregie demandatum ſibi munus, ac miracula omnibus inſtructa circumſtantiis ſanctiſſimo doctore apud Deum interceſſore patrata ſacro eccleſiæ ſenatui retulerunt, ut altero poſt anno ritu ſolemni ſanctorum cultus illi decretus fuerit, de quo iterum ſuo loco ſermo erit. Nunc præſentem annum felici alterius viri ſancti, Raynaldi ſcilicet Ravennatis archiepiſcopi, quem jam ante magno zelo divinam gloriam promovere, & clerum ſuæ provinciæ ad primævum ſanctitatis florem revocare conatum vidimus, exitu claudemus, adductis in medium verbis Ravennatium rerum ſcriptoris cultiſſimi, qui tanti archiepiſcopi mortem piam, atque edita ejus opera miracula deſcribit (h): *Anno*, inquit, MCCCXXI. *non abſque ingenti apud omnes ſanctitatis opinione, quintodecimo kal. ſeptembris tranquille decedens, in cœleſtem patriam evolavit omni vir laude merito cumulandus, qui cum magnarum rerum humanarum uſu tractationeque religionem & pietatis rerumque æternarum curam conjunctam perpetuo habuit. Sepultus eſt in monumento ex marmore in æde Urſiana: quod cum ſuperioribus annis Julius Feltrius ab Ruvere Cardinalis Ravennatum archiepiſcopus aperiri coram ſe mandaſſet, viri ſancti cadaver, ut ipſe mihi affirmavit Cardinalis, integrum ac pene recens promiſſa barba, ſtatura procera, ingenua forma, & ſpecie ad dignitatem appoſita inventum eſt.*

XLVII.

Raynaldus archiepiſc. Ravennas pie moritur.

(h) *Hie. Rub. hiſt. Rav. l. 6. & ex eod. Sur. to. VII. 18. aut Ferar. novo cath. SS. ead. die.*

Ejus corpus corruptionis expers inventum.



Patrata ejuſdem opera miracula.

*Ad ejus cadaver, cum adhuc in ſepulchrum illatum non eſſet, multa miracula, & inſequentibus etiam diebus & annis ſunt facta. Et ut reliqua omittam, Jacobus Benincaſa juriſconſultus Ravennas, cum deſperata omni ſalute & penitus deſtitutus acerrimis podagræ doloribus affligeretur, ſeque voto nuncupato diem Raynaldi feſtum quotannis ſolemniter celebraturum obligaſſet, poſtridie ejus diei doloribus & morbo ſolutus eſt: quod Joanni quoque Grado in gravi capitis oculorumque dolore, cum eſſet ad Raynaldi ſepulchrum profectus, ejuſque opem ſuppliciter imploraſſet, per idem tempus contigit. Ex agro item Ravennæ eo vico, cui Herboſæ nomen eſt, mulier Blonda vocata, cacodæmone ſupra quam dici poteſt agitata, a cognatiſque ſuis maxima vi ad Raynaldi ſepulcrum pertracta liberatur. Pari felicitate Thomaſina Petri Lambardani Ravennatis filia, ſacra virgo cœnobii D. Mariæ cognomento Padrielis, quod in Cenceda a mœnibus haud procul erat, nunc in ubem tranſlatum D. Stephani in olivis appellamus, membrorum omnium reſolutione languens, cum viri ſancti patrocinium invocaſſet, repente ſanitati reſtituitur, atque hæc pauca de multis, quæ in dies fiunt, collegiſſe ſat fuerit.*

XLVIII. Ravennæ etiam obiiſſe hoc anno refert (a) Joannes Villanus Dantem Aligerium nobilem Florentinum patria extorrem, literis humanioribus poeſi Italica & eloquentia clarum. Scripſit inter alia Latino ſermone librum de monarchia, in quo multa adverſus ſupremam Pontificis auctoritatem, quam in Romanum imperium ex ſingulari tranſlationis imperii jure tum in omnia orbis regna & imperia indirecte non ad temporarium lucrum, ſed ad ſalutem hominum accepit, multa garrire auſus eſt; injecitque occaſionem ut multi alii eo argumento ſcripſerint. Confutat ejus opinionem graviſſimis argumentis S. Antoninus (b) his verbis: *Vult probare, ſed male, ita monarchiam eſſe in imperio Romano & Rege Romanorum, quod nullam dependentiam habeat a Papa, ſed a ſolo Deo, niſi ſolum inpertinentibus ad forum animarum, non in temporalibus; & in hoc erravit, cum poteſtas imperialis & regimen ſubalternetur papali, ut minor majori: ſicut & luna, ſignans imperium, illuminatur a ſole, ſignante vicarium Chriſti, ut lumine majori: quod colligitur diſt.* XCVI. *cap. Duo ſunt; unde & utrumque gladium Papam habere frequenter diſputando concluditur ſecundum id, quod dixerunt Apoſtoli Chriſto: Ecce duo gladii hic. Quod etiam per experientiam monſtratum eſt: nam Papa Adrianus tranſtulit imperium de oriente in occidentem, Carolum magnum Regem Roman. inſtituens, quia eccleſiam liberavit & Italiam de manibus Longobardorum; Imperatore Græcorum nec ſe, nec eccleſiam juvare valente, ſed ad errores declinante. Deinde a Joanne Papa duodecimo vel Leone tranſlatum eſt a Francis in Theutonicos in primo Othone.* De Joanne XII. id demonſtrat ex veteribus monumentis Card. Baronius: (c) Leonem autem fuiſſe pſeudopontificem, cum Joanne non rite damnato atque ex hæretica nimirum hypotheſi, quod juriſdictio ob crimina amittatur a pſeudoſynodo creatus eſſet, pluribus illuſtrat. (d) Pergit S. Antoninus.

(a) *Jo. Vill. l. 9. c. 135.*

Dantis mors.

Scripſit de monarchia.

(b) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 5. §. 2.*

Refellit ejus opinionem S. Antoninus.

Tranſlatum a Jo. XXII. in Germanos imperium.

(c) *Baron. Ann. Chr. 962. n. 1. &c.*

(d) *An. 963. n. 29. ad 40.*

*Papa quoque deponit Imperatorem, & privat, & excommunicat, prout egit Innocentius I. Arcadium enim Imperatorem excommunicavit. Gregorius VII. Henricum III. Imperatorem excommunicavit, & imperio privavit. Papa etiam confirmat Imperatorem, ipſe coronat, ipſi Imperator fidelitatem jurat, diſt.* XIII. *Tibi. Quomodo iſti talia attentaſſent & prælati & ſancti homines iſta approbaſſent, ſi monarchia imperii non ſubeſſet Papæ, cum par in parem non habeat poteſtatem? Item Imperatores catholici in omnibus ſubmiſerunt ſe & leges ſuas eccleſiæ, ut Conſtantinus magnus, Theodoſius ſenior & junior, Juſtinianus, Juſtinus, Carolus magnus, Otho primus, Sigiſmundus; ſed multi, qui fuerunt peſſimi tyranni, & perſecutores eccleſiæ, non defenſores, & malorum morum toto conatu quæſierunt ſubiugare ſibi eccleſiam, & temporalia ejus auferre, & ad nihilum deducere, ut Julianus apoſtata, Conſtantius Arianus, Henricus tertius, quartus, quintus, & ſextus. Fridericus primus & ſecundus, Ludovicus Bavarus, & multi Græcorum Imperatorum. Aliqui prædictorum ſecuti ſunt hæreſes ſuorum patriarcharum, aliqui ex Latinis fuerunt cauſa ſchiſmatum: ſed Papa pro tempore exiſtens, ut verus monarcha & ſuper Imperatorem Romanum poteſtatem habens, excommunicavit eos & privavit; & demum tales cum ſumma confuſione exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt. In hoc ergo erravit Dantes, quem errorem magis diffuſe proſecutus eſt Ocham ordinis Minorum, quaſi ad nihilum deducens poteſtatem Papæ & prælatorum in dominio temporali. Quamobrem multi viri doctiſſimi tunc quæſtiones diſputarunt & libros ediderunt de poteſtate eccleſiaſtica.* At de his iterum inferius.

Cæſares Pontificum hoſtes infelices.

I.

(a) Jo. to. 3. ep. ſecr. p. 106. Jo. Vill. l. 9. c. 140. Ant. p. 3. tit. 21. c. 4. §. 11.

Divinæ in hoſtem eccleſiæ vindictæ exemplum.

Recinetum a Pont. exerc. crucesignato oppugnatum.

(b) To. 3. ep. ſecr. pag. 108.

Urbinates ad obſequium eccleſiæ redeunt.

STatuit divina juſtitia (a) anno Chriſti milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſecundo indictione quinta inſigne ſeveritatis ſuæ exemplum in improbos idololatras eccleſiæque hoſtes infenſiſſimos Fridericum e Monteferetro ac facinoris ſocios: ad quorum reprimendam impietatem Pontifex ſuperiore anno religioſam militiam, dato crucis ſymbolo, ac propoſitis indulgentiis indixerat, fideleſque ut fœdam peſtem e Chriſtiano orbe excinderent, concitarat. Promotæ jam erant Recinetum, ubi impuriſſimum idolum impiorum venerationi expoſitum vidimus, cruceſignatæ copiæ, cum Fridericus perduellium, dux ad tuendos Recinetenſes epiſcopi Aretini & Caſtrucii agmina ſubmiſit; parandiſque novis auxiliis intentus extorquere ab Urbinatibus duriora vectigalia eſt meditatus: quamobrem valde commoti cives, ejus tyrannidem excutere decernunt, redeunt (b) ad obſequium ſedis Apoſtolicæ, ac Fridericum ſeminudum, injecto collo laqueo mitiorem necem a conjuratis deprecantem, obtruncarunt. Is ſcelerati viri, qui ſe adverſus Chriſti vicarium ſuperbe efferre, atque ab idoli obſcœni venerationem proſternere non perhorruerat, exitus fuit; quem S. Antoninus hiſce verbis refert.

Fridericus comes Montisferetri miſericordiam fruſtra poſcit.

Trucidatur cum filio.

*Cum una dierum marchio, qui erat pro eccleſia, cum copiis ſuis Recanatum impugnaret, & tunc comes Fridericus, Urbini exiſtens, magnam taleam ſeu impoſitionem pecuniæ communitati indixiſſet, ut poſſet in ſuccurſum accedere cum ſtipendiariis epiſcopi Aretini & Caſtrutii Recanatum; Deo diſponente, in deteſtationem & judicium illius Friderici ſubito populus Urbinas tumultuans arma corripuit contra dictum Fridericum: qui improviſus ſe clauſit in arce civitatis, & a populo obſeſſus, videns ſe non poſſe defendere vel evadere, ſe populo tradidit miſericordiam poſtulans ab eo; & pro gratia poſtulans ſe decapitari, & non magis illudi & crudeliore morte damnari. Deſcendens ergo de arce ſimul cum filio, ſe ſpolians & funem in gutture habens, populo ſe obtulit miſericordiam clamans. At populus, irritatus contra eum, nulla miſericordia motus eſt: ſed ipſum interficiens cum filio, poſtea mortuum per terram traxerunt hinc inde, vituperia multa circa illum inferentes: & quia in excommunicatione mortuus, ideo ſepultura aſini ſepultus eſt, non eccleſiaſtica.*

(c) Ib. pag. 342.

Retulit Deo de profligato præpotentiis hoſte gloriam Pontifex, ut ex literis poſt aliquot menſes ad epiſcopum Ariminenſem datis (c) conſtat: *Felicis*, inquit, *triumphum victoriæ per noſtros & eccleſiæ Romanæ fideles contra tyrannum crudelem & perfidum Fridericum de Monteferetro, Dei & eccleſiæ perſecutorem impium & peſtifera hæreticæ pravitatis labe reſperſum, & nonnullos ſequaces ejuſdem dudum obtentæ divinitus; ac alia nonnulla geſta in illis & marchiæ Anconitanæ partibus per tuæ fraternitatis literas nobis miſſas, quas læta manu recepimus, & quæ continebantur in eis, pleno collegimus intellectu, nobis innoteſcere curaviſti, &c. Dat. Avin. kal. octob. ann. VII.*

Partam de Frid. victoriam Deo aſcribit Pont.

II.

Ejus major natu filius comprehenſus.

Non triſtia hæc reſponſa Fridericus a dæmone acceperat; cujus major natu filius Guido a paterno in eccleſiam odio non degener, qui plures in Piceno motus concitarat, ex Urbinatium manibus fuga lapſus, inſequente illum divina juſtitia, in fidiſſimi clientis eccleſiæ Cantis Gabrielis patritii Eugubini poteſtatem cecidit: a quo mox in vincula conjectus eſt. Qua de re certior a Cante factus Pontifex, Guidonem Amelio marchiæ præſidi tradi juſſit (d). Impoſitum (e) eſt aliis literis munus eidem Amelio abbati Toloſani monaſterii S. Saturnini Piceni præſidi, ut cum Guidonem Friderici filium alioſque rebellionis participes in ſua poteſtate obtinuiſſet, in eos ex legum præſcripto pronuntiaret. Sumptum de iis ſupplicium indicat S. Antoninus (f), dum exciſam Friderici ſtirpem, ſuperioribus ex ipſo allatis addit: *Duo*, inquit, *alii filii ejus, fugientes ex Urbino, Eugubii capti ſunt, & alter parvulus in Urbino; & ſic impletis iniquitatibus eorum de Montefeltro, qui ſemper fuerant rebelles & perſecutores eccleſiæ, exterminavit eos Deus de terra.*

(d) Eod. to. 3. ep. ſecr. pag. 106.

(e) Ibid.

(f) Ant. 3. p. tit. 21. c. 4. §. 11.

Friderici exciſa poſteritas.

III.

Recinetum exciſum.

(g) Jo. Vill. l. 9. c. 142. Anton. ubi ſup.

Exeruit ſe pariter divina in Recitenenſes, apud quos nefandum impurumque idolum excitatum fuerat, juſtitia: narrat enim Joannes Villanus (g) Piceni præſidem, cæſi apud Recinetum nepotis dolore percitum, urbem in favillas redigiſſe, ac mœnia funditus, objecta civibus idololatriæ infamia, diruiſſe: eam rem crudelitati verſam, cum Recitenenſes, cæſo Friderico ſponte ejectis præſidiariis ultro pontificio præſidi deditionem feciſſent: divinæ tamen ſententiæ, graviſſima illorum ſcelera ulciſcenti aſcriptam. Prona ad victoris obſequium reliqua fuere: Aſſiſinates ad deditionem compulſi, (h) eorumque propugnacula ſolo æquata; Auximates (i) in ea rerum converſione ad Pontificis imperium rediere, quamquam poſtea Lipacius paucis poſt menſibus Firmanorum armis Auximum eccleſiæ eripuit (k). Fanenſes (l) ad pontificias partes traducti, ex quorum diſſenſionibus occaſione ſumpta, cum Joannes Su-

Aſſiſium compulſum ad deditionem.

(h) Jo. Vill. l. 9. c. 138.

(i) Eod. l. 9. c. 141.

Auximates ad Pont. imperia revertuntur.

(k) Ib. c. 161.

Et Fanenſes.

(l) Eod. lib. c. 139.



Incuſſæ Venetis minæ.

(a) To. 3. ep. ſecr. pag. 144.

(b) Ib. p. 148.

perantius Venetorum dux eccleſiaſticæ ditionis jura affectaret, Pontifex cenſurarum religionem objecit Venetis, ac niſi male cœpta revocarent, in eos Reges principeſque ſe concitaturum, eſt comminatus (a). Ravennatem quidem agrum Venetos vaſtaſſe, occupaſſe Padi litora, damnaque alia graviora intuliſſe, queritur in aliis literis, XV. kal. aprilis exaratis, (b) ac ſignificat, ni navales copias Pado abducant, ſarciantque injuriam, datam Æmiliæ præſidi provinciam, ut apoſtolica & imperiali auctoritate in eos animadvertat.

IV.

(c) Jo. Vil. l. 9. c. 168.

Exortos tum Ravennæ graves ſeditionum motus, ſcribit Joannes Villanus, (c) ac Bernardini Polentani filios Hoſtaſium & Guidonem, excitis Malateſtæ auxiliis, concidiſſe gladiis in publica re gerenda collegam, eumdemque archipreſbyterum Ravennatem fratrem patruelem, jacentem in lecto, ad quem colloquii ſpecie inducti fuerant. Raynaldum ipſum vocat Hieronymus Rubeus (d) archiepiſcopum Ravennatem deſignatum. Excitatis tum etiam Bononiæ gravioribus tumultibus, Romæus Peppolus pulſus: (e) Viterbii Silveſter Gatto tyrannidem ſplendido protectoris titulo corripuit. (f) Cæterum ad diſcutiendas crebras populorum ſeditiones, frænandamque eorum ambitionem, qui eccleſiæ ditionem laniare, ac res ſuas in illius ruinis excitare affectabant, ſanxit Pontifex, (g) ne quis ſine pontificia auctoritate urbium ac municipiorum præfecturam quovis nomine coloratam corriperet, pœnaſque graviſſimas iis, qui tenderent contra, incuſſit.

(d) Rub. hiſt. Ravenn. l. 6.

Excitati tumultus Bononiæ.

(e) Jo. Vil. l. 8. c. 131.

(f) To. 3. ep. ſecr. 101. 102. 340.

Magiſtratus inconſulta ſede Ap. creari vetiti.

(g) Ib. pag. 331. 332. 336.

(h) An. 6. p. 1. ep. cur. 89.

Decrevit Pontifex in nonnullis Italiæ provinciis prælatorum electione e ſolo nutu Apoſt. ſedis robur habituras.

Ad conſtituendam etiam publicam pacem in nonnullis provinciis conſuetas præſulum electiones celebrari vetuit; ſed ab ſedis Apoſtolicæ nutu rem totam pendere ſubjecto diplomate juſſit, (h) ut qui ab ipſa crearentur, ſubditos in eccleſiæ obſequio ſtudioſe continerent.

*Joannes, &c. ad futuram rei memoriam.*

*In patriarchatu Aquilejenſi, nec non Mediolanenſi, Ravennate, Januenſi, & Piſana provinciis conſiſtentes eccleſiæ; quas & quæ frequenter, prout experientia docuit, retroacti & hucuſque continuata malitia temporis in earum proviſionibus variis noſcitur diſcriminibus ſubjeciſſe, noſtræ mentis obtutibus occurrere; ac propterea ſimilibus in poſterum obviare periculis: donec, favente Domino, ſublata procella temporis impacati, eiſdem eccleſiis & perſonis earum plena in eligendo ſecuritas miniſtretur, ſolicitis affectibus cupientes; proviſiones omnium patriarchalium, archiepiſcopalium, epiſcopalium, & aliarum quarumlibet eccleſiarum collegiatarum, necnon abbatiarum, monaſteriorum, prioratuum, & aliorum quorumcumque piorum locorum ſæcularium & regularium, exemptorum & non exemptorum, conſiſtentium in patriarchatu & provinciis ſupradictis, ad quas, vel ad quos, ſeu quæ prælati conſueverunt, ſeu debent per electionem aſſumi, nunc ubicumque vacantium, & quæ deinceps vacare contigerit, diſpoſitioni & ordinationi noſtræ & ſedis Apoſtolicæ de fratrum noſtrorum conſilio uſque ad ejuſdem ſedis beneplacitum de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine reſervamus, &c.* Prohibet, ne ulla canonicorum aut regularium aliorumve collegia ullos præſules inconſulta ſede Apoſtolica deſignare, poſtulare, vel ſibi præficere audeant: ac ſi in eam proruperint temeritatem, quæcumque geſſerint apoſtolica auctoritate reſcindit. *Dat. Avin.* III. *kal. auguſti anno* VI. Hæc licet ſanciret Joannes, Italicæ tamen factiones non compoſitæ ſunt, atque in ipſo pontificio principatu efferbuere.

Robertus Rex Sicil. a Florentinorum præfectura diſcedit.

(i) Jo. Vil. l. 9. c. 135.

Inter has ditionis eccleſiaſticæ ſeditiones præerat Urbi Robertus Rex, qui illius adminiſtrationem acceperat a Pontifice, ut ſeditioſorum conſilia regia auctoritate reprimeret: quem etiam octo annorum ſpatio & eo amplius publicam Florentinorum rem geſſiſſe, refert Joannes Villanus (i): hoc vero ineunte gubernacula Florentinis reſtituiſſe; ex quo apparuit, ipſum ad tyrannidem Italiæ, ut ſpargebant hoſtes, non aſpiraſſe: ſed delatam ſibi provinciarum adminiſtrationem eo conſilio in turbulentis rebus ſuſcepiſſe, ut iis pacatis pari illam integritate relinqueret. Creatus etiam fuerat a Pontifice imperii in Inſubria legatus, dum interregnum eſſet, ac magna utrique belli moles adverſus Vicecomites Mediolanenſes, qui id munus injuria ſibi arrogarant, incumbebat; jamque ſuperioribus annis adhibiti conatus ad nihilum reciderant. Tentata itaque a Pontifice hoc anno nova conſilia, atque iniiſſe cum Friderico Auſtriæ duce altero Rege Romanorum diſcordibus ſuffragiis electo, armorum fœdus, refert Joannes Villanus, (k) ut conjunctis copiis Matthæum Vicecomitem everteret. Concitarant (l) enim Joannem adverſus Matthæum non accepta modo invito ipſo Inſubriæ præfectura, oppugnatio Genuæ, Guelphorum & clientum eccleſiæ depreſſio; verum etiam intolerabilis cenſurarum eccleſiaſticarum contemptus, cleri oppreſſio, infanda populorum ſervitus, dira immanitas, obſcuratus religionis ſplendor, propagatio hæreſeos, qua etiam Matthæum contaminatum eſſe non levibus argumentis ferebatur. Quæ atrocia flagitia Pontifex in literis ad Theodorum marchionem Montisferrati deſcribit, illumque ad vires ſuas in tyrannum impium cum aliis jungendas adhortatur.

Ejus bella in Vicecomites, contra quos imperii vicarius erat creatus a Pont.

Fœdus initum a Pont. cum Auſtriaco in Matth. Vic.

(k) Io. Vil. l. 9. c. 143. Ant. 3. p. tit. 21. c. 4. §. 13.

(l) To. 3. ep. ſecr. p. 156.

Jo-

*Joannes, &c. Theodoro marchioni Montisferrati.*

VI. Matthæi vicecom. impietatem in lucem colloeat.

*Quia prælati, per dura gravamina & violentias multiplices ac preſſuras, quibus eos idem Matthæus inceſſanter affligit, proh dolor! impediti perſonas eccleſiaſticas ſuarum civitatum & diœceſeon nequeunt viſitare, ſubditos corrigere, illis proponere verbum Dei, & ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrare, aliaque agere, quæ ipſis ex officii debito paſtoralis incumbunt; in illis partibus hæreſes pullulant, ſchiſmata creſcunt, a cultu divino receditur, fidelium animæ perditioni ſæpius exponuntur, periclitantur corpora, ſcandala ſuſcitantur, & auſus aliis malis panditur innumeris, quorum eſt ipſe cauſa præcipua, perpetrandis; propter quæ nec non & alia, quæ frequenter idem Matthæus pollutis labiis proferre non metuit, & agere ſceleſtis actibus non formidat, graviter nec immerito ſuſpectus habetur de labe peſtifera hæreticæ pravitatis: qui, ſicut infamia clamat publica contra eum, carnis reſurrectionem denegat impudenter, vel ſuper illa mortiferæ dubietatis ſcrupulum ſecum defert in animo ſceleratus.*

Hæreſi contaminatum eſſe.

*Nec a tua notitia credimus alienum, qualiter ipſe peſtilens ejuſdem eccleſiæ perſecutor, ut ſolus in dicta provincia, cultu nequiter extirpato divino, velut idolum deſolationis abominabilis adoretur; provinciam ipſam ſui conatus peſte conturbans, ac mittens in exilium pacem ejus, populum Domini rabida vexatione dilacerat, & hereditatem ejus diræ peſtis laniat feritate; ſeque reddit, ac ſi non videret Dominus mala ejus, & opera illius non intelligeret Deus Jacob, in cæteris pravitatis exactionibus truculentum: ex quibus, præter diverſas excommunicationis ſententias contra tales a canone latas, quas incurriſſe dignoſcitur, nos eum a ſacro ipſius eccleſiæ corpore velut membrum putridum mucrone duximus anathematis præcidendum, tradentes eum ſathanæ in interitu carnis, ut ſpiritus ejus in die Domini ſalvus fiat; aliiſque diverſis contra eum per noſtros proceſſus ſpiritualibus & temporalibus pœnis & ſententiis promulgatis. Verum idem Matthæus, nequaquam propter hoc incircumciſi cordis cervicem humilians, ſed potius elationis ſuæ currum aſcendens, ſic in ſævitiæ acerbitatem obriguit, quod virtutem divinam contemnit, humanam parvipendit potentiam; & a malignitate ſolita non quieſcit; quin potius in diverſoria mortis, cum ſuarum ſint ulcera indurata culparum, corruerit & irreverenti animo & infrunito, contemnens penitus & deſperans, inceſſanter prioribus deteriora committit.*

Ipſum populos tyrannide laniare.

Cenſuras eccleſiaſticas habere ludibrio. Deum homineſque contemnere.

*Nos igitur conſiderantes attentius, quod eo fortiore reſiſtentia eſt intentio ſui nequiſſimi elidenda propoſiti, eoque potentius ſuis pravis affectibus contrariis affectibus obviandum, quo ipſe peſtilens æmulus humanæ ſalutis & pacis in fidelium intendit pectoribus cultum catholicæ fidei, ſine qua nemo unquam Deum videre poterit, depravare; quodque graviter ex præmiſſis, quod mœſti referimus, impeditur negotium terræ ſanctæ, nobiſque ad promovendum illud ſubtrahitur opportuna facultas; & nihilominus in debitæ recenſionis * adducto, quod clara tuæ devotionis credibilia teſtimonia te catholicæ fidei & eccleſiaſticæ libertatis zelatorem fervidum repræſentant, propterea in ſinu ejuſdem matris eccleſiæ indubitata fiducia conſervatur, qua pro certo confidit, quod ei tua inſtanti opportunitate ſuffragia non deerunt, nec potentiæ tuæ manum ab ejus auxilio continebis. Dat. Avin. II. non. februarii anno VI.*

Ipſius ſcelere expeditionem in Saracenos retardari.

* arcanum

VII. Sacrum illi, dato fidelibus crucis ſymbolo, bellum indicit.

Dum vero Theodorum marchionem ac Fridericum Auſtriacum in Matthæum commovebat Pontifex, aliaque parabat auxilia, cenſuras eccleſiaſticas in eum latas a Bertrando Card. Apoſtolicæ ſedis legato divulgari, atque etiam religioſam militiam dato crucis ſymbolo indici juſſit (*a*): quibus literis X. Kal. februarias hujus anni dies aſcripta eſt. Spernentem vero has cenſuras Matthæum Vicecomitem Aycardus Mediolanenſis archiepiſcopus, ac fidei cenſores judicio hæreſeos damnarunt, cujus ingentia ſcelera cumulata recentibus attulere (*b*): *Præfatus inſuper Matthæus*, inquiunt, *tot & tantis nefandis ſceleribus & exceſſibus horridis involutus exorbitans a fidei catholicæ veritate, verum lumen non videns, de ſacramentis male ſentiens ac clavium & eccleſiæ poteſtatem ipſaſque contemptibiliter vilipendens, diutius ſuſtinuit plures excommunicationum ſententias latas in ipſum, tam ab homine quam a jure; ac interdictum eccleſiaſticum, cui præfata civitas Mediolanenſis, ipſius Matthæi exigentibus culpis, ſuppoſita fore dignoſcitur, fecit multoties violari, laicorum corpora defunctorum in eccleſiis, & cœmeteriis pulſatis campanis, miniſtris ipſarum invitis & renitentibus, faciens ſepeliri; id idem fieri faciens in terris & locis, quæ per filios ſuos detinet occupata, ſimili ſuppoſitis interdicto. Præterea Zacharinam filiam ſuam, quæ ipſo præſente cum Richardino de Languſio in eccleſiæ facie publice per verba contraxerat de præſenti, nulla divortii ſententia præcedente, alteri de facto, dicto Richardino vivente, matrimonialiter copulare præſumpſit.* Pergunt vertere crimini Matthæo, ipſum prælatorum ſynodos religioſorumque cœtus celebrari, ſacraſve haberi conciones vetuiſſe, neque ob illius tyrannidem immanem ſacramenta rite porrigi, aut vitia corripi, vel hæreſes excindi potuiſſe; hæreticorum ſocietate ſe inquinaſſe, eoſque ſibi in fidiſſimos adminiſtros aſciviſſe. Denique addunt dæmonum commercio uſum eſſe.

(*a*) *Ib. p.* 155.

Cenſores fidei in Matthæum ſententiam ferunt.

(*b*) *Ext. in MS.*

Objecta illi ſcelera.





Ut dæmoni eſſet addictus.

*Dæmones præterea, quorum eſt ſervus effectus, & cum quibus confœderationem feciſſe videtur, deſperatus de divina potentia multoties execrabiliter invocavit, & quæſivit ab eis reſponſiones & conſilia in agendis. Reſurrectionem quoque corporum humanorum, quam fides catholica docet, & ſancta Romana eccleſia profitetur & tenet, impie negat, devians a fidei veritate, &c.* Aggerunt alia crimina illum incuſſum anathema a Pontifice triennio ſpreviſſe, poſtulatumque ob id judicio hæreſeos comparere recuſaſſe, ac de contumacia damnatum novoque defixum anathemate in pertinacia veteri obduruiſſe; ob quæ archiepiſcopus ac fidei cenſores in ipſum ut hæreticum ferunt ſententiam, ejus bona addicunt fiſco, honoribus evertunt, notantque infamia, quam poſteris & filiis inurunt: *Lecta, lata, & in ſcriptis pronuntiata fuit ſententia ſupradicta per religioſum virum fratrem Barnabam priorem provincialem prædictum pro tribunali ſedentem vice ſua & reverendi patris domini archiepiſcopi Paxii & Honeſti & Jordani inquiſitorum prædictorum, etiam pro tribunali ſedentium in eccleſia S. Mariæ de Valentia Papienſis diœceſis, anno a nativitate Dom. MCCCXXII. indictione V. die XIV. menſis martii.*

Quæſierit illius reſponſa.

Inflictæ eid. Matthæo pœnæ.

VIII. Galeatius & Marcus ejus filii cenſuris devincti.

Intentatus etiam gravium pœnarum terror Galeatio & Marco Matthæi filiis, (*a*) bello quidem ſtrenuis, ſed impietate non diſparibus, atque aliis omnibus earum partium ſtudioſis; quos etiam retardatæ Aſiaticæ expeditionis crimine, cum arma ad frangendam eorum pertinaciam diſtraherentur, quæ adverſus Saracenos, rem Chriſtianam in oriente peſſumdantes (de quibus agetur poſtea) vertenda fuiſſent, poſtulabat Joan. (*b*) Addita (*c*) ſunt minis arma, hinc in eum Pontificis & Roberti Regis copiæ, inde Florentini, Bononienſes, Senenſes, aliique Guelphi fœderati conſurrexere. (*d*) Parte alia Aquilejenſis patriarcha denſis agminibus ſtipatus, atque Henricus Friderici Regis Romanorum deſignati frater cum equitatu gravioris armaturæ, aliaque cruceſignatorum multitudine ſigna extulere. Extant de tranſmiſſo in Italiam Henrico ad augendas pontificias partes Friderici ſuffragiis diſcordibus electi Cæſaris literæ (*e*) ad Pontificem, ſubjectis conceptæ verbis.

(*a*) *Eod. to. 3. ep. ſecr. pag.* 155.

(*b*) *Ibid.*

(*c*) *Ib.* 157. 158.

(*d*) *Ib. p.* 186.

Henricus Friderici Auſtr. frater in Matthæum arma vertit. Excipitur a Brixianis.

(*e*) *Extant in rotulo pergam. ſignato n. 6. ex arch. Avinion. in Vatic. delato.*

*Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino ſuo domino Joanni ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici Fridericus, Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, cum filiali recommendatione devota pedum oſcula beatorum.*

*Qualiter inducti excellentis & magnifici principis domini Roberti Jeruſalem & Siciliæ Regis conſanguinei & affinis noſtri chariſſimi conſilio ad ſanctæ matris eccleſiæ honorem veſtræque beneplacitum ſanctitatis, cujus pergrata pluries nobis facta beneficia non ingrati recognoſcimus, quinimmo a noſtra indivulſa memoria ut devotiſſimus ſanctitatis veſtræ filius retinemus tenaciter, illuſtrem Henricum ducem Auſtriæ & Stiriæ principem & fratrem noſtrum chariſſimum, cujus perſonam non minus quam propriam æſtimamus, cam valida militiæ & armatorum multitudine verſus Lombardiam pro gubernatione hominum & terræ Brixiæ deſtinaverimus ſumptuoſe, terrores & incurſus hoſtiles potentum noſtrorum in Alemannia adverſariorum nobis continue inſidiantium eo prætextu excutientes, ut voluntati veſtræ clementiæ reddamur conformes, vicem acceptorum ab ipſa beneficiorum aliqualiter rependendo; qualiter etiam univerſa, quæ erga nos aguntur negotia diſponantur, in quibuſve articulis pro ſtatus & honoris noſtri ac illuſtrium fratrum noſtrorum augmento veſtræ ſanctitatis gratiam neceſſario requirendam habemus, religioſum virum fratrem Conradum abbatem monaſterii in Salem ordinis Ciſtercienſis confeſſorem noſtrum, nec non viros ſtrenuos Joannem dapiferum de Diezſenhouent regalis & Herbdorum de Symonig reginalis curiarum magiſtros, ſecretarios & fideles noſtros dilectos pleniſſime tanquam mentis noſtræ imaginarios, de præmiſſis omnibus informatos ſanctitati veſtræ benigniſſime decrevimus deſtinandos ipſi humiliter ſub confidentia non modica ſupplicantes, quatenus ſolita bonitate paterna eiſdem noſtris ſecretariis pium & credulum tanquam nobis in noſtrarum legationum & petitionum articulis auditum præbeat, & petita clementer exaudiat & admittat, nobis cum eorundem nuntiorum expeditione celeri ſperatarum conſuetæ benignitatis gratiarum beneficia pro neceſſitatis noſtræ exigentia adeo clementer & favorabiliter impendendo, quod ipſius beneplacitis & honoribus, quorum ampliationi nativa bonitate innitimur, eo aptius & potentius queamus intendere, eamdemque bonam noſtram intentionem effectuoſo opere exercere. Datum apud Offemburg. VIII. kal. junii regni noſtri anno VIII.*

Friderici electi Regis Romanorum ad Joannem Papam literæ.

De Henrico Auſtriaco miſſo in Inſubriam.

Et miſſis ad ſedem Apoſt. oratoribus.

Exceptus Henricus eſt a Brixianis (*f*), ad quos Pontificiæ extant literæ, (*g*) ut una cum ipſo ac Roberto Rege & Guelphis fœdus coirent adverſus Matthæum Vicecomitem, quem vocat *hæreticum peſtilentem & perfidum, Dei & eccleſiæ ſuæ adverſarium & hoſtem impium ac ſeverum.*

(*f*) *Jo. Vill. l. 9. c.* 143.

(*g*) *To. 3. ep. ſecr. p.* 186.

IX. Matthæus hoſtibus impar confugit ad dolos.

At Matthæus Vicecomes cum Henrici potentiam formidaret, ipſum ſuis fraudibus mox irretire cœpit. Ad quas diſcutiendas Joannes Henricum his verbis

(a) Ib. ep. ſecr. p. 186.

Henricum admonet Pont. ne ab eo illaqueari ſe ſinat.

commonuit (a): *Fili, non abſque admiratione ad noſtram audientiam ſubſequenter deduxit relatio fide digna, quod tu ad Matthæum prædictum tuos, & ad te ipſe ſuos, & demum tuos & ſuos ad electum prædictum*, nimirum Fridericum Regem Romanorum, *duxeratis nuntios deſtinandos. Et quia, fili, malitia & fraudes illius hæretici nos non latent, veremur quod cum ſua aſtutia te decipiat, teque a tuo propoſito deviet, ut vel tempus labatur inutiliter, vel ad ſuam fovendam malitiam te ſatagat inclinare. Verum quia tam electum prædictum, quam te brachiis complectimur charitatis, & intendimus proſequi quantum cum Deo poterimus, gratioſe; nobilitatem tuam duximus exhortandam, ut in ſcrutinio rectæ conſiderationis adducto, quod ſi, quod abſit, Matthæo prædicto annueres, divinam offenderes majeſtatem, quantum cor noſtrum graviter ſauciares, quantumque matrem tuam ſacroſanctam eccleſiam contra te merito irritares; tractatus hæretici prædicti reſpuens, quæ profecto veneno non carent, manum mittas ad fortia, ea quæ cœpiſti laudabiliter proſequendo, &c. Dat. Avin. IX. kal. junii anno VI.* [1].

X.

Nil profuere pontificia apud Henricum ducem monita, ac tantum belli apparatum, ſub cujus gravitate neceſſe erat ut Matthæus ſuccumberet, diſſolvi contigit (b): pugnandum enim dolo ratus Vicecomes oratores ad Fridericum Auſtriacum miſit, blande expoſituros, ſe imperii cauſam ſuſtinere, atque ob illius defenſam dignitatem bello, peti; ac ſi Robertus Rex Inſubria potiretur, Germanos Cæſares Italiæ aditu & imperio excludendos. His permotus Fridericus pontificium fœdus damnavit, fratremque au-

(b) Jo. Vill. l. 9. c. 144.

Friderici Auſtriaci perfidia in Pontificem.

cupata rixandi occaſione redire juſſit: neque ea longius quæſita eſt, Brixianorum enim præfecturam ſibi committi popoſcit Henricus, ac petitis fruſtratus, cum cives juſſu apoſtolico ob interregnum Roberto proregi cæſareo fidem adſtrinxiſſent, in Roberti Regis compendium ſe pugnaturum negavit, Germaniamque repetiit (c). Nec diu proditæ pontificiæ cauſæ crimen cum fratre impune tulit: prælio enim utrumque victum, captumque a Ludovico Bavaro, inferius videbimus. Inter hos tumultus exeunte junio Matthæus Vicecomes nonagenario major in hæreſi, ut tulit fama, obiit (d); ac major natu filius Galeatius Præfectus Placentinus armorum terrore Mediolanenſes coegit, ut ipſum Mediolani ducem ad annum renuntiarent. Verum ii mox Galeatii jugum, ipſo ejecto, excuſſere (e). Quo accepto nuntio Pontifex, ut ipſos ad obſequium pelliceret: latas in eos cenſuras a Card. legato diſſolvi juſſit (f).

Henricus frater muneribus ab hoſte donatus abſcedit.

(c) Id. ib.

Uterque juſtas proditionis in Pont. pœnas luit.

Matthæus impie moritur.

(d) Eod. lib. 9. c. 155.

Galeacius Mediolanenſium ducem ſe dicit.

(e) Eod. l. c. 180.

Ab ipſis eiicitur.

(f) To. 3. ep. ſecr. pag. 365.

Gaudet Pont. Mediolanenſes hoſtis eccleſiæ jugum excuſſiſſe.

*Bertrando tit. S. Marcelli Apoſtolicæ ſedis legato.*

*Venerunt nobis in exultationis augmentum rumores placidi, nuntiantes quod commune & populus Mediolan. jugo tyrannicæ ſervitutis, quo ſub crudeli tyranno, hoſte Dei & eccleſiæ manifeſto Galeatio, damnati hæretici quondam Matthæi de Vicecomitibus filio, ac paternæ nequitiæ ſucceſſore, & vehementer de hæretica pravitate ſuſpecto, qui Mediolanenſis civitatis regimen indebite uſurparat, affligebantur immaniter, ſicut & per dicti hæretici tyrannidem afflicti fuerant diutius; a ſe rejecto totaliter & excuſſo, veritatis ſpiritum aſſumentes, ad noſtram & eccleſiæ Roman. devotionem & obedienti-*

NOTÆ [1] HEnrici fratris Friderici Auſtriæ Ducis, & Regis Romanorum reditum in Germaniam in menſem Martium anni hujus refert hiſtoria Cortuſiorum; ſed erraſſe authores illos vel potius textum ejus hiſtoriæ corruptum eſſe plane conſtat ex literis a Joanne Pontifice ad illum datis die IX. Kal. Junii hujus anni legendis in Annalibus hic, quibus diſceſſum ejus nondum reſciſſe ſe Pontifex ſignificat. Igitur pro Martio legendum eſt in textu Majo, quam lectionem ex Codice Extenſi exhibet Muratorius, Rer. Italic. to. XII. Eodem majo menſe diſceſſiſſe Henricum notat author coævus Chronici Regienſis Rer. Italic. to. XVII. qui & monet Henricum veniſſe Brixiam die X. Aprilis hujus anni. Diſceſſiſſe die XXII. ejuſdem menſis diſcimus ex alia lectione ejuſdem hiſtoriæ ex Codicibus Ambroſiano, & Comitis Collecti apud eundem.

Cæterum ut ſuis apte temporibus omnia diſtinguantur ex æqualibus horum temporibus Hiſtoricis Italis ſingulis, quæ hic in Annalibus traduntur ſua tempora accomodanda ſunt. Matthæus Vicecomes die XXVI. Junii deceſſit, teſte hujus ætatis Scriptore Galvanco Flamma in manipulo Florum cap. CCCLXI. ſed illo antiquior Chroniſta Anteſis obitum hunc refert in diem XXIV. Junii, qui & notat obiiſſe *inſcio caſu; nec quiſquam ſcit ubi ſepultut fuerit, quia Eccleſia noluit eum recipere.* Utrumque Authorem habes Rer. Italic. to. XI. Urbis Mediolanenſis dominium ſtatim invaſit Galeatius Vicecomes ejus filius, qui tamen die VIII. Novembris feria ſecunda factione Civium optantium *ab excommunicatione liberari* ait Chroniſta Aſtenſis, expulſus fuit. Non diu poſt, die nempe XI. Decembris, adverſæ factionis ſtudiis rediit, teſte authore Chronici Regienſis Novembri vero menſe die XXV. Placentini urbem ſuam legato Pontificis dediderunt ex eodem Regienſi Chroniſta. In poſtrema tamen hac temporis deſignatione erraſſe illum non dubito, cum die IX. Novembris id contigiſſe notet Author Chronici Aſtenſis Cap. CIX. et Chroniſta Parmenſis æqualis vulgatus Rer. Italic. to. XII. ac Joannes Villani lib. IX. cap. CLXXIX. ſcribat Placentinam defectionem Mediolanenſem præceſſiſſe. MANSI



*am, a qua deviarant, per devia & errores curendo præcipites, utentes ſaniori conſilio redierunt, intendentes nobis & eidem eccleſiæ, ad quos imperii regimen ipſo vacante ſicut & nunc vacare dignoſcitur, pertinet obedire fideliter & parere noſtris & ipſius eccleſiæ beneplacitis & mandatis.*

Cenſuras quibus erant defixi, ſolvit.

*Nos autem, ſi in hujuſmodi laudabili propoſito ſtabiliter perſeverent, cum ipſis volentes agere gratioſe, diſcretioni tuæ, ut per te vel per alium ſeu alios interdictum ſeu interdicta, cui ſeu quibus per nos vel per te ex quibuſcumque cauſis fuerint dicti civitas & clerus ejuſdem ſubjecti, ſuſpendere valeas, ſicut videris expedire, plenam concedimus auctoritate præſentium facultatem.* Extant plures aliæ ad eundem legatum literæ, quibus ipſi diſſolvendarum plurium pœnarum, quæ in Mediolanenſes erant vibratæ, auctoritas collata eſt; tum ut clericos, qui divina miſteria contra interdicti eccleſiaſtici leges celebrarant, abſolveret. *Dat. Avin. XII. kal. decembris anno VII.*

XI.

Exorta Mediolani nova factio Galeatium revocat.

Dum Mediolanenſes effuſa lætitiæ ſignificatione de recuperata libertate exultabant, agebantque de concordiæ legibus cum legato, Galeatii factio incautos oppreſſit: corruptis enim auro Germanis ſtipendiariis, qui Galeatium Mediolano pepulerant, ipſum Lauda evocatum noctu in urbem admiſit (a). Ejecti mox viri nobiles, ac populus, exeunte decembri, dominatum urbis in Galeatium triſti rerum converſione transfudit. Excitatos porro fuiſſe Mediolanenſes ad res novandas Placentinorum exemplo, qui Azone Galearii filio pulſo, ſe in libertatem & eccleſiæ obſequium auctore Obizone e Lando Veruſio (ad quem gratulatoriæ de liberata (b) Placentia deque profligatis (c) poſtea Mediolanenſium copiis extant literæ) vindicarant, refert Joannes Villanus (d): quo etiam exemplo uſus eſt Pontifex (e), ut Parmenſes ad excutiendam Galeatii ſervitutem concitaret, qui brevi tyranni jugum, deſpecto ejus terrore, e ſuis cervicibus depulerunt (f); qua de re extant publica hæc documenta (g).

(a) Jo. Vill. l. 9. c. 183.

(b) To. 3. ep. ſecr. p. 343.

(c) Ib. pag. 354.

(d) Jo. Vill. l. 9. c. 177.

(e) To. 3. ep. ſecr. p. 349.

Pont. Parmenſes ad excutiendum Galeacii jugum ſollicitat.

Deiiciunt illud Parmenſes.

XIII.

(f) Ib. pag. 353.

(g) Ext. in arc. S. Ang. & MS. Vat. arch. Plat. inter Coll. edita juſſu Sixt. IV. tom. 1. p. 382. & MS. Vall. ſig. lit. B. n. 12. p. 52.

*In Chriſti nomine. Amen. Anno ejuſdem a nativitate MCCCXXII. indictione VI. Pontificatus ſanctiſſimi patris domini Joannis Papæ XXII. anno VII. die tertia decembris, convocato & congregato conſilio univerſitatis & hominum civitatis Parmenſis voce præconia & ſono campanæ, ut moris eſt, in palatio veteri communis Parmenſis ad infraſcripta ſpecialiter facienda, nobiles viri domini Maffeus de Summo poteſtas, Joannes domini Nicolai capitaneus, abbas antianorum & cæteri antiani communis & populi civitatis Parmenſis, ac prædictum conſilium unanimiter & concorditer, nemine diſcrepante, fecerunt, conſtituerunt, & ordinaverunt, ſicut de jure & facto melius & efficacius potuerunt, diſcretum virum magiſtrum Bartholinum de Ferreris beneficiatum eccleſiæ S. Hilarii de valle Baganziæ Parmenſis diœceſis, licet abſentem, tanquam præſentem, ſuum & cujuſque eorum & dictæ civitatis & univerſitatis ſyndicum & nuncium ſpecialem ad comparendum pro eis, & eorum ac omnium & ſingularum perſonarum civitatis & diſtrictus Parmenſis nomine coram reverendo in Chriſto patre domino Bertrando, Dei gratia, tit. S. Marcelli presbytero Cardinale Apoſtolicæ ſedis legato, vel ejus delegato; & ad jurandum in animas prædictorum & cujuſlibet eorum, & promittendum de parendo mandatis eccleſiæ, atque ipſius domini legati, vel ejus delegati; & quod ipſi de cætero Galeatio de Vicecomitibus de Mediolano, aut fratribus, vel ſequacibus ſuis, vel aliquibus eccleſiæ Romanæ rebellibus nullatenus adhærebunt; nec conſilium, auxilium vel favorem præſtabunt, ſibique in nullo parebunt, vel intendent. Item ad confitendum, recognoſcendum, & aſſerendum realiter & cum effectu regimen civitatis & diſtrictus Parmenſis, vacante Romano imperio, ſicut nunc vacare dignoſcitur, ad dominum noſtrum ſummum Pontificem & Romanam eccleſiam pertinere; & quod ipſum regimen & rectores ipſius recipient & tenebunt deinceps nomine præfati domini noſtri ſummi Pontificis & Rom. eccleſiæ ſupradictæ, quamdiu & quotieſcumque vacabit imperium ſupradictum, ſicut reciperent & tenerent ab Imperatore, ſi dictum imperium non vacaret; & ad petendum, impetrandum, obtinendum ab eodem domino legato, vel ejus delegato abſolutionem & relaxationem ſententiæ interdicti dudum latæ & promulgatæ in univerſitatem & communitatem civitatis Parmenſis, ac civitatem eamdem; ipſiuſque civitatis, communitatis & univerſitatis terras, caſtra, & loca per ſanctiſſimum patrem & dominum noſtrum dominum Joannem Papam XXII. & cui interdicto inpræſentiarum ſubiacent, ex eo quod auxilium, conſilium, & favorem præſtitiſſe dicuntur damnatæ memoriæ Matthæo Vicecomiti de Mediolano, dum viveret, ejuſque filiis & ſequacibus; & a quacumque alia ſententia interdicti, vel excommunicationis lata per dictum dominum noſtrum ſummum Pontificem, vel alium quemcumque ejus auctoritate in dictam civitatem & univerſitatem & ejus communitatem & diſtrictum ſeu ſingulares perſonas ipſarum; & ad ſubeundum & conſentiendum cuicumque præcepto & mandato, quod idem dominus legatus vel ejus delegatus eiſdem & cuilibet ipſorum facere & imponere voluerint; & ad obligandum pro prædictis, & quolibet prædictorum fiendis, ſervandis, & adimplendis,*

*ipſos & eorum quemlibet, communitatem & univerſitatem ipſius civitatis Parmenſis, & ipſam civitatem & ejus diſtrictum, ac eorum & cujuslibet eorum bona & jura præſentia & futura; & generaliter ad omnia & ſingula faciendum, & promittendum, quæ ipſi domino legato vel ejus delegato placuerint, et opportuna ac utilia videbuntur; ratum & gratum ſe perpetuo promittentes habere, obſervare, & adimplere quicquid per dictum eorum ſyndicum & cum eo factum & promiſſum fuerit in prædictis & quolibet prædictorum ſub hypotheca & obligatione omnium ſuorum & prædictarum civitatis, communitatis, & univerſitatis bonorum & jurium, præſentium & futurorum. Actum Parmæ, &c.* Certior jam ante factus Cardinalis legatus Parmenſes ad officium reverſos, Ugolino Rubeæ ſtirpis provinciam ſolvendarum cenſurarum contulerat (*a*) kal. decem. cujus literarum præcipua pars his verbis concepta eſt (*b*).

(*a*) *Lib. priv. Rom. Eccl. to. 1. p. 373.*

(*b*) *Ext. in lib. privil. Rom. eccl. tom. 1. pag. 373.*

*Bertrandus miſeratione divina tit. S. Marcelli presbyter Cardinalis A. S. L. diſcreto viro Ugolino de Rubeis canonico Parmenſi capellano noſtro ſalutem in Domino.*

Ut Parmenſes Vicecomitibus ſe conjunxerint.

*Cum præfati* nimirum Parmenſes *poteſtas, capitaneus, univerſitas, & commune, peiora prioribus cumulantes; & non attendentes, quod ad dominum Papam & eccleſiam Romanam regimen civitatis prædictæ, ſicut & aliarum terrarum imperii, debent ipſo vacante imperio (ſicut nunc vacare dignoſcitur) pertinere, ſed illud facto potius denegantes, ſtipendiarios ſuos in auxilium præfati Matthæi & filiorum ejus contra dictam Romanam eccleſiam, & ad impugnandum gentes, & exercitum dictæ eccleſiæ jura proſequentem ipſius imperii, tranſmiſiſſent apud Baſſignanam, ubi exercitui prædicto multa damna gravia intulerunt; noſque propterea contra ipſos procedere ad graviora vellemus, per ambaxiatores civitatis ejuſdem ad nos propterea venientes accepimus, quod civitas ſupradicta Parmenſis & cives ipſius ad cor redeuntes, & ſuum recognoſcentes errorem, ſeque in præmiſſis graviter deliquiſſe, redire diſponunt ad obedientiam & devotionem eccleſiæ ſupradictæ, & a favore dictorum hoſtium totaliter abſtinere.*

Deinde jugum eorum excutere ſint meditati.

*Quamobrem volentes cum civitate & civibus ipſi agere gratioſe, diſcretioni tuæ auctoritate apoſtolica, nobis ſpecialiter in hac parte commiſſa, præſentium tenore committimus & mandamus, quatenus ſi tibi conſliterit ita eſſe, videlicet quod dicta civitas & univerſitas ipſius ſe omnino & cum effectu ſubtraxerint a ſequela, favore, & adhæſione Galeatii, fratrum, & ſequacium ipſius, ſibique in nullo pareant & intendant, nec dent auxilium, conſilium, vel favorem, ac realiter & cum effectu recognoſcant regimen civitatis & diſtrictus ejuſdem, vacante Romano imperio (ſicut nunc, ut prædicitur, vacare dignoſcitur) ad Romanam eandem eccleſiam pertinere; & quod ipſum regimen, & rectores ipſius recipiant & teneant nomine ſupradictæ eccleſiæ, quamdiu, & quotieſcunque vacabit imperium ſupradictum, ſicut reciperent & tenerent ab Imperatore, ſi dictum imperium non vacaret, recepta a majoribus univerſitatis ejuſdem eis videlicet, per quos civitas & univerſitas ipſa regitur, quod de cætero, præfato Galeatio vel fratribus, aut ſequacibus vel aliis quibuſcumque contra eandem Rom. eccleſiam nullatenus adhærebunt, nec conſilium, auxilium, favorem præſtabunt juratoria cautione, ac juramento de parendo mandatis eccleſiæ atque noſtris, interdictum ipſum in dicta civitate, terris, villis, caſtris, & locis ipſius, relaxes, & nuncies relaxatum, ubi tibi videbitur expedire, & facias ab aliis nunciari. Quod ſi forſan poſtmodum ad dictorum Galeatii, aut fratrum, vel ſequacium prædictorum ſequelam & favorem homines ac civitatem, univerſitatem, terras, villas, caſtra, & loca prædicta redire contingerit, in eamdem interdicti ſententiam relabi volumus & decernimus ipſo facto. Volumus etiam, quod de ſupradictis omnibus & ſingulis fieri facias duo publica inſtrumenta, quorum uno pœnes te retento, reliquum nobis, quantocius poteris, deſtinare procures. Dat. Placentiæ kal. decembris pontificatus ejuſdem domini Joannis Papæ XXII. anno ſeptimo.*

Publicas res nomine pontificio adminiſtrari juſſa vacante imperio.

Solutæ cenſuræ.

XIV. Inter has rerum converſiones erupit in Robertum Regem Siciliæ conjuratio, (*c*) comparatæque ab hoſtibus illius vitæ inſidiæ, quæ non ſine divina providentia diſcuſſæ: cum illius filius major natu Carolus (*d*) dux Calabriæ cum triremibus octodecim Siculam oram populatus eſt; Fridericus vero cum aliis viginti ſex Rhegium tentavit.

(*c*) *Jo. Vil. l. 9. c. 172.*

Robertus Rex Sicil. e comparatis inſidiis evadit.

(*d*) *Ib. c. 158.*

In Germania Ludovicus Bavariæ & Fridericus Auſtriæ duces Romanorum Reges deſignati, cum Romano Pontifici controverſiam dirimendam æquitate, ut par erat, permittere detrectarent, de imperio certaturi, incredibili animorum ardore adverſas acies, quæ ferme equeſtres erant, commiſerunt (*e*). Pollebat amplioribus viribus Fridericus, cum Regis Ungariæ potentia fultus eſſet, ac Leopoldus (*f*) copias auxiliares ad ipſum adduceret. Sed Ludouicus re cognita, antequam eæ copiæ Friderico ſe conjungere poſſent, ſuperato Æni fluminis vado, Fridericum ad pugnam elicuit qui indignum ratus certamen detrectare, proxima auxilia, quibus auctus Ludovico ſuperior erat evaſurus, non expectavit. Commiſſa eſt cruenta pugna, quæ pene totum diem tenuit; in qua plura equitum millia periiſſe feruntur. Parta demum a Ludovico victoria eſt, cujus gloria, Friderico & Henrico fratribus multiſque aliis nobilibus, captis aucta eſt, ut Stero (*a*) Altaemps, Rebdorfius, (*b*) M. S. (*c*) Vaticanum, aliique auctores Germanici & Itali conſentiunt (*d*), qui Fridericum arctiſſimæ cuſtodiæ in arce, cui Truſnit nomen eſt, mancipatum atque in ea triennio tentum addunt. [1]

Ludovicus & Fridericus de imperio certant.

(*e*) *Eod. l. 9. c. 174.*

(*f*) *Rebd. tit. Alb. Arg. in Chron.*

Ludovici Bavari ſolertia. Cruentum certamen diem tenuit.



(*a*) *Stero Altaemps in Annal.*

(*b*) *Henr. Rebdorf. in annal.*

Fridericus & Henricus fratres capti a Lud.

XV. Meruere ſane Fridericus & Henricus eo adverſo caſu proſterni, qui antea a Romano Pontifice adverſus Inſubriæ tyrannos & hæreticos in auxilium exciti, initum fœdus turpiter violarant, cauſamque pontificiam prodiderant, ut ſuperius rem attigimus. Cæterum Ludovicus Bavarus victor, parto de æmulo triumpho Pontificem mox certiorem fecit; qui ipſum ad clementiam in Fridericum explicandam hortatus eſt (*e*), atque operam apoſtolicam ad concordiam inter ipſos conciliandam obtulit.

(*c*) *MS. bib. Vat. ſign. n. 3769.*

(*d*) *Chr. Elvva. Aven. an. Botor. l. 7. Muſſat. in Lud. Bav. & alii.*

Ludovicus certiorem de victoria Pont. facit.

(*e*) *To. 3. ep. ſecr. pag. 259.*

*Ludovico in Regem Romanorum electo.*

*Excellentiæ tuæ, fili chariſſime, recepimus literas, quas nobis lator præſentiam præſentavit, quarum contenta, & quæ lator idem proponere voluit, intelleximus diligenter. Et quia ex ipſarum ſerie literarum percepimus evidenter victoriam, quam contra tuum coelectum habueras his diebus, te illi, qui bella novit conterere, humiliter aſcribere & prudenter; nec non & quam humaniter in ipſius coelecti captione, & poſt in ejuſdem cuſtodia te geras & geſſeris, ipſius nuntii nobis relatio patefecit. Super quibus providentiam tuam in Domino plurimum commendantes, magnificentiam tuam rogamus attentius & hortamur, quatenus in his inviolabiliter perſeverans, ei a quo cuncta bona procedunt, gratias agere ſtudeas; ac quæ illi grata exequi, & vitare quæ ſibi diſplicibilia noveris, non omittas; erga coelectum prædictum, quem in tua manu concluſit Altiſſimus, ob ipſius concludentis honorem ſic clementer ſicque pie te habeas, ut miſericordiam aſſequi valeans, quam miſericordibus veritas repromittit. Nos autem ad tractandum & procurandum quod ad pacem & concordiam inter te & ipſum pertinent, offerimus nos paratos: ſuper quo ſi nobis tua prudentia ſuæ innotuerit beneplacitum voluntatis, ad exequendum quæ ad illa opportuna viderimus abſque cunctatione aliqua procedemus. Super aliis autem nuper providentiæ tuæ per tuum nuncium ſcripſiſſe meminimus: quare ad præſens ea non repetimus, ſed in illis inviolabiliter permanemus. Dat. Avin. XV. kal. januarii anno VII.*

Hortatur eum Joannes ad referendas de victoria Deo gratias.

Explicandam in victum clementiam.

Suam ad conciliandum concordiam operam offert.



Non uſus eſt Ludovicus oblato a Pontifice ad tractandam inter eos pacem ſtudio, regnum ſibi armis aſſerere poſſe arbitratus, de quo hæc tradit Ptolemæus Lucenſis (*f*): *Dux prædictus Auſtriæ captus fuit per ducem Bavariæ & detentus: & ſic ipſe Ludovicus dux Bavariæ jus imperii ſibi vendicans uſurpavit.* Inde vero Pontificem inter & Bavarum ipſum graviſſimæ diſcordiæ, cum regni Italici habenas, & Galeacii Mediolanenſis clientelam ſequenti anno corripuerit, ut ſuo loco dicetur.

Ludovicus oblatis a Pontifice ſtudiis non utitur.

(*f*) *Ptol. Luc. in hiſt. eccl. MS. l. 24. c. 41.*

XVI. Interea fluctuanti diuturnis diſſenſionibus Luſitaniæ, in qua Dionyſius ob effuſum in Alfonſum Sancium ſpurium ſtudium alterius filii Alfonſi legitimi, & ſceptri Luſitanici heredis, iras ac principum odia in ſe concitarat; injuſtaque adverſus ſanctiſſimam uxorem odia ſuſceperat, pacem redditurus Pontifex, cum annis ſuperioribus mulcere præferocis principis animos, Dionyſium ad æquitatem flectere, D. Elizabetham, quæ filii ſui cauſam adverſus maritum impudicum, & in adulteræ liberos propenſiorem ſequi videbatur, ad concordiam inter filium & patrem revocandam excitare literis ſuis ſtuduiſſet; hoc anno archiepiſcopum Compoſtellanum in Luſitaniam ad redintegrandam concordiam apoſtolica munitum auctoritate, ut coitiones diſſolveret, reſcinderet injuſta ſacramenta, perturbatores pacis cenſuris reprimeret, ineunda fœdera corroboraret,

Pont. ad concordiam reſtituendam Luſitaniæ incumbit.

Archiep. Compoſtellanum ea de cauſa in id regnum mittit.



NOTÆ [1] HOc anno pugna decretoria inter duos Imperii æmulos Ludovicum, & Fridericum commiſſa die feſta S. VVincentii Ducis Bohemiæ die nempe XXVIII. Septembris ut prodit Author geſtorum Balduini Trevirenſis Archiepiſcopi lib. 3. Cap. V. In eam Friderici res exciſæ, ac plane deletæ Fridericus ipſe a Joanne Bohemiæ Rege captus in poteſtatem Ludovici traditur eo pacto *ne vita illum privaret*, ait idem Scriptor ibidem. Captus Rex arcta cuſtodia ſtringitur triennio, & ſemis, *per annos tres & dimidium* ut ſcribit Martinus Minorita author coævus inter Scriptores Eccardi to. II. col. 1638. Sed ex literis Joannis relatis ab Annaliſta ad A. 1325. 2. intelligimus non tribus; ſed duobus tantummodo annis, & ſemis captivitatem illum duraſſe quod & confirmat Joannes Vitoduranus in Chronico. Locum prælii deſignat author geſtorum Balduini inter Ochingin, & Molindaff, quem peculiari nomine *prata Amphyngenſia* appellat Continuator Martini Poloni Eccardianus, & in territorio Salzburgenſi conſtituit. In captivitate reſipuiſſe Fridericum cum antea moribus eſſet perditiſſimis prodidit author coævus Joannes Vitoduranus in Chronico inter Scriptores ab Eccardo vulgatos to. II. col. 1792. Idem ſcriptor teſtatur dimiſſione ejus, e carcere Monachum quemdam Cartuſienſem interceſſiſſe. Cum libertate & priſtina vivendi licentia reſumpſiſſe idem Scriptor aliique teſtantur, donec pediculari correptus morbo miſere tandem obiit anno 1330. ut in annalibus ad eundem annum adnotabo. MANSI

ret, miſit (*a*): ac præſules Luſitanos, ut operam cum archiepiſcopo conjungerent, monuit (*b*). Ad conciliandam vero divinam miſericordiam, ut eos bellorum civilium fluctus compeſceret, preces Deo in ea cauſa porrecturis præmia indulgentiarum propoſuit (*c*).

(*a*) *Tom. 3. ep. ſecr. pag.* 66.
(*b*) *Ib. pag.* 68.
Porrecturis Deo pro pace preces indulgentias proponit.

Præterea Dionyſium graviſſimis literis, (*d*) eſt adhortatus, ut Compoſtellani archiepiſcopi monita in animum demitteret: Reginam ſanctiſſimam, quæ niſi ad pacem ac divinam gloriam ſpectabat & Alfonſum, (*e*) heredem in gratiam reciperet; Alfonſum Sancii furto genitum cum Alfonſo legitimo conciliaret; nec tanta amoris ſignificatione illum proſequeretur; ut alterius in nothum fratrem odia exaſperaret. Tum Alfonſum illegitimum revereri (*f*) fratrem ſuum ut dominum ac Regem futurum, animumque ad illius obſequia flectere (*g*), juſſit: Alfonſum vero legitimum heredem, ut laceſſitum (*h*) gravioribus injuriis patrem Compoſtellani archiepiſcopi opera delinire ſtuderet: ferret æquiori animo, (*i*) ſi frater illegitimus ab illo ditaretur, neque enim decorum videri, ſi rerum inopia laboraret; ac ſi Reges in adminiſtros liberalitatem effundere ſoleant, non debere mali & iniqui accipere, ſi filio poſſeſſiones aliquas compararet, cum maxime earum opum fultus præſidio præſtandis illi obſequiis aptior futurus eſſet. Tum Reginam Eliſabetham, quæ pulcherrima ſanctitatis exempla in iis adverſis rebus explicuit, hortatus eſt (*k*), ut pacem inter diſcordes adducere omni ſtudio niteretur.

(*c*) *Ib. pag.* 69.
(*d*) *Ib. pag.* 65.
(*e*) *Ib. pag.* 64.
(*f*) *Ib. pag.* 67.
(*g*) *Ib. pag.* 64.
(*h*) *Ib. pag.* 66.
(*i*) *Ib. pag.* 67.
(*k*) *Ib. pag.* 64. & 66.

B. Eliſabethæ rarum in virum adulterum conjugalis amoris exemplum.

Obſequentiſſima ipſa erat Dionyſio viro etſi adultero & injuſto: quam maternum viciſſe affectum, nec ſe implicuiſſe bello, ſed illud extinguere conatam, e pontificiis literis gratulatoriis vidimus. Demum præcipuis illius, ut par eſt credere, apud Deum precibus pax eſt feliciſſime revocata: Berengarius Compoſtellanus archiepiſcopus acceptus perhonorifice: paritum illius monitis, ac ſopitæ omnes diſcordiæ: qua de re ad archiepiſcopum de navata præclare opera, ad ſanctam Reginam, Dionyſium Regem, ac filium majorem natu de perfectis apoſtolicis imperiis gratulatoriæ literæ (*l*) kal. julii exaratæ.

Pax Luſitanicæ aulæ reddita.
(*l*) *Ib. pag.* 69. & 70.
(*m*) *Ib. pag.* 68.

XVII.
Inſtitutæ publicæ preces pro revocanda in Caſtellam publica concordia.

Adhibita (*m*) etiam fuerat a Pontifice ad eam concordiam confirmandam Guillelmi Sabinenſis epiſcopi Apoſtolicæ ſedis legati opera, qui in Caſtellam ad ſedandos illius regni motus, quos principum de tutela Regis Alfonſi inter ſe contendentium, ac regnum armis & factionibus laniantium ambitione concitatos vidimus anno ſuperiori, miſſus fuerat: utque facilius adducere concordiam poſſet, injunxit (*n*) illi XIII. kal. april. hujus anni Pontifex, ut indulgentiarum præmia iis qui precibus a divino Numine illam expoſcerent, vel operam pro ea concilianda navarent, propoſita promulgaret, ipſumque (*o*) & Compoſtellanum, Toletanum, & Hiſpalenſem archiepiſcopos ac regni proceres ad reſtituendam Caſtellæ publicam pacem incumbere pluribus literis (*p*) ſolicitavit: atque in primis Philippum Sancii olim Regis filium, ut ſtuderet (*q*) concordiæ ac tutoris munus & nomen deponeret, hortatus eſt. Celebrabantur (*r*) Valliſoleti magni præſulum & procerum conventus kal. martii præcipua legati apoſtolici opera, cujus etiam ſtudio inter Alfonſi Regis tutores ad feſtum natalis Domini induciæ armorum initæ ſunt (*s*).

(*n*) *Ib. pag.* 49.
(*o*) *Ib. pag.* 46.
(*p*) *Ib. pag.* 48.
(*q*) *Ib. pag.* 46.
(*r*) *Ib. pag.* 46.
Valliſoletanus conventus.
(*s*) *Ib. pag.* 242.
Initæ induciæ.

Conjunxere cum legato operam Toletanus archiepiſcopus, atque epiſcopus Burgenſis & alii plures, quibus conceptis eadem verborum forma literis, ob conciliatas inducias eſt gratulatus, utque ſtrenue cum legato ad pacem confirmandam laborarent, ipſum eſt adhortatus: (*t*) *Licet*, inquit, *inter dilectos filios nobiles viros Philippum claræ memoriæ Sancii Regis Caſtellæ, Joannem dominum de Viſcaya, & Joannem filium .. claræ memoriæ Manuelis infantis, a concepto ratione tutelæ chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caſtellæ Regis illuſtris pernicioſo diſcriminis odio ſibi reconciliandos ad pacem treguarum fœdus advenerit, ſuper quo non parcendo laboribus nec expenſis fide digna relatione te percipimus fideliter laboraſſe; continue tamen affectantes in intimis inter eos accedere inſolubile vinculum dictæ pacis, ſuper hoc ſcire te volumus, quod venerabili fratri noſtro Guillelmo epiſcopo Sabinenſi A. S. L. noſtræ ſcripturæ oraculum deſtinamus; propter quod fraternitatem tuam requirimus & rogamus attentius, quatenus eidem legato, ſicut hactenus aſtitiſti, ſolicite non deſiſtas aſſiſtere. Dat. Avin. VII. id. novembris anno VII.*

(*t*) *Ead. pag.* 242.
Caſtellanos urget Pon. ut perficiendæ paci dent operam.

XVIII.
Ut diſcordiæ ſedatæ.

Ad dirimendam demum de regiæ procuratione ac tutela gerenda principum controverſiam Alfonſum Regem Valliſoleti regni gubernacula ſuſcepiſſe, refert Joannes Mariana (*u*), cum jam illius avia Maria Regina obiiſſet, ingentium virtutum fœmina trium Regum ætate, ut ait (*x*), *reipublicæ præſidium, Caſtellæ columen, pietatis monimentum*. Addit auctor, Guillelmi legati juſſu; epiſcopis univerſa ditione Valliſoletum convocatis, concilium hac tempeſtate nobiliſſimum peractum: (*y*) *In eo*, inquit, *concilio IV. nonas auguſti multæ ſalutares leges promulgatæ ſunt. In eo numero anathemate vinciuntur qui carnibus quadrageſimæ aut quatuor temporum diebus veſcentur; quique in eis publice vendiderint carnes a noſtra religione alienis templis, dum res divina peragitur, intereſſe vetatur: iis tamen ſi noſtra ſacra ſuſceperint, ſacri ordines & ſacerdotia, unde inopiam tolerent, non denegantur. Purgatio vulgaris reprobatur, qua Hiſpani vulgo utebantur. Extant Joannis Toletani præſulis conſtitutiones per idem fere tempus promulgatæ: in iis niſi Judæi & Mauri, quo tempore res divina peragitur, a templis receſſerint, ceſſare mandat. Reductas cruciata pecunias ad ſe cum fide deferri, captivis redimendis, egenorum inopia ſublevanda. Presbyteri quater minimum per annum divina hoſtia ſacrificante, neque unquam niſi matutinis precibus exorato Numine: eccleſiaſticis obſequiis parta bona ea dare legareve filiis, quamvis juſtis, nefas eſto; & erit qui ſacerdotes & epiſcopos eorum bonorum dominos & arbitros faciat.*

(*u*) *Mar. de reb. Hiſp. l.* 15. *c.* 18.
Mariæ Reginæ mors & elogium
(*x*) *Eod. l. c.* 17.
Valliſolet. concilium ab epiſc. Sabinenſi A. S. L. celebratum.
(*y*) *Ibid.*



Præcipua illius ſtatuta.

Iſmael Rex Gran. cæſus.
(*a*) *Eod. l.* 15. *c.* 17.
(*b*) *Jo. Vil. l.* 9. *c.* 149.
Variæ in Tunetano regno converſiones.

Quod ad Maurorum in Hiſpania res attinet; Iſmael Granatæ Rex ab Ozminio Rege Algeziræ ex inſidiis cæſus (*a*) eſt. Erepta excellenti forma fœmina neci cauſam dedit. Mahomad vero filius Iſmaelis prætoris eximia fide, qui mox Granatenſes in illius verba adegit, cum alium conjurati ſucceſſorem deſtinarent, regnum arripuit. In Africa (*b*) Tunetanus Rex matre Chriſtiana natus, & egregie affectus in Chriſtianos, Chriſtianorum & Arabum opera Tunetanum alium Regem æmulum acie vicit, regnoque potitus eſt: ſed iterum poſtea ab alio ejectus (*c*).

(*c*) *Eod. l. c.* 154.

XX.
Civile bellum in Anglia Pontificium pro eo ſopiendo ſtudium.

Flagravit civili externoque bello Anglia hoc anno: proceres enim Hunifrido Herefordienſi & Thoma Lancaſtriæ comitibus conjurationis ducibus, Eduardo Regi ob nimiam Spenſeriorum gratiam & potentiam infenſi erant: cumque res ad arma & cædes ſpectaret, Pontifex ineunte anno Cantuarienſem archiepiſcopum & epiſcopum Vvintonienſem ad adducendam inter conjuratos ac Regem concordiam incumbere juſſit (*d*): tum Eduardum eſt adhortatus (*e*), ut clementiam in ſuos explicaret, commotoſque animos mulceret: ſed in apertum bellum erupit diſcordia, cum in dicto apud Ciceſtriam conventu Eduardus in hoſtes contraxit (*f*) ingentia auxilia, ac plures proceres ſui terrore ad obſequium compulit. Inde Hunifridum & Thomam comites inſectatus, exeunte martio, magna clade delevit (*g*). Hunifridus Herefordienſis comes, dum ponte tranſibat lancea perfoſſus occubuit: Thomas Lancaſtrius captus. Cujus victoriæ ab Eduardo partæ accepto nuntio Pontifex, qui rebelles flectere ad officium non potuerat, oppreſſos armis fuiſſe, Regi triumphi gloriam acceptam Deo referenti, eſt gratulatus (*h*); atque eccleſiarum jura, ut ea ab invaſoribus vindicaret, enixe commendavit.

(*d*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 35.
(*e*) *Ib. pag.* 34.
Eduardus conjuratos prælio fregit.
(*f*) *Vvalſin. in Eduard.* II.
(*g*) *Jo. Vill. l.* 9. *c.* 137.
(*h*) *To.* 3. *ep. ſec. pag.* 36.

*Profecto*, inquit, *fili chariſſime, noſtro tua adiicit gaudio gratitudo, per quam, ut debes, illi qui bella conterit, iſtam aſcribis victoriam, & non tibi. Hæc utique, fili chariſſime, beneficia tam immenſa debent ſcribi indelebiliter in tabulis cordis tui: hæc nulla obliterare debet oblivio, ſed in jugi memoria retineri; debeſque cum propheta quærens dicere: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Et utinam tibi ipſi taliter reſpondebis: Iſtud ſibi retribuam; licet reſpectu tanti beneficii parum ſit cenſendum aut nihil: illi quidem meam offeram juventutem, ipſi fortitudinem meam cuſtodiam, & reſidua vitæ meæ tempora in continuatione ſalutaris propoſiti & piorum proſecutione operum devovebo, favendo eccleſiis, ipſarum libertates & jura; nec non & miniſtros Dei, perſonas eccleſiaſticas confovendo, &c. Dat. Avinione II. kal. maii anno VI.*

Partam victoriam ſignificat Pontifici Eduardus.
Excitat ipſum Pont. ad referendas Deo grates.
Conſecrandum ſe divino obſequio

XXI.
Victoriam crudelitate fœdat Eduardus.
(*i*) *Jo. Vill. & Vvalſ. ubi ſup.*
Scotiæ Rex Eduardum bello petit.
Tuetur Eduardi partes Pont.
(*k*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 37.
Movet in Scotiam Eduardus.
(*l*) *Ib. pag.* 39.
(*m*) *Ib. pag.* 43.
(*n*) *Vvalſin. ubi ſup.*
(*o*) *Jo. Vil. l.* 9. *c.* 160.

Fœdaſſe crudelitate victoriam Eduardum, ac Thomam Lancaſtrium & alios plures viros nobiles criminis ſocios capitis ſententia damnaſſe, ferunt (*i*). Nec eorum ſupplicio pacata Anglia, incumbebat enim illi Scotici belli moles cum Robertus Rex a conjuratis excitatus in arma conſurrexiſſet. In quo quidem bello ſtuduit Eduardo Pontifex, atque archiepiſcopum Cantuarienſem & Vvintonienſem epiſcopum pontificias cenſuras iis, qui Angliam aut Hiberniam invaderent, objectas divulgare (*k*); Dublinenſem archiepiſcopum (*l*) Roberto Brulio perduellionis judicium intendere; Anglos denique, Vvallenſes, & Hibernos præſules Eduardo ſacerdotiorum decimas ad levandos belli ſumptus pendere (*m*) juſſit. Confecit in Scotos florentiſſimum exercitum Angliæ Rex, ac ſuperiori elatus victoria Scotiam terra marique oppugnare ac frangere ad obſequium conſtituit. Sed cum imprudentiſſime neceſſarios commeatus ſuſtentando exercitui non providiſſet, ingens ea expeditio nullo operæpretio diſſoluta eſt (*n*); magna hominum multitudine (ad viginti millia aſcendiſſe refert Joann. Villanus (*o*)) fame morboque conſumpta; Rexque non ſine magno dedecore regredi compulſus eſt.

XXII.
Philippi Regis Franc. mors.
(*p*) *Ber. chr. Reg. Franc. Paul. Aemil. in eod. Maſſ. in eod.*
(*q*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 8.
Illius elogia.

Sublatus e vivis eſt Philippus Longus Francorum Rex ineunte hoc anno, ut teſtatur Bernardus (*p*): *Philippus Rex obiit tertia die intrantis menſis januarii in prima parte noctis dominicæ diei, anno Domini MCCCXXI.* Nimirum numeratis de more auctoris ab incarnato Verbo annis: conſumptus diuturna ægritudine, in qua ſingularem explicuit patientiam (*q*), pari pietate eccleſiaſticis ſacramentis ingenti immortalitatis ſpe munitus. Magnarum virtutum princeps, dignus S. Ludovici abnepos, cujus exemplo

plo bellum ſacrum in Saracenos ſine fictione erat redintegraturus ( ſuperioribus enim annis (a) ſopito bello Flandrico, ne profectionem iniret, ob occidentis turbas fuerat retardatus ) in ipſo conatu, cum Pontifex diem trajectionis conſtituturus (b) eſſet, relicto ſui magno deſiderio exceſſit e vita. Commendavit (c) moriens regnum Chriſti vicario ejuſque apud Deum preces ad expiandas reliquas criminum maculas imploravit. Nec pio defuiſſe Joannem officio indicant literæ, quibus viginti dierum indulgentiam preces pro illius anima Deo porrecturis impertiit. (d)

(a) An. 1319. n. 17.
(b) To. 3. ep. ſecr. p. 1. pag. 1. ep. 2.
Pontificis preces moriens implorat.
(c) Ib. ep. ſec. pag. 6.
Conceſſæ pro illius anima oraturis indulgentiæ.
(d) An. 6. p. 1. ep. com. 865.

Accepit poſt Philippum Galliæ, ac Navarræ ſceptra frater Carolus Marchiæ comes, de quo hæc Bernardus ſcribit: (e) *Carolus hujus nominis * tertius, filius quondam tertiogenitus Philippi Regis hujus nominis * quinti, germanus quoque frater præfati domini Philippi hujus nominis * ſexti, qui defuncto præfato Philippo Rege germano ſuo eidem ſucceſſit in regno; cum nullum heredem filium reliquiſſet, quia filiæ in regno Franciæ ad regnandum nunquam leguntur ſucceſſiſſe. Cœpit autem regnare in regno Franciæ & Navarræ defuncto fratre ſuo in menſe januarii anno Domini MCCCXXI. fuitque coronatus & inunctus in Regem Rhemis civitate IX. kal. martii.*

(e) Ber. chr. Reg. Fran.
Carolus marchiæ comes ſuccedit. Rhemis inungitur.
* IV.
* IV.
* V.

XXIII. Significarat non ſine lacrymis Carolus Philippi fratris obitum Pontifici, qui magnum ex eo dolorem percepit, atque ipſius (f) & Joannæ (g) Reginæ viduæ luctum mulcere literis ſtuduit. In iis vero, quas ad Carolum dedit, fraternæ mortis occaſione ipſum ad humanarum rerum deſpicientiam, & transfundendum ad cæleſtia animum, ac mortis incerti exitus divinique judicii jugi meditatione vitæ rationem probe inſtituendam excitavit. (h)

(f) To. 3. ep. ſecr. pag 6.
(g) Ib. pag. 7.

(h) Ead. ep. pag. 6.
Redditæ illi de fratris obitu Pont. literæ.

*Carolo Regi Franciæ illuſtri.*

*Affectu benigno celſitudinis regiæ recepimus literas per venerabilem fratrem noſtrum Raynaldum Oſtienſem epiſcopum, & dilectum filium Petrum S. Suſannæ presbyterum Card. præſentatas, per quas infirmitatem claræ memoriæ Philippi Regis Franciæ, ejuſque tranſitum, ac qualiter in illis ſe habuerat providentia regia, mœſtuoſo nobis calamo nuntiavit; noſtrarumque ac fratrum noſtrorum pie ac religioſe pro ipſius animæ ſalute orationum ſuffragia poſtulans, ſeque ac regnum ſedi Apoſtolicæ recommendans, more devoti filii ſe paratum ad ejuſdem ſedis beneplacitum non omiſit. Profecto, fili chariſſime, cum primum tranſitus ipſe auribus noſtris inſonuit, cordis noſtri amaricavit intima & punctionis durioris aculeo ſauciavit: unde ſi te potavit abſyntio, ſi te felle cibavit, ſi tua commovit viſcera, ſi extorſit gemitum, ſi expreſſit lacrymas, cum ad hoc te affectus inclinaverit naturalis, non decet quempiam ſuper hoc admirari.*

Quam pie ille animam Deo reddiderit exponit Pont.

*Sane, fili chariſſime, ſi tam innocenter Rex ipſe vixerit, quam laudabiliter rexerit, tamque patienter flagella Domini in ſua ægritudine tulerit; nec non quam humiliter, quam devote eccleſiaſtica petierit & reverenter receperit, velut princeps Chriſtianiſſimus, ſacramenta; & poſtremo quam confidenter & alacriter, Dei miſericordiam & ſanctorum patrocinia invocans, Deo reddiderit ſpiritum, qui creavit illum, & terræ corpus, unde aſſumptum fuerat, ad debitæ rationis deducitur examen, ceſſabit dolor, utique planctus, & gemitus acquieſcent; ac proculdubio multa tibi materia aderit ipſi congaudendi gaudenti, ipſum nempe vitam brevem & fluidam, quæ nihil eſt aliud quam vapor ad modicum parens, quæ velut umbra præterit & in eodem ſtatu perſiſtere nunquam novit, pro æterna & incommutabili firmiter credimus commutaſſe; ipſumque de hac valle calamitatis & miſeriæ, in qua civitatem manentem non habuit, ad civitatem gloriæ, quam ſolicite quæſivit dum vixit, cujus angeli ſunt concives, Deus pater templum, Filius ſplendor, & Spiritus ſanctus eſt charitas; in qua manſio eſt ſecura, totumque continet quod delectat, credimus perveniſſe: nec non & de fallaci mundano gaudio, quod luctus occupat, ad vera perfectaque & æternalia gaudia jam tranſiſſe credimus, vel ſaltem ad ſpem infallibilem illuc veniendi e veſtigio perveniſſe.*

Humanæ vitæ fragilitatis cum cæleſti gloria collatio.

*Depone itaque filii chariſſime, depone gemitum, luctumque abiice, ac juxta dictum Apoſtoli gaudenti congaude, ne te de charitatis inopia arguendo, illud tibi dominicum verbum exprobrando valeat dicere: Si diligeretis me, utique gauderetis, quia vado ad Patrem. Orationes autem noſtræ fratrumque noſtrorum pro ipſius ſalute non defuerunt, nec noſtræ utique deerunt dum vivemus, Domino concedente. Te autem, fili chariſſime, regnaque tua, ſicut debitores ſumus, & nos eſſe recognoſcimus, proponimus & intendimus habere in opportunitatibus propenſius commendata. Oblationem inſuper tuam gratam animo acceptantes, regiæ benevolentiæ gratias pro eadem offerimus, quas valemus. Ad hoc, fili chariſſime, quia decet patrem benevolum chariſſimum ſibi in Chriſto filium circa ardua occupatum dirigere, ipſumque cautum in his reddere, per quæ poſſet in illis laudabiliter ſe habere; agnoſcentes te ad ardua regiæ dignitatis aſcendiſſe, admodum neceſſarium arbitramur, ut memoriter * æternæ ſtudeas quæ ſequuntur.*

Carolum ad conſtantiam excitat.
Preces a ſe & Cardinalibus pro Phil. anima fundendas pollicetur.
* tenere

XXIV. *In primis, quia conſideratio altitudinis regiæ dignitatis offuſcare nonnunquam rationis oculum conſuevit, expedit advertere te prudenter, quod quantacumque ipſa dignitas ſit ſublimis, a curis tamen multis, & oneribus variis, ac innumeris periculis nequaquam qui illi præſidet, eſt immunis. Hæc tibi, fili chariſſime, conſideratio ſuadebit, ut in agendis conſilia cures adhibere ſalubria, ac velut in lubrico poſitus tibi non des liberos impetus, ſed circumſpicias quo eundum ſit & quouſque; nec alta te ſinet ſapere, ſed potius ſuggeret te humilibus conſentire: quod utique neceſſarium non mediocriter arbitramur volenti regnorum gubernacula laudabiliter gubernare.*



Saluberrima novo Regi a Pont. propoſita monita.
Sentiendum de ſe demiſſe.

Recolendam mortis memoriam.

*Rurſus te ſcire non ambigimus, & a tua memoria non excidere affectamus, quod nihil eſt morte certius, nec aliquid incertius hora mortis, ſicut magiſtra rerum experientia continue hactenus manifeſtat: videmus enim ſic mori juvenem, ſicut ſenem; ſic fortem, ut debilem; ſic nobilem; ut ignobilem; divitem, ut pauperem; juſtum, ut peccatorem; ſapientem, ut ſtultum; ac doctum pariter, ut indoctum. Videmus quoque frequenter infirmos convaleſcere, & incolumes ſubito expirare; alios loquendo deficere, alios comedendo, alios eundo, alios ſtando, alios dormiendo, alios laborando, alios ridendo, alios flendo, ſpiritum exhalare. Hoc quoque ſcriptura ſacra teſtatur, dicens quod conſtitutum eſt omnibus ſemel mori; & alibi quod neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & aves comprehenduntur laqueo, ſic homines plerumque rapiuntur in tempore malo. Hæc profecto conſideratio vitare te, fili chariſſime, noxia faciet; & ſtimulabit te feſtinanter agere quæ videris expedire. Hinc ſapiens ait: Fili memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Et alibi ſuadet, dicens: Quodcumque poteſt facere manus tua, inceſſanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia nec ſapientia erunt apud inferos, quo tu properas; diemque tibi quamlibet perſuadet velut ultimam ordinare.*

Pia opera illius cauſa acceleranda.

XXV. *Adhuc; fili chariſſime, optamus in tua fixe memoria retineri, quod quantumque hæc dignitas ſit excelſa, non eſt libera a reddenda ratione: immo illi præſidens non ſolum de geſtis, ſed & de ſermonibus, nec non & de cogitationibus, quod eſt gravius, ſtrictam tenetur reddere rationem. Hinc Apoſtolus ait: Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti; & ſequitur: Unuſquiſque pro ſe rationem reddet. Et cui? Sequitur: Deo; cujus utique ſapientiæ nil poterit occultari, cum ante ejus oculos omnia tam præſentia, tam præterita, quam futura nuda ſunt & aperta: cujus potentiæ nullus reſiſtere poterit, cum cuncta, & quæ in cœlo, & quæ in aere, & quæ in terra, & quæ in profundum abyſſi ſunt poſita, ſint ejus ditioni ſubiecta: cujuſque juſtitiam nullus evadere poterit, cum tempus acceperit, judicandi: tunc enim nulli parcet, nec acquieſcet cujuſquam precibus, nec pro redemptione dona plurima acceptabit.*

Recogitandum ſupremo judici rationem reddendam.

*Horum, fili, conſideratio te inducet, ut illum timeas, illi juventutis tuæ primitias offeras, ipſi fortitudinem tuam cuſtodias, & reſidua vitæ tuæ tempora in continuatione ſalutaris propoſiti, & piorum cum proſecutione operum ſtudeas devovere; favendo eccleſiis, ipſarum libertates & jura, nec non & Dei miniſtros, perſonas videlicet eccleſiaſticas, confovendo. Hæc tibi, fili chariſſime, ſi ea obſervaveris diligenter, annos vitæ producent: hæc tibi dierum longitudinem miniſtrabunt: hæc firmabunt proculdubio thronum tuum. His itaque tuum animum imbue, his informa, talibus aſſueſce, ut per conſuetudinem mores fiant, nec perverti poſſint amplius converſi quodammodo in naturam, &c. Dat. Avin. VI. id. februarii anno VI.*

Eccleſias tuendas.
Adducendas in mores virtutes.

XXVI. Reddidit ob egregia monita Pontifici grates Carolus (a), atque illis ſe obtemperaturum eſt pollicitus: tum etiam armorum potentiam ſuaque illi obſequia, accepto inſigni regio, perhumaniter ac pie devovit: Joannes vero ipſum ad ſectanda majorum præclara veſtigia provocavit (b): utque ad moderandum pro dignitate Gallorum ſceptrum divinam illi opem conciliaret, omnibus qui pro ipſo preces apud Deum funderent, Cæleſtini V. & Clementis exemplo quadraginta dierum indulgentiam propoſuit; modo tamen conſcientiæ labes ſacra confeſſione expiaſſent. Quo vero ſtimulos illi ad veram comparandam gloriam, quæ in Numinis divini cultu ſita eſt, incenderet ipſius animum, hiſce laudibus laceſſivit: *Serenitatis regiæ vota præclara ſic præclaris evidentium operum clarent effectibus, quibus ſub regio titulo, Regi regum fidelis ſervus deſervit; ſicque fulgentis famæ fulgore præfulgent, quod ad decantandum aſſidue novum Domino canticum, qui ad ſui exaltationem nominis in te magnifica operatur, audientes undique invitant. Tu ſiquidem, quem dominantium Dominus multis prætitulavit titulis, inter cæteros regiæ dignitatis participes non indigne præconiis humanis extolleris, & non immerito prædicari a ſingulis, promereris, ac juvari devotis & piis Chriſticolarum interceſſionibus apud bonorum omnium Largitorem, ut ipſe, qui hujuſmodi vota benignus aſpirat, pius & miſericors proſequatur etiam adiuvando; quatenus ſic bene cœptis inhæreas, ſic inſiſtas, quod idem te poſt decurſi feliciter præſentis vitæ curricula in dilecta ſua tabernacula introducat, &c. Dat. Avin. V. non. julii anno VI.*

(a) T. 3. ep. ſecr. p. 10.
Carolus Rex ſua officia Pontifici offert.
(b) An. 6. p. 1. ep. com. 857.
Indulgentiæ pro ipſo Deo porrecturis preces propoſitæ.

Hor-

XXVII. Pluribus exornatur privilegiis.

Hortatus eſt (*a*) aliis literis Carolum Valeſiorum comitem Regis patruum, inſigni prudentia, belli peritia ſingulari, ætateque provectum virum, ut nepoti ad regnum probe gerendum conſilio & opera non deeſſet. Ornavit etiam pluribus novum Regem apoſtolicis beneficiis (*b*), quæ cæteris Regibus conferri conſueverant; conceſſitque inter cætera, ut anathematis interdictive ſententia amplioribus verbis concepta, ſi illius nomen non exprimeretur (quod ante a ſede Apoſtolica datum fuerat S. Ludovico) comprehendi ac devinciri non cenſeretur (*c*). Quæ vero cauſæ ipſum ad id præſtandum adduxerint, his verbis explicat (*d*): *Attendentes*, inquit, *quod claræ memoriæ Chriſtianiſſimi Reges & principes progenitores tui, ſicut exacti temporis antiquitas fidelis intitulat, & experientia clara docet, ad Deum & eccleſias rectitudine fidei & devotionis integritate ferventes, ipſas perſonaſque eccleſiaſticas, bona & libertates earum regalis potentiæ clypeo protexerunt; & nihilominus in ſuis munificentiis erga illas, immenſitatem ſolam pro menſura ponentes, eas multis liberalitatibus ampliarunt.*

(a) To. 3. ep. ſecr. p. 8.
(b) An. 6. p. 1. ep. com. 856. 857. & ab ep. 860. ad 874.
(c) Ib. ep. 855.
(d) An. 6. p. 1. ep. com. 929.
Liberalitatis Franc. Regum in eccl. elogium.
Matrimonium inter Carolum & Blancam diſſolutum.

XXVIII. Blanca Regina adulterii infamia laborabat.

Denique flagitante Carolo, matrimonium antea cum Blanca, e qua etiam prolem ſuſceperat, præter leges initum diſſolvit. Deprehenſam in adulterio Blancam referunt (*e*), utque illius vitæ conſuleretur, Mathildem comitiſſam matrem invitam repudio aſſenſiſſe. Certe jam ante Philippi Pulchri nurus adulterii judicio poſtulatas vidimus: in quo divinam juſtitiam adorandam obſervavimus, quæ ſtirpem Philippi ejuſdem, qui Bonifacii VIII. olim Chriſti vicarii teterrimis fœdare calumniis niſus erat, fœdiſſima infamiæ labe inquinari permiſit. De eo divortio ſcribit hæc Bernardus (*f*): *Hic dominus Carolus, vivente adhuc patre ſuo duxerat in uxorem Blancam ducis Burgundiæ filiam: ſed poſtmodum extitit matrimonium accuſatum, & inquiſitione facta fuit tandem declaratum per judicium domini Joannis Papæ XXII. in conſiſtorio de conſilio ſapientium, de jure nullum eſſe matrimonium prædictum, dudum de facto celebratum ſub anno Domini MCCCXXII. in vigilia aſcenſionis Domini XIV. kal. junii.*

(e) Paul. Æmil. Gaguin. Maſſ. in Phil. pulchro Jo. Vill. l. 9. c. 171.
(f) Bern. chr. Reg. Franc.

Adducenda nobis viſa eſt pontificia ſententia, ut Joannem a nonnullorum dicteriis vindicemus: *De fratrum*, inquit, (*g*) *conſilio, deliberatione prius diligenti præbabita, cum eiſdem, proceſſimus in hunc modum. Quia per propoſita & probata primo coram epiſcopo Pariſienſi, & ſubſequenter coram nobis evidenter apparet & clare, præfatos Regem & Blancam quarto conſanguinitatis gradu ex utroque latere reſpectu unius ſtipitis eſſe conjunctos; conſtat etiam præfatam Mathildim comitiſſam Atrebatenſem fore genitricem Blancæ præfatæ & quod eadem comitiſſa una cum pluribus aliis dictum Regem de ſacro fonte levavit, ſicque comitiſſa ipſa matrina & Blanca præfata ſoror ſpiritualiter ſunt dicti Regis effectæ; quarum profecto conſanguinitatum prædictarum quælibet, ac ſpiritualis ipſa proximitas inter ipſum Regem & Blancam prædictam contracta ſufficit ad impediendum non ſolum contrahendum inter ipſos Regem & Blancam matrimonium, ſed contractum etiam dirimendum, niſi auctoritate ſedis Apoſtolicæ impedimenta præfata per ſufficientis diſpenſationis beneficium ſint ſublata; conſtatque inſuper evidenter ex forma diſpenſationis prædictæ,* data illa a Clemente V. fuerat, quæ non omnia impedimenta canonica exprimebat diſſolvebatque, *tam coram epiſcopo Pariſienſi præfato, quam coram nobis exhibitæ pro parte Blancæ prædictæ, & ex aliis propoſitis & probatis, quod illa nequaquam omnia impedimenta expreſſa ſuperius comprehendit, nec ad illa omnia aliquatenus ſe extendit; ipſoſque Regem & Blancam volentes a vinculo, quo occaſione dicti matrimonii mutuo tenebantur aſtricti ſolvere, ac ipſorum cuilibet, quantum ad dictum matrimonium attinet, abeundi quo voluerint licentiam impertiri; ſententiam inter ipſos divortii proferentes, pronuntiamus & ſententialiter declaramus, dictum matrimonium nullum eſſe, nec fuiſſe de jure; ipſis & eorum cuilibet impertientes licentiam ad vota alia tranſeundi, præfato matrimonio non obſtante, &c.* Adiectæ ſunt Clementis V. literæ, quas omnia illa impedimenta non diremiſſe pronuntiavit Pontifex; tum Regis Caroli ac Blancæ, quibus inſtitutis procuratoribus ad proponendam ſedi Apoſtolicæ cauſam ſummis contendebant precibus, ut controverſiam citius definiret. *Dat. Avin. XIV. kal. junii anno VI.*

(g) An. 6. p. 1. ep. com. 806.
Lata in ea cauſa ſententia.
Plura impedimenta contractum matrimonium dirimentia interceſſerant.
Conjunctæ partes mutuo ſolvi nexu optabant.

XXIX. Carolus Rex Mariam Regis Boem. ſororem ducit.

Diſſoluto eo matrimonio, novam conjugem Carolum duxiſſe Mariam Lucemburgicam Joannis Regis Boemiæ ſororem, atque Henrici Imperatoris filiam, refert Bernardus (*h*): ac Pontifex legem de quarto conſanguinitatis gradu ſolvit, quamvis acceptarum ab Henrico iniuriarum vigeret memoria, de quibus hæc affert (*i*): *Sane nonnulla per genitorem quondam dictæ Mariæ contra chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Robertum Siciliæ Regem illuſtrem, ac in ejus perſonam, & alias etiam contra ſacroſanctam Romanam eccleſiam, cujus Rex ipſe fidelis exiſtit; nec non & in ejuſdem Regis perſonam, contra domum inclytam Francorum, cujus eſt Rex ipſe membrum nobile, temere attentata, ſuper quorum attentatorum revocatione apoſtolicæ exiſtunt conſtitutiones editæ, quæ in ſcholis leguntur publicæ, & in judiciis allegantur; diſpen-*

(h) Ber. chr. Reg. Franc.
(i) To. 3. ep. ſecr. pag. 21. & an. 6. p. 1. ep. com. 1174.





*ſationem ipſam gravem & difficilem efficaciter arguebant.* Latam ab Henrico Imperatore in Robertum ob bellum Romæ adverſus ipſum geſtum, Guelphoſque concitatos capitis ſententiam, atque a Clemente revocatam ſuperius vidimus. Subdit Joannes obruendam eſſe benefactis præteritarum iniuriarum; memoriam atque ideo Mariam Lucemburgenſem Regi Francorum deſponderi permittit.

Cæterum Burgundiæ dux ob dimiſſam Blancam graves in Regem Carolum ſuſcepit iras: ad quos conciliandos, cum ſanguine eſſent conjunctiſſimi, Pontifex (*a*) operam navavit; & Blancam Carolo, Clementiamque Ludovici, ac Joannam Philippi Regum uxores commendavit (*b*). Ad ſedandos etiam reliquos Galliarum motus Dignenſem & Magalonenſem epiſcopos in Vaſconiam miſit (*c*), ut nimirum tumultuantes ibi proceres in concordiam adducerent: inducias ab archiepiſcopo Viennenſi indici juſſit (*d*) inter delphinum Viennenſem & Amedeum Sabaudiæ comitem: & quo eundem Amedeum Roberto Siciliæ Regi conciliaret, ut Avenionem accederet, ipſi conſuluit, ſediſque Apoſtolicæ clientelam ſpopondit. (*e*) Nec diſparem adhibuit operam (*f*), ut Jacobum Aragonum & Sancium Balearium Reges ob ipſorum jura in Montepeſſulano, Omeladeſio, & Carladeſio a regiis adminiſtris jam ante ſub Ludovico & Philippo Regibus violata exulceratos conciliaret.

(a) To. 3. ep. ſecr. pag. 189.
(b) pag. 15.
(c) Ib. p. 22. & 23.
Conciliandæ inter diſſentientes Gall. proceres concordiæ ſtudet Pont.
(d) Ib. p. pag. 81.
(e) Ib. pag. 79.
(f) Ib. pag. 13. & p. 20.

XXX.

Eo ardentius ad alendam pacem incubuit (*g*) Joannes, quo Carolus a Philippi fratris conſiliis de bello ſacro redintegrandis non alienus viſus eſt: religioſæ enim militiæ jam ante nomen, accepto crucis ſymbolo, dederat; atque ob Saracenorum in Armeniam excurſiones a Pontifice urgebatur, ut extremo orientis exitio occurreret: quo argumento plures ſunt ad ipſum (*h*) ac patruum Carolum Valeſiorum comitem (*i*) hortatoriæ literæ, in quibus Laiacii urbis Armeniæ olim florentiſſimæ excidium, ac reliqui regni vaſtitatem deplorat.

(g) Ib. pag. 18.
(h) Ib. pag. 14. 15.
(i) Ib. & pag. 194.
Armeniam Saraceni invadunt.

*Carolo Regi Franciæ & Navarræ illuſtri.*

*Habet, fili chariſſime, literarum nuper miſſarum de Armeniæ partibus, & nuntiorum inde venientium infauſta relatio, noſtra utique non indigne viſcera ſaucians, & præcordia dure pungens, quod his diebus, inundante Saracenorum ſuperbia ſuis finibus non contenta, & robore adunato, Armeniæ regnum invadens hoſtiliter, in redemptos Chriſti ſanguine pretioſo ingenita immanitate inſurgere non expavit; ac in eos impræmeditatos & inſcios ferociter irruens, multos eorum abſque delectu ſexus, ordinis, vel ætatis occupata & prorſus ſubverſa civitate de Laiacio, immaniter proh dolor; trucidavit. Nec his contenta, ad abolendum de terra illa Chriſtianorum nomen & cultum; immo ad exterminandum omnino exinde Chriſtianitatis reſiduum ardenti, ſicut fertur, ſuſpirat deſiderio, & propoſito damnando feſtinat; tanto certior, niſi perverſis ejus reſtiterit miſericordia divina conatibus, de ſuæ iniquitatis conceptu, quanto terræ præmiſſæ conditio, catholicorum mundi principum & aliorum fidelium non fulta ſuffragio, inſufficientis reſiſtentiæ veriſimilitudinem repromittit.*

Evertunt Laiacium.

*Propter quod excellentiam regiam rogamus & obſecramus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, tibi in remiſſionem omnium tuorum peccaminum ſuadentes, quatenus illius obtentu, qui pro redemptione humani generis crucis ſubire ſupplicium non expavit, prudenter conſiderans & attendens quam ſit recuperationis terræ ſanctæ negotio, pro quo proſequendo invictum crucis vexillum noſceris aſſumpſiſſe, præfatum regnum Armeniæ opportunum, ad illud præſervandum ab impiorum manibus, & dicto negotio conſervandum attendas ſolicite & intendas, &c.* Hortatur, ut copias validas eo tranſmittendas comparet ad ſuſtinendas labantes Chriſtianorum res, donec occidenti reſtituta pace, conciliatiſque principibus, ex omnibus regnis atque provinciis florentiſſima expeditio ad Saracenos retundendos ac Palæſtinam recuperandam adornari poſſit. *Dat Avin. X. kal. julii anno VI.*

Carolum Regem Pontifex ad ſubmittenda Armeniæ auxilia ſolicitat.

XXXI. Tranſmiſſi ad Pont. a Rege oratores pro tractanda Aſiat. exped.

Tranſmiſſi ſunt a Carolo Rege oratores (*k*) ad ſedem Apoſtolicam, qui cum Joanne de Aſiatica expeditione agitarent: atque abeuntibus reliquis, comes Claromontis eam ob cauſam in aula pontificia hæſit, plureſque habiti ea de re tractatus; de quibus nonis auguſti Rex certior factus a Pontifice: iterumque, quæ in iis occurrerant dubia, expoſita (*l*) diſcuſſaque de peditum & equitum numero, de ſtipendiis militum & claſſis ſumptibus, undeve petendi ac tolerandi eſſent; de exercitus in Aſia mora, an mediocres aliquæ copiæ præmittendæ, vel univerſæ acies in hoſtem movendæ.

(k) Ib. pag. 18. & 20.
(l) Ib. pag. 191. 199. & pag. 209. ad 232.

Quæſivere (*m*) etiam a Joanne regii oratores, quibus auxiliis Carolum bellum ſacrum aggredientem fulcire, quantove ære juvare meditaretur. Quibus reſponſum a Pontifice eſt, ſe quadriennales omnium Galliæ & Navarræ ſacerdotiorum decimas attributurum; jam enim Philippum Regem defunctum ex illa ſexennali in Viennenſi concilio decreta biennalem recepiſſe: tum centum quinquaginta aureorum millia, quæ a Bertrando comite Leomaniæ & Altivillaris (is erat Clementis Quinti nepos, qui a Joanne de ingenti auri vi repetundarum poſtulatus, partem illius in pia opera erogandam,

(m) Ib. pag. 191.
Quid ipſis reſponſum a Pont.

reſponderat accepiſſe: partem vero aliam pro expeditionis Aſiaticæ imminentis ſumptibus ſuſtentandis ) exacta traditurum ; denique ſacra indulgentiarum præmia ex eccleſiæ theſauro omnibus, qui pecuniis expeditionem Aſiaticam juvarent; unde non exigua earum vis redigenda eſſet, elargiturum: de quibus Joannes non. decembris ſcripſit ad Carolum, preceſque adiecit, evaſtatæ a Saracenis Armeniæ miſereretur, intermiſſamque fratris morte expeditionem egregiis illius exemplis provocatus redintegraret, cujus conficiendæ gloria ipſi reſervata videretur.

XXXII. Carolus omiſſo bello ſacro Anglicum ſuſcipit.

Conſumpta verbis inanibus res eſt, nam Joannem urgebant bella Italica, & Carolus prætermiſſo bello ſacro, Anglico ſe implicuit. Aquitaniæ imperium in illius clientela erat, atque ab Eduardo Rege Angliæ beneficio auctoritateque Gallicæ aulæ obrinebatur. Accepto itaque inſigni regio, Carolum Regi Angliæ denuntiaſſe refert Vvallingamus (a), ut de more in Gallias ad fidem ſolemni ritu novo Regi Aquitanici principatus beneficiarii nomine aſtringenda accederet: inde enatum bellum, cum Eduardus non paruiſſet, converſaque in Aquitaniam Gallorum arma ait auctor; ac principibus Chriſtianis alias ex aliis diſſenſiones mutuas excitantibus alentibuſve, Saraceni liberas furori habenas in orientales laxaverunt.

(a) *Valſin. in Ypodig. Neuſt.*

Babylonii Turcas & Tartaros in Armenos concitant. Mutua diſcordia debilitata. Armenorum vires.

Accepto itaque Babylonius ſoldanus Gallorum apparatu, adverſus imminens bellum ſtrenue ſe comparavit, & Armenos, ne Gallis ſe conjungerent, opprimere eſt meditatus: utque pernicioſa perficeret conſilia, Tartaros qui hactenus Chriſtianorum fœderati extiterant, & quorum auxilio res Chriſtiana ſteterat in oriente, atque Aramanum Turcam novis fœderibus ſibi devinxit. Suſtinendis tot hoſtibus Saracenis, Tartaris, Turcis impar erat Armenia: dum illius etiam vires inteſtina diſcordia magis debilitavit (b).

(b) *Jo. Vill. l. 9. c. 148. Ant. 3. p. tit. 21. c. 5.*

(c) *An. 7. p. 1. ep. cur. 8. & MS. arch. Vat. de rebus Tart. Armen. & alior. infid. & ſchiſm. p. 9.*

Indicta in proximum annum Armenica expeditio.

Deſcribit non ſine lacrymis Pontifex clades illatas a ſoldano Babyloniæ, Aramano Turcarum principe, atque Damorda Tartaro viro ſceleſtiſſimo, qui Mahometis nomine execrando a Saracenis ſibi promiſſo, ſacrilegæ gloriæ cupiditate ad Chriſtianum excindendum nomen fuerat excitatus; utque Armenis in extremum adductis exitium opitularetur, exeunte anno expeditionem, appetente proximo vere conficiendam a nonnullis ducibus, indixit, ac fideles, ut vel ſtipe vel opera eam juvarent, eſt adhortatus (c).

XXXIII.

*Joannes, &c. univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis.*

*Dum mentis noſtræ aciem & internæ conſiderationis aſpectum ad terræ ſanctæ ſubſidium ejuſque flebilem ſtatum intenta meditatione porrigimus, illud cum propheta dicere cogimur: Magna eſt velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Grandem utique afflictionem ejus futuram idem propheta commemorans, nec habens cui compararet illam, cui aſſimilaret, cuique æquaret eandem, tempeſtati maris ejuſque amaritudini, quod intumeſcentibus fluctibus ventorum impulſione concutitur, latrunculorum patet incurſibus, & biantis aquæ periculis prompta demerſione paratur, vicina quadam illi ſolitudinis & formidandæ nobis comparatione metaphoræ exæquavit, cum diceret: Magna eſt velut mare contritio tua; quam undique fluctus operiunt, venantur inſidiæ, hoſtes jaculantur in mortem. Sed cum illius medelam difficillimam propheta conſpiceret, quam longo jam ſpiritu cernebat languore tabeſcere, divina relinqui deſolatione videbat, merito ſubiunxit, ut diceret: Quis medebitur tui? abſunt namque, qui diligunt: longe ſunt ab ea, qui opem ferant: inſtant, qui odiunt; gravant, ut non reſurgat; finitimos quoque ejus Armenos, ipſorumque regiones & ſata per ſe perque alios aggrediuntur, depopulantur, & vaſtant: ſic opprimunt, ut eos periment: ſic opprimunt, ut vel ipſis tributum dent: ſic opprimunt, ut Chriſti nomen, quod abſit, abnegata fide aboleatur in illis: Machometo vero nequiſſimo ſerviant, illi impudico ſternantur, hoſtes nobis fiant ex milite, apoſtatæ ex fideli; locus proſtremo non maneat, ubi in tranſmarinis partibus, caperetur Armenia, pedem Chriſtianitas ſuæ devotionis affigat.*

Apoſtolicæ ad fideles pro ardore incendendos literæ.

*Nam, quod dolentes referimus & magna cordis amaritudine recenſemus, diebus iſtis noviſſimis, prout venerabiles fratres archiepiſcopi & epiſcopi, ac chariſſimus in Chriſto, filius noſter Leo Rex, & dilecti filii nobiles viri Oſſinus comes Curchi & gubernator, cæterique barones ac populus regni Armeniæ nobis per ſuas literas & nuntios lacrymabiliter intimarunt, ſoldanus Babyloniæ velut ſecundus nequitia Pharao, cujus cor contra Dei erat populum induratum, & Turci, licet eos hactenus graviter diutius afflixiſſent, quod Chriſtianis alia terra ſolida ultramarina præter Armeniam non remanſerat, eam nunc de medio tollere conabantur; præſertim quia fide digna relatione perceperant, ſedem Apoſtolicam decreviſſe, eiſdem Armenis in tantis eorum oppreſſionibus ut fidelibus ſubvenire; ſicque dubitans, ne Franci Armenis ſociati eoſdem efficacius impugnarent, idem ſoldanus cum Tartaris, qui dudum per centum annos Armenorum amici extiterant, per quos ſoliti erant ſe a Saracenis defendere, eiſdem obſiſtere, illos etiam impugnare, & cum Aramano Turcomanorum domino pernicioſam amicitiam iniit, ut triplici fultus*

Ut Babylonici Armenos delere ſint meditati.

Concitarint in eos Tartaros. Aramanum Turcomanum inſtigarint.





*tus unanimine a tribus partibus Armeniæ terram invaderet, quo Armenorum reſiſtentiam præteritam minueret, eos aggrederetur ſecurius, cautius immo ſeverius conculcaret: quod effectus vicinior docuit, & pavor eorum proximus comminatur.*

Quid promiſerint Damordæ Tartaro ſi Chriſtianos exciderit.

*Nam Damordas magnus & potens inter eos, qui Armeniæ adiacent, Tartaros ætate ut fertur juvenis, moribus elatus; quique ob ſuam in Chriſti fideles nequitiam, deteſtanda facinora & odii virus effuſum ſecundus a Saracenis dicitur Machometus; cui &, ſi incboata perfecerit, & ſuam in Chriſtianos truculentiam conſummabit, abominabile Deo Machometi nomen pollicentur, ut gaudeat; offerunt ut exultet (nam lætantur cum male fecerint & exultant in rebus peſſimis) cum triginta millibus equitum Armeniæ regnum invaſit, per viginti quinque dierum ſpatium, quibus in ipſo diſcurrit ut hoſtis, depopulatus eſt, vaſtavit, incendit, & rapuit: boves quoque, oves, & cætera eorum animalia abegit: agrorum ſata virentia equorum ſuorum pabulis adeo conſumpſit, quod ſemen eis, unde deinceps fererent, non reliquit.*

Ut is Armeniam attriverit.

XXXIV.

*Et quia eorum hoſtilis in Armeniam non timebatur Tartarorum adventus, ipſique Armeniæ infirma & intima quæque cognoverant, veluti alias inibi familiarius converſati, occiſis quamplurimis in planitie, qui ad Armeniæ montes non fugerant, ac nonnullis, qui in montanis ac fortelitiis ejuſdem fugæ ſuæ præſidium poſuerunt, pueris videlicet & fœminis, in captivitatem adductis, effringunt eccleſias, altaria polluunt, ſacerdotes occidunt; nec non abbatias, monaſteria, caſalia, & præſterias ardentis foci flamma conſumunt. Quorum ſic deteſtandus furor deſævit immanius, quod non pepercit mortuis, nec compaſſus eſt jam defunctis; cum eorum exhumaret corpora, ſepulchra violaret deprædaretur tumulos, nuda relinqueret monumenta: ſicut & viventium peculium rapuit; ſuppellectilem ſpoliavit, dum conſpecta quæque diriperet, abſcondita turpius rimaretur. Ac deinde poſt ejuſdem Tartari Damordas de regno Armeniæ antedicto egreſſum, præfatus Haramanus Turcomanorum dominus ipſius Damordas procuratione, quin potius nequam machinatione, cum magno exercitu idem Armeniæ iterato regnum invaſit, vaſtans & diſſipans quod invenit. Cumque eundem Damordas de die in diem rediturum expectent cum tremore valido hoſtiliter, nec immerito, & terribilem ejuſdem in Armeniam reditum reformidant, prout eorundem prælatorum, Regis, gubernatoris, baronum, & populi calamitates hujuſmodi & nonnulla alia circa hæc continentes, tranſmiſſæ nobis antedictæ literæ indicabant.*

Eo diſcedente irruperit Haramanus ac Damordas expectetur rediturus.

*Sed & ſoldanus idem præfata dudum machinata nequitia triplici volens Armenos contritione conterere, poſt memoratum illorum egreſſum, innumeram equitum & peditum multitudinem hoſtiliter in Armeniam Saracenorum immiſit, quæ depopulata eſt reliqua, vaſtavit atque combuſſit Lajacium Armeniæ civitatem, locum utique inſignem cum ſuo inibi caſtro demoliens, & tandem navali obſidione vel bello captum etiam ejuſdem civitatis caſtrum fortiſſimum, in mari ſitum evertens; ut illud Joelis prophetæ in hoc etiam vaticinium impleatur: Reſiduum crucæ comedit locuſta, reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit ærugo; prout ad nos poſt præfatas Armenorum literas & nuntios fide digna, ſed mœſta, relatione pervenit. Qua de re clamat oppreſſus ad nos, velut ad patrem filius: clamat fidelis ad Romanam eccleſiam ultramarinus populus, ut ad matrem; clamat afflictus idem ad cunctos Chriſticolas, ut ad fratres, præſidium poſtulans, ultra requirens monita, flagitans vires indulgentiæ, largitionis, & ſubventionis expoſcens. Chriſtianitas enim, ut præfati ſumus, in Armenia paupere oppreſſa eſt. Soldanus illis inſultat, dum obtinet; minatur, dum vincit: ex hoc blaſpemus exprobrat Deo vivo, dumque ſuperbit impius, inceuditur pauper, affligitur qui minus poteſt Jeruſalem in Creatoris contumeliam detinet, in confuſionem fidelium, in periculum animarum. Depopulatur Armeniam, vaſtat, incendit, & viris minatur exterminium, illis ſuæ ſervitutis jugum perpetuum comminatur.*

Abeunte Turcomano irruerit Babylonius.

Arcem maritimam Lajacii everterit.

Confugerint ad ſedem Apoſt. Armeni.

XXXV. Cyprum ſibi ſubiicere cogitent Ægyptii.

*Effœminati, ut fertur, Ægyptii moliuntur ut navigent, galeas parant, iter in Cyprum intendunt; regnum quippe fidele, devotum, Chriſtianitati plurimum opportunum. Nam, ut eadem habebat relatio, ſoldanus ipſe chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Henricum Regem Cypri illuſtrem, qui in tanto bellorum diſcrimine Armenis compaſſus, multos eorum ac aliorum fidelium de dicto regno Armeniæ & caſtro Marino Lajacii ante dicto, miſſis navigiis, ut mortis iidem vitarent periculum, & inibi utcumque ſuſtentari valerent, in Cyprum fecit adduci; diffidavit elatus. Sed Non ſic impii, non ſic; ſed, ut ſperamus in Domino, tanquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terræ; quia novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit; quod, nondum elapſo triennio, in eodem regno Armeniæ contra ſoldani exercitum, qui depopulaturus Armeniam in gravi multitudine fuerat, ſuæ clementia dignationis effecit: nam cum eſſent numero decem & octo millia equitum Saracenorum, Chriſtiani ducenti vel circiter, quibus vivere Chriſtus erat, & mori lucrum, in Salvatore noſtro habentes fiduciam, in certis Armeniæ paſſibus, Saracenos aggredientes eoſdem, ſex millia ex eis equitum vel circa*

Henrico bellum a ſoldano denuntiatum.

Nonnulla Armenorum fœlicia prælia.

ceciderunt in bello, nonnullis eorum aliis in Chriſtianorum ſervitutem adductis; nunc etiam, qui ſolitus eſt mirabilia in ſuis operari fidelibus, miſericors non deſiſtit. Quippe, ut ex præfata relatione percepimus, poſt demolitionem Lajaci, everſionemque Marini caſtri ejuſdem, dum eadem ſoldani præmiſſa hoſtiliter equitum & peditum in Armenia multitudo, ſicut exultant victores capta præda, inſolentius lætaretur, ſexcenti Armeniæ milites, animo conſtantes & ſtrenui, ter eadem die particulari conflictu cum longe pluribus eis, ex eadem multitudine tunc ſibi viciſſim ſuccedentibus, hoſtibus habito, palmæ victoriam reportavit; adeo ut admiratus, qui eidem Saracenorum multitudini præerat, recollecto militum ſuorum exercitu, quatuor vel quinque millia equitum, computatis iis, qui in pugna Lajacii & caſtri ex eis perierant, deeſſe priori ſuorum numero inveniret: nec mirum, nam Clamaverunt juſti ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.

XXXVI. Arcana Dei in ſuis affligendis conſilia.

Verum quia ſæpe mala bonis inferuntur, ut meliores fiant; ſæpe peccatoribus ut convertantur; ſæpe juſtis, ut probentur in illis, nam Vaſa figuli probat fornax, homines vero juſtos tentatio tribulationis; qui ſunt ſicut ſol in juſtitia maneant, nam Beatus vir qui ſuffert tentationem, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quem repromiſit Deus diligentibus ſe; qui boni, in malis creſcant: crevit, Job dum affligeretur recepit de manu Domini duplicia; qui vero peccatores, quales omnes ex humilitate exiſtimare ſe debent, nam ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt; convertamur ad Dominum & miſerebitur, quia pius & miſericors eſt & multus ad ignoſcendum; & per cordis contritionem, oris confeſſionem, & operis ſatisfactionem ſcrutemur vias noſtras, & quæramus & revertamur ad Dominum levemus corda noſtra, cum manibus ad Dominum in cœlos, quia non repellet in ſempiternum Dominus; quia ſi abiecit, & miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum. Clamaverunt itaque ad Dominum, dum tribularentur: clamant & nunc oppreſſi dum ſubſtinent, & graviora ab opprimentibus reformidant. Clamant utique ad Dominum, clamant ad ejus vicarium; cunctoſqueChriſticolas,ut eis ſubveniatur in tempore, devota precum inſtantia interpellant.

XXXVII. Exhortatio ad fideles, ut Chriſtianum nomen tueantur.

Nunquid igitur nos ac univerſi Chriſti fideles, dum illius, qui pro nobis in cruce paſſus eſt, vulnera cernimus, afflictiones memoramus, opprobria recenſemus, quibus ſaturatus eſt, quæque illi ab inſipiente ſunt tota die; nunquid inquam, in tanta fidelis populi contritione, tanta miſeria, tanto ejus clamore, tantoque illius pavore, & nefandæ impudicitiæ formidando metu, & niſi celerius ſuccurratur eidem, non incertis, continere poterimus lacrymas? premere gemitus? viſcera concludere pietati? Abſit a mente fidelium, a cunctis Chriſticolis relegetur.

Decreta ad Armeniam & Cyprum defendendas auxilia ſignificat.

Quare nos hæc & fratres noſtri præfatæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, maturo penſantes judicio, eadem libra debitæ conſiderationis appendimus, & ex intimis noſtræ mentis præcordiis condolemus: & ut tantis præcaveamus diſpendiis, occurramus caſibus; rerum damnis, animarum corporumque periculis ſuccurramus, vias cogitamus & modos, quibus iis celeriter medela præſtetur. Et inter cætera, quæ nobis in præſentiarum & memoratis fratribus noſtris pro expedientiori ſe exhibent, ipſorumque Armenorum devota ſupplicatio continebat, pecuniarium a Chriſti fidelibus parandum ſubſidium, quo Armeniæ & Cypri regnis prædictis de frumento & hordeo, aliiſque victualibus & ad vitam neceſſariis ac armis & ſtipendiariorum ſtipendiis, quibus nunc maxime pro defenſione ſui Armenia indiget, ſuccurratur; nec non quod bellatores idonei, tam equites quam pedites, illuc pro ipſius defenſione Armeniæ ex eorumdem fidelium ſubſidio deſtinentur occurrit, donec Omnipotens tantis ejuſdem afflicti populi, ac totius Chriſtianitatis in illo, tribulationibus ſuæ benignitatis miſeratione compaſſus, dexteræ ſuæ potentiam extenderit ad juvamen.

XXXVIII. Angi quemque debere infuſo Chriſtiano ſanguine ulciſcendo.

Quocirca univerſos & ſingulos paterna dilectione requirimus attente, inducimus, ac præmiis ſpiritualium gaudiorum, quæ ſunt temporalibus merito præferenda, allicimus; univerſitatem veſtram tenore præſentium per aſperſionem ſacratiſſimi ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti, & per ejuſdem viſcera miſericordiæ Dei noſtri præcordialius obſecrantes, quatenus prædictorum Armenorum ſanguis & fidei calamitatis & ruinæ miſericordiam & pietatem habentes, eis & præfatis Cypri & Armeniæ regnis in tantæ eorum neceſſitatis articulo, immo terræ ſanctæ deſolationi perpetuæ, quod abſit, niſi eiſdem ſuccurratur celerius, in manibus inimicorum deficientibus, in prædictis quibus indigent opportunis & amplis ſubveniatis auxiliis, & copioſis eleemoſynarum ſuffragiis propenſius ſuccurratis; ac ut ardentes Chriſtianæ fidei zelatores, pro ipſius defenſione fidei, & prædictorum regnorum tuitione, terræ ſanctæ recuperationi ac tranſmarino paſſagio quamplurium opportuna, cum regna eadem inter cunctas fidelium terras magis ſint ipſi terræ ſanctæ vicina,

Ad recuperandam Syriam patere aditum.

unum ſcilicet in terra ſolida Armeniæ poſitum, alterum videlicet Cypri in mari ſitum ad ulteriora, magiſque accommoda ad recipiendum, refocillandum, & retinendum Chriſtianorum exercitus; impugnandum quoque infideles eoſdem, & recupe-



randum, divino aſſiſtente præſidio, de eorum manibus terram ſanctam, vos ad illuc perſonaliter transfretandum promptis affectibus & ſinceris deſideriis in peccatorum veſtrorum remedium præparetis: parata quidem manet in cælis pro fide Chriſti obeuntibus corona martyrum beatorum.

XXXIX. Morientibus in eo bello coronam martyrum propoſitam.

Et ut vos ad transfretandum, ſuccurrendum, & ſubveniendum præfatis Armeniæ regnique Cypri fidelibus poſſitis eo libentius atque ferventius animari, quo vos potiorem fructum ex transfretationis ſuccurſu & ſubventione hujuſmodi noveritis percepturos; nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, & illa quam nobis, licet inſufficientibus meritis, Deus ligandi atque ſolvendi contulit poteſtatem; omnibus qui infra annum a proxime futuris kal. martii numerandum, contra ſoldanum & alios infideles in ſuccurſum & auxilium regnorum Armeniæ & Cypri prædictorum in perſonis propriis & expenſis acceſſerint, in eis viciſſim, vel eorum altero ad minus per unius anni ſpatium juxta diſpoſitionem ſedis Apoſtolicæ moraturi, illam peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, veniam indulgemus, quæ proficiſcentibus in terræ ſanctæ ſubſidium concedi per ſedem Apoſt. conſuevit; & in retributionem juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augumentum, &c.

Indulgentias arma correpturis erogaturiſve ſtipem conceſſas.

Addit Pontifex eos etiam ſacris præmiis affectum iri, qui cum profectionem ornare non poſſint, conduxerint ſtipendiarios, vel pecunias pro ſuarum fortunarum modulo ad ſuſtinendos ſacri belli ſumptus contulerint: tum etiam ea conſecuturos, qui cum itineri ſe commiſerint, morte oppreſſi fuerint. Demandat etiam provinciam omnibus præſulibus, viriſque eccleſiaſticis, ac religioſis, ut pontificias literas populis pro concione exponant, ipſoſque ad perpetrandos intrepide pro Chriſti gloria periculorum æſtus, difficultates ſuperandas, ac ferenda Armeniæ & Cypro laborantibus promptiſſima auxilia incendant. Datum Avinione XIII. kalendas januarii anno ſeptimo. Indixit encyclicis aliis ad totius orbis præſules datis literis (a) publicas ad conciliandam Armeniis divinam opem preces, quarum formulas inter divina repetendas præſcripſit.

Concionatores hæc populis ſignificare juſſi.

Joannes &c. archiepiſcopo Brunduſino ejuſque ſuffraganeis.

Vobis veſtrumque ſingulis in virtute obedientiæ diſtrictius injungimus & mandamus, ut juxta ordinationem dudum habitam in concilio Lugdunenſi, tam in cathedralibus, quam in ſingulis veſtrarum civitatum ac diœceſum eccleſiis poni truncum concavum faciatis tribus clavibus conſignatum, prima penes loci ordinarium ſecunda penes eccleſiæ ſacerdotem, tertia vero per aliquem idoneum laicum & fidelem illius parochiæ, in qua truncus extiterit, per dictum eligendum ordinarium, fideliter conſervandis: in quo dicti fideles, juxta quod Dominus eorum mentibus inſpiraverit, ſuas eleemoſynas deponere in dictorum regnorum nempe Armeniæ & Cypri defenſionis ſubſidium, ac impugnationem hoſtium nominis crucifixi, ſuorumque remiſſionem peccaminum moneantur. Et ut hæc ab illo, a quo cuncta bona procedunt, facilius impetrentur, in ipſis eccleſiis ſemel in hebdomada certa die, quam ſacerdos pronuntiet populo, miſſa publice, una videlicet hebdomada miſſa de ſancta Trinitate, ſecunda de B. Virgine, tertia de ſanctis angelis, & ſic deinceps, cum devotione & reverentia decantetur. In qualibet autem miſſarum hujuſmodi cum omni devotione poſt, Agnus Dei, ante ſumptionem corporis Domini pſalmum dici mandamus & decernimus infraſcriptum, videlicet: Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam; cum Gloria Patri, & verſiculis, qui ſequuntur. Verſus: Salvos fac ſervos tuos, Reſponſio: Deus meus ſperantes in te. Verſ. Eſto nobis Domine turris fortitudinis. Reſp. A facie inimici. Verſ. Nihil proficiat inimicus in nobis. Reſp. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. Verſ. Exurge Domine adjuva nos. Reſp. Et libera nos propter nomen tuum.

De gazophylacio tenendo in eccleſiis.

Precum formulæ inter ſacra repetendæ.

Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus manu ſunt poteſtates & omnium jura regnorum reſpice ad populum Chriſtianum tuum nomen ſacratiſſimum invocantem, ut gentes, quæ in ſua feritate confidunt, potentiæ tuæ dextera comprimantur. Alia vero oratio ſemper dicatur in omnibus miſſis: Hoſtium noſtrorum quæſumus Domine elide ſuperbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne. Per Chriſtum dominum noſtrum. In omnibus autem miſſis aliis, quæ infra hebdomadam dicuntur, ſemper dicatur poſt, Agnus, & ante ſumptionem corporis domini noſtri Jeſu Chriſti pſalmus: Deus in adiutorium meum intende, cum verſiculis ſupraſcriptis & cum oratione. Hoſtium noſtrorum.

Fidelium eleemoſynæ in belli ſacri ſumptus vertendæ.

Hujuſmodi vero eleemoſynæ & oblationes, quæ in truncis mittentur ſeu deponentur eiſdem, diligenter & fideliter conſerventur, ut & de eis & largitionibus aliis, quæ pia fidelium largitate provenerint, ſecundum diſpoſitionem ſedis ejuſdem opportuna ſubventio dictis fidelibus proficiſcentibus in dictorum regnorum defenſionem & ſubſidium miniſtretur, & nulla fraus committatur in eis, & abſque diminutione qualibet fideliter conſerventur in defenſionem & ſubſidium hujuſmodi integraliter convertendæ, &c. Subdit, ut ſacræ illæ pecuniæ in rationum codices referen-

(a) Ext. in rotulo pergam. ſignato n. 747. ex Archivo Avinion. in Vat. delato.

ferendæ ſint: & anathema, nullo dignitatis habito diſcrimine, eas occupantibus rapientibuſve intendit. *Dat. Avin. XIII. kal. januarii pontificatus noſtri anno VII.*

XL. Cyprios ad Armen. auxilium concurrentes venia criminum donat Pont.

(a) To.3. ep. ſecr. pag.266. & l.7. p. 1. ep. cur. 7. 9. & 10.

(b) Eod. ep. cur.7. ext. etiam in eod. MS. arch. Vat. p.11.

Collegere in medio Saracenici belli ardore animos Armeni, in quorum auxilium e Cypro aliiſque provinciis fideles procurrere; conflatoque juſto exercitu, ſanguinem pro Chriſtiano nomine profundere parati, ad hoſtium excurſiones reprimendas crucis ſigna extulere: quos immortalitatis ſpe ad mortem fortiter oppetendam, ſi opus foret, confirmavit ad conſtantiam Pontifex (a), ac venia criminum commiſſorum reliquias, modo expiata primum rite conſcientia eſſet donavit: *Attendentes*, inquit, (b) *vos ad certandum contra inimicos fidei Chriſtianæ pro defenſione ipſius in campo certaminis conſtitutos, ut in eodem eo vos habeatis utilius, quo liberius ad æternam poſſitis beatitudinem pervenire, &c.* aliiſque literis de propoſita criminum & pœnarum gratuita condonatione in acie contra Saracenos occubituris, deque irruptionibus crebris hoſtium in Armeniam hæc habet Pontifex. *Ex veſtra inſinuatione percepimus, quod adeo eſtis ſoldano aliiſque infidelibus Chriſtiani nominis inimicis vicinitate propinqui, quod videmini fore quaſi ſignum poſiti ad ſagittam, & oportet vos contra eos pro defenſione memoratæ fidei atque veſtra frequenter inire certamina, in quibus veſtrum quamplurimi ſæpius moriuntur.*

XLI.

(c) To.3. ep. ſecr. pag.266.

Tartarorum Imp. ſolicitat Pontifex ad Armenorum clientelam ſuſcipiendam.

Liberandis ab extremo exitio Armeniæ rebus intentus Pontifex, non Cyprios (c) modo & Gallos, alioſque fideles, ut ſuperius a nobis dictum eſt; verum etiam Tartarorum Imperatorem in ſoldanum Babylonium concitare eſt meditatus. Inveterata erant Tartaros inter ac Saracenos odia, ac plures olim Imperatores Tartarorum Chriſtianis valida contra Babylonios & Ægyptios auxilia tulerant, horrendiſque Saracenos affecerant cladibus: adeo ut ſi occidentales a mutuis diſſenſionibus liberi arma cum Tartaris, ut ſæpius rogatos ab iis vidimus, conjunxiſſent Mahumeticum nomen penitus ab iis facile fuiſſet exciſum. Scriptis itaque literis ad Boyſſetham Imperatorem Pontifex (d), vetera Tartaros inter & Chriſtianos fœdera ad memoriam ipſi revocavit, utque Tartari Armenos ſæpius a Turcorum & aliorum hoſtium irruptionibus atque oppreſſione vindicaſſent: preceſque adiecit, ut Leoni Regi Armeniæ more majorum imperialem opem explicaret.

(d) Ib.pag. 39.

*Magnifico viro Boyſſetham Imperatori Tartarorum gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

*Refert progenitorum tuorum memoria, quod ipſi nominis Chriſtiani non abſque inſpirationis divinæ conſilio, ut pia credulitas ſuggerit, ſe reddentes benevolos amatores, cum Regibus Armeniæ, qui fuerant pro tempore, fœdus amicitiæ ſtabilis obſervarunt; eis contra Turcos, & alios eorum perſecutores & hoſtes prompti juvaminis impendentes auxilium, & in eorum ac regni & ſubditorum ſuorum defenſionem ſolicitam potentiæ ſuæ dexteram extendendo, laudandæ imitationis exemplum tibi & aliis eorum poſteris relinquentes. Propter quod indubitata nobis fiducia repromittit, quod tu a dictorum progenitorum in hac parte veſtigiis, velut germen proprium, non declinans, eo majoris chariſſimo in Chriſto filio noſtro Regi Armeniæ illuſtri adverſus eoſdem perſecutores & hoſtes impendens ſubſidii fulcimentum, quo dictorum progenitorum exempla te ad id merito debent inducere potioris efficacia rationis.*

Exponit veterem Tartarorum cum Armenis conjunctionem.

Sæpius illos contra Turcos tutatos.

Nunc Armeniam in extremum adductam exitium.

*Cum igitur, ſicut noſti, memorati perſecutores & hoſtes, ad ejuſdem invaſionem regni ſuos ardentes exponendo conatus, aliqua nunc ipſius regni loca nequiter invaſiſſe dicantur, & ad invadendum alia ardenter aſpirent; magnitudinem tuam rogamus & hortamur attentius, & per Dei miſericordiam obſecramus, quatenus hujuſmodi progenitorum ipſorum inhærendo veſtigiis, dicto Regi contra perſecutores & hoſtes eoſdem pro divina & Apoſtolicæ ſedis ac noſtra reverentia ſic potenter aſſurgas, ſicque illum tuæ virtute potentiæ tuearis, quod perſecutores & hoſtes ipſi, tuo potenti brachio ſuperati, cogantur occupata dimittere, & ab ipſorum Regis & regni perſecutionibus reſilire; teque divina clementia, percipiens vota tua ſuis ſuper hoc beneplacitis conformare, ad agnitionem ſui glorioſiſſimi nominis, ſine qua ſalus eſſe non poteſt, dignetur miſericorditer revocare, & per ſuorum dirigere ſemitam mandatorum; & tibi, poſt vitæ præſentis excurſum, in cæleſti patria præparare feliciter manſionem. Dat. Avin. III. non. julii anno VI.*

Gloriæ ipſius eſſe illam defendere.

XLII. Ipſum ad Chriſtiana ſacra allicere ſtudet.

Pellicere eundem Imperatorem ad Chriſtiana ſacra conatus eſt Joannes, eumque ad univerſi orbis Conditorem, a quo potentiam ſceptrumque omnium Tartarorum accepiſſet, agnoſcendum excitavit. Plures illius majores religionem Chriſtianam erant amplexi, ſuos ſæpius ad ſedem Apoſtolicam oratores miſerant, inierant cum Regibus Francorum fœdera, muneribus & officiis certarant invicem. Ad redintegrandam itaque veterem amicitiam Pontifex, qui ſperabat ex Tartarorum & Francorum mutuo fœdere, Saracenicum imperium facilius oppugnatum & everſum iri, Boyſſethanum Imperatorem ad mittendos ad ſedem Apoſtolicam & Gallicam aulam oratores ſolici-



(a) Ib. pag. 89. & an. 6. p. 1. ep. cur. 8.

licitavit (a), remque eam ſibi fore gratiſſimam ſignificavit.

*Magnifico viro Boyſſethan Imperatori Tartarorum gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

Ead. de re literæ.

*Inter ſolicitudines alias noſtris humeris incumbentes hoc perpeti cura revolvimus, & in hoc ſolidæ charitatis ardore crebris orationibus a Domino poſtulamus, ut ipſe lapis angularis, qui fecit utraque unum, ſuam ſanctam, catholicam, & univerſalem eccleſiam toto orbe terrarum in unitate fidei orthodoxæ dignanter adiuvet, cunctis mundum purget erroribus, & diffundat in mentibus ignorantium nomen ejus ſuæ radios claritatis, ut ipſum cognoſcant Deum vivum & verum omnium conditorem. Propterea jubilum copioſæ lætitiæ deſideriis noſtris accreſceret, ſi te dignum filium benedictionis conſtituens, vivido ac individuo ejuſdem eccleſiæ catholicæ corpori ad participationem vitalis ſpiritus jungereris inſeparabilis fœdere charitatis. Ideoque magnitudinem tuam rogamus & hortamur attentius, & per illius, qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit, miſericordiam obſecramus, quatenus ejuſdem fidei ſaluberrimam unitatem quam primo ſancti Apoſtoli de fideli Chriſti pectore ſuſceperunt, & quam ſacroſancta Romana ſervat, prædicat, & docet eccleſia, ſine qua nemo unquam Deum videre poterit, reverenter amplectens; & devote conſiderans, quod omnis homo eo ipſo, quod rationalis eſt conditus, debet ex ratione colligere illum, qui eum condidit eſſe Deum; in ipſius lumen & regimen, omnis vetuſtate peccati & cæcitatis errore depoſitis, per baptiſmatis tranſeat ſacramentum, fidem hujuſmodi conſtanter & fortiter obſervando: ut per illam gratia domini ſalvatus, cum Dei electis aſſequi valeas hereditatem incorruptibilem incontaminatam, & immarceſcibilem conſervatam in cælis.*

XLIII. Hortatur Tartarum ut more majorum oratores ad Apoſt. & Gallicam aulam mittat.

*Cæterum frequenter audiviſſe meminimus, quod memorati progenitores tui tanquam viri magnanimitate ſublimes, ut Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris & Apoſtolicæ ſedi devotam reverentiam exhiberent, ad ipſos interdum propter hoc mittebant nuntios ſpeciales; & nihilominus cum Francorum Regibus, qui tunc erant, amicitiam contrahentes, illos per eoſdem nuntios & literas viſitabant: quos prædeceſſores ac Reges ipſi recipientes honorificentia, qua decebat, eorum gratis aſpectibus lætabantur, ſe hinc inde progenitoribus ac Regibus ipſis donis & muneribus honorando. Ex quibus potes plene colligere, quod tibi & imperio tuo ad laudis cumulum & honoris accreſceret, ſi progenitorum ipſorum imitatus exemplum, per ſimiles nuntios nos & dictam viſitares ſedem, & cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Rege Francorum illuſtri amicitiam renovares: nos enim ex hoc ſpecialiter lætaremur in Domino, qui tibi libenter in omnibus, cum ſecundum Deum grata procederent, placeremus. Dat. Avin. IV. non. julii anno VI.*

XLIV. Excitat Abuſcanum Tartarum principem ad religionem proferendam.

Tuebatur in Aquilonari Tartaria religionem Chriſtianam Abuſcanus princeps, Regis Cotogani filius, cui ſuperiori anno ob ſacra Chriſtiana amplexa Pontificem gratulatum vidimus; quem etiam hoc anno ad populos ſua auctoritate ad Chriſtum adducendos eſt adhortatus (b): utque cæleſtibus præmiis ad pietatem principem neophytum accenderet, ſingulis diebus, quibus auguſtiſſimo miſſæ ſacrificio intereſſet, viginti dierum indulgentiam impertiit.

(b) An.6. p.1. ep. com.479.

*Dilecto filio nobili viro Abuſcano nato claræ memoriæ Cotogani Regis in partibus Tartariæ.*

*Ingentem, nec mirum, materiam gaudiorum ſuſcepimus quod ſummus ille lapis angularis dominus Jeſus Chriſtus, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino; quodque quos ſalvos vult fieri, ad cognitionem ſui non deſinit ſemper abundantiſſimo beneficio erudire, per inenarrabilem gratiam ſuam toto orbe diffuſam augens continue familiam Chriſtianam, te ſicut venerabilis fratris noſtri Hieronymi epiſcopi Caphenſis & ſocii ejus relatione jucunda percepimus, veræ fidei luce perfuſum & ſacri baptiſmatis fonte renatum, ac imbutum doctrina apoſtolicæ & evangelicæ veritatis, unitati ſanctæ Romanæ ac apoſtolicæ & catholicæ eccleſiæ aggregavit.*

De ſuſcepta fide ei gratulatur.

*Quia igitur Deo patri æterno, & apoſtolicis votis ad gaudium cedit immenſum, ſi Redemptoris noſtri familia in ipſis partibus, quas dudum cæcitas errorum obduxerat, dilatetur; nobilitatem tuam rogamus & hortamur in eodem noſtro piiſſimo Redemptore, quatenus prudenter attendens, quod inter cætera, quæ de recto calle dirigere poterunt ad vitæ gaudia ſempiterna, hoc eſt præcipuum, ſi ſubditos tuos vivido & individuo ejuſdem catholicæ eccleſiæ corpori, & cognitioni veræ fidei aggregabis; ad hoc præſtes opem, & ad hoc totis ſtudiis elabores, ut ejus obtentu, qui fidelibus ſuis iter æternæ vitæ demonſtrans, paradiſi januas, quas primi parentis inobedientia clauſerat, ineffabili miſericordia reſeravit, eoſdem ſubditos per te & alios cognitione fidei catholicæ illuſtratos unitati ejuſdem fidei ſtudeas aggregare. Ut autem, fili, tuæ devotionis integritas eo promptius piis operibus intendere ſtudeat, quo majorem indulgentiam per Apoſtolicæ ſedis gratiam fuerit conſecuta; devotioni tuæ, dummodo vere fueris pœnitens & confeſſus, qualibet die, in qua ob reverentiam ejuſdem do-*

Sacra audituro nonnullas indulgentias impertitur.

*domini noſtri Jeſu Chriſti & beatiſſimæ matris ejus miſſam audieris; vel ad eccleſiam cauſa orandi te devote contuleris, viginti dies de iniunctis tibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Nulli ergo, &c. Dat. Avin. XI. kal. martii anno VI.*

XLV. Hieronymus in Tartariam ad prædic. evangelium miſſus. Caphenſi epiſcopatu donatus.

Miſerat Hieronymum Clemens V. in Tartariam, ad eos populos, veteris ſuperſtitionis tenebris obſitos, colluſtrandos evangelii luce; ſacriſque epiſcopalibus inſigniverat, quamvis nullius illi epiſcopatus nomen attribuiſſet. Cum vero ab eo feliciſſime in Tartaria Aquilonari religio propagaretur; Joannes illum Caffenſi epiſcopatu a ſe inſtituto donavit, cujus diœceſis fines ita circumſcripſit (a): *Civitatem Caffenſem; tunc villam infra Cambalienſis diœceſis limitem conſtitutam, qui locus inſignis exiſtit, & ubertate multiplici hominum & rerum exuberat, de fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis in civitatem ereximus, & civitatis vocabulo duximus decorandam: & a villa de Varia in Bulgaria uſque Saray incluſive in longitudine, & a mari Pontico uſque ad terram Rhutenorum in latitudine pro diœceſi eidem Caffenſi eccleſiæ duximus aſſignandam; ſtatuentes ac etiam decernentes, ut eccleſia ſanctæ Agnetis dicti loci Caffenſis ex tunc haberetur & exiſteret perpetuis futuris temporibus cathedralis, &c. Dat Avin. IV. kal. martii anno VI.*

(a) Ib. ep. com. 497.

Caffa epiſcopali ſede decorata.

XLVI. Petitum a Pont. ut in Curchi epiſcopatum inſtitueret.

De inſtituendo alio epiſcopatu in Curchi Armeniæ provincia agitavit conſilium Pontifex, (b) expetente Oſſino comite; electumque Jeroſolymitanum, num eares fidei amplificationi conduceret, XII. kal. auguſti cognoſcere juſſit. Confirmatus (c) porro fuerat XIII. kal. jul. in Jeroſolymitano patriarchatu Petrus canonicus Nicoſienſis, cujus prædeceſſor Petri etiam nomen geſſerat: quo argumento Joannes ad Regem Cypri, ut patriarcham ſtudio regio proſequeretur, literas dedit (d). Cæterum Regem Cyprium ob lata Armenis, in extremum adductis exitium, auxilia ſoldani Babylonii iras in ſe concitaſſe, ſequenti anno amplius videbimus, quo Pontifex Cyprum periclitantem defendit.

(b) Ib. ep. 83.

(c) Ib. ep. 991.

Petrus creatus patriarcha Hieroſolym.

(d) Reg. poſt eand. ep.

XLVII. Rhodus vane tentata ab Orchane.

Tentata eſt a Turcis per hæc tempora Rhodus inſula, hoſtiſque a Rhodiis equitibus magna clade profligatus. De parta victoria conſentiunt hiſtorici, quanquam de illius tempore diſcrepant: Joannes enim Villanus (e) ad annum hujus ſeculi vigeſimum; continuator vero belli ſacri (f), aliique (g) in hunc annum rem coniiciunt. Aſcribenda vero eſt illius triumphi gloria divino Numini, cum barbarorum claſſis navium octoginta quatuor Rhodiis triremibus, & ſex aliis Genuenſibus, ac viginti majoris minoriſve alvei navibus circumſeſſa vel in noſtrorum poteſtatem venerit, vel fluctibus merſa ſit, duce Gerardo e Pinibus ordinis Hoſpitalariorum vicario. Cumulata ea victoria maritima terreſtri altera: decem enim Turcarum millia, quæ in Epiſcopia inſula expoſita fuerant, a victoribus capta, quorum pars cæſa, pars abducta in ſervitutem.

(e) Jo. Vill. l. 9. c. 118.

(f) Contin. belli ſac.

(g) Boſ. l. 2. de Rhod. eq. & alii.

Maritima de barbaris parta victoria. Alia terreſtris.

XLVIII. Victus Uroſius Raſciæ Rex a Car. Rege Ungar. ad conjunctionem eccleſiæ redit.

Peperit alium nobiliſſimum de ſchiſmaticis triumphum Carolus Ungariæ Rex, atque Uroſium Regem Raſciæ ad ſuas leges, ut ait Joannes Villanus (h), compulit. Eas vero fuiſſe, ut ejurato ſchiſmate Romanæ eccleſiæ ſe aggregaret, e pontificiis inferius afferendis (i) literis colligitur, quibus ipſi ad officium redeunti fidei formam, quam erat profeſſurus, præſcribit (k). Fuiſſe vero a Rege Carolo impietatis odio bello petitum, cum Macedones pio recuperandæ Romanæ eccleſiæ conjunctionis deſiderio arderent; maximumque ejus ſacri belli auctorem Chriſti vicarium extitiſſe, ſuperius vidimus.

(h) Jo. Vil. l. 9. c. 175.

(i) Anno 1323. n. 14. & ſeq.

Achaici infidelium & ſchiſmaticorum commercio ſe inquinant.

Servandæ incorruptæ religionis zelo ac ſchiſmatis abolendi accenſus Pontifex ægerrime tulit, Latinos qui in Achaja verſabantur, infidelium & ſchiſmaticorum commercio ſe inquinare: juſſitque Conſtantinopolitanum patriarcham (Latinum ſcilicet) atque archiepiſcopum Patracenſem Latinos illos deterrere, ne cum ſchiſmaticis in divinis communicarent.

(k) To. 3. ep. ſecr. pag. 260.

*Patriarchæ Conſtantinopolitano & archiepiſcopo Patracenſi.*

Fert graviter rem Pontifex.

*Ut ſplendor fidei catholicæ nullis pravorum actibus valeat obfuſcari, tanto curioſius invigilare convenit eccleſiarum prælatos, quanto de iis, velut eorum incumbentibus officiis, reddituri ſunt diſtrictius æterno judici rationem. Sane non abſque mentis amaritudine percepimus his diebus, quod in principatu Achajæ Chriſtiani fideles, qui Latini in illis partibus vulgariter nuncupantur, cum Græcis ſchiſmaticis & aliis infidelibus converſantes, interdum tam ipſi, quam eorum uxores & familiæ prædictorum ſchiſmaticorum ritui, non ſine ſuarum animarum periculis, adhærent imprudenter; & accedentes ſæpius ad miſſas audiendas, eorum oblationes ſacerdotibus ſchiſmaticis offerunt, & ſacramenta eccleſiaſtica juxta ritum hujuſmodi temere recipiunt ab eiſdem: dictique Latini ad miſſas & alia divina officia, quæ ſecundum ritum ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ celebrantur ibidem, admittere dictos ſchiſmaticos non verentur.*

Illos divina cum ſchiſmaticis participare vetat.

*Cum autem præmiſſa, ex quibus divina majeſtas offenditur, & religioni detrahitur non modicum Chriſtianæ, non ſint aliquatenus toleranda; fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos & quilibet veſtrum*

*per*



*per vos vel alium ſeu alios, præfatos fideles illarum partium Chriſtianos, ne talia, quæ in animarum ſuarum ſalutis vergunt diſpendium, de cætero attentare præſumant; ſed ab illis prorſus abſtineant, monere & efficaciter inducere viis & modis ad hoc expedientibus ſtudeatis; ipſos ad id nihilominus per cenſuram eccleſiaſticam & alias ſpirituales pœnas & ſententias, prout, quando, & quoties, ac ſicut expedire videritis, appellatione poſtpoſita, compellendo. Dat. Avin. kal. octobris anno VII.*

XLIX. Catalani Chriſtianos Turcis impie vendunt.

Graviori ſe contaminabat flagitio Catalana ſocietas, quæ cum in orientem ad Turcas oppugnandos trajeciſſet, arma in fideles Gallici generis nefarie verterat, ac piraticam exercebat in noſtros; ejectoque ex animo omni pietatis & religionis ſenſu, Chriſtianos quos intercipere poterant, divendebant Turcis. Impiorum anteſignanus erat Alfonſus, cujus ad officium revocandi provincia patriarchæ Conſtantinopolitano & Patracenſi archiepiſcopo, de quibus paulo ante memoravi, a Pontifice data eſt. (a)

(a) Ib. pag. 260.

*Patriarchæ Conſtantinopolitano & archiepiſcopo Patracenſi.*

Alfonſus illorum ſignifer.

*Ad noſtrum infeſtæ relationis aſſertione pervenit auditum, quod Alfonſus capitaneus, aliique rectores, ac nonnullæ ſingulares perſonæ magnæ ſocietatis, tanquam in tenebris & umbra mortis ambulantes damnabiliter, ſibique theſaurizantes iram in die iræ & ultionis juſti judicii Dei, nonnullos fideles Chriſticolas, in principatu Achajæ ac vicinis & circumpoſitis regionibus commorantes, per ſe & per piratas crudeles & curſarios ſuos hoſtiliter perſequuntur, affligunt immaniter, & captivant interdum; & quod eſt dolendum amarius, avaritiæ cœcitate ſeducti, Chriſticolas ipſos, venales Turcis infidelibus exponentes, pretio vendunt damnabili, & tradunt eos infidelium ipſorum diræ ſervitutis imperio, miſerabiliter captivantes. Cum igitur prædicta, ſi vera ſunt in illius opprobrium, qui Chriſticolas ipſos ſui pretioſi redemit effuſione cruoris, ac catholicæ fidei & gloriæ nominis Chriſtiani, nec non & illorum, qui talia patrare præſumunt, propriæ ſalutis diſpendium redundare noſcantur; fraternitati veſtræ, &c.* præcipit ut ducem fœderatorum, alioſque ſingulos a tanto ſcelere deterreant; ac ſi eo ſe contaminare non perhorruerint cenſuris eccleſiaſticis devinciant. *Dat. Avin. kal. octobris anno VII.*

In ipſos animadverti jubet Pont.

L. Græci inter ſe diſſentiunt.

Dum catholici eo furore ſuos in Græcia Turcis prodebant, a quibus demum perdendi erant, non minus Græci ſchiſmatici civilibus diſſenſionibus ſuum accerſebant exitium, ut in Turcarum prædam cederent; nec perhorruit Andronicus Imperator eos ex Aſia, in qua religionem Chriſtianam deleverant, in Europam adverſus nepotem Andronicum juniorem evocare (b): qui tamen ab eo primo belli impetu Zurulum inter & Selybriam fracti fugatique ſunt. Ex qua clade Andronicus ſenior, Turcarum diffiſus viribus, ſuorumque timens defectionem, pacem a nepote flagitavit. Cumque is a ſuis ſuaderetur (c), ut avo eas leges imponeret, quibus conſtrictus movere amplius bellum non poſſet, nimirum imperii parti, quam antea priori tractatu obtinuerat, ultimo bello comparata loca adjungeret; is in contrariam verſus ſententiam avo univerſi imperii adminiſtrationem reliquit. Jam a ſchiſmaticis ad hæreticos ſermonem transferamus.



Andronicus ſenior Turcas adverſus nepotem evocat. Iis debellatis pacem flagitat.

(b) Jo. Cant. hiſt. l. 1. c. 31.

(c) Id. c. 32.

LI. Andronicus junior avo univerſam imperii adminiſtrationem permittit.

Demandata eſt hoc anno Galliarum archiepiſcopis & epiſcopis provincia (d), ut tertii ordinis S. Franciſci ſodalium cauſam cognoſcerent, qui hæreſeos crimine erant poſtulati, ut e ſubjectis literis videri poterit.

(d) An. 6. p. 1. ep. cur. 52.

*Joannes, &c. venerabilibus fratribus univerſis archiepiſcopis & epiſcopis per Narbonenſem, Toloſanam, Auxitanam, Burdegalenſem, Terraconenſem, Arelatenſem, Aquenſem, Viennenſem, & Ebredunenſem provincias conſtitutis.*

Fratres Tertii ord. S. Franc. in ſuſpicionem hæreſeos vocati.

*De nonnullis profeſſoribus ordinis continentium, qui fratres tertii ordinis B. Franciſci vulgariter nuncupantur, gravis ad noſtri apoſtolatus auditum, quod dolenter referimus, pervenit infamia, juſtæ ultionis acrimoniam in eoſdem, ſi dictis facta conveniant, relatura; quod in hujuſmodi ordine tertio ſunt nonnullæ ſexus utriuſque perſonæ, quæ volentes potius ſuo errore perire, quam evangelica doctrina & ſalubri perſuaſione proficere, de articulis fidei, de ſacramentis eccleſiæ, de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac in quantum ejuſdem claves eccleſiæ ſe extendunt, altercari & diſputare, nonnulli etiam ex eis aliter in præmiſſis, quam Romana eccleſia doceat & ſentiat, ſentire ac profiteri præſumunt in derogationem, quantum in eis extat, catholicæ fidei, ac in perniciem ſuarum & aliarum, quas aſtute decipiunt, ſimplicium animarum.*

Datæ præſulibus partes ut ipſorum fidem diſcutiant.

*Nos itaque dignum cenſentes & debitum, ut ſuper his per vos & veſtrum quemlibet auctoritate noſtra, cum ſitis in partem noſtræ ſolicitudinis evocati, habeatur indago, & certitudo plenaria veritatis; fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictæ præcipiendo mandamus, quatenus ne talis morbi contagium in fideles ſubrepat populos animaſque ſimplicium, quod abſit, inficiat, perſonis utriuſque ſexus ejuſdem tertii ordinis in veſtris diœceſibus conſtitutis ad veſtram, prout commodius fieri poterit, præſentiam evocatis, inquiratis tam ſuper præmiſſis & ſingulis præmiſſo-*



*rum,*

*Qua forma interrogandi in judicio.*

*rum, quam de ingreſſu earum ad hujuſmodi tertium ordinem, & per quem vel quos ad ipſum ordinem, fuere recepti, & in cujus ſeu quorum manibus, ac ubi & quando & quid ſpecifice fuere profeſſi, juxta datam vobis ex alto prudentiam diligenter, & habita de ingreſſu, receptione, & profeſſione ipſorum, ac de diſputationibus & erroribus, ut præfertur; & utrum tanquam fideles atque catholici firmiter de prædictis & aliis ſentiant, quod ſancta Romana ſentit eccleſia, certitudine veritatis, &c.* Subdit ut iis, quos a criminis labe puros invenerint, nullam moleſtiam infligant, ſed moneant, ne ſe aliorum erroribus irretiri atque inquinari patiantur: illos vero quos non ſentire cum eccleſia, ſed hæreſis macula aſperſos deprehenderint, canonicis pœnis afficiant. *Dat. Avin. XV. kal. martii anno VI.*

Plecti ſontes, inſontes adſolvi juſſi.

LII. Exercitam poſtea in hos a præſulibus judiciorum ſeveritatem, refert (*a*) M. S. Vat. his verbis: *Hujus tempore Papæ diverſis vicibus fuerunt combuſti multi fratres Minores propter opinionem de paupertate evangelica, & multæ ſorores ordinis in diverſis locis.*

(*a*) *MS. bibl. Vat. ſign. n. 3765. in Jo. XXII.*

Franc. e Lutra hæreticus.

In Germania compactus in carcerem eſt a Spirenſi epiſcopo Franciſcus e Lutra Minoritarum deſertor, ingentium criminum reus, quem Pontifex deduci ad ſedem Apoſt. atque armato milite, ne vincula evaderet, ſtipari juſſit. Quo argumento ad epiſcopos Germanos, viros principes, urbiumque magiſtratus ſcripſit, ut ſuam in id operam conferrent. Quos vero ille errores ad diſſolvendum ſacrum Minoritarum ordinem ſerere ac diſſeminare publice elata protervia cœpiſſet, indicat Joannes in aliis ad Spirenſem epiſcopum datis (*b*): *Coram clero*, inquit, *& populo Spirenſi contra ſtatum dicti ordinis publice prædicare infamatorie non expaverat, damnatam Sarrabaytarum ſectam ſatagens ſuſcitare*, de Sarrabaytarum ſive pſeudoeremitarum ſecta ex Alvaro Pelagio ſupra egimus, *& inter cætera patenter prædicare præſumpſerat, quod non erant in ſtatu ſalutis fratres ordinis prælibati, quoſdam ipſius ordinis fratres peſtiferos, in quorum cordibus hoſtis antiquus ſator zizaniæ pravos ſeminavit errores; contra quos, utpote tunicam Domini ſcindere molientes, modum certæ proviſionis ſalubris duximus apponendum, auſu damnabili approbando, & dicendo, quod injuſte proceſſum fuerat contra eos.*

(*b*) *An. 6. p. 1. ep. com. 469.*

Illius errores

Peſtiferorum Minoritarum nomine deſignari videntur Fraticelli illi, qui pura & candida S. Franciſci inſtituta ſectari ſe jactabant, & a Cœleſtino V. Pontifice auctoramentum ſectæ, quæ poſtea a Bonifacio damnata fuerat, accepiſſe contendebant; quique duce Henrico Ceva trahere in apoſtaſim Minoritas, ordinemque ſanctiſſimum ſolvere nitebantur (*c*): in quos, veluti hæreſi maculatos, præſules legibus agere juſſos vidimus: contra quos & alios niſi a Joanne Franciſcani ordinis acerrimo propugnatore ſtudia apoſtolica magno ardore collocata fuiſſent, univerſus fere ordo periclitatus fuiſſet, ut Pontifice ipſo teſte viſuri ſumus. Ii porro pſeudominoritæ graviſſimo inſectabantur odio Minoritas, a quibus defecerant; adeo, ut memoratus impoſtor Franciſcus e Lutra, uti refert Joannes, pro concione exclamaret: *Quod peccaret mortaliter quicumque daret eleemoſynam fratribus ordinis memorati.* Proripuit ulterius hujus hypocritæ improbitas, quippe ut queritur Pontifex: *Alia ſuperſtitioſa & falſa in noſtrum & Apoſtolicæ ſedis contemptum, dicti ordinis opprobrium, plurimorum ſcandalum, & animæ ſuæ perniciem palam non eſt veritus prædicare, &c. Dat. Avin. kal. februarii anno VI.*

(*c*) *An. Ch. 1318. n. 45. & 61.*

LIII. Nec longe diſpar ſcelere illi fuit Ruffinus (*d*) Minorita, qui epiſcopi perſonam ementiri non perhorruit: quem a Michaele Cæſenate ſupremo ordinis præpoſito carceri mancipari juſſit. At ipſe Michael in errorem, demumque in hæreſim & ſchiſma prolapſus eſt, ordinemque univerſum, cui præerat, trahere in exitium molitus hoc ipſo anno. Cujus facinoris occaſionem narrat accuratiſſime Nicolaus Minorita (*e*), ejuſdem Michaelis ſchiſmate & hæreſi contaminatus, ut paſſim ipſe perſpicue oſtendit, pravoque animo edidit ingens volumen, in quod inſignia Pontificis in controverſia de paupertate Chriſti & Apoſtolorum ſancita, tum venerata Michaelis Cæſenatis ſcripta adverſus Pontificem, tum etiam Ludovici Bavari edicta, ejuſdemque ſtudioſorum varios libellos compegit. Is ergo, ab ipſo exordio rem altius repetens, ſcribit ſuperiore anno, ſcilicet MCCCXXI. præfecturæ Michaelis anno VI. quendam Beguinum ſive Bizochum, de qua ſecta jam ante a nobis dictum eſt, Narbonenſis archiepiſcopi, & Joannis Belvæ fidei cenſoris ordinis Prædicatorum imperio captum, & judicio hæreſeos poſtulatum fuiſſe; Beguinum vero inter alia affirmaſſe: *Quod Chriſtus & Apoſtoli*, ut ait auctor, *viam perfectionis ſequentes, nihil habuerunt jure proprietatis & dominii in ſpeciali, nec etiam in communi.* Cum vero in ipſum judiciariam actionem exerceret fidei cenſor, atque ad concilium religioſarum familiarum præpoſitos, & plures alios doctores congregaſſet; ex iis Berengarius Tolom Minorita theologus negavit ſuperiorem articulum de paupertate Chriſti & Apoſto-

(*d*) *To. 3. ep. ſecr. p. 317.*

Ruffinus Minor. epiſcopalia ſacra profanat.

(*e*) *Nic. Min. MS. bibl. Vat. ſign. n. 4008. p. 1. & MS. 4010. p. 1.*

Orta ingens de paupertate quæſtio.

Ejus origo.

Lis inter Prædicatores & Minor. ad ſedem Ap. devoluta.



ſtolorum hæreticum eſſe; ſed orthodoxum, atque in decretali Nicolai Papæ, *Exiit*, contineri contendit: dictum vero revocare juſſus, ad ſedem Apoſtolicam provocavit. Ex hac ſcintilla excitatum ingens incendium: cum enim Berengarius in ſacro Cardinalium ſenatu propoſuiſſet ſententiam, pontificio juſſu cuſtodiæ traditus eſt, ac theologorum celeberrimi cœtus deinde congregati, ut controverſia dirimeretur. Ac primum, accurate ventilaretur anathematis pœna, a Nicolao Papa objecta diſceptantibus de ſua conſtitutione, remiſſa eſt, edita ſanctione, (*a*) quæ juri canonico adjecta eſt.

Convocati doctorum cœtus.

Nicolai ſanctio ſuſpenſa.

(*a*) *Extat in Extrav. Quia non nunquam de verbor. ſignif.*

Tum vero indigna ſuſpicio nonnullorum ſuſurronum vitio magnam Franciſcanorum multitudinem pervaſit, Joannem in adverſariorum partes inclinare, atque in ordinis comitiis Peruſii congregatis primas ſchiſmatis faces accendere; quippe in eam temeritatem ſe proiecere, ut dum Apoſtolica ſedes in agitanda definiendaque controverſia occupata eſſent, ipſi ſententiam ſuam univerſis fidelibus encyclicis literis propoſuerint, quaſi jam a Nicolao in decretali *Exiit*, promulgatam: cum tamen ipſe de ea quæſtione, in qua plurima diſtinguenda Joannes in ſuis conſtitutionibus illuſtrat, decretorie non eſſet locutus; utque ſi quid ambiguitatis in ejus dictis emerſiſſet, ejus explanationem a Romano Pontifice petendam ſanxiſſet; non vero a Minoritarum præfecto & ſodalibus, cum hi errare poſſent, non vero Chriſti vicarius e Petri cathedra ſententiam laturus: *Si quid* inquit, Nicolaus, *penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, ad culmen prædictæ ſedis Apoſtolicæ deducatur, ut auctoritate apoſt. ſua in hoc manifeſtetur intentio*, CUI SOLI *conceſſum eſt in his ſtatuta condere, & edita declarare.* Ita nonnulli Minoritæ adverſus hanc conſtitutionem fucata illius tuendæ ſpecie, dum ſolvendi dubii Chriſti vicario præripere auctoritatem tentant, prævaricati ſunt. Quorum literas memoratus Nicolaus Minorita his verbis conceptas refert. (*b*)

*Univerſis Chriſtifidelibus, præſentes literas inſpecturis, frater Michael ordinis fratrum Minorum generalis miniſter, Guillelmus Angliæ Henricus ſuperioris Alamanniæ, Arnaldus Aquitaniæ provinciales miniſtri & in ſacra theologia magiſtri; nec non Hugo de Novocaſtro, & Guillelmus de Almuich ſacræ theologiæ doctores, Nicolaus miniſter Franciæ, ac Guillelmus Bloc baccalauri in ſacra pagina, & omnes miniſtri & cuſtodes, diſcreti & lectores generalium ſtudiorum apud Peruſium congregati in capitulo generali, ipſumque totum generale capitulum ordinis ſupradicti, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.* [1]

(*b*) *MS. bibl. Vat. ſign. numer. 4008. pag. 54. & MS. 4010. p. 2. ext. etiam apud Alvar. Pelag. de Plan. eccl. c. 2. c. 62. & apud Vad. hoc an. n. 52.*



NOTÆ [1] CElebris de paupertate Chriſti & Apoſtolorum quæſtio hoc anno in apertam animorum diſſenſionem erupit. Agitandam illam ſuſceperat Joannes, qui forte in eam mentem venerat occaſione diſcutiendi ſcripta Petri Joanni Olivi, ac illud præſertim in quo de altiſſima paupertate diſſerens, Chriſtum & Apoſtolos nihil habuiſſe proprium ſive in comuni ſive in privato contendit. Id enim aſſeruiſſe Petrum Joannis ex ſecunda accuſatione in F. Ubertinum de Caſalibus, cujus acta vulgavit Baluzius Miſcellan. to. I. pag. 296. diſcimus. Cum in utramque partem multi multa dixiſſent, requiſiti Fratres Minores ut ſententiam ſuam proderent, editis literis Chriſti paupertatem in proprio, & in communi tenere ſe profeſſi ſunt; idque fidei eſſe Catholicæ aſſeveraverunt. Tanta definiendi audacia offendit Joannem, qui hoc ipſo anno exeunte nempe VI. Idus Decembris lata conſtitutione, quæ & inter extravagantes communes legitur *tit. de Verbor. Signif.* omne quoad uſum *facti & juris* in rebus uſu conſumendis diſcrimen ſuſtulit; tranſlatumque in Apoſtolicam Sedem rerum ſuarum, quæ uſu ipſo conſumuntur a Minoritis, dominum a ſe removens Joannes largitoribus ſuis reſtituit. Ferens id acerbius F. Bonagratia, qui apud Pontificem ſuorum Minoritarum partes agebat, appellationem ſuo & ſociorum nomine in publico Pontificis & Cardinalium, ut vocant, conſiſtorio interpoſuit die XIV. Januarii anni ſequentis, ut ex Mariano antiquo Ordinis ſui Chroniſta tradit VVadingus in Annalibus ad A. 1323. num. I. ſtatim Pontifex priorem conſtitutionem ſuam iterum revocans ad incudem auxit roboravitque productis argumentis, quibus omne juris & facti diſcrimen inane eſſe commentum demonſtravit, eamque ſic reformatam ſub eadem anni & diei, qua prior, inſcriptione reproduxit, ut ex eodem antiquo Ordinis ſui Scriptore, qui circa annum 1504. florebat, VVadingus adnotavit. Poſtmodum eodem anno labente Pontifex Conſtitutionem ſuam dedit relatam in Annalibus anno ſequenti num. 61. Hæc Pontificis conſtitutio de Paupertate Chriſti, & Apoſtolorum mirum eſt quot turbas inter Minoritas excitaverit; nam alii Pontifici obſequendum rebantur; alii omnino reſiſtendum cenſebant quorum ducem ſe præbuit ſummus Minoritarum antiſtes Michael Cæſenas; alii denique viam mediam tenentes Conſtitutionem Joannis ita exponebant, ut neque illam penitus abnegarent, nec ita admitterent ut paupertati Minoritarum officeret; in concordiam cum decretali Nicolai III. redigere conantes. Concordiæ hujus incundæ rationes variæ tunc excogitatæ ſunt, & modo pariter inter Minoritas aliæ ac dein aliæ ineuntur. Quos inter legendus VVadingus ad Annum 1323. Exaſperatus Pontifex ob Minoritarum pervicaciam ſummum eorum Præſulem Michaelem loco ammonuit, quod tamen nonniſi anno 1328. accidit. Bernard. S. R. E. Cardinali Tuſculano ex Minoritis aſſumptus vices amoti Præſulis commiſſæ quoadusque ſucceſſor a Minoritis daretur. Tunc adverſarios Conſtitutionis ſuæ variis inſtitutis inſectationibus vexavit, quæ cauſa fuit ut illi agerentur in tranſverſum, atque e carcere Pontificio ſe ſubducentes, ad Ludovicum Bava-

rum,

Factioſor. literæ.

Noveritis, quod nos anno Domini MCCCXXII. indictione v. pridie non. junii, audita & intellecta quæſtione quadam, quæ in Romana curia præſentialiter agitatur, qua quæritur, utrum aſſerere Chriſtum & Apoſtolos ejus non habuiſſe aliqua in proprio nec in communi ſit hæreticum; & requiſiti quid de ipſa quæſtione ſentiremus, & in ſcriptis ſub noſtris ſigillis, & ſubſcriptionibus propriis redigere curaremus; viſis & examinatis dicta quæſtione, tum allegationibus, quæ pro & contra fiunt, diligentique & matura deliberatione digeſtis determinationi ſanctæ Romanæ eccleſiæ firmiter & totaliter inhærentes, concorditer & unanimiter dicimus & fatemur, quod dicere & aſſerere, quod Chriſtus viam perfectionis oſtendens, & Apoſtoli eamdem viam perfectionis ſequentes, atque per exemplum in alios volentes perfecte vivere derivantes, nihil jure propietatis, dominii, ſeu juris proprii in ſpeciali & in communi habuerunt, non eſt hæreticum; ſed ſanum, catholicum, & fidele. Si reſtringerent vocem, nihil, quantum ad immobilia, non errarent; ſed ipſos definiiſſe non modo quantum ad immobilia, ſed etiam quantum ad mobilia, conſtat: in quem ſenſum nefarium Nicolai Papæ verba, quæ falſo ſupponunt eſſe decretum fidei detorquent: cum verus verborum ejuſdem Nicolai ſenſus ſit, ut declaratum fuit a Joanne, Chriſtum & Apoſtolos nihil dominii, quantum ad immobilia habuiſſe ſive in ſpeciali ſive in communi; habuiſſe tamen quantum ad mobilia; quare diſtorta eſt ſequens concluſio. Maxime cum ſancta Romana eccleſia catholica, quæ a tramite apoſtolicæ traditionis nunquam deviaſſe, aut erraſſe probatur xxiv. q. 1. c. A recta fide, & cap. Pudenda in fine hoc expreſſe dicat, affirmet, & determinet manifeſte, extra de verborum ſignificatione cap. Exiit, qui ſeminat lib. vi. §. Porro, ſic inquiens: Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in ſpeciali, quam etiam in communi, propter Deum meritoria eſt & ſancta; quam & Chriſtus, viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmavit: quamque primi fundatores militantis eccleſiæ, id eſt, Apoſtoli, prout ab ipſo fonte, id eſt, Chriſto, hauſerant volentes perfecte vivere per doctrinæ & vitæ ipſorum alveos derivarunt. Quæ eccleſiæ determinatio in lib. vi. per ipſam catholicam eccleſiam eſt inſerta, & per aliam decretalem in Viennenſi concilio promulgatam (falſa eſt hæc hypotheſis tum quod omnia contenta in jure canonico ſint decreta fidei) in vii. lib. ſub tit. de verb. ſignificatione inſerta, & per ipſam univerſalem & catholicam eccleſiam eſt approbata; ac noviſſime per ſanctiſſimum patrem & dominum dominum Joannem, divina providentia Papam XXII. in quadam ſua declaratione edita ſuper regulam & ſtatum fratrum Minorum, quæ incipit, Quorundam exigit; eſt eadem declaratio plurimum commendata (purum hoc etiam mendacium eſt & falſum erroris fundamentum) tanquam ſalubriter edita, ſolida, lucida, multaque maturitate digeſta, & teſtante canone xix. dict. capitulo. Si Romanorum. Illud quod pro ſano dogmate ſedes Apoſtolica approbavit, ſemper teneri debet acceptum, nec ab eo licet alicui quomodolibet reſilire xxiv. q. 1. Hæc eſt fides (non in ſenſu falſo in quem illam factioſi diſtorſere.) In hujus autem noſtræ opinionis, & communionis ac concordis ſententiæ teſtimonium & munimen, præſentium ſeriem de communi conſenſu omnium noſtrum ſigillis & ſubſcriptionibus propriis generalis miniſtri, & nominatorum ſuperius magiſtrorum, & bacchalariorum in ſacra pagina; nec non quatuor provincialium miniſtrorum, videlicet Thomæ provinciæ Bononienſis, Petri provinciæ S. Franciſci, Fernandi provinciæ Caſtellæ, & Simonis provinciæ Turoniæ duximus muniendam. Datum Peruſii anno & menſe & die ſuperius nominatis, ſeu memoratis.

Mentiuntur controverſiam jam definitam, Figmentum inſtar oraculi propoſitum.

Detorta in alienum ſenſum Nicolai ſanctio.

Ego frater Michael ordinis fratrum Minorum generalis miniſter, & in ſacra pagina magiſter prædictis conſentio, & ea vera eſſe judico: in cujus rei teſtimonium ſigillum mei officii præſentibus literis appendi juſſi, & me propria manu ſubſcripſi.

Ego frater Guillelmus miniſter Angliæ in ſacra pagina magiſter prædictis conſentio, &c. ut ſupra.

Ego frater Henricus miniſter Alemanniæ ſuperioris, & in ſacra pagina magiſter, &c.

Ego frater Arnaldus miniſter Aquitaniæ, & in ſacra pagina magiſter.

Ego frater Ugo de caſtro novo in ſacra pagina magiſter.

Ego frater Nicolaus miniſter Franciæ in ſacra pagina magiſter.

Ego frater Guillelmus Almuic in ſacra pagina magiſter.

Ego frater Guillelmus Blocb in ſacra pagina bacchalarius.

Ego frater Thomas miniſter Bononiæ.

Ego frater Petrus miniſter provinciæ S. Franciſci.

Ego frater Fernandus miniſter provinciæ Caſtellæ.

Ego frater Simon miniſter Turoniæ.

Omnes ſubſcriſerunt ſicut primus cum proprio ſigillo cujuſque ipſorum.

LV. Damnata eſt poſtea a Pontifice illorum definitio, & cenſura hæreſeos, ſcilicet in ſenſu Michaelis, Okami, & ſociorum intento, & pertinaciter propugnato, notata ut refert Nicolaus (a) pſeudominorita. Quocirca alii Minoritæ dixere, illam damnatam ut hæreticam in quantum Michaelis Cæſenatis fuit, non in quantum Minoritarum. Et quidem recte, cum veri Minoritæ decernenti contrarium dogma eccleſiæ adhæreſcere parati eſſent, atque ideo non lapſi ſunt in hæreſim. Michael autem cum ſociis, cum errorem contra decreta eccleſiæ tueri in animum induxiſſet, hæreſeos cenſura jure perſtrictus fuit; unde poſtea furens, in literis (b) ad Geraldum Othonem ordinis magiſtrum de Joanne Papa querebatur: Ipſe pronuntiavit, inquit, (c) literam generalis capituli hæreticam per ſe, & primo ratione contentorum in ipſa, & non ratione noſtri præciſe: & reputat totum ordinem fuiſſe fundatum in hæreſi: & tu ejus conſtitutiones habes ſicut catholicas. Hæc Michael hæreſiarcha. Ad quæ facilis eſt reſponſio, cœtum Peruſinum erraſſe, cum nondum controverſia definita eſſet ab eccleſia; & religioſos quoſque ordines in ſuis conſtitutionibus errare poſſe: Chriſti autem vicarium, divina fretum ope, in decretis fidei edendis errare non poſſe, ut ex evangelio, & SS. PP. oſtendunt theologi (d). Sed hunc ſycophantam ſe Pontifici, & conventiculum monachorum univerſali eccleſiæ prætuliſſe, viſuri ſumus.

(a) MS. bib. Vat. ſign. n. 4008. pag. 4.

(b) Ext. in MS. Vat. bibl. ſign. 4010. pag. 215.

(c) Ib. pag. 225.

Michaelis Cæſen. impudentia.

(d) Turrc. ſum. de eccleſ. l. 2. c. 109. Bella. de Rom. Pont. l. 4. c. 3. & alii.

Cæterum ad confirmandam memoratam ſententiam Michael, Ochamus, & alii Minoritarum præpoſiti, ut ſodales ſeducerent, libellum vii. idus junii in eodem cœtu Peruſino ediderunt, in quod plura falſa argumenta congeſſere. Hoc vero temerarium facinus Nicolaus pſeudominoritas ſchiſmaticus excuſat, dum ait, Minoritas rogatos fuiſſe a nonnullis Cardinalibus & aliis viris nobilibus, ut quid ipſi ſentirent de paupertate Chriſti in cœtu univerſi ordinis definirent: Subſequenter, inquit, (e) aliqui Cardinales & nonnulli alii viri nobiles requiſierunt præfatum fratrem Michaelem generalem miniſtrum dicti ordinis & totum capitulum generale apud * Pariſium in pentecoſte tunc proximum celebrandum, quod ipſi definirent & determinarent illud de dicta quæſtione de paupertate Chriſti & Apoſtolorum ejus ſentirent, & in ſcriptis redigerent, ac univerſis Chriſti fidelibus deſtinarent. Mox autem auctor ſchiſmaticus ſodalium impiam arrogantiam detegit, dum alia cauſa permotos addit: Ex hoc, inquit, ſperantes, præfatum dominum Joannem ad errores diſpoſitum refrænare, ne de dicta quæſtione in præjudicium prædeceſſorum ſuorum & fidei attentaret oppoſitum definire; quaſi Chriſti vicarius, e Petri cathedra fidelibus dogma propoſiturus, errare poſſet, atque a Michaele & ſociis e capitulo, ut vocant, corrigendus fuiſſet. Hæc fuere ſchiſmatis & hæreſeos exordia, quæ eccleſiam catholicam poſtea laniarunt. Diſcant religioſæ familiæ ex hoc doctiſſimorum virorum lapſu modeſtius de ſua doctrina ſentire, nec fidei dirimendis controverſiis, ac muneri ad ſedem Apoſtolicam pertinentis ſeſe ingerere; quippe Michaelem, Ochamum, Henricum, alioſque nonnullos in concepta ſententia pertinaciſſime hæſiſſe, poſtquam hæreſeos damnata fuiſſet; ac præter ſchiſma, quod ſubornato Ludovico Bavaro creavere, etiam Fraticellorum, quibus ab opinione impia nomen fuit, ſcilicet fingentium ob dogma de paupertate Chriſti a Joanne definitum eundem ac ſucceſſores a Spiritu S. Chriſti vicariatu, exauctoratos: ſecutam nefariam propagaſſe, viſuri ſumus.

Editus ad firmandum errorem commentarius

(e) MS. bib. Vat. ſign. n. 4008. pag. 1. & 4010. pag. 1.

* Peruſium.

Admonitio ad religioſos ordines.

Prodiit auctor recentior Michaelis defenſor, qui illius deciſionem tuetur acerrime, atque hoc telo adverſantes adoritur

NOTÆ

rum, qui cum Pontifice mutuas agebat ſimultates, tranſirent. Cæterum Minoritæ reliqui dire interim torquebantur, nolentes ſive Pontifici pervicacius reſiſtere, ſive de ſeveritate paupertatis ſuæ quidquam remittere. Cui conſilio ut inhærerent, vel ipſi viri Principes ſuadebant, hortabanturque. Inter eos Sancia uxor Roberti Regis Siciliæ literas ad illos dedit, monens, rogansque, ut in ea, quam Chriſtus profeſſus fuit, paupertate perſiſterent. Harum literarum ſummam exhibet Joannes Vitoduranus, qui tunc inter Franciſcanos profeſſus Chronicon ſuum ſcribebat, & integras recitat VVadingus anno 1328. Viciſſim pariter Joannes inſiſtebat ut Minoritarum paupertatem ad eamdem cum cæteris Monachis viam redigeret. Cujus rei gratia anno 1324. nova conſtitutione uſum juris & facti in rebus, quæ uſu conſumuntur, unum eumdemque eſſe adductis argumentis demonſtravit. Secundum hæc Pariſienſis Conventus ad eligendum ſucceſſorem Michaelis Cæſenatis indictus fuit, qui locus ut eligeretur mandavit Joannes ratus in proximiori ſibi urbe facilius ſe impetraturum, ut Minoritæ redigerentur ad obſequium. Conventus iſte celebratur anno 1329. & in eo multa quidem ad gratiam Joannis pontificis decreta ſunt; at de paupertate Chriſti *explicata quæſtionis difficultas*, ait Wadingus, *& reducta ad concordiam Decretalis Nicolai III. & deciſione Capituli Peruſini ex verbis Nicolai deſumpta cum Decretalibus Joannis Pontificis.* Nullibi tamen, ut arbitror, definitio iſta integre ex authographo deſcripta legitur. Idcirco quid ſtatuerint Patres, & quam conciliandarum decretalium concordiam invenerint ignoramus. Sed Joannes Vitoduranus affirmat aſſertam tunc fuiſſe Chriſti paupertatem illam, quam ad id uſque Minoritæ propugnaverant. Quare exiſtimandum eſt unam aliquam inſtituiſſe rationem ex iis, quas Minoritæ excogitaverant. Verum poſt illam Minoritici conventus profeſſionem nihil a Joanne in eos aſpere decretum ſcimus: ex quo intelligimus ipſum pariter Joannem demum acquieviſſe in eam ſententiam ut Chriſtus aliqua ſaltem ratione nihil ſive in communi ſive in privato poſſederit. Immerito igitur Annaliſta ſententiæ hujus aſſertores quoſcumque hæreſis manifeſte damnat. MANSI

(a) *Nitel. Franciſc. pag.* 216. Inſignis error recentioris veteres hæreticos defendentis.

tur (a): *Cum*, inquit, *manifeſta ſit hæreſis dicere, hanc determinationem capituli Peruſini eſſe Fraticellorum hæreſim; hoc enim convinceretur ſedem Apoſtolicam, atque adeo totam eccleſiam cum generali concilio non modo erraſſe judiciali, ut ferunt, errore; ſed etiam hæreſim longe ante & ſæpius ab eccleſia profligatam & damnatam docuiſſe, approbaſſe, & acceptaſſe*.

Supponit falſo ſanctionem. *Exiit eſſe decretum fidei.*

Supponit auctor hæreſiarchæ Michaelis ſepultos errores, & mendacia renovat, nimirum Nicolai conſtitutionem in ſenſum Fraticellorum detortam eſſe decretum fidei, illamque in concilio œcumenico confirmatam: oſtenſum enim jam ante fuit, concilium de ea quæſtione non egiſſe; neque ſanxiſſe Nicolaum, ut conſtitutio, *Exiit*, eſſet decretum fidei: nunquam etiam eccleſiam eandem ſanctionem pro decreto fidei habuiſſe, nunquam enim aſſenſiſſet, ut eandem conſtitutionem Joannes revocaret, cum (b) decreta fidei revocari nequeant.

(b) *Ext. ad conditorem de verb. ſig.*

Definitio Michaelis Cæſenatis non eſt ea de quo ad intelligentiam cum definitione Nicolai.

Non itaque ſequitur a fide aberraſſe eccleſiam, ſi Michael cum ſuis in edendo Peruſino decreto erraverit: erraſſe autem illum conſtat, cum ob determinationem illam pertinaciter defenſam una cum aliis judiciaria ſententia damnatus fuerit ab eccleſia hæreſeos, quam Pontifex pluribus conſtitutionibus confutavit. Præcipua vero ratio, qua auctor (c) innititur hæc eſt: *Quacumque porro via in concordiam veniet Joannes cum Nicolao, eodem modo reconciliare licet eundem cum determinatione Peruſina, cum eadem ſit Nicolai ſententia*.

(c) *Ead. Nitel. pag.* 205.

(d) *MS. bib. Vat. ſign. n.* 4010. *pag.* 206.

Negat id adverſus Michaelem hæreſiarcham Geraldus (d) Minoritarum præpoſitus generalis. Conſonant quidem externa ſpecie voces, ſed ſenſu longe diſcrepant; nam Nicolai verborum ſenſus verus & legitimus; declaratus a Joanne, ad quem ea auctoritas, non autem ad Minoritas ſpectabat, is eſt: Chriſtum & Apoſtolos nullum habuiſſe dominium quantum ad immobilia vel in ſpeciali vel in communi, habuiſſe autem quantum ad mobilia: Minoritarum autem in Peruſinis comitiis decernentium ſenſus ab iis intentus is fuit: Chriſtum & Apoſtolos nullum dominium neque quantum ad mobilia, neque quantum ad immobilia habuiſſe; ad quem propugnandum multos commentarios (e) edidere: quem ſenſum pravum pii verique Minoritæ paulo poſt captivantes intellectum in obſequium fidei, abjecere audita Joannis ex Petri cathedra ſententia (f). Michael autem, Okamus, Bonagratia, & alii determinationem erroneam in primo ſenſu intento tenentes, pertinaciter hæreſim, quæ Fraticellorum vulgo dicta eſt, auxere: cum ob arrogantiam errorem fateri nollent, a quo certe nemo catholicus eos vindicare poteſt.

(e) *Ext. in MS. bibl. Vat. ſign. n.* 4008. 4009. 4010 & *in MS.* 3740. *p.* 1.

(f) *Extr. Cum inter nonnullos de verb. ſign.*

Producimus in hac cauſa teſtem ſupremum Minoritarum præfectum adverſus Michaelem hæreſiarcham ita decertantem, Geraldum nimirum, de quo paulo ante memoravi: *Tu*, inquit, (g) *non dominus Papa reprehenſibilis multipliciter extitiſti: tu namque quæſtionem de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum ejus in diſcuſſione ſedis Apoſtolicæ tunc temporis actu pendentem, prædeterminare auſu temerario præſumpſiſti: de qua temeritate, nullo quidem ſanæ mentis dubitante, dignus reprehenſione & confuſione fuiſti. Commiſſum tibi ordinem gravi expoſuiſti periculo, eccleſiam univerſalem gravi repleſti ſcandalo, decretum ſedis Apoſtolicæ contempſiſti; dicit enim dominus Nicolaus III. in decret. Exiit: Si quid penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, hoc ad culmen ſedis apoſtolicæ deducatur, ut ex auctoritate apoſtolica ſua in hoc manifeſtetur intentio, cui ſoli conceſſum eſt in iis ſtatuta condere, & condita declarare. Tu vero ambiguitatem, quam noveras in materia dictæ decretalis ad culmen ſedis Apoſtolicæ jam eſſe deductam, præoccupare, & univerſis Chriſti fidelibus tuam audaciam notam facere voluiſti, nec quod in hoc ſedis Apoſtolicæ manifeſtetur intentio, expectaſti: quapropter & præſumptionem contra te dediſti, & perfidæ opinionis ſpeciem prætendiſti, in hoc enim opinari & credere videbaris, quod ſedes Apoſtolica tuam, non tu ſuam ſequi deberet intentionem; vel quod ei omnino diſponeres repugnare.*

(g) *MS. bibl. Vat. ſign. n.* 4010. *pag.* 206.

Michaelis præſumptio impia.

Ut vehementem de ſe hæreſeos ſuſpicionem concitarit.

*Unde mirari non debuiſti, ſi dominus Papa literam tuam ſeu determinationem, pro quanto erat tua dixit hæreticam: non quidem definiendo, pronuntiando, vel ſententiando; vel etiam pro tribunali ſedendo; ſed ad partem coram ordinis noſtri fratribus objurgando, reprehendendo, & tuam temeritatem præſumptuoſam increpando. Tunc enim ex viſibilibus conjecturis te fore ſuſpicabatur hæreticum, ſicut conſequenti tempore declaravit: cernebat enim, quod in prænominata determinatione, ſeu verius interminatione tua, ſpeciem malam ut prædicitur prætendiſti, quæ gravem & periculoſam hæreſim ſapiebat: quare non mirum, ſi ad cauſam & ad ſpeciem dictæ literæ, ſeu determinationis vel potius, ut dictum eſt, interminationis attendens dixit, ipſam hæreticam modo & forma & circumſtantiis ſupradictis.*

Haud vanam fuiſſe docuit exitus.

*Nec ex hujuſmodi dicto ſequuntur inconvenientia, quæ tua falſa calliditas infert, ſcilicet quod dominus Papa ideo ſchiſmaticam & hæreticam faciat, ut deſtruat & confundat determinationem eccleſiæ & regulam B. Franciſci & religionem noſtram: determinatio enim eccleſiæ non eſt ſimpliciter eadem cum determinatione tua, ut de ſe patet cuilibet intuenti.*

Michaelis calumnia.

Refringitur.

Ex his verbis arguitur Nitelæ auctor, cui non tam credendum, quam Minoritarum magiſtro adverſus hæreſiarcham pugnanti conſtat; præcipue cum in eo non Franciſcani ordinis, ſed apoſtatarum hæreticorum patrocinium ſumere videatur; & Franciſcanæ religionis notiſſima pietas ab eo exigat, ut cum Geraldo potius quam Michaele in hac re ſentiat.



Diſcrepantia definitionis Nicolai & Mich.

Pergit Geraldus adverſus Michaelem: *Item determinatio eccleſiæ fuit a cauſa legitima; determinatio autem tua illegitima & probibita, ut oſtenſum eſt ſuperius. Item determinatio eccleſiæ ſpeciem habuit fideliſſimam, puta quia non ultimata, ſed remittit ambiguitates emergentes ad culmen ſedis Apoſtolicæ, per ſedem Apoſtolicam decidendas; determinatio vero tua plena eſt ſpecie mala, ut dictum eſt ſupra, & eſt ultimata ac ſi univerſi Chriſti fideles tuæ tenerentur determinationi & ſententiæ generaliter adhærere: quare determinatio tua, ut tua eſt, hæretica poteſt eße, determinatione ſedis Apoſtolicæ catholica remanente. In regula vero B. Franciſci determinatio tua nec verbaliter, nec ſententialiter continetur. Unde igitur habes niſi a patre mendacii? quod ſi opus tuum eſt hæreticum, ſic opus B. Franciſci opus ſedis Apoſtolicæ, vel potius opus Dei: regula namque noſtra fuit B. Franciſco divinitus inſpirata. Unde igitur trahis niſi ab illo, qui in infernum te trahat poſt ſe, quod ſi facta tua ſunt hæretica & confuſa, quod ideo religio noſtra ſit hæretica deſtructa & confuſa? nonne vides quomodo religio noſtra facta tua videt & condemnat?*

Falſum eſt quod S. Franc. dogma Fratic. de paup. tenuerit.

Subdit Geraldus religionem Minoritanam non Michaeli hæretico, ſed Chriſto innixam, medio B. Franciſco *in fide*, ut ait, *& devotione, & obedientia, & reverentia, ac unitate ſacroſanctæ matris eccleſiæ*, in eaque, quamvis Michael & ſocii errent, inconcuſſam permanſuram. Hæc ille.

Arreblaii Card. ſententia.

Nunc adverſus venenata Michaelis, & ſociorum dogmata, Petri de Arreblayo tit. S. Suſannæ presbyteri Cardinalis doctrinam orthodoxam proferemus. Is enim conſultus a Pontifice, ſententiam ſuam in hæc verba deprompſit.

*Dicta Petri de Arreblayo tit. S. Suſannæ preſbyteri Cardinalis.*

LVI.

(a) *MS. bibl. Vat. ſig. n.* 3740.

*Eſt quæſtio*, (a) *utrum aſſerere pertinaciter, Chriſtum ſalvatorem noſtrum & ejus Apoſtolos nihil habuiſſe nec in ſpeciali nec in communi, ſit hæreticum cenſendum*. Et aliquibus de hæretici deſcriptione interiectis, ſubiicit: *Hæreticus eſt qui non recipit quatuor concilia vel contradicit. Ergo multo fortius qui contradicit evangeliis & canoni bibliæ. Sed in multis locis ſacræ ſcripturæ reperimus Chriſtum habuiße aliquid. Ergo qui pertinaciter contradicit iſto modo eſt cenſendus hæreticus. Quod autem Chriſtus habuerit hoc probatur: habebat enim loculos ut in c. Exiit, & XII. q. 1. c. Exemplum, &c. Habebat; ubi dicitur, quod in loculis illis conſervabat ſibi data & oblata, ut ſuorum neceſſitatibus, & aliorum indigentium ſubveniret debitis temporibus: & eſt Auguſtini, & etiam hoc probatur. Jo. XIII. cap. ubi Chriſtus dicit: Quod facis, fac citius; quidam enim exiſtimabant, quod diceret, quod emeret cibos propter paſcha. Ergo concluditur, quod pecuniam habebat Chriſtus unde, emeret.*

Probatur ex evang. Chriſtum habuiſſe proprium.

*Item certum eſt, quod habuit veſtimenta Matth. XXVII. Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem, &c. Item in transfiguratione: Veſtimenta ejus facta ſunt candida ſicut nix, Marc. IX. Item de muliere: Si tetigero, fimbriam veſtimenti ejus, Marc. V. & Matth. IX. Item quando lavit pedes, depoſuit veſtimenta ſua & poſt reſumpſit Jo. XIII. Item piſces & panes habuit Mat. XIIII. c. Item Apoſtoli habuerunt tunicas: Qui non habet gladium, vendat tunicam ſuam, & emat gladium; fuit dictum Apoſtolis per ſalvatorem noſtrum Luc. XXI. Item & Apoſtoli emebant & vendebant: Unde habebimus, ut emamus panes.*

Probatur de Apoſtolis.

*Item Paulus Apoſtolus propriis manibus laborabat, & vendebat, ut haberet victum, ext. de cen. Cum Apoſtolus, & de conſecrat. di. ult. c. Nunquam. & XXI. q. 1. c. 1. ibi. Ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* Et infra: *Item videtur, quod Apoſtoli ſaltem in communi haberent, XII. q. 1. Dilectiſſimis, & c. Exemplum. Et cap. Expedit. Erant enim eis omnia communia Act. IV. Patet ergo, quod Chriſtus habuit aliquando.*

LVII. Sententia contraria ſcripturæ adverſatur.

*Nunc arguo. Indefinita communis locutionis æquipollet univerſali; unde valet tantum dicere, Chriſtus non habuit aliquid, ſicut dicere Chriſtus numquam habuit aliquid. Sed iſtud eſt falſum, quia aliquando habuit aliquid, ut eſt probatum, quia plus negat negativa, quam affirmet affirmatio. Et ita dicere, quod Chriſtus non habuit aliquid, dicit ſacram ſcripturam dicere falſum. Sed hoc dicere eſt hæreticum & mendoſum, ut probatur. Ergo talis pertinaciter ſic dicens eſt hæreticus.*

*Quod autem dicere quod ſanctum evangelium, ſeu ſacra ſcriptura falſitatem contineat ſit hæreticum ſic probo per c. IX. di. &c.* Multis ea de re cumulatis argumentis ſubdit: *Item ſi teſtis aliquid falſum in ſuo dicat teſtimonio, totam teſtimonii fidem partis mendacio decolorat. III. q. IX. c. Pura. Cum ergo evangeliſtæ ſint teſtes fidei noſtræ, ſi quid eßet falſi in dictis eorum & libris, totum eſſet teſtimonium ſuſpectum, & ſic dubium, & ſic facerent multos dubios in fide. Sed dubius in fide cenſetur hæreticus, extr. de hæret. c. 1. Ergo, &c. Item evangelium veritas appel-*

pellatur, ut in c. Cum ex injuncto ext. de hæret. & de bapt. c. Majores; &c. Deditum: & eſt ratio, qua Spiritu ſancto dictante ſcriptum; immo, ipſe Spiritus ſanctus ſcripſiſſe dicitur, ut habetur XXIV. q. ult. c. Hæreſis &c. penult. & cum Spiritus effugiat fictum vel abſurdum, hæreticum eſſet dicere, quod ipſe ſcripſerit, vel ſcribi fecerit, vel dictaverit aliquid falſum, cum ſit Spiritus veritatis: & ad hoc poſſent induci jura c. Si ex falſis inſtrumentis l. II. & III. & exter. de. re. ill. c. I. & ext. de fide inſter. c. Inter dilectos.

Ex ea everti evangelium oſtenditur.

Patet ergo ex prædictis, Chriſtum habuiſſe & ejus Apoſtolos; & ſic habuiſſe, quod in rebus, quas habuerunt, jus habebant: nam dicere, quod Chriſtus habuerit & ejus Apoſtoli uſum facti ſimplicem, communis modus loquendi ſic dicere reprehendit; nam cum volumus dicere, quod quis faciat iniuriam, dicimus hoc fit de facto; ita quod intelligimus, quod jure non fiat. Sed dicere quod Chriſtus injurioſe aliquid habuerit, dicit hæreticum: cum ipſe ſit verum jus, & vera juſtitia. Ergo concluditur, quod omnino jus habuerint in rebus, quas habuerunt ar. inſt. de re di. in prin. de oblig. q. ex. di. naſ. §. Placuit.

LVIII. Chriſtum verum jus civile habuiſſe.

Præterea aut dicemus, quod Chriſtus non habuit jus, aut dicemus quod habuit jus in rebus, quas habuit: ſi dicamus, quod jus habuit, habebimus intentum: ſi dicamus, quod non habuit jus, expreſſe dicimus contra textum evangelii & bibliæ, quia jam probatum eſt Chiſtum habuiſſe, & potuiſſe vendere & donare. Sed donare non poteſt, niſi habeat jus dominii, quia dare eſt accipientis facere; quia ſi non eſſet dominus non transferret jus in alium. Ergo &c. nemo enim plus juris transfert in alium, quam ipſe habeat ff. de acquir. re domin. l. Traditio. Ergo habet jus, quia aliter eſſet dicere Chriſtum fuiſſe furem & baratorem & iniurioſum, ut colligitur ex prædictis. Et ideo dico prout mihi videtur, Chriſtum & ejus Apoſtolos habuiſſe jus in hoc quod habuerunt, & contrarium eſſe hæreticum & inſanum; ſemper ſupponendo omnia correctioni veſtræ ſanctitatis, & ſanctæ ſedis eccleſiæ Romanæ.

LIX. Vanæ argutiæ.

Tot argumentorum lucem ac nitorem obſcurare nitebantur adverſarii, & Chriſtum atque Apoſtolos quoad, ut ajebant, ſimplicem uſum facti, non quoad jus & dominium ea, quæ referunt evangeliſtæ, habuiſſe contendebant: tum Chriſtum in habendis loculis imperfectorum perſonam perfectorum vero in abdicatione geſſiſſe. In quos Petrus tit. S. Stephani in Cœlio monte presbyter Cardinalis egit his verbis (a).

(a) Eod. MS. Vat. ſign. n. 3740. pag. 94.

Reſponſiones Petri Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte.

Evangelium dicit ſimpliciter, Chriſtum & Apoſtolos loculos habuiſſe. Ergo non licet alicui aliquid, propter quod dictum hujuſmodi confundatur; quinimo debet quicumque fidelis evangelium defendere & confirmare uſque ad mortem & ſanguinem, ut in præallegato c. Sunt quidam. Item quatuor evangelia ſunt inviolabiliter obſervanda, velut fundata in quadrato lapide fidei ſanctæ XV. di. Sicut ſancti. Iſtud autem fundamentum eſt Jeſus Chriſtus dominus Deus noſter, ut in c. Fundamenta: & ſic non licet aliquid addere vel minuere de evangelio. Sed patet manifeſte, quod iſte, qui ſic aſſerit, addit vel minuit aliquid de evangelio. Ergo corruptor evangelii merito poteſt dici: ſicut illi Alogii dicuntur fractores & violatores evangelii & verbi B. Joannis evangeliſtæ, propter quod in canone hæretici judicantur, XXIV. q. III. c. Quidam VI. Alogii. Sic recte talis aſſerens, ſic ſic addens vel minuens fractor merito poteſt dici, & per conſequens ſicut dicti Alogii hæreticus judicari. Item nulla ſcriptura debet præferri evangelio & dictis Apoſtolorum, IX. di. c. Quis neſciat: ſi enim aliquis dicat, quod aliqui ſancti ſcripſerunt, quod Chriſtus & Apoſtoli habuerunt loculos propter imperfectos, hæc ſcriptura ſanctorum non debet præferri evangelio & dictis Apoſtolorum: immo evangelium, ut ſupradictum eſt, ſervari debet uſque ad mortem & ſanguinem. Item cum ſacra ſcriptura legitur vel docetur, non ſecundum propriam virtutem ingenii debet intelligi, ſeu ſecundum ſenſum alienum; ſed ſecundum ſenſum veritatis, & ſecundum veritatem traditam illis, quibus data fuerat primo ad ſervandum; ſic loquitur c. Relatum XXXVII. di. Beatus autem Paulus & alii Apoſtoli, qui habebant iſtam legem a Deo, ſervaverunt eam ſecundum veritatem. Ergo ſecundum obſervantiam eorum nos debemus intelligere iſtam legem: & qui aliter intelligit, errat, quia ſecundum ſenſum alienum & non ſecundum obſervantiam Apoſtolorum: ipſi autem Apoſtoli ſervabant eam, loculos habendo, in communi ſervando, neceſſaria emendo, & ſecundum quod opus erat unicuique diſtribuendo, ut patet clare per ſupra allegata. Ergo aſſerens aliter eos ſervaſſe, patet manifeſte, quod negat eos non ita ſervaſſe. Iſte autem ſic aſſerens eſt hujuſmodi. Ergo eſt hæreticus cenſendus: ſi enim liceret cuilibet intelligere legem evangelicam & apoſtolicam ſecundum propriam intelligentiam, ſeu ſecundum proprium ſenſum ſuum, & quod dimitteret obſervantiam illorum, quibus lex data fuit, hoc eſſet ſubvertere legem, quod non licet: immo ſic faciens hæreticus judicatur, XXIV. q. III. c. ſi. in ſi. Item lex & evangelium continent jus divinum, in c. Humanum genus, ſuper quo jure divino & ejus obſervantia omnes fideles debent convenire: & ſi ſit aliquis, qui non conveniat cum eccleſia in ob-

Refelluntur a Petro Card.

Sanctorum dicta non æquanda cum evangel.

Unde petendus ſcripturarum ſenſus.

Non ut libet interpretanda ſcriptura.



obſervantia juris divini & legis evangelicæ, hæreticus eſt cenſendus, XXIV. q. I. c. A recta ergo fide &c. Hæc eſt fides. Ille autem, qui dicit, quod Apoſtoli non habuerunt aliquid in communi, non convenit cum eccleſia, & deviat a fide; quia lex evangelica dicit, quod habuerunt Apoſtoli aliquid in communi: quare patet quod talis eſt hæreticus judicandus. Item plus peccat ille, qui defendit & ſuſtinet errorem per alium probatum, quam ille alius qui primo dicens erraſſet: quia talis defenſor eſt illius erroris & damnabilior illo eſt, quia nedum iſte ſecundus errat, immo errorem aliis parat, & illius errorem confirmat; & ideo nedum hæreticus, immo potius hæreſiarcha cenſendus eſt, XXIV. q. III. c. Qui aliorum de verbor. ſignif. Super quibuſdam iſte hæreticus. Ergo &c. Iſte autem affirmat illum non errare, qui errat & contra legem evangelicam & contra eccleſiam eamdem legem ſervantem iſtum ſic errantem defendit, & ejus errorem confirmat; & ſic per conſequens in dictis ſuis innuit, quod eccleſia errat in eo quod tenet, quod Apoſtoli habuerunt aliquid in communi: ille autem qui credit vel aſſerit eccleſiam errare infidelis eſt & hæreticus XXI. di. c. Quamvis XXIV. q. I. Loquitur, &c. Non turbatur, &c. Omnibus, quare patet, quod hæreticus eſt cenſendus: eccleſia enim nec errat nec errare poteſt, nec fides deficere, quia rogavit Chriſtus, quod non deficeret fides Petri. In viam autem collationis prædictæ dico ſub proteſtationibus ſupraſcriptis. Ego Petrus ſancti Stephani in Cælio monte presbyter Card. S. R. E. vicecancellarius. Cum vero adverſarii, eorumque erroris ſequaces Nicolai conſtitutionem ad ſuam confirmandam opinionem in alienum ſenſum traducerent, ad ventilandam accuratius controverſiam, conſulti ſunt præter Cardinales epiſcopi; & doctores de vero ejus conſtitutionis ſenſu diſceptarunt: inter quos epiſcop. Anicienſis ita diſſeruit. (a)

Defenſor erroris magis peccat, quam errans.

Explorata erat hæc ex evangelicis oraculis ſententia.

Dicta epiſcopi Anicienſis.

Ad illud quod dicitur in expoſitione regulæ fratrum Minorum, dicendum eſt, quod duo ibi dicuntur: primum eſt, quod abdicationem omnium rerum tam in proprio, quam in communi, Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmavit: ſecundum eſt, quod Chriſtus infirmorum perſonam ſuſcepit in loculis. Primum autem dictum, quantum ad hoc, quod dicit, quod Chriſtus verbo docuit abdicationem omnium rerum tam in proprio quam in communi, & exemplo firmavit; non invenio alicubi ſcriptum in evangelio, aut in cæteris ſcripturis novi teſtamenti, & maxime quod ipſe & Apoſtoli non habuerunt aliquod dominium, ſeu proprietatem in veſtimentis & alimentis ſibi datis, ſed ſolum uſum facti, remanente dominio & proprietate penes alium. Et infra.

(a) MS. bibl. Vat. ſig. n. 3740. p. 129.

Nicolai ſententia diſcutitur.

Et mirum eſt quod ad probandum Chriſtum & Apoſtolos ſic fuiſſe pauperes & mendicos, quod nihil proprietatis & dominii habuerunt in quibuſcumque rebus, ſed ſolum ſimplicem uſum facti, adducuntur auctoritates ſanctorum: cum primitivi ſancti, quorum auctoritates adducuntur, SS. Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, Baſilius, & cæteri nunquam diſtinxerunt in rebus, quæ uſu conſumuntur inter habere eas quoad dominium, & quoad ſimplicem uſum facti: nec prædicti ſancti, qui ſicut veri & perfecti religioſi renunciaverunt ſeculo, conati ſunt tendere ad ſtatum, in quo nihil habeatur in communi: immo ſummam paupertatem meritoriam reputaverunt illam, per quam ſic renunciatur ſeculo, ut nihil in proprio habeatur. Unde Baſilius in regula ſua X. c. dicit ſic: Communionem vitæ perfectiſſimam hanc ego voco, a qua poſſeſſionum quidem proprietas propulſa eſt, communia autem omnia. Ecce quod vitam communem perfectiſſimam vocat illam, in qua nihil eſt proprium, ſed omnia communia; perfectiſſimo autem nihil eſt perfectius: unde relinquentes propria, quamvis ſint in ſtatu habentium aliquid in communi, vere tamen dicuntur nudi, & omnia contempſiſſe, & nihil præter Chriſtum quærere: & in hoc ſenſu ſunt intelligendæ omnes auctoritates ſanctorum, loquentium de contemptu mundi & rerum temporalium. Unde illud, quod Auguſtinus dicit in epiſtola ad Ebidiam: Sis vis eſſe perfecta, & in primæ ſtare faſtigio dignitatis, fac quod fecerunt Apoſtoli: vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere Salvatorem, & nudam ſolamque crucem nuda ſequaris; hæc enim nuditas exponitur per Hieronymum ad Nepotianum, qui dicit ſic: Si non accipio partem inter cæteras tribus, ſed quaſi levita & ſacerdos vivo de decimis; & altari ſerviens, de altaris oblatione ſuſtentor, habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar. Vide ergo quod etiam clerici viventes de altari, ſi victu & veſtitu ſint contenti, nudam crucem ſequuntur nudi. Similiter intelligendum eſt illud Auguſtini de catechizandis rudibus, ubi dicit ſic: Omnia bona terrena contempſit Chriſtus, ut contemnenda moſtraret. Hoc enim ſolum intelligitur de contemptu rerum mundi, quæ in proprio poſſidentur, non de communibus bonis eccleſiæ vel monaſterii, quæ res non mundi, ſed Dei. Unde Proſper de vita contemplativa: Poſſeſſiones, quas oblatas a populo ſuſcipiunt ſacerdotes, jam non ſunt res mundi credendæ, ſed Dei.

Diſtortæ auctoritates ſanctor.

Diſtinctio ſimplicis uſus facti recenter conficta.

Ut Chriſtum nudum nudi ſequantur clerici.

Item illud quod dicit Hieronymus in tertia epiſtola ad Heliodorum, quod perfectus ſervus Chriſti nihil habet præter Chriſtum, aut ſi aliquid habet præter Chriſtum,

*ſtum, perfectus non eſt; & ſic, ut videtur, qui habet aliquid in communi, perfectus non eſt, exponitur per Hieronymum ad Nepotianum, ubi dicit: Qui tantum eccleſiæ bonis utitur, nihil habet præter Chriſtum. Et Proſper: Qui tantum de bonis Chriſti, contemnendo omnem proprietatem, nihil in hoc ſecula habere quærit, quia hoc eſt poſſidendo contemnere, non ſibi ſed aliis poſſidere. Et ſimili modo ſunt intelligendæ omnes auctoritates quorumcumque ſanctorum, loquentium de contemptu mundi, & de renunciatione bonorum temporalium, qui nunquam cogitaverunt, nec locuti ſunt de aliquo ſtatu, in quo ſic contemnerentur ea, quæ ſunt neceſſaria victui, quod in eis haberetur ſolus uſus facti, proprietate & dominio penes alium remanentibus.*

Nihil præter Chriſtum habeant.

LX. *Concludo ergo quantum ad quæſtionem ipſam propoſitam, quod dicere Chriſtum & Apoſtolos nunquam aliquid habuiſſe in proprio vel communi, videtur mihi eſſe hæreticum; cum ſit clare contra textum ſacræ ſcripturæ. Dicere autem, quod in his quæ habuerunt, non habuerunt niſi ſolum uſum facti, & nihil dominii ſeu proprietatis, non eſt adeo clare hæreticum, quia ſcriptura ſacra de hoc non loquitur pro vel contra.* Quid ea in re a Joanne XXII. fuerit definitum, dicetur inferius. *Puto tamen, quod ſit falſum & radix erroris periculoſiſſimi, qui apud aliquos inſurrexit; videlicet quod poteſtas & auctoritas eccleſiæ, quam Chriſtus commiſit Petro & Apoſtolis, non manet apud Papam nec apud prælatos, pro eo quod non ſunt ſucceſſores eorum; quia, ut dicunt, non imitantur vitam Chriſti, & Apoſtolorum, nihil habendo in proprio vel in communi.*

Fraticellorum hæreſis.

*Quod* (*a*) *ergo dicitur in illa decretali Exiit qui ſeminat, quod Chriſtus in loculis accepit perſonam infirmorum, originem habet a gloſſa, quæ habetur Jo. XIII. quæ dicit ſic: Cui angeli miniſtrabant, loculos habet in ſumptus pauperum, condeſcendendo infirmis. Et iſtud poteſt exponi dupliciter uno modo, quod Chriſtus, cum eſſet Deus & homo, in quantum erat Deus, major erat angelis, nec ſic indigebat loculis: ſed angeli ut miniſtri obſequebantur ei; quantum autem ad naturam humanam, infirmus fuit & minor angelis, & ſic indiguit ſecundum curſum naturæ cibis & alimentis, ſicut cæteri homines; & pecunia ſeu loculis, mediantibus quibus vitæ neceſſaria emerentur. Infirmitas ergo, de qua loquitur gloſ. prædicta, non ſonat imperfectionem ſtatus, ſicut alii arguunt; ſed notat conditionem humanæ naturæ pro ſtatu mortali.*

(*a*) Ib. pag. 135.

Ut Chriſtus in loculis perſonam infirmor. accepit.

Non eſt infirmitas quoad virtutem, ſed quoad naturæ ſtatum.

LXI. *Alio modo exponitur, quod infirmos appellat non illos, qui de loculis Domini vivunt; ſed illos, qui ſcandalizantur, putantes ſcilicet imperfectionis vel minoris perfectionis eſſe de loculis Domini vivere: talibus enim infirmis condeſcendens, ſeu compatiens Dominus, ne forte ſcandalizarentur, & majori perfectioni aſcriberent, ſi viderent ſervos Dei loculos communes habere, & de illis vivere: ideo loculos habere voluit, ut eſſet aliis in exemplum, ut legitur 12. q. 1. c. Exemplum accipite. Unde Auguſtinus in. 2. l. de ſermone Domini in monte: Hoc autem vehementer cavendum eſt, ne forte, cum viderimus aliquem ſervum Dei providere, ne iſta neceſſaria deſint vel ſibi vel iis quorum cura ſibi commiſſa eſt, judicemus eum de craſtino ſolicitum eſſe; nam & ipſe Dominus, cui angeli miniſtrabant, tamen propter exemplum, ne quis poſtea ſcandalum pateretur, cum aliquem ſervum ejus animadvertiſſet iſta neceſſaria procurare, loculos habere dignatus eſt; quibus portabatur pecunia, de qua uſibus neceſſariis quidquid opus fuiſſet, præberetur; ſicut Paulus Apoſtolus de craſtino poteſt videri curaſſe, cum dicit 1. Cor. 16. De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi in eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite; nec ad unum diem tantum videtur victus iſte procuratus. Et in his & hujuſmodi ſcripturarum locis ſatis apparet, Dominum noſtrum non improbare, ſi quis humano more iſta procuret; ſed ſi quis propter iſta Deo militet, ut in operibus ſuis non regnum Dei, ſed iſtorum acquiſitionem intueatur. Et ſic patet, quod gloſſa non loquitur de infirmitate, quæ ſonat imperfectionem ſtatus habentium loculos; ſed loquitur de infirmitate illorum, qui poſſent ſcandalizari, cum viderent ſervos Dei, ſeu prælatos loculos habere.* Hactenus epiſcopus Anicienſis.

Condeſcendit infirmis, id eſt ſcandalum patientibus.

Primum ſolvendæ hujus difficultatis modum attingit Herveus in ſuo egregio commentario, dum ad Minoritarum objectiones reſpondet (*b*), Chriſtum propter imperfectos habuiſſe loculos, nimirum propter nos, quorum natura imbecillis adeo & imperfecta eſt, ut multarum rerum ſubſidio ſit ſuſtentanda, & ad hæc ſubſidia infirmitatis noſtræ comparanda loculi ſunt neceſſarii: quibus abſolute Chriſtus angelorum dominus non egebat, & tamen huic humanæ imperfectioni ſe accommodavit, dum loculos habere, & humano more iis uti voluit: *Dicendum, quod quando dicitur, quod Chriſtus habuit loculos propter imperfectos; quod illa imperfectio, qua ſcilicet nos dicimur imperfecti in comparatione ad Chriſtum, non dicit imperfectionem privative dictam, ſcilicet carentiam perfectionis natæ haberi in ſtatu viæ, quia neceſſitas naturalis habendi talia non poteſt ſecundum curſum communem tolli in ſtatu viæ; nec etiam neceſſitas procurandi ſecundum curſum com-* LXII.

(*b*) Ib. p. 182.

Hervei interpretatio.



*munem, licet Deus poſſet miraculoſe tollere talem neceſſitatem: Chriſtus autem cui miniſtrabant angeli, & per creationem etiam poterat habere talia, non habebat neceſſitatem faciendi talem proviſionem vel procurationem. Et hoc expreſſe dicit Auguſtinus ſuper illud verbum: Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum, Matth. VI.* Et infra (*a*): *Idem Auguſtinus dicit: Habebat Dominus loculos, & a fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum eccleſiaſticæ pecuniæ forma inſtituta eſt, ut intelligeremus, quod præcepit non cogitandum eſſe de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum, ut nihil pecuniæ ſervetur a ſanctis; ſed ne Deo propter iſta ſerviatur, & propter inopiæ timorem juſtitia deſeratur. Ecce expreſſe dicit, quod quando Dominus conſervavit oblata pro ſuorum neceſſitatibus & aliis indigentibus, tunc forma eccleſiaſticæ pecuniæ inſtituta eſt. Sed forma eccleſiaſticæ pecuniæ inſtituta a Domino non diminuit de perfectione vitæ. Ergo nec reſervare bona oblata in futurum pro ſuorum & aliorum neceſſitatibus. Dicens etiam ipſe Auguſtinus, eſſe dictum: Nolite eſſe ſoliciti, &c. non eſſe intelligendum, ut nihil pecuniæ ſervetur a ſanctis, ſed ne Deo propter iſta ſerviatur, & propter inopiæ timorem juſtitia deſeratur; manifeſte oſtendit, non eſſe interdictam per illud verbum omnem ſolicitudinem de futuro; ſed exceſſivam præponentem temporalia ſpiritualibus, vel alia ultra menſuram debitam procurantem, &c.*

(*a*) Ib. p. 186.

Datum a Chr. exemplum eccleſiæ habendi loculos.

Qualis ſuſcipienda ſolicitudo.

LXIII. Illuſtrabitur magis non intelligendum imperfectos in genere moris, ſed in genere imperfecti ſeu infirmi naturæ ſtatus, ſi quis perpendat Chriſtum imperfectiones in genere moris ſuſcipere non potuiſſe. Docet autem egregie Soranus epiſcopus Chriſtum in gerenda imperfectorum perſona tenuiſſe apicem perfectionis (*b*): *Si dicatur*, inquit, *in eo quod loculos habuit, infirmorum ſuſcepiſſe perſonam, ex hac adjectione non ſequitur, ſed firmatur eum & Apoſtolos habuiſſe aliqua in communi: quamvis ſi dicatur, eum in hoc monſtraſſe infirma humanitatis aſſumptæ, poteſt dici, quod quidquid Chriſtus geſſit in carne & ut homo non ratione unionis ad Verbum, ſicut quod fugit, fatigabatur ex itinere, eſurivit & ſitivit, quod fremuit, lacrymatus eſt, & cætera talia; competebat ſibi ratione infirmitatis & naturalis imperfectionis naturæ: permittebat enim naturam humanam, quæ ſua ſunt facere, & pati: omnia tamen hæc ſtabant cum apice ſummæ perfectionis in eo. Itaque ſicut fugiendo egit, ut infirmus, quia puerili ætati convenit fugere minantem, ut dicit Chryſoſtomus; in hoc nihilominus tamen etiam perfectis dedit exemplum, ut cum neceſſitas perſecutionis evenerit, fugere non erubeſcant, ut dicit idem Chryſoſtomus: Fugere, cum oportet, & quando, adhibitis aliis circumſtantiis, eſt virtutis; ſic etiam quamvis portare loculos ſit infirmitatis humanæ, & non competeret ſibi ratione deitatis; in hoc tamen exemplum dedit perfectis, eccleſiæ videlicet prælatis, ut ad uſus pauperum facultates eccleſiæ poſſideant in communi.* Hæc ipſe.

Habere luculos non arguit imperf. in genere moris.

(*b*) Ib. p. 149.

Chriſtus in perſona imperf. gerenda perfectiſſimus.



Conſentiunt cum Sorano epiſcopo Petri Columnæ diaconi Cardinalis dicta, ita nimirum dici poſſe Chriſtum in ſervandis loculis perfectorum perſonam ſuſtinuiſſe, æque atque a Nicolao dictum eſt imperfectorum in iis geſſiſſe, eundem vero textum ſacrum in varios ſenſus trahi poſſe exemplo confirmat. (*c*) LXIV.

*Conſtitutio*, inquit, *quæ allegatur in contrarium, Exiit qui ſeminat; manifeſte dicit quod Chriſtus habuit loculos, infirmorum infirmitatibus condeſcendens; ſed ex quacumque cauſa habuerit, habemus propoſitum, quia habuit loculos. Et forte dici poſſet, quod in hoc, ſcilicet in habendo loculos, non imperfectorum, ſed perfectorum formam aſſumpſit; quia perfectionis & providentiæ fuit, ſuorum neceſſitatibus & egenis providere. Similiter & quod de fuga dicitur, quod infirmorum infirmitatibus condeſcendit, forte & hoc ipſum poſſet dici perfectionis & virtutis eſſe, ſuo loco & tempore dare locum iræ, & non aggredi pericula: quod fecit Dominus, fecerunt & Apoſtoli, ut ſe ipſos ad tempus aliud utilius reſervarent. Non enim eſt veriſimile quod Chriſtus diſcipulis ſuis imperfectionem injunxerit; & tamen dixit: Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Et ſuper illo verbo Matthæi: Si filius Dei es, mitte te deorſum; dicit Chriſoſtomus: Ad ſanam doctrinam pertinet, quod cum homo invenit quid faciat, totum Deo non committat.*

(*c*) Ib. pag. 109.

Chriſtus etiam ob perfectos loculos habuit.

*Item auctoritatem illam: Nolite ſoliciti eſſe, aliter exponit Auguſtinus, aliter Hieronymus, aliter Chryſoſtomus. Auguſtinus de opere monachorum, pertractans verbum illud, dicit ſic: Si hoc verbum Domini, Nolite ſoliciti eſſe in craſtino, ita intelligatur, ut nihil in craſtinum reponatur, non poterunt ita ſervare qui ſe per multos dies a conſpectu hominum ſeparatos includunt, viventes in magna intentione orationum & contemplationum. Et poſtea ſubdit: Si enim urgeantur ex evangelio, ut nihil reponant in craſtino, reſpondet: Cur ergo ipſe Dominus loculos habuit, ubi pecuniam collectam reponeret? Cur tanto ante fame imminente frumenta ſanctis patribus miſſa ſunt? Cur Apoſtoli indigentiæ ſanctorum neceſſaria procurant? Quod patet etiam in multis ſanctis patribus, præſertim in Abraham Iſaac, & Jacob, & in Job, qui beatiſſi-*

Idem patitur interpretationes varias.

*mi in temporalibus, pauperes mente erant. Hieronymus autem exponit prædictum verbum : Nolite ſoliciti eſſe, &c. dicens ſic : Sufficit nobis præſentis temporis cogitatio, ut futura, quæ incerta ſunt, Deo relinquamus. Chryſoſtomus autem exponit ſic : Sic ſufficit labor quantum ad ſuperflua ; noli de ſuperfluis laborare &c.*

LXV. Ex hujus dictis patet diſcrepantes externa ſpecie interpretationes unius dicti ſive actus adduci poſſe, quæ egregie conciliëntur, ſi interpretantium mens ſpectetur. Non ergo ita illa Nicolai Papæ verba : *Sic infirmorum perſonam Chriſtus ſuſcepit in loculis ;* accipienda ſunt, quaſi adæquatam hujus facti interpretationem ipſe tradiderit, ac veluti in fidei judicio decretoriam ſententiam protulerit, adeo ut ab apoſtolica diſcedat perfectione, qui loculos habuerit, uti Fraticelli acceperunt ; ſed Nicolai mens & conſilium ſpectanda ſunt. Is ergo, cum Minoritas in tradita a beato Franciſco monaſticæ vitæ formula confirmare contenderet, eam primum protulit ſententiam : *Dicimus quod abdicatio propietatis omnium rerum non tam in ſpeciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria eſt & ſancta ; quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens docuit, & exemplo firmavit.* Quæ quidem ſententia veriſſima eſt, hac interpretatione temperata, *omnium rerum*, intellige immobilium, ut Pariſienſis (*a*) academia interpretata eſt ; vel ut alii & doctores & epiſcopi & Cardinales ſunt interpretati, *omnium rerum ;* id eſt non neceſſariarum ad vitam : cum enim ſuſtentatio imperetur a Deo, abſolute neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem abdicari non poſſunt. *Secundum*, inquit (*b*) Cardinalis Gaucelinus, *illud Hieron. in epiſtola ad Ruſticum monachum : Nudum Chriſtum nudus ſequere : ſed non eſt multum veſtitus qui pauperem victum habet, ſine quo ſuſtentari non poteſt.* Vel ut alii docuerunt, *abdicatio omnium rerum*, ſcilicet quoad curas nimias, quam explanationem adducit Bertrandus (*c*) tit. S. Mariæ in Aquiro.

Non eſt data a Nicolao adæquata interpretatio.

(*a*) *Pariſien. ſtud. in fine tract. ext. in MS. bibl. Vat. ſign.* 3740. *pag.* 248.

(*b*) *Apud MS. bibl. Vat. ſign. n.* 3740. *p.* 90.

Ut intelligenda ſit ejus ſententia.

(*c*) *Ib. p.* 96.

*Nec obſtat*, inquit, *quod vita Chriſti fuit, quam verbo docuit & exemplo firmavit, non habere aliquid in communi nec in ſpeciali, quia illud verum eſt quantum ad ſuperfluitatem ſeu theſaurizationem ; non autem intelligitur quantum ad neceſſitatem propriam ſeu aliorum quia tale habere, ut puto, non diminuit aliquid de perfectione paupertatis, ut credo, cum augeat de perfectione charitatis.* Harum vero interpretationum primam, quam attulere Pariſienſes, Joannem ſecutum viſuri poſtea ſumus ; & ſanxiſſe Nicolaum non intellexiſſe per hanc vocem, *omnium rerum*, omnia tam immobilia quam mobilia & neceſſaria ad vitam ; ſed tantummodo immobilia, quorum cauſa domorum, hortorum aliorumque hujuſmodi ad Minoritas ſpectantium, jus ac dominium in Romanam eccleſiam derivatum eſt, ut ii Chriſto & Apoſtolis in hujuſmodi immobilium, quæ nunquam illi acquiſiiſſe leguntur, abdicatione non tam in ſpeciali quam in communi, ſimillimi viderentur : in quo Pontifices pio Minoritarum affectui ſunt obſecuti.

Quæ interpr. data a Joan. XXII.

LXVI. Ex Nicolai ſententiæ interpretationibus eniteſcit, illam cum evangelio conciliari ; nec ullam difficultatem oborituram, maxime ſi quis Bertrandum Cardinalem tit. S. Mariæ in Aquiro ſecutus, decretalem *Exiit*, ubi dicitur Chriſtum & Apoſtolos abdicaſſe proprietatem omnium rerum non tam in ſpeciali, quam etiam in communi, intelligendam ſentiat ut fert moralis loquendi modus, quatenus maximo vitæ flexu & frequentiſſime omnium rerum egeni & inopes fuerunt : ita flumen dici, quamvis aliquando ejus alveus exareſcat ; unde Chriſtum habuiſſe loculos cum Nicolai ſententia, eo ſenſu accepta, non pugnat : a quo quidem paupertas moraliter ſumpta, quam Chriſtus & Apoſtoli coluere, commendata eſt ; non illa per nugaces dialecticorum argutias conficta, dum nimirum vocem *omnium rerum*, rigida & inepta diſtributione pſeudominoritæ pertinaciter contendere etiam veſtis, potus, & cibi proprietatem a Chriſto & Apoſtolis fuiſſe abdicatam. At qui dialecticis tricis irretiti vocem *omnium rerum*, in ampliſſimo ſignificato, & non pro ratione moralis reſtrictionis accipere voluerunt ; ad conciliandum evangeliſtam dicentem, Chriſtum habuiſſe loculos, cum Nicolao ipſorum dicta ad varia tempora retulerunt cum ſemper Chriſtum habuiſſe aut ſemper abdicaſſe non dicatur ; inter quos Cardinalis S. Cyriaci hæc habet (*d*) : *Videntur iſta duo ſe poſſe compati, ſcilicet Chriſtum nihil habuiſſe, & Chriſtum aliquid habuiſſe, hoc ad diverſa tempora referendo ; ſed ad idem tempus non videtur.* Quam diſtinctionem multi amplexi ſunt poſteriores, qui Joannis & Nicolai conſtitutiones inter ſe conſentire demonſtrarunt (*e*). Idem vero Cardinalis ſenſit hæreſeos labe aſperſos, qui nihil ullo tempore Chriſtum in proprio vel in communi habuiſſe pertinaciter contenderent.

(*d*) *MS. bibl. Vat. ſig. num.* 3740. *pag.* 107.

(*e*) *Turrecr. de ſum. eccl. c.* 112. *Bellarm. de Rom. Pont. l.* 4. *c.* 14. *& alii.*

Affirmarunt quidem contrarium, ſed non pertinaci animo, utpote decretis eccleſiæ aſſentiri parati, aliquot Cardinales, nimirum Berengarius (*f*) epiſcopus Tuſculanus, qui Chriſtum loculos, quoad ſimplicem uſum facti, ſed eum juſtum habuiſſe ſentiebat ; Bertrandus e Turre presb. Card. tit. Martini in montibus, & Vitalis epiſcopus Albanenſis ; qui pluribus

Qui Card. ſententiam Minor. tenuerint.

(*f*) *MS. bibl. Vat. ſign. n.* 3740. *p.* 103.



ribus ſcriptis Minoritarum ſententiam propugnarunt : quorum ultimus conſulenti Pontifici hæc reſpondit (*a*).

(*a*) *Ib. p.* 3.

LXVII. *Ego frater Vitalis epiſc. Albanenſis reſpondeo in modum, qui ſequitur. Primo præmitto omnibus & ſingulis dictis meis illud, quod ſcribitur* XXIV. *q.* I. *c. Hæc eſt fides, ubi ſic dicitur : Hæc eſt fides catholica, Papa beatiſſime, quam in eccleſia didicimus, quamque ſemper tenemus ; in qua ſi minus perite, aut parum caute forte aliquid poſitum eſt, emendari per te cupimus, qui Petri ſedem tenes & fidem. Si autem hæc noſtra confeſſio apoſtolatus tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, ſe imperitum vel malevolum, aut etiam non catholicum, ſed hæreticum comprobabit. Prædictum capitulum duo continet evidenter, quæ in proteſtatione mea volo includi. Primum, eſt quod ſi in dictis meis forte aliquid ponam minus provide, incaute, vel indiſcrete, omnia per Chriſti vicarium corrigantur. Secundum eſt, quod quidquid per eundem Chriſti vicarium fuerit determinatum de prædicta quæſtione & de quibuſcumque aliis, maxime ad fidem pertinentibus, omnia volo ſimpliciter & indubitabili fide tenere ; prompte & libere confiteri. Addo etiam ad præmiſſam proteſtationem, quod nihil intendo dicere, aut ſcribere per modum aſſertionis ; ſed ſolum per modum collationis, quantum ex ſcripturis ſacris & ex dictis ſanctorum probabiliter potero colligere. His præmiſſis, &c.* Et infra.

Vitalis Cardinalis ſubmittit dicta ſua eccleſiæ.

*Ad evidentiam dicendorum præmitto, quod perfectio ſimpliciter ſeu ſtatus perfectionis conſiſtit in habitu charitatis interioris : in actu vero exteriori non conſiſtit ſimpliciter, ſed ſecundum quid & quaſi per accidens : conſtat enim quod Joannes Baptiſta arctiorem vitam in comedendo, bibendo, induendo duxit, quam Dominus Jeſus ; ſic enim ait ipſe Salvator Matth. xv. Venit, inquit, Joannes non manducans neque bibens, & dicunt : Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt : Ecce homo vorax & potator vini. Conſtat etiam quod multi martyres acerbiora tormenta paſſi ſunt, quam Chriſtus : nec propter hoc ſequitur, quod Joannes Baptiſta aut aliquis martyr fuerit majoris aut tantæ perfectionis ſimpliciter, ſicut Chriſtus, quia ex majori charitate Chriſtus paſſus eſt, quam omnes martyres ſimul ; & ex majori charitate Chriſtus manducabat & bibebat, quam Joannes abſtinebat.*

In quo conſiſtat perfectio.

*Dico itaque quod Salvator noſter dominus Jeſus Chriſtus, qui venit in mundum, ut viam ſalutis perfectis & imperfectis oſtenderet, interdum perſonam infirmorum & imperfectorum aſſumpſit : imperfectorum dico, quantum ad actum extrinſecum ; puta habendo loculos, habendo dico modo prædicto, comedendo, & bibendo de iis, quæ apponebantur. Interdum vero, ſicut exemplar ſummæ perfectionis, perfectorum perſonam aſſumpſit, nullam proprietatem vel dominium in re aliqua ſibi retinendo.*

*Primum patet in illa decretali, Exiit, ubi dicitur, quod Chriſtus infirmorum perſonam accepit in loculis. Hoc idem patet per Hugonem ſuper illum pſalmum : Bonum eſt confiteri Domino ; ubi ſic dicit : Habebat Chriſtus loculos, conformans ſe imperfectis : Paulus autem noluit ſumptus accipere, ſed gratis factus eſt miniſter, & invenitur Paulus magis aliquid feciſſe quam Chriſtus. Chriſtus autem in numero imperfectorum inveniri voluit, ne præſumerent non accipientes, & confunderentur accipientes. Quod autem dicit Hugo, Paulum aliquid magis feciſſe quam Chriſtus, intelligendum eſt quantum ad actum extrinſecum, in quo, ut præmiſi, non conſiſtit perfectio ſimpliciter ; non eſt autem intelligendum quod Paulus aliquid vel in aliquo magis fecerit, quam Chriſtus, quantum ad habitum charitatis intrinſecum, in quo conſiſtit perfectio ſimpliciter ; ſicut ſuperius dixi, quod Joannes Baptiſta, quantum ad actum extrinſecum magis abſtinuit, quam Chriſtus, ſed non abſtinuit ex tanta charitate, ex quanta comedit, & bibit Chriſtus. Item Auguſtinus ſuper illum verſiculum pſalmi : Producens fœnum jumentis, &c.* dicit ſic : *Habuit*, inquit, *Dominus loculos, ſed quia multi infirmi iſta quæſituri erant, in hoc infirmorum perſonam ſuſcepit. Ex quibus patet, quod Salvator noſter habendo loculos, infirmorum & imperfectorum ſtatum aſſumpſit.*

Vitalis error.

LXVIII. Egregie quidem Vitalis indicavit decretalem, qua ratione Chriſtus infirmorum perſonam acceperit in loculis, dum obſervat interdum ab actu externo commodo appetitui ſenſitivo quempiam vulgo dici imperfectum, quia in ſtatu naturæ lapſæ facile in vitium illius commodi illecebra deflectitur ; perfectionem vero dici actum arduum ac difficilem naturæ ſenſitivæ : ita comedere, bibere, quæ ad guſtum ſapiunt, perſecutionem fugere, habere loculos, imperfectorum actus dici vulgo ; ut contra tolerare jejunia, veſci locuſtis & melle ſilveſtri, pilis camelorum indui, ſaxum inhabitare, carere opibus, & alia his ſimilia, perfectorum actus exiſtimari : cum re ipſa in his perfectio non ſit collocata, & Chriſtus comedens eſuriente Baptiſta fuerit perfectior. Ex quibus patet, eatenus habentes loculos dici imperfectos, quatenus loculis in natura lapſa homines facile abutuntur ; cum aliunde iis bene uten-

Ex actu externo commodo naturæ quis imperfectus dicitur.

Qua ratione imperfecti dicantur habentes loculos.

utendo, poſſint eſſe non habentibus perfectiores; atque ita fraterculos immerito Pontificem ac præſules ob divitias in crimen abiectæ perfectionis evangelicæ vocaſſe.

Errabat vero in eo Vitalis, dum dixit Chriſtum ſicut exemplar ſummæ perfectionis perfectorum perſonam aſſumpſiſſe, nullam proprietatem vel dominium in re aliqua ſibi retinendo: non enim, ut Herveus (a) ordinis Prædicatorum magiſter, doctores Pariſienſes (b), & Joannes Papa arguunt, perfectionis exemplar dedit, nullo ſibi in res quibus utebatur retento jure, præter ſimplicem uſum facti, quod cum ipſius dignitate pugnabat, cum rebus uti juſte deberet; ſed in eo quod, cum rerum omnium jus ac imperium multiplices ob cauſas obtineret, rebus tamen fere omnibus caruerit, adeo ut victum alienamque domum ac neceſſariam ſupellectilem piorum liberalitati accepta retulerit, ut perfectionis exemplo nobis præluceret. Contraria vero opinione imbuti erant plures, qui in eo perfectionis locabant apicem, dum rerum omnium dominium a ſe abdicaſſe jactabant, lautum vero & opiparum rerum uſum conſectabantur: quorum jactantiam Augerius Carmelitarum, ut vocant, provincialis ſcriptis (c) retudit; ac non tam in ea abdicatione juris rerum, quam in paupere rerum uſu, ex quo maceratur caro, & tumor mentis frangitur, paupertatem evangelicam conſtare contendit. Superiora vero in hac de paupertate Chriſti controverſia fuſius afferenda duximus, ut pateant malevolorum calumniæ, qui Pontifices qui ſedere Avenione præcipiti impetu animi fidei decreta edidiſſe temere effutiunt.

*(a) Herv. in tract. ſuo MS. cod. pag. 194.*
*(b) Stud. Pariſ. p. 248.*

Pſeudominoritar. error.

*(c) Ext. in MS. ſup. 3740. pag. 232.*

LXIX. Cum porro multæ de Minoritis querelæ ad ſedem Apoſtolicam perferrentur, ipſos ſpecie paupertatis Apoſtolicæ, qua cæteris religioſis ordinibus antecellere jactabant, conſectari opes, & lites iniquas ſedis Apoſtolicæ nomine, ad quam verbale & ænigmaticum, ut ait Joannes, rerum quas poſſidebant, dominium ex Nicolai conſtitutione ſpectabat, intenderent; Joannes conſtitutione, quæ inter extravagantes a verbis, *Ad conditorem canonum*, exorditur, promulgata VI. id. decembris hujus anni, dominium hujuſmodi præter ea quæ ad ſacra ſpectant, reſtituit Minoritis, vetuitque eos pontificio nomine quemquam in litem adducere. Cujus facti plures rationes attulit in eadem expreſſas conſtitutione, e qua has dumtaxat delibamus: *Talis*, inquit, *dominii carentia re in præſenti, ac ſpe in futurum omni commodo denudati, quoad paupertatem temporalem, quam altiorem præ mendicantibus aliis in communi habentibus ſibi vendicant dicti fratres, pauperiorem non efficit non habentem.* Et infra: *Adhuc ordinatio prædicta*, ſcilicet Nicolai Papæ de reſervato ſedi Apoſtolicæ rerum immobilium, non vero conſumendarum uſu, ut pluribus verbis probat, *eccleſiarum prælatis, & rectoribus, & multis aliis gravis exiſtere nimium & moleſta monſtratur. Numquid non grave præmiſſis poteſt exiſtere, quod ipſos oporteat ſe Romanæ eccleſiæ opponere, quæ ipſorum eſt domina & magiſtra; ac cum ea agendo, vel defendo litigare aſſidue, vel cedere juri ſuo? Hæc tamen oporteat facere cum in multis fratres prædicti exiſtere dicantur iniurii, ſicut clamoſa multorum, prælatorum & rectorum diverſorum, adhuc in curia exiſtentium, habet inſinuatio. Qui quidem fratres facta ſua palliare nituntur & defendere per procuratores, ab ipſis dictis ſanctæ Romanæ eccleſiæ conſtitutos nomine, &c.*

Joannes dominium rerum Minoritis reſtituit.

LXX. Exulceravit ea res pſeudominoritas, & ſua carpi a Joanne vitia impatienti animo tulere, effutientes ſubornatum ab æmulis religioſis Pontificem: atque omnium primus Bonagratia Bergomenſis ordinis procurator eam conſtitutionem impugnavit, & provocationem ad ipſummet Pontificem XXIV. januarii inſequentis anni concepit, cujus formula a Nicolao pſeudominorita affertur: deinde Michael Cæſenas a Romana eccleſia deficiens, eo furoris prorupit, ut velut hæreticam pluribus calumniis inſectatus ſit edito execrando libro (d), quem Piſis anno MCCCXXVIII. menſe aprilis inditione XI. promulgavit, in quo vir apoſtata quinque errores in hanc conſtitutionem impingit Pontifici, eumque maledictis dilaniat. Ludovicus etiam Bavarus, quamvis arma tantum tractare noſſet, ab impiis tamen edoctus, plura adverſus eandem ſanctionem in ſuæ appellationis formula an. MCCCXXIV. effutiit (e), & crimine hæreſeos pontificiam majeſtatem obſcurare niſus eſt. Quas omnes calumnias Joannes inſigni commentario poſtea confutavit, ac veritatem & fidem orthodoxam ſuæ aſſeruit dignitati. Qua de re inferius fuſe agetur. (f)

*(d) Ext. in MS. bibl. Vat. ſign. n. 4008. apud Nicol. Minor. pag. 29. ad 75.*

Concitata ab his gravia ſcandala.

*(e) Apud eund. Nic. Min. p. 17.*

Cæterum ut exploratum eſt, apud pios Joannem non injuſte memoratam conſtitutionem, *Ad conditorem canonum*, ediſſe, atque in ipſum impie inſurrexiſſe Bonamgratiam, Michaelem, & alios, qui ipſum ob abdicatum Franciſcani ordinis rerum dominium poſtularunt crimine hæreſeos; ita poſtquam extincta jam eſſet præteritorum invidia temporum, & calumniæ impiorum in ſedem Apoſtolicam ſepultæ oblivione eſſent, Romani Pontifices priſtinæ in Minoritas benevolentiæ officia explicuere. Inter

*(f) A. C. 1329. n. 22. &c.*

Ut Rom. Pont. decr. Nicol. reſtituerint.

quos



quos Martinus V. reſtituta decretali Nicolai, *Exiit*, & conſtitutione Joannis XXII. *Ad conditorem, canonum* abrogata, dominium rerum ad Minoritas ſpectantium ſuſcepit: quem plures alii Pontifices ſecuti ſunt, ut ea ſingulari clientela tecti Minoritæ ad divinum cultum liberius incumberent: de quo Vvadingus ad ſui ordinis defenſionem agit (a). Nunc ad aliam controverſiam ſermo traducendus eſt.

*(a) Vvadin. annal. Min. to. 3. ann. 1322. n. 61.*

LXXI. Ad ſedandos conſcientiarum motus Joannes nonnulla alia, quæ erant a viris peritis controverſa, diremit; ac pronuntiavit, nuncupatum ſolemni ritu in ſuſcipiendis ordinibus ſacris votum contractum antea matrimonium etiam nequaquam cognita uxore, non dirimere: ab omni tamen munere ſacro ſacerdotioque deturbandum, ac ſi ſponſa virum petierit, ad perficiendum matrimonium adigendum: ſi vero diſſolvatur matrimonium, ac religioſam familiam inierit, ſacerdotio perfungi poſſe, ac dignitate eccleſiaſtica potiri. De quo ſubjecta conſtitutio edita (b).

Nonnulla tum controverſa illuſtrata.

*(b) An. 7. p. 1. ep. cur. 5. ext. etiam in arch. S. Ang. & in MS. bibl. Vall. ſign. lit. D. n. 1. pag 12. ext. & extrav. Antiq. de vot. & vot. redempt. & inter coll. Plat. to. 1. pag. 381.*

*Joannes, &c. ad futuram rei memoriam.*

*De fratrum noſtrorum conſilio præſenti declaramus edicto, quod licet votum ſolemnizatum per ſacri ſuſceptionem ordinis quam tum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, ſi poſt contractum fuerit, ſecundum ſtatuta canonum ſit efficax reputandum; ad diſſolvendum tamen prius contractum, etiamſi per carnis copulam non fuerit conſummatum, cum nec jure divino nec per ſacros reperiamus canones hoc ſtatutum, invalidum eſt cenſendum; auctoritate apoſtolica diſtrictius inhibentes, ne quiſpiam, durante matrimonio, nondum etiam conſummato, aliquem de ſacris ordinibus præſumat ſuſcipere, niſi prout ſacris canonibus noverit convenire. Quod ſi ſecus a quoquam forſitan attentatum fuerit, ordinamus quod nec matrimonio diſſoluto in ſic ſuſcepto ordine miniſtrare, nec ad ſuperiores provehi, nec ad aliquod beneficium aut officium eccleſiaſticum valeat promoveri, niſi aliquam de religionibus approbatis, quarum profeſſio ad caſtitatis cuſtodiam, & abdicationem temporalium, & ſui ſuperioris obedientiam ſuos profeſſores aſtringat, ipſum canonice contigerit ingredi, ac ejus regulam expreſſe vel tacite profiteri: quo caſu diœceſanus ſuper præmiſſis, & ſingulis præmiſſorum cum eo diſpenſare valeat, niſi ſit aliud canonicum, quod obſiſtat. Ad ingreſſum hujuſmodi ſic ordinatum (ſi matrimonium conſummatum non fuerit) per diœceſanum inſtanter moneri præcipimus & induci: quod ſi forſan renuerit adimplere, ipſum ſi ſponſa ejus inſtiterit, per cenſuram eccleſiaſticam compellendum decernimus, contractum matrimonium conſummare. Nulli ergo, &c. Dat. Avinione kalendas decembris pontificatus noſtri anno* VII. Hæc licet definita ſint, tamen repertus poſtea eſt Petrus e Corbaria, qui etiam poſt matrimonium conſummatum, uxore renitente, Minoritarum familiam ingreſſus, non modo ad ſacerdotium irrepſerit, verum pſeudopontificatum invaſerit, ut dicetur inferius.

Matrimonium ordinem ſuſcipiendum impedit, non ſuſceptum.

Statutæ in conjuges pœnæ qui ordinibus initiantur.

Conjugatus initiatus repetente illum uxore redire ad ipſam juſſus.

LXXII. Graſſati ſunt in Italia nonnulli impoſtores, qui ad emungendas a ſimplice populo pecunias, fœdiſſima ſpargebant in vulgus mendacia; & quamvis ſacris ordinibus non eſſent initiati, ſacras tamen exhomologeſes excipiebant, ac diſſolvendorum votorum, noxarumque expiandarum auctoritatem ſibi impie arrogabant; quos Pontifex a Picenatibus epiſcopis reprimi juſſit (c).

Coerciti nonnulli impoſtores.

*(c) To. 5. ep. ſecr. pag. 108.*

*Joannes, &c. venerabilibus fratribus univerſis epiſcopis per provinciam marchiæ Anconitanæ conſtitutis.*

*Doloſi quidam mendacii fabricatores & ſtolidi, qui fratres hoſpitalis de Altopaſſu Lucanæ diœceſis ſe faciunt nominari, perverſorum operum ſectatores, ac multæ falſitatis cœno fœdati, per partes ipſas, ſicut nuper accepimus, diſcurrentes, nonnulla enormia & nefanda, ut alios decipere, & ab eis pecuniam & alia nequiter extorquere valeant, publice prædicare præſumunt. Ipſi vero, quorum unus Bartholomæum de Luca, alius Nicolaum Florentinæ vel Senenſis diœceſis, & tertius Bartholomæum de Mutina ſe faciunt nominari; iniquitatem quaſi aquam bibentes, ſeque falſo dicentes diverſis noſtris & Apoſtolicæ ſedis privilegiis fore munitos, ad prædicationem eorum per excommunicationis ſententiam alios venire compellunt, illam in impedientes eos proferunt impudenter, & eis dantibus auxilium, vel favorem, certam indulgentiam largiuntur. Super omnibus autem votis, præterquam ultramarino, cum eis, qui vota emiſerunt hujuſmodi, diſpenſare præſumunt, a reſtitutione incertorum ablatorum bonorum, nec non & a fratricidio & quovis alio homicidio, ac reatu perjurii, dummodo certa eis ſumma pecuniæ perſolvatur, indifferenter abſolvunt. Et quamvis iidem viri mendaces laici fore noſcantur, tamen ad confeſſionem eorum recipiunt confiteri volentes, & illis beneficium abſolutionis impendunt; abſolvendi alios tam a pœna quam a culpa, habere plenariam poteſtatem a nobis mendaciter aſſerentes: & ut facilius adhibeatur fides mendaciis & prædicationibus eorundem, non ſine multa temeritate moliuntur aſſerere, quod in eorum hoſpitali centum miſſæ quotidie celebrantur; puellæ pauperes, quæ ad ipſum confluunt hoſpitale, de bonis hoſpitalis traduntur nuptui memorati, nec affirmare verentur quod in eodem hoſpitali ducentæ ſunt puellæ de*

Ut finxerint ſe inſtructos privilegiis apoſtolicis.

Sine ſacerdotio profanarint ſacras exhomologeſes.

bo-

*bonis bujuſmodi maritandæ: & quod terribilius eſt auditui, quandam bullam ad ſimilitudinem ejus, qua noſtræ & Apoſtolicæ ſedis literæ ſolitæ ſunt bullari, ſe fingunt habere, in qua verus ſanguis & aqua, qui de ſacratiſſimo Salvatoris Dei & domini noſtri Jeſu Chriſti effluxerunt latere, conſervantur; & alia incredibilia velut amentes affirmare non metuunt, quæ ſeriem longæ narrationis exigerent, ſi oporteret illa per ſingula recitari, &c. Dat. Avin. kal. julii anno* VI.





I.
Religionis Chriſtianæ progreſſus.

DIſcutiendæ caliginis gentilitiæ ſuperſtitionis anno a redempto orbe milleſimo trecenteſimo vigeſimo (*a*) tertio indictione ſexta deſiderium concepit Gedeminnius Lithuaniæ & Ruſſiæ Rex: redintegrata (*b*) ab Oroſio Serviorum Rege intermiſſa diu cum Romana eccleſia conjunctio: Armeniæ inferioris populi ad fidem, a qua deflexerant, revocati (*c*): promota in India, Perſide, ac Tartaria religio; de qua cum ſentiret optime Usbec Imperator, ejuſque ſtudio in dies effloreſceret, Saraceni pietatis Chriſtianæ hoſtes infenſiſſimi, quos Damordam Regem Tartarum Mahumetica infeciſſe impietate, atque in Chriſtianos efferaſſe, ſuperiori anno vidimus, Imperatoris aures obſedere, ne campanas a Chriſtianis ad divina peragenda pulſari pateretur; atque in eam ferociam in urbe Soldaya exarſere, ut concitata ſeditione Chriſtianos pepulerint, eorumque templa divini Numinis cultui conſecrata, Mahumetico ritu profanarint. Quo accepto Chriſti vicarius, ut religionem ab impiorum injuria vindicaret, Imperatorem barbarum ad reprimendos Saracenos, tum ad Chriſtiana ſacra amplectenda adducere hiſce literis, quarum exemplum quinto ante anno, nonnullis immutatis miſerat, niſus eſt (*d*).

(*a*) *To.* 4. *ep. ſecr. pag.* 12.
(*b*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.*263.
(*c*) *Ann.*7. *p.*1. *ep. com.*848.

Saraceni inſectantur fideles inter Tartaros.

De iis conqueritur Pont. apud Uſbec. Imp.

(*d*) *An.*8. *p.*1. *ep. com.*34.

*Magnifico viro Usbec Imperatori Tartarorum illuſtri divinæ inſpirationis gratiam in præſenti, & fruitionis æternæ gloriam in futuro.*

II.
Commendat regium in Chriſtianos ſtudium.

*Lætanter audivimus, quod tu, non abſque ſpeciali motione divina, ob reverentiam omnium Creatoris religionis Chriſtianæ cultores infra imperii tui terminos conſtitutos, benigno favore proſequeris & pertractas; hoc in te ac per te agente illo, qui pro ſua voluntate bona in nobis velle & perficere operatur; quique vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem pertingere veritatis. Nos igitur, qui principis Apoſtolorum Petri (quem Chriſtus ad cœlum aſcendens in terris ſuum vicarium reliquit, regni cœleſtis traditis ſibi clavibus, per quas ipſe ſuique ſucceſſores poteſtatem aperiendi omnibus, & claudendi ejuſdem regni januam obtinerent) ſucceſſor ſumus ſola Dei patientia, non noſtris meritis conſtituti, animas Deo lucrificare ſuper omnia cupientes, & errantes in viam veritatis reducere, ut ipſum agnoſcant Deum vivum, & verum omnium conditorem, qui de tenebris nos vocavit, atque utinam te ac tibi ſubditos populos vocare dignetur celeriter, in admirabile lumen ſuum; magnitudinem tuam rogamus & hortamur attentius, & per illius miſericordiam obſecramus; qui te ad ſuam fecit imaginem ſuique capacem: qui mortis & inferni claves obtinens, cui claudit nemo aperit, & cui aperit nemo claudit; quatenus prudenter conſiderans, quod vita noſtra vapor ad modicum parens eſſe dignoſcitur, quodque noſtri dies tranſeunt velut umbra, ſaluberrimam fidei catholicæ veritatem (quam ſacroſancta Romana ſervat, prædicat, & docet eccleſia, ſine qua creatori Deo eſt impoſſibile complacere) reverenter amplectens cum ſubjectis tibi populis per ſacratam & ſacrantem undam baptiſmatis, per quam ut filii ſimus Dei accepimus poteſtatem, ſpiritualiter regenereris in Chriſto; ut ſic ab ipſo regni cœleſtis coronam incorruptibilem una cum ipſis populis conſequi merearis.*

Ad fidem amplectendam illum allicere nititur.

*Verum quia ipſe Chriſtus, qui eſt veritas, favores, & bona, quæ ſuis exbibentur cultoribus, perſonæ ſuæ exclamat & reputat eſſe facta; celſitudinem tuam in Domino deprecamur, quatenus ad Chriſtianæ fidei profeſſores, qui dominationis tuæ & ſubjecti tibi imperii terras inhabitant, & maxime qui prædicant inibi verbum Dei, ſic tuæ benignitatis affectum continues, ipſos operoſis favoribus proſequendo, quod tuæ defenſionis protecti clypeo cujuſquam offenſionis molimina non formident; quin potius aſſiduæ ſecuritatis dulcedine valeant gratulari.*

III.
Expoſtulat ipſum ab impiis ſubornatum uſum campanarum vetuiſſe.

*Cæterum cum, prout accepimus, ob divini reverentiam nominis Chriſtianos prædictos campanas, ad quarum pulſationem ad divina convenire poſſent officia, dudum per aliquod temporis ſpatium habere ac pulſare libere permiſiſſes; contra poſtmodum inimicorum Chriſti, qui quantum poſſunt, licet ſupervacue, non deſinunt ſuæ iniquitatis jacula jacere contra ipſum, fraudulenta ſeductus inſtantia campanas pulſandi prædictas eis interdici feciſti, ut aſſeritur, facultatem; rogamus denuo, ut ſuggeſtiones hujuſmodi, quæ de ipſorum ſentina venenoſa procedunt, omnino deſpiciens, Chriſti cultores eoſdem præfatas habere ac pulſare campanas, pro divini honore nominis, permittas ſine difficultate aliqua & concedas.*

Saracenos pulſis Chriſtianis, eorum templa profanaſſe.

*Demum quia in Chriſtianorum anguſtiis, tribulationibus, & preſſuris non poſſumus anxie non torqueri, dolenter audivimus, Chriſtianos in civitate Soldaye noviter degentes, eſſe noviter de civitate ipſa per Saracenos ejectos, & campanis de eccleſiis ipſorum depoſitis, eccleſias ipſas factas eſſe meſquitas. Nos autem ad Chriſtianos ipſos, tanquam pater ad filios præcordialis habentes compaſſionis affectum, adhuc preces adiicimus precibus; & a celſitudine tua, quam per hujuſmodi pietatis opera penes*

Hortatur ut fideles patriæ templiſque reſtitui jubeat.

*Deum & homines creſcere cupimus, petimus, & ob reverentiam ejus, qui bona uniuſcujuſque opera cum mercede compenſat opima, prælibatos Chriſtianos, ut præfertur, ejectos facias in dictam civitatem ad inhabitandum inibi regredi, & reſtitutis eis dictis eccleſiis & campanis, ipſos Domino noſtro Jeſu Chriſto, quem colimus, intrepide obſequi & ſervire permittas; ſciturus indubie, quod quanto per plura pietatis & charitatis opera ad Chriſtianos ipſos oculos tuæ propitiationis extendes, tanto ſuaviores intentiones thurificabis Domino, & gratiora ſibi offeres holocauſta. Speramus enim in Domino, quod ex hoc tibi vitæ præſentis augmenta provenient, noſtrique Redemptoris immenſa benignitas, qui nunquam irremuneratum bonum aliquod prætermittit, ad ſui nominis gloriam agnoſcendum oculos tuæ mentis facilius ſuæ lucis ſplendoribus illuſtrabit. Dat. Avin. V. kal. octobris anno VIII.*

IV. Tartari Chriſtianis adverſus Sarac. maximo munimento fuere.

Proſequi magno honore Romanum Pontificem ſolitos Tartarorum Imperatores, Chriſtianoſque adverſus Saracenorum impetus tueri, ſuperius vidimus. Certe hoc anno Boyſſethan Imperator a Pontifice excitatus, rei Chriſtianæ a Saracenis in extremum adductæ exitium in Armenia, ſubmiſſis in noſtrorum auxilium viginti equitum millibus, dum occidentales mutuis ſe cædibus conficiebant, ſalutem attulit. Sed antequam de his agamus, quæ prius geſta percurramus.

Laboranti Armeniæ opitulatur Pont.

Adjutum plurimo ære a Pontifice Leonem Armeniæ Regem ad ſuſtinendos belli Saracenici ſumptus, docent inter cætera literæ datæ ad Petrum patriarcham Conſtantinopolitanum, & Geraldum Beneventanum archidiaconum literæ (a), quos triginta aureorum millia in rem Chriſtianam periclitantem in Armenia vertere juſſit: quantum vero dolorem ex illius vaſtitate accepiſſet, operamque ad conflanda auxilia contuliſſet, Armenos præſules hiſce literis certiores fecit (b).

(a) To. 3. ep. ſecr. pag. 266.

(b) Ibid. pag. 267.

Illius ad præſules Arm. literæ.

*Joannes, &c. archiepiſcopis & epiſcopis per regnum Armeniæ conſtitutis.*

Magno ex illatis Armeniæ cladibus dolore ſe affici ſignificat.

*Relatio nunciorum, quos chariſſimus in Chriſto filius noſter Leo Rex illuſtris, & dilecti filii nobiles viri Oſſinus comes Curchi & gubernator, cæterique barones, ac populus regni Armeniæ cum ipſorum literis nuper ad noſtram præſentiam deſtinarunt, nos profecto cibavit abſynthio, noſque felle potavit merito; per illam plenius intellecto, quod barbarica feritas Chriſtiani nominis invida perſecutrix, vos & alios Chriſti fideles Armenos, utique invictos fidei catholicæ pugiles & Chriſtianæ profeſſionis fervidos defenſores, ac ipſum Armeniæ regnum immaniter perſequi non veretur; & veſtrum ac eorum ſanguinem ſitiens, infert ſtragem corporum flebilem, horrenda committit genera ſcelerum, & rerum addit execrabiles vaſtitates, quæ præſentialiter nobis recenſere per ſingula, prout ſcripſiſtis, ea ratione omiſimus, quia vobis tanquam nimis dira, prob dolor! ſagittatione percuſſis, renovare nolumus vulnera, quibus & nos vehementer offenſi porrigere nitimur opportunæ in Domino ſolidationis unguenta.*

V. Ut occidentales principes in arma ſacra concitarit.

Addit ut mox, ex triſtibus adeo nuntiis horrore perfuſus, cum Cardinalibus magno ſtudio de ſubmittendis Armeniæ pecuniarum in ſumptus bellicos ſubſidiis deliberarit; omneſque occidentales Reges, principes, ac populos propoſitis ſacris indulgentiarum præmiis ad conferendas ſuas in tam juſta cauſa opes fuerit adhortatus. Tum Armenos ad defendendam fidem, deſpiciendaque pericula indulgentiarum ſpe excitarit; omnemque operam, ac ſtudium ad retundendos barbaros pollicetur. *Quocirca*, inquit, *jam mundo notoriam & cunctis ſæculis celebrem fidei veſtræ ac Armenorum ipſorum conſtantiam ſinceris in Domino laudibus commendantes, univerſitatem veſtram rogamus & hortamur attente, quatenus memoratos Regem, gubernatorem, barones, & populum dicti regni Armeniæ, quibus ſuper his ſpecialiter ſcripta noſtra dirigimus, inducere ac monere curetis, ut contemptis barbaricæ hoſtilitatis impulſibus, nullam in eorum umbratili terrore potentiam habituris, non deſerant inceptum ejuſdem fidei, quæſumus, pro perfidiæ ſuperatione certamen; ſed conatus ſuos animorum viribus roborantes viriliter, pro ejus nomine ac honore concertent, qui moriendo vincens pro humani generis redemptione certavit. Licet namque barbarorum ipſorum multiplex numerus dictos Armenos in præſenti excedere videatur; novit tamen Altiſſimus, ſuæ cauſæ defenſor unicus, ejus inſuperabili dextera multos in paucorum manu concludere, & proſpero tantis perſecutionibus dato fine, potentiam plurium virtutis unico brachio ſuperare. Denique cum pro illo mori vitæ gloria ſit perennis, ſummus operum bonorum omnium opifex per eventum omnem ſic beati certaminis eos felices faciet jam victores. Ad hoc ſubjungimus, vos in virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti rogantes, monentes, & obſecrantes attente, ut & vos, in quantum in vobis fuerit, hujuſmodi victoriæ ſperatæ negotium totis affectibus proſequentes, ſecundum gratiam vobis a Deo traditam, aſſiſtatis eiſdem pro noſtra & Apoſtolicæ ſedis reverentia auxiliis, conſiliis, & favoribus opportunis, &c. Dat Avin. kal. aprilis anno VII.*

Armenos ad conſtantiam excitari jubet.

Cadere in hoc bello glorioſum victoriæ genus eſſe.

VI. Inflictæ Armenis ob ſcelera clades.

Victi prius a vitiis fuerant Armeni, quam a Saracenis vincerentur; aſcriptaque eſt illata ab impiis vaſtitas divinæ juſtitiæ, quæ eorum tanquam ſæviſſimorum carnificum opera ad ſumendas de orientalium Chriſtianorum flagitiis pœnas uſa eſt: atque ideo, cum ad propulſandum barbarum nullum potentius auxilium foret, quam iratum divinum Numen morum converſione ad miſericordiam inflectere, Pontifex eoſdem præſules Armenos aliis literis ad fideles a vitiis deterrendos, munerisque paſtoralis partes ſtrenue obeundas excitavit (a).

(a) An. 7. p. 1. ep. cur. 11.

*Venerabilibus fratribus archiepiſcopis & epiſcopis per regnum Armeniæ conſtitutis.*

De divina ea in re juſtitia ac providentia.

*Non dubitamus quin vos, in quorum mentes & animas ſuperna dona chariſmatum defluxerunt, percipiatis ſenſu, & intellectualiter videatis, quod Deus noſter & Salvator æternus dominus unigenitus Dei patris filius Jeſus Chriſtus, qui in cælis habitat, & dominatur in terris, hominum peccatis offenſus prælatos interdum delirare permittit & principes, regna inter ſe ſuo marte confligere, ac gentes conſurgere invicem, adverſantes pro libito, ac fideles ab infidelibus cruciari. Hinc profecto guerrarum diſcrimina prodeunt, rerum vaſtitas provenit, perſonarum cædes producuntur & vulnera, contingunt cruenta mortis exitia; & quod, prob dolor! dolemus amarius, animarum ploranda pericula ſubſequuntur. Ex quibus ipſe Deus, utique dominus ultionum, bona remunerans & mala non deſerens impunita, punit ut corrigat delicta parentum in filiis: vindicat ut compeſcat prælatorum & principum ſcelera in ſubjectos.*

*Quia igitur memoratus Salvator noſter, qui dominatur ſuper cunctos prælatos & principes orbis terræ, vobis ſicut & catholicis cæteris mundi prælatis aſcriptis dignitatis contulit apicem, & ut ſerviatis eidem, illam quam obtinetis ſuper commiſſum populum vobis tradidit poteſtatem; univerſitatem veſtram requirimus, monemus, & hortamur attente, quatenus ad præmiſſa velut catholici, velut juſti, & divinæ timidi ultionis veſtrorum dirigatis aciem oculorum, decernentes inter dexteram & ſiniſtram, ne ſumme patiens ipſe Dominus jam ex peccatis humanis factus impatiens, & provocatus in iram illatas offenſiones, atque injurias durius ulciſcatur per imminentia regno Armeniæ, aliiſque regnis conterminis Agarenorum perſecutiones & bella, immo tormenta tartarea. Si penſatis per quod in vobis * ad id ipſum ſolerti cura veſtro commiſſos regimini inducturi, peccata præterita emendationis condignæ ſuffragio corrigere ſtudeatis; & in futurum juxta gratiam vobis a Domino præſtitam vigilanter atque ſalubriter cohibere ſic, quod ſub timore cæleſtis gladii ſerviatis Deo, cui omnia ſerviunt, ſibique offeratis juſtitiæ holocauſta, vivendo innocenter & juſte, & in æquitate ac pace dictos regendo populos, puniendo crimina, & conatus ac auſus excedentium reprimendo, rationem villicationis veſtræ in ſupremo judicio reddituri; quod idem Salvator noſter adverſus peccantium jacula tam pœnitentia cordis, quam operis ſatisfactione placatus, dignetur in vobis, ac eiſdem commiſſis populis miſericorditer ſervare quod præſtitit, nec velit perire crudeliter quod creavit: ſit vobis & commiſſis hujuſmodi populis contra ipſos adverſarios perſequentes ex alto victoria, ſit de cælo veniens fortitudo; & peccatorum cordibus directis ad Deum ejus miſericordia ineffabilis auferat formidines hoſtium, & pie conferat temporum gaudia tranquillorum: circa hæc illud inter cætera, quantum in vobis fuerit, ſpecialiter proviſuri, quod ſalutaribus eccleſiæ Romanæ prohibitionibus & præceptis ſine tranſgreſſione ſervatis, cautelam vigilem impendatis, ut victualia, vel utenſilia quæque prohibita, per aliquos Chriſtianos in contemptum ipſius prohibentis eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis profecto jacturam, ex permiſſione vel conniventia veſtra, ſeu miniſtrorum & ſubjectorum veſtrorum nullatenus deferantur ad barones, qui ex illorum fulcimento ſuperbiant, ad quorum exterminium plus aſpirant.*

* offendatur Deus

Hortatur præſules, ut populos ad ſcelerum pœnitentiam adducant.

Prohibeant merces vetitas Saracenis deferri.

*Præterea ut circa iſta, quæ affectibus noſtris interne præponderant, in quantum nobis ex Altiſſimi pietate permittitur, ſolicitudinis & diligentiæ ſtudium impendamus; ſubjungendo mandamus, ut tam chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Leonem Regem Armeniæ illuſtrem, cui ſuper his ſpecialia ſcripta noſtra dirigimus, quam alios barones, & dominos temporales, & Chriſti fideles alios dicti regni, veſtræ ſpeciali gubernationi commiſſos, opportune ac importune inducere, monere curetis pariter & hortari, ut ſalutaribus in hac parte monitis & exhortationibus piis veſtris ſe laudabiliter conformantes, & agnoſcentes ex culpæ reatu ſe tanquam pœna demerſos fore perſecutionis barbaricæ hujuſmodi reorum Ninivitarum more, qui per exaggeratæ pœnitentiæ meritum ultionis divinæ ſententiam evitarunt, tam per hoc, quam per orationum imploranda ſuffragia, & alia pia condignaque opera charitatis, ac bonæ de cætero vitæ frugem, ſic in divinorum præceptorum ſemitis continue ambulent, quod Deum creatorem & ſalvatorem noſtrum, injuria humanæ fragilitatis offenſum, merito ſibi placent: vos vero, tanquam lucerna ſuper candelabrum poſiti, veſtris ſubditis exemplares ſic virtutum ſermone ac opere vos ipſis exhibeatis exemplum, quod veſtra laudabilis actio ſit inſtructio reliquorum; indeque finaliter ſalus patriæ deſiderata proveniat, ſitque vobis apud Altiſſimum fructus operationis ad gloriam, & felix tanti negotii exitus. noſtro & Apoſtolicæ ſedis præconio extollat prudentiæ veſtræ famam. Dat. Avin. kal.*

Placent iratum Deum morum converſione.

*kal. aprilis anno* VII. Hortatus eſt aliis literis Leonem (*a*) Regem Armeniæ, Oſſinum (*b*) comitem Curchi ac regiæ procuratorem, proceresſque ac populum, ut vitæ maculas delerent lachrymis, flecterent ardentiſſimis precibus ad miſericordiam iratum divinum Numen, denique generoſe pro Chriſti nomine pericula adirent.

(*a*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 268. (*b*) *Ibid.*

VII. Armeniæ populi ad dogma orthodoxum reverſi.

Emerſere porro e tenebris perfidiæ Armeniæ inferioris populi, divinaque tandem luce colluſtrati literas & oratores ad Romanum Pontificem miſere, ut incorruptæ fidei formam a ſede Apoſt. veluti puriſſimo fonte peterent. Delibutus itaque Joannes magno letitiæ ſenſu apoſtolicum ſtudium ad revocandos ad gremium eccleſiæ Armenos, qui in Perſide verſabantur, contulit; legavitque in Perſidem Guillelmum magnæ religionis virum, quem Soltanienſem archiepiſcopum creavit: & Conſtantinum patriarcham Armenorum ad conjungendam cum archiepiſcopo in ea re operam, zelumque in animarum ſalute promovenda explicandum incitavit (*c*).

(*c*) *An.* 7. *ep. com.* 848.

*Venerabili fratri Conſtantino patriarchæ Armenorum.*

*Agimus in humilitate ſpiritus devotas laudes domino Deo noſtro quod, ſicut inferioris Armeniæ populi, quos in tenebris & umbra mortis diutius ambulantes antiquus hoſtis in ſagenam incluſerat cœcitatis, nobis per literas eorum & nuncios inſinuare curarunt ipſe miſericors & miſerator Omnipotens, qui ſecundum multitudinem ſuarum, Nolo mortem peccatoris dixit, ſed ut convertatur & vivat; antiquum ab ipſorum oculis velamen cœcitatis abducens, ad proſpectum veri luminis, hoc eſt ad Chriſtianæ fidei jubar & evangelicæ veritatis lineam, a qua exorbitantibus non eſt ſalus, juxta quod ſacroſancta Romana mater eccleſia mater omnium & magiſtra fideliter profitetur & prædicat, revocavit. Nos autem ex his ſpiritualium gaudiorum ubertate refecti, & ſperantes in miſericordia Domini, quod non ſubſiſtet, nec abbreviabitur in his tantummodo manus ejus, ſed votorum noſtrorum feliciter diriget pro ſui laude nominis ad ulteriora progreſſus; ad prædicandum verbum vitæ populis Armenorum imperii Perſidis, qui quanquam tibi in ſpiritualibus obediant & intendant, a doctrina tamen eccleſiæ Romanæ degenerant; & ad reducendum eos in ſemitam veritatis, & ad lucrifaciendum Chriſto animas eorundem, ad inſtar illius, qui ſpiritus ſuos angelos facit, & miniſtros ſuos ignem urentem; venerabilem fratrem noſtrum Guillelmum Soltanienſem archiepiſcopum, Chriſtianæ fidei zelatorem, qui dictæ fidei ardore ſuccenſus maris & terræ pericula libenter ob Chriſti nomen perferre ſe obtulit, ad plantandum & irrigandum in partibus illius novæ plantationis hortum incrementum, dante Domino, deſtinamus.*

Puritatem illius a ſede Apoſt. petunt.

Soltanienſem archiep. ad Armenos in Perſide conſtitutos mittit Pont.

*Et quia favores tuos, cooperationes, & ſtudia, velut prælati catholici & in partem apoſtolicæ ſolicitudinis ad convertendas ad ſalutem animas evocati, fore noſcuntur ad felicem hujuſmodi plantationis effectum plurimum opportuna; fraternitatem tuam rogamus & obſecramus in Filio Dei Patris, in remiſſionem tibi peccaminum ſuadentes, quatenus prudenter attendens, quod divina ac Apoſtolicæ ſedis gratia inter tantos tamque diffuſos populos eccleſiaſtica dignitate præfulges, ut retribuas domino Deo tuo pro his, quæ tribuit ipſe tibi, calicem ſalutis quem tibi propinamus accipias, & ſpeciales nuntios tuos, & literas ad Armenos ejuſdem imperii Perſidis una cum eodem archiepiſcopo deſtinare procures: qui Armenos ipſos ex parte tua ſolerter inducant, ſalubriter alloquantur, & moneant, ut eumdem archiepiſcopum ob reverentiam Apoſtolicæ ſedis & noſtram devote recipiant, & verba vitæ ac fructum ſalutis æternæ, quem eis prædicando & exhortando pollicebitur; tenaciter eorum mentibus infigentes ad viam veritatis, quæ Chriſtus eſt, & ad ſalutiferam eccleſiæ Romanæ doctrinam, ad quod ſummopere te decet anniti, antiquis relegatis erroribus, ſe convertant: ſicque in melius atque ſalubrius præſentis ſeculi ſtadium Chriſto auxiliante percurrant, ut vitæ perennis bravium comprehendant. Tu vero, qui ad revocandas ab erroribus tot populorum animas ad ſalutem te cooperatorem & auditorem tam optimæ mercedis efficies, præter benedictionem & gratiam, quas a nobis & a matre tua ſede Apoſtolica conſequeris, Deo gratiſſimum offeres holocauſtum; per quod cæleſtem tibi cumulabis gratiam, mercedem æternam tibi proculdubio repenſuram. Dat. Avin. kal. junii anno* VII.

Patriarcham Armenor. rogat, ut eos Guillelmo parere jubeat.

VIII. (*d*) *Eod. an.* 7. *ep. com.* 849. Excitatus Leo Rex, ut in ea re operam ſuam collocet.

Eodem pene exemplo conſcriptas literas Leoni Regi Armeniæ miſit (*d*), ipſumque hortatus eſt, ut ad reponendam divino Numini pro acceptis ab eo ampliſſimis beneficiis gratiam, amplificandamque in minori Armenia fidem ſuos oratores ac literas ad populos, qui recens evangelica luce colluſtrati fuerant, mitteret, ut archiepiſcopo ab Romano Pontifice legato obſequerentur, atque ad conſtantiam in religione Chriſtiana excitaret. Complexus porro eſt Joannes apoſtolica benignitate Franciſcum e Peruſio, Guillelmi Soltanienſis archiepiſcopi prædeceſſorem, qui dignitate diſceſſerat, eamque procuratoris opera ſedis Apoſtolicæ curæ commiſerat, quo liberius cæleſtium rerum contemplationi vacaret. Hæc enim Pontifex in literis, quibus ejus votis aſſenſiſſe ſignificat, addit: *Tibi de ſedis Apoſtolicæ benignitate utendi apud Græcos & fideles, in quorum par-*

Franciſcus e Peruſio Soltanienſi archiepiſcopatu ſe abdicat.



*partibus pro ſalute fidelium, & ampliatione catholicæ fidei converſaris, pontificalibus inſigniis in divinis officiis & locis competentibus, abſque tamen uſu pallii, ſicut uti conſueveras ante hujuſmodi ceſſionem; nec non benedictionem populo in eiſdem locis more pontificum largiendi, dummodo legatus ſedis Apoſtolicæ, aut aliquis archiepiſcopus vel epiſcopus præſens in benedictione hujuſmodi non exiſtat; plenam & liberam auctoritate præſentium concedimus facultatem, &c. Dat. Avin. kal. junii anno* VII.

Pontificalibus inſigniis, pallio excepto ipſum uti permittit Pont.

IX. Tartarorum Imp. Armeniæ clientelam ſuſcipit.

Inſigne hic in Armenos divinæ providentiæ exemplum ſilere non poſſumus, quæ cum ad vindicanda eorum ſcelera Saracenos toleraſſet, iis jam ad pietatis cultum revocatis, ac præteritis ſceleribus ſacra pœnitentia expiatis miſericordiæ non oblita, Tartaros in Armenorum auxilium commovit. Repreſſa itaque hoc anno Saracenorum rabies, cum expertam toties Tartarorum potentiam formidaret. Solicitatum ad defendendos Armenos a Pontifice fuiſſe Boſſeitham Imperatorem, ſuperiori anno diximus. Contrariis etiam ſtudiis Tartari ac Saraceni, cum utraque natio ad orbis imperium anniteretur, diſſidebant. Addicta præterea a lapſis retro temporibus clientelæ nomine magno Chamo erat Armenia a Leone Rege, qui magnis cladibus eorum ope Saracenos attriverat; ductuſque amplitudinis ſuæ & gloriæ tuendæ deſiderio, Armenorum ſuſcepit patrocinium, ac ſoldanum Babylonium a laceſſendis Armenis imperii Tartarici clientibus ſibi temperare juſſit: paruit mox ſoldanus, ac ſubiectas pacis leges admiſit, quæ in regeſto pontificio præfixo hoc titulo deſcriptæ ſunt. (*a*)

(*a*) *Tom.* 4. *p.* 2. *ep. ſecr. p.* 89.

*Nova de partibus ultramarinis habita per literas mercatorum de ſocietate Bardorum ab eorum ſociis morantibus in Cypro, data Famaguſtæ, die ultimo maii proxime præteriti, redacta de Turco idiomate in Latinum, prout melius fieri potuit. Continetur in literis ipſis capitulum in hæc verba.*

*Habemus de novo, quod fertur per literas habitas hic de partibus Armeniæ, quod concordia inter ſoldanum & Armenos facta eſt ad requiſitionem Tartari, qui dicit Armenos eſſe ſuos homines. Pro qua facienda Tartarus ipſe miſit ad ſoldanum duos ejus admiratos, quemlibet ducem decem millium equitum, nuncios ut concordaret cum Armenis, alias illos ipſe defenderet, ob quod dicitur, quod concordia facta eſt in hunc modum. Soldanus debet habere ab Armenis tributum conſuetum anno quolibet, quod eſt duodecim centena millium derenorum per annum, quorum derenorum ſinguli quatuor computantur pro uno biſantino albo de Cypro. Et ultra hoc debet habere medietatem dirictus commercii Layacii & portellæ, & medietatem ſalinarum: & a flumine verſus Syriam debet habere unum biſantum auri vetus anno quolibet pro quolibet homine a viginti ſupra. Et ſoldanus non debet tenere aliquam fortaliciam in Armenia, & debet facere refici expenſis ſuis caſtrum Layacii, & omnem aliam fortaliciam, quam deſtrui feciſſet in Armenia, ita fortes ut erant, vel melius. Scribitur etiam, quod catholicus Armeniæ, qui erat Alappi in Syria, ivit de mandato ſoldani, ad ipſum apud Cairum ad firmandum cum ipſo concordiam ſupradictam: neſcitur tamen adhuc per quantum tempus; nam quidam dicunt per tredecim, quidam per quatuordecim annos. Quando certiora ſuper his habebimus nova, illa vobis inſtanter ſignificabimus. Placeat Deo, quod ſit ad bonum ſtatum Chriſtianorum. Nec hucuſque iſta notoria ſunt, nec erunt, quouſque dictus catholicus in Armeniam ſit reverſus.*

Concordia inter Armen. & Saracen. inita.

Quibus legitur.

X. Induciæ ad annos quindecim indictæ.

Certiorem paulo poſt nuntium de pace Armeniæ reſtituta accepit Pontifex, ac rem Carolo Francorum Regi ſignificavit: *Cæterum*, inquit, *ad gaudium celſitudini regiæ nunciamus fidedignis relatibus noviter accepiſſe, quod ſub tributo annuo quinquaginta millium florenorum, ſoldano per Armenos more ſolito perſolvendo, pax eſt inter eos pro annis quindecim reformata, & in eis partibus publicata: itaque Armeni propter guerram profugi ad propria ſunt reverſi. Quæ quidem pax ab Armenis acceptabilis reputatur, &c. Dat. Avin. id novembris anno*, VIII. Agitaſſe Carolum Galliarum Regem conſilia de expeditione in orientem, ad liberandam e Saracenorum tyrannide Armeniam adornanda, oſtendunt tum apoſtolicæ ad Leonem Regem Armeniæ, Oſſinum comitem Curchi, atque omnes regni ordines datæ literæ (*b*), quibus ipſos excitat ad confirmandos ad conſtantiam animos, ac frangendos hoſtis impetus, dum Carolus Galliæ & Navarræ Rex florentiſſimum in hoſtem exercitum comparabat; tum legationes a Rege de ea cauſa ad Pontificem miſſæ, quibus ad ſedem Apoſtolicam Petrus epiſcopus Vivarienſis, Robertus Bononiæ comes, Ludovicus comes Clarimontis, & Richardus e Montmoranciaco perfuncti ſunt (*c*). Egregie etiam affectus ad ſacrum illud bellum videbatur Carolus Valeſiorum comes (*d*) Regis patruus: quocirca Joannes ſcriptis ad Galliarum archiepiſcopos & epiſcopos literis encyclicis (*e*), in quibus a Damorda Tartaro, Aramano Turco, ac Babylonio ſoldano Armeniæ clades illatas, indictumque a ſoldano bellum Henrico Regi Cypro ob ſubmiſſa Armeniæ auxilia deſcribebat; pontificio nomine ex-

Ut Franc. Rex de orientali expedit. egerit.

(*b*) *Tom.* 3. *p. ſecr. pag.* 278.

Oratores eam ob cauſam ad Pont. mittit.

(*c*) *Ib. p.* 199. (*d*) *Id. ib.*

(*e*) *Ibid. p.* 285. 288. 291.

expeditionem ſacram denuntiare, & pio ardore ad arma fideles concitare juſſit.

(a) Ib. p. 200.

Miſit (a) etiam VII. kal. jun. Guillelmum archiepiſcopum Viennenſem, ac Dominicum ordinis Prædicatorum ad aulam Gallicam, ut de pactis nomine eccleſiæ cum Rege ineundis agerent. Cumque archiepiſcopus Viennenſis nuntius apoſtolicus Carolo Galliarum Regi pontificium de vindicanda e ſervitute Saracenorum terra ſancta conſilium expoſuiſſet, Rex ejuſque patruus dux Valeſiorum expeditionis ſuſcipiendæ ingens deſiderium præ ſe tulere, & quæ a nuntio erant propoſita, in deliberationem revocarunt. Propoſuerat (b) vero archiepiſcopus, ſedem Apoſtolicam flagitare, ut ſi dux Valeſiorum expeditioni ſacræ ſe devoveret, quatuor cataphractorum equitum, quindecim peditum millia cum cæteris omnibus, qui ſpontanea pietate adducti ſe illi conjungerent, duceret: tum ut is princeps quinquennio toto in terra ſancta bellum Saracenis inferret. Qua re a Regis ſanctiore militari conſilio in examen adducta, miſſi ab Rege ad Pontificem oratores expoſuere, turpe fore ſi Rex, aut princeps parente Rege oriundus, bellum illud ſuſciperet, niſi tot copiis inſtructus eo contenderet, ut in campo contra hoſtes ſtare poſſet; viderique ad id ſaltem equitum cataphractorum decem millia deſiderari, cum ſoldanus ſexaginta equitum cataphractorum millia conflare poſſit: verum cum Rex ac Valeſiorum dux ſpe eſſent imbuti, victoriam potius Dei auxilio, quam multitudine copiarum niti; liberandæque terræ ſanctæ incredibili cupiditate tenerentur, arduum illud opus ſuſcepturos, ſuaque omnia in ea collocaturos expeditione, modo Pontifex quatuor illis equitum, & peditum quindecim millibus bellicos ſumptus ſufficiendos curaret: quos quidem ſubductis rationibus ad ſex decies centena millia librarum Turonenſium aſcenſuros conſtabat. Tum adjecere oratores, ut cum liberandæ terræ ſanctæ provincia omnes Chriſtianos tangeret, æquum non eſſe, ut ſumptus bellici e Galliis tantummodo haurirentur; viderique ea onera in omnes fideles, ad quos ex æquo injuria nominis Chriſtiani pertinet, cum laicis tum clericis partienda. Quibus poſtremis Pontifex his verbis reſpondit Carolo (c).

(b) To. 4. p. 2. ep. ſecr. p. 10.

Quæ fuerint inter Pont. & Regem Franc. agitata.

De numero copiarum duci Valeſior. tradendo.

Petita a Pont. pro iis ſuſtentandis ſtipendia.

Id oneris in omnes Chriſtianos partiendum.

(c) Ead. ep.

XI. Pontificis reſponſio.

*Utinam, fili chariſſime, omnes viri catholici mente perciperent, profiterentur ore, & opere adimplerent: ſic onus cujuſlibet leve exiſteret, ac ſuave: ſic utique prompte poſſet & faciliter eripi terra prædicta, quantum humana noſſe ſinit fragilitas, de manibus impiorum. Quis enim neſciat, quod contra Redemptorem noſtrum committitur, in omnium injuriam redundare? Quis rurſus ignorat, Chriſticolarum omnium intereſſe, terram illam ſanctam ortus Redemptoris ejuſdem gratia illuſtratam, converſationis decoratam præſentia, paſſionis, beneficio & ſui pretioſi aſperſione ſanguinis conſecratum; quæ violenter per Agarenos detinetur immundiſſimos occupata, quæque eorum immunda contrectatione polluitur; de ipſorum manibus eripi, & ad Chriſticolarum manum, ad ejuſdem Redemptoris noſtri laudem & gloriam, ac conſolationem ingentem fidelium revocare? Profecto hæc non debent ignota fore fidelibus utentibus ratione.*

*Sane, fili chariſſime, circa præmiſſa difficultas quædam nobis & dictis fratribus in uno ſe obtulit, & in alio impoſſibilitas ſe ingeſſit. Nunquid non difficile tractari cuilibet onus, quod pro dicto negotio ad ipſum debeat pertinere, ſummamque prædictam ſexdecies centena millia librarum Turonenſium dividere inter omnes? Utique videtur difficile nimis nobis. Nunquid non, & ſi hoc poſſet fieri, exequi impoſſibile videretur? Proculdubio nobis & prædictis noſtris fratribus ſic videtur, &c.* Addit ad ſuſtinendos bellicos ſumptus, quæ ex decimis, piorum eleemoſynis pro indulgentiis comparandis collatis, legatiſque a fidelibus relictis Regi expeditionem ducturo tribuentur, tanta eſſe, ut nulli unquam principi majora ſint oblata: nec revocandum in dubium, ut ſi dictarum copiarum numerum conſcripſerit, tot ex omnibus regnis provinciiſque equites peditesque ad ipſius ſigna convolaturos, ſuiſque ſe ſumptibus ſuſtentaturos, ut plures forte, quam opus ſit, concurſuri videantur. *Dat. Avin.* VII. *id. ſep. anno* VIII.

Conſilia ea omnia evanuere.

(d) To. 4. p. 2. ep. ſecr. p. 51. 52. 53. 54. 55. 56.

Reverſi a Rege nuntii apoſtolici, iterum menſe novembri ad eum ſunt dimiſſi (d), pluraque agitata conſilia; quæ omnia demum evanuere. Publica quidem pax, quæ omnino ad rem perducendam erat neceſſaria, turbari cœpta: in Belgio (e) enim concitati populares motus, ac de principatu etiam inter Ludovicum comitem & Robertum patruum diſceptatum in aula Gallica: verum in gratiam Ludovici ex legibus initi cum Roberto comite fœderis, de quo ſuo loco a nobis dictum eſt, lata ſententia. (f) Exortæ etiam hoc anno Gallos inter & Anglos novi belli cauſæ (g), cum Eduardus Aquitaniam Gallo Regi acceptum ritu ſolemni referre detrectaſſet.

Diſcordiæ civiles in Belgio.

(e) Jo. Vill. l. 9. c. 221. Meyer. in Lud. hiſt. Flan.

(f) Vill. eod. l. c. 184. Meyer. in Lud. Niv.

(g) Valſin. in Eduard. II.

XII. Henrici Cyp. Regis in Armeno bello egregia opera.

Explicuit vero in bello Armeno egregiam operam Henricus Cypri Rex, ac rem Chriſtianam, immiſſa adverſus Saracenos valida claſſe, egregie juvit, pluresque Armenos ab extremo exitio hoſtiumque ſervitute vindicavit: quamob rem laudibus ipſum extulit Pontifex, hortatuſque eſt, ut ad præclare geſta provehenda incumberet. Cæterum graviores in Henricum iras concepit Soldanus Babylonius (a), ac ſuperbe minas in eundem Regem effudit, arma ſe ad excindendam Cyprum converſurum. Ad quam defendendam Pontifex, ea de re certior factus, ſexennales ſacerdotiorum Cypri decumas in bello ſacro collocandas adverſus Saracenos Cypro Armeniave propulſandos attribuit (b), præmiaque indulgentiarum prælium in tam juſta cauſa inituris adjecit (c): tum Regem ad conciliandam ſibi optimis operibus divinam miſericordiam, quæ Cypriorum laceſſita criminibus erat, excitavit (d).



Soldanus iras in eum vertere meditatur.

(a) Ib. pag. 269.

(b) Ib. p. 270.

(c) Ib. p. 273.

(d) Ib. p. 269.

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Henrico Regi Cypri illuſtri.*

Regem admonet Pont. ut divinam ſibi miſericordiam conciliet.

*Diſplicenter audivimus rugitus damnabiles horribilis beſtiæ, nefandiſſimi videlicet Soldani Babylonici, hoſtis Chriſtianitatis infeſti, qui contra te, fili chariſſime, ex miſericorditer impenſis pro Armenis his diebus ſubſidiis plus ſolito dicitur irritatus, minaſque graves arroganter tibi propterea intuliſſe. Profecto, fili chariſſime, dummodo viæ tuæ, populique tui Domino exercituum ſint acceptæ, illius perditionis filii, qui venundatus eſt, ut faciat malum, minas non expedit nimium formidari: ſed quanto ſe contra factorem ſuum plus erigit & extollit, quantoque in membris ſuis acrius ipſum diſponit perſequi, tanto debet ejus ruina vicinior fiducialiter præſtolari: ſi autem ſibi tuæ tuorumque ſubditorum ſemitæ ſunt infeſtæ, niſi ipſas per cordis contritionem, confeſſionem oris, ac ſatisfactionem operis duxeritis corrigendas, eſt ex præteritis multipliciter formidandum, quod ultionum Dominus per infideles hujuſmodi de vobis diſpoſuerit ſe ulciſci.*

*Quocirca ſerenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, quatenus tu & tui ſubditi vias veſtras ſtudeatis cum omni diligentia perſcrutari: & ſi qua inveneritis, quæ divinæ poſſint oculos offendere majeſtatis, ipſum placare, quantum in vobis fuerit, ſtudeatis cernui remediis opportunis; ut ſic convertere dignetur in miſericordiam, quod forſitan diſpoſuerat ad vindictam. Et quia per eos, qui Chriſti redempti ſanguine ipſum, qui pro noſtra redemptione crucifigi, & ſubire tormenta voluit, quantum in eis eſt, iterum crucifigere molientes, in divinæ majeſtatis opprobrium, animarum ſuarum periculum, & orthodoxæ fidei detrimentum crucis blaſphemis ſubſidia, cum quibus impugnant Chriſticolas, miniſtrare præſumunt, Rex ipſe cœleſtis merito provocatur acrius ad iracundiam & vindictam, &c.* Graviſſime admonet, ut eorum avaritiam ardentem comprimat, qui arma invehunt Saracenis, quibus ipſi poſtea Chriſtianos opprimunt. *Datum Avinioni* V. *id. aprilis anno ſeptimo.* Juſtiſſimæ quidem ultionis iras in Chriſtianos Deus effundebat, dum ipſos iis armis peti patiebatur, quæ apoſtolicis conſtitutionibus violatis, cœca conficiendæ per fas nefaſque pecuniæ cupiditate Saracenis porrexerant; ut aliis literis inculcat (e) Henrico Regi Pontifex, non expectanda alia a ſerpentibus, quos alant in ſinu, præmia, quam ut ab iis mortiferis morſibus lanientur: nefarium cum Saracenis commercium Armenis exitium attuliſſe, nec leviores Cypro clades invecturum. Ad deterrendos porro ab eo flagitio pœnarum gravitate fideles, Joannes editas in concilio Lugdunenſi in eos, qui arma vetitaſque merces Saracenis inveherent, renovavit (f); ac patriarchas cæteroſque præſules earum ſeveritatem in criminis participes diſtringere juſſit (g).

Coerceat eos, qui vetitas Sarracenis merces deferunt.

Divina in Armenos ultio.

(e) Ibid.

(f) An. 8. p. 1. ep. cur. 1.

(g) Ib. ep. cur. 2.

XIII.

Sopita nondum erat vetus diſcordia inter Henricum Cypri, atque Oſſinum Armeniæ Reges olim magno rei Chriſtianæ periculo diſceptata, quæ cum felici fœdere concilianda ſperaretur, ſublato repente Oſſino, perduci ad exitum pacis tractatus non potuerat: redintegrata tamen poſtea tum Latinorum, tum Armenorum præſulum opera fuerat inter Henricum, ac Leonem Oſſini filium ejuſque tutores, qui ſuos in Cyprum oratores ad illam conjungendam ſumma auctoritate inſtructos miſerant (h); necdum tamen bene coaluerat, cum in nonnullis capitibus, in quibus de ſarciendis damnis agebatur, novæ diſſenſiones exortæ eſſent: cujus rei culpa, ut ferebat fama, ad Armenos pertinebat. Pontifex igitur Petro deſignato patriarchæ Jeroſolymitano, Aymerico epiſcopo Paphenſi, ac Mauritio Hoſpitalariorum equitum in Cypri & Armeniæ regnis magiſtro provinciam dedit, ut ad extinguendam diſcordiam, & utriuſque populi animos arctiſſimo amicitiæ fœdere devinciendos incumberent: tum auctoritate ad omnia, quæ rei perficiendæ conducerent, præſtanda ipſos munivit. Revocabatur vero in dubium (i) an Iſabellæ Amaurici Tyri domini viduæ, atque Henrici ejus filii, qui in carcere apud Armenos obierant, mors initam olim inter Oſſinum Armeniæ, & Henricum Cypri Reges concordiam diremiſſet; cum in eo tractatu plures leges (k) ad Iſabellæ & liberorum gratiam continerentur, quæ iis extinctis perduci ad exitum non poterant. Conſulenti itaque patriarchæ Jeroſolymitano Apoſtolicam ſedem, reſpondit Pontifex (l), ut rem ex æquitate componeret, cenſuitque Henricum Regem præſtiti ſacramenti religione ſolutum novas cum Armenis fœderis leges ſine perjurii labe conficere poſſe.

(h) An. 7. p. 1. ep. cur. 12. & to. 3. ep. ſecr. pag. 271.

Novæ inter Armenos & Cyprios controverſiæ. Eas ſedare ſtudet Pont.

(i) An. 7. p. 1. ep. cur. 23.

(k) To. 3. ep. ſecr. p. 271.

(l) An. 7. p. 1. ep. cur. 16.

Jo-

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Regi Cypri Illuſtri.*

(a) *An. 7. ep. cur. 17.*

Exortæ lites circa formulam fœderis inter Reges Armenium & Cyprium.

*Cum (a) ſicut nobis, fili chariſſime, ſignificare curaſti, de certis conventionibus habitis inter te & inclytæ memoriæ Oſſinum Regem Armeniæ firmiter obſervandis olim præſtiteris juramentum; ſuper quibus, multis exortis poſtmodum dubiis fuiſſe & eſſe non modicum expediens aſſeratur, quod per viam tractatus amicabilis ſuper eiſdem conventionibus & dictis ex eis ortis dubiis procedatur, an juramento hujuſmodi non obſtante potueris & poſſis ſecura conſcientia tractatum ſuper præmiſſis incœptum inter te & eumdem Regem, ac quondam Iſabellam dominam Tyri & Henricum ejus filium proſequi aut alium ſi neceſſe fuerit inchoare, ſupplicando tuæ ſuper hoc provideri conſcientiæ, nos conſulere curaviſti. Ad quod tibi breviter reſpondemus, quod cum ſuper obſervatione prædictarum conventionum dubias ſicut aſſeris, ſint exorta, ex quibus, niſi per tractatum dilucidarentur hujuſmodi, formidantur ſcandala veriſimiliter (ſicut accepimus) ſuboriri, nec juramentum iniquitatis vinculum eſſe debeat, eo non obſtante, potuiſti ac potes ſuper tractatu jam incœpto procedere, vel etiam inchoare, cum propter hoc contra juramentum a te ſuper prædictis præſtitum venire minime videaris. Dat. Avin. v. id. aprilis anno* VII. Denique ipſum eſt adhortatus, (*b*) ut patriarchæ & Paphenſis Epiſcopi conſiliis obſequeretur. Nec modo cum Armenis, ſed etiam cum Rhodiis equitibus (*c*) ac Genuenſibus (*d*) alias controverſias exercebat: quarum conciliandarum provincia iiſdem patriarchæ & epiſcopo a Pontifice demandata eſt.

Conſultus de his Pont. a Cyprio.

Reſpondet novas pactiones ineundas.

(b) *To. 3. ep. ſecr. p. 271.*

Alias Cypriorum cum Hoſpitalariis & Genuen. controv. ſtudet componere Pont.

(c) *Ead. p. & an. 7 p. 1. ep. cur. 22.*

(d) *To. 3. ep. ſecr. p. 271. & an. 7. p. 1. ep. cur. 21.*

Genuenſes pyraticam exercent.

Sumpſiſſe hoc anno divinum Numen juſtum de Genuenſibus, qui conflata decem triremium claſſe in mari piraticam exercebant, ac nulla æqui & iniqui habita ratione Chriſtianos & infideles ſpoliabant, ſupplicium refert Joannes Villanus (*e*). Onuſti itaque ampliſſimis ſpoliis & opibus, cum ſe ad ſatrapam Turcarum Cerabi Sypontinum ut amicum contuliſſent, barbarus, ipſos dolo intercipere ac prædatores diripere meditatus omni officiorum genere in terram pellexit; cumque ii ſplendido & opiparo convivio accumberent, ſuos extemplo in illos irruere juſſit. Cæſi itaque vel ſervituti mancipati, treſque tantummudo ex dicto triremium numero barbarorum manus in eo tumultu effugere. [1] De iis mentionem facit S. Antoninus (*f*), atque illud divinum oraculum in eos intorquet: *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Quod porro ad Turcas attinet; infeſtabant adeo maria orientalia, ut tutus Chriſtianis acceſſus non pateret: quæ res Venetos adduxit, ut conflata validiſſima claſſe ea purgarent maria, quorum Turcæ imperium, occupatis inſulis, invaſerant atque ad Rhodum ipſam excurrebant. At de religioſa alia in Turcas expeditione dicetur inferius: nunc ad Servios ſchiſma exuere præ ſe ferentes ſermonem traducimus.

(e) *Jo. Vill. l. 9. c. 217.*

Juſto Dei judicio a Turcis capti vel cæſi.

(f) *Anton. 3. p. tit. 22. c. 5. §. 9.*

Veneti Turcas mari debellant.

XIV.

Serviæ Rex ad Rom. eccleſ. conjunctionem redit.

(g) *To. 3. ep. ſecr. p. 266.*

Aggregavit (*g*) ſe hoc anno Romanæ eccleſiæ Oroſius Serviæ Rex, ac veteris Græcorum ſchiſmatis damnandi deſiderium explicuit: quem felicem nuntium ſedi Apoſtolicæ primus attulit Philippus Tarentinus princeps, cujus filiam Blancam Oroſius uxorem depoſcebat, armaque & regni vires Philippo ad recuperandum Conſtantinopolitanum imperium offerebat. At Philippus, utpote ſingulari ſtudio eccleſiæ addictiſſimus, antequam affinitatem cum Oroſio contraherent, Chriſti vicarium conſuluit; cui a Joanne redditum hoc reſponſum: *Valde gratum & placidum gerimus, ſi alias de tua voluntate proceſſerit matrimonium memoratum, dum tamen, prout ex ipſorum nunciorum tuorum narratione lætanter accepimus, præfatus Rex una cum clero, nobilibus, & populo regni ſui ſchiſma-*

NOTÆ [1] QUæ hic narrantur in Annalibus de proditione in claſſem Genuenſium inſtituta correctione aliqua indigent. Primo igitur claſſis iſta a Genuenſibus Eccleſiæ partes ſequentibus inſtructa fuit tum in Græcos, tum in Genuenſes Gibellinos, qui Peram incolebant. Cum vero Græci cum Gibellinis juncti claſſem armaſſent oppoſitam illi pugnam evitantes excurrerunt in Pontum Euxinum tenenteſque Urbem portuoſam Sinopolim ſocietatem cum Turca Principe ejus Urbis iniverunt. Ille proditorie omnia ſimulans ex improviſo tandem Genuenſes incautos oppreſſit, cœpitque ex eorum triremibus ſex; quatuor reliquæ evaſerunt; ſed cum armis indigerent, viſum eſt Genuenſibus e diſcrimine ſervatis una e quatuor triremibus incendio abſumere ut tres reliquæ probe armis inſtruerentur ad pugnam. Narrat hæc Georgius Stella vetuſtus Genuenſium annalium ſcriptor, qui opus ſuum ad annum uſque 1435. perducit, vulgavitque illud Muratorius Rer. Italic. tom. 17. Hinc diſcas erraſſe Joannem Villanum ſcribentem lib. 9. cap. 216. tres tantummodo triremes evaſiſſe incolumes. Errat vero planius Annaliſta cum Urbem hanc Turcicam Sipontum appellat; quaſi vero apud Geographos omnes non conſtet Sipontum nomen eſſe urbis in Anglia; Sinopis vero alio, nomine Sinopolis Urbs erat portuoſa ad Euxinum, quæ tunc imperio Turcico ſubdebatur, ut opportune ſcribit Rogerius Monachus Ordinis Prædicatorum in animadverſionibus nonnullis Geographicis, quas Gallice traditas legimus in opere inſcripto *Recueil de divers Voyages curieux* tom. 2. col. 6. Rogerius iſte germanus inclyti Rogerii Bachonis exeunte ſuperiori ſæculo florebat. MANSI



*maticæ pravitatis deterſa rubigine ſolidetur, ut cupere dicitur, in firma petra catholicæ fidei, & integretur orthodoxæ matris eccleſiæ unitati, aliaque compleat, quæ tuæ magnitudini pro faciliori acquiſitione Conſtantinopolitani imperii obtulit, ſicut habet nuntiorum aſſertio præfatorum.*

XV.

Convertit mox apoſtolicum zelum Pontifex ad Serviorum cum Romana eccleſia conjunctionem perficiendam: cumque Oroſius memoratum Philippum rogaſſet, ut qua pollebat apud ſedem Apoſtolicam gratia & auctoritate, nuntios apoſtolicos in Serviam legandos curaret, qui obnoxios ſibi populos fide catholica erudirent; Pontifex id munus contulit Bertrando Brunduſino archiepiſcopo, Bernardo e Parma canonico Adverſano, & Joanni Dominici ordinis Prædicatorum theologo, quos ad Philippum Tarentinum, Joannem Achaiæ principes, & Carolum Calabriæ ducem Siculi ſceptri heredem miſit (*a*), ut ipſum ad rem præclare gerendam conſiliis inſtruerent. Oroſio vero Regi pararos venienti paternos amplexus ſignificavit, fideique orthodoxæ formam, quam ipſe ac Servii eſſent profeſſuri, propoſuit (*b*).

Miſſi a Pont. pro conciliandis eccleſiæ Serviis oratores.

(a) *Ead. p. 266.*

(b) *Ibid. pag. 263.*

*Joannes, &c. magnifico viro Oroſio Regi Serviæ illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

Gratulatur Oroſio Pont. divino Numine fuiſſe colluſtratum.

*Nuper dilectus filius nobilis vir Philippus princeps Tarentinus, claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ filius, per gratos ſuarum literarum affatus & ſpecialem nuncium noſtro apoſtolatui reſeravit, quod Deo patre luminum ad veræ religionis zelum prius præparante tuæ mentis affectum, eidem principi per literas & nuntios expreſſiſti, quod dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri .. natæ ipſius conjugi deſideras fœdere coniugali; & quod abiurata & dimiſſa erroris ſchiſmatici vetuſtate, cum clero & nobilibus, totoque populo regni Serviæ ſacroſanctæ eccleſiæ catholicæ corpori redintegrari, & ad unitatem veræ fidei orthodoxæ reduci, ac religionem ejuſdem fidei, veramque doctrinam Patris & Filii & Spiritus ſancti, quam tenet, docet, & prædicat ſancta Romana univerſalis eccleſia, devotis & piis mentibus profiteri, ac inconcuſſe & inviolabiliter deſideras cuſtodire; at ſub paſtore apoſtolico, cui Paſtor ille cœleſtis in perſona B. Petri Apoſtolorum principis paſcendas oves poſt ſuam reſurrectionem commiſit, non extra ſed intra ovile dominicum doctrinis ſalutaribus imbuaris; ab eodem principe, per literas & nuncios depoſcendo, ut per ſuæ interceſſionis inſtantiam obtineret ad tuam præſentiam a nobis apocryſiarios deſtinari in veritate catholicæ fidei eruditos, qui velut pacis angeli te, dictoſque clerum, nobiles, & populum ſalutari doctrina ejuſdem fidei informarent.*

Doctrinam Rom. eccleſiæ circa Trinit. velle amplecti.

*O quam gratum noſtris id occurrit affectibus! Quam acceptum cum gaudio exultationis ingentis, quod tam nobilis ovis, a caula dominicæ paſcuæ ſegregata, cum clero, & populo dicti regni apoſtolici paſtoris directa vehiculo ad ovile dominicum & unitatem ejuſdem eccleſiæ revehatur. Hoc eſt enim quod totis viſceribus, quod etiam in ipſis miſſarum ſolemnibus a Domino petimus inceſſanter, ut videlicet ſacroſanctam eccleſiam unicam ſponſam ſuam toto orbe terrarum adunare dignetur; ut eadem eccleſia, ſervans in membris ſuis omnibus unitatem, per fœcunditatis augmentum in multitudine latius extendatur; & dominica luce perfuſa per orbem totum radios ſuos protendat: ut iidem radii ſerventur in corpore, rami ejus ab arbore non cædantur, nec ipſius rivi præcidantur a fonte: ut ſic, ejuſdem eccleſiæ unitate integraliter conſervata, unum ſit corpus ejus nullam membrorum ſuorum patiens ſectionem; una origo & una mater fecunditatis ſucceſſibus copioſa, quæ fideles Deo ſervet, & filios regno, quos generavit, aſſignet.*

XXI.

Ex eo nuntio ingenti delibutus lætitia Pont.

*Ecce igitur, devotione tua hujuſmodi patefacta, commota ſunt viſcera paternæ pietatis in filios; & velut perfuſi ingentibus gaudiis ſuper drachma perdita reinventa, & pro errantibus ovibus ad gregem dominicum reducendis, veri piique paſtoris officium exequi cupientes, libenter annuimus poſtulatis; ac juxta vota tua nobis expoſita venerabilem fratrem noſtrum Bertrandum archiepiſcopum Brunduſinum, & magiſtrum Bernardum de Parma canonicum Adverſanum, & Joannem Dominici ordinis fratrum Prædicatorum lectorem fratrum conventus Narbonenſis dicti ordinis, tanquam pacis angelos, & pacificos Chriſti diſcipulos, non gaudentes in vanitate verborum, neque ſapientiæ Dei mundanam ſapientiam præferentes; viros utique in lege Domini plenius eruditos, ad tuam præſentiam deſtinamus, ut ipſi in ſolido litore fidei conſiſtentes te, clerum, nobiles, & populum dicti regni velut de naufragio erutos tuto ſinu recipiant; & tanquam tabula de tranquilli ſali fluctibus in portum veræ ſalutis adducant. Et quia fidei primum eſt, & ſolidum fundamentum, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, profeſſionem fidei, quam tenemus; quam a te, clero, nobilibus, & populo dicti regni exigimus, ut eandem tu & ipſi profiteri & Servitæ, ſi ad noſtram, & ejuſdem eccleſiæ, ut deſideramus unitatem redire velitis, vobis verbis explicitis & apertis tenore præſentium explicamus. Et quidem credimus S. Trinitatem, &c.* Eadem eſt fidei formula (*c*), quæ Palæologo Imperatori a Clemente IV. & ad Armenos, alioſque a Joanne tranſmiſſa fuit uſque ad ea verba, *Semper ſalva*. His addit Joannes.

Pro conjunctione perficienda legatos mittit.

Orthodoxæ fidei formam proponit.

(c) *Ext. in Annal. to. 14. ann. 1267. n. 75. ad 79. & to. 15. an. 1318. n. 10.*

XVII. Hortatur Oroſium Joannes ad cœpta egregie perducenda.

*Ideoque excellentiam tuam monemus & rogamus attente, ac in domino Jeſu Chriſto per aſperſionem ſui pretioſi ſanguinis obſecramus, quatenus diligenter attendens, quantum tibi creſcet ad meritum, quantum ſuccedet ad gloriam, ſi una cum omnibus dicti regni ad unitatem ejuſdem eccleſiæ & caulam dominicam reducaris, ſic ſtudeas habilitare maternam, ſic tuam tuorumque mentem diſponere, quod ad requiſitionem nunciorum, quos præſentialiter mittimus, te ac prædictis clero, nobilibus, & populo præſcriptam humiliter ſuſcipientibus & profitentibus fidei veritatem, regnum prædictum in ejuſdem fidei ſolido fundamento fundetur; tuque merito chariſſimus & acceptione intimus efficiaris eccleſiæ filius, & inter alios catholicos eccleſiæ principes læteris & gaudeas nomine Chriſtiano; regnumque prædictum, in firma petra apoſtolicæ eccleſiæ ſolidatum, contra omnes temporum turbines & incurſus infidelium nationum inconvulſam recipiat indeficientis roboris firmitatem.*

Permittit Oroſio Pont. ut poſt editam fidei profeſſionem Blancam principis Tarent. filiam ducat uxorem.

*Cæterum gratum geremus plurimum, & acceptum, & ex nunc ad id noſtrum exhibemus aſſenſum, quod poſtquam ejuſdem profeſſionem fidei & recognitionem primatus Romanæ eccleſiæ juxta formam contentam præſentibus duxeris faciendas, inter te & prædictam natam ejuſdem principis legitimum matrimonium contrahatur; ex quo profecto tibi & filiis tuis, quos actore Deo ex copula ſic honorabilis thori ſuſcipies, fortitudo, ſecuritas, atque robur contra quoſcumque impugnantes inimicos pro præſentibus temporibus & futuris provenient; multorumque Regum & principum propter hujuſmodi parentelam, in te tuiſque poſteris famoſa & potenti, vallaberis firmitate. Dat. Avin. II. id. junii anno* VII. Eodem argumento ad Bertrandum archiepiſcopum ac ſocios literas dedit (*a*), quibus apocryſiariorum pontificiorum munus demandavit, ac ſtrenuam in iis ad Romanam eccleſiam traducendis navare operam juſſit; & poſt deſcriptam eandem conceptis verbis fidei formulam, quam Regi tranſmiſerat, adiicit.

(*a*) To. 3. ep. ſecr. pag. 264.

Data legatis Servios in gremium eccleſiæ admittendi auctoritas.

*Joannes, &c. Diſcretioni veſtræ præſentium tenore committimus, quatenus ad partes illas vos abſque tarditate moræ perſonaliter conferentes; ac ſecundum datam vobis a Deo prudentiam procedentes, Regem, clerum, nobiles, & populum memoratos ad ejuſdem fidei orthodoxæ profeſſionem, & ad acceptandum vel recipiendum ipſius eccleſiæ Romanæ primatum juxta præſcriptam formum, idoneis ſecuritatibus & cautelis adhibitis, admittatis: ita quod, ſi divina gratia Regis, cleri, nobilium, & populi prædictorum mentis aciem illuſtrabit, idem Rex, ac prælati, clerus, nobiles, & populus dicti regni, in parlamento publico congregati, eandem fidei veritatem & primatum Romanæ eccleſiæ, juxta præſcriptam ſeriem plene ac ſerioſe lectam & expoſitam, fideliter, explicite, ac aperte hoc modo recognoſcant, & profiteantur præſtito juramento.*

XVIII. Præſcripta exigendi ab Oroſio ſacramenti formula.

*Ego Oroſius Rex Serviæ ſupraſcriptam fidei veritatem, prout plene lecta eſt & fideliter expoſita, veram, ſanctam, catholicam, & orthodoxam fidem eſſe cognoſco: eam accepto, & corde ac ore profiteor; ipſamque, prout ea veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum; nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum, nec quoquomodo deviaturum, vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius eccleſiæ obedientiam ſponte veniens, fateor, recognoſco, accepto, ac ſponte ſuſcipio: & me omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervantiam, ac perſeverantiam ſervaturum, præſtito corporaliter juramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta evangelia. Huic autem ſcripto, de mea recognitione, acceptatione, profeſſione, ſuſceptione, promiſſione, ac juramenti præſtatione ſponte mea facto, lecto, & perlecto, ſponte ſubſcripſi, & ſigillum apponi feci.*

Quæ a prælatis juramenta exigenda.

*Porro a prælatis prædicta & alia exigetis, videlicet ut manualem, vobis recipientibus nomine ejuſdem Rom. eccleſiæ, obedientiam & reverentiam exhibeant; & ſe ab illa nullo unquam tempore receſſuros, præſtito juramento promittant: & nihilominus in eorum promiſſione veniat, quod nec contra ſuam profeſſionem aliquid publice prædicare, aut occulte ſuadere præſumant. De hujuſmodi autem profeſſionibus fiant publica inſtrumenta, multiplicanda in varia omnino ſimilia, ut aliqua penes vos retinere, nonnulla poſſitis deponere, & alia per diverſos nuntios propter inopinatos caſuum fortuitorum eventus ad ſedem ipſam, ut in ejus conſerventur archivio, cum cautela & diligentia omnimoda remittatis, &c. Dat. Avin. II. id. junii anno* VII. Inſtruxit etiam ea legatos auctoritate Joannes, ut Regem Oroſium, impuro thoro procreatum ad gerendos regios honores natalium dignitate donarent: *Diſcretioni*, inquit, *veſtræ præſentium tenore committimus & mandamus, quatenus cum dicto Rege, quem ſicut accepimus quondam Oroſius Serviæ Rex pater ejus conjugatus genuit de ſoluta; ut hujuſmodi non obſtante defectu libere ad quemlibet*

Juſtorum natalium dignitate ornare Oroſium jubentur.

*ho-*



*honorem ſeu dignitatem, ſerenitati regiæ congruentem, & quoſlibet actus legitimos admittatur; & quod filii ſui legitimi ſibi in dominio & honore ſuccedant, auctoritate apoſtolica, qua in hac parte vos fungi volumus, & de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis diſpenſetis.*

XIX. Lithuan. & Ruthen. Rex ad fidem in ſpeciem converſus.

Cumulata eſt illa de Oroſio Serviæ Rege, gremium eccleſiæ inire meditante, publica lætitia alia ingenti, nimirum Lithuaniæ & Ruthenorum Regis Gedeminni, a dæmonum inſana ſuperſtitione ad divini Numinis cultum converſionis ſpe, quam Regi Francorum Pontifex hiſce verbis ſignificavit (*a*): *Gedennen, qui ſe Regem Lethoviæ & Ruthenorum intitulat, nobis nuper per ſuas literas intimavit, ſe deſiderare intenſe cum ſuis regnicolis ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubjacere unitati; ſupplicans a nobis legatos ſibi, qui eum ad fidem orthodoxam admittant, & in ea ſalubriter inſtruant, deſtinari: ſuper quibus per nuncios noſtros plenius informari poterit regia celſitudo. Dat. Avin.* VII. *id. novemb. anno* VIII.

(*a*) To. 4. p. 2. ep. ſecr. pag. 12.

XX. Pactum inter ipſum & Cruciferos equites fœdus.

Attulit pacem Livoniæ & Pruſſiæ illius converſionis ſpecimen, cum pro fidei amplificatione religioſi equites infideles laceſſerent, vel ab iis bello peterentur: fœduſque Vilnæ hoc anno die dominico poſt evolutum D. Michaeli ſacrum diem compoſitum eſt, atque anno ſequenti a Romano Pontifice confirmatum: quo argumento ſubjectæ literæ datæ ad Pruthenos equites (*b*), cum quibus pacem Gedeminnus confecerat.

(*b*) An. 8. p. 2. ep. com. 1893.

*Dilectis filiis magiſtro, præceptoribus, & fratribus S. Mariæ Theutonicorum Jeroſolymitan. per Alamaniam, Livoniam, Pruſſiam, & partes circumjacentes conſtitutis.*

Gratulatoriæ ad eoſd. religioſos equites de Regis ejuſdem converſione lit.

*Gratias agimus domino Deo noſtro, qui per altitudinem divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ omnem creaturarum ſuperans intellectum ſecundum ordinatiſſimam diſpoſitionem ſuam ad ſalvandas animas vias præbens & præparans ſalutares, magnifici viri Gedeuunne Regis Letvvinorum direxit votum, & præparavit affectum: ut qui jamdudum extitit in paganitatis devio conſtitutus, ſicut laudabilibus oſtenditur indiciis, ad veritatem converti deſiderat fidei orthodoxæ, & profeſſionis doctrinæ catholicæ, & moribus imbui Chriſtianis. Hoc namque per literas, hoc per nuntios ſuos, quos ad ſedem Apoſtolicam propter hoc ſpecialiter deſtinavit, nobis & fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus patefecit; pia & inſtanti devotarum precum adjectione depoſcens, ut ad eum & terras ſuas nuntios noſtros, Deum timentes, in lege Domini eruditos, ſpecialiter mitteremus; quorum ſalutaribus doctrinis cognitione veræ fidei illuſtratus, ipſe cum aliis ad fidem venire cupientibus Chriſtianam, ſacrum ſuſciperet baptiſmatis ſacramentum. Quas preces cum ſummo gaudio ſummaque lætitia amplectentes; ac eas, cum ejus converſio poſſit, ſuperna auxiliante gratia, innumeras illarum partium gentes infidelitatis tenebris involutas ad fidem pertrahere orthodoxam, jucundis deſideriis admittentes; venerabilem fratrem noſtrum Bartholomæum epiſc. Electen. & dilectum filium Bernardum abbatem monaſterii S. Theofredi Anicienſis diœceſis, magni conſilii magnæque experientiæ viros, decretorum doctores, & in ſacra pagina eruditos, ac etiam pro ampliatione * intrepidis, & ſpontaneis animis laborantes, ad dictum Regem & partes illas de dictorum fratrum conſilio duximus deſtinandos; ſperantes per gratiæ cœleſtis auxilium & incrementum, ac opportunum miniſterium eorundem ejuſdem Regis & aliorum convertendorum ad fidem dominicis horreis uberem ſegetem inferendam.*

Miſſi a Pont. legati ad Lithuanos Chriſtiana fide erudiendos.

* fidei

De Gedennini Regis ad Rigenſes legatione.

*Poſt hæc dilecti filii advocatus, conſules, & univerſitates civitatis Rigenſis per eorum literas & nuncios ſpeciales nobis & eiſdem fratribus intimarunt, quod Rex idem ſparſum in ſe rorem ſupernæ gratiæ per bonarum operationum incrementa multiplicans; nec ſolum fide cupiens imbui Chriſtiana, ſed & ipſam deſiderans exhibitione bonorum operum demonſtrare; tam vos, quam nonnullos eccleſiarum prælatos & religioſos, ac principes & nobiles, & univerſitates illarum partium catholicæ fidei profeſſores, per ſuas literas requiſivit, ut ad eum ſpeciales nuntios mitteretis, cum quibus ipſe deſiderabat pacem bonam & firmam perpetuis tenendam temporibus tractare pariter & firmare: propter quod dilecti filii nobiles viri univerſi dictarum terrarum Livoniæ, & Eſcoviæ in feſto B. Laurentii anni proximi præteriti certo loco una cum aliquibus ex vobis colloquendi gratia convenerunt ad inveſtigandum & perſcrutandum veritatis formulam, ut eorum verbis utamur, de literis, quas idem Rex verſus Theutoniam ad vos & prædictos nobiles deſtinarat: in qua collocutione, placitis hinc inde conſiliis habitis, tandem concorditer & unanimiter mittere idoneos & ſolemnes nuncios, quemadmodum dictus Rex petierat, cum pleno mandato faciendi omnia, quæ Chriſtianitati dictarum partium expedirent, ad ipſius Regis præſentiam decreverunt.*

Concordia cum iis mutua firmata.

*Accedentibus ergo tam dictorum prælatorum & nobilium & ejuſdem univerſitatis Rigenſis, quam noſtris nunciis ad præſentiam Regis ejuſdem, iidem nuntii ab eo, ſicut ex ejuſdem univerſitatis inſinuatione percepimus, honorifice fuere recepti, & ſplendide pertractati: dictique nuncii literas ſuas, tam nobis quam eiſdem dominis eorum directas, oſtenderunt eidem. Quibus viſis & auditis idem Rex ſuo ſi-*



*gillo*

*gillo recognovit, & confeſſus eſt omnes articulos in eiſdem literis comprehenſos de cordis ſui conſcientia proceſſiſſe: adiiciens quod quando legati, quorum quotidie præſtolabatur adventum, ad eum pervenerint (id quod omnipotens Deus novit, & in ſuo corde firmaverat) illico ſatageret effectui mancipare; ſubjungens ſe a ſuis progenitoribus in ſua pueritia audiviſſe, quod Romanus Pontifex erat pater & dominus omnium ſuorum; poſt quem archiepiſcopi & epiſcopi in orbe præeminent poteſtate; inferens eiſdem nuntiis, quod loquerentur de pace hinc inde firmanda, qua mediante, & Dei ſuffragante clementia, omne bonum inter eum & Chriſtianitatem illarum partium poterat ordinari.*

Ut Rex profeſſus ſit, ſe in pueritia accepiſſe, Romanum Pont. eſſe patrem omnium Chriſtianorum.

*Verum iidem nuntii, neceſſitate & utilitate Chriſtianitatis attenta, cum ipſo Rege & ſuis pacis fœdera inierunt pro cunctis hominibus Chriſtianis, prout ineundi & faciendi pacem hujuſmodi plenam habebant ab eorumdem dominis facultatem: quam quidem pacem tam Rex & ſui, quam veſtri & alii nuncii ſupradicti obſervare inviolabiliter jurarunt, prout in literis inde confectis, & theutonice ſcriptis, ſigillis prædictorum Regis & nunciorum communitis, & quarum tenores, de Theutonico in Latinum tranſlatos, nobiſque tranſmiſſos, de verbo ad verbum præſentibus inſerere fecimus, plenius continetur, &c.* Subdit, pacis initæ conceptam formulam Latinis verbis traductam, a ſe perlectam auctoritate apoſtolica corroborari, quam inferius literis ſuis inſerit; mixtiſque precibus, imperiis, cruciferos equites hortatur, ut contractum fœdus religioſiſſime colant, ex quo divina gloria efflorescere, amplificari religio, ipſorum augeri decus debeat; ſeque veros fidei pugiles, atque athletas ſtrenuos oſtendant. Quod ſi forte violarint, ſciant Oſilienſi epiſcopo, atque ejus eccleſiæ decano & præpoſito partes injunctas, ut ipſos cenſuris eccleſiaſticis percellant. *Dat. Avin. II. kal. ſeptemb. anno* VIII. Regis porro Gedennini literis dies in hunc modum adſcripta eſt. *Dat. in caſtro noſtro Vilna anno Domini MCCCXXIII. dominica proxima poſt feſtum beati Michaelis.* De Gedennini Regis converſione agitata iterum ſequenti anno nobis agendum erit. Nunc reliquas ſeptentrionales res proſequamur.

Fœderis leges a Pont. confirmatæ.

XXI. Fumariani Ethnici in Norvvegos barbariem exercent.

In Norvvegiæ limite nonnulli populi, quibus Fumar nomen eſt, dæmonum ſervitute irretiti, Chriſtianæ pietatis odio in eum furorem prorupere, ut in Norvvegiam excurrentes, ferinam barbariem in fideles exercuerint. Quo triſti nuntio ad ſedem Apoſtolicam allato, Joannes tuendæ religionis, propagandæque latius zelo Norvvegos incitavit, ut in arma ad excindendam impietatem conſurgerent; ac præmia indulgentiarum crucis ſigna ſecuturis, vel ære aut opera ſacrum bellum promoturis contulit (a).

(a) An. 7. p. 1. ep. com. 425.

*Univerſis Chriſti fidelibus per regnum Norvvegiæ conſtitutis.*

Pontifex Chriſtianos in ipſos concitat.

*Fide digna multorum relatio ad apoſtolatus noſtri deduxit auditum, quod quidam pagani dicti Fumar, crucis hoſtes, & inimici nominis Chriſtiani maximas ſtrages & depopulationes in Chriſtianos illarum partium exercuerunt hactenus; & quoties eorum nequitiæ deſervit iniquitas, exercere præſumunt, quærentes ſi poſſent partes illas aquilonares, ab olim divina gratia regeneratas unda baptiſmatis, ad perfidiæ reducere cæcitatem; & exinde delere Chriſtianum nomen & cultum, ſi eorum feritas, quod avertat Altiſſimus, fidelium viribus prævaleret. Ne igitur meſſis dominica, quæ in partibus illis coaluit in fructus multiplicium fidelium populorum ab eiſdem paganis, gentilitatis horrore hiſpidis tenebris cæcitatis obductis, immaniter opprimatur; cum ad magnum pudorem redundaret fidelium, ſi terra jam fundata & radicata in lumine veritatis, per blaſphemos nominis Chriſti diſpendiis non ſolum temporalibus, ſed etiam ſpiritualibus ſubjaceret; quinimo Chriſti fideles certo ſalutis illecti ſtipendio, ad obſiſtendum paganis eiſdem & defendendum partes illas, quas fideles inhabitant, adverſus eorumdem nequitiam perfidorum fortius accendantur; omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, quos in tuitione patriæ contra illarum partium infideles ſe viriliter opponentes, mori contigerit, illam remiſſionem omnium concedimus peccatorum, quæ concedi per ſedem Apoſtolicam in terræ ſanctæ ſubſidium transfretantibus conſuevit. Dat. Avin.* IV. *idus februarii anno* VII.

Correpturis ſacra arma indulgentias impertitur.

XXII. Chriſtophor. Dan. Rex & Henr. Magnopolen. princ. de arce Roſtok contendunt.

Ut Norvvegos ad ſacrum bellum adverſus infideles concitavit Joannes, ita ad fideles a mutuo ſibi bello inferendo abducendos operam contulit. Non leves illius cauſæ inter Chriſtophorum Daniæ Regem, atque Henricum principem, Megalopolenſem erant exortæ: Henricus enim negabat ditionem, cui Roſtok nomen eſt, ad Danicum ſceptrum ſpectantem, ejuſque fidei ab Erico Rege Chriſtophori fratre commendatam, reſtituere: cumque res ad arma vergeret, Pontifex nonnullis eccleſiaſticis viris provinciam impoſuit (b), ut Megalopolenſi principi, cauſa cognita, cenſurarum religionem incuterent.

(b) Ibid. ep. 432.

*Venerabili fratri noſtro epiſcopo Ripenſi, & dilectis filiis præpoſito Sleſvvicenſis, ac archidiacono Roskildenſis eccleſiarum.*

*Querelam chariſſimi in Chriſto filii noſtri Chriſtophori Regis Daciæ illuſtris recepimus continentem, quod dudum claræ memoriæ Ericus Rex Daciæ frater ejus, de fidelitate nobilis viri Henrici domini Magnopolenſis, Raſeburgenſis diœceſis plene*



Cuſtodiendam ab Erico Rege Henricus acceperat.

*ne confidens, terram Roſtok, quæ a longis retro temporibus, quorum in contrarium memoria non exiſtit, Regibus Daciæ, qui fuerunt pro tempore, dicitur fuiſſe ſubjecta; quamque dictus Ericus Rex, dum vixit, diutius in pace poſſederat, & tunc etiam pacifice poſſidebat; eidem nobili bona fide commiſit, cuſtodiendam per eum, & reſtituendam dicto Erico Regi, vel hæredi & ſucceſſori ſuo, cum ſuper hoc exiſteret requiſitus. Verum eodem Erico Rege, priuſquam ſibi dicta terra reſtituta fuiſſet, naturæ debitum perſolvente, quamvis præfatus Chriſtophorus Rex, frater & univerſalis hæres ipſius, eundem nobilem requiſierit, ut ſibi, prout tenebatur, terram reſtitueret memoratam; idem tamen nobilis nullo jure ſuffultus, ſed cauſam poſſeſſionis terræ prædictæ ſicut aſſeritur intervertens, dictam terram eidem Chriſtophoro Regi reſtituere contradicit, eamque violenter detinet occupatam, in divinæ majeſtatis offenſam, propriæ ſalutis & famæ diſpendium, & ejuſdem Chriſtophori Regis præjudicium & gravamen: propter quod idem Rex noſtrum & Apoſtolicæ ſedis remedium ſuper his humiliter imploravit. Volentes igitur indemnitati Regis ejuſdem, & ipſius nobilis animæ periculo in hac parte de opportuno remedio providere, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, &c.* Imponit iis provinciam, ut ſine forenſi ſtrepitu indagata exploratàque rei geſtæ veritate, pontificio nomine Henricum Megalopolenſem ad reſtituendam Chriſtophoro Regi, quam injuſte occupat ditionem adducant, ac ſi monitis averſas aures præbeat, cenſuris percellant; iiſque etiam teſtes feriant; ſi odio vel metu ſe ſubduxerint. *Datum Avin. kal. februarii anno* VII.

Negabat contra fas ſucceſſori reſtituere.

De injuria ſibi illata queſtus eſt apud Pont. Rex.

Ripenſi epiſcopo in Henricum cenſuras diſtringendi provincia data.

XXIII. Guecelo eccleſiæ Feltrienſ. jura invadit.

Diſtringenda pontificiarum cenſurarum ſeveritas majori terrore fuit in atrociori longe facinore adverſus Guecelonem Caminenſem, quem impietas & ambitio adverſus Manfredum Feltrenſem epiſcopum efferavit: cum enim Guecelo Feltriæ Belunique & aliarum arcium, quas eripuerat eccleſiæ, tyrannide dejectus eſſet, fictam amicitiam cum epiſcopo, adhibito interprete Henrico Goritiæ comite, coivit: deinde colloquii ſpecie in inſidias pellectum, ſubornatis ſicariis contrucidavit, ac manus impias ejus ſanguine imbuit. Illum itaque, cæteroſque parricidas Pontifex anathemate defigi juſſit, (a) & agris privavit, quos ab eccleſia jure fiduciario acceperat. Haud diu ſuperfuit Guecelo ſceleri, cum proximo anno periiſſe referat Cortuſiorum hiſtoria (b). Quod ad Goritiæ comitem, quem inter Guecelonem & Manfredum pacem ſimulatam junxiſſe memoravi; illum hoc anno veneno Tarviſii inter nuptiales epulas extinctum, ſcribit Joann. Villanus (c): cujus facinoris infamiam adhæſiſſe ait Cani Scaligero hoſti infenſiſſimo, qui a Goritiæ comite in obſidione Patavina profligatus fuerat. Addit auctor Patavinos inter ſe conciliatos (d).

(a) An. 7. p. 2. ep. com. 1384.
(b) Cortuſ. hiſt. l. 3. c. 23.

Goritiæ comes Tarviſi inter nupt. epulas veneno ſublatus.

(c) Jo. Vill. l. 9. c. 199.

(d) Eod. l. c. 191.

XXIV. Patavini inter ſe conciliati. Crebri in ditione Pont. tumultus. Plures urbes a Jo. Papa deficiunt. Caſtrutius Florentinos infeſtat. Genuæ obſidio ſoluta.

Jactata eſt reliqua Italia ſuperiorum bellorum civilium turbine: in ditione quidem pontificia ex Joannis in ſeceſſu Avenionenſi mora crebræ populorum defectiones, cum a tranſalpinis præfectis ſe premi indignarentur. Urbinum ea de cauſa pontificium imperium excuſſit (e): Cervia (f) a tyrannis occupata, Spoletum a Peruſinis obſidione oppugnatum: (g) Firmani, Auximani, & Fabrianenſes in perduellione plura adverſus pontificiam auctoritatem facinora patrarunt: (h) quamquam exeunte anno Firmani, & Fabrianenſes ad officium revocati: (i) Bononienſes quamvis pontificiarum eſſent partium, Romaniolæ imperium affectarunt (k): Ferrarienſes (l), de quibus iterum inferius, cum redituros ad obſequium præ ſe tuliſſent, cum hoſtibus conjurarunt (m). Afflixit alias Italiæ provincias civilis diſcordiæ furor; Florentiæ enim ingentes tumultus concitati, (n) quos Caſtrucii Lucenſium præfecti hoſtiles in eorum agros excurſiones auxere: (o) Genua a Gibellinis exulibus tentata obſidione (p), ſed noctu a Roberti Regis præſidiariis copiis in hoſtem irrumpentibus liberata, ac ſuburbana a civibus recuperata.

(e) Eod. lib. c. 196.
(f) To. 3. ep. ſecr. p. 341. 344.
(g) Jo. Vill. l. 9. c. 207.
(h) To. 3. ep. ſecr. p. 304.
(i) To. 4. p. 1. ep. ſecr. p. 9. & 10.
(k) To. 4. p. 2. pag. 39.
(l) To. 3. ep. ſecr. pag. 382.
(m) To. 3. ep. ſecr. p. 382.

XXV. Bellum ſacrum in Inſubria adverſus Galeatium.

Præcipuus belli turbo Inſubriam turbavit. Induxerat in animum Pontifex Galeatium Vicecomitem, quem hoſtem & hæreſi contaminatum judicarat, a Matthæi patris impietate & aſtu non degenerem evertere; Regique Roberto imperialis legati dignitatem antea attributam aſſerere. Conjunxere (q) ad rem perficiendam cum Pontifice & Roberto Rege vires fœderati Guelphi, compluresque e Germania, qui accepto crucis ſymbolo adverſus eccleſiæ perduelles religioſam militiam erant profeſſi, advolarunt: qui ut libere commeare per ditionem Venetam poſſent, Pontifex a Joanne Superantio id contendit (r). Aucti hiſce viribus Raimundus e Cardona Roberti copiarum dux, & Bertrandus Cardinalis A. S. L. plura adverſus Galeatium ſecunda prælia fecere. Dertona a Raimundo ad deditionem compulſa (s). Alexandria a legato Cardinale expugnata (t). Henricus (u) Belga genere, Laudenſi comitatu ab Henrico Imperatore donatus, cum pontificiæ potentiæ ſuſtinendæ impar eſſet, cum legato fœdus iniit: ſed ſuſpenſa ex eventu illius fides ac lubrica poſtea apparuit, quamquam iterum ad pontificias partes rediit. Opizo e Lando prænobilis Placentinus, quem anno ſuperiori Placentiam

Vi-

(n) Jo. Vill. l. 9. c. 214. & c. 219.
(o) Eod. lib. c. 220.
(p) Ibid. c. 187.

Expugnatæ aliquot urbes a pontificiis ducibus.

(q) To. 3. ep. ſecr. pag. 343. 360. 376.
(r) Ib. ep. ſecr. pag. 358.
(s) Jo. Vil. l. 9. c. 189.
(t) Eod. lib. c. 194.
(u) Id. ib.

Vicecomitibus eripuiſſe, traduxiſſeque ad partes eccleſiæ vidimus, ineunte hoc anno vel exeunte ſuperiori victoriam de hoſte retulit (*a*).

(*a*) To. 3. ep. ſecr. p. 354.

Cumulavit eam victoriam altera (*b*), inclinante februario, ad flumen Adduam de Mediolanenſibus magno labore parta; cum initio hoſtis bello ſuperior viſus eſſet: neque ab eo triumpho adhuc menſes duo effluxerant, cum Marcus Vicecomes Galeatii frater ad ejuſdem fluminis ripam magna clade deletus eſt (*c*), atque illius ſeptemdecim ſigna capta. Collabente itaque ſenſim Galeatii potentia, ejuſque viribus in dies acciſis, Gibellini nobiles, qui Matthæo Vicecomiti adhæſerant, atque urbium præfecturas, imperio ſuo principe viduato contra apoſtolica edicta invaſerant, ſuæ potentiæ diffidere cœpere, atque ad res ſuas confirmandas eccleſiæ gratiam ambire. Inter eos Canis Scaliger, qui legatum pro imperio ſe Veronæ geſſerat, ea lege a Pontifice in gratiam admiſſus, ut imperii vacantis adminiſtrationem ad Romanum Pontificem ſpectare publice agnoſceret, ſeque cenſuris eccleſiaſticis juſte devinctum fuiſſe; eandem tamen præfecturam Romanæ eccleſiæ nomine gerere pergeret. Qua de re hæ ad legatum, ut fœdus perficeret, literæ a Joanne datæ (*d*).

(*b*) Jo. Vill. l. 9. c. 190.

Marcus Vicecomes magna clade profligatus.

(*c*) Eod. lib. c. 198.

Canis Scaliger. ad eccl. partes ſe transferre meditatur.

(*d*) To. 3. ep. ſecr. p. 359.

XXVII. *Cupientes ſanctæ Romanæ eccleſiæ indevotos, reducere ad devotionem ejuſdem, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus nobili viro Cani de Scala, qui poſt quondam Henrici Romanorum Imperatoris obitum in certis terris & civitatibus Lombardiæ pro vicario gerere in præjudicium præfatæ eccleſiæ, ad quam imperii prædicti regimen, ipſo vacante, ſicut & nunc vacat, pertinere dignoſcitur, non expavit; propter quod ipſe excommunicationis, & terræ, quæ reguntur per eum, interdicti per nos contra tales latas ſententias incurriſſe noſcuntur; quique nunc ſaniori ductus conſilio, velut devotus filius ad eccleſiæ memoratæ redire gremium, ſicut intelleximus, eſt paratus, abſolutionis & relaxationis beneficium a prædictis ſententiis auctoritate noſtra ſtudeas juxta formam eccleſiæ, ſi præmiſſa fulciri veritate repereris, impartiri, &c. Dat. Avinione* v. *id. aprilis anno* VII.

A legato cenſuris abſolvi eum jubet Pont.

Paſſarinus ab eccleſia Rom. Mantuan. vicariatum accipit.

Secutus Scaligeri fœderatus victoriæ curſum Paſſarinus (*e*), qui Mantuæ dominatum vicarii nomine invaſerat; iiſdemque legibus in eccleſiæ gratiam reſtitutus. Adducti eodem pontificiæ potentiæ terrore Ateſtini marchiones Raynaldus, Opizo, Bertoldus, & Nicolaus; cum ante gravioribus injuriis eccleſiam affeciſſent, illique Ferrariam vi ac dolo eripuiſſent, in ſedis Apoſtolicæ obſequium procubuere. Quibus Joannes mox gremium paternum clementer explicuit, deditque legato partes (*f*), ut ipſos ac Ferrarienſes cenſurarum religione, & pœnis omnibus exolveret.

(*e*) Eod. p. 359.

Ateſtini marchiones in ejuſdem eccleſiæ gratiam admiſſ.

(*f*) Eod. to. pag. 364.

XXVIII. Reſiliere (*g*) mox a promiſſis (ut improbus fidei cuſtos timor eſt) Ateſtini marchiones ad defectionem pellecti a Ludovico Bavaro (*h*), qui miſſis oratoribus alios Gibellinos proceres ad partes ſuas traduxit (*i*), & Galeatii ac Mediolanenſium ut clientum imperii ſuſcepto patrocinio, Pontificis Regiſque Roberti conatus infringere aggreſſus eſt: Bertoldo etiam comite cum nonnullis aliis ad Cardinalem legatum, qui Placentiæ agebat, miſſo denuntiavit, ne imperii terras infeſtaret. Cui Bertrandus reſpondit, ſui non eſſe conſilii eas invadere, ſed interregni tempore ob diſcordem electionem celebratam tueri; ſeque non parum mirari, Ludovicum catholicum principem Galeatio hæreſeos crimine poſtulato ſtudere: tum inſtitit, ut dicta chirographo principis corroborata ſibi traderent. Cum oratores, veriti ne, ſi ea proderent, Ludovico hæretici hominis contra eccleſiam defenſi nota aſpergeretur, rem detrectarunt; veniaque errati poſtulata, abſceſſere. Non prætermiſere tamen quos potuere, ad Mediolanenſium auxilium ſolicitare (*k*), ſuique principis partes augere. Perculit ea nova Gibellinorum coitio Pontificem; excitavitque Guelphos fœderatos, nec non Bononienſes (*l*), ut ad retundendas auxiliares copias, quæ Mediolanenſibus a marchionibus Ateſtinis, Scaligero, & Paſſarino ſubmittendæ erant, impigre ſe compararent, ut attriti adverſarii ad obſequium procumberent.

Fidem violant.

(*g*) Eod. to. pag. 383.

Cum iis & Gibellinis Lud. Bav. fœdus init.

(*h*) Eod. to. pag. 382.

Galeatii & Mediol. patrocinium ſuſcipit.

(*i*) Jo. Vil. l. 9. c. 195.

Enata inter Lud. & Pont. diſcordia.

Bertrandi legati ad Lud. oratores reſponſum.

(*k*) Eod. l. 9. c. 212.

(*l*) To. 3. ep. ſecr. p. 382.

*Joannes, &c. Bononienſibus.*

*Sicut relatio noviter fide digna notificat, pridem filii damnatæ nequitiæ Raynaldus, Opizo, Bertuldus, & Nicolaus quondam marchiones Eſtenſes dilectis filiis noſtris Bertrando tit. S. Marcelli presbytero Card. A. S. L. & epiſcopo Bononienſi ſe, ut dicitur, obtulerant ad veram obedientiam eccleſiæ redituros, ut ſub iſto velamine taliter datæ ſpei fructus libere ſuorum colligerent prædiorum, ſine quibus, ut præſumitur, veriſimiliter ipſi ſe tueri ulterius in obſtinata protervia non ſperabant. Nuper vero, quia bona fide nunquam vitia manſueſcunt, ipſi una cum ſindico ſimiliter damnati communis Ferrarienſis, eccleſiæ præfatæ rebellis, jurarunt (ut dicitur) fidelitatem in manibus cujuſdam nuncii dilecti filii nobilis viri Ludovici ducis Bavariæ in Regem Rom. electi, & cum eorum complicibus Cane de Scala, & Paſſarino de Mantua inierunt fœdus pravæ ſocietatis & ligæ: qui dicuntur exfortium ſuæ gentis accingere, cum* quo

Pontificiæ de Ateſtinis marchionibus querelæ.

Contra promiſſa Ludovico Bavaro fidem devinxiſſe



*quo Mediolanenſibus perfidis in opprobrium Dei, noſtrum, & ejuſdem eccleſiæ, nec minus confuſionem noſtram & totius Italiæ ſubſequenter ſuccurrere valeant: de quibus in Chriſto nobis & vobis cæteriſque Chriſti fidelibus optatam clementia divina victoriam votivis ſucceſſibus repromittimus. Quocirca univerſitatem & prudentiam veſtram rogamus attente, quatenus ad præcidendam dictis rebellibus & damnatis omnem ſuccurſus hujuſmodi facultatem viriliter more veſtro & ſtrenue conſurgentes, velitis ſic vicina & opportuna circa id conſilia adhibere, quod dictorum Mediolanenſium, certante Domino, attenuata potentia ex rebellium & damnatorum ipſorum ſubſidio nulla recipere vel ſperare valeat reſiſtentiæ fulcimenta. Dat. Avin.* VIII. *id. auguſti anno* VII.

Auxilia ad Mediolanenſium gratiam comparare.

Excitati Bononienſes ad ea diſſipanda.

XXIX. Fefellere Pontificem ſuæ ſpes: paucis enim ante diebus cum Raimundus e Cardona Mediolanum valida obſidione, promotis ad urbem menſe junio caſtris, premeret (*a*), Paſſarinus & Scaliger auxilia feſſis Mediolanenſibus attulere (*b*); ademptaque eſt Galeatio ſpecie tenus Mediolanenſis præfectura, quam Bertoldus comes Ludovici Bavari nomine geſſit, (*c*) ut non tam Galeatii quam publicæ rei & imperii cauſa defendi videretur: denique ob morbos, qui in caſtris graſſabantur, ſoluta obſidio eſt. Inde lis in Ludovicum Bavarum, qui pontificium & Roberti Regis exercitum Mediolano propulſaſſet, ſuſcepta; ac legibus in eum agi cœptum eſt. Præcipua accuſationis capita hæc erant: Ludovicum diſcordibus electum ſuffragiis, antequam ea controverſia dirimeretur a ſede Apoſtolica, imperii adminiſtrationem corripuiſſe: alterum vero, quod maxime Pontificis animum aſperarat, Galeatii, quem hoſtem & hæreſi contaminatum pronuntiarat ſedes Apoſtolica; tum perduellium Ferrarienſium patrocinium ſuſcepiſſe. Non deerant tamen Ludovico plures rationes, quæ ipſius geſta apud pleroſque excuſarent: controverſiam de imperio cum Frederico Auſtriaco jam diremptam ferro: Mediolanum vero defenſum, non ut Galeatio hæretico ſtuderet, ſed ut aſſereret ſibi imperii jura; neque a Roberto Siciliæ Rege ampliſſimam imperii provinciam, nunquam forte recuperandam, occupari pateretur. Non his tamen Joannes a meditato conſilio revocatus eſt: ſed octavo octobris die, ut refert Joannes Villanus (*d*) in Ludovicum Bavarum ſententiam tulit: cujus forma ſubjectis verbis concepta eſt (*e*).

Gibellini Mediolano ferunt ſuppetias.

(*a*) Jo. Vil. l. 9. c. 211.

(*b*) Eod. l. c. 212.

(*c*) Id. Ib.

Soluta obſidio.

Pontifex in Lud. Bavarum legibus agere conſtituit.

Quæ Ludovico objecerit. Quibus argumentis Ludovicus ſe defenderit.

(*d*) Jo. Vil. l. 9. c. 227.

(*e*) To. 4. ep. ſecr. pag. 105. & l. var. bull. Jo. XXII. p. 35.

*Joannes, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

XXX. *Attendentes, quod dum errori non reſiſtitur, is ad quem reſiſtere pertinet, illi utcumque præſumitur conſentire, quodque plerumque juſtitiæ opprimitur veritas, ſi defenſionis opportunæ illi beneficium ſubtrahatur; profecto nec errori damnabili conſentire per reſiſtentiæ negligentiam volumus, neque pati ob defectum opportunæ defenſionis præſidii juſtitiam opprimi ſponſæ Chriſti. Dudum ſiquidem per obitum claræ memoriæ Henrici Romanorum Imperatoris imperio Romano vacante, principes eccleſiaſtici & ſæculares, ad quos tranſlato ab olim per ſedem Apoſtolicam prædicto imperio de Græcis in perſonam magnifici Caroli in Germanos futuri Romanorum Regis, in Imperatorem poſtmodum promovendi, electio pertinebat, votis eorum in diverſa diviſis, duos ſicut dicitur in diſcordia elegerunt; quibuſdam eorum in dilectum filium magnificum virum Ludovicum Bavariæ, quibuſdam vero in dilectum filium Fredericum Auſtriæ duces, nominando & eligendo ipſos in Romanorum Reges, dirigentibus diſcorditer vota ſua. Verum præfatus Ludovicus a nobis, ad quem ſuæ electionis hujuſmodi, ſicut præmittitur, in diſcordia celebratæ; ac perſonæ ipſius examinatio, approbatio, ac admiſſio, repulſio quoque & reprobatio noſcitur pertinere, electione prædicta nequaquam admiſſa, nec ejus approbata perſona, ſicut notoria fama notoriat, & publica facti evidentia manifeſtat; non quærens, ut deberet, per oſtium ad hujuſmodi regni ſeu imperii conſcendere dignitatis faſtigium, ſed potius aliunde, neſcimus quo ductus, vel verius ſeductus conſilio, præfati Romanorum regni nomen ſibi & titulum regium uſurpavit: quamvis priuſquam alterutrius eorum per ſedem Apoſtolicam fuiſſet approbata vel reprobata perſona, neutri electorum ipſorum aſſumere licuit nomen & titulum prælibatum; cum nec interim Romanorum Reges exiſtant, ſed in Reges electi; nec ſint habendi pro Regibus, nec Reges etiam nominandi.*

Joannis in Lud. ſententia.

Præfatur Pont. diſcordes in eligendo Rege Rom. principes extitiſſe.

Pontificiæ fuiſſe ſedis dirimere æquitate controverſiam.

Lud. regium ſibi nomen vi, non juſtitia aſſerere affectaſſe. Non Regem ſed electum in Regem fuiſſe.

XXXI. *Idem etiam Ludovicus eodem præſumpto titulo non contentus; adminiſtrationem jurium regni & imperii prædictorum, in gravem Dei offenſam & contemptum, ac manifeſtam injuriam Romanæ eccleſiæ matris ſuæ, ad quam ejuſdem vacationis imperii regimen, ſicut & in præſentiarum vacat, pertinere dignoſcitur; nec non & plurimorum ſcandalum, & rei turbationem & læſionem publicæ, ac ſuæ animæ detrimentum, proſilire, ſeque illi immiſcere irreverenter ac indebite præſumpſit hactenus & præſumit, exigendo & recipiendo ſub præfato titulo regio fidelitatis in Alemanniæ & nonnullis Italiæ partibus, tam a perſonis eccleſiaſticis quam ſæcularibus vaſſallis imperii, per ſe & alios juramenta; ac de dignitatibus, honoribus, & officiis ad ejuſdem Romani regni ſeu imperii diſpoſitionem ſpectantibus, pro ſuo libito diſponere: ſicut iis proximis diebus* ne

Regni adminiſtratione contra fas invaſiſſe.

Marchionatum Brandeburgen. filio contuliſſe.

*de marchionatu Brandeburgenſi, quem primogenito ſuo de facto publice contulit, ordinarat; nec non alia plurima exercendo, quæ ad ejuſdem Romani regni & imperii regimen non eſt dubium pertinere. Ejuſdem inſuper eccleſiæ Romanæ hoſtibus, ſicut Galeatio de Vicecomitibus & ejus fratribus, quamvis ſint de crimine hæreſis a ſuis competentibus judicibus, exigente juſtitia, per definitivam ſententiam condemnati; & nonnullis aliis eccleſiæ præfatæ rebellibus ſe exhibere fautorem & defenſorem contra dictam eccleſiam, proſequentem adverſus eoſdem rebelles jura ipſius imperii & negotium fidei, in gravem divinæ majeſtatis injuriam, contemptum ejuſdem eccleſiæ, & animæ ſuæ perniciem, non eſt veritus, nec veretur.*

Senſiſſe cum Galeatio hæreſis crimine poſtulato ac perduellibus eccleſiæ.

XXXII.

*Nos itaque tam temerariis auſibus, ne mos tam pernicioſus invaleſcat in poſterum, obviare ac, prout ad apoſtolatus noſtri ſpectat officium, juſtitiam ſponſæ Chriſti in hac parte defendere; dictumque Ludovicum a tam perículoſo erroris devio ad veritatis callem reducere cupientes; ac conſiderantes, quod ad ejus præſentiam, ad proponendum coram eo præſentialiter per quæ poſſet & deberet retrahi a prædictis, nequaquam tutus patet acceſſus; quodque in præmiſſis formidatur, quod mora periculum, & diſſimulatio damnum forent proculdubio allaturæ, ad providendum ſuper præmiſſis exceſſibus & obviandum eiſdem, ſubſcriptum modum de fratrum noſtrorum conſilio, ac ex certa ſcientia & de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eligentes; præfatum Ludovicum, præſente fidelium multitudine copioſa, præſentium tenore monemus eidem ſub virtute ſanctæ obedientiæ, ac excommunicationis pœna, quam ipſum, niſi cum effectu hujuſmodi monitioni noſtræ paruerit, incurrere volumus ipſo facto; auctoritate apoſtolica nihilominus injungentes, ut infra trium menſium ſpatium, a data præſentium computandum, quos ei de eorumdem fratrum conſilio pro peremptorio termino aſſignamus, ab adminiſtratione, fautoria, & defenſione prædictis prorſus abſtineat ac deſiſtat: adminiſtrationem ipſam per ſe, vel alium, ſeu alios non reſumpturus ulterius, niſi tunc demum, cum & ſi electionem ſuam hujuſmodi, quæ de ipſo dicitur celebrata, ac perſonam ejuſdem per ſedem Apoſtolicam approbari contigerit & admitti; quodque geſta per eum poſt præſumptum ab eo titulum memoratum circa præmiſſa, quatenus proceſſere de facto (cum de jure non teneant, velut ab ipſo cujus faciendi non competebat nec competit) attentata curet infra prædictum terminum, quantum patietur poſſibilitas, realiter revocare, aperte per præſentium ſeriem intimantes eidem, quod ſi in præmiſſis per eum infra præfatum terminum exequendis negligens fuerit, vel remiſſus, nos contra ipſum ad publicationem pœnarum, in quas propter præmiſſos exceſſus notorio incidiſſe noſcitur, vel incidet in futurum, & alias quantum ſuadebit juſtitia, ejus non obſtante abſentia, procedemus.*

Monet Ludovicum ut a Galeatii patrocinio abſtineat.

Et imperii adminiſtratione, donec a ſede Apoſt. confirmatus ſit.

Conſtitutum ad id trium menſium ſpatium.

Pœnæ reſpuenti imperia intentatæ.

XXXIII. Vetiti eccleſiaſtici in iis Ludovico ſtudere.

*Univerſis inſuper patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis, & aliis perſonis eccleſiaſticis quibuſcumque ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, quam eos incurrere volumus ipſo facto niſi infra prædictum terminum infraſcriptæ inhibitioni noſtræ efficaciter ſtuduerint obedire; & tam ipſis, quam omnibus & ſingulis civitatibus, communitatibus, & univerſitatibus, nec non perſonis ſæcularibus quibuſcumque, cujuſcumque conditionis, aut ſtatus exiſtant, etiam ſi regali, aut alia quacumque dignitate præfulgeant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis excommunicationis in perſonas & interdicti in terras eorum; nec non privationis privilegiorum quorumcumque apoſtolicorum & imperialium, ac feudorum quæ ab eccleſia vel imperio obtinent, diſtrictius inhibemus, ne prædicto Ludovico in præmiſſis vel aliis, regni ſeu imperii tangentibus regimen, tanquam Regi ſeu in Regem Romanorum electo, niſi & quouſque dictam electionem & perſonam ipſius per ſedem eandem approbari contigerit, vel admitti, in aliquo pareant, ſeu intendant; neve eidem in quibuſcumque, ad regimen prælibatum ſpectantibus, præbeant auxilium, conſilium, vel favorem. Non obſtante ſi ipſi, vel eorum aliqui ad hoc ſe dicto Ludovico ut Regi, ſeu in Regem electo, adſtrinxerint per fidelitatis vel alterius cujuſlibet generis juramenta: quæ quidem, cum præſtita fuerint ei, cui minime præſtari debuerant, nec ſervari ſine æternæ ſalutis valeant detrimento, præſtantes eadem non adſtringunt. Quæ nihilominus ad cautelam auctoritate apoſtolica relaxamus; illaque caſſa & irrita nunciantes, decernimus penitus non tenere, nec fore aliquatenus obſervanda, ſeu ſi præfato Ludovico vel quibuſvis aliis, communiter vel diviſim, per literas ſedis ejuſdem foret ſub quacumque verborum forma vel expreſſione conceſſum, vel concederetur in poſterum, quod excommunicari, ſuſpendi, eorum terræ ſeu loca interdici non poſſint, quas contra præſentem proceſſum noſtrum in nullo eis volumus ſuffragari, ſed ipſas quoad hoc viribus volumus omnino carere. Ex præmiſſis autem nos nequaquam intendimus, nec volumus obligari, quin ad publicationem dictarum pœnarum, & alias contra dictum Ludovicum poſſimus, pendente hujuſmodi dilatione, procedere, prout juſtum fuerit, & nobis viſum fuerit expedire. Ut autem hujuſmodi proceſſus, &c. Datum Avinione in palatio epiſcopali VII. id. octobris anno VIII.*

Objectæ ſi ſecus egerint pœnæ.

Sacramenta omnia, donec a ſede Ap. ſit approbatus reſciſſa.

Percrebuit proximo tempore pontificiæ



Ludovicus oratores ad Pont. mittit.

Conſtituti judicii diem extrahi poſtulat.

ſententiæ fama ad Ludovicum Bavarum, qui ut rebus ſuis conſuleret, Albertum Hoſpitalariorum equitum in Germania magiſtrum, Grueſturp [1] archidiaconum Herbipolenſem, atque Henricum Pragenſem canonicum oratores ad ſedem Apoſtolicam miſit, ut cauſas latæ ſententiæ cognoſcerent, diemque extrahi depoſcerent. Demandati a Ludovico iis muneris literæ (a) hac verborum forma tempus conſignant. *Dat. apud Nuremberg II. idus novembris anno Domini MCCCXXIII. regni vero noſtri anno* IX.

(a) *Ext. inſertæ in* 20. 4. *ep. ſecr. Jo.* XXII. *p.* 107.

XXXIV. Lud. Bavarus mutat ſententiam.

Profectis jam ad Pontificem oratoribus de concordia acturis, Ludovicus improborum ſubornatus conſiliis vi & armis ſua jura aſſerere, ſibique adverſantis Pontificis hoſtem ſe profiteri maluit, quam demiſſione, ut cœperat, Chriſtiana naſcentem diſcordiam componere. In contrariam itaque mentem averſus, ſpernere indictum a Pontifice judicium decrevit; utque facinus coloraret, accerſitis tabellionibus ac teſtibus, exaratis XV. kal. jan. literis; quibus ſingula a Joanne objecta confutare nitebatur, contendit ſe potioribus electorum principum ſuffragiis creatum, atque Aquiſgrani regia corona redimitum; exinde vero ſine nova pontificia confirmatione ex veteri more jura imperialia aſſecutum: neque illi ob nomen Regis Romanorum affectatum actionem intendendam, cum jam annis pluribus illud geſſiſſet: Galeatio non ad tuendam hæreſim, ſi qua infectus ſit; ſed Mediolanenſem ditionem, quam oppugnabat hoſtis, defendendam opem tuliſſe. Cujus principis apologiam (b) ad illuſtrandam hiſtoriam afferendam ducimus ex potiore parte, in qua vis juris conſtat: *Reſpondemus*, inquit Ludovicus, *& dicimus ad præmiſſa*, ſcilicet objecta in judicio a Pontifice, *quod hactenus a tempore cujus non eſt memoria, circa electos Romanorum Reges & principes ſic eſt de jure & conſuetudine obſervatum; & ſic tenent, dicunt, & ſentiunt & ſemper tenuerunt, dixerunt, & ſenſerunt principes & meliores ac majores imperii; & eſt maxime in partibus Alemaniæ adeo notorium apud omnes, ut non ſit qui dubitet vel ignoret, quod Romanus Rex eo ſolum, quod electus eſt a principibus electoribus, ad quos pertinet ipſius electio, omnibus vel majori numero eorumdem, & coronatus corona regia in ſolitis locis & conſuetis, Rex eſt, & pro Rege habetur, & Rex nominatur, & eidem ab omnibus paretur & intenditur ſicut Regi, ac jura regni libere adminiſtrat: fidelitatis & obedientiam recipit, feuda confert, & de bonis, honoribus, & dignitatibus, & officiis regni juxta beneplacitum ordinat & diſponit. Quare eum notorie conſtet, nos a longe majori numero electorum, ad quos jus eligendi Regem pertinet, rite eſſe electos, & diademate regio coronatos in locis debitis & conſuetis; & hoc ipſo nomen, & titulum prælibatum, & jus adminiſtrandi jura regni; & de ipſius rebus, honoribus, dignitatibus, & officiis diſponendi, legitime aſſecutos; manifeſte patet quod in injuriam noſtram & gravamen dicit, nos illicite nomen & titulum uſurpaſſe, & ad adminiſtrationem & diſpoſitionem præfatas indebite ingeſſiſſe: cum potius; quemadmodum alii Romanorum Reges prædeceſſores noſtri in hac parte uſi ſunt, & nos utamur licite jure noſtro. Cum etiam circiter decem annos nomen & titulum, adminiſtrationem & diſpoſitionem hujuſmodi in pacifica poſſeſſione continue ſcripſerimus & geſſerimus abſque reprobatione electionis & perſonæ noſtræ, ſi tamen poterant reprobari; & citra impeditionem & contradictionem, ſi cujus forte poterant intereſſe, ſicut eſt notorie manifeſtum, nimis eſt injurioſum & juri contrarium, quod nunc primum ipſe dominus Apoſtolicus lege imperſpecta, parte inaudita, negotio indiſcuſſo, & juris ordine prætermiſſo, contra nos queritur, invehitur, & procedit; intendens ac ſi, abjecto nomine & titulo, & depoſita adminiſtratione præmiſſa, nos ipſos quaſi capite minuamus: licet ſæpe miſſis ad eum per nos nuntiis, & reſcriptis ſuis literis, per eos vel in illis nunquam fuerimus reprehenſi.*

Decernit judiciarium ordinem temnere.

Scribit apologiam.

(b) *Ext. apud Hervvart. ad ann.* 1323.

Quæ fuerint illius juris munimenta.

Ejuſdem querelæ.

XXXV. Contendit non vacare imperium.

*Et quia ex præmiſſis per evidentiam & effectum operis patet, quod ſacri regni regimen gubernamus, prorſus a veritate diſcrepat, quod dicit imperium nunc vacare, & ejuſdem ſibi regimen pertinere. Ex quo enim Rex ſumus, & jura regni adminiſtramus ut Rex, & in poſſeſſione regendi regnum Romanum ſumus & fuimus multis annis, non poterit dici vacare quod habet Regem regentem, & regendi regnum & im-*



NOTÆ [1] LUdovicus Bavarus cui Joannes Pontifex diem dixit hoc anno ex cauſis in Annalibus indicatis oratores tres miſit ad Pontificem ut diem illam extraherent. Horum oratorum nomina, ex codice mendoſo dat hic Annaliſta. Vera nomina habes expreſſa in literis Joannis ſequenti anno die VII. Januarii datis vulgatiſque in Anecdotis Marten. tom. II. col. 647. Tres igitur venerunt *Albertus de Stratzburch*, *magiſter Erneſtus* (non vero *Grueſturp* ut Annalibus) *de Sebech archidiaconus Herbipolenſis*, *& magiſter Henricus de Throno* Canonicus Pragenſis. Oratores vero iſti nonniſi in exordio ſequentis anni, die videlicet IV. nonas Januarii ſtiterunt ſe Pontifici, ut ex iiſdem literis diſcimus. MANSI

Novare nititur adverſus ſedis Ap. jura.

*& imperium poteſtatem habentem ; ſolis dumtaxat inſulis imperialibus coronandum. Nec concedimus ita ſimpliciter, ut proponitur, ad ſedem Apoſtolicam examinationem, admiſſionem, & approbationem electionis, & perſonæ noſtræ repulſionem & reprobationem pertinere, ſicut aſſerit.* Qui transferre ad Germanos imperium potuit, & electoribus creandi Cæſaris jus conferre, idem confirmandi illius ſibi potuit auctoritatem reſervare : & hoc jure Pontifices uſos, ac diſſidentium Cæſarum cauſam cognoviſſe, antea a nobis hiſtoriæ commendatum eſt (*a*). Quocirca inanes ſunt quæ ſequuntur Ludovici argutiæ : *Sed ſi ( quod non credimus ) pertineret, hoc unum demum ſibi locum vendicare forte poſſet, ſi per querelam, vel per viam ſupplicationis, appellationis, vel provocationis, vel alio modo ad ipſam ſedem fuiſſet devolutum ipſum negotium vel deductum, quæ locum non obtinent in præſenti ; vel ſi forte petitis per nos inſulis imperialibus, vel denominatione noſtra, ex cauſis legitimis jure ſcriptis, quas ad nos locum non credimus habuiſſe, perſonam noſtram contigiſſet exigente juſtitia refutari ; denominatio quippe perſonæ, vel electionis admiſſio habitæ ſubſequenter nobis non jus, nomen, vel titulum tribuiſſent, quæ jam ex ipſa electione ſortiti ſumus ; ſed ea potius detexiſſent, approbaſſent, & latius commendaſſent. Hæc veritas ratione juvatur, canonibus & legibus fulcitur, & ſummorum utriuſque juris doctorum ſententiis comprobatur, & uſu & conſuetudine longiſſimi temporis declaratur.*

(*a*) *Annal. to.* 14. *An. C.* 1263. *n.* 46. & *An.* 1264. *n.* 39.

XXXVI. Excuſat ſuſceptum Vicecomitum patrocinium.

*Quod vero adjunxit, nos Galeatio de Vicecomitibus & ejus fratribus de hæreſi condemnatis, & nonnullis aliis eccleſiæ Romanæ rebellibus, quos tamen non denominat, defenſionem exhibuiſſe, ut aſſerit, & favorem ; penitus nihil ſcimus. Nam ſi dicti Galeatius & fratres ſui ſunt de hæreſi condemnati, nobis non innotuit ; nec per ipſum ſummum Pontificem vel alium, qui voluit, aut potuit nobis inſinuatione debita eſt detectum. Ipſum ergo tanquam in facto conſiſtens, & in remotis actum, rationabiliter poteramus ignorare. Immo quem favorem aut defenſionem eis vel aliis, quos neſcimus, & quos non denominat, exhibuimus ; & quomodo ſint vel fuerint rebelles eccleſiæ, non videmus. Aperte coniicimus, & per effectum operis cognoſcimus, nonnullos rebelles nominari eccleſiæ, qui per fidem devotionis ſuæ molientibus contra ſtatum & jura imperii renituntur.*

Hæc Ludovicus Rex Romanorum deſignatus ſuarum partium aſſerendarum ſtudio, cujus jura politica, quæ ad gerendos Cæſareos apices bellica virtute electorumque principum ſuffragio ſibi peperit, impugnanda ſuſcipere non profitemur. Cum vero is adverſus dignitatem eccleſiæ plura geſſerit, maximaque ſcandala concitarit, ea premi ſilentio hiſtoriæ lex non patitur; nec licet tradantur annalibus, exinde tamen inclytæ domus Bavaricæ gloria obſcuratur, uti nulla labes Chriſto aſpergitur, etiamſi inter ejus progenitores quiſpiam idololatra recenſeatur in evangelio; nec detrahitur eccleſiæ ſanctitati, quamvis ex gentilibus genus traxerit, nec roſarum forma læditur, etſi naſcantur e ſpinis. Adde eo illuſtriorem eſſe ſtirpem Bavaricam, quo poſtrema hac ætate illius conſtantia & pietate ſtetit in Germania orthodoxa religio: qua in re præclaram Maximiliani virtutem nulla futura ætas conticeſcet. Candido ergo ſtylo, conſultum Bavaricæ domus ſplendori & dignitati volentes, quæ perperam a Ludovico geſta conſcribemus.

De inclyta ſtirpe Bavarica.

In primis igitur, quod obſervatione dignum eſt, in ſuperiore apologia objecit Pontifici, Minoritarum ſummum præfectum, alioſque ejus ordinis præcipuos in jus vocatos de patefacto exhomologeſeon arcano in crimine foveri: *Ipſe eſt*, inquit, *diſſimulator, defenſor, & fautor hæreticæ pravitatis ejus, quæ totam ſanctam eccleſiam inficit & conturbat ; & a confeſſione retrahit pœnitentes, & generandis in ſpiritu viam claudit. Nam cum ad ipſius ſummi Pontificis audientiam gravibus & frequentibus archiepiſcoporum, epiſcoporum, & nonnullorum inferioris gradus prælatorum querimoniis ſit deductum, & legitime propoſitum coram eo contra generalem miniſtrum, cuſtodes, guardianos, & fratres Minores ordinis S. Franciſci, quod ipſi ſint ſecretæ confeſſionis proditores ; & peteretur ab eo, ut hoc tanquam pernicioſiſſimum in eccleſia ſancta Dei, unde periclitabantur animæ, aditus ad gratiam obſtruitur, & peccatorum remiſſio negligitur, juxta debitum paſtoralis officii emendaret ; ipſe tanquam tergiverſando, diſſimulando, & celando morbum hujuſmodi peſtiferum, & lethalem mortem animæ perpetuam inferentem, curare ſalutifero & debito medicamine non curavit ; dictis fratribus, in hac parte, ſanctæ Romanæ eccleſiæ & fidei catholicæ inimicis conſtituens ſe fautorem.* Hactenus Ludovicus, nocendi ſtudio fingens calumnias: qui poſtea, cum animadvertiſſet Michaelem Cæſenatem ac ſocios cervices ſuperbas in Chriſti vicarium erigere, atque impie de paupertate Chriſti ſentire; eorundem ſuſcepit patrocinium: ſed hæc poſtea.

Calumnia aſperſa Minoritis.

Hujus invidia derivata in Pont.

Interea prætexens Cæſarea jura a Joanne Papa opprimi, captanſque politica diffugia ad pontificia edicta eludenda, ſuo & omnium Cæſarei apicis ſtudioſorum nomine ad concilium provocavit: *Cum*, inquit, *propter præmiſſos articulos,*

nem-



nempe Minoritas defenſos, & vocatum in jus diſcordibus ſuffragiis electum Cæſarem, *quos non eſt dubium ſtatum fidei catholicæ, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſacri imperii contingere, & omnium intereſſe, opus ſit convocatione concilii generalis, inſtanter & cum omni devotione ipſum, quam primum commode poterit, ad locum communem & aptum petimus congregari : in quo ad Dei omnipotentis honorem, ſanctæ Chriſtianitatis bonum ſtatum, & profectum fidelium ; nec non pro reverentia reverendorum patrum dominorum Cardinalium, patriarcharum, primatuum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & totius ordinis eccleſiaſtici ; nec non ejuſdem ſacri concilii ſolemnitate, dante domino, perſonaliter intendimus intereſſe, &c. Anno a nativitate Domini MCCCXXIII. Indiction.* VI. Edita hæc provocatio, ut illa juris exceptione contra edicta pontificia aliquem juſtitiæ colorem factioni ſuæ allineret. Cæterum nomine concilii, ad quod provocabat Ludovicus, non tam is ſolemnes epiſcoporum cœtus, quibus Pontifex præſidere ſolet, intelligebat : quam paucorum conventiculum, cui præeſſet ipſe Ludovicus, quod omni ſtudio congregare niſus eſt, ut in eo ſævum aliquod ſchiſma crearet, ut docent illius geſta; ipſum ſiquidem Cardinalem Urſinum tentaſſe, ut aufugeret in Germaniam, & ſchiſmaticorum conciliabulum coacturum adverſus Joannem ſpopondiſſe, conſtat (*a*) de quo inferius. Memorata porro fraus ad concilium contra edicta apoſtolica provocandi cum a principibus ad flagitia tuenda crebro poſtea uſurparetur, demum a Pio II. damnata eſt anathemate in Mantuana ſynodo, ut ſuo loco dicetur. Nunc reliqua hoc anno geſta proſequamur.

(*a*) *MS. Vat. bibl. ſign. n.* 409. *pag.* 169.

XXXVII

(*b*) *Jo. Vill. l.* 9. *c.* 197.

Arboreæ regulus ad Aragonios deficit.

Alphon. princeps Arag. in Sardiniam claſſe invehitur.

(*c*) *Eod. lib. c.* 210.

Quibus legibus pacem cum Piſanis inierit.

Proceres in Caſtella cum Rege diſſident.

(*d*) *Jo. Marian. l.* 15. *c.* 18.

In Sardinia atrox in Piſanos conjuratio erupit: (*b*) Arboreæ enim toparcha quem Judicem vocabant, inita cum Aragoniis coitione, Piſanis tota inſula ex condicto, in quos ſævire potuit, obtruncatis, defecit ad Jacobum Regem Aragonum, qui illius inſulæ imperium clientelæ nomine a Romano Pontifice ea lege acceperat, ut Siciliæ inſulam Carolo II. relinqueret. Alfonſus vero filius ſceptri Aragonii heres, valida claſſe in inſulam invectus, plura loca in ſuam poteſtatem redegit, (*c*) Piſanoſque variis attrivit cladibus: demum pacem ea lege ſequenti anno cum ipſis pepigit, ut Calaris arce retenta cum aliis agris oppidiſque contributis Piſanorum juris, reliqua penes Aragonios eſſent. Addit Mariana (*d*) in Caſtella ob Regis Alfonſi juventutem proceres mutua fœdera adverſus regiam dignitatem coiviſſe, vectigalium rationem a Joanne Aragoniæ regiæ principe eodemque Toletano archiepiſcopo exegiſſe, ſcriniique regii præfecturam, qui magiſtratus hactenus ab archiepiſcopis Toletanis gerebatur, ipſi eripuiſſe ; nec niſi inane nomen penes ipſos ab eo tempore hæſiſſe: Joannem vero Aragonium impatientem injuriæ in parentis regnum abſceſſiſſe, ac Semenum Lunam præſulem Toletanum renuntiatum.

Erepta Toletano arch. Scrinii Caſtellæ præfectura.

Dionyſ. Rex Luſit. cenſuras contrahit.

In Luſitania labefactata fuerat immunitas ordinis eccleſiaſtici, Dionyſio Rege de ſacerdotum ſceleribus cognoſcendi jus ſibi arrogante, & jura eccleſiarum infringente : cujus ſceleris cum ſupplex veniam depoſceret, Pontifex partes dedit Gondiſalvo Ulyſſiponenſi epiſcopo abſolvendi Regis anathematis vinculis, quibus ſe irretierat, modo in poſterum ab hujuſmodi auſis ſibi temperaret. *Nos*, inquit, *volentes benigne, quantum cum Deo poſſumus, ſuper his votis annuere & ſaluti animæ proſpicere dicti Regis ; ac de tuæ circumſpectionis induſtria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſatisfactione tam monaſterio prædicto & eccleſiis, quibus in ſuis libertatibus vel alias ex prædictis injuria fuerit irrogata ; quam quibuſcumque perſonis & locis, quorum intereſt & poterit quorumlibet intereſſe, ſuper quo tuam oneramus conſcientiam præſtita competenti ac ab eodem Rege recepta cautione juratoria, quod talia vel ſimilia in derogationem libertatis eccleſiaſticæ de cætero non committat ; eidem a prædictis ac a quibuſcumque aliis excommunicationum ſententiis, quas pro incarceratione & detentione clericorum, tam religioſorum quam ſæcularium, etiam ſi aliqui in ipſius Regis carceribus obierunt, de quibus forſan minime recordetur, incurriſſet hactenus ; juxta formam eccleſiæ hac vice auctoritate noſtra ſtudeas abſolutionis beneficium impertiri, injungens eidem, prout ſecundum Deum ſaluti animæ ipſius expedire noveris, pœnitentiam ſalutarem : quam ſi complere forſitan, quod abſit, contempſerit, in eaſdem ſententias recidat ipſo facto. Dat. Avin.* III. *kal. junii anno* VII.

Pœnitens abſolvitur.

XXXVIII. Controverſia de paupertate Chriſti.

Extracta in hunc annum eſt mota ſuperioribus annis controverſia de paupertate evangelica, an Chriſtus & Apoſtoli jus & dominium in ea, quibus uſos eſſe divina recenſent oracula, obtinerent; an vero ſine jure ſimplicem & purum uſum, ab omni dominio ſejunctum obtinuiſſent. De qua controverſia plures editæ ſunt concertationes theologicæ: conſultaque Pariſienſis academia ſententiam ſuam in ſubjecto commentario (*e*) multo doctrinæ ſplendore illuſtravit. In quo, & in lucem edendis, ſi quippiam forte alicui non arriſerit, is ſecum reputet, non omnia apud quemque paris eſſe dignitatis, neque eodem argumento omnium

(*e*) *Extat. in MS. bibl. Vat. ſign. num.* 3720. *pag.* 248. *&c.*



men-

mentes vinci; neque ob id reliqua ſilentio premenda fuiſſe, cum in iis plurium memoria digniſſimarum rerum majeſtas effloreſcat.

*Hoc dedit dominus Cardinalis Vienneníis de ſtudio Pariſienſi.*

Status quæſtionis.

*Quæritur utrum Chriſtus & Apoſtoli habuerunt aliqua bona temporalia in communi quantum ad proprietatem & verum dominium: & arguitur quod nihil omnino habuerint, nec in proprio nec in communi quantum ad proprietatem, primo de Chriſto ſolo, ſecundo de Apoſtolis.*

Argumenta pro adverſa parte.

*Quantum ad Chriſtum, arguitur quinque mediis. Primo per illud Matth.* VIII. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Sed ille, qui non habet ubi poſſit reclinare caput, nil habet. Ergo, &c. Et confirmatur per Hieronymum ſuper eodem verbo in glo. Tho. Quid me propter divitias & ſæculi lucra cupis ſequi, cum tantæſim paupertatis, quod nec hoſpitiolum habeam, & tecto utar non meo. Et Chryſoſtomus ſuper eodem verbo Lucæ* IX. *Qualiter paupertatem, quam Dominus docuerit, per opera demonſtrat: non erat ei menſa, non candelabrum, nec quidquam talium.*

Ex evangelio petita.

*Secundo ſuper illud Matth.* XVII. *Vade ad mare, & mitte hamum, &c. glo. Rabani. Dominus tantæ fuit paupertatis, ut unde daret tributa non haberet: Judas quidem communia in loculis habebat; ſed res pauperum in ſuos uſus convertere nefas duxit, dans exemplum nobis.*

Ex patribus.

*Tertio ſuper illud pſal. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia; dicit Auguſtinus in originali: Suam paupertatem volens Dominus nobis commendare, fortaſſe dixit: Non eſt ſubſtantia; ad ſummam enim paupertatem devenit, quando formam ſervi induit. Sed paupertas eſt nil habere. Ergo, &c.*

Ex decretalibus.

*Quarto extr. de verb. ſignif. dicitur de illa paupertate non habentium in proprio nec in communi, quia Chriſtus hanc paupertatem verbo docuit & exemplo firmavit.*

Ex ratiocinatione.

*Quinto & ultimo quantum ad Chriſtum per rationem ſic: Chriſtus exemplar omnis perfectionis debuit in ſe ſummum gradum perfectionis habere. Sed perfectio vitæ ſpiritualis conſiſtit eſſentialiter in tribus votis religionis, ſcilicet continentia, paupertate, & obedientia. Ergo in quolibet iſtorum Chriſtus debuit ſupremum gradum obſervare. Sed ſummus gradus paupertatis eſt nihil habere in proprio nec in communi. Ergo, &c. Et confirmatur, quia Chriſtus continentiam obſervavit in ſupremo gradu: non enim habuit continentiam conjugalem, nec vidualem, ſed virginalem; ſimiliter obedientiam habuit in ſupremo gradu, quia factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, Phil.* II. *quæ mors fuit acerbiſſima & viliſſima. Ergo & paupertatem in ſupremo gradu debuit obſervare.*

XXXIX. De Apoſtolorum paupertate.

*Quantum ad Apoſtolos probatur id quadrupliciter.* I. *Matth.* X. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus eſt enim operarius cibo ſuo, ſed omnia iſta fuerunt a Chriſto præcepta Apoſtolis, ut patet ex principio ſecundi capituli. Ergo, &c.*

Argumenta quod fuerit ex præcepto.

*Secundo Matth.* XIX. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende quæ habes, & da pauperibus. Sed qui vendit omnia quæ habet, & dat pauperibus, nihil habet. Ergo, &c. Et eodem capitulo dixit Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Tertio Luc.* IX. *omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Si omnibus renuntiat, nihil habet. Ergo, &c. Quarto Chryſoſtomus in glo. Tho. Jo.* XIII. *Judas loculos habebat: nullus diſcipulorum pecunias afferebat. Sed per hoc quod hic dicit occulte inſinuat, quod quædam mulieres eum de ſuis facultatibus nutriebant.*

Oppoſitio ad quæſt.

*In oppoſitum eſt, quia Chriſtus loculos habuit, quos portandos Judæ commiſit. Jo.* I. XII. *&* XIII. *Apoſtoli etiam pecunias habuerunt, de quibus aliquando emerunt cibos. Jo.* IV.

XL. Diſtinguitur quæſtio ſecundum naturas in Chriſto.

*Reſponſio. Dicendum, quod cum in ipſo ſint duæ naturæ in uno ſuppoſito, divina ſcilicet & humana, quædam convenerunt Chriſto ratione divinæ naturæ ſolum, ſicut creare & infinitum eſſe; quædam vero ſunt, quæ competunt Chriſto ratione humanæ naturæ ſic, quod repugnant ſibi ratione divinæ. Sicut pati & mori: alia autem ſunt, quæ competunt ſibi ratione utriuſque, licet diverſimode, ſicut eſt naſci: naſci enim competit Chriſto & ratione divinæ naturæ, ſed ab æterno; & etiam ratione humanæ naturæ, ſed ex tempore. Modo nulli eſt dubium quin Chriſtus ratione deitatis eſt verus dominus omnium corporalium & ſpiritualium creaturarum, quia habet verum & plenum jus in omnibus creaturis quantum ad proprietatem & uſum ratione creationis & conſervationis rerum, pſalm. Domini eſt terra & plenitudo ejus.* Et alibi: *Meæ ſunt feræ ſilvarum, jumenta in montibus, & boves. Et Judith.* II. *Dominus cœlorum, creator aquarum, & dominus totius creaturæ, exaudi me.*

Secundum divinam non controvertitur.

De humana vertitur in dubium.

*Sed utrum dominium omnium creaturarum, vel ſaltem aliquarum corporalium competat Chriſto ratione humanæ naturæ, ſicut naſci de matre ex tempore ſuo modo competit ſibi ratione humanæ naturæ, videtur aliquibus dubium.*

Modus pertractandæ quæſtionis.

*Et propter hoc ſic procedam, quia primo oſtendam, quid eſt verum dominium temporale: ſecundo diſtinguam de dominio temporali: tertio oſtendam quibus modis, & quot Chriſtus fuit verus dominus omnium temporalium, vel ſaltem aliquorum.*

*Quan-*



Definitio dominii.

*Quantum ad primum articulum; dico quod verum temporale dominium verum eſt jus proprium habendi, poſſidendi, utendi re aliqua ſimpliciter, vel ſecundum aliquem certum modum. Dico, quod dominium eſt jus aliquid, uti enim re, & poſſidere ſine jure non facit nec dat verum dominium, alias fures & latrones, qui poſſident res alienas, & utuntur eis pro libito voluntatis, eſſent veri domini, quod eſt falſum.*

Jus latius patet quam dominium.

*Jus etiam quodcumque non ſemper tribuit dominium, quia plus eſt jus quam dominium: omne enim dominium verum temporale eſt aliquod jus ſed non e contra; quia non omne jus eſt dominium: nam ſervus habet verum jus temporale ſuper dominum ſuum, quia dominus tenetur nutrire & alere ſervum, ſicut ſervus tenetur ſervire & obedire domino ſuo; & tamen licet ſervus habeat jus in domino ſuo, non poteſt proprie dici dominus, ſimiliter filius habet aliquod jus in patre, &c.* Multis in hunc & ſecundum articulum, in quo dominii, quod definit, *jus habendi rem cum quadam ſuperioritate & auctoritate*, variæ diſtinctiones afferuntur, interjectis ad tertium deſcendit.

Concluſio quæſtionis.

*Quantum ad tertium articulum principalem, ſic procedam, quia quæritur de Chriſto & Apoſtolis ſimul, utrum habuerint aliqua bona temporalia; primo oſtendam, quod Chriſtus habuit bona aliqua temporalia, in quibus habuit verum & reale jus quoad uſum & proprietatem ipſorum. Secundo oſtendam idem de Apoſtolis, quod habuerunt aliqua ſimul cum Chriſto & etiam per ſeipſos.*

XLI. De Chriſti dominio ex triplici capite.

*Quantum ad Chriſtum, pono tres concluſiones. Prima eſt, quod Chriſtus inquantum homo & ratione humanæ naturæ individualis habuit ab inſtanti ſuæ conceptionis verum * & verum dominium infuſum in omnibus rebus creatis, & quantum ad proprietatem & quantum ad uſum. Secunda concluſio eſt, quod cum prædicto dominio infuſo, quod ab inſtanti conceptionis fuit in Chriſto, Chriſtus acquiſivit novum jus & novum dominium in aliquibus rebus ſibi collatis a fidelibus & devotis, quando converſabatur in mundo. Tertia concluſio, quod licet habuerit verum & plenum dominium infuſum in omnibus creaturis, nunquam tamen fuit uſus dominio rerum immobilium, niſi, ſicut, & quantum unus non dominus poteſt uti, nec habuit talis dominii executionem: dominio vero bonorum mobilium, quantum ad uſum & proprietatem fuit uſus, ſed valde paucorum & parce.*

* *jus*

De infuſo Chriſti dominio in inſtanti conceptionis.

*Primam concluſionem probo quadruplici ratione. Primo ſic: Cuicumque competit verum & perfectum jus habendi aliquam rem, & utendi ea jure proprio pro libito voluntatis, illi competit verum & perfectum dominium in illa re: hæc propoſitio patet ex primo articulo ſuperius declarato. Sed Chriſto ſecundum quod homini & ratione ſuæ humanitatis, competit ab utero ſuæ conceptionis verum & perfectum jus utendi omnibus rebus corporalibus, immo omnibus creaturis pro libito ſuæ voluntatis. Ergo ipſe habuit ab utero ſuæ conceptionis verum dominium & perfectum in omnibus creaturis. Sed verum & perfectum dominium eſt dominium completum quantum ad rei proprietatem & uſum, ſicut fuit ſupra declaratum in ſecundo articulo. Ergo, &c. Major hujus rationis patet ex primo articulo principali: ſed minor probatur & primo per Apoſtolum ad Hebræos* II. *ubi loquens de Chriſto quantum ad humanitatem dicit: Minuiſti eum paulo minus ab angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. In eo enim, quod omnia ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei. Auctoritas eſt clara: & quod loquatur de Chriſto quantum ad humanitatem, patet per gloſſam Ambroſii ibidem dicentem ſic: Minuiſti eum paulo minus per paſſibilem naturam: minoratus eſt enim, dum ſe exinanivit, formam ſervi accipiendo. Ergo propter infirmitatem carnis, quam Dei ſapientia geſtare dignata eſt, & * . . . humilitatem recte dicitur: Minuiſti eum, &c. quia mortalis & paſſibilis. Sequitur in eadem gloſſa Ambroſius: Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Ecce poteſtas Chriſti oſtenditur, ut enim a divino opere nihil excipitur, ita nec a Chriſti poteſtate. Ecce textum planum & gloſſam planiſſimam: niſi quis velit gratis tranſverſari.*

Probatur ex Patris donatione per Apoſtolum.

* *carnis*

Et interpretatione Ambroſii.

*Sed forte dicetur ad iſta, quod omnia ſubjecit humanitati aſſumptæ quoad dignitatem ſolum, quia ad ſuppoſitum divinum aſſumptæ; ſed non quoad dominium & auctoritatem. Iſtud ſtatim removet gloſſa ſequens Auguſtini dicens: Et non ſolum conſtitutus eſt ſuper omnia opera, ut dignior; ſed & omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, id eſt, poteſtati ejus & dominio, ut adorent eum & vereantur: poſſet enim eſſe ſuperior, & tamen omnibus non dominari. Hæc gloſſa. Secundo eadem minor probatur per illud Matthæi ultimo: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, &c. Qui omnia dicit, nihil excludit. Et quod intelligatur de humanitate, patet per gloſſam ibidem: Data eſt; non de coæterna Patris deitate, ſed de aſſumpta dicit humanitate, qua minor eſt angelis, in qua etiam gloria & honore coronatus eſt.* Et paulo infra: *Et glo. Tho. Filius quippe Dei Virginis filio, Deus homini, deitas carni contulit, quod ſemper ipſe cum Patre præcedit.*

Per Chriſti oraculum.

*Tertio probatur per illud apocalypſis* XIX. *Habet in veſtimento & femore ſuo ſcriptum, Rex regum & dominus dominantium. In veſtimen-*

Per apocalypſim.

mento; interlinearis, id eſt, in humanitate: & dominus dominantium; id eſt, illorum, qui dominium exercent in ſubditos. Quarto probatur eadem minor per illud Philipp. II. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine ejus omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, glo. Aug. Quod a conceptione acceperat, dicitur ei & donatur poſt reſurrectionem propter manifeſtationem, & gloſſa Ambroſii ſequitur: Quæres, cui donatum? Utrum homini an Deo? Reſpondeo, homini donavit nomen, quod eſt ſuper omne nomen, non Deo. Sequitur in glo. Auguſtini: Donavit ergo ſecundum hominem Chriſto ſecundum carnem mortuo, reſurgenti, & aſcendenti, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; id eſt, imperio ejus fateantur ſubiici angeli, homines, & dæmones. Hæc Auguſtinus. Conſtat autem, quod ille eſt verus dominus, cui ſubiiciuntur angeli, homines, & dæmones, quia ſubjectio refertur ad dominium & principatum; unde ſubdit idem Auguſtinus in gloſſa: In carne, quam accepit, factus eſt dominus dominorum, & eſt dominus Deus qui eſt dominus cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Ex titulo redemptionis per apoſtolum.

Et interpr. Ambroſii.

Et Auguſtini.

XLII. Confirmatur idem dominium ratione theologica.

Secundo probatur concluſio prima ſic. Illud quod importat dignitatem & perfectionem ſimpliciter, & non impedit finem incarnationis, ſicut immortalitas & ſimilia quod poteſt communicari & de facto communicatum eſt alicui puro homini, multo fortius eſt communicatum Chriſto ſecundum humanam naturam ab inſtanti ſuæ conceptionis: hoc ſatis videtur rationabile, quod illi naturæ unitæ deitati daretur omnis humana perfectio naturalis & gratuita, ſicut & benefica. Et infra: Sed jus habendi & utendi pro libito voluntatis, & dominium verum quo ad proprietatem & uſum ſuper omnia temporalia inferiora ſaltem fuit collatum primo homini in ſtatu innocentiæ & naturæ integræ; juxta illud Geneſ. I. Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli; unde primus homo pro tunc poterat omnibus uti ſicut verus dominus pro libito voluntatis; & Chriſto tale dominium fuit collatum ab initio ſuæ conceptionis: unde licet uti & maxime indifferenter dominio rerum temporalium forte non importet dignitatem & perfectionem ſimpliciter, ſed ſicut actus indifferens, qui poteſt bene & male fieri; tamen habere dominium & jus utendi pro libito voluntatis pertinet ad dignitatem & perfectionem ſimpliciter, alias nunquam fuiſſet communicatum homini in ſtatu perfecto innocentiæ, nec competeret beatis poſt generalem reſurrectionem; nec competeret Deo ratione divinæ naturæ, qui eſt dominus veriſſimus omnium rerum quoad proprietatem & uſum.

Ex dignitate Chriſti.

XLIII. Objectio adverſarii de voto ſpectante ad perfectionem.

Sed contra minorem hujuſmodi rationis poteſt obiici: nam per votum paupertatis & religionis quis abrenunciat omnibus bonis temporalibus, & privat ſe omni jure & dominio, & quantum ad proprietatem & quantum ad uſum. Sed vovere paupertatem facit ad perfectionem ſpiritualem, de qua loquimur. Ergo habere dominium & jus utendi rebus non pertinet ad perfectionem ſpiritualem: immo magis privare ſe per votum paupertatis tali dominio & jure pertinet ad perfectionem ſpiritualem. Item quando dicitur, quod Deus eſt dominus omnium creaturarum. Ergo habere dominium & jus dominandi pertinet ad perfectionem ſimpliciter; ſi iſta probatio eſt bona, ita probat quod uti de facto ipſis rebus pro libito voluntatis dicit perfectionem ſimpliciter: quia conſtat, quod ſicut Deus habet dominium omnium rerum: ita de facto utitur omnibus rebus pro libito voluntatis, & ſic uſus omnium rerum fuiſſet in Chriſto, quod eſt contra concluſionem hujus quæſtionis.

Diſſolvitur.

Ad iſta dicendum; ad primum dupliciter. Primo quod votum paupertatis, & abdicatio dominii, juris & aliarum rerum temporalium pertinet ad perfectionem ſpiritualis vitæ ſicut inſtrumentum perfectionis, ſicut dicetur in tertia concluſione: hoc, inquam, verum eſt in natura lapſa, vel quæ poteſt deficere & labi in peccatum, ſicut ſunt viatores communiter; & quia talia jura & dominia ut plurimum a Deo retrahunt, & incitant ad peccatum: ſed in natura, quæ labi non poteſt nec peccare, ſicut fuit natura humana aſſumpta a Verbo, ſicut & ſunt & erunt omnes beati, privatio talis juris & dominii per votum paupertatis vel aliter non eſſet perfectionis, ſed imperfectionis. Secundo poteſt dici, quod inſtantia prædicta falſum aſſumpſit quando dicit, quod per votum paupertatis & religionis quis renunciat, & privat ſe omni dominio & jure rerum temporalium; hoc, inquam, falſum eſt, quia non privat ſe uſu temporalium neceſſariorum ad vitæ ſuſtentationem, quia hoc fatuum eſſet, nec jure ſic utendi. Item licet privet ſe dominio proprietatis quantum ad dominium proprium, non tamen quantum ad dominium communitatis, in quo dominio communicat ſicut pars communitatis; & tali dominio & juri non renuntiat per votum paupertatis.

Diſtinguitur de voto in natura lapſa impeccabili.

Oſtenditur jus utendi importare perfectionem in natura impeccabili.

Ad ſecundum quod jus utendi pro libito ipſis rebus temporalibus importat perfectionem ſimpliciter in omni natura & in omni ſtatu, in quo utens non poteſt deficere nec errare, ſicut eſt natura divina & natura humana in ſtatu beatorum; & quia humanitas Chriſti aſſumpta a Verbo non poterat errare, idcirco ſine imperfectione ſua habuit plenum jus utendi omnibus pro libito voluntatis; ſimpliciter dico,

quia



quia uti, de facto quibuſlibet eſt perfectionis in natura, quæ non poteſt errare, nec male velle; ſicut fuit ſtatus humanæ naturæ aſſumptæ a Verbo: unde dico, quod Chriſtus quantum voluit uſus fuit. Verum eſt, quod paucis uti voluit propter noſtrum exemplum & noſtram redemptionem, propter quam voluit habere uſum valde pauperem. Et infra.

XLIV.

Et quia omnia facta ſunt propter hominem, & homo eſt dominus omnium naturaliter, poſſet dici, quod Chriſtus ſecundum humanitatem, ſecundum quam eſt caput hominum, ipſe eſt verus dominus omnium corporalium. Iſto modo videtur arguere expreſſe Apoſtolus Epheſ. I. Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ejus; ubi gloſſa Ambroſii: Sub pedibus ejus, id eſt ſub humanitate ejus, quæ ſignificatur per pedes: quia ſicut pes eſt pars inferior corporis, ita in Chriſto inferior pars eſt humanitas, quam angeli adorant: & ipſi Chriſto hæc omnia ſubſunt. Hoc gloſſa. Et infra circa medium ejuſdem verſus dicit idem.

Stabilitur dominium Chriſti ex eo quod ſit caput hominum.

Quarto principaliter probatur eadem concluſio ſic, & eſt ratio particularis quantum ad quædam bona, quæ habuit non a conceptione, ſed quaſi a nativitate. Et infra: Probatur quod Chriſtus habuit verum jus quantum ad uſum in omnibus, quæ comedit & bibit ab inſtanti ſuæ nativitatis uſque ad mortem, & arguo primo ſic. Quicumque facit aliquid juſte, habet jus faciendi illud; & quicumque habet aliquid juſte, habet jus habendi illud: hoc patet per locum a conjugatis, & contrarium videtur implicare contradictionem, ſcilicet quod aliquis faciat aliquid juſte, & tamen non habeat jus faciendi. Sed Chriſtus juſte comedit & bibit, & juſte uſus eſt cibo & potu, & aliis neceſſariis ad ſuſtentandam vitam humanam, quia omnia habuit dono expreſſo vel tacito, vel alio juſto titulo. Ergo habuit jus habendi, & jus utendi, comedendo vel bibendo. Probatur: Juſtum & injuſtum ſunt privative oppoſita circa actum humanum ſaltem deliberatum. Ergo ſecundum legem privativæ oppoſitionis omnis actus Chriſti ſaltem deliberatus fuit juſtus vel injuſtus. Sed actus comedendi & bibendi in Chriſto fuit actus deliberatus: & non fuit injuſtus, ergo juſtus; & ſi juſtus, ergo habuit jus utendi cibo & potu, aliter eſſet dare concretum ſine abſtracto, & effectum formalem ſine forma, quod eſt impoſſibile: quia ſicut nulla potentia poteſt fieri, quod aliquid ſit album ſine albedine, ita nullo modo poteſt fieri, quod aliquid ſit juſtum ſine juſtitia & jure. Probatur, ſi Chriſtus comedit, & non habuit aliquod jus in cibo, nec quantum ad proprietatem nec quantum ad uſum, uſus Chriſti & comeſtio non

Probatur habuiſſe jus quantum ad uſum.

Ex actibus juſtis.

differebat ab uſu latronum; quia & illi utuntur de facto comedendo cibum furatum omnino ſine jure. Et infra.

XLV. Concluſio quod in quantum homo jus verum habuerit.

Secunda concluſio eſt, quod præter dominium infuſum ab inſtanti conceptionis reſpectu omnium creaturarum, Chriſtus in quantum homo, & ratione ſuæ individualis naturæ acquiſivit verum jus & dominium in quibuſdam rebus ſibi collatis ex fidelium collatione & ſua acceptatione: quod probo VI. mediis.

Primo quia non plus repugnat dominium acquiſitum aliquarum rerum dominio infuſo omnium creaturarum ab inſtanti conceptionis Chriſti, quam ſcientia experimentalis acquiſita rerum temporalium repugnat ſcientiæ omnium naturalium & gratuitorum, vel ſupernaturalium infuſæ animæ Chriſti a principio ſuæ creationis. Sed animæ Chriſti fuit a Deo infuſa ſcientia omnium naturalium & ſupernaturalium a principio ſuæ creationis & conceptionis; & hoc non obſtante Chriſtus præterea acquiſivit lumine intellectus agentis ſcientiam experimentalem rerum naturalium, ſicut dicit Thomas par. ult. q. XII. art. II. juxta illud Lucæ II. Jeſus proficiebat ſapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines. Ergo ſimili cauſa dominio ſibi infuſo ab inſtanti ſuæ conceptionis reſpectu omnium creaturarum, potuit & debuit ſtare dominium de novo ſibi acquiſitum per modum naturalem & communem proceſſu temporis in rebus a devotis & fidelibus collatis.

Ex juſta acquiſitione per modum naturalem.

Per donationem piorum.

Secundo cuicumque acquiritur aliquod novum jus in uſu rei, quæ totaliter conſumitur ipſo uſu, eidem competit jus & dominium in proprietate. Sed Chriſtus in quantum homo in rebus ſibi a fidelibus collatis, puta in cibo & potu, collatis ſibi a Martha & Zachæo & cæteris, acquiſivit verum jus & novum modum dominii utendi illo cibo ſibi dato; alias non plus nec magis licuiſſet comedere cibum datum, quam non datum. Ergo tunc acquiſivit novum jus & novum modum dominii in tali proprietate.

Confirmatur.

Tertio quia ſi Chriſtus non acquiſiviſſet aliquod novum jus, vel novum dominium in rebus ſibi de novo collatis, hoc fuiſſet aut quia donantes non potuiſſent jus ſuum dare, aut quia Chriſtus non potuiſſet recipere: primum non poteſt fingi, ex quo illi erant veri domini rerum collatarum: ſecundum etiam non poteſt dari, quia ſi Chriſtus in quantum homo non potuiſſet recipere novum jus rerum donatarum, hoc fuiſſet aut ratione divinæ naturæ, cui uniebatur; aut ratione pleni dominii omnium jam infuſi a conceptione, cum quo forſan non poſſet ſtare novum dominium particulare; aut ratione alicujus paupertatis & abdicationis dominii. Non propter primum, quia humana natura unita deitati retinuit

omnes

omnes proprietates & conditiones humanas, præter defectus innaturales, & defectibiles paſſiones ſecundum Damaſcenum. Nec etiam obſiſtit, quod licet unus & idem non poſſit habere in eadem re plura dominia ejuſdem rationis, tam plura dominia diverſarum rationum & diſtincta talia jura poteſt acquirere, & ſimul habere: ſicut dominium altum & dominium baſſum, directum, & utile; dominium autem humanitati Chriſti infuſum in conceptione, & dominium poſtea acquiſitum ex tempore in rebus collatis non eſt ejuſdem rationis, nec modi: ſicut nec ſcientia Chriſto infuſa cum ſcientia acquiſita experimentali. Et infra.

Quarto, quia datio & receptio dicuntur relative, & mutuo ſe reſpiciunt; quia non poteſt eſſe datio niſi ubi eſt receptio, & quantum donans dat, tantum recipiens recipit. Sed dantes Chriſto bona ſua dando privabant ſe & ſpoliabant jure & dominio, quod habebant in rebus datis: aliter non fuiſſet verum donum, ſed fictum. Ergo Chriſtus, recipiendo eorum dona, illud jus & dominium ſibi acquirebat.

XLVI. Probatur habuiſſe verum dominium per poteſtatem judiciariam.

Quinto ſic arguo. Primo præmitto duo: primum eſt, quod poteſtas judicandi, eſt poteſtas jure dominii; quia nulli competit judicare jure proprio niſi ſoli domino, juxta illud I. Cor. IV. qui autem judicat me Dominus eſt, & ad Rom. XIV. Tu quis es, qui judicas ſervum alienum? ſecundo præmitto, quod meritum de condigno innititur juri & juſtitiæ, & non ſolum liberalitati & gratiæ donantis: verum quicumque meretur de condigno, merendo acquirit novum jus in præmio, quod meretur. Ex his arguo. Quicumque meretur de condigno judiciariam poteſtatem, merendo acquirit novum jus & verum dominium ſuper judicandos. Sed Chriſtus in quantum homo meruit ſibi per paſſionem poteſtatem judicandi vivos & mortuos, ſicut Thomas declarat part. ult. q. XIX. art. V. & illam judiciariam poteſtatem Chriſtus meruit ab inſtanti ſuæ conceptionis. Ergo Chriſtus ſuper omnes judicandos ex parte ſua, verum jus & verum dominium acquiſivit. Ergo ſicut Chriſtus in quantum Deus eſt verus dominus omnium creaturarum, jure tamen & dominio increato; ita Chriſtus in quantum homo eſt verus dominus omnium creaturarum, jure tamen & dominio infuſo & creato, ſicut patet ex prima quæſtione principali. Sed non obſtante dominio increato rerum omnium, res dedicatæ & oblatæ ſunt Dei ſpecialiter & Deo ſubjectæ jure ſpeciali dedicationis & oblationis juxta c. extr. Ingredientes monaſteria ſe & ſua Deo dedicant. Ergo a ſimili res Chriſto homini, & in quantum homo collatæ & oblatæ erant Chriſti duplici jure, jure generalis dominii creati & infuſi a principio ſuæ conceptionis & jure ſpecialis dominii ſibi acquiſiti tempore collationis, & receptionis talium donorum. Et poteſt confirmari, quia ſicut Salomon habuit forte duplex jus in regno Jeruſalem, unum ex divina promiſſione & electione pſ. LXXXVIII. ſecundum ex patris ſui Davidis collatione & ſucceſſione III. Reg. I. & ſicut filii Iſrael in exitu de Ægypto habuerunt duplex jus in ſpoliis Ægyptiorum, ſaltem quamdiu fuerunt in Ægypto, unum ex Ægyptiorum accommodatione, aliud ex divina collatione; propter quod excuſantur a furto, quia aſportaverunt eas ſecum, ſicut patet exod. XII. ſic Chriſtus in quantum homo habuit & habere potuit duplex jus & duplex dominium, diverſarum tamen rationum in rebus ſibi a devotis collatis: unum ſibi a Deo infuſum in conceptione, commune aliud, poſtea acquiſitum ex fidelium collatione & ſua acceptione.

Et confirmatur auctoritatibus ſcripturæ, quod Chriſtus fuit verus dominus rerum ſibi collatarum. Primo per illud quod ſcribitur Jo. XII. Maria unxit pedes Jeſu; ſequitur? Dixit ergo unus ex diſcipulis ſuis Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non venditur trecentis denariis, & datum eſt egenis. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertineret ad eum; ſed quia fur erat, & loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat. Gloſſa interlinearis ſuper illud: Et loculos habens; Domini loculorum cuſtos. Ergo dominus habebat loculos illos, & contenta quæ in loculos mittebantur, quorum Judas ſolus erat cuſtos. Item alia gloſſa marginalis: Non pertinebat ad eum de egenis quantum ad intentionem ſuam, quia non curabat de eis, non quin commiſſum eſſet ei diſpenſare pauperibus. Ergo Chriſtus commiſerat diſpenſationem illarum pecuniarum Judæ. Sed diſpenſationem pecuniæ nullus poteſt alteri committere, niſi ille, qui habet jus in pecunia. Secundo: Eſt dominus pecuniæ. Ergo Chriſtus habuit jus & fuit verus dominus pecuniæ. Secundo probatur idem per illud quod ſcribitur Joannis XII. quando poſt buccellam introivit in eum ſathanas, dixit ei Jeſus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium ad quid dixerit ei: quidam autem putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixiſſet ei Jeſus: Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis aliquid daret. Auguſtinus, ut habetur in glo. Tho. Habebat ergo & Dominus loculos, & a fidelibus oblata conſervans, ſuorum neceſſitatibus & aliis indigentibus tribuebat. XLVII. Argumenta ex ſacris oraculis quæſita.

Ad hoc reſpondetur, nempe ab adverſariis, juxta decretalem, Exiit, quod Chriſtus loculos habuit non quantum ad ſtatum Apoſtolicum, quem aſſumpſit, qui fuit ſtatus ſummæ perfectionis, in quo nihil habuit nec in proprio nec in communi; ſed XLVIII. Adverſariorum eluſio.





Chriſtus interdum condeſcendit infirmis, & tunc loculos habuit. Et hoc videtur expreſſe dicere quædam gloſſa marginalis Jo. XII. ſuper illud, Et loculos habens. Cui angeli miniſtrabant, loculos habebat in ſumptus pauperum, condeſcendens infirmis. Ad iſtud dicendum, quod iſta reſponſio non interimit quæſtionem noſtram, ſed magis confirmat; quia dat rationem & cauſam, quare Chriſtus habere voluit loculos: certum eſt enim quod ille, qui habet loculos & pecuniam propter infirmos & pauperes, vere habet loculos, & vere habet pecuniam, & poteſt habere verum jus habendi & dominium, ſicut patet de hoſpitalibus & de domo Dei: conſtat enim quod domus non habet pecunias, nec aliqua bona temporalia, niſi propter infirmos & pauperes; & cum hoc ſtat, quod domus Dei habet verum jus & dominium in his, quæ poſſidet propter ſublevationem pauperum. Solum ergo cauſa redditur in iſta gloſſa & per ſimiles auctoritates, quare Chriſtus habuit loculos & pecuniam: certe propter infirmitatem & imperfectionem Apoſtolorum & diſcipulorum ſequentium Chriſtum; tanta eſt enim infirmitas & debilitas humanæ naturæ, ut non poſſit præſentem vitam tranſire abſque cibo & potu & quibuſdam aliis neceſſariis, quæ non ſufficienter interdum ſine pecuniis habentur. Item propter eorum infirmitatem perſonalem, qui poſtquam viderant multa miracula, adhuc dubitabant de Chriſto, & omnes in paſſione dubitaverunt; unde dicit eis Jeſus Luc. XII. Nolite timere puſillus grex. Et Matth. XXVI. dixit Petro: Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Et ideo propter iſtam duplicem infirmitatem Apoſtolorum & diſcipulorum, & ſcilicet infirmitatem humanæ naturæ, & infirmitatem perſonalem eorum, qui fuerunt valde duri ad credendum, & timidi ad mala toleranda, ſcilicet paupertatem, &c. quia ſtatim credebant deficere: Chriſtus condeſcendens eorum infirmitati & imperfectioni, ſtatuendo ſtatum perfectum apoſtolicum, voluit habere loculos & bona mobilia in communi, ſicut magis patebit in ſecunda quæſtione.

Diſcutitur.

Ut habuerit Chriſtus loculos propter infirmitatem.

XLIX. Concluditur Chriſtum non uſum dominio niſi in paucis.

Tertia concluſio eſt, quod licet Chriſtus ſecundum quod homo habuit verum jus & verum dominium a Deo ſibi in conceptione infuſum rerum omnium creatarum; iſto tamen dominio nunquam fuit uſus quantum ad res immobiles, nec habuit dominii executionem rerum immobilium niſi ſicut & quantum unus extraneus poſſet uti; dominio autem aliquarum rerum mobilium fuit uſus, ſed paucarum & parce valde propter noſtrum exemplum.

Deſcribitur maxima ejus paupertas.

Prima pars hujus concluſionis, ſcilicet quod non habuit uſum, nec executionem dominii quoad immobilia, patet, quia Matth. VIII. dicitur: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet. Sed qui non habet ubi reclinet caput, non habet aliquem locum, nec per conſequens aliquam rem immobilem. Ergo, &c. Unde glo. Hieronymi ſuper prædicta auctoritate: Quid me propter divitias & ſæculi lucra cupis ſequi, cum tantæ ſim paupertatis, quod nec hoſpitiolum quidem habeam, & tecto utar non meo? Et Chryſoſtomus ſuper eodem verbo Lucæ q. in glo. Tho. Aſpice qualiter paupertatem, quam Dominus docuerat, per opera demonſtrat. Non erat ei menſa, non candelabrum, nec quidquam talium. Primum autem, quod homines conſueverunt acquirere communiter inter res immobiles, eſt domus: quare, &c. Eſt tamen advertendum, quod non uti de facto bonis temporalibus maxime immobilibus, nec quantum ad proprietatem nec quantum ad uſum non minuit verum dominium, nec tollit jus utendi; quia conſtat quod filius parvulus poſthumus mortuo patre ſuo habet verum & plenum dominium, & verum jus in omnibus patris defuncti, quia ſi filius & heres, & hoc tam in proprietate, quam in uſufructu, & uſu; & tamen parvulus heres non poteſt habere executionem ſui dominii, nec uti ſuo jure. Iſto modo loquitur Apoſtolus Gal. IV. Quanto tempore heres parvulus eſt, nihil differt a ſervo, cum ſit dominus omnium. Chriſtus igitur noluit uti dominio rerum immobilium propter noſtrum exemplum, ut retraheret homines ab affectione & amore inordinato mundi: rebus enim temporalibus uti parce eſt ædificatio videntium; ideo pauper uſus docuit Chriſti perfectionem: ſed dominium & ejus privatio ſeu carentia eſt res inviſibilis, & per conſequens non eſt materia ædificationis; ideo non oportuit Chriſtum habere paupertatem dominii, ſicut pauperem uſum, & uſus paupertatem. Diſtinctio inter dominium & executionem dominii.

Secunda vero pars quæſtionis, ſcilicet quod Chriſtus fuerit uſus jure & dominio aliquarum rerum mobilium quantum ad uſum & proprietatem ſimul, interdum vero quantum ad uſum tantum ſine proprietatis conſumptione. Probatur Primo per illud Matth. XXI. Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & invenietis aſinam alligatam, &c. Sequitur: Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet. Ecce quia Dominus uſus fuit re quantum ad uſum ſolum abſque conſumptione proprietatis. Item interdum fuit Chriſtus uſus dominio mobilium quantum ad uſum & proprietatem ſimul, quia conſtat quod Chriſtus comedit & bibit. Sed in cibo & potu, ſumptis nimirum in actu ſecundo, uſus non differt a proprietate: immo uti cibo & potu eſt totalis conſumptio proprietatis eorum. Ergo ſi Chriſtus fuit uſus jure ſuo quantum ad uſum, uſus etiam fuit in talibus jure proprietatis: &

ſic habuit executionem dominii quantum ad uſum, & habuit quantum ad proprietatem. Ex iſtis omnibus patet, quod Chriſtus habuit verum dominium rerum ſibi collatarum a fidelibus; ex triplici vero jure: ipſe namque fuit verus dominus jure divino, & increato, ſicut omnium creaturarum. Secundo fuit dominus jure humano & creato infuſo ſibi ab inſtanti conceptionis. Tertio fuit dominus jure creato & particulari acquiſito ex collatione devotorum, & ſua acceptatione. Sed contra iſtas tres concluſiones obiicitur quinque mediis poſitis in principio quæſtionis.

L. Concluſio Apoſtolos habuiſſe aliqua mobilia ante paſſionem.

Secundo principaliter circa Apoſtolos & diſcipulos pono duas concluſiones. Prima eſt, quod ante Chriſti paſſionem habuerunt cum Chriſto aliqua bona mobilia in communi quantum ad proprietatem. Secunda concluſio eſt, quod poſt paſſionem Chriſti ipſi Apoſtoli & diſcipuli habuerunt aliqua in communi, quorum fuerunt veri domini quantum ad proprietatem & uſum.

Prima concluſio probatur quinque modis. Primo ſic: Decimæ, accipiendo eas non pro decima parte determinate ſecundum quædam determinata, ſed accipiendo decimam pro neceſſaria & decenti ſuſtentatione miniſtrorum eccleſiæ; talis, inquam, decima ſecundum omnes theologos & juriſtas debetur ſolis miniſtris eccleſiæ de jure divino & naturali, ut patet extra de decimis in multis capitulis, in quibus dicitur, quod de jure divino debetur. Sed veri miniſtri eccleſiæ primitivæ fundatæ per Chriſtum fuerunt Chriſtus & Apoſtoli

Probatur.

& etiam diſcipuli, Chriſtus ſicut ſummus Pontifex, Apoſtoli vero ut epiſcopi, diſcipuli autem tanquam veri curati, & nullus alius fuit verus miniſter eccleſiæ, maxime ex quo legalia ceſſaverunt & fuerunt mortifera. Ergo ipſis tanquam veris & ſolis miniſtris eccleſiæ debebantur jure divino & naturali decimæ fidelium, & neceſſaria vitæ ſuæ. Sed ille, cui aliquid debetur jure naturali & divino, habet verum jus & verum dominium in illo; quare, &c. Et confirmatur iſta prima ratio per Auguſtinum lib. de opere Monachorum, & habetur in gloſ. I. Corinth. IX. ſuper illo verbo: Nunquid non habemus poteſtatem manducandi, &c. Evangeliſtis & miniſtris Dei a plebibus neceſſaria debentur: & ſi quis eo, quod ſibi debetur, uti non vult, amplius eccleſiæ impendit; ſicut Paulus, qui exigendo ſtipendium debitum, quotidianum victum ſuis laboribus continue tranſigebat. Sequitur: Hoc apparet non eſſe juſſa illa, ſed permiſſa, ut quiſquis uti vellet, eo uteretur quod ſibi liceret, & ex Domini conſtitutione: Si quis autem uti nollet, non contra juſſum faceret; ſed de ſuo jure cederet miſericors converſatus in evangelio, in quo & debitam mercedem nollet accipere. Sed de ſuo jure cedere non poteſt qui non habet verum jus. Ergo Apoſtoli verum jus habuerunt. Item debita merces & debita ſtipendia ſonant jus & dominium illius, cui debentur. Ergo, &c.

LI. Confirmatur ex jure naturali in res quæ ſub nullius dominio ſunt.

Secundo Matth. IV. dicitur, quod Chriſtus, qui non habuit unde ſolveret tributum in Capharnaum, dixit Petro: Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies ſtaterem: illum ſumens da eis, ſcilicet tributariis, pro me & pro te. Tum arguo ſic: Illud quod competit homini jure politico & jure naturali, competit viris Apoſtolicis abſque præjudicio ſui ſtatus: hoc patet, quia ext. Exiit, dicitur quod in articulo extremæ neceſſitatis vitæ politica omnia ſunt illis viris apoſtolicis communia. Sed res vagæ, quæ ſub nullius dominio ſunt, jure naturali, & divino competunt occupantibus & capientibus: unde & Philoſophus etiam I. politic. c. VI. dicit, quod prædativa ferarum, avium cæli, piſcium maris eſt naturalis: Talis, inquit, acquiſitio ab ipſa videtur natura data hominibus ſicut ſecundum primam generationem mox fit & ſecundum perfectam. In jure etiam dicitur, quod illud, quod ſub nullius dominio continetur; occupanti conceditur; unde piſces piſcati in mari, & gemmæ, & theſaurum inventa in profundo maris jure naturali competunt invenientibus. Sed Chriſtus cepit piſcem & ſtaterem in mari. Ergo ille piſcis & ſtater fuerunt Chriſti & Petri jure naturali. Ergo ipſi habuerunt in eis verum jus & verum dominium in proprietate & uſu. Tertio Joan. X. cap. dicitur, quod quando Jeſus cum Samaritana juxta fontem loquebatur, quod diſcipuli ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent. Quæro, quis portabat pecuniam illam, & cujus erat, & cujus erant illi cibi empti? Aut Chriſti, aut collegii diſcipulorum, aut aliena? Si ſua, habeo propoſitum. Si aliena, non licebat eis comedere nec emere de alieno. Apoſtoli autem quandoque emebant ſicut hujuſmodi, aliquando vendebant. Act. IV. Joſeph, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis, cum haberet agrum, vendidit eum. Et de Paulo Act. XX. & ad Theſſalon. dicitur, quod ipſe operabatur manibus ſuis, & de pretio vivebat:

Ex actibus emptionis & venditionis.

emere autem & vendere ſunt actus veri dominii, & nulli alteri competunt jure proprio & auctoritate. Et ſi dicatur: Apoſtoli emebant & vendebant jure alieno, ut procuratores vel diſpenſatores tantum, & non ut domini; cum non legatur procuratio iſta, nec quis conſtituerit eos procuratores aut quorum, eadem facilitate contemnitur: quod probatur, quia certum eſt, quod illos cibos emptos in ſuam utilitatem & commodum comedendo regulariter convertebant, & non in utilitatem domini cujuſcumque, cujus poſſent dici procuratores.

Quar-



Quarto quia dicitur ſuper illo verbo Joannis XXIII. quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, &c. dicit gloſſa Auguſtini: Chriſtus loculos habebat, in quibus oblata conſervabantur ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus: in quo datur forma eccleſiæ, ſervari neceſſaria, qua jubetur non cogitare de craſtino, ne pro terrenis ſerviant aut timore inopiæ juſtitiam deſerant. Et alibi dicit Auguſtinus, & habetur XII. q. I. quod in iſtis loculis primum eccleſiaſticæ pecuniæ forma inſtituta eſt. Auctoritates planæ ſunt cap. XII. q. I. Et infra.

LII. Concluſio Apoſtolos poſt paſſionem poſſediſſe aliqua in communi.

Secunda concluſio eſt, quod poſt paſſionem & aſcenſionem Chriſti Apoſtoli inter ſe habuerunt aliqua bona immobilia in communi: quod probo multipliciter. Primo quia Actor. II. dicitur: Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebantur illa omnibus, prout cuique opus erat. Item cap. IV. Nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Sequitur: Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat; unde glo. Reſpondetur, quod prædicti textus non loquuntur de Apoſtolis, ſed expreſſe loquuntur de tota turba fidelium tunc converſorum in Judæa, quorum erant omnia communia in eccleſia primitiva. Sed iſtud non videtur, quia certum eſt, quod textus expreſſe loquitur tam de Apoſtolis, quam de quibuſcumque aliis, tunc de novo converſis in Judæa; unde dicit: Omnes, qui credebant, &c. unde omnes Apoſtoli & cæteri fideles converſi apud Judæam omnia ſimul poſſidebant in communi: quod forte erat & propter converſorum paucitatem, & propter fidei fervorem. Et iſtum ritum ſervabant uſque ad tempus Conſtantini, ſicut videtur dicere decretum XII. q. I. Non ita alii ſenſere, ſed tantummodo apud Judæos converſos, qui divino amore inarſerant, initio omnia fuiſſe communia: non autem poſtea, cum aucta eſt eccleſia numero populorum: nec apud converſos ex gentibus, ut graviſſime Joannes XXII. in ſuo commentario (a) docet. Et quod dicta auctoritas intelligi debeat non ſolum de turba, ſed & de Apoſtolis, patet ex hoc, quod ibi dicitur, quod omnes, qui credebant, pariter erant, & erant illis omnia communia. Tantum ergo de diſtributione ly omnia communia, quantum ly omnes credebant, contraponitur. Sed ly omnes credebant, diſtribuit non ſolum pro turbis, ſed etiam pro diſcipulis; quia omnes pariter credebant. Ergo ly omnia communia, debet diſtribuere non ſolum pro turbis, ſed etiam pro diſcipulis omnibus. Nec prædicta gloſſa negat de diſcipulis, ſed ſpecialiter affirmat de turbis, quia de eis minus videbatur.

LIII. Probatur ex lucro ipſorum juſto.

Secundo; conſtat ex diverſis locis ſcripturæ, quod beatus Paulus operabatur manibus propriis, & de hoc vivebat, ne gravaret illos, quibus prædicabat. Sic habetur I. Theſſal. II. & II. Theſſ. III. Item Act. XX. Ad ea, quæ mihi opus erant. Illa opera, quæ Paulus vendebat, aut ſua propria, aut communia Apoſtolorum, aut alterius. Non propria ſecundum omnes. Ergo communia Apoſtolorum, quia non bene poteſt fingi cujus alterius eſſent. Idem poſſet argui de pretio illorum operum: Idem de membranis Pauli. Cujus erant? ſicut prius.

Tertio: Jo. XXI. dicitur, quod poſt reſurrectionem Chriſti Petrus & quidam alii diſcipuli redierunt ad piſcationem ſuam & ſolus Petrus traxit rete in terram plenum magnis piſcibus; ubi quæro: Cujus erat jus & dominium illorum piſcium, quos ceperunt, & poſtea comederunt, & forte partem vendiderunt? Non poteſt dici nec fingi, quod alicujus alterius, quam Apoſtolorum, qui piſcati fuerant; quia piſces exiſtentes in mari ſub nullius dominio continentur: & ideo Philoſophus I. politic. cap. VI. dicit, quod prædativa piſcium maris, & ferarum, & avium cœli competunt homini jure naturali. Ergo iſti piſces fuerunt Apoſtolorum.

Ex juſto uſu rerum conſumptibilium.

Quarto: Apoſtoli comederunt & biberunt poſt reſurrectionem Domini, & juſte ſine injuria cujuſquam. Ergo habuerunt jus in uſu ſaltem illius cibi & potus; quia dicere quod aliquid ſit juſtum, & non ſit ibi jus, ſeu juſtitia, eſt contradictio; ſic ut dicere, quod aliquid ſit album, & non ſit ibi albedo: effectus enim formalis ac forma ſunt idem, unde ſicut album ad albedinem, ita juſtum ad jus vel juſtitiam. Ergo ſi Apoſtoli juſte comederunt, aliquod jus & aliquam juſtitiam in cibo illo habuerunt, ſaltem in uſu: & ſi in uſu, ergo & in proprietate, quia in talibus non differt uſus a proprietate.

Ex ſanctorum diſciplina monaſtica.

Quinto: de Auguſtino legitur in eccleſia quod factus presbyter monaſterium clericorum, id eſt canonicorum regularium mox inſtituit, & cœpit vivere ſecundum regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam. Sed conſtat, quod canonici regulares ſecundum regulam Auguſtini habent in communi multa bona, quorum habent plenum jus & dominium vendendi, diſtrahendi, & alienandi. Ergo & Apoſtoli habuerunt, ſecundum quorum regulam fuerunt inſtituti, vel B. Auguſtinus neſcivit regulam apoſtolicam.

Sexto: Gregorius qui fuit monachus, & cæteri ſancti inſtituerunt monaſteria & cœnobia habentium poſſeſſiones in communi,

vel

(a) Jo. in conſtitutione Quia vir reprobus.

vel non ſervarunt perfectionem apoſtolicam, & vitam Chriſti & Apoſtolorum, vel Apoſtoli habuerunt aliquid in communi ſicut & ipſi.

LIV. Reſpondetur ad adverſar. obiectiones.

Contra duas iſtas concluſiones obiicitur quatuor mediis in principio quæſtionis. 

Ad primam.

Ad primum ergo, quod obiicitur in contrarium de Chriſto, quia Matth. VIII. dicitur: Vulpes foveas habent, &c. dicendum videtur primo, quod ad literam Chriſtus ibi loquitur non de ubi locali terrenæ poſſeſſionis; ſed ubi accipit ibi pro conſcientia cujuſdam ſcribæ elati & cupidi, qui doloſe & fraudulenter dixerat Chriſto: Magiſter ſequar te quocumque ieris; non intendens ſequi eum amore fidei aut doctrinæ, ſed doloſe cupiens alloquendo eum addiſcere facere miracula, ſicut Chriſtus faciebat; & ex hoc cupiebat lucrari pecunias, & favores. 

Reſpondetur 1.

Et Chriſtus, reſpondens illi ſcribæ, dixit: Vulpes, id eſt, doloſitates & avaritiæ, & aves cæli, id eſt, vanitates & ſuperbiæ habent locum in conſcientia tua: filius autem hominis, id eſt, Chriſtus, non poteſt per gratiam in tali conſcientia habitare, nec ibi ubi caput reclinet habere. Non ergo loquitur Chriſtus ad literam de ubi locali & terrenæ poſſeſſionis, ſed de ubi mentali & ſpirituali illius peccatoris. Et infra: 

Reſpondetur 2.

Secundo dicendum ad iſtam auctoritatem & vere ad omnes alias conſequentes, quod omnes peccant per fallaciam conſequentis, arguendo a ſuperiori ad inferius negative, & a particulari ad univerſale negative, in quo caſu eſt fallacia conſequentis; ſicut ſi dicerem: Non eſt ſor, ergo non homo, iſto modo arguitur in propoſito dicendo: Non habuit Chriſtus ubi caput ſuum reclinet. Ergo nihil habuit; prædicta fallacia conſequentis ab inferiori ad ſuperius negative: poſito enim quod non habuit ubi reclinaret caput, potuit tamen habere pecuniam & multa alia mobilia. Firmior & illuſtrior eſt ſecunda hæc reſponſio, quam plures alii epiſcopi & doctores uſurparunt (a). Licet Chriſtus eo in loco domum non poſſideret, Nazarethi tamen & lectum, & domum pauperculam habere potuiſſe: & quamvis rerum immobilium dominium exercere noluerit, non colligi quin rerum uſu conſumptibilium dominio uteretur. Ad auctoritatem Hieronymi dicendum, quod Hieronymus ibi nihil negat habuiſſe Chriſtum niſi ſolum de domo, & tecto. Et ſi ex hoc inferatur, Ergo nihil habuit, eſt fallacia conſequentis, ut dictum eſt. 

(a) Ext. eorum tract. in cod. MS. Vat. ſign. n. 3740.

Chriſti ſententiam non eſſe genericam quoad omnia tempora & loca.

Ad auctoritatem Chryſoſtomi dicendum, quod Chryſoſtomus negat ſolum Chriſtum habuiſſe domum & utenſilia ſeu ſuppellectilia domus, ſcilicet menſam & candelabrum, &c. hujuſmodi; unde dicit; Nec aliquid talium, de aliis autem non negat: immo arguere eſſet fallacia conſequentis.

Ad ſecundam obiect.

Ad ſecundum dicendum dicitur primo, quod Hieronymus in illa gloſſa dicit, quod Chriſtus non habuit pro tunc unde ſolveret tributum, & nil plus negat; & ideo arguere, nihil habuit, eſt fallacia conſequentis, quia potuit habere multa alia: tributum enim & vectigal non ſolvitur niſi de pecunia monetata. Chriſtus autem, etſi tunc non habuit pecuniam, habuit tamen veſtes proprias, & potuit habere multa alia ſibi data. Secundo committitur eadem fallacia, dicendo: Chriſtus non habuit tunc unde ſolveret tributum. Ergo nunquam alias: quia frequenter multi divites non habent actu obolum, unde ſolvant tributum; qui tamen habent multa alia bona. Eſt autem ſciendum, quod ſicut habetur ex textu Joannis XIII. in loculis Judæ ad duo pecunia ponebatur, quia aliquando dabatur eleemoſyna Chriſto pro ſuis neceſſitatibus & ſui collegii, ſcilicet diſcipulorum; interdum vero dabatur ſibi pecunia per eum ſeu diſcipulos, & eorum arbitrio pauperibus, & Chriſtum ſequentibus; quod forte fiebat, ut ſecretius & prudentius diſtribueretur: ſicut & nunc diverſis religioſis pro prædictis duabus cauſis pecunia datur a devotis perſonis. Et propter hoc dicitur Jo. XIII. quod Chriſtus dixit Judæ: Quod facis fac citius; quaſi Chriſtus diceret ei. Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum; ſcilicet pro Chriſto & collegio, aut egenis ut aliquid daret. Et forte iſtæ pecuniæ reponebantur in diſtinctis loculis: & poſſibile erat, quod tunc Chriſtus non haberet aliquid in loculis Judæ de eis, quæ erant data ſibi pro ſuis neceſſitatibus & diſcipulorum; ſed ſolum de his, quæ erant data ad diſtribuendum cæteris pauperibus: & de illa pecunia noluit accipere ad ſolvendum tributum pro ſe & pro Petro: non quin poſſit licite recipere ſicut verus dominus rerum omnium pauperum; ſed in hoc dat exemplum nobis, ſicut dicit dicta gloſſa Hieronymi, ut res pauperum in noſtros uſus non convertamus.

Ad tertiam.

Ad tertium dicendum eſt, quod Dei Filius, quando noſtram ſubſtantiam induit, ad ſummam paupertatem pervenit, accipiendo paupertatem non ſolum materialiter & informem, quæ eſt mera privatio & carentia: ſed accipiendo paupertatem formatam per charitatem, quia ex maxima & ſuprema charitate paupertatem elegit.

Quæ ſit vera paupertas evangelica.

LV. Ad quartam.

Ad quartum dicendum dicitur primo, quod quando dicitur in decretali, quod illam paupertatem quæ eſt non habere nec in proprio nec in communi, Chriſtus verbo docuit, & exemplo firmavit; dico quod intelligendum eſt de paupertate, quæ eſt non habere in proprio nec in communi bona immobilia, quæ Chriſtus nunquam habuit nec in proprio nec in communi quantum ad dominium acquiſitum, ſicut patet ſupra in ſecunda quæſtione: ſed de bonis mobilibus

Solida decretalis interpretatio.

non



non eſt verum, quia Chriſtus habuit aliqua pauca in communi. Et videtur iſta ratio ita eſſe rationabilis de jure, ſicut illa, quam faciunt doctores juris, & Goffredus quolib. XI. q. IV. ſuper illo verbo Extr. Cum ad monaſterium: Abdicatio proprietatis & cuſtodia caſtitatis adeo ſunt annexa regulæ monachali, ut contra ea nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere; quod exponitur, non poteſt id eſt non debet; quia non poteſt, non dicit ibi impotentiam, ſed difficultatem. Secundo poteſt dici, quod hodie illa decretalis eſt abrogata per dominum Joannem Papam XXII. in illa decretali nova, Quia nonnunquam quod conjectura aliqua, &c. ibi enim dicitur, quod amodo liceat de his, quæ continentur in illa decretali, maxime de paupertate, de qua loquitur, diſputare & conferre propter aliqua dubia in hoc de novo ſuborta: ex quo videtur conſtitutio illa declarativa paupertatis Chriſti abrogata & revocata; non directe ſicut falſa, ſed tanquam dubia, & per conſequens non habet auctoritatem, nec firmitatem: aliqua enim conſtitutio declarativa poteſt abrogari dupliciter, uno modo, quia a conditore juris, qui putat id, quod prius declarabatur, eſſe verum; & poſtmodum diligenti inquiſitione præhabita invenitur, & pronuntiatur falſum: & iſto modo decretalis Exiit, nondum eſt abrogata, ſeu etiam revocata. Alio modo, quia id quod prius declaratum erat, poſtea per jus ſequens vertitur in dubium: & iſto modo decretalis, Exiit, eſt nunc revocata & abrogata per ſequentem decretalem domini Joannis, ſicut dictum eſt.

De ejus auctoritate.

LVI. * quintum Ad quintum.

Ad * ſextum dicendum, quod ſi illa ratio eſt bona, probat quod Chriſtus nunquam debuit comedere niſi panem & aquam, quia certum eſt, quod ſuperior gradus paupertatis & abſtinentiæ eſt non habere niſi panem & aquam, & ſolum eis veſci, quam habere panem & vinum, carnes & piſces. Ergo ſi Chriſtus debuit tenere ſupremum gradum paupertatis & abſtinentiæ, debuit tenere ſupremum gradum in utendo, ſicut & in poſſidendo: & per conſequens non debuit comedere niſi panem & aquam, ſicut fecerunt antiqui patres multi. Et paucis interjectis: Immo ſecundum hoc ſequeretur, quod Joannes Baptiſta, qui non comedebat niſi locuſtas & mel ſilveſtre, & induebatur pilis camelorum fuit perfectior ſimpliciter & perfectione eſſentiali, quæ ſecundum iſtos conſiſtit eſſentialiter in paupertate, quia Chriſtus comedit communiter panem & vinum & piſces & carnes, ſicut patet ex diverſis locis evangeliorum. Et ideo ipſe dicit Matth. XI. Venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini. Chriſtus non induebatur de pilis camelorum, ſicut Joannes; ſed habuit plures tunicas & unam inconſutilem, ut habetur Joann. XIX. Dicendum eſt nihilominus ad rationem, quod paupertas poteſt accipi dupliciter, uno modo materialiter, ſcilicet pro carentia & privatione rerum; & iſto modo poteſt eſſe virtus informis: alio modo, ut paupertas eſt virtus formata per charitatem. Chriſtus ſumme perfectus non oportuit, quod acciperet ſupremum gradum paupertatis primo modo ſumptæ, ſcilicet ut eſt virtus informis; ſed decuit eum ſumere ſupremum gradum paupertatis ſecundo modo ſumptæ, prout paupertas eſt virtus formata per charitatem, quod & fecit, quoniam ſuprema charitate pro nobis pauper fieri voluit: unde Chriſtus magis fuit pauper paupertate ſic formaliter ſumpta, quam Joannes Baptiſta, quia ex majori charitate: ſed Joannes fuit magis pauper paupertate materiali.

Diſtinctio paupertatis, ut virtus eſt informis, & ut formata.

Quomodo Chriſtus Joanne Baptiſta pauperior fuerit.

LVII. Ad argumen. Nolite poſſidere.

Ad quatuor rationes, quæ fiebant de Apoſtolis dicendum ad primam, quod in tota illa auctoritate: Nolite poſſidere, &c. nihil probibet Chriſtus diſcipulis ſuis, niſi rerum temporalium ſuperfluitatem, & inordinatam ſolicitudinem, ſicut patet in toto illo capitulo decimo per textum & gloſſam: Nolite ſoliciti eſſe, &c. Et ideo ſecundum veritatem nihil facit ad propoſitum. Si autem omnino dicatur, quod auctoritas eſt intelligenda ad literam, oportebit dicere, quod ſicut Apoſtoli habuerunt ex præcepto Chriſti & ex voto non habere aurum nec argentum; ita fuerit in præcepto & in voto non portare duas tunicas, nec portare calceamenta, nec portare virgam in via, quod falſum eſt; immo contrarium frequenter fecerunt Chriſtus & Apoſtoli. Et ſecundum hoc ſequitur, quod religioſi, qui reputant ſe tenere profeſſionem Apoſtolorum, non poſſent portare duas tunicas, vel calceamenta, neque virgam, vel ſi in iſtis admittunt ſenſum ſpiritualem & myſticum, eadem ratione debent admittere in hoc, quod dicitur: Nolite poſſidere aurum, &c. cum omnia illa verba ſub unico ſenſu & ſine interpoſitione quacumque contineantur in textu evangelii. Et quod prædicta auctoritas non ſit intelligenda ad literam, ſicut ſonant verba grammaticaliter, nec in toto nec in parte, ego probo ex hoc, quod omnia illa, quæ ibi perhibentur & præcipiuntur negative, alibi in evangeliis continentur affirmative, & de facto affirmative inveniuntur facta per Chriſtum & Apoſtolos. Verbi gratia: Nolite poſſidere aurum, &c. contrarium legitur de Chriſto Matt. II. quod Reges obtulerunt ei munera, aurum, thus, & mirrham; & diſtincte, dicit gloſſa, non Mariæ, nec Joſeph, ſed puero. Item: Neque peram; contrarium Luc. XXII. Quando miſi vos ſine ſacculo & pera, num-

Oſtenditur Chriſti ſententiam grammaticaliter non ſumendam.

quid

*quid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil. Dixit ergo eis : Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram. Item : Nec tunicas habeatis ; contrarium Jo.* XIX. *Chriſtus habuit plures tunicas, quia milites, qui crucifixerunt Chriſtum, diviſerunt veſtes in quatuor partes : tunicam autem inconſutilem non diviſerunt. Item : Neque calceamenta, contrarium Joannis* I. *Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti ejus, ſcilicet Chriſti : Item actorum* XII. *dixit Angelus Petro : Surge calcea te caligas tuas. Item Marc.* VI. *præcepit eis Chriſtus portare ſandalia in pedibus. Sed ſandalia epiſcoporum ſunt perfecta calceamenta. Item Epheſ.* VI. *dicitur de Apoſtolis : Calceati pedes in præparatione evangelii pacis. Neque virgam ; contrarium dicitur Marc.* VI. *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam. Nec pecuniam in zonis ; contra de loculis Judæ, quos portavit de mandato Chriſti, ut diſpenſator ejus. Item Jo.* IV. *Diſcipuli abierant in civitatem, ut cibos emerent ; non niſi de pecunia, quam portabant. Oportet ergo dicere propter iſta, quod illa auctoritas : Nolite poſſidere, &c. non eſt intelligenda grammaticaliter : ſed ad literam Chriſtus ibi probibet ſolam ſuperfluitatem & ſolicitudinem rerum temporalium, & permittit & præcipit temperatum & parcum uſum.*

De religioſorum paupertate.

*Ad tertiam & quartam dicendum, quod quicumque religioſus in quacumque probata religione ex voto ſuæ profeſſionis abrenuntiat omnibus, quæ poſſidet in proprio, & dat omnia, quæ habet pauperibus & collegio ſuo religioſo, quia omne collegium religioſum quodcumque collegium eſt vere pauperum, pro eo quia nullus eorum habet aliquid in proprio, licet totum collegium alias habeat multa bona temporalia in communi ; unde religioſi ſunt pauperes, quia nullus per ſe poteſt habere proprium in proprio, licet omnes in ſimul de uno collegio habeant proprium in communi : & ſic loquitur decretalis, quod ingredientes monaſteria ſe & ſua Deo dedicant. Ad quartam dicendum ad illud Chryſoſtomi : Nullus diſcipulorum pecunias afferebat, &c. dico quod verum eſt proprias ; ſed illæ mulieres, quæ ſequebantur Chriſtum, dabant Chriſto & diſcipulis ſuis pecunias : & tunc erant communes totius collegii, & de his nutriebantur.* Hactenus academia Pariſienſis.

LVIII. Editi ſunt in ea controverſia a pluribus aliis viris doctiſſimis inſignes commentarii, atque inter alios Herveus (*a*) magiſter ordinis Prædicatorum prolixum conſcripſit, e quo eam partem delibabimus, in qua adverſariorum argumenta ita confutat.

(*a*) *Ext. in Cod. MS. bibl. Vat. ſign.* 3740. *pag.* 195.

Herveus magiſt. ord. Præd. conſultus a Pont. Impugnat argumenta adverſariorum.

*Dicunt quidam, quod Chriſtus & Apoſtoli habuerunt res venientes in uſum vitæ humanæ quantum ad communem uſum, quantum ad quem dominus talium rerum poteſt uti eis, ſcilicet conſumendo, alienando, præcipue quantum ad res, quæ conſumuntur uſu ſuo : & hoc quantum ad nudum uſum facti, non autem quantum ad jus, quia Chriſtus & Apoſtoli non erant capaces illius juris. Et hoc declarant, quia ipſi erant obligati ad oppoſitum, ſcilicet ad non habendum tale, jus & voto & præcepto. Primum declarant per illud Matt.* XIX. *Ecce nos reliquimus omnia ; ubi dicunt, Apoſtolos renuntiaſſe voto omni juri in rebus temporalibus. Secundum declarant per illud Matt.* X. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, nec pecuniam in zonis veſtris : non peram in via, non duas tunicas, non calceamenta, nec virgam : dignus eſt enim operarius cibo ſuo. Ubi dicunt dominum interdixiſſe ſub præcepto Apoſtolis, ne haberent aliquod jus in rebus temporalibus. Hæc autem reſponſio videtur mihi multum irrationabilis, videlicet quod aliquis obligetur voto vel præcepto ad carendum jure in illis, quorum uſus eſt in præcepto. Sed uſus rerum temporalium, quantum ad neceſſaria vitæ, ſunt in præcepto. Ergo obligare ſe ad nullum jus, vel etiam præcipere quod nihil juris in talibus habeatur, ſatis videtur irrationabile. Et hoc patet dupliciter.*

Horum ſententiam pugnare cum ratione oſtendit.

Non ſtat carentia juris in re, cujus uſus eſt in præcepto.

*Primo quia ita ſit, ſicut ſupra dictum eſt, quod jus in talibus, ſive quantum ad uſum, ſive quantum ad ipſam ſubſtantiam rei, nihil aliud ſit, quam poteſtas utendi licite talibus ; ſequitur quod uſus talium ſine jure eſt illicitus. Sed præcipere quod homo careat eo, ſine quo uſus talium eſt illicitus, eſt præcipere quod careat totaliter uſu talium, vel quod exerceatur uſus iſtarum rerum illicite ; quorum utrumque eſt illicitum, & contra Domini præceptum. Ergo dicere, quod præcepto divino probibeatur aliquis ne jus habeat in talibus, eſt dicere quod Deus præcepit illicitum, & præcepto ſuo de ſuſtentatione vitæ contrarium.*

*Secundo quia ſecundum omnes jus in rebus temporalibus ordinatur ad uſum earum tamquam ad finem, & præcipue quantum ad uſum neceſſarium pro ſuſtentatione vitæ, ad quem quidem uſum homo obligatur præcepto divino. Sed nulla res habet ordinem per ſe loquendo ad aliquem finem niſi ſit tale, quod finis non poſſit haberi ſine eo, vel ſaltem non æque bene, aliter enim fruſtra ordinaretur ad finem. Ergo præceptum illud, quo præciperetur alicui carere jure in rebus temporalibus, eſſet præcipere carentiam illius, ſine quo uſus temporalium non poteſt vel ſimpliciter haberi, vel ſaltem æque bene : tale autem præceptum videtur irrationabile, videlicet præcipere finem, & præcipere carere eo, ſine quo finis vel ſimpliciter non poteſt haberi, vel ſaltem non æque bene. Et idem etiam ſequitur de voto, quod ſcilicet illud votum eſſet irrationale & illicitum, quo aliquis obligaret ſe ad carentiam illius, ſine quo uſus temporalium, & præcipue quantum ad hoc, quod eſt in præcepto, vel ſimpliciter non poſſet haberi, vel non æque bene : nec unquam Chriſtus fecit tale præceptum, ut dicunt iſti ; nec etiam aliquis Apoſtolus vovit tale votum. Quod autem dicitur Matt.* XIX. *Ecce nos reliquimus omnia ; intelligendum eſt quantum ad abdicationem temporalium in proprio, non autem quantum ad abdicationem totalem tam in proprio quam in communi. Et hoc eſt, quod habetur Act.* IV. *ubi dicitur : Nec quiſquam eorum quod poſſidebat, id ſuum eſſe dicebat : ſed erant illis omnia communia.* Et infra.



Non vovere Apoſtoli carentiam juris in uſu rerum.

Interpretatio text. *Ecce nos reliquimus omnia.*

LIX. *Sciendum quod multa talia de abjectione temporalium & parentum & aliorum amicorum carnalium dicuntur in evangelio, quæ intelligenda ſunt quantum ad præponendum Deum talibus ſecundum animi præparationem ; non autem intelliguntur quantum ad abiiciendum prædicta ſecundum effectum exteriorem. Verbigratia Luc.* XVI. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quod quidem non eſſe accipiendum, quod tales quantum ad naturam odiamus, qui præcipimur diligere inimicos, ſed ſecundum B. Ambroſium ſic intelligendum eſt, ut a Deo parentum amore non deſiſtamus ; ita ſcilicet, quod præponamus Dominum amori carnali parentum. Super illud Marc.* X. *Amen dico vobis, nemo eſt, qui reliquerit patrem, &c. dicit Theophil. Ea autem dicens, non innuit ut patres relinquamus, non adjuvantes eos ; nec ut ab uxoribus ſeparemur : ſed nos inſtruit præferre honorem Dei ſæcularibus.*

Verba *Nolite poſſidere*, ad tempus prædicationis contrahenda.

*Quod autem ſecundo adducunt illud Matt.* X. *Nolite poſſidere aurum, &c. non ſic accipiendum eſt, quaſi Dominus interdixerit eis ſimpliciter & univerſaliter habere quodcumque jus in rebus temporalibus : ſed hoc ideo dixit, quando miſit eos ad prædicandum, ut abſoluti ab omni cura temporalium, ne prædicatio impediretur, ſcirent ea eis deberi ab illis, quibus prædicaturi erant. Unde B. Hieronymus ſuper illud verbum : Dignus eſt enim operarius mercede ſua ; dicit ſic : Et quia quodammodo nudos & expeditos ad prædicandum Apoſtolos miſerat, & dura videbatur eſſe conditio magiſtrorum, ſeveritatem præcepti ſequenti ſententia temperavit, dicens : Dignus eſt operarius cibo ſuo ; quaſi diceret : Tantum accipite, quantum in victu & veſtitu neceſſarium vobis eſt. Unde Apoſtolus : Habentes victum & veſtitum, his contenti ſimus. Et alibi : Communicet is qui catechizatur, & qui ſe catechizat in omnibus bonis ; ut quibus diſcipuli ſeminant ſpiritualia, conſortes faciant eos carnalium ſuorum, non in avaritiam, ſed in neceſſitatem. Item Chryſoſtomus ſuper illud verbum dicit ſic : Deinde, ut non dicant Apoſtoli : Mendicantes ergo nos jubes vivere, & in hoc verecundarentur, monſtrat eis hoc debitum eſſe, operarios eos vocans, & quod datur, mercedem appellans. Item Auguſtinus ſuper illud verbum : Nolite poſſidere &c. dicit ſic : Vel aliter cum diceret Dominus : Nolite poſſidere aurum, &c. continuo ſubjecit : Dignus eſt operarius cibo ſuo. Unde ſatis oſtendit cur eos poſſidere hoc, aut ferre noluerit : non quod neceſſaria non ſint ſuſtentationi vitæ hujuſmodi, ſed quia ſic eos mittebat, ut eis hoc deberi demonſtraret ab illis, quibus evangelium credentibus annuntiarent, tanquam ſtipendia militantibus. Apparet autem hic non ita præcepiſſe Dominum, tanquam evangeliſtæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus, quibus annuntiant evangelium ; alioquin contra hoc præceptum fecit Paulus, qui victum de manuum ſuarum laboribus tranſigebat : ſed apparet poteſtatem dediſſe Dominum Apoſtolis, in qua ſcirent iſta ſibi deberi. Cum autem a Domino quid imperatur, niſi fiat, inobedientiæ culpa eſt : cum autem poteſtas, licet cuique non uti, & tanquam de ſuo jure recedere.*

Nec ſtricte accipienda demonſtratur ex Apoſtolo.

*Hoc ergo ordinans Dominus, quod qui evangelium annunciant, de evangelio vivant, illa Apoſtolis non loquebatur, ut ſecuri non poſſiderent, non portarent huic vitæ neceſſaria, nec magna nec minima ; ideo poſuit : Nec virgam ; oſtendens a fidelibus ſuis omnia deberi miniſtris ſuis, nulla ſuperflua requirentibus. Et ſi dicatur, quod id debitum, de quo loquuntur Chryſoſtomus & Auguſtinus, intelligatur quantum ad debitum gratitudinis, non autem quantum ad debitum juris ; non valet, quia & Chryſoſtomus dicit neceſſaria Apoſtolis debita ſicut mercedem operariis ; & Auguſtinus dicit neceſſaria eſſe debita Apoſtolis ſicut ſtipendia militantibus, & dicit etiam, quod Dominus dedit poteſtatem Apoſtolis in qua ſcirent iſta ſibi deberi. Sed tale debitum non dicit tantum debitum gratitudinis, ſed & juris, quod expreſſius infra oſtendit Auguſtinus dicens, quod Apoſtolus non utens tali poteſtate, recedebat a jure ſuo. Ergo talis poteſtas eſt poteſtas juris, & non tantum debitum gratitudinis.*

Vetitam ex iis curioſam affluentiam.

*Sciendum autem, quod habere aurum & argentum, vel conſimilia prohibuit Dominus Apoſtolis, non interdicendo eis univerſaliter quodcumque jus in rebus temporalibus, ſed propter alias cauſas, & ſpecialiter propter duas. Primo quia talia aliunde debebantur eis, ſcilicet ab eis quos docebant. Secunda ne haberent iſta ad ſuper-*

*perfluitatem, ſicut exponit B. Hieronymus.* Et infra: *Probatur ex cauſis, propter quas dicuntur Apoſtoli nihil juris habere in temporalibus, quia cauſa, quam allegant illi, qui aſſerunt Apoſtolos non habuiſſe tale jus, eſt quia carentia talis juris pertinet ad evangelicam perfectionem. Sed hoc eſt falſum, quia habere aliquid in communi non diminuit de perfectione perſonali, vel ſtatus. Ergo, &c.*

LX. Oſtenditur Apoſtolos verum jus habuiſſe in rebus.

*Et ex his etiam, quæ dicta ſunt in iſta quæſtione, non ſolum habere tale jus non diminuit de perfectione perſonæ vel ſtatus: immo oppoſitum videtur diminuere de perfectione vitæ quantum ad perſonas vel ſtatum; quia hoc eſſet carere eo, quod ordinatur ad uſum temporalium, ut ad finem, ſine quo vel finis non poſſet ſimpliciter haberi, vel æque bene: cum tamen ad talem finem, ſcilicet ad uſum temporalium quantum ad neceſſitatem vitæ teneamur ex præcepto divino. Idem probatur ex commutatione, quam faciebant Chriſtus & Apoſtoli. Vendebant aliqua, puta piſces, quos capiebant, & opera quæ manibus faciebant: quandoque etiam emebant aliqua pro pecunia, ſicut patet Jo. IV. & innuitur etiam Jo. XIII. Tunc ergo quæro: quando emebant, utrum pecunia, quam tribuebant venditoribus, tranſiret in jus venditorum, vel non? Si non; venditores nullum jus habebant in illa pecunia, quod eſt inconveniens, tum quia ipſi decipiebantur, nam ipſi intendebant habere jus in pecunia eis tradita, & ſic Apoſtoli erant deceptores; tum quia aliquod genus hominum præter Apoſtolos tenebatur tam ad perfectionem evangelicam, quam ad habendum nudum uſum facti ſine jure: nam illi venditores utebantur de facto illa pecunia eis tradita, & tamen ut ponitur, nullum jus habebant in ea.* Et infra: *Et ſic, ut mihi videtur, vel modicam apparentiam habet aſſertio illa, qua dicitur, quod Chriſtus & Apoſtoli non habuerunt, ſaltem vitæ neceſſaria, nullam habet exiſtentiam veritatis: nam omnes illæ auctoritates ſive ſint ſcripturæ ſacræ, ſive ſanctorum, in quibus videtur, quod Chriſtus eis talia interdixerit, vel quod ipſi eiſdem renunciaverint; intelligendæ ſunt vel quantum ad modum habendi, quod iſta ſcilicet non haberent in proprio, ſed in communi; vel quantum ad curam ſuperfluam providendi. Et ſi eſſent centum millia auctoritatum, non poteſt plus concludi ex ipſis.*

Falſum eſt Chriſtum & Apoſtolos dum gerebant perſonam perfectorum, nil habuiſſe.

*Ad primam ergo in oppoſitum,* nimirum ad decretalem, *in qua dicitur quod Chriſtus aſſumpſit aliquando perſonam infirmorum, ſicut quando habuit loculos, aliquando vero aſſumpſit perſonam perfectorum, ſicut quando nihil habuit in proprio vel communi, ergo ſecundum hoc nihil habere in proprio vel communi convenit Chriſto ſecundum quod aſſumpſit perſonam perfectorum; major eſt falſa ſimpliciter, quod videlicet Chriſtus & Apoſtoli in ſuo perfecto eſſe, vel quando gerebant perſonam perfectorum nihil habuerunt in proprio vel communi. Ad auctoritatem autem Baſilii, quæ inducitur contra hoc; dicendum quod paupertas extrema, quam tenuerunt Apoſtoli, & de qua loquitur Baſilius, non conſiſtit in nihil habendo penitus; ſed in non habendo ultra neceſſaria vitæ: alioquin nihil debuiſſent habere quantum ad uſum facti, nec quantum ad jus; quia major paupertas eſt carere rebus quantum ad utrumque, quam quantum ad alterum tantum. Et quod dicitur ultra, quod ipſi non debebant curare etiam de nutrimento, hoc non eſt ſic intelligendum, quod abſolute non curarent de nutrimento niſi vellent mori fame; ſed ſic intelligendum eſt, quod videlicet propter curam nutrimenti præterneceſſariam non omitterent prædicationem, vel ea quæ Dei ſunt. Et hoc etiam patet per illud, quod ſequitur, quod ſcilicet nec duas tunicas poſſiderent: quod non eſt intelligendum abſolute, ſicut ſancti exponunt; ſed intelligendum eſt de præterneceſſario impedimento, ſicut ſupradictum eſt.* Et infra: *Ad ſecundum dicendum, quod minor,* nimirum paupertatem nihil habentium in communi eſſe inter virtutes integrantes ſtatum perfectionis, *eſt falſa, quia paupertas nec eſt perfectio formaliter, nec pars perfectionis. Ad probationem, cum dicitur: Si vis perfectus eſſe: &c. dicendum, quod hoc non dicitur quia paupertas ſecundum exteriorem effectum ſit perfectio formaliter, vel pars perfectionis: ſed quia facit diſpoſitive ad perfectionem.* Hactenus Herveus.

An perfectio ſita in paupertate. Argum. pro affirmativa. Reſpondetur perfectionem non in dando pauperibus, ſed in ſequendo Chriſto poſitam. Probatur ex Chriſti oraculo. Diſcutitur diu in Synodo Papali controverſia.

Hujus argumenti ſolutionem ita illuſtravit Lucerinus epiſcopus (*a*), ut perfectionem non in ſuis opibus diſtrahendis, ſed in ſequendo Chriſto ſitam demonſtrarit: Quod, inquit, *in arguendo ſubditur, quia dixit Dominus Matth.* XIX. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus: & veni, ſequere me; dico quod Dominus in rebus illis duo dixit, unum ſcilicet, quod venderet omnia, quæ haberet, & daret pauperibus; & hæc eſt via perveniendi ad perfectionem: alterum autem dixit, quod ſequeretur ſe; & in hoc conſiſtit perfectio. Unde Hieronymus dicit ſuper Matthæum exponens illud, quod dixit Petrus in perſona ſui & aliorum Apoſtolorum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: Quia non ſufficit tantum omnia relinquere, ſubjunxit Petrus quod perfectum eſt: Et ſecuti ſumus te. Unde & ipſe Dominus laudans perfectionem Apoſtolorum, reſpondens Petro nullam mentionem fecit de rerum dimiſſione; ſed tantum de ſequela, dicens: Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, &c.*

(a) Ib. pag. 121.



LXI. Decretum fidei pronunciatum e Petri cathedra.

Editis ita multis commentariis (*a*), & concertationibus habitis; cum omnium fere Cardinalium, epiſcoporum, doctorumque paucis exceptis, qui Pontificem decernentem ſecuturos ſe profitebantur, in id concurrerent ſententiæ, Chriſtum & Apoſtolos jure ea, quibus uſi ſunt, habuiſſe; & paupertatem evangelicam in juſto rerum uſu, non injuſto conſtare, ac figmento ineptæ diſtinctionis quoad ſimplicem uſum facti adulterari ſacra oracula, & verum eorum ſenſum perverti; Pontifex in hac fidei controverſia divino, quod nunquam eccleſiæ defuturum Chriſtus pollicitus eſt, præſidio fultus, e Petri cathedra decretoriam hanc tulit ſententiam (*b*), quam per univerſum orbem Chriſtianum promulgari juſſit.

(a) Ext. in ead. MS. bibl. Vat. ſign. n. 3740. Bern. chr. Rom. Pont.

(b) Tom. 4. ep. ſecr. pag. 1. & MS. bibl. Vat. ſign. n. 3765. in Jo. 22. ext. etiam inter extr. c. 4. tit. de verb. ſign.

Ejus formula.

*Venerabili fratri Andreæ epiſcopo Terracinenſi vicario noſtro in ſpiritualibus in Urbe.*

*Cum inter nonnullos viros ſcholaſticos ſæpe contingat in dubium revocari, utrum pertinaciter affirmare, redemptorem noſtrum & dominum Jeſum Chriſtum, ejuſque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua, nec in communi etiam, hæreticum ſit cenſendum, diverſis diverſa & adverſa etiam ſentientibus circa illud; nos huic concertationi finem imponere cupientes, aſſertionem hujuſmodi pertinacem, cum ſcripturæ ſacræ, quæ in pleriſque locis ipſos nonnulla habuiſſe aſſerit, contradicat expreſſe, ipſamque ſcripturam ſacram, per quam utique fidei orthodoxæ probantur articuli, quod ad præmiſſa fermentum aperte ſupponat continere mendacii; ac per conſequens, quantum in ea eſt, ejus in totum fidem evacuans, fidem catholicam reddat, ejus probationem adimens, dubiam & incertam; deinceps erroneam fore cenſendam, & hæreticam, de fratrum noſtrorum conſilio hoc perpetuo declaramus edicto. Rurſus in poſterum pertinaciter affirmare, quod Redemptori noſtro prædicto ejuſque Apoſtolis in iis, quæ ipſos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi, ſeu conſumendi competierit; nec illa vendendi, ſeu donandi jus habuerint, aut ex ipſis alia acquirendi, quæ tamen ipſos de præmiſſis feciſſe ſcriptura ſacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere ſupponit aperte; cum talis aſſertio ipſorum uſum, & geſta evidenter includat in præmiſſis non juſta, quod utique de uſu, geſtis, ſeu factis redemptoris noſtri Dei Filii ſentire nefas eſt ſcripturæ ſacræ contrarium, & doctrinæ catholicæ inimicum; aſſertionem ipſam pertinacem de fratrum eorundem conſilio deinceps erroneam fore cenſendam merito & hæreticam declaramus. Nulli ergo, &c. Dat. Avin. II. id. novemb. pont. noſtri anno octavo.* Ex his conſignatum in extravagantibus editis annum emendes.

Damnati hæreſeos negantes in Chriſto & Apoſtolis jus in rerum uſu.

LXII. Cardd. & Epiſcopi Pont. decretum amplectuntur.

Aſſenſere decernenti Pontifici, ac ſuſceptam antea opinionem erroneam propugnatamque (ſine pertinacia tamen) exuerunt Vitalis & Bertrandus e Turre Cardinales Minoritæ, ac Berengarius epiſcopus Tuſculanus, tum Arnaldus Rojardus Salernitanus & Monaldus Beneventanus archiepiſcopi; pariterque Caphenſis, Ulyſſipponenſis, Rigenſis, & Pictavienſis epiſcopi, qui plura ſcripta excutiendæ veritatis gratia ediderant. Inter quos eminebat ſcientia & doctrina Vitalis Cardinalis, qui tres commentarios, (*c*) detortis in ſuam ſententiam ſcripturis divinis & ſanctorum patrum dictis confecit, cujus argumenta Joannes Neapolitanus ordinis Prædicatorum inſignis theologus diſſolvit (*d*).

(c) Ext. in MS. bibl. Vat. ſign. n. 3740. p. 3. &c. pag. 80.

(d) Ib. p. 210.

Minoritarum magiſter in errore pertinax.

At Michael Cæſenas ſupremus Minoritarum præfectus, conceptum erroris virus alto preſſit animo, atque in hæreſim poſt ſanctionem pontificiam auctum impie effudit, perperamque intellectis Nicolai Papæ ſententiis, quas in pravum & obliquum ſenſum tractas velut decreta fidei obtrudebat, abutebatur in ſcriptis tum editis, atque hoc argumentum. (*e*) tanquam validiſſimum magno in S. Franciſci laudem epiphonemate jactabat: *Non eſt hæreticum aſſerere, quod exemplar, regula & menſura non exceduntur in perfectione ab exemplato, & menſurato. Sed B. Franciſcus fuit voluntarie ſic pauper, quod non habuit aliquid in proprio vel communi. Ergo aſſerere, quod B. Franciſc. non exceſſerit in paupertate Chriſtum, qui exemplar, regula, & menſura omnis perfectionis, non eſt hæreticum. Præterea hoc idem patet ſtigmatibus ſibi impreſſis propter ſingularitatem ſequelæ in Chriſti paupertate, quod admodum ſuper deductum eſt.*

(e) Ext. in reſumptione dictorum ejus pag. 82. ejuſd. MS. Vat.

Fallax ei argumentum.

Multipliciter refellitur.

Detecta ſunt in ea argumentatione plura vitia, nam ex eo quod Joannes Baptiſta in genere operis jejunii ita excelluerit, ut niſi locuſtas & mel ſilveſtre comederet; ſimiliter in genere aſperioris cultus ita emineret, ut pilis camelorum veſtiretur, non colligendum Chriſtum, exemplar & regulam perfectionis, locuſtas & mel ſilveſtre tantum comediſſe, indutumque fuiſſe pilis camelorum, ne a regulato & menſurato vinceretur. Ita Chartuſiani inferrent Chriſtum non comediſſe carnes, ne Chriſtus a S. Brunone ſuperaretur. Quamvis ergo S. Franciſcus non attrectarit aurum, ſuiſque illud attrectare vetuerit, non ſequitur Chriſtum numquam loculos quoad jus & dominium habuiſſe. Falſum etiam eſt, S. Franciſcum non uſum jure iis quibus vitam ſuſtentabat. Falſa quoque probatio, Chriſti inſignibus ob paupertatem ſingularem, & non

Hæret. in pertinacia Michael. Cæſenas.

& non ob ardentiſſimum amorem in Chriſtum fuiſſe decoratum. Sed puduit Michaelem revocare errorem, quem e comitiis Peruſinis datis ad fideles encyclicis literis propagare erat niſus: vocatuſque in judicium, defecit palam ab eccleſia, verſuſque in hæreſiarcham, quinto poſt anno nefario commentario edito calumniam hæreſeos Chriſti vicario aſperſit, ſuam impietatem pluribus argutiis fulcire molitus: quas a Joanne luculentiſſime confutatas viſuri ſumus.

Guill. Ocham ejus ſocius.

Indictum illi judicium apud Apoſtolic. ſedem.

Adjunxit ſe ſocium illius perfidiæ Guillelmus Ochamus Anglus, qui ſecta Nominalium inter philoſophos condita, plurimum in ſcholis pulverem excitavit, eo temeritatis prorupit, ut dum ſuperior quæſtio apud ſedem Apoſtolicam agitaretur, Chriſtum Dominum vel Apoſtolos privato aut communi nomine quidquam obtinuiſſe e ſacro ſuggeſtu damnaret hæreſeos. De quo Pontifex in literis ad Ferrarienſem & Bononienſem epiſcopos datis, (a) quibus intendendi illi judicii provinciam impoſuit, ut excurrente menſis ſpatio ad ſedem Apoſtolicam ad dicendam cauſam ſe, ſiſteret, ita expoſtulat: *Plus ſapere, quam oportet ſapere moliens, & os ſuum ponens in cœlum, non ſubmiſſa voce, ſed altius ſolito proclamando indiſcrete & imprudenter dicere & affirmare non ſine multa temeritate præſumpſit, hæreticum eſſe dicere & aſſerere, ſalvatorem noſtrum & dominum Jeſum Chriſtum ac ejus Apoſtolos aliquid habuiſſe in proprio vel communi: quamvis nec poſſet nec deberet quomodolibet ignorare quæſtionem ſubortam ſuper hoc eſſe in Romana curia, & in ea terminari debere, &c. Dat. Avin. kalend. decembris an.* VIII. Is rebellionis adverſus Romanum Pontificem poſtea ſigna extulit, ſenſitque cum hæreticis & ſchiſmaticis, unde infami hæreſiarchæ nomine a Pontifice notatus eſt (b).

(a) To. 4. p. 1. ep. ſecr. p. 38.

Veſana ejus temeritas.

(b) Jo. an. 14. p. 4.

LXIII.

Porro ex aſſerta a Joanne fide orthodoxa, & Chriſti domini majeſtate calumniandi occaſionem ſumpſit proximo anno Ludovicus Bavarus corruptus ab impiis; neque intelligens, quæ diceret, plura temere effudit, (c) contrariam fidei ſententiam amplexus: atque etiam poſtmodum alii, Fraticellorum ſectam augentes, Joannem acerbe invecti ſunt. Quorum obſtruxit ora Jacobus Novellus Cardinalis ordinis Ciſtercienſis, in ſummo pontificatu Benedicti XII. nomen adeptus, erudito commentario, in quo theologum agens, reſpondet hæreticis, licet ſtatuatur falſa hypotheſis, Nicolaum Papam pronuntiaſſe, Chriſtum & Apoſtolos abdicaſſe proprietatem, jus, & dominium omnium rerum, tam immobilium quam mobilium, atque etiam veſtium, cibi, & potus, & in his tantummodo ſimplicem uſum facti habuiſſe ſine ullo jure civili ac mundano; haud tamen inferendum, Joannem prolapſum in hæreſim, ut effutiebant impii, dum contrarium huic ſententiæ poſtremæ decretoria conſtitutione, *Cum inter nonnullos*, definivit; locutum enim Nicolaum in ſanctione, *Exiit*, ſolum opinative; cum dubia illius a ſucceſſore explanari voluerit, neque illam ſententiam veluti articulum fidei credendam propoſuerit univerſæ eccleſiæ: corrigi itaque potuiſſe a Joanne, qui obortam in eccleſia controverſiam ex ſacris oraculis diremit, uti Petrum a Paulo correctum obſervat S. Auguſtinus: *Nos enim*, inquit, *fuit voluntas in crimine, ſed defectus humanæ intelligentiæ: potiſſime quia dominus Nicolaus dicta ſua ſuppoſuit correctioni ſedis Apoſtolicæ*. Hæc Benedictus apud Eymericum, (d) ſcilicet ex falſa hypotheſi, ut obſervat Pegna, quod Nicolaus ita ſenſiſſet, ut hæretici eum ſenſiſſe voluerunt; ſed non ita ſenſerat: quocirca explanatione allata a Joanne, non correctione eguit. Neque vero Benedicti verba carpi poſſunt, etiamſi conceſſiſſet Nicolaum, dum opinando loquebatur, erraſſe: Joannem vero decernendo errare non potuiſſe contenderet. Reſpondet enim Joannes Turrecremata Cardinalis (e): *Aſſiſtentia Spiritus ſancti promiſſa a Chriſto non reſpicit perſonam Papæ, ſed officium ſive ſedem; & ideo cum opinari ſit perſonæ, judicare vero ſit officii, licet eſſet poſſibile Papam male opinari, errare tamen ſententiando in judicio de his, quæ ſunt fidei, non eſt poſſibile, ſtante divina promiſſione.*

(c) Apud Nic. Min. MS. Va. ſign. n. 4008. p. 17.

Jacobus Novellus ſcribit in Fraticellos.

Reſpondet ad eorum mentem ex falſa hypotheſi.

Dicta Nicolai non fuere decretoria.

(d) Apud Eymer. 2. p. direct. inquiſ. q. 17. ad object. 13.

In iis explanandis Joannem errare non potuiſſe demonſtratur.

(e) Jo. Tur. ſum. de eccl. l. 2. c. 112. ad object. 6

Ex his vero pervicacia memoratorum hæreticorum convincitur, ſiquidem ii Joanni ſingulari præſidio Spiritus ſancti inſtructo, ex divinis oraculis motam in eccleſia controverſiam e Petri cathedra dirimenti, aſſentiri recuſarunt, & confictæ impie ab ipſiſmet interpretationi verborum Nicolai opinantis adhæreſcere maluerunt. Cæterum refert Joannes Bacho (f) occaſione ſuperioris decreti (g) fidei, a Joanne editi, ab aliquibus ventilatam novam quæſtionem: *Utrum Chriſtus & Apoſtoli ut viam perfectionis exercentes, habuerint aliquid in proprio vel in communi*, tum ſubdit idem auctor: *Hæc quæſtio mota eſt per aliquos præſumentes, qui volebant exponere articulos condemnatos per dominum Joannem, dicendo quod verum eſt, quod Chriſtus condeſcendens imperfectionibus infirmorum interdum loculos habuit & aliquid in illis; ſed tunc geſſit perſonam infirmorum, prout in multis aliis infirmitates noſtras ipſe portavit: tamen Chriſtus, viam perfectionis oſtendens, & primi fundatores militantis eccleſiæ proprietatem omnium rerum abdicarunt, tam in ſpeciali quam in communi, & hoc habetur, ut videtur*, VI. *de verb. ſignif. c. Exiit §. Porro, & fuit conſtitutio Nicolai.* Hæc Bacho, qui pluribus deinde argumentis eam opinionem refellit: quam tamen nonnulli recentiores inſtaurare videntur. Verum non tantum poſt editum decretum fidei a pertinacibus ea quæſtio agitata, ſed etiam antequam fieret, motam propugnatamque a Vitali Minorita Cardinale Albanenſi pluribus commentariis vidimus: quare cum eruditione & pietate præſtantiſſimus hujuſmodi opinionem abiecerit, ut pontificiam amplecteretur, non tutum putamus ſuſpectam hæreticorum doctrinam, qualis illa eſt hæretici Ubertini Caſalis, quam nonnulli recentiores magni feciſſe videntur, longo ſepultam ævo revocare [1]. De germana vero dictorum Nicolai interpretatione ſat antea dictum eſt, ut ea repetere opus non ſit: jam reliqua hoc anno geſta proſequamur.

(f) Jo. Bacho q. 12. diſt. 25.

(g) Extrav. cum inter.





LXIV.

Thomas Aquinas ſanctor. catalogo adiicitur.

(a) MS. bibl. Vat. ſign. n. 3765. in Clem.

(b) Bern. in chron. Rom. Pont. MS. Vat. bibl. ſign. n. 2043. Ptol. Luc. in hiſt. eccl. MS. l. 24. c. 42.

Auctum Thomam Aquinatem ſanctorum honoribus hoc anno conſignat ſubjectis verbis MS. (a) Vaticanum: *Anno Domini MCCCXXIII.* XV. *kal. auguſti Avinione canonizavit*, nimirum Pontifex, *ſanctum Thomam de ordine Prædicatorum, quinquageſimo a felici ejus tranſitu decurrente*. Confirmat hæc Bernardus (b), qui ejus laudes celebrat his verbis: *Anno Domini MCCCXXIII.* XV. *kalend. auguſti dominus Joannes Papa* XXII. *apud Avinionem in conſiſtorio, ut eſt moris, cum ſolemnitate debita canonizavit, & ſanctorum confeſſorum aſcripſit catalogo S. Thomam de Aquino ordinis Prædicatorum, a felici ejus tranſitu de hoc mundo anno quinquageſimo decurrente; de vita ejus & miraculis inquiſitione duplici prævia diligenti, &c.* nonnullis de ejus nobili proſapia, virtutum ornamentis, doctrinæ præſtantia interjectis, addit: *Hic propter ejus eminentem ſcientiam vocatus a Gregorio Papa X. ad generale concilium Lugdunenſe, veniens de Neapoli, ubi famoſe legebat ut doctor, cum perveniſſet ad monaſterium Foſſænovæ Ciſtercienſis ordinis Terracinenſis diœceſis in Campania, ibidem ſuſceptis cum devotione & fide mirabili eccleſiæ ſacramentis, in Domino obdormivit, virgo mente & corpore, clarus opere & doctrina. Ob cujus ſanctitatis præconium & virginitatis titulum declarandum, poſt ejus obitum elapſis ſeptem menſibus una vice, & iterum elapſo ſeptennio vice altera, ac tertio annis circiter* XIV. *evolutis in apertura ſepulcri ejus, diverſis ex cauſis per vices temporum ſæpius patefacti, ſingulis vicibus ex ejus ſacro corpore odor magnus & ſuaviſſimus emanavit: qui, locum replens, mirifice fundebatur, & omnem fragrantiam aromatum ſuperabat; multiſque aliis miraculis in vita claruit & poſt mortem.* Meminere de ſanctorum cultu B. Thomæ decreto Joannos Villanus (c), & S. Antoninus (d), quorum verba repetenda non ſunt, cum hæc Joannis encyclicæ literæ confirment, in quibus præcipua viri ſancti geſta & poſt mortem ejus ſuffragio patrata miracula deſcribuntur. (e)

(c) Jo. Vill. l. 9. c. 218.

(d) Ant. 3. p. tit. 21. c. 5. §. 8.

(e) An. 7. p. 2. ep. com. 1376. ext. in bull. in Jo. XXII. conſt. 11.

*Joannes, &c. univerſis patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis, &c.*

Dominicanam familiam ingreditur.

*Dum adhuc infra pubertatis annos exiſteret, ordinis Prædicatorum habitum ſuſcepit: in eo, invito etiam patre, qui ejus felicibus actibus invidebat, conſtantius manſit; ac in ipſo tandem regularem profeſſio-*



NOTÆ [1] UBertini de Caſali ſententiam a recentioribus nonnullis probari affirmat annaliſta, eandemque ſententiam olim Vitali cardinali Albanenſi ſediſſe cenſet. Verum nonnihil diſcriminis inter opinionem Vitalis, & Ubertini interceſſiſſe ex ejuſdem Ubertini confeſſione a Baluzio Miſcellan. tom. I. pag. 307. vulgata conſtat. Narrat in ea Ubertinus ſe a Nicolao cardinali de ſententia ſua requiſitum anno MCCCXXII. in quadrageſima die *dominica* de *Paſſione* reſpondiſſe in Chriſto, & Apoſtolis *ſtatum duplicem* diſtinguendum eſſe; erant enim *univerſales prælati eccleſiæ novi teſtamenti; & hoc modo ait habuerunt quantum ad authoritatem diſpenſationis, & diſtributionis pro dando pauperibus, & miniſtris eccleſiæ. Secundo*, pergit Ubertinus, *poſſunt illi conſiderari ut ſpeciales perſonæ, fundamenta perfectionis religioſæ, & iſto modo* an habuerint *diſtinguendum eſt. Civiliter & mundane, ut poſſent defendere rem ſuam ab invaſore;* & iſta ratione Chriſtum, & Apoſtolos poſſediſſe aliquid negat, cum Chriſtus *ſeparaverit apoſtolos ab omni mundano litigio Mat. V. Et qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, præbe illi & pallium.* Alia eſt ratio habendi *res temporales jure naturali, & communi charitatis fraternæ. Et iſto modo*, ait, *Chriſtus &c. habuerunt bona temporalia ad ſuſtentationem naturæ.* Hæc explicandi ratio plane diverſa eſt ab ea quam ex Joanne Bachone hic affert annaliſta, & Vitali Albanenſi retulit ad annum 1322. num. 67. Idem vero Ubertinus ibidem affirmat expoſitionem hanc ſuam a Joanne pontifice approbatam & commendatam fuiſſe hoc elogio: *Nolumus plus audire, quia bene reſponſum eſt quæſtioni. Et tunc*, proſequitur Ubertinus, *id quod dixit frater Ubertinus fuit commendatum, approbatum, antequam aliquid ſtatueretur in contrarium.* Ex quibus poſtremis verbis deducendum quis arbitraretur Joannem pontificem pronunciaſſe nihil quidquam poſſeſſum a Chriſto ſive ut erat eccleſiæ rector ſummus, ſive ut privatum agebat hominem. Sed cum nihil re ipſa expreſſerit in ſua conſtitutione Pontifex ſi quis Ubertini ſententiam admiſerit non ſtatim, ut arbitror, hæretici notam incurrerit. Merito tamen Ubertinus damnatus fuit; quippe qui ratus ſententiam ſuam pontificia Joannis conſtitutione damnari, illam tamen certam aſſertamque habuerit; in eadem fidei confeſſione ſua profeſſus: *Quidquid contrarium eſt ſtatutum, definitum &c. hæreticum eſt, & inſanum, &c.* MANSI

Literis egregiam operam dat.

*ſionem emiſit : ubi in brevi adeo ſcientia, vita, & moribus profecit, ut ætate adhuc juvenis ad ſacerdotium promoveretur; & ad ejuſdem theologiæ magiſterium Pariſiis, loco utique celeberrimo, aſſumptus magno inibi ſui, ſuique ordinis, ac Pariſienſis ſtudii favore per multorum annorum curricula cathedram regeret magiſtralem : quippe cum illi vita exiſtentiam, converſatio famam, doctrina pareret opinionem, opera divulgationem, eademque tam brevi confecta tempore admirationem merito exhiberent, ut illud pſalmi : Rigans montes de ſuperioribus tuis de fructu operum tuorum ſatiabitur terra; in eo veriſſime impleretur, quod utique thema idem ſanctus, dum eſſet in ſacra pagina incœpturus, aſſumpſit; quodque, ut fertur, revelatione ſibi poſt ſuam orationem facta didicerat, dum propter juventutem ſuam ſe inhabilem ad magiſterium reputans, quod proponeretur in inſtanti principio hæſitaret.* Et infra.

Divinitus accipit ingentes in iis progreſſus ſe facturum.

LXV. Cœleſtium rerum contemplationi addictus.

*Profecit utique vir peritus, a terrenorum ambitione ſemotus, & ad cœleſtium aſſecutionem intentus, perfecto vacans ſtudio, intendebat Deo : prætermittebat terrena, ut aſſequeretur æterna : præmittebat divina, ut roboraretur in ſchola; cum ſingulis diebus, antequam lecturus aſcenderet cathedram, vel diſtraheretur ad alia, miſſam unam celebraret, aliam audiret : in quibus & alias in oratione, cum in illa foret aſſiduus, lacrymarum effuſionem mentis ſuæ dulcedinem devotionemque Deo, cui nihil eſt abſconditum, revelabat.*

Illibatam coluit caſtitatem.

*Cumque caſtitatis nitore canderet, parſimonia devota cuſtodiebat; humilitatem, hanc eandem ſobrietate medica nutriebat adeo, ut multi eum in carne virginitate manſiſſe incorruptum exiſtimarent : quod ejuſdem ſancti confeſſor ordinis memorati, qui longo tempore ipſius confeſſionem audierat, publice, ut ad nos teſtimonio fide digno pervenit, coram omnibus die defunctionis ejuſdem aſſeruit, dicens : Ego confeſſionem generalem iſtius ſancti viri audivi, de quo teſtificor, quia ita inveni eum purum, ſicut puerum quinque annorum : quia nunquam ſuæ carnis ſenſit corruptelam. Qui præterea vir Dei cibis religioſorum veſtimentiſque communibus contentus, converſione mitis, begnignitate ſuavis, pietate miſericors, humilitate ſubjectus, cæteraque virtutum varietate redimitus, honorum ſupercilium, mulierumque cautius conſortia ſpernebat : non elatus, non præeminens, nec etiam diſputans, quod & interdum diſputanti ſolet eſſe commercium, jactator effectus, ut ampulloſis etiamſi ſibi eadem iniicerentur ab aliis, in illo palæſtricæ ſyllogizationis exercitio uteretur.*

Quantum ab otio abhorreret.

*Totus igitur Dei famulus divinis operibus intentus, aut eruditioni, qua præcellebat; aut prædicationi, qua immotus erat; aut orationi, qua devotus; aut ſcripturæ ſacræ, qua profundus ſedulus vacabat; adeo ut, præter naturalis neceſſitatis aut quietis horas, nullum ſibi aut vix temporis ſpatium relinqueret otioſum.*

LXVI. Evocatus a Greg. X. ad Lugdun. concilium apud Foſſam novam decumbit.

*Appropinquante autem die, qua de hoc ſæculo migraturus eſſet ad Dominum, quaque devicto triumphatoque mundo in perpetuas æternitates recipiendus in patria, nam bonorum laborum glorioſus eſt fructus, cum a felicis recordationis Gregorio Papa X. prædeceſſore noſtro ad Lugdunenſe concilium diceretur eſſe vocatus, de Neapoli veniens, ubi tunc temporis more ſolito famoſe legebat ut doctor; & per maritimam tranſiens, cum ad monaſterium Foſſænovæ ordinis Ciſtercienſium Terracinenſis diœceſis, parumper digreſſurus, per dies aliquot antea ad ipſum, ut illuc deferretur, affectuoſe depoſtulans, perveniſſet, intrans monaſterium plenus Dei ſpiritu, hæc verba protuliſſe refertur : Hæc requies mea in ſæculum ſæculi : hic habitabo quoniam elegi eam. Quod verum eſſe eventus edocuit, & ſacri corporis ſui illic facta tumulatio manifeſtat.*

Mortem ſibi præſagit divinitus.

*Cœpit enim illic in infirmitate gravari eadem, viribus paulatim deſtitui : infirmitatem tamen ipſam, etſi dierum plurium, non impatienter tolerans; ſed æquanimiter, totus ut erat humilis patientia ſupportans, qua ſibimet leniret infirmitatem, Deo obedientia placeret, miniſtris de ſe, quos non intendebat aggravaret, reverentiam imitandæ quoque patientiæ exempla præberet.* Et infra : *Cumque in eadem infirmitate, de qua obiit ſanctiſſimi Dei & domini noſtri Jeſu Chriſti corpus, in cibum ſumendum, ſibi ut viaticum deferretur, totus profuſus in lacrymas, & dulci amore ejuſdem anima, aſſueta dulcine Dei liquefacta, inter cætera multa & decora quæ protulit, hæc vel ſimilia fidei & devotionis verba, toto illius monaſterii conventu multiſque dictorum Prædicatorum & Minorum ordinum aſſiſtentibus fratribus, eructaſſe refertur : Ego de iſto ſanctiſſimo corpore domini noſtri Jeſu Chriſti & aliis ſacramentis multa docui, multa ſcripſi in fide Jeſu Chriſti & ſanctæ Romanæ eccleſiæ; cujus correctioni cuncta ſubiicio, cuncta ſuppono.*

Quam pie euchariſtiam perceperit.

Quæ de ea ſcripſerat moriens Romanæ eccl. cenſuræ ſubiicit.

Miracula poſt mortem edita.

*Recepto deinde ab ipſo eodem vivifico ſacramento, cunctiſque aliis ſacramentis eccleſiæ debita veneratione cum lacrymarum effuſione ſuſceptis, tertio die obdormivit in Domino, cui credidit quem amavit, & tota mentis affectione dilexit, &c.* Affert Pontifex probatiſſima miracula, ob quæ ſanctorum catalogo ſolemni ritu adjectus ſit, nimirum ipſius corpus poſt decem menſes aperto ſepulcro ſuaviſſimum odorem diffudiſſe : podagricum poſt annis decem toleratum morbum, imploʼrata ejus ope, morbo ſolutum : defunctum ad illius ſepulcrum exportatum reſtitutum vitæ : non recte de illius ſanctitate ſentientem repente a divino Numine percuſſum, petitaque a S. Thoma venia ad ſanitatem revocatum : morbos ejus opera ab ægris depulſos, mutis linguæ officium, ſurdis auditum redditum. Tum hæc de ſacra illius memoria ſingulis annis recolenda præſulibus imperia dat. *Univerſitatem veſtram monemus & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus nonis martii feſtum confeſſoris ejuſdem devote ac ſolemniter celebretis & faciatis a veſtris ſubditis veneratione debita celebrari; ut pia ejus interceſſione, & hic a noxiis protegi, & in futuro ſempiterna gaudia conſequi valeatis*, proponit nonnulla indulgentiarum præmia illius ſepulcrum annis ſingulis adituris. *Dat. Avin.* XV. *kal. auguſti pontificatus noſtri anno* VII.

Ejus corpus poſt decem menſes ſuavem odorem ſpirat.



Puer mortuus reſtitutus vitæ. Detractor percuſſus divinitus ac reſipiſcens ſanatus.

Feſtus illius dies nonis martii inſtitutus.

LXVII. Philippus archiep. Bituricenſis miraculis clarus. Urb. IV. & Clem. IV. de iis examen inſtitui juſſerant. (a) An. 8. p. 1. ep. com. 563.

Inſtitere apud ſedem Apoſtolicam Guillelmus Bituricenſis archiepiſcopus, atque ejus eccleſiæ canonicorum collegium, ut cum Deus pluribus miraculis Philippum, qui olim Bituricenſibus præfuerat, ornaret ipſi ſanctorum cultum decerneret : qua de re antea ab Urbano IV. & Clemente IV. examen agitatum fuerat; ſed cum in tanta re maturitas conſilii maxima adhibenda Joanni videretur, Carnotenſi & Aurelianenſi epiſcopis, ac prædicatorum Bituricenſium præfecto partes dedit, (a) ut de vita ac miraculis illius inquirerent : *Pium eſt*, inquit, *penitus atque juſtum, ut quos Deus merito ſanctitatis coronat & honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris : cum ipſe potius laudetur & glorificetur in ipſis, qui eſt laudabilis & glorioſus in ſanctis; quique ut ſuæ virtutis potentiam mirabiliter manifeſtet, & noſtræ ſalutis cauſam miſericorditer operetur, fideles ſuos, quos coronat in cœlo, frequenter etiam honorat in mundo, ad eorum memoriam ſigna faciens & prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica, & fides catholica roboretur. Sed licet ſit pium & debitum venerationi ſanctorum intendere, & eos colendos in terris populis exhibere; expedit tamen in illis illam maturitatis adhibere cautelam, ut nulla fallat incertitudo judicium, nec ignorantia facti judicantis ſolertiam circumſcribat, quæ tanto periculoſior foret in talibus, quanto in majoribus erraretur; ſed prudentia multa præambula & diligenti maturitate ſervata : veritas exquiſita ſolicite deducatur in lucem, de dubiis ſententia eliciatur indubia; & certitudo habeatur, & ſumatur certior in incertis, &c.*

Qua maturitate conſilii eccleſia illa diſcutiat.

Subdit ut ab Urbano & poſtea a Clemente IV. Carnotenſi & Nivernenſi epiſcopis datæ fuerint partes, ut Philippi olim archiepiſcopi Bituricenſis miracula ac vitæ geſta ad examen ſacrum revocarent, teſtiumque dicta in publicas tabulas referrent. Poſtmodum vero ut Clementi V. eæ ſuis ſigillis communitæ oblatæ fuerint, illæque Nicolao epiſcopo Oſtienſi, & Joanni tit. SS. Marcellini & Petri preſbytero, & Guillelmo S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinalibus munus rei exactius diſcutiendæ impoſuerit; quibus duæ membranæ convolutæ ex ſanctiore Bituricenſi tabulario, in quarum altera de miraculis a viro ſancto patratis, in altera de ipſius vitæ ſanctiſſimæ geſtis teſtium dicta continebantur, una cum literis Urbani & Clementis fuerint oblatæ. Quibus omnibus diſcuſſis, ad illuſtrandam magis veritatem Joannes S. Petri Peruſini & S. Petri Aſſiſinatis monaſteriorum abbatibus partes dedit, (b) ut earum Clementis & Urbani literarum exemplum e pontificio regeſto exciperent : ſanxitque novum iterum examen inſtituendum eſſe; atque hanc Carnotenſi & Aurelianenſi epiſcopis, ac priori Bituricenſium Prædicatorum, de quibus paulo ante memoravi, provinciam injunxit.

Ut Clem. V. de iiſdem cognoſcendi nonnullis Card. partes dederit.

(b) Ib. ep. 564.

Duo epiſcopi vitæ illius geſta & patrata prodigia adducere in examen juſſi.

*Mandamus, quatenus vos, vel duo veſtrum in locis, ubi expedire videritis, de vita & converſatione & miraculis præfati archiepiſcopi, quæ ipſius meritis dignatus eſt hactenus, vel nunc pendente inquiſitione hujuſmodi dignabitur Omnipotens operari, cæteriſque circumſtantiis negotium hujuſmodi tangentibus, juxta formam quam vobis ſub bulla noſtra intercluſam tranſmittimus, inquiratis diligentius veritatem : & quæ ſuper præmiſſis inveneritis, fideliter in ſcriptis redacta, ſub teſtimonio ſigillorum veſtrorum per viros idoneos ad ſedem Apoſtolicam deſtinetis; ut per inquiſitionem veſtram ſufficienter inſtructi, ſicut res exigit, & expediens viſum fuerit, ſecurius in ipſo negotio procedere valeamus. Dat. Avinion.* XIX. *kalend. januarii anno* VIII. Meminit de Philippo archiepiſcopo Bituricenſi in Gallia Chriſtiana Claudius Robertus (c), quem beati nomine inſignit, & ſeptuageſimum primum in archiepiſcoporum numero collocat; cujus inſigne clementiæ exemplum in Hugonem epiſcopum Claramontenſem refert : cum enim Innocentius quartus, illum contumaciæ in Philippum damnatum exauctoraſſet epiſcopatu, vir egregius non prius e genibus voluit aſſurgere, quam ſummum Pontificem ad miſericordiam in adverſarium explicandam flexiſſet.

Singulare benignitatis in ipſo exemplum.

(c) Claud. Rob. Gall. Chriſt. in archiep. Bituric. Vinc. l. 3. c. 134.

Tranſlatio capitis S. Martini.

Celebratam tranſlationem capitis ſancti Martini Turonenſis epiſc. præcipua Caroli Regis Francorum opera & religione, qui thecam argenteam eleganti arte elaboratam, ut in ea reponeretur comparavit,

pon-

(a) To. 4. p. 1. ep. ſecr. pag. 76.

pontificiæ literæ (a) indicant ad decanum & eccleſiæ B. Martini canonicos datæ, quos ſedis Apoſtolicæ auctoritati tantum obnoxios ait.

LXVIII. De S. Eleazaro comite.

Clauſiſſe hoc anno vitam Pariſiis S. Eleazarum Ariani comitem ferunt, (b) vigeſima ſeptima ſeptembris (c) die, dum pro Roberto Siciliæ Rege in aula Gallica oratorem agebat: qui una cum uxore B. Delphina raro exemplo, licet eodem cum ipſa thoro uteretur, virginitatem tamen coluit. Cui aliquando de nimia apud Montem Peſſulanum mora expoſtulanti hæc per literas reſpondit (d): *Sanus corpore ſum & ſoſpes: ſi vero me videre cupis, quære me in vulnere lateris Chriſti; illic enim habito, & ibi me poteris invenire; fruſtra alibi quæſitura*. Datus is eſt a Roberto Rege Siciliæ ob ſingularem virtutum ſplendorem virtutis præceptor Carolo duci Calabriæ, Siculi regni hæredi, ut eum probis moribus perpoliret. Neque irrita a viro ſancto impenſa opera: (e) cum enim Carolus, juvenili abreptus levitate, obſcœna verba fundere & laſcivire ſolitus, ab Eleazaro correptus eſſet, ita illius monita impreſſit pectori, ut poſtmodum pudicitiæ legibus frænaret ora, neque impuros magna procerum admiratione a ſuis ſermones laxari pateretur. Cum vero plurima polleret auctoritate in regia Neapolitana, illam in tuendis inopum juribus collocavit; quocirca patroni pauperum nomen vulgo illi inditum (f). Deinde Lutetiam legatus (g), ut uxorem Carolo ex ſtirpe Gallica regia compararet, prudenter munere perfunctus eſt, in medio regalis aulæ luxu divinis rebus transfundere animum ſolitus. Quo tempore ad alias cœleſtes agni nuptias vocatus, piiſſimo exitu ad immortalitatem migravit. Deſcribit (h) extremum illius vitæ actum antiquus auctor hiſce verbis.

(b) Sur. to. 5.
(c) Bar. in not. ad mart. Ro. 27. ſept.
(d) Sur. ib. c. 23.
Pium illius ad uxorem reſponſum.
Ut præceptor fuerit Caroli ducis Calab.
(e) Ib. c. 27.
Patrocinium pauperum ac ceperit.
(f) Cap. 28.
(g) Cap. 32.
(h) Apud Sur. 27. die ſept.
Pie ad mortem ſe comparat.

*Sentiens mortem impendere, magiſtro Franciſo Maronenſi Minoritæ conterraneo ſuo, qui tum erat Pariſiis generalem fecit confeſſionem cum multis lacrymis. Quotidie etiam mane apud lectum ſuum miſſæ ſacrificium pie audivit, & crebro ſub illa adverſa valetudine confeſſus eſt: & quamvis tota vita ſua & ſuam & Delphinæ virginitatem celaſſet accurate; attamen ſub vitæ finem, compellente eum ſpiritu Dei, ita ad aſtantes loquebatur: Salvatus eſt homo malus per mulierem bonam, quam ſicut virginem accepi, ita & in hac mortali vita virginem relinquo.*

LXIX. (i) Cap. 33.

*In ea ægrotatione (i), quæ graviſſimos, eoſque perpetuos ei dolores afferebat, quos ille patientiſſime ſpe futurorum tolerabat, ſpiritus ejus jugiter conjunctus cum Deo fuit; volebatque nihilominus etiam bona audire, jubebatque ſibi Chriſti paſſionem legi, nec lingua etiam a divinis ceſſabat laudibus, crebro repetens illum verſum: (k) Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus: univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus. Sumpto autem dominico ſacramento cum ſacro oleo ungeretur, & verſum illum dicerent: Per ſanctam crucem & paſſionem tuam libera eum Domine; ipſe eundem tertio repetivit, & addidit: Hæc eſt ſpes mea: in hac volo mori. Ad extremum jam in agone poſitus, vultum præ ſe tulit valde terribilem; unde colligi liceret eum in magno verſari labore ob quædam illi objecta, atque ſub ejuſmodi conflictu exclamavit: Magna eſt dæmonum vis; ſed eam penitus enervarunt virtus & merita ſacroſanctæ incarnationis & paſſionis Jeſu Chriſti. Et poſt paululum rurſus exclamans: Plane, inquit, vici. Poſt aliquantum temporis ſpatium cum ingenti clamore dixit: Totum me divino judicio committo; atque his dictis reparatus eſt vultus ejus, & quodam rubore atque ſplendore multaque elegantia perfuſus: atque ita reddidit ſpiritum; nec fuit vel tenuiter mutatus vultus ejus, ſed permanſit ſerenus & pulcher. Hæc autem omnia vidit quidam nobilis multum petulans & lubricus, adeoque ob ſua peccata corde compunctus eſt, ut nullo pacto ferre ſuſtinens, mox accito ad ſe fratre Franciſcano, qui illic aderat, in quodam cubiculo cum ingenti pietate, & largiſſimo lacrymarum imbre ſua peccata confiteretur. Obiit ſanctus comes plenus virtutibus & operibus bonis anno ſalutis MCCCXXIII. v. kal. octobris.*

(k) Pſal. 40.
Sacramentis procuratur.
Felix ejus mors.
Laſcivus juvenis ex illa converſus.

Sepultus in cultu Franciſcano primum eſt Pariſiis in Minoritarum templo: ac dein Aptam tranſlatæ ejus reliquiæ, ad quas maximæ cœleſtes virtutes editæ, ac vario morborum genere laborantibus valetudo divinitus reſtituta: immo & mortui ad vitam revocati. Quinetiam Balearicum regnum, quod atroci turbabatur bello, eo videndum ſeſe obiiciente, docenteque, ſine fuſo cruore pacatum eſt. Quibus permotus Urbanus V. ſanctorum honores ſolemni ritu poſtea illi decrevit (l). Diploma vero morte oppreſſus edere non potuit: quod ab illius ſucceſſore Gregorio XI. eſt promulgatum, quod ſubjecta formula conceptum ex MS. edidit Wadingus (m).

Tranſlatio reliquiarum S. Eleazari.
Decreti illi ſanctorum honores.
(l) Vvadin. in annal. Min. hoc ann. n. 39. & ſeq.
(m) Vvading. to. 3. an. 1343. n. 40.
Urbanus V. B. Eleazarum ſanctorum catalogo adjecit.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum*
*Dei ad perpetuam rei memoriam.*

*Rationi congruit & convenit honeſtati, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu literæ apoſtolicæ confectæ non fuerint, ſuper illis ſuam conſequantur efficaciam. Olim ſiquidem felicis recordationis Urbanus Papa V. prædeceſſor noſter, provide attendens, quod domino noſtro Jeſu Chriſto Regi regum & dominantium domino, ſub cujus ditione cuncta conſiſtunt,*

ma-



*magna gratiarum actionum & laudum a cunctis fidelibus Chriſti debentur impendia, dum ipſe Rex cœleſtis omnis ſcientiæ gloria, cujus ineffabilis altitudo ſcientiæ & providentiæ nullis incluſa limitibus, nullis terminis comprehenſa, recti cenſura judicii cœleſtia pariter & terrena diſponit, ſanctos ſuos per exemplaris vitæ doctrinam & ſanctitatis merita venerandos, de præſentis vitæ carcere ad æternam beatitudinem evocatos, crebris coruſcare facit miraculis, ac mira & ſtupenda, eorum intercedentibus meritis, certis & perſpicacibus oſtendens indiciis, illos poſt labores nimios duraque præſentis vitæ certamina quietis æternæ ſatiari dulcedine, palmamque cœleſtis gloriæ obtinere; * quod ipſe opifex Deus in miſericordia copioſus, liberalis in gratiis, & in retributione munificus, de ſupremis cœlorum ad ima mundi oculos majeſtatis ſuæ inflectens, & benigna conſideratione diſcutiens, B. Elzearii de Sabrano comitis Ariani & baronis Auſoiſii dominii, de Provincia oriundi, generis nobilitate præclari, ſuique glorioſiſſimi confeſſoris merita grandia & opera mirifica, quibus ipſe conſtitutus in ſæculo lucerna luminoſa reſplenduit, atque veluti juſtus judex & retributor laudabilis dignanter intendens condignis recompenſare muneribus, eum tanquam emeritum & retributione digniſſimum poſt vitæ præſentis ergaſtulum & laborioſa mundi certamina, quæ fervens in divinis obſequiis potenter & patenter exercuit, æthereis ſedibus collocarat, ut ſederet cum principibus, & ſolium gloriæ teneret felicitatis æternæ dulcore potitus; ne ejuſdem B. Elzearii laudabilium actionum claritas, quibus, in terris conſtitutus effulſerat, ſub nubilo latens, tenebris obfuſcaretur, idem prædeceſſor aliqua ex eis ſuis literis, ſi ſuper his confectæ fuiſſent, exprimi voluit, quas nos præſentibus inſeri fecimus, ut deducantur in publicam notionem.*

* quodque
Genus & officium S. Eleazari.

*Hic equidem a juvenilis ætatis primordiis Dei Filium tenera mente dilexit, nec diligere deſiit, ſtudia continuando ſalubria, dum vitæ ſibi commoditas affuit temporalis, ſed * quoniam majori profecit ætate, ac in tempora prolixiora proſiliit, tanto in ejus exarſit amorem fervore ſpiritus ampliori: & ſic pudicitiæ adhæſit operibus, ſic carnis ſtuduit evitare contagia, quod licet uxorem habuerit ætate juvenem & nobilitate præclaram; tamen, prout ex dictæ uxoris & confeſſoris ejuſdem ſancti teſtimoniis conſtitit, ſanctus ipſe ſemper candore virgineo rutilavit. Præterea ſanctus ipſe, qui dum vixit in præſenti ſæculo clariſſimus genere, ſublimis potentia, facultatibus opulentus, moribus elegans extitit, inhoneſtis & turpibus animo penitus relegatis, circa ſervos Chriſti ac pauperes, aliaſque miſerabiles perſonas valde compatiens, ſe ipſum in eleemoſynarum elargitione (eis plerumque miniſtrando) munificum exhibebat: tantaque abundavit charitate, quod nil tam charum ſibi erat, quin libenter erogaſſet, ut ſaltem unam animam trahere potuiſſet ad Chriſtum: nec de ullo ſuo æmulo vindictam facere volebat. Et ne fervorem ſpiritus ſociæ carnis ardor extingueret, ſed mortificatione & repreſſione ipſum potius accendi contingeret, carnem ipſam, quam aſſidui aſperitate cilicii (prout aſſeritur) edomans, effrænem ipſius libidinum artem * ſuſtinentiæ fræno coercuit, ut non propriæ voluntatis ducta remigio, ſed ſalubri moderamine ſpiritus tute licita perageret, & prorſus ab illicitis abſtineret deliciis. Etenim corpus macerabat jejuniis, priſcorum obſervantiæ a ſanctis patribus ordinatæ novorum auſteritatem adiiciens ſibi motu propriæ voluntatis inducto: nam per totum adventum & ſingularum ſeptimanarum ſextam feriam, & cunctis aliis temporibus jejunium obſervabat: & in multis interea orationibus ſe occupabat, ne aliqua ſibi hora temporum inutiliter pertranſiret; paramentis aliquibus ſub genua non utendo, immo quamplurimum veſtes proprias * admovebat. Et dum conſilio ducis Calabriæ præfuit, petitiones pauperum * interim promovebat, quod omnes ipſum advocatum pauperum nominabant.*

* quanto
De ſingulari illius pudicitia.
Et eleemoſynis.
Et charitate in proximum.
* continentiæ
Voluntaria carnis maceratione.
* amovebat
* ita

*Hic inſuper vitæ fuit puritate perlucidus, humilitate præclarus, & ſincerus veritatis amicus; ac cuncta eloquia ipſius ad virtutis augmentum operaque ſalubria hortabantur, demulcebant auditorum præcordia, & in eorum ædificationem ſalutarem multipliciter redundabant. Quamdam enim mulierem, quæ per totum annum & amplius toto corpore impotens fuerat, & aliquibus ſui corporis partibus adeo deſiccata, ut lignum aridum videretur, & quæ, poſtquam ſanctus ipſe migravit ad Chriſtum, ad ejus tumulum ſe deferri fecerat, ad dicti ſancti invocationem ſubito fuiſſe curatam dubium non exiſtit: in ſignum hujuſmodi mulier ipſa domum ſuam propriis pedibus eſt reverſa. Quidam etiam caſualiter in uno foſſato undique ſubtus terram proſtratus ita, quod aliquis ad ipſum nullo modo pervenire poterat, poſtquam ibidem tamdiu ſteterat, quod naturaliter vivere non debebat, ad prædicti ſancti invocationem a morte extitit præſervatus. Iſtum enim ſanctum dilexit Dominus, & in fine conſortio hereditatis elegit; perennis quoque diademate gloriæ decoravit: & ut ejus nomen extolleretur laudibus populorum, tam in ejus vita, quam poſtquam (ut præmittitur) feliciter migravit ad Chriſtum ſupernis delitiis fruiturus, ipſe opifex Dominus, in ſanctis ſuis vere mirabilis, eundem ſanctum aliorum quamplurium & variorum ſplendore miraculo-*

Paupecrum ſuſcepto patrocinio.
Marcore laborans mulier ad ejus preces valetudini reſtituta.
Alius terra obrutus illius ope liberatus e mortis periculo.

culo-

*culorum illuſtravit; manifeſte demonſtrans quantum ſibi honoris & reverentiæ deberetur.*

*Unde præfatus prædeceſſor, de hujuſmodi actibus dicti ſancti & miraculis habita fide dignis probationibus, quantum noſſe ſinebat ipſa fragilitas certitudine veritatis, multorum prælatorum & aliarum circumſpectarum perſonarum ſolemnibus precibus pluries excitatus, ipſum B. Eleazarum de fratrum ſuorum conſilio, de quorum numero tunc eramus, auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli, atque ſua choro beatorum a Domino ineffabili ſanctificatione ſuſceptum cum ſolemnitate celebri ſanctorum catalogo, videlicet XVI. kal. maii, pontificatus ſui anno VII. duxit aſcribendum. Et ut devotis laudibus extolleretur in terris, quem ipſe dominantium dominus honorari voluerat in excelſis, feſtivitatem confeſſoris ejuſdem die XXVI. menſis ſeptembris, quo migravit ad Dominum, cum debita reverentia voluit celebrari: * quodque etiam, ut ad eccleſiam fratrum Minorum, ubi corpus ejuſdem ſancti venerabiliter requieſcit, ferventius & copioſius fidelium confluat multitudo, & celebris ejuſdem ſolemnitas peragatur, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui reverenter illuc in eodem feſto annuatim acceſſerint ejus ſuffragia petituri, de omnipotentis Dei miſericordia & ipſorum beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſus, unum annum & quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxavit, &c. Nulli ergo, &c. Datum Avin. nonis januarii pontificatus noſtri anno I.*

Quo die ſanctorum catalogo adiectus B. Eleazarus.

* atque.





I. Ludovici Bavari oratorum ad ſedem Ap. acceſſus.

I. INeunte anno Chriſti milleſimo treceteſimo vigeſimo quarto indictione ſeptima Ludovici Bavari oratores, quos antea ad aulam pontificiam legaverat, ut obſequentem ſe eccleſiæ, nec ſentire cum hæreticis profiteretur, diemque ad dicendam cauſam conſtitutam extrahi depoſceret, ingreſſi purpuratorum patrum conſiſtorium VI. nonas menſis januarii Pontifici, in ſolio conſidenti, ſupplicem hunc libellum (*a*) porrexere.

(*a*) *Ext. apud Jo. to. 4. p. 1. ep. ſecr. p. 107. & l. var. bull. p. 35.*

*Pater ſanctiſſime.*

*Ad mandatum ſanctitatis veſtræ in ſcriptis poſuimus ad quid venimus, & quid a ſanctitate veſtra petere debeamus. Dicimus igitur ex parte domini noſtri filii veſtri devoti, quod licet paucis diebus elapſis ab aliquibus murmuraretur, & abſque tamen ulla inſinuatione certa referretur apud dictum dominum noſtrum, proceſſus aliquos eſſe factos a ſanctitate veſtra, ipſum & jura ſua ac ſtatum ſuum graviter contingentes; tamen dominus noſter prædictus nullatenus credere poterat, nec credebat: immo æſtimabat æmulorum ſuorum eſſe figmenta, nec etiam veriſimile reputabat, quod ſancta Romana eccleſia taliter proceſſiſſet, cum nunquam antea ſuper iis fuerit monitus vel citatus. Ad cautelam tamen nos miſit ad inquirendum ac inveſtigandum, utrum contra ipſum, ut præmittitur, proceſſus aliqui facti eſſent: & ſi inveniremus eos factos, quod ſupplicaremus ſanctitati veſtræ ut, ſalvo in omnibus jure ſuo, daret ei terminum aliquem competentem & decentem, inſpecta locorum diſtantia & maxime negotii arduitate conſiderata; infra quem domino noſtro prædicto proceſſus hujuſmodi veritatem referre poſſemus, ut ipſe ſibi ac juribus ſuis, ipſum tangentibus, de conſilio ſuorum principum & procerum valeat ſuper iis, prout tenetur & debet, ſalubriter providere; & de informando ſanctitatem veſtram plenius circa dictum proceſſum & ipſum contingentia, & de oſtendenda juſtitia ſua & innocentia ſua circa dictum proceſſum & ipſum contingentia, prout ſibi videbitur expedire; nec non de reformando in ſtatum debitum, ſi forſan in aliquibus exceſſiſſet. Igitur, pater ſanctiſſime, cum invenerimus proceſſus hujuſmodi eſſe factos, ſupplicamus ſanctitati veſtræ ex parte domini noſtri præfati humiliter & devote, ut ſalvo in omnibus jure ſuo terminum competentem, prout præmittitur, dare & concedere dignemini: cum dictus dominus noſter intendat, quantum in ipſo eſt, tanquam devotus filius ſanctitatis veſtræ paternitatem & ſanctam eccleſiam ut matrem revereri, & ipſam filiali obedientia pro poſſe adjuvare, defendere, & tueri; terminum petimus ſex menſibus longiorem.*

Porrecti ab iis Pontifici libelli ſupplicis formula.

Extrahi flagitant judicii diem.



II. Mirum cuiquam videri poſſet, quomodo hac demiſſione Chriſtiana, & obſervantia Pontificem mulcere ſtuduerit Ludovicus, qui paulo ante, ut vidimus (*b*) concepta appellationis formula Pontificem ipſum calumnia hæreſeos appetiverat, atque ab ejus judicio ad concilium œcumenicum provocarat: quod Ludovici factum ignorans Joannes, accepto ejus libello ſupplice, rem in deliberationem cum Cardinalibus adduxit, ac publico conſiſtorio VIII. idus januarii congregato, præſentibus orationibus obiecit, Ludovicum non cognita a ſede Apoſtolica electionis controverſia, contra decreta pontificia non electum in Regem, ſed Regem ſe dixiſſe. Vicecomites hæreſeos crimine poſtulatos tutatum eſſe; cum antea ad eos evertendos acceſſurum ſe in Italiam ſpopondiſſet: marchiones Aceſtinos & Ferrarienſes eccleſiæ perduelles in ſua verba ſacramento adegiſſe; vetera eccleſiæ jura, quæ interregni tempore ac diſcordibus ſuffragiis duobus electis Regibus vicarios imperii creare ſolet, infregiſſe: ob quæ licet ipſi dies proroganda non eſſet, ad duos tamen illam menſes proferre, non ut ab ipſo geſta tueretur, ſed venia petita demiſſe emendaret. Quæ ſubjectis verbis prodit Pontifex.

(*b*) *Ann. 1323. n. 34. &c.*

Quæ reſponſa ſint a Pontifice.

*Joannes, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Nos ſuper litera & ſupplicatione prædictis cum ejuſdem fratribus deliberatione præhabita diligenti, eoſdem nuntios VII. idus ejuſdem menſis januarii coram nobis fecimus evocari; ac eiſdem in noſtra & dictorum fratrum præſentia in conſiſtorio conſtitutis taliter duximus prologuendum.*

III. *Vidimus literam patentem & ſupplicationem prædictas, quas in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia exhibere curaſtis, & contenta in eis intelleximus diligenter: ac ſuper illis cum eiſdem fratribus deliberatione præhabita diligenti, attendentes & ad memoriam reducentes devotionem, quam præfatus dux Bavariæ per alios nuntios ſuos ad præſentiam noſtram hactenus deſtinatos, ejus literas de credentia deferentes, ad nos & præfatam eccleſiam ſe gerere aſſerebat; & quod inter alia nonnunquam nobis obtulerat per nonnullos ex nunciis ſupradictis, ſe paratum in eccleſiæ prædictæ & noſtrum obſequium contra rebelles eccleſiæ ad partes accedere Lombardiæ, miramur quamplurimum, & cauſa nobis juſtæ admirationis ingeritur, quomodo ſic ſubdito, nulla per nos data ſibi occaſione vel cauſa, in virum alterum ſit mutatus. Ipſe namque in contemptum*

Queritur Bavarum perduellium eccleſiæ cauſam ſuſcepiſſe.

Regium nomen ſine confirmatione Apoſtolica ſumpſiſſe.

*noſtrum, & magnam injuriam ſanctæ matris eccleſiæ, ſe Regem Romanorum intitulat: cum de electo in diſcordia in Romanorum Regem, ſicut iſte fuiſſe dicitur, a nullo ſit in dubium revocandum, quod ante approbationem ſeu admiſſionem electionis ſuæ per ſedem Apoſtolicam habitam, non debet tali nomine vel titulo appellari: quod utique dudum, cum de intitulatione duorum electorum in Reges Romanorum controverſia incidiſſet, per ſedem eandem auditis allegationibus partium in caſu ſimili decretum extitit, deliberatione cum ſimilibus tunc ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus præhabita diligenti. At inſuper dux prædictus Galeatio de Vicecomitibus ejuſque fratribus de Mediolano rebellibus ejuſdem eccleſiæ, & de hæreſi per eorum competentes judices condemnatis, favere hactenus contra præfatam eccleſiam non expavit, nec adhuc, ſicut audivimus, a fautoria deſtitit eorumdem.*

Perduellium Ferrarienſium clientelam arripuiſſe.

*A Ferrarienſibus etiam, videlicet Raynaldo & Opizone natis dilecti filii Aldebrandini Eſtenſis, de labe pravitatis hæreticæ ſimiliter condemnatis, ac rebellibus eccleſiæ memoratæ, ratione civitatis Ferrarienſis fidelitatem & homagium præſumpſit recipere, ipſiſque favorem, auxilium, & conſilium impendere in noſtrum & ejuſdem eccleſiæ magnum contemptum, atque diſpendium & præjudicium manifeſtum: cum dictam civitatem Ferrarienſem, ejuſque diſtrictum ad plenum jus atque dominium & proprietatem ejuſdem Romanæ eccleſiæ pertinere noſcitur.*

*Adminiſtrationi etiam imperii ſe indebite ac irreverenter immiſcuit, donando de bonis ipſius, homagia recipiendo, & alia indebite attentando: cum tamen hujuſmodi adminiſtratio, imperio prædicto vacante, prout ad præſens vacare dignoſcitur, ad ſedem pertineat memoratam; ſicut hoc jure patet, conſuetudine declaratur, & Romani Pontifices prædeceſſores noſtri in caſu vacationis imperii jure hujuſmodi uſi ſint, velut ad eos pertinente indubie, ſicut etiam nonnullis exemplis evidentibus patet. Nam felicis recordationis Clemens Papa IV. prædeceſſor noſter, tempore ſuo exiſtentibus duobus in Romanorum Reges electis, claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ in Tuſcia vicarium generalem conſtituit, qui dictum officium exercuit diligenter. Similiter, piæ memoriæ Clemens Papa V. prædeceſſor noſter in provinciis Lombardiæ & Tuſciæ chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Robertum Regem Siciliæ illuſtrem vicarium ordinavit: cujus juris poſſeſſione, vel quaſi, præfatus dux Bavariæ, quantum in eo eſt, nos & dictam eccleſiam indebite & præſumptuoſe nimium ſpoliare conatur.*

Vicariatum imperii Roberto traditum interturbaſſe.

*Si igitur prædicta, nec non verba in dictis literis & ſupplicatione per vos exhibitis poſita, quæ magis ſunt ad turbationem irritantia, quam ad manſuetudinem mentem intelligentis provocantia, vellemus attendere diligenter, nullum vobis reſponſum dare utique deberemus: tamen memores devotionis præteritæ dicti ducis, vobis præfatis nunciis de dictorum fratrum conſilio breviter reſpondemus, quod cum proceſſus noſter prædictus contra dictum ducem Bavariæ & electum, ut prædicitur, factus rite ſit, & ſuper notorio habitus; terminumque competentem contineat, infra quem ad ejus deduci, niſi per ipſum ſteterit, notitiam potuerit, ac a præſumptis per ipſum temere etiam reſilire, ipſaque quantum erat ſibi poſſibile revocare, quorum neutrum ipſum conſtet feciſſe per exhibita; ſed potius, quod intendat illa, ut dicta ſcriptura aſſerit, excuſare ac de jure, quod utique electo faciendi nequaquam competat nec poteſt competere, ſe velle dicere aſſerat, intendens per conſequens exceſſus ſuos notorios minus provide defenſare; non intendimus aliquid innovare, ipſum tollendo vel ſuſpendendo, vel quoad impediendum effectum ſententiarum in eo latarum terminum, dilationem, vel prorogationem aliquam concedendo: immo volumus eum quoad omnia contenta in ipſo, & ipſorum effectum in ſuo pleno vigore atque robore permanere.*

*Verum quia in dicto proceſſu eidem aperte duximus intimandum, quod ſi in præmiſſis in dicto proceſſu contentis per omnia infra præfixum ad hoc ſibi terminum exequendum foret negligens vel remiſſus, nos contra ipſum ad publicationem pœnarum, in quas propter præmiſſos exceſſus notorios inciderat, vel incideret in futurum, & alias quantum ſuadet juſtitia procederemus, ejus abſentia non obſtante; intendimus uſque ad duos menſes, a data præſentium computandos, a publicatione pœnarum & proceſſibus hujuſmodi, ac ab aggravatione ſuperſedere proceſſus ejuſdem, infra quos certificari poſſimus quid per eundem circa præmiſſa extiterit reformatum.*

Conceſſum bimeſtre a Pont. ut Ludovicus male cœpta emendet.

*Per hoc tamen non volumus nec intendimus nos aliquatenus obligare, quin etiam eorundem duorum menſium pendente termino ad aggravationem dicti proceſſus & alias poſſimus procedere contra ipſum; ſi & prout nobis pro conſervatione jurium & honoris ejuſdem eccleſiæ viderimus expedire, &c. Dat. Avin.* VII. *id. januarii anno* VIII. Affixæ fuere hæ literæ Avenionenſis eccleſiæ foribus, & in Germaniam ad Friſingenſem epiſcopum tranſmiſſæ (*a*) ut eas divulgandas curaret, ne quem latere poſſet, quid inter Ludovici oratores ac ſedem Apoſtolicam agitatum eſſet, ac dolo & calumniæ ora obſtruerentur (*b*).

(*a*) *Ibid.*
(*b*) *Eod. to.* 4. *p.* 1. *ep. ſecr. p.* 110.

IV. Effluxere duo ii menſes Bavaro a Pontifice dati, ut commiſſa adverſus Apoſtolicæ



Contemnit Ludovicus die conſtituto comparere. Ejus doli ad declinandum judicium.

licæ ſedis dignitatem expiaret. Verum ipſe, non impetrato, ut vidimus, ſex menſium ſpatio, ut cauſam ageret, congregato ſuorum cœtu, conſtitutas ſibi a Pontifice anguſtiores temporis metas conteſtatus eſt: ſe fidem catholicam colere, & eccleſiæ decus ſemper aſſerturum; neque in animum poſſe inducere, ſe quapiam in re læſiſſe ſedem Apoſtolicam, ac ſi læſerit, facturum ſatis: proſecuturum Pontificem honoribus debitis, ac jura etiam imperii tutaturum; ſeque eadem coram Pontifice, cum ſe daret prima occaſio, profeſſurum. Quæ Georgius Hervvartus ſubjectis concepta verbis ex veteribus monumentis affert (*a*).

(*a*) *Hervv. ad ann.* 1324. *n.* 40.

*Nos Ludovicus Romanorum Rex ſemper Auguſtus comparemus, & infraſcriptas proteſtationes noſtras coram vobis proponimus, & in ſcriptis offerimus, ac ſi in præſentia domini noſtri ſummi Pontificis (cujus copiam, arctante termino, tanquam abſentis & remote diſtantis habere non poſſumus) eſſemus perſonaliter conſtituti: promittentes expreſſe, quod eaſdem in ipſius ſummi Pontificis, quamprimum commode poterimus, notitiam deducemus, & coram eo innovabimus. In primis proteſtamur, quod ſanctam eccleſiam Rom. magiſtram fidei catholicæ matrem & alumnam noſtram colere diligere, & fovere, ſtatum ejus ſolidare, & jura ſervare ſemper intendimus bona fide. Item quod hoſtes ejus & rebelles quoſlibet quos ſcimus, vel a profeſſione dictæ fidei aberrantes, tanquam fidelis advocatus & fervidus Chriſtianæ fidei zelator hoſtiliter perſequi & exterminare volumus toto poſſe.*

Jactatæ ad pompam vanæ pollicitationes.

*Item quod non credimus contra ipſam ſanctam eccleſiam nos umquam in aliquo exceſſiſſe: & ſi quando excederemus, parati ſumus ad ejus correctionem humiliter emendari, & ſub regula diſciplinæ ſuæ obedienter conſiſtere, & ſuo conſilio & regimine gubernari. Item quod eidem volumus reverentiam debitam & honorem. Poteſtamur inſuper, quod domino noſtro ſummo Pontifici eam, quam debemus, & quemadmodum Romanis Pontificibus Rom. Imperatores & Reges prædeceſſores noſtri obedientiam, devotionem, & reverentiam geſſerunt & habuerunt, volumus ſimiliter gerere & habere.*

*Item proteſtamur quod ſtatum Rom. imperii & jura, res & honores ſuos ſalvos ſine præjudicio cujuſlibet, juxta debitum fidei noſtræ & virtutem præſtiti ſacramenti, quantum ſcimus & poſſumus, noſtris temporibus ſimiliter diſponimus cuſtodire.*

V. Magnifica hac oſtentatione invidiam exortæ diſſenſionis omnem in Pontificem apud ſuos derivabat Ludovicus. Jactabat enim ad ſpeciem conſtitutum bimeſtre, ut cœpta emendaret, quod ipſe de diſceptanda judicio cauſa interpretabatur, anguſtius eſſe: de erepto vero eccleſiæ ſupremo Ferrariæ imperio, adactoque in ſua verba illius urbis oratore, tacuit; cum magna verborum pompa eccleſiæ jura ſe tutaturum profiteretur; recuſabatque hæretici hoſtiſque fidei Galeatii clientelam deſerere, cum fidei ſplendorem ſe vindicaturum ſponderet: immo ad tuendos eccleſiaſtici juris oppreſſores exercitum immiſit, ut ſuo loco videbimus. Fruſtra itaque eum excuſare nititur Hervvartus (*b*) dum publicas eas tabulas, quæ ad coloranda geſta plurima arte editæ erant, veluti illuſtria juris Ludovici ejuſdem monumenta adducit; & Joannem veluti iniquum immerito traducit: non enim verba Ludovici ſpectanda ſunt, ſed opera potiſſimum.

Pugnant cum verbis ejus opera.

(*b*) *Hervva. to.* 1. *in Lud. defenſion. ad ann.* 1324. *n.* 14. *&c.*

Ut vero funeſtæ illius diſſenſionis, quæ maximos fluctus in eccleſiam concitavit culpam non in Joannem, ſed in Ludovicum ejuſque ſenatores impios derivandam, illuſtremus, rem uti geſta eſt, in luce collocabimus, eam paulo altius ex jam dictis repetendo. Potuiſſet Ludovicus pontificia ſibi ſtudia conciliare, ſi ut cæſarei erat muneris eccleſiam tueri, eamque ab hoſtium ſæviſſimorum nefaria tyrannide vindicare ſtuduiſſet. Sed improborum faſcinatus conſiliis, cum Pontifici adverſus Vicecomites divini eccleſiaſticique juris everſores, & Numinis rerumque ſacrarum contemptores operam regiam ſpopondiſſet, eorum deinde, ut dictum eſt, patrocinium ſuſcepit, atque etiam Ferrarienſium perduellium clientelarem ſponſionem admiſit, invaſitque Romanæ eccleſiæ jura: nec pluribus edictis monitus, reſipuit, ſed iniqua provocatione ad concilium diffugia captavit. Commotum vero juſte Pontificem indicat Albertinus Muſſatus (*c*), dum Italiæ tyrannorum, quos armis in Pontificem defendendos ſuſcepit Ludovicus, impietatem deſcribit hiſce verbis.

Conſecutorum malorum cauſæ Ludovico aſcribendæ.

Primus læſit Pontificem Ludovicus

(*c*) *Alb. Muſſ. in Lud. Bavaro.*

*Peſtis,* tyrannorum ſcilicet, *per ea tempora per totam ferme Italiam, & præſertim Lombardiam, Tuſciam, Romandiolam, & Marchiam invaſerat: qui contemptis Deo & ſanctis, ſanctas eccleſias ſcilicet epiſcopatus, abbatias, prioratus, & quaſcumque etiam magnorum proventuum baſilicas, quos ut populos vorarent, in armis, bellis, & quotidianis armorum uſibus ſtipendiariis erogabant; deque ipſis ſacris locis equorum ſtabula, pulſis antiſtitibus & prælatis, fecerant. Hanc, tyrannis Vicecomitibus Mediolani, ſævam rabiem nequius cœpiſſe, & adeo perſeveraſſe, ut ipſi tyranni eccleſias & prælaturas de facto, ſpreta papali ſede & juriſdictione, ſuis clientibus & parum dignis conferrent: promoviſſe primum, & non alium, hæc omnia momenta ſenem illum inveteratum malorum Maphæum Viceco-*

Patrocinium tyrannorum ſuſcepit.

*eccomitem. His nefandis actibus abſtinere; archiepiſcopum Mediolani & alios pulſos prælatos in pace * ſine reſtitutis locis, prædiis & bonis ad eccleſias ſpectantibus, quibus ſacræ coluntur eccleſiæ, illum Maphæum ſtirpemque ejus tantis malis nutritam, ut de juſto uſu abuſum, & de æquitate iniquitatem feciſſent, monuiſſe; divinum cultum in ea urbe exerceri per veros prælatos permitterent.*

* ſuis

Horum impietas.

*Sed mandata apoſtolica ſpernentes, non modo deſtitere, ſed infandos actus auxere, preces Apoſtolicæ manſuetudinis renuentes: deinde ſeipſos excommunicationum vinculis innodantes, & verba proterva in ſacram eccleſiam, ipſumque Apoſtolicum jactantes, quæ manifeſte hæreſis ignominias, & intolerabiles Chriſtianæ religionis contemptus & pertinacias oſtendebant: A quibus ſimiliter canonice & ſolemniter moniti, nec abſtinere paſſi, vel ab eccleſiaſtica monitione correcti, peccata infanda accumulavere peccatis, Saracenorum & aliarum ſuperſtitionum ſectas & materias imitati, ut & ipſi Saraceni & hæretici manifeſti. Inſuper monitum hunc Ludovicum Bavarum, illorum hæreticorum erroribus infandiſque actibus non adhærere: ſed ſi ad ſacrum imperii culmen aſpiraſſet, illos & conſimiles abhorrere, & veri filii ſacroſanctæ eccleſiæ more ad illos repellendos & refellendos tam pravis auſibus, eccleſiæ aſtare & ſervire. Sed ille, cujus mens in eccleſiam effera earum tyrannidum tyrannorumque Italicorum jura tenere ſpiritu diabolico conjectaverat, non modo deſtitit; ſed vicarium ſuum gentemque Germanam adverſus eccleſiæ monita patenter tranſmiſit, & ſe hæreticum & divinarum conſtitutionum exhibuit contemptorem.* Hactenus Muſſatus.

Monitus Lud. ne hoſtibus eccleſiæ ſe jungeret.

Auxilia iis ſubmittit.

VI. Hos tyrannos impios Ludovicus, cum eorum opera imperiale inſigne ſe adepturum ſperaret, Italiaque potiturum, defendendos ſuſcepit. Qua in re non inique modo, ſed imprudenter etiam ſe geſſit: imprudenter quidem cum pontificia benevolentia ad firmandum ſolium longe foret aptior; & Vicecomites non cæſarei nominis tuendi, ſed augendarum rerum ſuarum cupiditate moverentur, ut exitus edocuit: quippe qui firmata potentia Cæſares irriſerunt: Inique vero Ludovicum datam Pontifici de iis debellandis fidem infregiſſe judiciaria ſententia in Galeatium paternæ ſequacem impietatis lata indicat, in qua ejus flagitia hiſce verbis recenſentur (c).

(a) To. 4. ep. ſecr. p. 126. & lib. variar. bullar. p. 25.

*Joannes, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

VII. *Dudum ad noſtri apoſtolatus fama; quin immo infamia publica deduxit auditum quod quondam damnatæ memoriæ Matthæus de Vicecomitibus de Mediolano nonnullos de diverſis mundi partibus ad ſedem Apoſtolicam venientes capiebat, & etiam detinebat, eos bonis omnibus ſpoliando; ac literas clauſas, quæ nobis per nonnullos eccleſiæ Romanæ devotos filios & fideles de diverſis partibus mittebantur, per ſe, officiales, & miniſtros ſuos aperire & lacerare, & alias pro ſuo libito contrectare, & inſpiciendas diverſis exponere auſu damnabili præſumebat.*

Ut Matthæus improbe erga eccl. ſe geſſerit.

*Expoſitum etiam fuit in publico conſiſtorio coram nobis, quod ipſe eccleſiis, monaſteriis, & aliis piis locis, ac perſonis eccleſiaſticis, ſæcularibus & regularibus, civitatis & diſtrictus Mediolanenſis talliam ſeu collectam plurimum oneroſam imponens, ad exactionem illius procedebat adeo violenter, quod illam ab aliquibus perſonis eccleſiaſticis per explicationem rerum, a quibuſdam per captionem & detentionem perſonarum ipſorum, & ab aliis per diverſos cruciatus corporum extorquebat; & nonnulla alia impia & iniqua in perſonas eccleſiaſticas immaniter exercebat, quæ in gravem divinæ majeſtatis offenſam, opprobrium catholicæ fidei, & magnum fidelium ſcandalum redundabant: quodque tam ipſe, quam Galeatius, Marcus, & alii filii ſui, paternæ nequitiæ ſectatores, bona cathedralium & aliarum eccleſiarum, conſiſtentia per civitates & diœceſes, in quibus per ſe & alios tyrannidis ſævitiam exercebat, vel majorem partem ipſorum occupare & occupata tenere damnabiliter præſumebat; ipſarumque prælatos amariſſimas pœnas exilii cogebat miſerabiliter experiri.*

Tributa ab eccleſiaſticis exegerit.

Exercuerint tyrannidem ejus filii.

*Idemque Matthæus adeo redditus erat religionis cujuſlibet inſolens perſecutor, quod tam prælatis eiſdem, quam religioſis Prædicatorum, Minorum, ac Eremitarum S. Auguſtini fratribus, & aliorum ordinum paupertatis, ne ſynodos & concilia, vel quælibet capitula congregarent, vel in eorum ſubditos viſitationis vel prædicationis officium exercerent, interdicebat expreſſe; perverſos dictorum ordinum fratres, ſuæque iniquitati conformes in eorum fovendo nequitia, eoſque ſuis conventibus per violentiam præfici faciendo: & quod in eccleſiis ſæcularibus & regularibus, tam virorum quam mulierum auſu ſacrilego perſonas intrudebat indignas, utpote qui in monaſterio S. Celſi Mediolanenſis nonnullos monachos, abbate dicti monaſterii exulare compulſo, violenter intruſerat. Nonnullas etiam puellas in monaſterio monialium Mediolanenſium, poſtquam illis fuerat impudenter abuſus, per intruſionis reatum recipi fecerat violenter.*

Religioſos ordines turbarint.

*Nec veritus adhuc in Chriſtum Deum rabiem diræ perſecutionis armare, venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Vercellenſem in civitate Vercellenſi, conflatis viribus, obſederat violenter, ac demum eumdem per violentiam captivatum in carcere præſumpſerat detinere; quamvis poſtea de manibus ejus per fugæ ſubſidium divina fuit miſericordia liberatus. Per ſufficientem quoque informationem, de ſpeciali mandato noſtro habitam per bonæ memoriæ Berengarium epiſcopum Tuſculanum, tunc viventem apud ſedem prædictam, idem Matthæus repertus fuit ſuper hujuſmodi ſacrilegiis, offenſis, & exceſſibus publica infamia laborare.*

Vercellenſis epiſc. in ſervitutem redactus ſit.



VIII. *Validus etiam clamor ad audientiam noſtram deduxit, quod idem Matthæus, per Stephanum natum ejus, dilectum filium abbatem S. Stephani Vercellen. ac præpoſitum, archipresbyterum, & plures canonicos Vercellenſes, ac per virum ſacrilegum Scottum de S. Geminiano, alioſque ſuos ſatellites, & miniſtros iniquos & impios, nonnullas alias perſonas eccleſiaſticas, ſeculares & religioſas, etiam in ſacerdotio conſtitutas, capi fecit ac teneri carceri mancipatos, in illos diverſorum tormentorum genera exercendo. Statuta etiam canonica, tanquam a fide catholica prorſus exorbitans, contemnens damnabiliter & impugnans, interdictum eccleſiaſticum, cui dicta civitas Mediolanenſis ejus culpis exigentibus ſubjacebat, ſicut & adhuc ſubjacere dignoſcitur, obſervare deſpexit, & fecit per alios violari, defunctorum corpora laicorum in cæmeteriis eccleſiarum pulſatis campanis, miniſtris eccleſiarum ipſarum renitentibus & invitis, faciendo in contemptum clavium contra ſanctiones canonicas tumulari: id idem per Galeacium in Placentina & per Marcum filios ſuos in Terdonenſi civitatibus, tunc ſub eorum tyrannide conſiſtentibus; & per alios tyrannos civitatum & locorum, quæ per eum & alios ſuos filios tenebantur, vel cum eis fuerant juramento vel confœderatione ligata, eidem interdicto ſubjecta, obſervari faciens, dictumque interdictum nequiter violari, & divina, quantum in eo erat, profanari officia in eiſdem in contemptum clavium earumdem.*

Violata eccleſiaſtica interdicta.

*Idemque Galeatius, perfidia paternæ prævaricationis imbutus bonæ memoriæ epiſc. Placentinum, tunc viventem, bonis omnibus ſpoliavit, domos, vineas, & alia bona epiſcopalia devaſtando, ac ea, quæ de redditibus & proventibus dictorum bonorum percipi potuerunt, ſuis uſibus applicando. Nonnullos etiam clericos Placentinos, gravibus afflictos vulneribus, bonis omnibus ſpoliavit; & quibuſdam eorum horribili nece peremptis, eccleſiaſtica beneficia eorumdem aliis nequitiæ ſuæ fautoribus, de facto conceſſit; dictum epiſcopum Placentinum cogens miſerabiliter exulare, qui deinde Apoſtolicam ſedem petens, ibidem diem clauſit extremum. Idem Galeatius, ad execrabiliora licentians manus ſuas, clerum Placentinum talliis, collectis, gabellis, & diverſis angariis pedagiiſque novis afflixit: clauſtra etiam monialium civitatis ejuſdem damnabiliter violavit, exinde nonnullas moniales adducens, eiſque virginitatis lilium, quod perpetuo voto Chriſto ſpoponderant, effræni & damnata libidine auferendo. Nonnullla etiam bona, quæ tam clerici quam laici in locis Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Auguſtini & aliis diverſis eccleſiis Placentinis pro ſecuriori cuſtodia duxerant deponenda, tam per ſe quam per ſuos ſatellites aſportavit. Diverſas quoque eccleſias, hoſpitalia, & alia pia loca cremavit incendio, & contra claves eccleſiæ per ſe & alios labia detractionis aperiens, per quoſdam clericos & religioſos fautores ſuos fecit coram omnibus prædicari, quod * tenendæ non erant excommunicationes & aliæ ſententiæ latæ contra eum. Propter quæ non erat dubium, dictos Matthæum ejuſque filios diverſarum excommunicationum fore ſententiis innodatos.*

Inſectatus ſit Galeatius Placentinum epiſc.

Clerum vectigalibus onerarit.

Sanctimonialibus ſtuprum intulerit.

Depoſita in ſacrariis diripuerit.

Eccleſias incenderit.

Cenſuras contempſerit.

* timendæ.

IX. *Præter hæc idem Matthæus & filii ejus obſtacula præſtiterant; ne noſtri vel dilecti filii Bertrandi tit. S. Marcelli preſbyteri Card. in illis partibus A. S. L. nuncii civitatem Mediolanenſem, vel terras & loca prædicta, ſeu territoria poſſent ingredi eorundem; vel infra illa noſtras vel ejuſdem legati deferre literas, ac quoſcumque nuntios ipſos capi, incarcerari, & frequenter occidi crudeliter faciendo. Nec adhuc idem Matthæus contentus, quod ipſe in profundum malorum demerſus præceps abierat, ſed laborans, ut alios ſecum traheret in ruinam, devotos ejuſdem eccleſiæ a devotione ipſius avertere, & indevotos, ne ab erroris invio ad vitæ viam & devotionem redirent ejuſdem eccleſiæ, impedire viis & modis omnibus, quibus poterat, conabatur: immo ut contra dictam eccleſiam & fidem catholicam execrabilius poſſet ſuam nequitiam exercere, cum ſchiſmaticis confœderationem & colligationem inivit. In provincia etiam Lombardiæ, ac circumadiacentibus locis, & partibus ſeminavit diſcordias, guerras movit, fructum pacis ſubvertens ſcandalis & ſciſſuris in tantum, quod eccleſiarum prælati, propter ejuſmodi preſſuras & ſcandala multipliciter impediti, perſonas eccleſiaſticas ſuarum civitatum & diœceſum & alios eorum ſubditos non poterant viſitare, nec corrigendos corrigere, nec illis proponere verbum Dei, aliaque ſpiritualia gerere, quæ exigebat officium paſtorale. Ex quibus profecto pullularunt & pullulant in illis partibus hæreſes, creverunt ſchiſmata, diminutus eſt cultus divinus, fidelium animæ perditioni fuerunt expoſitæ, corpora patuere periculis & malis innumeris licentia præſtita; & ſcandala ſuſcitata fuere: propter quæ ſic licentioſe per dictos Matthæum ejuſque filios adverſus Deum, & eccle-*

Appetitus ſit bello pontificius legatus.

*cleſias & fidem catholicam perpetrata, & alia quæ ſequuntur, habebantur graviter, nec indigne, ſuſpecti de labe hæreticæ pravitatis.*

Vicecomitum familia infecta hæreſi.

*Notum eſt enim in partibus Lombardiæ, quod ejuſdem Matthæi paterni avus & avia, dum vivebant, fuerunt habiti de memorata pravitate ſuſpecti: quinimmo propter hujuſmodi labem peſtiferam eadem avia, judicio eccleſia de hæreſi condemnata, tradita fuit flammarum incendio per judicium ſeculare. Communis etiam in partibus illis habet notitia, idque fama publica manifeſtat, quod quondam Manfreda mulier de Mediolano, dicti Matthæi ex linea materna propinqua, labe reſperſa pravitatis ejuſdem, in perſona cujuſdam, quæ Guillelma nomine vocabatur, Spiritum ſanctum aſſeruit incarnatum, ipſamque Guillelmam a Deo aſſumptam mirabiliter extitiſſe: poſt quæ, cum ſuper his, ac diverſis aliis articulis, hæreſim ſapientibus manifeſte, per inquiſitores pravitatis ejuſdem tam contra eas, quam nonnullas alias credentes ipſarum, fuiſſet veritatis certitudo comperta, Manfreda & Guillelma traditæ fuerunt judicio ſeculari, & demum ignis incendio concrematæ. Et quia inter alios credentes ipſarum præfatus Galeatius culpabilis fuit repertus, inquiſitores ipſi propter hoc captivarunt & detinuerunt eundem: licet poſtmodum per ejuſdem Matthæi potentiam coacti minis & terroribus eum duxerint dimittendum. Idem quoque Matthæus in tantum exorbitabat a fidei catholicæ veritate, quod carnis reſurrectionem negabat.*

Galeatius de ea ſuſpectus. Nova Matthæi hæreſis.

X. *Cum ex præmiſſis præfati Matthæus & filii ejus ſe Dei adverſarios manifeſtos, & fidei catholicæ corruptores patenter oſtenderent, inceſſanter deteriora prioribus committentes; nos conſiderantes attentius, quod non expediebat, quod tam horrendorum ſcelerum in ſuccedentia temporum ſecula ſine recordatione vindictæ memoria deferretur, venerabili fratri noſtro archiepiſcopo Mediolanenſi, & dilectis filiis inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in provincia ſuperioris Lombardiæ, noſtris dedimus literis in mandatis, ut ipſi, vel duo aut unus eorum contra præfatos Matthæum, Galeatium, Marchum, & alios præfati Matthæi filios ejuſdem hæreſis fultos labe, quoad ea, quæ præmiſſa contingebant & alia, de quibus poterat haberi veriſimilis ſuſpicio contra eos, juxta formam canonum, & prout alias eis ex officio inquiſitionis contra hæreticos competebat, procedere cum omni diligentia procurarent. Qui ſuper præmiſſis, earundem literarum noſtrarum forma ſervata, diligentius inquirentes, ac comperto legitime prænominatos Matthæum, Galeatium, Marcum, & alios ejus filios ſæpedictos de prædicta labe reſperſos; primo dictum Matthæum, & deinde Galeatium, & ſubſequenter Marcum, Luchinum, Joannem, & Stephanum natos ejuſdem Matthæi legitime convictos de hæreſi, juxta formam canonum auctoritate noſtræ commiſſionis hujuſmodi, & prout alias eis ex officio inquiſitionis contra hæreticos competebat, per diverſas ſententias diffinitivas ſucceſſive prolatas decreverunt & judicaverunt hæreticos manifeſtos: eoſque de hæreſi condemnarunt, ipſorum bona omnia, mobilia & immobilia, jura, juriſdictiones, & quæcumquæ alia ubicumque eſſent, & quibuſcumque nominibus cenſerentur, per eaſdem ſententias confiſcando, & confiſcata declarando; nonnullis aliis pœnis in præfatos Matthæum, Galeatium, & Marcum & alios ejuſdem Matthæi filios & nepotes legitime promulgatis; prout in proceſſibus & ſententiis, per dictos archiepiſcopum & inquiſitores ſuper his habitis & probatis, plenius continetur.*

Data archiepiſc. Mediolan. provincia in Vicecomites inquirendi.

Lata ab illo in eoſdem ſententia.

XI. *Cum autem poſtquam idem Matthæus, in obſtinata pravitate deficiens, infeliciſſimæ mortis perſolvit occaſum, dicti Galeatius, Marcus, Luchinus, Joannes, & Stephanus hæretici manifeſti ſecundum obſtinatam nequitiam & cor impenitens eorumdem, abſque erubeſcentia ſcelerum, dura facie, & indominabili mente velut domus exaſperans adverſus Deum & Romanam eccleſiam & orhodoxam fidem ſemper damnabilius & contumacius intumeſcant; per victricis crucis ſuffragium de fratrum noſtrorum conſilio contra dictos hæreticos, eorumque fautores, adjutores, conſiliarios, & valitores quoſcumque, ejſque quomodolibet adhærentes vel parentes eiſdem; & eos, qui eiſdem hæreticis impendent auxilium, conſilium, vel favorem, vel adhærebunt, aut parebunt eiſdem; providimus in virtute Altiſſimi inſurgendum, ac univerſos Chriſti fideles ad tollendum de fidelium medio infideles eoſdem & incredulos, ac ſubverſores catholicæ fidei de catholicorum gregibus extirpandos, donis ſpiritualibus invitandos, ut Dei cauſam fideique negotium tanto aſſumant ferventius & animoſius perſequantur, quanto ſalutis æternæ clypeo communiti hujuſmodi perſecutionis eventum poterunt ſecurius experiri. Ideoque nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, illa quam nobis, licet inſufficientibus meritis, Deus ligandi atque ſolvendi contulit poteſtate, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui contra dictos Galeatium, Marcum & Luchinum, Joannem & Stephanum ejuſdem Matthæi filios, rebelles, hæreticos, excommunicatos, Dei adverſarios & hoſtes apertos, perſecutores & inimicos eccleſiæ manifeſtos; ac quoſlibet adhærentes vel parentes eiſdem; nec non contra eos, qui in poſterum in hujuſmodi hæretica pravitate & excommunicatione durantibus impendent auxilium, conſilium, vel favorem, vel adhærebunt aut parebunt eiſdem, proceſſerint;* & infra, *illam ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, concedimus veniam peccatorum, quæ proficiſcentibus in terræ ſanctæ ſubſidium concedi per ſedem Apoſtolicam conſuevit, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum, &c. Dat. Avin.* x. *kal. aprilis pontificatus noſtri anno* VIII.

Indictum in illos ſacrum bellum.



Propoſitæ arma ſumpturis indulgentiæ

XII. Decreta eſt ſacra hæc expeditio in Vicecomites, cum jam februario exeunte pontificius exercitus ab auxiliaribus Ludovici Bavari copiis profligatus fuiſſet (a), ejuſque ductor Raymundus Cardona [1] Mediolanum in vincula adductus. Qua accepta clade, Pontifex reficiendo exercitui, confirmandiſque ſuorum animis curas intendit. Extant eo argumento datæ ad Florentinos ſocios ſubjectæ literæ (b).

(a) Jo. Vill. l. 9. c. 239.

*Poteſtati, capitaneo, vexillifero juſtitiæ, prioribus artium, antianis, conſilio, & communi Florentinis.*

(b) To. 4. p. 1. ep. ſecr. pag. 69.

*In diſcrimine turbationis Italicæ moderatam olim fortitudinis veſtræ conſtantiam valde notavimus, quæ inter dexteram & ſiniſtram, inter contingentia ſcilicet proſpera & adverſa varios fortunæ caſus experiens, nec adverſis deprimitur, neque proſperis relevatur: immo illud præclarius ſemper attribuimus veſtræ laudi, quod eo validior veſtra probitas comprobata reviguit, quo durius pios veſtræ devotionis affectus dudum hoſtilis adverſitas impugnavit. Sane audiviſtis, ut credimus, ſiniſtræ fatalitatis eventum inoffenſam noſtri exercitus, cum quo erat militia veſtræ gen-*

Florentini ad conſtantiam priorem excitati.

NOTÆ [1] DE anno quo captus fuit Raymundus Cardona Pontificiarum copiarum in Inſubria poſt Legatum apoſtolicum Dux præcipuus diſſidium eſt quoddam inter coævos Scriptores; nam alii cum Joanne Villano lib. 9. cap. CCXXXVIII. fuſum captumque aſſerunt die ultima Februarii anni 1323 alii diem pugnæ conſtituunt penultimam Februarii anni 1324. quam in feriam III. incidiſſe notant quod fulcitur authoritate Chronici Mutinenſis deſinentis in annum 1363. & vulgati Rer. Italic. to. XV. Annus conſonat cum iis quæ ſcribit Author Chronici Modoetienſis, qui tunc Modoetiæ egiſſe ſe affirmat, & pugnam hanc commiſſam ſcribit non quidem Modoetiæ, ſed ad Vaprium, quod oppidum eſſe Mediolanenſis agri, & diem notat XVI. Februarii. Vide hiſtoriæ hujus Cap. XXIII. Rer. Italic. to. XII. Alii denique cum authore Annalium Mediolanenſium, qui deſinunt anno 1402. rem ad annum uſque ſequentem 1325. Rer. Italic. tom. XVI. extrahunt. Sed poſterior hæc ſententia plane reiicienda eſt, cum Scriptores omnes eorum temporum æquales adverſos habeat; ſummo enim conſenſu anno 1324. rem hanc adſcribunt. Nec diſſentitur Joannes Villanus, qui annum 1323. ideo notat, quod ipſe annum nonniſi a Martio exordiatur. Cæterum id vere ab anno 1324. removendum non eſſe diſcimus ex authore chronici Mutinenſis, de quo ſupra; notat enim ille diem penultimam Februarii, & feriam III. qui plane characteres annum 1324. exprimunt. Menſem Februarium omnes aſſignant; ad diem quod attinet oculatus teſtis Mediolanenſis a cæteris diſſidet, cum alii diem Februarii poſtremam, alii penultimam maluerint; hic vero diem ejuſdem menſis XVI. inſtructam ad pugnam aciem utramque inducit; ſed forte mendum irrepſit in codicem ac pro XVI. legendum XXVI, qua facile die agmina ſteterunt in conſpectum; pugna dein ad biduum extracta. Cum vero annus ille biſſextus fuerit, hinc alii diem XXVIII. menſis quæ in feriam III. inciderat (qua die pugnatum aſſerit Annaliſta Mutinenſis ſuperius commemoratus) menſis noviſſimam, alii vero penultimam appellarunt. Quid dein actum ſit de Raymundo in hoſtium poteſtatem tradito ſilet Annaliſta; ſed ex Joanne Villano, atque Joanne iſto multo locupletiori teſte Authore Chronici Mediolanenſis cap. XXVII. diſcimus e Mediolanenſi carcere evaſiſſe, ſeu potius fugam ſimulaſſe, cum re ipſa a Galeatio Vicecomite clam dimiſſus fuiſſet, ut ad Pontificem ſe conferens, pacem cum iis, quas proponebat, conditionibus impetraret. Occultas haſce pactiones ignorantes Scriptores reliqui fuga ſubductum e carcere Raymundum ſcribunt. Liberationis hujus menſem ſilet Author Modoetienſis; Joannes Villanus Novembrim indicat. Cæterum Modoetiam actutum ſe contuliſſe Cardonam ſcribit Auctor idem Modoetienſis: tum poſt ſex dies ad Legatum Placentiam conceſſit, ac demum perrexit ad Pontificem, cui legationem ſuam expoſuit: ſed cum pro Galeatio Italiæ Vicariatum peteret, Pontifex certiorem ſe de omnibus Robertum Siciliæ Regem facturum reſpondit. Interim Raymundus Avenioni manſit; donec ſequenti anno, Modoetia jam Galeatio tradita, ac rebus in Inſubria utcumque compoſitis a Florentinis requiſitus fuit Pontifex, ut ſibi Raymundum concederet copiarum ſuarum ducem in Caſtruccium Lucanum Dominum. Quo aſſentiente, ille ſequenti anno 1325. Florentiam ſe transferens belli in Caſtruccium Dux renunciatus fuit. Memorabili prælio cum hoſte commiſſo die 23. Septembris anno 1325. victus, profligatuſque fuit, quin, & ſi fides habeatur Joanni Villano, in eodem prælio vitam abſolvit. Sed author Chronici Modoetienſis tradit vivum in hoſtium poteſtatem veniſſe. Cui fidem habendam credo cum id pariter ſcribat coævus Author hiſtoriæ Piſtorienſis Rer. Italic. to. XI. & reliqui res in Italia geſtas anno 1325. perſecuti. Inſuper in Hiſtoria Cortuſiorum lib. III. cap. IX. lego captivum illum egiſſe apud Caſtruccium, quo ad uſque Ludovicus in Italiam veniens liberum dimitti juſſit, quod accidiſſe anno 1329. Author Chronici Modoetienſis lib. 3. cap. 3. affirmat.

De Henrico, quem Annaliſta hic Belgam appellat, Author Modoetienſis narrat e pugna incolumen evaſiſſe, & clam ſe proripuiſſe Modoetiam. Quare nonniſi ex incertis rumoribus rem auditam narrat Villanus, dum captum illum, & a Germanis militibus redemptum, dimiſſumque affirmat. Denique Modoetia die X. Decembris ejuſdem anni in manus Galeatii recidit teſte eodem Authore Chronici Modoetienſis cap. XXIX. ex quo corrigendi ſunt Annales in quibus Urbis caſus ad æſtatis exitum refertur. MANSI

*gentis armigeræ, in comitatu Mediolanenſi diebus proximis contingentem: de quo licet forſan noſtri & ſanctæ Romanæ eccleſiæ atque veſtri & aliorum devotorum hoſtes in exterminium ſuæ, proh dolor! malignitatis exultent; nos vero etſi ex veſtris huc uſque geſtis veriſimiliter ſupponamus certitudinem veſtræ conſtantiæ in aliquo non commotam; ex patris tamen affectione tenerrima, qua domeſtice vos tractavimus, quæſumus, filii benedictionis & gratiæ, ut inde vultus veſter nullatenus concidat, ne in æmulorum oculis ſerenam mutaſſe videamini faciem, & in aliquo minuiſſe teſtemini virilis animi probitatem: quinimmo univerſitatem & ſinceritatem veſtram rogamus & hortamur attente, quatenus cum etiam poſt naufragium tentanda ſint maria, reſumatis altius cum ſolita promptitudine vires veſtras; & hujuſmodi gentem veſtram nedum in deficienti de priſtino perditorum equitum & peditum numero, verum (ſi poteſtis) etiam in majori armigerorum ſubſidio concite reſtauretis, cum ad habendam de ipſis hoſtibus Domino favente, victoriam vos proculdubio moveat libertas inæſtimabilis patriæ, & cupiditas incitet tam cæleſtis gloriæ quam terrenæ: ſperamus enim in virtute Altiſſimi, quod tale apponet in hac parte remedium, quod vos, & præfatos devotos alios proſperabit. Dat. Avin. kalend. aprilis anno* VIII.

Erexit aliis literis Modoecienſes, qui cladis illius partem ſenſerant, his verbis: (a) *Denique iſtud unum ad ſolamen conceptæ amaritudinis addimus, quod cum dicti hoſtes manifeſtam proſequantur injuriam, vos vero cum fidelibus cæteris proſequamini Dei fidem atque juſtitiam, nunquam in prædictorum hoſtium conflictu ſuccumbitis; immo ſi vincimini, vincitis & per gloriæ meritum triumphatis propterea æternaliter apud Deum. Dat. Avin.* XV. *kal. aprilis anno* VIII. Simillimis ſententiis Henricum Belgicæ aulæ principem, quem Joannes Villanus (b) in eo prælio ad flumen Adduam captum, ſeque a Germanis redemiſſe ait, ad colligendos animos, ſi quæ rerum ſuarum damna eſſet paſſus, excitavit (c): *Dum*, inquit, *te attendimus pro Dei fide atque juſtitia conflixiſſe; dum penſamus, quod probi athletæ quidquid tormenti ferunt in præliis, non quia pugnant illud tolerant, ſed ut pugnent, quæſumus, ut vultus tuus de hujuſmodi ſiniſtro eventu non concidat, & erectum viri ſtrenui animum hoſtilis vana gloria non coſternat. Dat. kal. aprilis anno* VIII.

(a) *Eod. to. 4. p. 1. ep. ſecr. pag. 50.*

(b) *Joan. Vill. l. 9. c. 239.*

Henricus Flandr. captus redemptuſque ex hoſte.

(c) *To. 4. p. 1. ep. ſecr. p. 50.*

(d) *Jo. Vill. l. 9. c. 250.*

Mediolanenſium copiæ fuſæ ad Montiam.

(e) *Eod. lib. c. 243. Anton n. 3. p. tit. 22. c. 5. §. 10.*

Pugnatum (d) eſt, nonnullis a datis hiſce literis elapſis diebus, ſecundo eventu a pontificiis, atque ab Henrico Belga Mediolanenſium copiæ ſunt profligatæ. Propugnarat (e) is antea Montiam contra Galeatii Vicecomitis impetus, factaque eruptione caſtra ſolvere coegerat: verum poſtea in medio belli ardore victoria ad Mediolanenſes inclinavit, menſeque junio eccleſiæ copiæ equeſtres, quas Paſſerinus Turrianus ductabat, ab hoſte profligatæ fuere (f): præcipitique æſtate Galeatius, admotis iterum caſtris Montiæ, quam tum Obizo Lando nomine pontificio tuebatur, illam ad deditionem compulit (g). Denique devexo anno Bertrandus ſedis Apoſtolicæ legatus, cum in Laudam facto impetu irrupiſſet, magna clade propulſatus eſt (h). Tuebatur Galeatium Bertoldus e Marſteron, qui Ludovici Bavari nomine legatum cæſareum agebat: quem ut hæreticorum contra pontificios defenſorem Joannes, intentato anathemate objectiſque aliis pœnis, præfecturam Inſubriæ abiicere, ac geſta revocare juſſit (i).

(f) *Id. Vill. c. 259.*

Montia ab hoſte capta.

(g) *Id. Vill. eod. lib. c. 271.*

(h) *Eod. lib. c. 278.*

De Ludovici Bavari ducibus.

(i) *To. 4. p. 2. ep. ſecr. p. 118. & lib. Variar. bullar. p. 16.*

*Ad futuram rei memoriam.*

XXXVI. Poſtulantur judicio a Pontif.

*Vineæ domini Sabaoth, licet immeriti, divina gerentes permiſſione ſolicitudinem atque curam, providere & agere circumſpectius nos oportet, ut non ſolum prætergredientes catholicæ fidei ſemitam & prævaricationem addentes, ut eamdem vineam valeant demoliri; ſed etiam favores & auxilia miniſtrantes eiſdem tanquam degeneres propagines noti fiant, & a veris fidei cultoribus evitentur. Sane quia, licet dudum Galeatius, Luchinus, Marcus, Joannes, & Stephanus fratres filii damnatæ memoriæ Matthæi de Vicecomitibus de Mediolano, de labe pravitatis hæreticæ convicti fuerunt legitime, & per competentes judices ſententialiter condemnati, & proceſſus & ſententiæ hujuſmodi condemnationis tam in Lombardiæ, quam aliis diverſis partibus ſolemniter publicati; multique catholicæ fidei profeſſores non ſolum de circumvicinis, ſed etiam de aliis partibus contra dictos hæreticos in expugnationem eorum arma ſumpſerint, qui cum exercitu eccleſiæ acceſſerunt Bertholdus de Marſteron dictus de Niſen, & Bertholdus de Groyſpach, & Fridericus de Truendingen, qui ſe magnifici viri Ludovici ducis Bavariæ in Regem Romanorum electi, quem, Regem nominant Romanorum, ambaxiatores & nuncios fore dicebant, dictuſque Bertholdus de Marſteron ejuſdem electi in illis partibus pro vicario publice ſe gerebat, dictis Galeatio & fratribus favorem multiplicem impendendo, eoſdemque hæreticos velut complices & fautores eorum defendere nequiter præſumebant, ordinantes per civitates Lombardiæ, ac mandata & præcepta ex parte ejuſdem electi ſub pœnis gravibus facientes in dictorum hæreticorum favorem & auxilium manifeſtum, gentes armigeras per unum ex eis, videlicet præfatum Bertholdum de Marſteron Mediolanum mittendo adverſus exercitum fidelium ejuſdem eccleſiæ contra dictos hæreticos congregatum; dicti Bertholdus de Marſteron & alter Bertholdus & Fridericus per competentes judices, quibus legitime conſtitit de præmiſſis ſententialiter judicati, pronuntiati, & declarati fuerunt fore fautores & defenſores hæreticorum ſupradictorum, ac propter fautoriam hujuſmodi excommunicationis ſententiæ & perpetuæ infamiæ ſubjacere, omneſque pœnas reales & perſonales, ſpirituales & temporales contra fautores hæreticorum editas incurriſſe, prout in proceſſibus & ſententia ſuper his habitis & prolata contra eos plenius continetur.*

Ut Vicecomites damnati hæreſeos fuerint.

Fideles in eos ſacram militiam profeſſi ſint.

Ludovici oratores favent hæreticis.

*Ut autem exceſſus hujuſmodi ipſorum Bertholdi de Marſteron & Bertholdi de Groyſpach & Friderici, & ſententia contra ipſos promulgata in publicam notitiam deducantur, eoſdem fuiſſe & eſſe fautores, complices, & defenſores hæreticorum publicos & notorios, ac propterea excommunicationis ſententiæ & perpetuæ infamiæ ſubjacere, omneſque alias pœnas reales & perſonales, ſpirituales & temporales contra fautores, complices, & defenſores hæreticorum editas incurriſſe, de fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica nuntiamus & publicamus, præſente hac multitudine fidelium copioſa.*

Coactus a Bertoldo exercitus adverſus cruceſignatos.

*Cæterum multorum inſinuatio fide digna ad apoſtolatus noſtri perduxit auditum, quod idem Bertholdus de Marſteron dictus de Niſſen, poſt & contra proceſſus noſtros ſuper his habitos, & in illis partibus ſolemniter publicatos, velut vicarius (ut prædicitur) in partibus Italiæ electi prædicti, quem Regem nominant Romanorum, gentes armigeras & exercitum congregavit & congregat de diverſis civitatibus, caſtris, terris, & locis in dictorum Galeatii & fratrum ſuorum favorem, præſidium, & juvamen contra exercitum fidelium eccleſiæ memoratæ contra præfatos hæreticos eorumque fautores & defenſores per ipſam eccleſiam ordinatum; & quod cum gentibus illis, non abſque hæreticorum prædictorum fautoria notoria & ſequela, ejuſdem eccleſiæ gentes invaſit, & bellum movit, & exercuit & exercet contra eas; nec his contentus ad frangendum vota fidelium præſumpſit & præſumit facere mandata communitatibus ac perſonis ſingularibus civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum illarum partium ſub gravibus pœnis, ne ipſæ & gentes ipſarum ad exercitum fidelium eccleſiæ conveniant, vel eiſdem inhæreant, vel ſequantur eos, ſeu aſſiſtant eiſdem, & tanquam vicarius ejuſdem electi communitatibus, civitatum, caſtrorum, & locorum prædictorum obedientibus ſibi privilegia dudum conceſſa eiſdem de facto innovat & confirmat, aliaque eis de novo concedit. Privilegia vero dictis communitatibus in devotione ejuſdem eccleſiæ conſiſtentibus, ſibique minime obedientibus conceſſa, de facto revocat, adimit, & annullat: pœnas etiam fidelibus eiſdem infligit, ipſoſque condemnat & punit rerum & famæ jactura, quamquam nullam faciendi prædicta habeat quomodolibet poteſtatem. Propter quod tantæ præſumptioni & uſurpationi (prout ad apoſtolatus noſtri ſpectat officium) occurrere intendentes, eundem Bertholdum de Niſſen per publicum præſentis proceſſus, edictum, de ipſorum fratrum conſilio monuimus ei ſub excommunicationis, ac privationis privilegiorum & feudorum, quæ a Romana vel aliis quibuſcumque tenet eccleſiis, pœnis, & ſententiis, quas eum ipſo facto incurrere volumus, ſi monitioni & mandato hujuſmodi non parebit, diſtrictius injungentes, ut infra duorum menſium ſpatium, quod ſibi pro peremptorio termino aſſignamus, præmiſſa omnia & ſingula, quatenus ad illa de facto proceſſit, eatenus quantum in ipſo erit & poſſibile fuerit, ipſa de facto ſtudeat revocare, ſimilia proprio vel ejuſdem vicariatus vel alio quocunque vocabulo ſeu colore quæſito impoſterum nullatenus præſumpturus; quinimmo a fautoria, defenſione, omnique adhæſione dictorum hæreticorum & rebellium, ac prædicto præſumpto uſurpato vicariatus officio, & quolibet exercitio ejuſdem officii infra dictum terminum omnino deſiſtat, nec ſe de illis per ſe vel alios directe vel indirecte, publice vel occulte aliquatenus intromittat: noſque nihilominus prædicta omnia & ſingula, per dictum Bertholdum de Niſſen ſub ejuſdem nominis vocabulo vel alio quovis modo præſumpta vel attentata, auctoritate prædicta revocamus, caſſamus, & irritamus, & viribus vacuamus, ac caſſa, vacua, & irrita nunciamus, & nullius exiſtere decernimus firmitatis.*

Adhibita Ludovici Bavari auctoritas contra eccleſiam hæreticos perſequentem.

Monitus Bertoldus ut cœptis abſiſtat.

*Mandamus nihilominus univerſis & ſingulis patriarchis, archiepiſcopis, & aliis eccleſiarum prælatis, nec non ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, & nobilibus; univerſitatibus quoque & communitatibus civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum, & aliis perſonis ſingularibus quibuſcumque, cujuſcumque ſtatus, conditionis, vel dignitatis exiſtant, ſub excommunicationis in perſonas eorum, & interdicti in communitates, univerſitates, civitates, caſtra, & loca prædicta pœnis & ſententiis, quas ex nunc in ipſos ferimus & eos (niſi infra duorum menſium ſpatium a data præſentium computandos hujuſmodi monitioni & mandato noſtris parere curaverint cum effectu) incurrere volumus ipſo facto, ut dicto Bertholdo de Marſteron ſeu de Niſſen tanquam vicario, ut præmittitur, vel alias ſuper præmiſſis vel-*

Vetiti Inſubres Bertholdo parere.

Juſſus legatus in fautores Vicecomitum hæreticorum animadvertere.

*vel ſimilibus in nullo pareant vel intendant, proceſſibus aliis quibuſcumque per nos ſeu per dilectum filium noſtrum Bertrandum tit. S. Marcelli presbyterum Cardinalem A. S. L. vel alios judices competentes habitis tam contra dictum Bertholdum de Marſteron, quam alios & parentes eiſdem, in ſuo robore duraturis, &c. Dat. Avin. id. aprilis pontificatus noſtri anno* VIII.

Data ſunt paucis poſt diebus Bertrando legato a Pontifice imperia, ut dictum Bertoldum Niffenſem, Bertholdum e Groyſpach, & Fridericum e Tervendigen, qui ſe Ludovici Bavari Regis Romanorum vocitabant oratores (e quibus Niffenſem, ut vicarii imperii nominis invidiam declinaret, cum dignitatem eam Pontifex Roberto Regi contuliſſet, Ludovici oratorem molliore verbo ſe dixiſſe colligitur) propoſitas hæreticorum defenſoribus pœnas contraxiſſe ſolemni ritu in templis divulgaret: *Prædictos Bertholdum de Marſteron alias dictum de Niffen, & Bertholdum de Groyſpach, ac Fridericum de Tervendigen fuiſſe & eſſe fautores, complices, & defenſores dictorum hæreticorum publicos & notorios, ac propter hoc excommunicationis ſententiæ & perpetuæ infamiæ ſubjacere, omneſque pœnas alias reales, & perſonales, ſpirituales & temporales contra fautores, complices, & defenſores hæreticorum editas incurriſſe, ac omnia alia in eodem proceſſu contenta in eccleſiis, civitatibus, terris, & locis aliis decretæ provinciæ tuæ legationis, de quibus videris expedire, denunciare & ſolemniter publicare procures, clero, & populo in locis ſingulis, ubi fiet dicta publicatio, ſpecialiter propter hoc convocatis, &c. Datum Avin.* XV. *kal. maii anno* VIII. Impoſita (*a*) eadem in Germania Magdeburgenſi, Colonienſi, Salisburgenſi & Treverenſi archiepiſcopis, ac Leodienſi & Conſtantienſi epiſcopis provincia. Revocatum vero ex Inſubria in Germaniam a Ludovico Bavaro ſuarum copiarum ducem, ne Galeatium hæreſeos crimine damnatum adverſus Pontificem tueri videretur, Joannes Villanus (*b*) atque ex eo S. Antoninus (*c*) ſcribunt. Verum ſi tum Ludovicus Galeatium, ut Pontificis iras mulceret, deſerere viſus, mox illius clientelam reſumpſiſſe ex Joannis Papæ edictis conſtat: adverſus enim ipſum ordinem urſit, cum is in jus vocatus non cœpta emendaſſet nec miſiſſet procuratores, ut reſponderet in judicio, vel controverſias pactione ſedaret; ſed expediret arma, & Romanæ eccleſiæ jura, occupato etiam ſupremo Ferrariæ imperio, invaderet. Præterea contendebat Joannes, interregnum eſſe creatis duobus Cæſaribus, donec lis a ſede Apoſtolica dirimeretur: neque illam in acie, qua juſtus poſſit ſuccumbere, ſed in judicio æquitate decidendam: proinde Robertum jure a Clemente V. legatum imperii in Inſubria conſtitutum; ac ne munus illud exerceret, injuſto bello appetitum. Contra Ludovicus Bavarus opponebat, jus in armis, capto in acie Friderico æmulo, ſive is juſte vel injuſte Cæſar deſignatus eſſet, ſublatam omnem controverſiam, diremptamque ferro, neque jam pontificia ſententia dirimendam; ac poſt ſuſtentatum a ſe tot annis Romanum ſceptrum interregnum dici non poſſe, juraque imperii contra Pontificem & Robertum jure recuperari: quæ Ludovici defenſio fuiſſe in ejus ſcriptis tractatur (*d*). Secundo itaque armorum ſucceſſu tumidus, legum voces & judiciorum ordinem contemnebat: quæ res Pontifici acerbiſſima accidit, quippe qui juſtitiæ tenax & legum vindex Cæſarum diſcordibus ſuffragiis electorum controverſias in apoſtolico tribunali dirimi volebat, ut Richardi Alphonſique cauſa fuerat olim diſceptata. Hanc itaque in Ludovicum, in judicio non comparentem, ſententiam pronunciavit (*e*).

(*a*) *Ibid.*

Revocatus ex Inſubria a Ludovico Bertholdus.

(*b*) *Jo. Vil. l.* 9. *c.* 243.

(*c*) *Ant.* 3. *p. tit.* 22. *c.* 5. §. 10.

Præcipua inter Pontificem ac Bavar. controverſia.

(*d*) *Ext. apud Nic. Min. MS. Vat. ſign. n.* 4008. *pag.* 13. *&c.*

(*e*) *To.* 4. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 110. *& l. var. bull. pag.* 28.

XIII. Accuſatur Ludovicus contumaciæ.

*Joannes, &c. ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.*

*Quamvis præfati electi* nempe Ludovici *in non parendo noſtris monitionibus & mandatis inobedientia pertinax, nec infra ſecundum terminum ſibi ſimiliter hujuſmodi dilatione conceſſum comparendo coram nobis per ſe vel procuratorem legitimum, nec etiam poſtea, de benignitate ſedis Apoſtolicæ diebus pluribus expectati contemptus ejuſdem exigant; ſcandulum quoque, & pericula plurima, quæ profecto præmiſſorum diſſimulatio & impunitas vel dilata juſtitia probabiliter comminatur, deſiderent ſuper præmiſſis contra dictum electum de remedio celeri per opportunam & rigoroſam juſtitiam provideri; nos tamen adhuc volentes cum eodem electo uti potius manſuetudine, quam rigore, ac probare, utrum manſuetudinis noſtræ benignitas ipſum a tam periculoſo devio valeat, quod deſideriis intenſis appetimus, revocare; de dictorum fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica per infraſcriptum modum duximus ordinandum: videlicet, quod ad publicationem ſententiæ excommunicationis per nos, ut præmittitur, promulgatæ, in quam idem electus propter ſuam in præmiſſis commiſſam inobedientiam & contemptum incidiſſe dignoſcitur, procedentes ab aliarum pœnarum publicatione, in quas ſimiliter incidit, ſuperſedeamus ad præſens.*

Pronuntiatur contraxiſſe anathema.

*Ideoque præfatum electum de ipſorum fratrum conſilio auctoritate apoſtolica in prædictam excommunicationis ſententiam incidiſſe, præſente hac multitudine copioſa fidelium, declaramus; ipſumque prædicta*



*dicta excommunicationis ſententia innodatum, & velut excommunicatum, præter caſus exceptos, evitandum ab omnibus nunciamus: eumque nihilominus, aſtante prædicta multitudine copioſa fidelium, per hoc præſens edictum publicum ſolemniter auctoritate prædicta monemus, ſibi auctoritate apoſtolica ſub pœna privationis omnis juris, ſi quod ſibi ex ſua electione prædicta, quæ de ipſo dicitur celebrata, vel ad regnum & imperium Romanum quoquo modo competit & poſſit competere; quam, ſi monitioni & mandato hujuſmodi efficaciter non parebit, eum incurrere volumus ipſo facto; diſtrictius injungentes, ut infra trium menſium ſpatium a data præſentium, in antea computandum, ſe Regem Romanorum non intitulet, non denominet, nec deſcribat, nec per alios faciat, quantum in eo fuerit, tali intitulari titulo, vel etiam nominari; ab intitulatione & denominatione regali hujuſmodi, per eum indebite uſurpata, ac adminiſtratione regni & imperii prædictorum & rerum & jurium eorundem (denominationem, intitulationem, & adminiſtrationem præfatas non reſumpturus ulterius, niſi, ſi, & quando perſonam ipſius & electionem, quæ de ipſo celebrata fuiſſe dicitur, per ſedem eandem approbari contigerit, & admitti) a fautoria quoque & defenſione tam dictorum hæreticorum Mediolanenſium rebellium Dei & eccleſiæ,* nimirum Galeatii & fratrum Vicecomitum, *quam Ferrarienſium, videlicet Raynaldi & Opizonis filiorum dilecti filii nobilis viri Ildebrandini marchionis Eſtenſis, qui quidem filii ſunt ſimiliter de labe pravitatis hæreticæ condemnati, ac rebelles eccleſiæ memoratæ eorumque fautorum, valitorum, & ſequacium prorſus abſtinere procuret; fidelitati etiam & homagio, quæ ratione civitatis Ferrarienſis, quæ ipſius Romanæ eccleſiæ pleni juris & proprietatis exiſtit, præſumpſit recipere ab eiſdem, in noſtrum & ejuſdem eccleſiæ magnum contemptum, atque diſpendium & præjudicium manifeſtum, publice & omnino renunciet; illaque prorſus a ſe abiiciat, quaſi nunquam ſibi præſtita extitiſſent: nec ratione illarum aliquid penitus juris uſurpet in civitate Ferrarienſi prædicta, ejuſque diſtrictu vel civibus ac diſtrictualibus eorundem; ſed potius omnia prædicta uſurpata, præſumpta & attentata per ipſum ſub denominatione & intitulatione prædictis ſeu colore vel occaſione ipſarum, curet effectualiter infra dictum terminum, prout ſibi poſſibile fuerit, ſolemniter & publice revocare; ac parere in omnibus prædictis noſtris monitis, inhibitionibus, & mandatis; necnon & ad ejuſdem eccleſiæ redire gremium ſtudeat, ſatisfactionem debitam impenſurus, de offenſionibus & injuriis ſupradictis: ac nihilominus infra dictum terminum, quod prædicta omnia revocaverit ac paruerit in eiſdem omnibus hujuſmodi noſtris monitionibus, inhibitionibus, & mandatis plenarie cum effectu, nos per autenticas perſonas, literas vel inſtrumentum publicum certificare procuret: ac inſuper infra dictum terminum per ſe, vel procuratorem ſeu procuratores idoneos compareat coram nobis, ſuper dictis exceſſibus, offenſionibus, & injuriis; ac ſuper pœna privationis juris, ſi quod ſibi competit vel competierit ad regnum ſeu imperium ſupradicta, declaranda vel inferenda; nec non & pœnis aliis, quibus exceſſus ac inobedientia & contemptus prædicti eundem electum obnoxium reddiderunt, definitivam ſententiam, & noſtrum beneplacitum, quantum officium noſtrum patitur, auditurus, & alias facturus & recepturus, quod juſtitia ſuadebit, &c.* Addit plura graviora imperia, ac præſules, proceres, & populos Romani imperii Ludovico ut Regi parere vetuit, antequam cæſarea electio ſedis Apoſtolicæ auctoritate confirmata eſſet, & contra nitentibus divinas humanaſque pœnas intentavit. Tum quorumcumque principum cum Ludovico inita fœdera reſcidit. *Dat. Avin.* x. *kal. april. pontificatus anno* VIII.

Conſtitutum trimeſtre, quo excurrente non Regis ſed electi in Regem nomen ſibi tribuat.

Clientelam Mediolanenſium, & Ferrarienſium deſerat.

Uſurpatum in Ferrariam imperium ponat.

Sarciat injurias illatas eccleſiæ.

Diſceptabat contra publicis libellis Ludovicus, ſe jure & legibus cæſareos accepiſſe apices, ac Fridericum æmulum imparibus electum ſuffragiis, & ſi qua lis interceſſiſſet, diremptam prælio, in quo ille ſub victoris poteſtate ſuccubuerat: nunquam hactenus Reges diſcordibus ſuffragiis creatos in jus vocatos, ſi Reges ſe dixiſſent: conſulenda in ea lite vetera Germanorum & imperii inſtituta; tum graves querelas in Joannem fudit: *In dicto,* inquit (*a*), *proceſſu ſive exceſſu mandare dicitur ſubditis noſtris eccleſiaſticis & mundanis, ſeu ſæcularibus etiam cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtant, etiamſi regali vel quacumque alia præfulgeant dignitate, ſub pœnis gravibus inflictis ac etiam comminatis, ne nobis tanquam Regi Romanorum, & in Regem Romanorum electo pareant vel intendant, aut ne nobis præſtent auxilium, conſilium, vel favorem,* & infra, *contra noſtram manifeſtam juſtitiam, atque jura, ut ex prædictis apparet, & contra libertatem & dignitatem & utilitatem ſacri imperii, & principum imperii electorum & aliorum principum, & omnium imperii ſubjectorum & contra conſuetudines imperii approbatas prædictas, quæ pro lege ſervantur & ſervatæ ſunt ab antiquo; præcipue contra conſuetudinem jam approbatam, atque ſervatam ab eo tempore, cujus contrarii memoria non exiſtit, qua cavetur, quod ſi vota principum, ad quos ſpectat eligere, ad eligendum convenientium dividantur in plures, & duo in diſcordia eliguntur, al-*

XIV. Intentatæ ni compareat dicto peremptorio termino pœnæ.

(*a*) *Ext. apud Nic. Min. ſchiſmaticum MS. bibl. Vat. ſign. n.* 4008. *pag.* 15. *& MS. ſign. n.* 4010. *pag.* 23.

Ludovici argumenta.





ter

*ter electorum, qui potentior fuerit & prævaluerit, debeat obtinere. Sed victoriam nobis contulit plenam, atque pleniſſimam miſericors Dominus, ad quem bellorum ſpectat victoria, ut victo hoſte & adverſario conculcato, potentiorem atque victorem nos fecerit per miſericordiam ſuam.* Falſa eſt hypoteſis probari a Deo ſemper victoris cauſam, nec enim miſericors Deus crudelitate ſed æquitate, non ferro ſed legibus lites dirimi jubet. Subdit Ludovicus: *Licet electio ejuſdem adverſarii nulla fuerit, & nullum jus tribuere potuerit, nec noſtro in aliquo derogare: quia a minori parte principum fuit electus, videlicet a duobus, & quia facta fuit ex intervallo poſt primam electionem noſtram, & ideo ut nulla nullum jus ſibi tribuere potuit, nec noſtro in aliquo derogare. Item quia electio ſua facta fuit non in loco debito de Franchefort, & ſic nulla de jure, & per conſuetudines approbatas prædictas. Item quia facta fuit non in termino & die præfixis ad eligendum per eum ad quem ſpectat præfigere: & ſic nulla per jura communia & per conſuetudines imperii approbatas, quæ pro jure ſervantur.*

Aſſertam victoria electionem diſceptat.

XV. Confutat Frederici electionem.

*Item quia coronatus fuit & inunctus in Regem non in loco ad hoc antiquitus deputato, videlicet Aquiſgrani, & pluribus aliis rationibus evidentibus, atque cauſis, quas numerare & exprimere non expedit, velut notorias, & omnibus manifeſtas.* Et infra: *Reſervaſſe ſibi dicitur, ut poſſit pendente dilatione contra nos procedere, prout ſibi videbitur expedire. Ex quo manifeſte patet odium notorium, quod ad ſacrum imperium & nos gerit.* Non ex eo odium patet, ſed in aſſerendis legibus Joannis conſtantia: addit aliam querelam Ludovicus: *Item manifeſte patet, quod ſe ſacro imperio & nobis prius inimicum capitalem conſtituit, nos & devotos ſacri imperii videlicet perſequendo, & rebelles & hoſtes imperii videlicet publice & notorie confovendo, inimicorum noſtrorum & ſacri imperii continue utendo conſiliis; immo ſeipſum, & actus ſuos, & opera ſua dirigendo in omnibus & per omnia conſiliis eorundem: & poſt hæc judicem noſtrum ſe conſtituere nititur contra antiquos canones, decernentes, quod ſuſpecti & inimici judices eſſe non debent.* Falſum eſt Pontificem Ludovici & imperii hoſtem! ſe profeſſum eſſe, ſed prior Ludovicus ſuſcepta hoſtium eccleſiæ clientela hoſtem ſe eſt profeſſus; non etiam imperii hoſtis Joannes dici poteſt, qui legibus litem, quæ evertebat imperium, dirimi voluit, nec quamvis ſuſpectus contendatur, judiciarium ordinem debuit intermittere, cum nullus ſit eo ſuperior legum arbiter. Pergit Ludovicus.

Fucus ad ſubterfugiendum Pont. judicium.

Refellitur.

*Præterea cum conſtet & notorium ſit, omnes Reges Romanorum electos etiam in diſcordia, licet electio noſtra haberi debeat omnino ex cauſis evidentibus pro concordi, ut ſuperius eſt narratum; & tam Lotharius quam Conradus, tam Philippus quam Otho, tam Richardus quam Alfonſus, tam Adolphus quam Albertus electi fuiſſent in diſcordia; tamen adminiſtraverunt ſemper imperium ſicut potuerunt de jure, nec per quemquam Romanum Pontificem præſumptum fuit, quod per ipſum nuper noſcitur attentatum, in præjudicium & gravamen notorium ſacri imperii, atque noſtrum & principum electorum imperii & principum aliorum.* Falſa ſunt hæc, nam Urbanus & Clemens Richardi Alfonſique litem cognoviſſe oſtenſum eſt. Quæ vero ſequuntur de electione, jam ante a nobis diſcuſſa fuere: *Præterea electione noſtra a majori parte immo a duabus partibus principum facta, & quæ ex cauſis evidentibus & notoriis debet eſſe legitima: nobilis vir Fredericus dux Auſtriæ, licet non in loco electionis, nec in die ad eligendum præfixa, a longe minori parte principum, videlicet a duobus tantummodo ſe eligi fecit in Regem: & ex prædicta electione non ſolum nos, qui de jure notorio poteramus & debebamus, poſſumus & debemus adminiſtrare; immo etiam ipſe Fredericus adminiſtravit, cui in adminiſtratione ſua ipſe procedens, immo verius excedens, favit pro poſſe ſuo, ſicut notorium eſt & manifeſtum, nec aliqua poteſt tergiverſatione celari; nunquam tamen non ſolum nobis, ſicut nec debuit nec potuit, ſed nec ipſi Frederico, quem adminiſtrare ſciebat, adminiſtrationem quomodolibet interdixit; cum tamen & ante aſſumptionem ſuam, & poſt ipſam jam per annos octo & ultra adminiſtraverimus, & adminiſtrare nos ſciret notorie ac etiam evidenter, ſicut poteramus & debebamus, poſſumus & debemus, prout patet ex ſupradictis.*

An lis de imperio cognoſcenda a Pont.

Cognoſcendam confirmatur exemplo.

Argum. Lud. de adminiſtrando imperio.

XVI. Lud. querelæ in Guelp.

*Item per diverſas mundi partes & provincias perſequens imperiales ac ſacrum imperium, parti eos impugnanti favet & favit, prout eſt notorium toti mundo, ipſos filios chariſſimos eccleſiæ appellando, & conando pro viribus ſubjugare devotos imperii & fideles, eorum faucibus devorando: adeo quod ſe jactat, quod non remanebit in brevi de omnibus imperialibus & imperio adhærentibus unus, quin ipſum deſtruxerit & confuderit; ita quod nemo de imperialibus & imperio adhærentibus, atque fidelibus remanebit, quod abſit.* Jactata ſunt hæc ad creandam invidiam: Gibellinos autem tyrannos jure repreſſos armis ſat ante demonſtratum eſt; tum iniquas eſſe ſubjectas querelas.

*Item cum nobiles viros de Grambach & de*

de



*de Treveligen & de Suffen comites ad legatum ejus in Italiam legatos a latere noſtro mitteremus, facturos ejus ope & auxilio pacem & concordiam inter partes, quæ illic ſibi bellum & duras guerras movebant, continue ipſarum partium invitatione & pietatis officio excitati, ipſe renuit, & bellum & obſidionem fidelibus Mediolanenſibus paravit, & parare mandavit, ſicut in iſtis partibus eſt notorium & manifeſtum; quod tamen profeſſioni ſuæ minime congruebat, dictos comites in noſtrum & ipſorum, vel verius in ipſius vituperium dimiſit nimium inhoneſte.*

Dolet preces non admiſſas pro Viceccom.

*Item ipſe crudelis uſurpator jura principum imperii privata, negotio indiſcuſſo, parte inaudita, nititur uſurpare: cum enim vacante imperio comiti Palatino Rheni de jure & approbata conſuetudine imperii obſervata hactenus inconcuſſe, præſertim in partibus Alamanniæ jus competat adminiſtrandi jura imperii, feuda eccleſiaſtica & temporalia conferendi, & cuncta alia negotia diſponendi; ipſe in dicti principatus & principum ſuorum injuriam contendit, quod in illum caſum ſibi competit ad ſe adminiſtrationem vacantis imperii pertinere.*

Controverſum ad quem ſpectet imperii vacantis adminiſtratio.

XVII. Germaniæ adminiſtrandæ non ſe Joannes ingeſſerat, neque contra veteres conſuetudines quidquam novavit: Italia autem adminiſtrationem ſi prædeceſſorum more acceperit, argui jure non poteſt. Verum ſuperiora jactabat Ludovicus Bavarus, ut Germanos in ſuas partes pelliceret: qui etiam ad principes in Joannem Papam concitandos ſpargebat, nil aliud Joannem moliri, quam ut Germanis eriperet auguſtales apices, & Imperatoris creandi auctoritate ad ſe revocata, electores principes ferendi ſuffragii jure deturbaret. Navarunt ea in re Ludovico operam nonnulli nefarii viri, qui cum adducendæ publicæ concordiæ ex officii religione ſtudere debuiſſent, augere diſcordiam ac Pontificem in invidiam & odium apud electores principes adducere conabantur. A quorum calumniis ut ſe Pontifex vindicaret, hæc ad Moguntinum, Colonienſem, & Trevirenſem archiepiſcopos, ac Joannem Regem Boemiæ ſcripſit.

Variæ artes ad creandum Pontifici odium.

*Joanni Regi Boemiæ illuſtri*

Ad eas diſſipandas præmonet electores Pontifex.

*Infauſti rumoris aſſertio noſtris pertulit auribus his diebus, quod quidam iniquitatis filii, ſub veſte humili religionis exterius geſtantes habitum, ſed interius a religionis veritate vacui, iniquitate pleni, & malitia non carentes, ejus qui ab initio mendax eſt & pater mendacii, opera nequiter imitando, tibi fili chariſſime, ac quibuſdam aliis Regis Romanorum promovendi in Imperatorem coelectoribus tuis falſo & mendaciter ſuggeſſerunt, quod circa proceſſus, quos contra magnificum virum Ludovicum ducem Bavariæ, dudum in diſcordia in Regem Romanorum electum, propter varios exceſſus execrabiles contra Deum, nos, & Romanam eccleſiam, reique publicæ utilitatem per eum perpetratos, nuper habuimus, ad hoc noſtra ferebatur intentio & dirigebantur ſtudia mentis noſtræ, ut tandem te, & coelectores alios eligendi jure hujuſmodi privaremus. Et licet credamus te, tuoſque coelectores hujuſmodi falſis ſuggeſtionibus, ex fermento iniquitatis & malitiæ prodeuntibus, aures non accommodaſſe faciliter ad credendum; tamen ad confundendum omnino nequitiam hujuſmodi detractorum, ſatagentium inter matrem & filios ſcandala ſuſcitare, præmiſſa tuæ celſitudini providimus deſcribenda, quam tenere volumus indubie, quod noſtræ intentionis nequaquam extitit, nec exiſtit per proceſſus prædictos tuis, & aliorum coelectorum juribus in aliquo derogare; indecens enim eſſet, quod inde ſequerentur injuriæ, unde jura naſcuntur; & illi de paterna manu nocumenta ſentirent, qui per eam ad gratiam meruerunt attolli. Quocirca ſerenitatem regiam attentius deprecamur, quatenus tuum animum ad cujuſcumque ſiniſtræ ſuggeſtionis inſtantiam ſuper his non inclines; ſed potius ſuggeſtores eoſdem fabricatores mendaciorum reputes, & mendaces. Dat. Avin.* VII *kal. junii anno* VIII. Eodem exemplo ad Trevirenſem, Maguntinum, & Colonienſem archiepiſcopos miſſæ literæ (*a*).

(*a*) *Reg. poſt eand. ep.*

XVIII. Non deerant etiam Ludovico aliæ artes & illecebræ, ut adverſarios ſibi conciliaret: multiſque fucis ac blanditiis mulcere tentavit Leopoldum ducem, qui, cum ſparſa de Pontifice figmenta aperuiſſet, de rei veritate hiſce verbis eſt edoctus (*b*): *Quod autem ſe ſcire aſſerat, quod ſi nobis certa dimiſerit, nos nedum ſibi, ſed ejus heredibus alia dimittemus; quomodo ſit auſus dicere ſic evidenter falſa & impoſſibilia, non ſufficimus admirari: cum, Deo teſte, numquam pro parte ſua nobis, nec pro noſtra ſibi de noſtra conſcientia, vel mandato factus de his ſermo fuerit; nec nobis credimus hæc licere. Quare verbis talibus nequaquam eſt fides ab aliquo prudente adhibenda: ſed ad illum finem loquitur, ut alios in ſui erroris attrahere valeat fulcimentum.* Addidit monita, ne ſe fallacibus hoſtis promiſſis irretiri pateretur. *Datum Avinione* VI. *Id. Junii anno* VIII. Tum fœderatos Ludovici Reges ac principes ab ipſius amicitia divellere eſt conatus; interque eos Chriſtophorum Regem Daniæ fecit certiorem (*c*), Ludovicum a cœptis non potuiſſe abduci; atque adeo non parum regium decus obſcuraturum, ſi illius partibus ſe infici pateretur, in quem latæ ſententiæ has cauſas expreſſit.

(*b*) *Ib. p.* 70.

Confutata figmenta.

(*c*) *Ib. p.* 68.

Queritur de Lud. apud Reges Pontifex.

Jo-

*Joannes, &c. Chriſtophoro Regi Danorum illuſtri.*

*Magnificentiæ tuæ literis ſolita benignitate receptis, prout ex illarum tenore perpendimus, magnam devotionem erga nos ut ſpiritualem patrem, & ſanctam Romanam eccleſiam matrem tuam habere prætendis, non abſque ſinceræ mentis indicio te nobis & tua liberaliter offerendo. Super quo benevolentiam regiam cum gratiarum actione multiplici dignis in Domino laudibus commendantes, ut verſa vice de ſincera patris affectione confidas, placitum gerimus quod nos requiras in tuis opportunitatibus confidenter: nam ſicut te ut chariſſimum filium brachiis paternæ dilectionis amplectimur, ſic in illis, quantum cum Deo poterimus, te favorabiliter proſequemur.* Et infra.

*Audiviſſe te credimus, quod cum magnificus vir Ludovicus dux Bavariæ, diſcorditer in Romanorum Regem electus, ante obtentam ab Apoſtolica ſede approbationem & confirmationem ipſius, indebite ſe immiſcens adminiſtrationi ejuſdem regni atque imperii, cujus regimen imperio ipſo vacante, ſicut vacare noſcitur in præſenti, ad nos & prædictam eccleſiam de jure noſcitur pertinere; impertinenter nomen & titulum regium ſibi aſſumeret, & jura dicti regni & imperii occuparet in offenſam Dei, noſtram & eccleſiæ præfatæ injuriam, opprobrium pariter atque damnum: quamvis ad ipſum publica monitio noſtra præcederet, ut infra certum competentem terminum ſibi præfixum a præmiſſis deſiſteret, & attentata indebite revocaret. Quia tamen ſic inſania ſuæ mentis invaluit, quod hujuſmodi noſtra monitione contempta, patenter adhæret & favet noſtris in Italia & ejuſdem eccleſiæ rebellibus & hoſtibus publicis, finaliter tanquam hæreticis condemnatis: contra ipſum ducem proceſſum noviter fecimus; in quo eum, proh dolor! tam exigente quam clamante juſtitia excommunicavimus publice, & proceſſus adhuc alios fecimus, ex quibus damnandos & reprobos auſus ſuos ſalubriter,*

Danus in Lud. partes inclinat.

*actore Domino, reprobamus, &c. Dat. Avin. II. kal. junii anno* VIII. Non placuerunt hæc Dano Regi, qui affinitatem cum Ludovico pepigit, oravitque literis (*a*) Cardinales, ut ad conciliandum Joanni Ludovicum operam darent: *Vobis*, inquit, *& veſtrum cuilibet omni inſtantia qua poſſumus ſupplicamus, quod dominum Joannem ſummum Pontificem velitis pie monere & inducere, ut prædictum D. Ludovicum Regem Romanorum jure ſuo ac juris ſui proſecutione perfrui amore Dei, juſtitiæ & noſtrarum precum interventu, velit permittere.*

(*a*) *Ext. apud Hervvart. ad an. Chriſ. 1324. n. 107.*

XIX. Non ob Dani preces deſerendum jus pontificium Joanni viſum eſt, nec Ludovicus admonitus ſæpius flecti potuit, ut legibus cæſarei apicis controverſiam dirimi aſſentiretur. Immo jure in vi aperta conſtituto, pontificios variis præliis attrivit in Inſubria ducum ſuorum opera: quæ Joannes Villanus (*b*) aliique accurate deſcribunt, ac præter ſuſceptum Vicecomitum juris imperialis ſpecie patrocinium, etiam perduelles pontificios, qui ditionem eccleſiaſticam laniabant, tuebatur. Inter hos marchiones Ateſtini Rainaldus & Opizo judiciaria ſententia percuſſi, in qua de eorum perfidia ita Joannes queritur (*c*): *Ipſi in deſperationis currentes abyſſum, & mala malis prioribus addere non verentes, quamquam eadem Ferrarienſis civitas, ejuſque comitatus & diſtrictus ad jus & proprietatem B. Petri & Romanæ eccleſiæ pertinere noſcuntur: in ſceleratiſſimæ proditionis dolo machinationes eidem eccleſiæ per falſum alterius nominis titulum in civitate, comitatu, & diſtrictu novam ingereſſe quæſtionem *, poſt dictas ſententias & condemnationes in eos rationabiliter promulgatas a magnifico viro Ludovico duce Bavariæ in diſcordia in Regem Rom. electo contra juramentum fidelitatis, quod eidem eccleſiæ præſtiterant, recognitione facta per eos coram eiſdem ducis nunciis, recognoſcere promiſerunt: ac præmiſſis reatum addentes perjurii, juramento fidelitatis licito eidem eccleſiæ per eoſdem prius præſtito violato, eiſdem nunciis dicti ducis nomine aliud fidelitatis pro dictis civitate, comitatu, & diſtrictu; quinimmo infidelitatis & perfidiæ juramentum præſtare temere præſumpſerunt.* Subiicit alia patrata Adria & Comaclo expugnatis contra eccleſiam ſcelera, ob quæ cruceatam in eos expeditionem indicit, atque arma anno excurrente a die a legato conſtituenda geſtaturis indulgentias impertitur. *Dat. Avin.* IV. *non. maii anno* VIII. Commiſſæ ſunt patriarchæ Aquilejenſi & Bertrando tit. S. Marcelli præsbytero Cardinali partes (*d*), ut bellum ſacrum in Ateſtinos & Ferrarienſes promoverent: excitatuſque Robertus Siciliæ Rex (*e*), ut regiam operam ad recuperandam Ferrariam collocaret: decoris illius fore, ut cum ea civitas, dum illius gerebat præfecturam, omiſſa eſſet, ejuſdem potiſſimum armis ad obſequium revocaretur.

Perduelles pontificiis defenſi a Lud.

(*b*) *Jo. Vill. l. 9. c. 259. 271.*

(*c*) *To. 4. p. 1. ep. ſecr. p. 107.*

Ateſtini marchiones Ferrariæ jura ab eccl. ad imperium transferre niſi.

* *conati.*

Comaclum & Adriam eripiunt eccleſiæ.

Indictum in eos bellum ſacrum.

(*d*) *Ib. p. 130.*

(*e*) *To. 4. p. 2. ep. ſecr. pag. 81.*

Certiores etiam fecit Venetos Pontifex (*f*) de bello ſacro in Raynaldum & Opizonem alioſque ipſorum partibus implicitos indicto; contenditque precibus, ut in hoſtes eccleſiæ magnis animis conſurgerent: neve Firmanorum & Fabrianenſium perduellium precibus, qui Sperantiam e Monteferetro hæreſi notatum ducem crearant, ac Venetæ reipublicæ opem implorabant, corrumpi ſe paterentur, conceptaſve de iis eccleſiæ ſpes fal-

(*f*) *Eod. to. p. 40.*

Veneti in Ferrarienſes ſolicitati.



lerent: *Eam*, inquit, (*a*) *gerit de vobis velut devotis filiis eccleſia mater veſtra fiduciam, quod ipſius rebelles & hoſtes tanquam proprios abhorrentes, ipſam curabitis ſicut hactenus, in omnibus revereri.* Meriti ſunt optime de eccleſia Veneti (*b*), atque ad Ferrariam in Pontificiam ditionem redigendam claſſem Æmiliæ præſidi obtulere (*c*). Qua in re Superantii ducis ac Venetorum eximium in eccleſiam ſtudium Joannes extulit (*d*).

(*a*) *Eod. to. p. 42.*

De eccleſia optime meriti.

(*b*) *Ibid. p. 41.*

(*c*) *Eod. p. 41.*

(*d*) *Eod. pag. 41.*

*Joannes, &c. duci, conſilio, & communi Venetiarum.*

Apoſtolicæ ad eos lit.

*Relatione grata nuper audivimus, quod vos Firmanorum noſtrorum & ſanctæ Romanæ eccleſiæ publicorum rebellium damnatorum, & hoſtium obſtinatam conſiderantes inſaniam, nulla miſeratione condignam, denegaſtis eiſdem petita per ipſos pecunia mutua: miſiſtis ad eos veſtros nihilominus nuncios, ut ad ejuſdem eccleſiæ redirent gremium & mandata. Injunxiſtis præterea illis, qui vaſis veſtris maritimis præſidebant (quod ſimul cum cæteris valde nobis eſt placitum) ut contra Ferrarienſes, laborantes utique damnationis mole permaxima, dilecto filio provinciæ Romandiolæ rectori ad requiſitionem ipſius aſſiſterent auxiliis & favoribus opportunis. Super quibus notantes, quod erga nos & dictam eccleſiam ſinceræ devotionis obſequio clarere nitimini, devotionem veſtram cum gratiarum actione multiplici dignis in Domino laudibus commendamus, &c. Dat. Avinione* X. *kalend. junii anno* VIII.

A Pontifice commendantur.

Cæterum non modo tum potuit Ferrarienſium edomari rebellio, immo Ateſtini marchiones, qui Ferrariam eccleſiæ eripuerant, Argentam proditione octobri exeunte (*e*) occuparunt. Cum vero triſtem illum Argentæ caſum e Bononienſium literis accepiſſet Pontifex (*f*), ipſos anno proximo ineunte ad militarem in hoſtes explicandam virtutem ſolicitavit; ne ob adverſos eventus animos curaſve remitterent: *Ob hoc tamen*, inquit, *ad reprimenda conamina hujuſmodi hoſtium ſtudia ſolicitudinis noſtræ non deſinunt; nec in illo ſperare deſinimus, cujus eſt inexpugnabilis, & infinita potentia: qui tunc prævalet, cum ſuccumbere creditur; & tunc fortius vindicat, cum applauſiſſe peccantibus reputatur. Dat. Avin.* XII. *kal. februarii anno* IX.

(*e*) *Joan. Vill. l. 9. c. 276. Rubeus hiſt. Rav. l. 6.*

(*f*) *To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag. 100.*

XX. Paſſa eſt etiam eccleſia plures alios hoſtes, atque inter cæteros acerbiſſimum perſecutorem, qui defenſor illius eſſe debuerat, Guidonem epiſcopum Aretinum, qui ejus urbis tyrannidem corripuerat, & Cæſarei nominis augendi fucato prætextu, eccleſiaſticam ditionem acerbe vexavit. Cujus præcipua flagitia his verbis recenſet Joannes (*g*). *Adeo*, inquit, *licentiavit nequitiæ ſuæ auſus in malum, quod, hoc præſenti anno civitatem Caſtelli, fidelem & devotam eccleſiæ memoratæ, procuravit & fecit per Sacconum germanum ſuum, alioſque conſanguineos ſuos cum militibus & peditibus ſuis armatis proditionaliter occupari; multis ex fidelibus civitatis ejuſdem peremptis gladio, & multis aliis, quos a nece gladius præſervarat, poſt ſpoliationem bonorum de civitate prædicta exulare compulit.*

Guido epiſc. Aretin. tyrannus.

(*g*) *Lib. var. bull. pag. 13.*

Tifernum Pontifici eripit.

*Amplius autem præfatus epiſcopus præmiſſis adiiciens, quaſi ſibi impune peccandi libera facultate conceſſa, de proximo præterito menſe februarii cum nonnullis civibus civitatis Urbini intrinſecis, & extrinſecis; necnon cum Firmanis & Fabrianenſibus, aliiſque Romanæ eccleſiæ rebellibus, diverſis tractatibus habitis, ordinavit cum eis qualiter dictam civitatem Urbini, jure proprietatis plenique dominii ad Romanam eccleſiam pertinentem, poſſet ſuæ tyrannidi applicare; & uſque adeo tractatum hujuſmodi in partum nequitiæ ſceleratæ perduxit, quod gentes ſuæ, & dictorum rebellium die certa menſis prædicti per duas portas civitatem eandem cum multitudine peditum & equitum intraverunt; ſed divina favente clementia, quæ cum vult ſuperbos humiliat, & fideles ſuos ab inimicorum ſuorum præſervat inſidiis & defendit, gentes ejuſdem epiſcopi & alii rebelles eccleſiæ de civitate prædicta dejecti fuerunt, & fugati turpiter; civitate eadem in devotione & fidelitate ejuſdem Romanæ eccleſiæ remanente, &c.* Subdit illum obfirmatum in ſcelere, atque ad defectionem clientes eccleſiæ omnibus artibus ſolicitare; datque objectis pœnis gravioribus imperia, ut Tifernum reſtituat eccleſiæ, Aretii præfecturam deponat, Picenos rebelles fulcire ope abſiſtat. *Dat. Avin.* II. *id. april. anno* VIII. Sprevit hæc juſſa Guido; ad cujus frænandam temeritatem Cortonium ab Aretio a Pontifice diremptum eſt (*h*), illique Rainerius Bordilius epiſcopus datus. Sed ex eo graviſſima inter Aretinos & Cortonienſes prælia ſecuta, nec Guido a Guelphis inſectandis tractandiſque iniuſtis armis deſtitit, donec dextra divini Numinis vindice percuſſus acerbe hæc crimina deflevit (*i*), damnavitque Ludovici Bavari partes.

Urbinum ab eo tentatum.

Cortonienſis eccleſia ab epiſcopatu Aretino dirempta.

Rainerius illi epiſcopus datus.

(*h*) *Ant. 3. p. tit. 22. c. 5. §. 10.*

(*i*) *Alb. Muſ. in Lud. Bavaro.*

XXI. Appetebat interea dies Ludovico Bavaro eidem conſtituta, qua niſi ad expianda geſta adverſus Pontificiam dignitatem judicio Apoſtolicæ ſedis ſe ſiſteret, omnibus ad imperium ex electione comparatis juribus privare ipſum Joannes erat comminatus: cumque Ludovicus erepta eccleſiæ jura reſtituere, ſuamve Pontifici cauſam permittere denegaret, armiſque regiam aſſerere ſibi dignitatem in animum induxiſſet; tum antiſtites, ut Salisburgenſem archiepiſcopum & epiſcopum Argentinenſem, qui ne ponti-

Bavarus in priſtinis conſiliis obfirmatus.

ficias cenſuras incurrerent, illius reſpuebant imperia, inſectaretur: Pontifex judiciario fulmine illum percellere, juribuſque omnibus, quibus ſibi imperium vendicabat, ut contemptorem ſedis Apoſtolicæ, jurium illius in re Ferrarienſi invaſorem, atque hæreticorum Vicecomitum protectorem exuere decretoria ſententia conſtituit, de quo hæc habet Bernardi (a) MS. libellus de Romanis Imperatoribus: *Dominus Papa Joannes* XXII. *multis factis proceſſibus contra prædictum Ludovicum cum juris ordine obſervato, & præmiſſis citationibus cum terminis peremptoriis & publicis edictis, cum ipſe Ludovicus non duceret comparendum, privavit eum in publico conſiſtorio* v. *idus julii anno Domini MCCCXXIV. omni jure, ſi quod ſibi competebat, aut competere in imperio ratione electionis factæ de ipſo in diſcordia; quia ante confirmationem electionis ſuæ, & antequam perſona ſua eſſet per ſedem Apoſtolicam approbata, uſurpavit ſibi titulum regii nominis & Auguſti, & quia adhæſit & favit rebellibus & adverſariis eccleſiæ Romanæ Mediolanenſibus & Ferrarienſibus, & etiam quibuſdam pro crimine hæreſis condemnatis de Mediolano*. Extat ea ſententia ſubjectis concepta verbis (b), cujus præcipuam partem decerpimus.

(a) Bern. de Imp. Rom. MS. bibl. Vat. ſign. num. 2043.

(b) To. 4. p. 1. ep. ſecr. pag. 113. & lib. var. bull. pag. 43.

*Joannes, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

Lata in eum ſententia. Inſtitutæ in eum actionis cauſæ.

*Dudum, pro eo quod dictus dux Bavariæ in diſcordia, in Regem Romanorum promovendum in Imperatorem, electus, diſcordi electione hujuſmodi per eccleſiam Romanam, ad cujus examen perſonæ electi in Regem Romanorum in Imperatorem aſſumendi, approbatio & electionis admiſſio pertinet, diſcordi electione hujuſmodi non admiſſa, nec ejus approbata perſona, nomen Regis Romanorum indebite uſurpaverat, ac regni Romanorum & imperii adminiſtrationi ſe in ejuſdem eccleſiæ manifeſtam injuriam, plurimorum ſcandalum, ſuæ & aliorum multorum animarum periculum, ac etiam contra proceſſus noſtros, adverſus talia præſumentes excommunicationis, & alias diverſas ſpirituales & temporales pœnas & ſententias continentes, factos antea & ſolemniter publicatos, nimis præſumptuoſe & periculoſe ingeſſerat, exigendo videlicet & recipiendo ſub præfato titulo regio fidelitatis in Alamanniæ & nonnullis Italiæ partibus, tam a perſonis eccleſiaſticis quam ſæcularibus vaſſallis imperii per ſe & alios juramenta; ac de dignitatibus, honoribus, & officiis, ad ejuſdem Romani regni ſeu imperii diſpoſitionem ſpectantibus, pro ſuo libito diſponendo; ſicut diebus præteritis de marchionatu Brandeburgenſi, quem primogenito ſuo de facto publice contulit, ordinavit, & alia plurima exercendo quæ ad ejuſdem Romani regni & imperii regimen non eſt dubium pertinere; nec non eccleſiæ memoratæ rebellibus, ſicut Galeatio de Vicecomitibus, ejuſque fratribus de crimine hæreſis a ſuis competentibus judicibus, exigente juſtitia, ſententialiter & publice condemnatis; ac nonnullis aliis perfidis Dei & eccleſiæ prædictæ hoſtibus ſe contra ipſam defenſorem exhibuerat & fautorem, & alia gravia commiſerat, quæ nec non & alia plurima, quæ circa præmiſſa temere præſumpſerat attentare, adeo erant notoria, quod nulla tergiverſatione celari poterant, nec diſſimulatione neglecta irreprehenſibiliter incorrecta relinqui; certos proceſſus, per quos ipſum a deviis hujuſmodi ad veritatis & juſtitiæ ſemitam reducere ſtudebamus de fratrum noſtrorum conſilio diverſis temporibus fecimus contra eum.*

Geſtorum in eundem anacephalæoſis.

*Primo namque, videlicet* VIII. *idus menſis octobris jam elapſi, ipſum per edictum publicum præſente fidelium multitudine copioſa monuimus, &c.* Pergit geſta cum Ludovico recenſere, quæ ante a nobis allata ſunt, ut primum juſſus fuerit non Regis Romanorum, ſed electi in Regem Romanorum nomen uſurpare; Galeatio hæreſeos nota inuſto nullam opem ferre, Ferrarienſium Romanæ eccleſiæ perduellium clientelam deſerere; deinde oratores miſerit, ad quorum preces intentati judicii dies ad bimeſtre extractus ſit: conſtituto vero die x. kal. aprilis recurrente cum ſpreviſſet monita, nec ullos miſiſſet oratores, pronuntiatum Ludovicum objectam anathematis ſententiam contraxiſſe, repetitaque imperia ne Ferrarienſibus perduellibus & Galeatio hæretico auxilio eſſet, neve Regem ſe, ſed electum in Regem appellaret, aut adminiſtrationem imperii corriperet; expoſitaque reliqua illius ſententiæ a nobis adductæ ſerie, ut trimeſtre ad objecta in judicio emendanda indictum fuerit, eoque jam evoluto non comparuerit, ſubdit.

XXII. Objectæ ni cœptis abſiſteret pœnæ.

*Verum quia præfatum trium menſium ſpatium eidem Ludovico ad deponendum titulum regium, & ab adminiſtratione regni & fautoria hæreticorum & rebellium prædictorum penitus abſtinendum; necnon realiter & cum effectu quæcumque de facto cum non potuiſſet de jure, tanquam Rex Romanorum geſſerat, quantum ſibi foret poſſibile, revocandum, nobiſque & eccleſiæ ſatisfaciendum de injuriis & offenſis & gravaminibus, per præmiſſa nobis & eidem eccleſiæ temere irrogatis, ac de præmiſſis per autenticas literas, vel inſtrumentum publicum nos certiores reddendum; & hoc ſub pœna privationis omnis juris, ſi quod ei ex ſua electione prædicta ad dicta regnum & imperium competebat ſeu competierat, quam, niſi præmiſſis pareret efficaciter, eum ipſo facto incurrere voluimus, prout ſuperius plenius continetur; nec non & ſuper dictis exceſſibus, & injuriis ac ſub pœna privationis prædicta declarandum, ſeu inferendum, & pœnis aliis, quibus exceſſus inobedientia & contemptus prædicti obnoxium eum reddiderant, definitivam ſententiam, & noſtrum beneplacitum audiendum, quantum noſtrum pateretur officium, per nos peremptorie aſſignatum; idem Ludovicus nec per ſe comparuerit, nec alius pro eodem, neque prædicta impleverit, intra prædictum terminum, nec ea curaverit adimplere, ſed illis potius pejora ſtuduerit cumulare, nec nos per autenticas vel inſtrumenta publica reddiderit certiores; licet tunc merito potuiſſemus contra ipſum procedere, ejus proterva contumacia exigente; de benignitate tamen ſedis Apoſtolicæ, de fratrum prædictorum conſilio, ipſum uſque ad diem præſentem hora conſiſtorii duximus expectandum.*

Ejuſdem contumacia oſtenditur.

*Cum itaque nec interim comparuerit, nec adhuc ipſe compareat, nec aliquis alius pro eodem, de fratrum eorumdem conſilio præfatum electum reputamus & declaramus merito contumacem; ejuſque contumaciam tam in non comparendo quam in non acquieſcendo noſtris ſuperius expreſſis ſalutaribus monitis & mandatis auctam conſiderantes attente, ne deinceps plures trahat in ſui erroris devium, ad quod ſua tota ferri videtur intentio, & ne de tanta contumacia glorietur, ſi juſtitia ulterius differatur; omnino nos tam temerariis auſibus, tam periculoſis exceſſibus, tamque obſtinatæ malitiæ electi præfati ocyus cupientes occurrere, ne ſero medicina ipſis procedentibus ulterius præparetur; attendenteſque, quod ad exceſſus hujuſmodi perpetrandos gloria tituli regii, quem ſibi temere uſurpavit, intentius ſibi tribuit, ac in ipſis perſeverandi fomentum periculoſe nimium ſubminiſtrat; hanc ad Dei honorem, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ ac totius catholici populi quietem & pacem, ejuſdemque electi ſalutem, prout juſtitia exigit, amputare volentes; de fratrum ipſorum conſilio memoratum electum, qui propter exceſſus notorios, contemptus quoque ac ſuperadditas obſtinatas contumacias ſupradictas, tam in non comparendo ſibi præfixis terminis, quam in non parendo noſtris ſalutaribus præceptis & monitis ſupradictis, prædictis regno & imperio reddidit multipliciter ſe indignum, quique propter ſuam protervam ambitionem, & ſuperbam proterviam a Deo, ne regnet vel imperet, eſt abjectus; ipſum Ludovicum ducem Bavariæ omni jure, ſi quod ſibi ex electione ſua prædicta competere ſeu competiiſſe poterat, ac dominio privatum denunciamus & oſtendimus; noſque ipſum jure præfato ſententiando privatum declaramus, & privamus;*

Omni jure ex electione quæſito privatur.





*nihilominus ad cautelam de benignitate ſedis Apoſtolicæ, & eorundem fratrum conſilio ſuperſedentes ad præſens a pœnis aliis, quibus exceſſus prædicti ipſum reddiderunt obnoxium, cum ad illas infligendas vel declarandas inflictas poſſemus procedere juxta tenorem noſtrorum prædictorum proceſſuum, juſtitia mediante, reſervantes nobis procedendi ad pœnas ipſas infligendas, ſeu inflictas declarandas conjunctim vel diviſim, prout negotii qualitas exiget, ejuſdem Ludovici obedientia vel inobedientia ſuadebit, & expedire viderimus, plenariam poteſtatem.*

XXIII. Intentatæ ſi Regem ſe dixerit minæ.

*Et quia, ſi deinceps præfatus Ludovicus ſe Regem Romanorum ſeu electum intitulare præſumeret, ſeu adminiſtrationi regni vel imperii ingerere attentaret, ejus exceſſus & contumacia graviores exiſterent, quam ante noſtram præfatam ſententiam extitiſſent; idcirco, præſente hac fidelium multitudine copioſa, Ludovicum præfatum per hoc noſtrum edictum publicum monemus eidem nihilominus auctoritate præfata apoſtolica diſtrictius injungentes ſub pœna excommunicationis & privationis feudorum, quæ ab eccleſia Romana, vel aliis, ſeu imperio obtinet; nec non & privilegiorum quorumcumque, a ſede Apoſtolica vel Romano imperio eidem vel ſuis prædeceſſoribus, quatenus ejus commodum tangerent, quomodolibet conceſſorum, ne deinceps ſe Regem Romanorum vel electum intitulet, nec adminiſtrationi regni vel imperii ſe immiſceat, ſeu ingerat quoquomodo: a fautoria quoque prædicta deſiſtat realiter, nec illam ulterius reaſſumat; ac quæ geſſit vel fecit ſub colore prædicti tituli regii temere uſurpati revocet, quantum erit ſibi poſſibile, cum de jure non tenuerint, velut attentata ab illo, cui jus non competit faciendi: quæ & nos in noſtris proceſſibus aliis revocavimus, quatenus de facto proceſſerant, ipſa caſſa, nulla, & irrita nunciantes; eaque præſentialiter caſſamus, annullamus, & irritamus, ac caſſa, nulla, & irrita declaramus: quas pœnas & earum quamlibet ipſum incurrere volumus ipſo facto, ſi præmiſſa contempſerit contumaciter adimplere. Ipſumque nihilominus citamus per hoc edictum publicum, ut kal. octobris venturi proxime, vel ſequente die non feriata, ſi dies kalendarum ipſarum feriata fuerit, quam ſibi peremptorie de eorumdem fratrum conſilio aſſignamus, per ſe vel per procuratorem idoneum compareat coram nobis, ſuper pœnis aliis, quibus exceſſus prædicti ipſum reddunt obnoxium, ſententiam auditurus, & alias facturus, quod juſtitia ſuadebit; prædicentes eidem, quod ſive venerit, ſive miſerit, ſive non venerit neque miſerit, nos ad ſententiam prædictam conjunctim vel diviſim, prout expedire viderimus, abſque citatione alia procedemus.*

XXIV.
Vetiti fideles ſtudere Ludovico.

*Univerſis præterea Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis, præeminentiæ, ſive ſtatus exiſtant; etiam ſi dignitate patriarchali, pontificali, aut alia ſuperiori, vel inferiori, ſeu etiam regali forſitan decorentur; nec non & aliis perſonis eccleſiaſticis, ſæcularibus vel regularibus, cujuſcumque religionis, aut ordinis; ducibus quoque, marchionibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus, univerſitatibus civitatum, caſtrorum, cæterorumque locorum; & ſpecialiter univerſis incolis & habitatoribus eorundem regni & imperii Romanorum inhibemus & mandamus expreſſe, ne eidem Ludovico ſuper iis, quæ ad adminiſtrationem regni vel imperii præfatorum pertinent, quoquo modo aſſiſtant, pareant, ſeu intendant; aut præſtent eidem conſilium, auxilium, vel favorem per ſe vel per alium, publice vel occulte, quacumque occaſione quæſita, etiam prætextu alicujus homagii, vel cujuſcumque colligationis, confœderationis, ſocietatis, ſeu cujuſvis conventionis aut ligæ contractæ ante, vel in poſterum contrahendæ; etiamſi colligationes, confœderationes, ſocietates, & conventiones hujuſmodi, & alia ſupradicta pœnarum adjectione, literarum, vel juramenti, ſeu cujuſlibet alterius eſſent vinculo firmitatis innexa: nos enim colligationes, confœderationes, ſocietates, conventiones, cæteraque hujuſmodi præmiſſa, quoad hoc, de plenitudine diſſolvimus poteſtatis, juramenta ſuper illis præſtita, pœnaſque propterea præmiſſas penitus relaxantes, & univerſos ac ſingulos, qui eas contraxerant, ſe ad obſervantiam eorundem quantumcumque ſolemniter aſtringendo, ab ipſarum in præmiſſis obſervatione penitus abſolventes. Specialiter autem incolis & habitatoribus eorundem regni & imperii prohibemus expreſſe, ne dicto Ludovico vel alii pro eo de redditibus vel obventionibus ſive juribus regalibus, vel imperialibus, ſeu ratione regni ſeu imperii prædictorum, aut dominii cujuſvis per eum uſurpati in illis reſpondeant, vel aliam impendere ſub quocumque velamine ſatisfactionem attentent. Alioquin omnes ſingulares perſonas, cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, eccleſiaſtici vel mundani, excommunicationis; terras vero, loca ipſorum, nec non civitates, caſtra, villas, & loca quæcumque alia ubilibet conſtituta, ac univerſitates ipſorum, quæ prædictas inhibitiones vel earum aliquam præterire, propria temeritate præſumerent, interdicti ſententiis, quas ex nunc proferimus, decernimus ſubjacere: non obſtantibus quibuſvis privilegiis & indulgentiis apoſtolicis, præfato Ludovico, ſeu quibuſvis perſonis religioſis & ſæcularibus, ac aliis tam eccleſiaſticis, quam mundanis, cujuſcumque præeminentiæ, ſtatus, dignitatis, vel conditionis exiſtant, etiam ſi patriarchali, ſeu regali, aut alia quacumque præfulgeant dignitate; aut univerſitatibus, communitatibus, & locis aliis, communiter vel diviſim, ſub quacumque forma, vel expreſſione verborum ab eadem ſede conceſſis, vel in poſterum concedendis, etiamſi de illis, totoque tenore ipſorum de verbo ad verbum ſpecialiter & expreſſe oporteret fieri mentionem, quæ ſibi, vel eorum alicui contra præſentem proceſſum, vel aliqua contenta in ipſo in nullo volumus ſuffragari; quæ quidem privilegia & indulgentias omnino, quoad hoc, volumus & decernimus viribus vacuari: apertius nihilominus prædicentes, quod adverſus hujuſmodi præſumptores, & ſpecialiter contra prælatos religioſos, & alias perſonas eccleſiaſticas; nec non marchiones, duces, comites barones, incolas, habitatores, civitates, caſtra, villas, loca, & univerſitates ipſorum, ad infligendum pœnas contra tales in præfatis noſtris proceſſibus contentas & comminatas; ſeu declarandum inflictas; videlicet excommunicationis, privationis dignitatum, perſonatuum, officiorum, & beneficiorum eccleſiaſticorum perſonarum ipſarum, ac privilegiorum quorumcumque apoſtolicorum, & imperialium eorundem perſonarum ſæcularium & etiam civitatum, caſtrorum, villarum, & locorum, univerſitatumque ipſarum, ac feudorum, quæ a Romana, vel quibuſvis aliis eccleſiis, ſeu imperio prædictis obtinent; & alias ſpiritualiter, & temporaliter, quando & ſicut facti qualitas ſuadebit, aut expediens putabimus, divina gratia præeunte.*

*Porro cum noſtri Salvatoris exemplo converſionem peccantium, quorum non perditionem, ſed ſalutem quærimus, affectemus; univerſas perſonas & ſingulas, eccleſiaſticas & mundanas, cujuſcumque ſint præeminentiæ, ordinis, dignitatis, conditionis, aut ſtatus; nec non civitatum, caſtrorum, villarum, & locorum quorumcumque univerſitates & communitates, quæ forſan præfato Ludovico tanquam Regi ſeu in regem Romanorum electo adhærendo, obediendo, & intendendo; ſeu conſilium, auxilium vel favorem præſtando, directe vel indirecte, publice vel occulte, in iis quæ ad regimen ſeu adminiſtrationem pertinent regni ſeu imperii prædictorum, aut alias quidquam contra tenorem dictorum proceſſuum temere attentando, pœnas & ſententias contentas in eiſdem proceſſibus propterea incurriſſent; per hoc edictum publicum monemus & hortamur in Domino, ut infra dictas kalendas octobris a prædictis adhæſione, obedientia, conſilio, auxilio, & favore reſilientes & reſipiſcentes omnino,* XXV.



*non parituri vel adhæſuri eidem ulterius quomodolibet in præmiſſis ad gremium & mandata ſanctæ matris eccleſiæ cum effectu, & ſine cujuſquam fictionis velamine redire procurent: quo caſu per opportunæ abſolutionis remedium illorum cupientes benigne providere ſaluti, metropolitanis eorum abſolvendi eoſdem a memoratis pœnis & ſententiis, recepta primitus ab ipſis reſipiſcentibus cautione juratoria de ulterius non parendo contra dictos proceſſus & ſententiam hujuſmodi præfato Ludovico, nec præſtando ſuper dictis auxilium, conſilium, vel favorem; plenam concedimus tenore præſentium poteſtatem. Volumus tamen quod ſuper abſolutionibus & cautionum receptionibus prædictarum metropolitani præfati duo confici faciant publica vel autentica monumenta, quorum altero penes ſe retento, reliquum nobis fideliter mittere, noſque de illis per ſuas patentes literas certiores efficere non omittant.*

Data præſulibus facultas cenſuris devinctos ſolvendi.

*Si vero aliquem vel aliquos taliter abſolutos forſan, quod abſit, contingeret in errores priſtinos, vel aliquem eorumdem relabi contra proceſſus & ſententias memoratas, & contenta in eis temerariis auſibus veniendo; illos in eaſdem pœnas & ſententias reincidere decernimus ipſo facto: a quibus, præterquam ut præmittitur per alium, quam per Romanum Pontificem, niſi dumtaxat in mortis articulo, liberari nequeant vel abſolvi; adimentes tam prædictis metropolitanis, quam quibuſvis aliis, juxta prohibitionem præcedentium noſtrorum proceſſuum, omnimodam ſuper hoc poteſtatem. Licet autem ex præſumptuoſis & indebitis uſurpationibus, injuriiſque, inobedientiis, culpis, & exceſſibus prædicti Ludovici quadam neceſſitate compulſi fuerimus procedere taliter contra eum; nequaquam tamen noſtræ intentionis extitit, nec exiſtit, juri principum eccleſiaſticorum & ſæcularium, ad quos electio Romani Regis, in futurum Imperatorem promovendi, ſpectare noſcitur, per proceſſus noſtros, ſeu aliqua contenta in eis, in aliquo derogare: cum illud omnino illibatum eis volumus reſervare, &c.* Jubet edictum Avenionenſis eccleſiæ poſtibus affigi, ne Ludovicus id ſe latuiſſe obtendat. *Dat. Avinion.* v. *id. julii pontificatus noſtri anno* VIII.

Principum jura illibata eſſe juſſa.
Divulgata in omnibus regnis pontificia ſententia.

Tranſmiſſa eſt ad Chriſtianos principes pontificia ſententia, ut e literis ad Carolum Francorum (*a*), Eduardum Anglorum (*b*) Reges eo argumento datis apparet, promulgataque eſt in Galliis a Guillelmo Senonenſi (*c*), Burchardo Magdeburgenſi (*d*) in Germania, in Anglia Cantuarienſi, (*e*) & Eboracenſi, Capuano in Italia archiepiſcopis. Exercitæ porro ſeveritatis a Pontifice culpam tribuendam Ludovico, non modo dicta a nobis demonſtrat, ſed etiam Germanus auctor docet (*f*): *Quia*, inquit, *idem Ludovicus confirmationem petere contempſit a Papa, dictus ſummus Pontifex, multis præmiſſis proceſſibus & ſententiis, ipſum privavit, & electionem ejus caſſam declaravit, multis pœnis aliis ſucceſſu temporis adiectis.*

(*a*) *To.* 4. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 22. & 164.
(*b*) *Ib. pag.* 47.
(*c*) *To.* 5. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 74.
(*d*) *Tom.* 4. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 67.
(*e*) *Ib. pag.* 47.
(*f*) *MS. bib. Vat. ſign. n.* 3765. *in Jo.* XXII.

XXVI. Tulit publicus rumor (*g*), nec vanum indicant Joannis literæ (*h*) ad Francorum Regem, exauctorato Ludovico, agitatum de imperio transferendo ad Gallos, ad quorum gratiam ut pontificatum mordicus tenerent, ſedes Apoſtolica Avenione defixa erat, ac vix alii quam generis Gallici Cardinales creabantur, refertque Joannes Villanus (*i*), Carolum Regem Francorum una cum Joanne Rege Boemiæ læviro ſuo, dum Robertus Rex Siciliæ in aula Apoſtolica agebat, ad Avenionenſes partes vere ineunte acceſſiſſe, ut de imperio a Pontifice obtinendo paciſcerentur: deinde cum Germaniæ principibus egiſſe (*k*), ut ab iis eligeretur: indictoſque in confinibus imperii apud Barenſes conventus, ac principes, electores eo profecturos ſpopondiſſe: elatum itaque ea ſpe Carolum Regem, ſplendido ſtipatum comitatu ad conſtitutum locum menſe julio ſe contuliſſe: ſed cum ſolus Leopoldus dux Auſtriæ acceſſiſſet, deluſum Germanorum principum promiſſis non ſine pudore abſceſſiſſe. Regis quidem Boemiæ ac fratris Balduini archiepiſcopi Trevirenſis ſtudia in Carolum videntur refrixiſſe, cum Maria Lucemburgica Regina ex partus doloribus una cum filio jam obiiſſet (*l*): ita eo caſu revocandi ad Gallos imperii ſpes ſucciſæ.

(*g*) *Alb. Muſ. in Lud. Bavar. Alb. Arg. in chron. Rebdorf. in chron.*
(*h*) *To.* 5. *ep. ſecr. pag.* 15.
Carolus Francorum Rex nititur ad imperium.
(*i*) *Jo. Vill. l.* 9. *c.* 248.
(*k*) *Bod. l. c.* 268.
(*l*) *Eod. l. c.* 248. & *M. S. Vat. ſign. n.* 2043. *Ber. chr. Regum Franc. in Carolo IV.*

Cæterum de Barenſi colloquio in literis ad Regem Francorum meminit Pontifex (*m*), quibus Leopoldi ducis oratores ſignificaſſe ait, Auſtriacum fœdus arctiſſimum cum Rege Carolo conjunxiſſe: tum in aliis ad Leopoldum ipſum a Ludovico poſtulatum de fœdere pro liberando Friderico, quibus ipſum cum eodem Ludovico ut Rege Romanorum vel electo in Regem fœdus jungere vetat: *Ante omnia*, inquit, *proviſurus, ne cum dicto Ludovico, qui jure, ſi quod ſibi ex electione ſua quæſitum fuerat, ſuis demeritis exigentibus eſt privatus, ac vinculo excommunicationis innodatus, velut cum Rege Romanorum vel in Regem electo ad præmiſſa procedas; cum per proceſſus noſtros, ſicut te noſſe credimus, contra talia præſumentes pœnæ variæ ſint inflictæ. Dat. Avin.* XVII. *kal. octobris anno* IX.

Lud. Auſtriacum de fœdere poſtulat.
(*m*) *Tom.* 5. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 1.
Prohibitus Leopoldus ne cum eo ut Rege vel electo agat.

XXVII. Pontificiæ in Ludovicum Bavarum ſententiæ meminere etiam Joannes Vil-

*Ludovicus anathemate percuſſus.*

*(a) Jo. Vill. l. 9. c. 265. (b) Ant. tit. 22. c. 5. §. 10.*

lanus (*a*), & S. Antoninus (*b*), eundemque ut eccleſiæ perſecutorem fautoremque hæreticorum omni jure ad imperium ex electione adepto privatum ajunt: injectaſque minas, ni appetentibus kal. octob. animum ad eccleſiæ obſequium frangeret, in ipſum ut hæreticum & ſchiſmaticum legibus actum iri. Contendit Ludovicus Bavarus ſe contra fas a Joanne exauctoratum fuiſſe, ac nomen cæſareum juſque non dimittere conſtituit; ſed illud contra edicta pontificia ſibi armis aſſerere: tum acceptæ, ut putabat, injuriæ impatiens multa in pontificiam dignitatem molitus eſt (*c*), cum Joannes anathematis illum ſententia, quam antea intentarat, ni poneret titulos, ineunte octobri perculit, ac fotæ hæreſeos crimine poſtulavit, conſtituto illi ad dicendam cauſam die peremptorio. Cujus ſententiæ ſeries ad plures provincias præcipueque Romam ad epiſcopum Terracinenſem, pontificium in Urbe vicarium in divina re, tranſmiſſa eſt, ut promulgandam curaret. In charta vero pergamena deſcripta Avinione gerente Avinionenſem legationem Octavio Aquaviva Cardinale cum aliis inſignibus monumentis eſt reperta (*d*).

*(c) Eod. p. 40.*

*(d) Arch. Avin. n. 103. ann. 1594.*

XXVIII.

*(e) Jo. Vill. l. 9. c. 275.*

*Bavarus a pontificia ſententia ad concilium provocat. In Joannem plures evomit calumnias.*

Ad declinandam hujus pontificii fulminis vim, celebratos in Germania menſe octobri a Ludovico Bavaro ſolemnes ordinum imperii conventus, refert Joannes Villanus (*e*), in quibus graves de Joanne Papa querelas effudit, atque a lata in ſe ſententia ad concilium œcumenicum Romæ celebrandum provocavit. Deinde vindictæ expetendæ cupiditate æſtuans ad eripiendam, ſi poſſet, illi tiaram apoſtolicam, qui ſibi diadema imperiale eriperet, multa Joanni objecit, quibus indignum illum pontificatu contendebat; eamque provocationis formam menſe novembri ad aulam pontificiam miſit: ex qua graviſſimum eccleſiæ injectum ſcandalum, tumultuſque concitati. Utebatur, ut e Villano (*f*) colligitur, in exarandis illis nefariis ſcriptis Joannis Janduni & Marſilii Patavini inſignium philoſophorum & aſtrologorum opera: ſed quos pluribus hæreſibus contaminatos ait. Cæterum plures provocationum formulas a Ludovico compoſitas, quibus in Pontificem per gradus invehebatur acerbius, ut ab ipſo novis edictis percellebatur, ex aliquot earum exemplis (*g*) literiſque (*h*) apoſtolicis colligitur: extatque conceptus Ludovici Bavari nomine a viris impiis, de quibus paulo ante memoravi, libellus in MS. bibliothecæ Vaticanæ a Nicolao Minorita ſchiſmatico compacto (*i*) in quo ex improborum conſultorum conſilio atrociſſimas in Joannem injurias fudit, impiumque de Chriſti & Apoſtolorum paupertate dogma, quod nonnulli pſeudominoritæ hypocritæ tuebantur ſecutus in ſpeciem, in illius erroris abyſſum cæcis ducibus adductus eſt, ut Romanum Pontificem, dum controverſiam dirimeret, hæreſim ex Petri ſede promulgaſſe affirmaret: cum hujuſmodi decretoriæ fidei ſententiæ princeps auctor ſit Spiritus ſanctus illiuſque adminiſter Romanus Pontifex. Cujus infelicis lapſus nefarium hoc monumentum in illa ſua in Joannem invectiva reliquit, (*k*) quod ad eorum, quæ conſecuta ſunt uberiorem doctrinam, lucemque hiſtoriæ potiori ex parte reperemus.

*(f) Eod. l. c. 265.*

*Quibus viris impiis uſus ſit ad nefaria ſcripta componenda. Variæ ab illo editæ provocationum formæ.*

*(g) Ext. apud Hervart. ad an. 1324. n. 39. & ſeq. (h) Lib. 4. p. 2. ep. ſecr. pag. 79. & to. 5. p 1. ep. ſecr. p. 40. (i) Apud Nic. Min. MS. bibl. Vat. ſig. n. 400 8. p. 23.*

*(k) Ib. pag. 16.*

XXIX.

*Ob decretum fidei editum Pont. hæreticum vocat.*

*Non ſufficit*, inquit, *ſibi temporalis imperii jura attentare ſubvertere, & in coronam noſtram ac fideles imperii tam nequiter deſævire, niſi & ipſum dominum noſtrum Jeſum Criſtum Regem Regum & dominum dominantium, principem Regum terræ, & ejus ſanctiſſimam Matrem, quæ ejuſdem voti & ſtatus conſilio in obſervantia paupertatis vixit, & ſanctum Apoſtolorum collegium, ipſorum denigrando vitam, & actus infringeret, & doctrinam evangelicam de paupertate altiſſima, in qua exemplaris perfectio exterioris vitæ ipſorum de pleno & perfecto mundi contemptu tanquam in fundamento immobili eſt firmata. Quod fundamentum non ſolum ſua mala vita, & a mundi contemptu aliena conatur ſubvertere;--ſed hæretico dogmate, & venenata doctrina in prædicationibus publicis & ſolemnibus, & variis aſſertionibus affirmando aſſeruit, Chriſtum & Apoſtolos habuiſſe bona communia in communi eo modo, quo alia collegia habent. Quod dictum eſt notorie hæreticum, profanum, & contra evangelii ſacrum textum; innumera enim ſunt dicta ſanctorum prophetarum, prædicantium Chriſti paupertatem altiſſimam. Cujus renovator fuit principalis ſeraphicus vir Franciſcus: tota enim ſilva ſacri evangelii quoad Chriſti ortum, incolatum & exitum, & circa ſanctorum doctorum, & diſcipulorum ipſorum Apoſtolorum uſque ad tempora hæc, omnia clamant, Chriſtum ſcilicet & Apoſtolos vixiſſe in altiſſima paupertate prædicta, quæ conſiſtit in nihil habendo civiliter in hoc mundo. Quod ſi quæratur, quid vult dicere, altiſſima paupertas, de qua Apoſtolus dicit: Altiſſima paupertas eorum, &c.? Reſpondet Innocentius Papa V. Alta paupertas eſt habere pauca propria propter Deum; altior, quæ nulla habet propria, habet tamen in ſuo collegio in communi: altiſſima, quæ nihil habet in hoc mundo in proprio vel in communi: & hæc fuit Chriſti & Apoſtolorum.* Nonnulliſque in beati Franciſci laudem interjectis, ad convitia in Joannem redit Bavarus, miſcetque hæreſim.

*Dicta hæc ab Innoc. ut privato doctore.*



XXX.

*Decretum fidei pro hæreſi acceptum a Lud.*

*Hic oppreſſor pauperum, vitæ Chriſti & Apoſtolorum inimicus, prædicta omnia parvipendens, ac volens Chriſti paupertatem altiſſimam de medio tollere, & ſub miris dolis & fraudibus, & venenatis fallaciis ipſam rationaliter annullare, duo nefanda ſtatuta, in quibus hæreſiarcha & hæreticus perfectus cum aliis aſſertionibus alias factis notorie comprobatur, & in Chriſti vitam blaſphemus, & ſacris diffinitionibus ſanctorum priorum Pontificum prædictorum aperte contrarius, promulgavit.* Subdit earum conſtitutionum primam fuiſſe, *Ad conditorem canonum*; alteram, *Cum inter nonnullos*; quas variis argumentis, ab hæreticis & apoſtatis ſuggeſtis, refellere nititur. Tum pluribus injuriis & calumniis eundem Pontificem proſcindit, adverſuſque ipſum provocationis ad concilium œcumenicum formulam impiam concepit, in qua impacta Joanni, quem pontificia exutum auctoritate contendit, hæreſeos calumnia, ubi fallacibus verbis colorare facinus niſus eſt, ſubiicit: *Ad ſancta Dei evangelia tacto libro juravimus, omnia & ſingula ſupradicta nos credere vera eſſe, & quod prædicta talia probari poterunt contra eum; quæ ſecundum ſanctorum ſtatuta patrum ſufficienter ſufficient ad eum hæreticum judicandum. Juravimus etiam nos contra eundem pro viribus perſecutores, &c.* Concilium præterea clientum imperii nomine, quos ob defenſas partes cæſareas, propugnatamque imperii dignitatem cenſuris contra fas percuſſos diſceptabat, cogendum poſtulavit, ut ipſorum cauſa in eo cognoſceretur; cui provocationi hæc temporis nota adjecta eſt: *Acta & publicata fuit hæc appellatio anno Domini* MCCCXXIV.

*Impium Ludovici juramentum.*

XXXI.

*Poſt hæc Lud. ſecundum jura exauctoratus.*

Exinde Ludovicus Bavarus, quamvis non injuſtam antea cauſam tueri pluribus cæſarei nominis ſtudioſis viſus eſſet, tanto tamen piaculo iniquiſſimam prorſus reddidit, ſeque auguſtali jure exuit: dum enim Fraticellorum hæreſim conſtitutione, *Cum inter nonnullos*, damnatam profeſſus eſt, eamque ſuſcepit amplificandam, in barathrum hæreſeos præcipitem ſe dediſſe præſetulit impulſoribus impiis conſiliariis, qui principis politica jura quavis ratione tueri annitentis facilitate abuſi ſunt: quem etiam non ſine conquiſitis coloribus excuſare nititur Hervvartus (*a*). Porro a ſententia, quam Romanus Pontifex in judicio fidei tulit, ſine hæreſeos crimine diſcedere non licet (*b*), cum ob divini Spiritus ſingulare præſidium promiſſum a Chriſto tunc errare non poſſit. Juridicam itaque Pontifex in Ludovicum ſententiam tulit, qua illum ob impugnatum eccleſiæ dogma publice promulgatum, quod nimirum Chriſtus & Apoſtoli iis, quibus ipſos divinæ ſcripturæ teſtantur uſos, verum jus ſive in ſpeciali ſive in communi obtinerent; crimine hæreſeos damnavit, ac pœnas in hæreticos ſtatutas ipſum contraxiſſe ſanxit. Cujus ſententiæ autographum in archivio Avenionenſi Octavio Aquaviva Card. legato compertum eſt. (*c*)

*(a) Herv. ad ann. Chr. 1328. n. 46. &c. (b) Turrecr. ſum. de eccl. l. 2. c. 112. & alii.*

*Pontifex medendo fidei decreto errare non poteſt.*

*(c) Ext. n. 277. in arch. Avin.*

*Lata in eum hac de cauſa ſententia.*

*(d) Ext. de eo Lud. lit. reper. in arch. Avin. n. 138.*

*Pœnituit Ludovicum ſceleris.*

Pœnituit (*d*) poſtea Ludovicum tanti ſceleris in propugnanda fraterculorum hæreſi, laniandaque Pontificis fama perpetrati, atque hoc reſponſo illud excuſavit, geſtum id Udalrici ſcribæ invidia, & improbitate, eumque ſcelus in morte faſſum, ſe vero armorum tantum non theologicarum controverſiarum peritum eſſe: *Sicut miles*, inquit, *ſcripturarum & literarum ſubtilitatum ignari, quia dicebantur meliores magiſtri theologiæ & fratres religioſi, non credentes nos aliquid contra fidem facere, appellationi eorum conſenſimus, & ſic adhærebamus, & ipſam pro defenſione noſtra & jurium noſtrorum & imperii interpoſuimus.* Dixit etiam non ſtudio tuendi erroris, ſed Pontificis, qui ipſum in eripiendis cæſareis apicibus pupugiſſet, repungendi animo illa fudiſſe: qua de re inferius mentio recurret. Cæterum Joannes, cum hoſtes eccleſiæ latius in dies virus ſuum diffundere, & Ludovicum principem ſubornaſſe conſpiceret, ac palam duabus memoratis prioribus conſtitutionibus impie detrahi, tertiam edidit (*e*), quæ ab his verbis ducit exordium, *Quia quorundam*, & juri canonico adjecta eſt; in qua gravibus rationibus a ſe antea promulgata confirmavit: cujus argumentum pontificiæ curiæ doctor in ſuo commentario, pro ea defendenda edito, ita accurate exponit (*f*).

*(e) To. 5. p. 1. ep. ſecr. p 52. & 120. & p. 2. pag. 19. & lib. variar. bull. p. 32. & extr. Quia quorundam de verb. ſign. (f) MS. bibl. Vat. ſign. num. 4869. p. 21.*

*Papales ſanctiones oppugnatæ. Adverſariorum argumentum.*

*Contra iſtas duas conſtitutiones*, nempe, *Ad conditorem canonum, & Cum inter nonnullos, aliqui dixerunt, objectantes dominum noſtrum non potuiſſe ea quæ dicta ſunt, declaraſſe; & ad ſui mendacii colorationem adducebant talem rationem. Illud, quod per clavem ſcientiæ in fide & moribus definiverunt ſemel Romani Pontifices, adeo immutabile perſeverat, quod illud ſucceſſoribus ſuis revocari non licet in dubium, nec contrarium affirmare: licet ſecus ſit in iis, quæ ſunt per eos per clavem potentiæ ordinata. Sed, ut dicunt, Romani Pontifices & multa concilia generalia declaraverunt & definiverunt per clavem ſcientiæ primo, quod regula fratrum Minorum eſt regula evangelica, Chriſti & Apoſtolorum imitatrix quæ nihil habet in hoc mundo proprium, vel commune; ſed in rebus, quibus utuntur, habent ſimplicem uſum facti: ſecundo quod Chriſti & Apoſtolorum paupertas conſiſtit in expropriatione cujuſlibet*

bet temporalis dominii civilis & mundani, & quod eorum ſuſtentatio fuit in ſolo & nudo uſu facti. Ergo quibuſcumque ſucceſſoribus non licuit oppoſitum declarare. Sed oppoſitum in dictis duabus conſtitutionibus declaratur, ut viſum eſt. Ergo hoc non licuit facere domino. Ad hanc autem rationem primo dominus noſter valde ſubtiliter, artificioſe, & efficaciter reſpondit, (a) & circa majorem inſiſtendo, & circa minorem. Et primo circa majorem oſtendendo, quod ſcientia vel non eſt clavis ſpiritualis, vel ſic ut ad ipſam non pertinet aliquod definire, ſed ſolum ad clavem poteſtatis. Reliqua majoris propoſitionis pars ſilentio præterita, quia vera, & ideo nil contra a Pontifice dictum eſt. Secundo circa minorem primo oſtendendo, quod falſum eſt quod Romani Pontifices definiverunt, quod fratres in rebus, quibus utuntur, habeant ſimplicem uſum facti; & probat per eos, quod habeant uſum juris, oſtendendo quod dictus dominus Nicolaus, in quo ſe fundant principaliter, nunquam dixit ſuſtentationem Chriſti & Apoſtolorum extitiſſe in ſolo & nudo & ſimplici uſu facti; immo quod oppoſitum ſenſit, probat. Tertio oſtendendo, quod habere aliqua in communi, non derogat altiſſimæ paupertati. Quarto oſtendendo, quod in rebus uſu conſumptibilibus non poteſt uſus a proprietate ſeu dominio ſeparari. Quinto probando, quod uſus denudatus omni jure non eſt juſtus, quare perfectis non competit talis uſus, nec eis talem uſum conditor canonis reſervavit. Sexto ex eorum dicto eos confutando oſtendit, quod ſi licuit dicto domino Nicolao contra declarationes prædeceſſorum ſuorum aliqua declarare in materia ſupradicta, quod eadem ratione ſibi licuit contra determinata per dominum Nicolaum prædictum; vel ſi non licet, non alteri licuit. Septimo oſtendit per ea, quæ in conſtitutione dicti domini Nicolai continentur, quod ad Romanos Pontifices, & per conſequens ad dominum noſtrum pertinet, ſi quid dubietatis circa ſuam conſtitutionem emergeret, declarare. Octavo oſtendendo, quod licet Romanis Pontificibus ordines confirmare, & confirmatos caſſare: quare eſto non habeant majus periculum fratres Minores, ut videtur, licet circa eorum regulam talia facere & oppoſita declarare. Nono oſtendendo, falſum eſſe, permulta concilia generalia talia declaraſſe, vel quod concilia generalia, nempe ii Pontifices, non celebraverunt, vel nullam de talibus mentionem fecerunt. Decimo oſtendendo, quod nec ad fidem, nec ad mores pertinet, Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe in iis quibus uſi ſunt, niſi ſimplicem uſum facti: immo magis oppoſitum pertinet, cum nec in ſcriptura ſacra, nec in ſymbolo habeatur, quod fratres Minores non habent in rebus niſi ſimplicem uſum facti; nec quod non liceat Romano Pontifici dominium, quod ſibi reſervavit in rebus, quæ in fratribus obveniunt, abiicere; nec quod procuratores per ſummos Pontifices conſtitutos ſucceſſori non liceat revocare. Quare concludit neceſſario, quod reſponſio talium nulla eſt, & quod ipſe talia ſuperius præmiſſa potuit declarare, & ipſa etiam ordinare. Ultimo concludendo definit primo, quod tales niſi ſunt publice defendere & etiam approbare hæreſim damnatam in iſta conſtitutione, Cum inter nonnullos, aſſerendo quod Chriſtus & Apoſtoli in iis, quæ habuerint, habuerunt tantum ſimplicem uſum facti omni jure denudatum, & quod omnes tales & ſinguli, qui verbo ac ſcripto per ſe, vel alium, ſeu alios talia publice præſumpſerunt; illique qui eos inſtruxerunt in talibus, & ut præmiſſa facerent docuerunt, in damnatam hæreſim inciderunt, & ut hæretici ſunt vitandi. Secundo diffinit, quod ſi aliquis deinceps damnatas per conſtitutionem prædictam, Cum inter nonnullos, hæreſes vel ipſarum alteram ſcienter verbo vel ſcripto defendere, vel approbare præſumpſerit, tanquam hæreticus ab omnibus evitetur. Tertio inhibet, ne quis contra ordinata, definita, ſeu facta in conſtitutione, quæ incipit, Ad conditorem canonum, verbo vel ſcripto ſcienter approbet aliquid vel defendat; & ſi quis contrarium præſumpſerit, tanquam contumax & rebellis Rom. eccleſiæ habeatur. Iſte eſt caſus & ſententia totius iſtius decretabilis. Hactenus Avinionenſis doctor, ex quo obſervandum eſt, pſeudominoritas alioſque pontificiarium conſtitutionum de paupertate evangelica impugnatores ſuperius argumentum in eo, quod ſcientiam clavem dixerant, cum ad hoc, ut clavis dicatur, poteſtas illi ſit conjungenda, correxiſſe; majorique apparatu ſubornatum, ac mole vibratum illud repetiiſſe.

Ad illud reſpondetur a Pontifice.

(a) Ext. Quia quorundam de verb. ſign.

Error quem major ſupponebat confutatur.

Minor multipliciter oppugnata.

Non ſpectat ad fidem Minoritas non habere niſi ſimplicem uſum facti.

Decretum fidei, Cum inter nonnullos, confirmatum.

Intentatæ adverſariis pœnæ.

Recudunt illi idem argumentum.

XXXII. Quod eſt, inquiebant (b), per ſedem Apoſtolicam in fide & moribus ſemel definitum & approbatum, fas non eſt deinceps contradicere; hoc ſtatim probatur XIX. di. Si novitiorum, ubi dicitur: Quod vere apoſtolica fides approbavit, hodie teneatur acceptum; & ſequenti cap. Sed omnes, & XIV. q. I. Hæc eſt fides.

(b) Ib. p. 59.

Major vera ſi ea ſint fidei & morum eſſentialia.

Probatur etiam ratione, primo quia tunc eccleſia aliquo tempore aliud contra fidem declaraſſet, & tunc non ſemper fuiſſet virgo ſine macula & ſine ruga. Item promiſſio Chriſti, qua promiſit Luc. XXII. quod fides Petri nunquam deficeret, fuiſſet falſa, tunc enim fides aliquo tempore defeciſſet. Præterea B. Auguſtinus in epiſtola ad Hieronymum arguit ſic: Si in ſcriptura ſacra ſemel aliquid falſum inveniatur, tota ipſius ſcripturæ vacillabit auctoritas. Ergo a ſimili, ſi ſedes Apoſtolica aliquid falſum determinaſſet, tota eccleſiæ auctoritas titubaret. Et confirmatur quia ſecundum beatum Auguſtinum contra epiſtolam Fundamenti; Ego evangelio non crederem, niſi me catholicæ eccleſiæ commoveret auctoritas. Ergo ſicut ei quod eſt per evangelium diffinitum, non eſt fas deinceps contradicere. Sed per ſedem Apoſtolicam ſemel fuit diffinitum & approbatum, quod Chriſtus & Apoſtoli nihil habuerunt quantum ad dominium in proprio vel in communi. Ergo oppoſitum aſſerere nefas eſt.

Vera ejus confirmatio.



Fraus latet in minori.

Probatur Minor extra de verborum ſignificationibus, Exiit lib. VI. § Porro, ubi dicitur ſic: Dicimus, quod abdicatio omnium rerum in proprio vel in communi propter Deum meritoria & ſancta eſt. Et ſequitur: Quomodo primi fundatores militantis eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant, in volentes perfecte vivere per doctrinæ & vitæ ipſorum alveos derivarunt. Item ibidem dicitur, quod Chriſtus hanc expropriationem & verbo docuit, & exemplo firmavit. Quæ quidem decretalis fuit per plures Romanos Pontifices approbata, & etiam per concilium Viennenſe, &c. Hæc illi. Sane major propoſitio, nimirum nefas eſſe contradicere in iis, quæ definita ſunt per ſedem Apoſtolicam in fide & moribus, certiſſima eſt, & additæ probationes eam omnino confirmant, ſi intelligantur, uti debent, ea quæ ſpectant ad fidem & univerſales eccleſiæ mores in neceſſariis ad ſalutem: at pſeudominoritæ non in eo ſiſtunt, ſed quæ ad fidem & mores tantum ſpectant accidentario & remote, qualia ſunt nimirum Franciſcani inſtituti encomia, privilegia, ſeu decreta Pontificum eo attinentia, & omnia in iis contenta fidei & morum eſſentialia eſſe falſo ſupponunt, ac ludunt in æquivoco: illas ergo ſanctiones, licet ſint in ſexto, eſſe fidei & morum decreta eſſentialia negandum eſt conſtantiſſime; (a) neque enim decreta fidei condunt Pontifices niſi id expreſſerint, & ut de neceſſitate credenda propoſuerint: ita conſtitutionem, Exiit, non fuiſſe decretum fidei, indicat Nicolaus ipſe, dum non damnat hæreſeos contrarium ſentientes: immo eandem ſanctionem velut ambiguam ſucceſſoris decretoriæ ſententiæ ſubiecerit; ac ſi fingatur eſſe fidei decretum, non quidem in eo ſenſu quem quilibet ipſi affinxerit, ſed in eo quem Pontifex declaraverit, fidei decretum erit, ut Patrum & eccleſiæ traditiones in hujuſmodi ritibus docent; quam rationem Avinionenſis doctor ſubiectis verbis illuſtrat (b).

Et in ejus probatione.

Reſpondetur ad majorem ſub diſtinctione.

Adverſariorum æquivocatio & fraus detegitur.

(a) Direct. quiſit. 2. p. comment. 42. inq. 17.

Contenta in conſt. Exiit non ſunt decreta fidei.

Si ſpectent ad fidem, ſpectabunt in ſenſu ab eccl. declarando.

(b) MS. lib. Vat. ſign. n. 4869. p. 72.

XXXIII. Reſpondetur quod ſicut patet extr. de baptiſ. & ejus effectu c. Majores, quando occurrit aliquod dubium in articulis fidei, vel in ſcriptura ſacra, licet declaratio magiſtralis poſſit pertinere ad illos tamen declaratio & determinatio auctoritativa & finalis, cui omnes habent acquieſcere, pertinet ad dominum Papam; quod clare fuit demonſtratum actuum XV. ubi orta diſſenſione, utrum legalia debeant ſervari cum evangelio, conſuluerunt Petrum & alios Apoſtolos, qui erant in Jeruſalem: & Petrus ſicut princeps Apoſtolorum decrevit, legalia non eſſe obſervanda.

Probatur oborta in iis dubia a ſede Apoſt. dirimenda.

Nec obſtat, quod Jacobus ibidem dicit: Ego judico non inquietari eos, &c. tum quia Petrus primo decrevit, poſtmodum Jacobus ſicut illius loci epiſcopus ad oſtendendum, quod Petrus ibi, ſicut & in tota eccleſia, juriſdictionem ordinariam habebat; Jacobus autem in loco illo non quidem æqualem, ſed ſubordinatam, quia ſua erat ſub illa Petri & ſucceſſorum ejus; alii autem Apoſtoli ibi juriſdictionem non habebant.

Confirmatur Apoſtolorum exemplo.

Item certum eſt, quod ſententia Jacobi non potuit arctare extra fines ſuæ juriſdictionis, ſicut ſententia epiſcopi Pariſienſis non arctat illos de diœceſi alia. Sed illa ſententia obligavit univerſos per totum mundum conſtitutos. Ergo fuit ſententia in toto orbe univerſaliter præſidentis. Ille autem erat ſolus Petrus; quare, &c. Si ergo, cum occurrunt dubia circa ſcripturam ſacram vel circa articulos fidei, declaratio & determinatio ad dominum Papam pertinet, multo fortius cum dubia occurrunt circa intellectum alicujus conſtitutionis, per ipſum vel per prædeceſſorem ſuum editæ, declaratio vel determinatio pertinet ad ipſum. Modo circa dicta illius conſtitutionis quantum ad paupertatem Chriſti & Apoſtolorum contingebat dubitari; & ideo dominus noſter & rei veritatem & verum intellectum conſtitutionis voluit declarare.

Cum ergo dicitur, quod in illa decretali definitur, quod Chriſtus & Apoſtoli nihil habuerunt quantum ad dominium in proprio vel in communi; dico quod non eſt verum ſimpliciter; vel ſi alicubi diceretur, intelligendum eſſet quantum ad bona immobilia, non autem quantum ad bona mobilia; & hoc videtur dicere textus canonis Luc. IX. cum dicitur: Filius hominis non habet ubi caput reclinet; Chriſtus enim & Apoſtoli non habuerunt domum, agrum, aut prædia: ſed bene habuerunt eorum pretia. Et credo quod iſta gloſſa eſt ita bona, ſicut etiam gloſſa, quam dant doctores communiter ſuper illo verbo illius conſtitutionis extr. de ſtatu mon. Cum ad monaſterium, quod caſtitas & paupertas ita ſunt oſſibus monachorum annexa, quod contra ea ſummo-

Non contradicit Joannes conſtitutioni, Exiit, ſed eam declarat.

*mus Pontifex diſpenſare non poteſt, id eſt non debet, ſicut gloſſant multi ſolemnes doctores.*

Expropriatio quoad immobilia commendata eſt.

*Quod ergo dicitur in illa conſtitutione, Exiit, in §. Porro: Dicimus quod addicatio omnium rerum in proprio vel in communi propter Deum meritoria eſt & ſancta, quam primi fundatores, &c. dico quod intelligenda eſt abdicatio omnium rerum in proprio vel communi, ſupple omnium rerum immobilium. Et eodem ad illud, quod ibidem dicitur, quod hanc expropriationem Chriſtus & verbo docuit, & exemplo firmavit; dico enim; quod intellexit quantum ad bona immobilia, quæ primitiva eccleſia habere noluit, quia futuram eccleſiam in gentibus prævidebat, ſicut ſupradictum eſt, non autem quantum ad bona mobilia, nec etiam de immobilibus intellexit quantum ad jus in uſu, ſed ſolum quantum ad jus & dominium in re ſimpliciter; quare, &c. Vel poteſt aliter gloſſari, quod aliquid poteſt dici proprium duobus modis, uno modo in quantum diſtinguitur contra commune, & ſic abdicatio omnium rerum in proprio etiam mobilium eſt meritoria & ſancta: alio modo ut proprium diſtinguitur contra alienum, & ſic abdicatio omnium rerum in proprio, ſic quod homo ſemper viveret de alieno, in quo nullum jus haberet, ſaltem ſicut pars communitatis, non eſt meritoria nec ſancta.*

Illuſtratur ſolutio probationis primæ ad Minorem adjunctæ.

Ex dictis patet minoris propoſitionis ab adverſariis factæ ſolutio; fuit definitum a Nicolao tamquam illud ſit decretum fidei, ubi ſonant verba, *quod Chriſtus & Apoſtoli nihil habuerunt, quantum ad dominium, in proprio vel in communi;* falſum eſt, uti demonſtratum fuit; ſed in conſtitutione illud opinative poſitum eſt: quod autem nihil habuerint in proprio vel communi quantum ad immobilia, illud verum eſt, uti Joannes declaravit ex Nicolai voluntate in conſtitutione expreſſa: quod neque mobilia habuerint, falſum.

(a) *MS. bibl. Vat. ſign. n.* 4010. *pag.* 231.

(b) *Nitel. Franc. q.* 17. *in cenſ. reſponſionis ad objection.* 5. *Fratic. & in cenſ.* 15.

Demonſtratur concilium Vienn. non approbaſſe ſanctionem *Exiit*. Teſtimonia Pontificum de ea re.

Quod vero ad ſecundam probationem minoris petitam e concilio Viennenſi ſpectat; falſum omnino eſt, controverſiam eam diremptam in concilio, quantumvis exclamet Michael Cæſenas in ſuis hæreticis commentariis (*a*). *Eccleſia poſuit finem in quæſtione de paupertate Chriſti per ſextum, & per concilium.* Corrigenduſque eſt auctor nitelæ Franciſcanæ, qui Michaelis Cæſenatis errorem ſecutus, contendit (*b*) decretalem, *Exiit*, in concilio Viennenſi confirmatam, & Jacobum Cardinalem, qui in pontificatu Benedicti XII. nomen geſſit, Fraticellorum argumenta diſſolventem, negantemque approbatam unquam per univerſalem eccleſiam aliter, niſi ut communes conſtitutiones papales, nullamque de ea in concilio mentionem habitam, confutare nititur. Certe Clemens V. qui in ſua decretali, *Exivi de paradiſo*, non dicit concilium generale approbaſſe vel confirmaſſe decretalem, *Exiit*; Joannes XXII. qui in ordine tum epiſcopali, concilio intereſſe potuit, deque re tota diligentiſſime quæſivit, & cum Cardinalibus & epiſcopis qui interfuere, contulit, Michaelem Cæſenatem hæreſiarcham contrarium aſſerentem arguit mendacii Benedictus XII. qui veſanam illam Fraticellorum erroris patrocinium a concilio œcumenico petentium impudentiam refellit, rem melius novere, quam recens auctor aut alii, quos errantes ſecutus eſt. At licet fingatur eam decretalem approbatam in concilio, negat tamen Joannes XXII. in conſtitutione, *Quia vir reprobus*, quod attinet ad articulum de abdicatione rerum in ſpeciali & in communi, approbatam: neque enim ea controverſia in concilio Viennenſi diſcuſſa fuit, aut a concilio de dogmate non propoſito fertur cœcis oculis decretoria ſententia. *In hoc*, inquit Joannes (*c*), *quod dicit*, nempe hæreſiarcha Michael Cæſenas, *quod dicta, conſtitutio, Exiit, fuit per univerſalem eccleſiam approbata; dicimus quod quantum ad hoc, ſcilicet quod fratres Minores in rebus uſu conſumptibilibus habeant uſum facti, nunquam fuit per univerſalem eccleſiam approbata: dicimus etiam, quod non fuit in Viennenſi concilio confirmata, nec hoc poterit per conſtitutionem aliquam vel aliquas apparere; immo nec de fratrum conſilio promulgata.*

(c) *Joann. in conſt. Quia vir reprobus n.* 40.

Impudentia contra id tendentium. Quæſtio an jus in re quæ conſumitur, ſeparetur a juſto uſu, ad fidem non ſpectat. Hoſtes pontif. ſpectare ad fidem inſulſe voluerunt.

Multo certe minus dici poteſt in eo concilio fuiſſe definitum, Chriſtum & Apoſtolos nullum habuiſſe jus vel dominium rerum, quibus uſi ſunt: proferant enim adverſarii acta concilii. Sed mendaciſſimus hæreſiarcha ſibi potius ſomnianti, quam Cardinalibus, epiſcopis, & doctoribus, qui illi interfuerant, fidem adhiberi voluit, & contra ſuperiorem Pontificis conſtitutionem, *Quia quorundam*, nefarium commentarium edidit, quem Ludovicus Bavarus una cum aliis ſuis edictis promulgavit, de quo inferius agetur. Advertendum porro eſt in memorata ſanctione, præter decretum de juſto rerum uſu in Chriſto & Apoſtolis, quod ad fidem ſpectat, aliam quæſtionem expendi, an in rebus uſu conſumptibilibus uſus juſtus a jure ſegregetur; quæ quæſtio ad fidem non pertinet; eam tamen Pontificis hoſtes ad fidem ſpectare inepte contenderunt, contrarium errorem ſecuti, ut ex ea pharetra jacula blaſphemiæ in Chriſti vicarium torquerent, quem propterea exutum a Chriſto pontificia poteſtate garriverunt (*d*) Præſtat itaque doctorem Avinionenſem prædictam conſtitutionem propugnantem audire.

(d) *Lud. Bav. in ſententia adverſus Jo. MS. bibl. Vat. ſign. n.* 4008. *pag.* 80.



XXXIV.

(a) *MS. bibl. Vat. ſign. num.* 4869. *p.* 32.

Quomodo uſus nudus facti in non conſumptibilibus poſſit haberi. Non habetur per omnis juris denudationem.

*Quantum*, inquit (*a*), *ad quartum articulum, quomodo fratres Minores poſſunt habere uſum nudum facti, intelligendo iſtum articulum quantum ad res, quæ non conſumuntur uſu; ponꝫ quatuor breves concluſiones. Prima erit, quod non poſſunt habere in talibus rebus uſum nudum licitum per omnis juris nudationem. Secundo quod poſſunt habere nudum uſum per proprietatis excluſionem. Tertia quod non poſſunt habere nudum uſum per omnis utilitatis privationem. Quarta quod poſſunt habere per actionis in judicio abdicationem.*

*Primam concluſionem probo faciliter ſic: Impoſſibile eſt, eſſe uſum licitum ſine jure utendi ſeu jure in uſu ſimpliciter, & ſine jure in re, ſecundum quid, hoc patet ex prima & tertia concluſione præcedentis articuli. Ergo impoſſibile eſt, quod fratres Minores habeant uſum in talibus rebus licitum, ſi ſit denudatus omni jure, & ideo, ſicut dominus noſter deducit, talem uſum ſic omni jure denudatum nunquam fratribus dominus Nicolaus reſervavit, quia ille uſus perfectionem non adiicit, immo potius repugnat, ſicut ille qui neceſſario eſt illicitus. Ergo talem uſum numquam dictis fratribus reſervavit.*

Poteſt per proprietatis excluſionem.

*Secunda concluſio eſt, quod in talibus rebus poſſunt habere uſum nudum per proprietatis excluſionem; & hanc probo faciliter. In rebus in quibus aliquis poteſt habere uſum ſalva rei ſubſtantia, dominio illius rei penes alium remanente poteſt homo habere uſum nudum per proprietatis excluſionem vel abſque domino in proprietate; & ſi habeat talem uſum ex conceſſione domini, erit uſus licitus. Sed fratres Minores poſſunt habere uſum in rebus, quæ uſu non conſumuntur, ſicut in domibus, libris, & hujuſmodi, ſalva rei ſubſtantia, dominio illius rei penes dominum Papam, vel alium remanente & ex conceſſione domini. Ergo, &c.*

Non per utilitatis privationem.

*Tertia concluſio eſt, quod non poſſunt habere uſum nudum in talibus rebus per omnis utilitatis privationem, & hanc probo ſic: Uſus domus eſt inhabitatio domus. Sed inhabitatione domus fratres indigent &c.*

Poteſt per actionis in judicio abdicationem.

*Quarta concluſio eſt, quod poſſunt habere uſum nudum per actionis in judicio abdicationem, & hanc probo faciliter ſic: Quando aliquis petit aliquam rem, non tamen neceſſario, non eſt repugnantia habere illud ſine alio. Sed jus & ſi pariat actionem, non tamen petit eam neceſſario, immo voluntarie. Ergo poſſunt habere jus in aliqua re detenta per alium abſque hoc, quod ſibi vendicent in judicio. Secundo quia illud poſſunt habere fratres, quod adiicit ad perfectionem ſicut melius, vel ſaltem non eſt illicitum. Sed ſua non repetere judicio vel adiicit ad perfectionem, ut videtur innuere Apoſtolus* I. *ad Cor.* VI. *vel ſaltem non eſt illicitum. Ergo fratres poſſunt habere uſum in rebus per actionis in judicio abdicationem. Et ſic patet quomodo in talibus fratres Minores poſſunt habere uſum nudum, & quomodo non.* Et infra.

XXXV.

(b) *Ib. p.* 34.

Controvertitur an uſus poſſit a proprietate ſeparari.

*Quartum* (*b*) *dubium hic declarandum utrum in rebus uſu conſumptibilibus poſſit uſus licitus a proprietate ſeu dominio rei ſeparari; & arguo primo quod ſic, quia monachus in nullo caſu eſt capax proprietatis: abdicatio enim proprietatis ita eſt regulæ monachorum annexa, quod contra eam Papa diſpenſare non poteſt, ut dicitur extra de ſtatu monachorum, Cum ad monaſterium. Sed monachus neceſſario utitur rebus uſu conſumptibilibus, ſicut quando comedit & bibit. Ergo in talibus rebus poteſt uſus licitus a proprietate ſeu dominio ſeparari, Contra. In rebus ubi uſus non eſt ſine conſumptione proprietatis, impoſſibile eſt eſſe jus in uſu ſine jure in proprietate: hoc patet, quia ex quo per uſum conſumitur proprietas, uſus non erit licitus, niſi poſſim conſumere licite proprietatem. Sed non poſſum licite conſumere proprietatem ſine poteſtate licita ſeu juris in proprietate. Ergo, &c. Sed in rebus uſu conſumptibilibus non eſt uſus ſine conſumptione proprietatis. Ergo in talibus rebus non poteſt uſus a proprietate ſeu dominio ſeparari.*

Contra concluditur non poſſe ſeparari.

Diſtinctio conſumptibilium.

Subdit auctor varia rerum conſumptibilium diſcrimina: aliæ nempe in ſua natura & forma mutantur, corruptæque in ſubſtantiam utentis vertuntur, ut alimenta; aliæ uſu non quidem momentaneo, ſed diuturno paulatim deteruntur, ut veſtes: aliæ non ex ipſo uſu per ſe, ſed per accidens, quia omnia terrena conſeneſcunt ac depereunt. Deinde loquens de iis, quæ mox abſumuntur, oſtendit in ipſis juſtum uſum jure rei non orbatum: *Ille*, inquit, *qui poteſt per ſe rem licite transferre in alium non ſolum quantum ad uſum, ſed quantum ad proprietatem, habet jus neceſſario in re & in uſu rei: hoc patet, quia nemo poteſt transferre pro ſe & nomine ſuo in alio quod ipſe non habet. Sed qui utendo conſumit rem, non minus transfert rem & alienat a quocumque, cujus ante fuit, quam qui per venditionem & donationem transfert in alium; immo magis, quia vendendo & donando adhuc manet res in propria forma, poſt talem autem conſumptionem non. Ergo ſi talis per ſe licite utitur, neceſſario habet jus in re non ſolum in uſu rei illius.* Diſtinguit deinde auctor uſum rei ſtatim conſumptibilis completum & incompletum, & ubi juſtus uſus rei incompletæ conſumptæ in-

Probatio concluſionis.

Diſtinctio conſumptionis completæ & incompletæ.

incompletum eſt rei jus & dominium; & ubi juſtus uſus completus pariter conſumptæ rei completæ, completum jus ſive completa proprietas. Tum concludit:

(a) Ibid. pag. 36.

(a) *In rebus uſu conſumptibilibus non poteſt uſus licitus ſeparari a dominio in re ſeu proprietate rei. Ergo in talibus rebus non poſſunt fratres Minores nec alii habere uſum nudum per proprietatis excluſionem: & ideo patet differentia inter res quæ non conſumuntur uſu, & eas quæ ſtatim uſu conſumuntur; quia in rebus quæ non conſumuntur uſu, poteſt eſſe nudus uſus per proprietatis excluſionem, licet non per omnis juris nudationem: ſed in rebus quæ ſtatim uſu conſumuntur, non poteſt eſſe uſus licitus nudus per omnis juris nudationem, nec per proprietatis excluſionem.*

Solvitur obiectio antea propoſita.

*Ad principalem rationem dico, quod monachus non eſt capax proprietatis ſic, quod de re poſſit diſponere ad libitum: immo tamdiu poteſt diſpenſator monaſterii vel monaſterium rem ad uſum conceſſum monacho revocare, donec uſus ſit inchoatus; & ideo non dicitur dominus, vel habere proprietatem. Sed in ipſo uſu, quia non poteſt eſſe ſine conſumptione proprietatis, ideo quantum conceditur monacho de uſu in tali re, tantum ſibi conceditur de proprietate; nec abdicatio talis proprietatis monacho eſt annexa: quare, &c.*

Monachus propter illud jus non ſit proprietarius.

Ex his illuſtratur ſolutio difficultatis, quæ torſit ingenia plurium doctorum catholicorum, qui Joannem, dum in rebus conſumptilibus juſtum uſum a jure & dominio rerum non ſeparari in memorata conſtitutione pronuntiavit, erraſſe in controverſia ad fidem non ſpectante exiſtimarunt; inter quos numeratur Robertus Cardinalis Bellarminus (b) hoc deceptus argumento: Quia, inquit, *eſſe dominum non eſt poſſe rem deſtruere quocumque modo: ſed poſſe libere deſtruere quando, ubi, quomodo quis voluerit; & etiam donare, vendere, commutare, &c. Conſtat autem omnes veros religioſos habere uſum panis quem comedunt, & vini quod bibunt; nec tamen poſſe illa donare, vendere, mutare, proiicere.* At ex hoc probatur tantum non haberi a religioſo viro plenum & liberum dominium ante uſum rei conſumptibilis; non vero in ipſa conſumptione, quod haberi conſtat, cum nulli alteri remaneat, ut demonſtrat pontificiæ conſtitutionis propugnator (c) hoc argumento: *Si res illa, qua quis utitur, eſt alterius concedentis talem uſum rei, aut concedit uſum rei, nihil retento in re; aut concedit uſum, retento dominio in re: ſi primo modo, ſequitur quod concedens uſum, concedit quidquid habet in re, & quantum ad uſum & quantum ad jus: ſi autem ille, cujus dicitur res eſſe, concedit uſum talem retento dominio, hoc eſt impoſſibile, quia in re conſumpta non remanet jus alicui.* Refellit deinde objectionem ineptam, poſſe retineri jus abſtraendi ex ore, tum enim foret rei uſus incompletus, atque ideo jus incompletum, ſubditque: *Patet quod monachus & filius familias & ſervus habent aliquale jus in rebus, quibus utuntur: ſed quia non habent plenum jus & liberum nomine ſuo, ideo tales non dicuntur eſſe capaces ſimpliciter juris vel dominii in rebus, ſicut etiam in religionibus.*

(b) Bellar. l. 4. de Rom. Pont. c. 14.

Bellarmini oppoſitio.

(c) MS. bib. Vat ſign. n. 4869. pag. 5.

Diluitur.

Porro mirum non eſt, ſi in ea quæſtione legali de diſtinctione juris ab uſu juſto rei conſumptibilis plures Joannis mentem non ſint aſſecuti, cujus non videre commentarium: neque enim ut Pontifex ipſe docet (d), res conſumptibilis pro tempore, antequam deſtruatur, debet ſumi; ſed legaliter, uti etiam Nicolaus Papa acceperat, nimirum pro ipſa conſumptione, in qua jus ab uſu diſtrahi non poteſt, niſi quis abutatur injuſte (quod de Chriſto ſentire impium eſſet) ut adverſarii, qui ſimplicem uſum facti ſine ullo jure ipſi tribuebant, ſentire voluerunt. Quod autem ad eam conſtitutionis partem, in qua Joannes ſanctionem, *Cum inter nonnullos* repetit; in ea Cardinalis Bellarminus, cæterique pii omnes cum Joanne conſentiunt, neque Hervvartus Ludovicum Bavarum rite excuſat, cum Bellarminus Joannem in re metaphyſica ad fidem non ſpectante immerito perſtringat erroris: Ludovicus vero non in ea modo, quam ad fidem pertinere, cum pſeudominoritis falſo contendebat; ſed in alia, ad fidem ſpectante non ſine magno rei Chriſtianæ detrimento, improbiſſimorum hominum artibus incitatus in ſpeciem amplexus ſit. At de his hactenus. Nunc reliqua hoc anno geſta proſequamur.

(d) Jo. in com. Quia vir reprobus.

Res conſumptibilis in ſuperiori quæſt. accipitur pro re quæ conſumitur.

XXXVI. Sardinia ab Alfonſo comparata.

Parta eſt hoc anno Sardinia ab Alfonſo Aragonici ſceptri herede, quam a Bonifacio VIII. jure beneficiario una cum Corſica traditam Jacobo Regi vidimus, ut Siciliæ inſulam Carolo II. reſtitueret; ſed nullo compendio, cum Fridericus frater illam tenuerit. Geſta varia in eo Sardico bello prælia narrat Joannes Villanus (e): denique pacem inter Piſanos & Aragonios ea lege initam, ut inſula pareret Aragoniis. Cæterum Calarim in Piſanorum poteſtatem relictam, Mariana refert (f); quibus addit Surita, (g) Petrum Ripacurtiæ comitem a Jacobo ad aulam pontificiam miſſum, qui ob graviſſimos ſumptus in eo bello profuſos expoſceret, ut ex annuo duorum millium marcharum Sardico cenſu Pontifex, ad quem ſupremum inſulæ ſpectat imperium, quingentas marchas, tum ex aliis ſtipendiis & oneribus mediam partem detraheret, atque a Jacobo Rege & Alfonſo ſuperſtitibus nullum vectigal exigeret. Fœdiſſimæ hæ ingrati erga ſedem Apoſtolicam animi notæ non vulguri ſtupore Pontificem & collegium Cardinalium defixere. Joannes tamen, ne a ſe Aragonium Regem abalienaret, illiuſque petitis aliqua ex parte annueret, ex liberalitate, non pacto, vel ulla ſibi impoſita lege, decennio vertente mille marchas annuas, ac ſubmittendi militaris victigalis mediam partem remiſit. Jacobum itaque Pontifex, revocatis in memoriam conventis (a) cum Bonifacio VIII. initis de ſolvendis duobus millibus marcharum, & centum equitibus & peditibus quingentis in caſtris pontificiis regiis ſumptibus trimeſtri ſuſtentandis; & Caroli Regis propoſito exemplo, qui parta maximis ſumptibus & laboribus Sicilia, octo millia unciarum auri eccleſiæ ſumma fide perſolviſſet, hortatus eſt, (b) ut rem æqui conſuleret.

(e) Jo. Vill. l. 9. c. 239.

(f) Marian. l. 15. c. 18.

(g) Sur. l. 6. c. 50.

Petrus Arag. Regis filius orator ad Pontificem miſſus.



(a) Ext. annal. to. XIV. an. 1297. n. 2. &c.

(b) To. 5. ep. ſecr. pag. 29.

*Chariſſimo in Chriſto filio Jacobo Regi Aragonum illuſtri.*

Quæ ſint ab eo Joanni propoſita.

*Ad noſtram nuper accedens præſentiam dilectus filius nobilis vir Petrus infans natus tuus comes Ripacurtiæ ſub commiſſa ſibi per literas regias, quas nobis præſentavit, credentia pro parte tuæ celſitudinis prudenter expoſuit coram nobis, quod tu, fili chariſſime, ac heredes tui pro regno Sardiniæ & Corſicæ, quod felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter tibi & eiſdem heredibus donavit de fratrum ſuorum tunc S. R. E. Cardinalium conſilio, & conceſſit, ab eadem eccleſia & Romanis Pontificibus in perpetuum tenendum feudum ſub homagio, ligio, & pleno vaſſallagio, ac fidelitatis debitæ juramento, aliiſque pactis & conditionibus in ejuſdem prædeceſſoris literis expreſſis plenius & contentis, ad cenſum annuum duorum millium marcharum argenti bonorum & legalium ſterlingorum, in feſto beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Romano Pontifici, ubicumque fuerit, & Romanæ eccleſiæ annis ſingulis ſolvendorum; ac militare præſtandum ſervitium, centum videlicet equitum, cum uno equo ad arma & duabus equitaturis ad minus pro quolibet, ac quingentorum peditum armatorum, quorum centum exiſtant baliſtarii ſufficienter muniti; qui veſtris ſumptibus infra Italiam ſemel in anno, quandocumque prædicta indigebit eccleſia per trimeſtris temporis ſpatium a die, qua terram intrabunt eccleſiæ computandi, ſervire debeant eccleſiæ prælibatæ; mutandi nihilominus hujuſmodi ſervitium in ſtolio galearum, ſeu vaſorum maritimorum, dando per te & heredes eoſdem quinque galeas armatas & munitas infra maritimam Italiæ, dictis ſumptibus per tempus prædictum tenendas, ac milites & pedites, vel galearum ipſarum ſtolium ultra tempus retinendi prædictum ſimilibus gaggiis ad expenſas eccleſiæ Romani Pontificis pro ſuæ voluntatis arbitrio, libera poteſtate retenta, ſicut in eiſdem literis plenius & ſerioſius continetur; exiſtere noſcimini efficaciter obligati.*

Quæ pactiones a Bonifacio VIII. cum Jacobo initæ.

*Cum autem prædicti regni, non abſque gravi diſcrimine tuæ gentis, & importabili tibi profluvio expenſarum per te noviter acquiſiti, redditus & proventus adeo, ſicut aſſeruit dictus comes, reperias tenues & exiles, quod ultra neceſſarias expenſas faciendas ibidem parum aut nihil, quoad præſens, tibi poterit ſupereſſe de illis; nec ſperes etiam, quod tantum in futurum valeant, quantum valere prædictæ conceſſionis tempore credebantur; reputareſque propter hoc non leviter te gravatum, ſi pro dicto regno tu & heredes prædicti ſingulis annis ſolvere teneremini tantum cenſum; præfatus comes natus tuus tuo nomine nobis humiliter ſupplicavit, ut tibi ſuper expenſarum oneribus, quæ te ſubire oportuit pro regni acquiſitione prædicti, & aliis prædictis per eum propoſitis benigno compatientes affectu, duorum millium marcharum ſummam pro cenſu debitarum prædicto, ad quingentas marchas reducere, ac reſiduum, dicti cenſus, prædictique militaris ſervitii medietatem tibi & eiſdem heredibus remittere in perpetuum; quodque tu & dilectus filius nobilis vir Alphonſus primogenitus tuus, cenſum quingentarum marcharum hujuſmodi, ſeu ejus partem non teneremini ſolvere dum vivetis, nec uſque ad decem annos præſtare hujuſmodi militare ſervitium, vel galearum ſtolium vobis in dictarum expenſarum relevamen & ſubſidium de benignitate ſolita concedere dignaremur.*

Eas mutari poſcit Aragonius.

*Et licet prædicta petitio, quam diligenter audivimus, nobis & fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, cum quibus plene deliberavimus ſuper ea, grandem injecerit, velut inſolita & alias inaudita, materiam admirandi; cum non legerimus, nec ſciverimus, quod unquam per aliquem prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum cuiquam perſonæ de cenſu eccleſiæ debito aliqua fuerit in toto, ſeu parte facta remiſſio in perpetuum, vel ad tempus, quamquam ex cauſis interdum legitimis, aliquibus fuerint ſolutionum termini prorogati: certum eſt enim, quod claræ memoriæ Carolus primus Rex Siciliæ non ſine multa effuſione ſanguinis & exceſſiva expenſarum magnitudine, regno Siciliæ de manibus inimicorum eccleſiæ potenter erepto, ad octo millia unciarum de cenſu annuo pro dicto regno, de quo ſatis modicus cenſus antea debebatur, ſemper eccleſiæ memoratæ ſolvenda ſe ac heredes ſuos*

Rem ab æquitate abhorrere demonſtrat Pontifex.

*ſuos efficaciter obligavit; de qua ſumma tam ipſe, quam heredes prædicti ſatisfecerunt ſtatutis terminis uſque modo, vel ſuper ſolutione ipſius certis & juſtis cauſis prorogationem impetrarunt aliquotiens; inde tamen ſibi nulla facta remiſſione in perpetuum vel ad tempus, & etiam non obſtante, quod ad præſens per alios, magna pars regni detineatur prædicti; tamen ex ſinceræ dilectionis affectu, quo te dictumque comitem ſupplicantem & domum tuam regiam proſequimur in viſceribus charitatis, volentes, ſuper his, quæ ſecundum Deum poſſumus, tuam celſitudinem proſequi gratioſe; eidem comiti de dictorum fratrum conſilio duximus offerendum, nos medietatem duorum millium marcharum cenſus & militaris ſervitii prædictorum uſque ad decem annos proximos venturos, nullo tamen pacto nullaque conventione aſtricti, ſed de noſtra mera liberalitate & gratia ſpeciali, tibi tuiſque heredibus in dictarum expenſarum ſuffragium remiſſuros, dummodo comes prædictus recognoſcendi nobis & eccleſiæ Romanæ totum cenſum & militare ſervitium ſupradicta ſub modis, formis, & conditionibus contentis in literis ſuper dicta donatione confectis, & recipiendi dictam gratiam tuo nomine, ac ipſis expreſſe conſentiendi, eſſet ſuffultus ſufficienti regia poteſtate: adjecto tamen quod ſi tu & heredes prædicti in ſolutione reſiduarum mille marcharum, in dicto termino feſti beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum facienda, forſitan ceſſaretis, remiſſioque de illis mille marchis facta eſſet, tam pro illo anno, quo ceſſatum fuiſſet a ſolutione prædicta, quam pro toto reſiduo temporis dictorum decem annorum, haberetur penitus pro non facta; quodque per præmiſſa pactis, conventionibus, & obligationibus prædictis inter eandem Romanam eccleſiam, & te facta & ſtabilita non derogaretur in aliquo, quin potius in ſuo robore & efficacia permanerent.*

Vectigal pecuniarium & militare ad decennium dimidiat.

*Verum præfatus comes, audita oblatione prædicta, & cum ſuo conſilio deliberatione habita ſuper ea, ſe non habere reſpondit ſuper hoc poteſtatem: ſed ipſam gratiam non reſpuens, nec admittens, ut tuam in hac parte poſſet conſulere providentiam, per nos ſibi petiit indulgeri: quod utique nobis gratum extitit & acceptum. Super quibus, fili dilectiſſime, proinde proſpicias, quid agendum: nos enim quæ ſibi obtulerimus ſub modis, conditionibus, & forma prædictis, ſumus adimplere parati. Cæterum ad hoc, quod ulterius de gravamine cenſus & minori valore regni prædicti eadem petitio continebat: de dictorum fratrum conſilio duximus reſpondendum, quod licet pro tempore iſto acquiſitionis tam novæ futuri terrarum regni prædicti redditus nequeant æſtimari, cum in novitate tanta multa expendere oporteat, & de quibus non erit neceſſarium in futurum; intendimus tamen, prius informatione ſuper his habita diligenti, cum eiſdem fratribus opportuno tempore ordinare quod in hac parte fieri honeſte poterit, & debebit. Dat. Avin.* XII. *kal. decembris anno* IX. De remiſſis ad decennium mille marchis ex Sardico cenſu, ac media copiarum ſtipendiariarum parte, meminit Surita (*a*).

Actæ Joanni a Petro gratiæ.

(*a*) *Sur. l. 6. c. 58.*

XXXVII Sancii Regis Balear. obitus.

Præterea tum Regem Aragonum regni Balearici ad aulam Aragoniam & Ceritaniam, Ruſſionem, Montempeſſulanum, Omeladeſiam, & Carladeſiam occupandi armis conſilia agitaſſe, addit auctor; cum ex avi Jacobi voluntate Sancii Regis Majoricarum morte ad ſe devolvi viderentur, quippe nullos ex uxore liberos Sancius reliquerat: cumque Jacobus major natu frater vivo patre vitæ tranquillioris amore ſe ab omni ad ſceptrum jura abdicaſſet, Philippus vero alter Sancii frater ſacerdotalibus ſacris eſſet initiatus; Jacobus Ferdinandi filius, attributo Philippo tutore, ſucceſſor teſtamento dictus eſt, (*b*) Jacobo vero Ferdinandus ſubrogatus, atque huic Reges Aragonum ſubſtituti. In iis vero Balearici regni motibus, cum Rex Aragonum cæteris regnis Baleares inſulas cæteroſque principatus adjungere affectaret, Pontificem pupilli Regis clientelam adverſus Aragonii potentiam ſuſcepiſſe conſtat ex literis ad Carolum Regem Francorum & comitem Valeſium ſcriptis, (*c*) quibus rogat, ut Jacobo Regis Sancii nepoti & heredi in Montiſpeſſulani principatus cauſa, aliarumque terrarum, Gallicæ aulæ vectigalium, quæ ad Sancium ſpectabant, ſtuderet; tum ex aliis ad ſanctiorem Jacobi Regis ſenatum datis (*d*).

Jacobus teſtamento Rex creatus.

(*b*) *Lib. 6. c. 57.*

Illius clientela a Pontifice ſuſcepta.

(*c*) *To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag. 2.*

(*d*) *Ib. pag. 27.*

*Conſiliariis chariſſimi in Chriſto filii noſtri Jacobi Regis Majoricarum illuſtris.*

*Fatali recolendæ memoriæ Sancii Regis Majoricarum audito nuper occaſu, de ipſius obitu velut illius, quem de brachiis Apoſtolicæ ſedis ſubtraxit Altiſſimus, nobis merito inde dolentibus, rationabiliter condolemus. Sed cum idem Rex tanquam perfecte catholicus migrans ad Dominum, ut firmiter credimus, pro iſtius peregrinationis exilio vel jam fruatur, vel ſit fruiturus in proximo patriæ gaudio ſempiterno; vobiſque, ſicut audivimus, & ſubjectis de chariſſimo in Chriſto filio noſtro Jacobo Rege Majoricarum illuſtri nepote ſuo, ejus in dicto regno utique ſucceſſore, providerit licet impubere; ſi ejus ætatis optando provectui divinæ gratiæ faverit incrementum, & alias quantum in ſe fuerit in conſilio non defecerit ſalutari, adhuc auctore Deo tempore ac virtute proficiens, dicere poterit: Cum ſe-*

Moniti Baleares de Regis Sancii teſtamento obſervando.



*ſederem quaſi Rex circumſtante me exercitu, eram tum mœrentium conſolator; ex utriuſque conſiderationis intuitu, quæſumus, ut ceſſantibus concepti doloris anguſtiis, inde conſolationis in Domino ſpiritum aſſumatis. Et quia Rex ipſe defunctus in ultimo teſtamento, ſeu codicillis ejuſdem, dicto Regi ſucceſſori ſuo, ut præfertur, impuberi ſuper ſalubri ſuo & dicti regni regimine de opportunis contutoribus certo modo dicitur ordinaſſe; rogamus univerſitatem veſtram & hortamur attente, quatenus tanquam diligentes ſtatum proſperum præfatorum Regis & regni, ordinationem hujuſmodi ſervantes tenaciter, & facientes, quantum in vobis fuerit, efficaciter obſervari, naturalem veræ fidei & devotionis affectum, quem ad patruum habuiſſe noſcimini, propagetis laudabiliter ad nepotem, velut illum de cujus ſucceſſione Rex ipſe defunctus, ſicut ſperamus in Domino, digne diſpoſuit; & quem nobis imaginarium ſtirpis regiæ dereliquit, &c. Dat. Avin.* XI. *kal. octobris anno* IX.

Cæterum Jacobum Regem Pontifex ſalubribus præceptis informavit, monuitque (*a*) ut juventutem virtutibus aſſueſceret, atque eccleſias tueretur: *Cum*, inquit, *Chriſtus ſic diligat eccleſiam unicam ſponſam ſuam, quod quis ſibi nequaquam placere valet, niſi præfatam eccleſiam devote ſtudeat honorare; regiam magnitudinem attentius exhortamur, quatenus eccleſias & perſonas eccleſiaſticas pro divina reverentia ſemper habeas in honore; ſicque in devotione hujuſmodi, & aliis piis actibus tuam ſolidare ſtudeas juventutem, quod dum ætatis provectioris fueris, & curis majoribus fueris occupatus, portes aſſueta ſuavius & in bonis operibus magis quotidie delecteris; ut te in omnibus Domino dirigente, cuncta tibi ſuccedant proſpere, ac tandem æternæ beatitudinis præmium aſſequi merearis. Dat. Avin.* VII. *kal. novembris anno* IX.

Præcepta novo Regi propoſita.

(*a*) *Ib. pag. 28.*

XXXVIII. Natæ inter Anglorum & Francorum Reges diſcordiæ

(*b*) *Vualſin. in Eduar. II. Polyd. Virg. 17. in eod. Paul. Æmil. in Carol. IV. Gaguin in eod. & alii.*

Hoc anno erupiſſe inter Eduardum Anglorum & Carolum Francorum Reg. graviores diſcordias, ex quibus in Aquitania atrox bellum accenſum, & Angli magna illius ditionis parte Caroli Valeſii armis depulſi, refert Vualſingamus (*b*). Obſtrictus erat Eduardus, ut more majorum Aquitanicum ducatum & comitatum Pontiniacenſem beneficio & auctoritate aulæ Gallicæ obtinere ſolemni ritu profiteretur, & novo Regi Carolo clientis officia deferret: cumque varias, ut illud onus excuteret, obtenderet cauſas, bellique immineret terror, Pontifex tuendæ inter eos concordiæ ſolicitus, Eduardum monuit (*c*), ut Francorum Regi clientelæ nomine fidem addiceret, omneſque diſſidiorum cauſas amputaret.

Cunctatur Eduardus acceptam referre Aquitaniam Carolo.

(*c*) *To. 4. p. 2. ep. ſecr. 45.*

*Joannes, &c. Eduardo Regi Angliæ illuſtri.*

*Cum Homagium, quod chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Regi Francorum & Navarræ illuſtri pro ducatu Aquitaniæ rationabiliter debere aſſereris, dicaris nondum ſibi juxta debitum præſtitiſſe; noſque cupiamus utrinque, velut inter notabiles Reges catholicæ fidei & præclara generis affinitate conjunctos, Deo fragrantia, & tam utrique fructifera, quam ſubditis pacis & concordiæ perennis aromata redolere, attento quod debita ſoluta præſtantius duplicata vice fiunt recipientibus lætiora; excellentiam regiam affectuoſe rogamus, quatenus tam ad præmiſſa quam alia quæ inter te ac dictum Regem nutritivæ pacis bonum & concordiæ ſapiant, ſic (fili chariſſime) diſponas intentionem cordis, & dirigas animi tui greſſus, quod inter te ac dictum Regem & utriuſque ſubjectos antiquam ſinceritatis maſſam alicujus novæ diſcordiæ non corrumpat infectio; & apud Deum ac ipſam ſedem ſæpe propterea dignis laudibus reſonet famæ regiæ magnitudo. Dat. Avin.* IV. *id. martii anno* VIII.

Monetur Eduar. a Pontifice officii.

Refert Vuaſinghamus (*d*), indixiſſe Eduardum Londini ſolemnes omnium regni ordinum conventus, ut deliberaret, an ad devinciendam Regi Francorum fidem obtentæ jure fiduciario Aquitanicæ ditionis nomine ad Francorum aulam ſe conferret, cum jam ſæpius ad præſtandum illud officium judicio poſtulatus eſſet: Anglos vero in eam abiiſſe ſententiam, ut ipſe iter non ſuſciperet, ſed prius ſolemnes mitteret oratores, qui a Carolo Rege blandirentur, ut ipſum ea vice officii illius religione liberaret, vel diem ad exhibendam clientelarem ſponſionem conſtitutam extraheret: miſſos vero Edmundum comitem Cantii Regis Eduardi fratrem atque archiepiſcopum Dublinenſem ad aulam Gallicam, exceptoſque perhonorifice; nil tamen impetrare precibus potuiſſe, ni prius commiſſa jam ante in Aquitanico ducatu adverſus Francorum Regis ſupremam auctoritatem expiata eſſent: exorta enim erant in Aquitania inclinante ſuperiore anno inter Anglorum & Francorum Regum adminiſtros diſcordiarum ſemina.

(*d*) *Vualſin. in Eduar. II.*

Fratrem ad aulam Gallicam mittit.

Pullularant ea culpa Ranulphi Aquitaniæ præfecti, qui municipium S. Sacerdotis ob provocationem ad Gallum Regem, ſupremum Aquitaniæ dominum, editam flammis deleverat. Qua laceſſiti injuria Galli illum apud Montem Piſatum cinxere obſidione. Cujus belli cum levia quidem viderentur principia, ſed formidandi exitus; Pontifex ab Eduardo contendit (*e*) ut cum ea, quæ a ſuis crudeliter in Aquitania geſta erant damnaret, ſi quo modo in ſervata adverſus ipſos

Belli principiis occurrere nititur Pontifex.

(*e*) *Ead. pag. 45.*

pſos judiciorum forma læſa eſſet ducalis auctoritas, controverſiam amicitia & æquitate cum Gallo Rege componeret.

(a) Vualſin. in Eduard. II.

Spreta ab Eduardo magno ſuo malo pontificia conſilia. Diſcuſſo concordiæ tractatu. Carolus Valeſ. in Aquitaniam irrumpit.

Avertit aures pontificiis monitis Eduardus: cum enim ipſius frater Edmundus Cantii comes in Gallica aula orator pacis ſtudio aſſenſiſſet, ut Radulphus diſcordiæ fax una cum ſociis traderetur Gallis, ut in eos ageretur legibus, contra Dublinenſis archiepiſcopus conſulendum eſſe Eduardum contenderet; accepta re Anglorum Rex Edmundi fratris ſententiam revocavit, (a) ac ſuos tueri armis adverſus Gallorum impetus conſtituit. Diſceſſit itaque ab aula Gallica in Aquitaniam Edmundus Cantii comes ad eam defendendam: Carolus vero Rex patruum Carolum Valeſium valido ſuccinctum exercitu immiſit ad fiduciarias terras ab Anglo repetendas. Quo accepto Pontifex, qui ſicuti ex concordiæ primis rumoribus magnâ fuerat lætitia delibutus, ita ex adverſis conſternatus, Francorum Regem ſolicitavit literis (b), ne armorum vi, ſed blando tractatu rem dirimeret, ſeque affinitatis nexu Eduardo conjunctum meminiſſet.

(b) To. 4. p. 2. ep. ſecr. pag. 21. & pag. 33.
(c) Eod. to. 4. p. 2. ep. ſec. pag. 34. & to. 5. p. 1. ep. ſecr. pag. 1.
(d) To. 4. pag. 2. ep. ſecr. pag. 35. Ibid. ep. ſecr. pag. 44. 45. 46. 51. 52. 53. & to. 5. p. 1. ep. ſec. pag. 3. & 18.

Oratores ad Francorum Reg. ab Anglo miſſi.

In medio interim belli ardore Joannes Guillelmum archiepiſcopum Viennenſem atque Hugonem epiſcopum Auraſienſem, ut concordiam urgerent IX. kal. ſeptembris miſit (c), inſtruxitque auctoritate (d) ad coitiones paci contrarias diſſolvendas. Perfecit demum pluribus literis Pontifex (e), ut Euardus ampliſſimos oratores Vvintonienſem & Norvvicenſem epiſcopos, Joannem e Britannia comitem Richemundiæ, & Henricum, e Bellomonte ad Carolum miſerit, quem enixis rogavit (f) precibus, ut illius amore, in cujus adventu cœleſtes ab omni humana contagione ſegregatæ mentes præconia pacis cecinere; tum redintegrandæ Aſiaticæ expeditionis, eo bello diſturbandæ ſtudio, ac proximæ cum Eduardi primogenito ex Iſabella ſorore nepote ſuo conjunctionis intuitu, paci animum accommodaret.

(e) Eod. to. 5. pag. 4.
(f) To. 4. p. 2. ep. ſecr. pag. 33.

Pontificiæ ad Carolum pro pace literæ.

*Carolo Regi Franciæ & Navarræ illuſtri.*

*Exultavit cor noſtrum in Domino per tuæ, fili chariſſime, magnificentiæ literas his diebus præteritis intellecto, quod ſolemnes nuncii chariſſimi in Chriſto filii noſtri Eduardi Regis Angliæ illuſtris ad tuam præſentiam deſtinati tecum convenerant ſuper iis, quæ in partibus Vaſconiæ per arreſta tua fuerant ordinata: per quod probabiliter guerræ materia prorſus videbatur eſſe ſublata. Sed, proh dolor! exultatio illa nimis cito evanuit per hoc, quod fide digna relatione percepimus, quod qui promiſſa renuebant præfati nuncii adimplere, ad exequendum armata manu arreſta hujuſmodi excellentia regia, & ad reſiſtendum præfati nuncii ſimiliter ſe parabant. Et quia, fili chariſſime, ſicut alias prudentiæ regiæ ſcripſimus, diſſenſio hujuſmodi poſſet parare grande præjudicium negotiis arduis, quæ cœpiſti proſequi, vel etiam forſan totaliter impedire, nec guerra cœpta ſic prompte tractatus poſſet amicabilis recipi ſicut ante; regalem providentiam adhuc rogamus attente ſibique ſano conſilio ſuademus, ut attentis diſpendiis variis, quæ non ſolum circa præfata negotia, ſed & circa alia, præcipue circa tranſmarinum negotium, quod (ut aſſeris) cordi tuo inſidet plurimum, poſſent ſequi; quamque ſit indecens & abſurdum, principes tanta conſanguinitate & affinitate conjunctos (qui ſe debent mutuis fulcire præſidiis & favoribus confovere, ac illa, quæ temporum diverſitate contingit inter ipſos emergere quantumcumque gravia, quantumcumque difficilia tractatibus ordinare domeſticis, & familiaribus collocutionibus expedire) ſic adinvicem adverſari; ſic caute, ſic prudenter executionem hujuſmodi differat, quod amicabilem tractatum non impediat, aliiſque negotiis, ad quæ intendit magnificentia regia, non obſiſtat. Et ecce nos Regi præfato ſuper hoc ſcribimus, ſibi (ut expedire vidimus) efficaciter ſuadendo, ut via reſiſtentiæ facta prorſus omiſſa, ad vias juſtitiæ & tractatus amicabiles ſe convertat, reſponſum ſuum ſuper hoc abſque moræ diſpendio præſtolantes: quo habito, indilate celſitudinem tuam regiam curabimus reddere certiorem. Placeat quoque benevolentiæ regiæ nobis per ſuas innoteſcere literas, quid ſuper præmiſſis intendat, ut ſic poſſimus circa præfatum negotium diſponere provide quod viderimus expedire. Et quia tenemus indubie, quod tui, fili chariſſime, & dicti Regis perſonalis præſentia eſſet pro ſedanda dicta diſcordia plurimum opportuna, præfato Regi per noſtras literas ſuademus, ut ad diem condictam pro faciendo homagio, ſi non præteriit, vel ad condicendam, ſi præteriit, curet (ſi commode poterit) intereſſe; ſubjungentes, quod tua providentia dare literas de ſecuro conductu obtulerat ſe paratam; quod, fili chariſſime, digneris facere, ſi fueris requiſitus. Sic enim venerabilis frater noſter Petrus epiſcopus Vivarienſis te nobis retulit liberaliter conceſſiſſe. Dat. Avin. II. kal. julii an.* VIII.

Naſcentia e bello mala deplorat Pontifex.

Rogat Carolum, ut legibus non ferro rem dirimat.

(g) An. 9. p. 1. ep. cur. 1. & to. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 61.
(h) To. 4. p. 2. ep. ſecr. pag. 86. 87.
(i) To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag. 61.

Adhibuit quoque Pontifex (g) ſtudium in revocandis ad mutuam pacem Eduardo principe Sabaudiæ cum Guigone delphino nec non Sabaudos (h) principes & marchionem Salutiarum, qui Pedemontio bellum intulerant Roberto Regi, qui oratores ad ſedem Apoſtolicam pro jungendo fœdere miſerat (i) conciliare niſus eſt. Propendebat in eam pacem Robertus Rex, cum alia bella cogitaret: miſere enim ad illum Veneti ſuos oratores, ut de catholica re redintegranda in Græcia cum ipſo agitarent. Solicitati (a) vero ad id bellum erant a Joanne principe Achaiæ, in quem cum Superantius ducale ſtudium explicuiſſet, illi ac ſenatui Veneto Pontifex gratias egit: aliiſque literis eodem die, nimirum VI. kal. novembris datis * Gantinum Brenenſem ducem Athenarum, quem a Catalana ſocietate Græciſque ſchiſmaticis oppugnatum vidimus ipſis commendavit (b).



Veneti cum Roberto de orientali bello agitant conſilia.
(a) Ib. pag. 99.
* al. Galcherum
(b) Ib. pag. 100.

XXXIX. Immanis Tartarorum in Græciam excurſio.
(c) Jo. Vill. l. 9. c. 241.
(d) Ant. 3. p. tit. 21. c. 5. §. 9.

Irrupiſſe hoc anno menſe februario in Thraciam Tartaros Scythas e Gazaria & Ruſſia cum innumero equitatu, atque ad Conſtantinopolim vaſtatis agris excurriſſe, ſcribit Joannes Villanus (c). S. Antoninus vero trecenta equitum millia adduxiſſe, remque non incredibilem ait, (d) ac Græcorum centum quinquaginta millia vel necaſſe ferro, vel in ſervitutem abduxiſſe; hancque addit ſententiam: *Juſto autem Dei, judicio Græci ſic flagellati ſunt ab inimicis Dei ſcilicet infidelibus, quia ipſi Græci facti ſunt inimici Dei diverſis ſchiſmatibus & hæreſibus, pluries ad veritatem redeuntes, & cito ad vomitum revertentes.* Perculſus his adverſis Andronicus Græcorum Imperator, cum etiam fama accepiſſet, occidentales principes, qui inſtaurandæ in Syria Chriſtianæ religionis conſilia agitabant, expeditionem ad imperium Conſtantinopolitanum illi eripiendum meditari; de revocandis ad Romanæ eccleſiæ conjunctionem & obſequium Græcis agere cœpit. Quo felici rumore permotus Marinus Sanutus qui ſe ſuaque divino cultui in Syria redintegrando devoverat, gratulatorias ad Andronicum ipſum literas dedit, (e) eique ſignificavit ſe cum Roberto Rege Siciliæ ac Gallis principibus & Cardinalibus ac præſulibus egiſſe, ut Græcorum prætermiſſo imperio, arma in Syriam traducerentur: ſeque etiam pacis cum Carolo Valeſiorum duce, qui dotalia ad imperium jura obtendebat, interpretem fore ſpopondit.

Andronicus de Græcis ad eccleſiam revocandis agitat.
(e) Sanut. ep. 7.

*Excellentiſſimo ac ſapientiſſimo principi, ac ſuo domino, domino ſingulari domino Andronico Pallialogo, Dei gratia Imperatori Conſtantinopolitano, moderatori Romæorum magnifico & ſemper Auguſto, Marinus Sanutus, dictus Torcellus, de Venetiis ſe ipſum humiliter ad omnia imperialia beneplacita & mandata.*

XL. Gratulatoriæ ad illum Sanuti literæ.

*Noverit veſtrum magnificum imperium, quod diligo & dilexi, me fuiſſe ſatis longo tempore in Romana curia, & tandem in curia magnifici domini Regis Franciæ pro tractandis & ordinandis opportunis negotiis terræ ſanctæ: & a viris religioſis, qui venerant de veſtro imperio, & præcipue a domino epiſcopo Caphenſi, intellexi de veſtra imperiali ſapientia & fide ac voluntate bona, quam ad unionem eccleſiarum habetis. De quo cor meum fuit & eſt non modicum hilaratum, cognoſcens quod eccleſiarum unio eſt complementum paſſagii terræ ſanctæ: nec ſcio majus bonum poſſe fieri in hoc mundo, quam eccleſias reunire. Propterea frequenter colloquium hujuſmodi cum pluribus dominis Cardinalibus, & cum excellenti domino Rege Roberto, & cum aliquibus principibus regni Franciæ, & etiam cum domino Petro de Via nepote domini Papæ; & maxime cum nobiliſſimo domino Gulielmo comite Hanoniæ, Vlandiæ & Zelandiæ ac Friſiæ domino, genero domini Caroli, & cum domino Gualterio de Caſtilione comite Porzani & Comeſtabulo Franciæ, & cum domino Roberto comite Bononiæ & Alverniæ, de negotio ſupradicto; qui pro magna parte regunt, & ordinant ipſum regnum: ac etiam colloquium habui cum prælatis de multis, quæ tangunt honorem & ſecuritatem veſtri imperii, & reperi multos prædictorum habere optimam voluntatem. Et ideo propter Dei honorem & utilitatem fidei, & amorem ſpecialem veſtri magni imperii offero me, ſi opportunum vobis videbitur, tractare & laborare ſecundum meam poſſibilitatem pro prædicta unione eccleſiarum, & pace ac concordia cum ſancta Romana eccleſia, & cum excellenti domino Carolo ac cæteris perſonis, quibus veſtræ magnificæ prudentiæ videbitur opportunum. Plura alia explicavi de iſta materia domino fratri Hieronymo epiſcopo Caphenſi, quæ oretenus veſtræ majeſtati poterit explicare.*

Ut cum Galliis de eo egerit.

Cum diſceſſurus etiam eſſet ex aula pontificia Caphenſis epiſcopus, illum Marinus Sanutus rogavit, (f) ut Andronicum Imperatorem faceret certiorem, ipſum ad aſſerendum illi imperium pluribus egiſſe cum occidentalibus principibus, ne arma verterent in Græcos: licet enim eorum imperium everti poſſet, haud tamen ob gentes efferas, quibus cinctum erat, diu ſervari poſſe; & quamvis ſubderentur jugo Græci, a ſchiſmate non receſſuros, ut de Cypriis, Cretenſibus, Eubœis, Athenienſibus, & Achivis conſtabat: neque ad divinam gloriam amplificandam quid utilius excogitari poſſe, quam ſi Imperator & patriarcha ſponte Romanæ eccleſiæ ſe aggregarent; magna enim exinde ſubſidia ad Palæſtinam e Mahumetana tyrannide vindicandam comparatum iri; *Via*, inquit, *per quam poteſt eccleſia reuniri, ut mihi videtur, eſſet habere magnificam perſonam ſuam una cum ſuo patriarcha, & cæteros etiam de domo ſua: propter quod omnes ipſius ſubditi, & alii, ſicut Ruthenî, & Exagoræ, & regnum Serviæ & * Zorzani*

XLI.
(f) San. ep. 8.

Concilium Græcis datum.

* al Georgiani

* Alanorum

zani & alii, *qui ſunt ſub dominio * Francorum, Tartarorum, Turcorum, & ſub dominio ſoldani Babylonici, erunt obedientes eccleſiæ Romanæ; quod quidem eſſet maximum bonum pro reuniendis eccleſiis, & ſecurum pro gente ſui imperii, tam pro anima, quam pro corpore.* Certatum eſt (a) magna contentione in arcanis conſiliis Regum ac principum, an per Conſtantinopolitanum imperium exercitus in Saracenos traducendus eſſet, an maritimo itinere claſſe inſtructa in ſoldani terras irrumpendum: ſed nullus pedem movit.

(a) *Superiori epiſt.*

Agitatum an terra, vel mari expeditio ducenda.

XLII. Quod ad Aſiaticas res ſpectat; Leo Armeniæ Rex ampliſſimos oratores Baſilium Tarſenſem archiepiſcopum atque auratos equites Aythonum, Manuzac, & Balduinum in occidentem ad imploranda auxilia, miſerumque orientalium Chriſtianorum ſtatum exprimendum miſit: qui cum ad Carolum Francorum Regem ſe contuliſſent, Pontifex ipſos illi enixe datis nonis maii literis commendavit, (b) rogavitque (c) Carolum Valeſiorum, Ludovicum Clarimontis comites, Alfonſumque Hiſpanum in aula regia auctoritate florentiſſimos, ut operam ſuam in eare collocarent. *Meminit* de hac legatione Marinus Sanutus, vir ardentiſſimo zelo pro urgendo bello ſacro præditus, qui libros ac membranas coſmographicas Pontifici obtulit, quibus regionis ſitum, ac bellandi rationem explicabat, Armenoſque oratores demiſſe ei commendavit, (d) calamitateſque ab impiis acceptas his verbis deſcribit: *Vivunt ſub tributis intolerabilibus, quæ infidelibus profanis perſolvunt, & innumerabilibus anguſtiis aliis cum timoribus continuis comprimuntur: quod licet jam habeant licentiam a ſoldano reædificandi terram de Lajaza cum caſtro ſuo de terra, non tamen permittitur eis reædificare caſtrum de mari, cujus reædificatio eis perneceſſaria judicatur. Remedium contra iſta mala eſt veſtra ſanctitas ſingulare, ſi dignetur præcipere, diligentem maris cuſtodiam fieri per fideles.* Et infra: *Et per conſequens per defenſionem cuſtodiæ antedictæ reædificaret Rex Armeniæ caſtrum de mari, quantumcumque ſoldanus impie reclamaret. Maximum vero miraculum fuit quod Redemptor noſter amiſſis terris de Lajaza, ac caſtris tam de terra quam de mari regni Armeniæ, reſiduum conſervavit: unde videtur quod divina clementia illam partem ſervare diſpoſuit, ne Chriſtiani de recuperatione, ſi tota fuiſſet perdita, deſperarent: & partem prædictam aliam ab infidelibus occupari permiſit, ut ſaltem propter pœnam damni paſſi fideles circa maris cuſtodiam, quam prius ſuam per ignaviam neglexerant, de mandato ac ordinatione clementiſſimæ veſtræ celſitudinis diligentius vigilarent, &c. Dat. Venetiis anno domini noſtri Jeſus Chriſti MCCCXXIV. de menſe decembris.*

(b) *To.* 4. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 25.
(c) *Ib. poſt ead. ep.*
Sanutus eam promovere annititur.
(d) *San. ep.* 8.
Hortatur ad coercendas infidelium excurſiones.
Inſtaurari rem Armenam poſſe.

XLIII. Diuturnæ Pontificis cum Ludovico Bavaro diſſenſiones, Italorum factiones, Francorum in ſuſcipiendis cum finitimis bellis ardor, ac bellandi pro Chriſto poſt nuncupata toties vota ſegnities conſilia de Aſiatica expeditione confregere. Ne tamen coniicerentur omnino in deſperationem Armeni, Joannes archidiacono Beneventano ſedis Apoſtolicæ nuntio, & Aymerico epiſcopo Paphenſi provinciam v. id. auguſti commiſit, (e) ut pro Armeniæ & Chriſtianorum earum partium tutione triginta aureorum millia numerarent; ac Leonem Armeniæ Regem ad regnum ſtrenue propugnandum eſt adhortatus (f). Tum Henricum (g) Cypri Regem ad reprimendam deteſtabilem eorum avaritiam, qui merces Saracenis inveherent, e quibus præferociores infideles efficerentur, excitavit: in quos etiam graviſſimas pœnas ſtatuit, ſuperiori anno diſceptanteſque in ea re peccatum non committi, damnavit (h) erroris.

Cur omnia pia illa conſilia evanuerint.
(e) *To.* 4. *p.* 2. *ep. ſecr. p.* 89. 90.
Data a Pont. aliqua Armenis ſubſidia.
(f) *Ead. pag.* 90.
(g) *Ib. pag.* 91.
Cyprii merces vetitas Saracenis invehentes, coerceri juſſi.
(h) *An.* 8. *p.* 1. *ep. cur.* 1.

XLIV. *Quia*, inquit, *ſicut gravi inſinuatione percepimus, nonnulli ſolo dumtaxat nomine Chriſtiani in illum errorem auſu damnabili præſumpſerunt prorumpere & præſumunt, ut pertinaciter aſſerant & affirment ab illarum rerum commercio & negotiorum exercitio fore ſolummodo abſtinendum, quæ dumtaxat in præfatis conciliis*, Lateranenſi nempe & Lugdunenſi, *probibentur mendaciter; quinimo damnabiliter aſtruentes contra conſtitutiones prædictas victualia, & alia quæcumque mercimonia, præter dicta probibita in conciliis ſupradictis in Alexandriam, vel alia loca Saracenorum terræ Ægypti deferre vel mittere non eſſe peccatum, per affirmationem erroris hujuſmodi pertinacem ſe & alios, eorum imitantes errores, in peccatorum fæcem & labem pravitatis hæreticæ immergentes; nos eorundem prædeceſſorum in hac parte veſtigiis inhærentes, tantoque ſuper præmiſſis providere ſolertius cupientes, quanto magis hoc exigere noſcit negotium fidei & urgens neceſſitas dictæ terræ, quæ ab eiſdem prædeceſſoribus Nicolao, Bonifacio, & Clemente ſuper præmiſſis, ut prædicitur, facta ſunt, grata habentes & rata, illa auctoritate apoſtolica approbamus & innovamus, & præſentis ſcripti pagina communimus, eaque præcipimus inconcuſſe, & inviolabiliter obſervari; damnantes & reprobantes errorem eorum, qui aſtruere vel affirmare contendunt, victualia & alia quæcumque mercimonia, præter probibitæ in eiſdem conciliis, in Alexandriam vel alia loca Saracenorum terræ Ægypti deferre vel mittere non eſſe peccatum: ac decernentes eoſdem tamquam hæreticos puniendos; cum non ſit dubium in damnatam incidere hæreſim affirmatores vel aſſertores erroris hujuſmodi pertinaces. Nulli ergo, &c. Dat. Avin. nonis ſeptembris an.* VIII.

Pontificia in auſuros illud facinus ſententia.
Illatæ jam a Rom. Pontificibus cenſuræ renovatæ.



Erepto e vivis Petro patriarcha Hieroſolymitano, Pontifex Raimundum Dominicanæ familiæ virum religioſum eo titulo exornavit (a), eique contulit (b) Nimocienſis eccleſiæ adminiſtrationem, cum Jeroſolymis ob infidelium tyrannidem ſedere non poſſet. Tum ea inſtruxit auctoritate, (c) ut in Avenionenſi vel aliis urbibus ac locis de cauſis ad patriarchatum Hieroſolymitanum ſpectantibus cognoſcere poſſet: denique ipſum a Guillelmo epiſcopo Sabinenſi ſacrari, & pallio a Neapoleone eccleſiæ S. Adriani, Luca S. Mariæ in via Lata, ac Bertrando S. Mariæ in Aquiro diaconis Cardinalibus ornari, fideique ſacramento adigi juſſit (d): factaque abeundi poteſtate, clero Jeroſolymitano & Henrico Regi Cypri eum commendavit.

Raimundus Petro in patriarchatu Jeroſ. ſubrogatus.
(a) *An.* 8. *p.* 2. *ep. com.* 1169.
(b) *Ib. ep.* 1170.
(c) *An.* 9. *p.* 1. *ep. com.* 377.
(d) *An.* 8. *p.* 2. *ep. com.* 1480.

XLV. Nec conſultum modo eſt a Pontifice Aſiæ, verum ſeptentrioni, in quo ampliſſimæ gentes infidelitatis gelo conſtrictæ hactenus, divini amoris ardore viſæ ſunt colliqueſcere. Ad quas fide orthodoxa imbuendas decreti ſunt (e) apoſtolici nuncii Bartholomæus epiſcopus Electenſis, & Bernardus abbas monaſterii S. Theofredi Anicienſis diœceſis, quibus data provincia eſt (f), ut ex omnibus religioſis ordinibus viros pietate ac doctrina inſignes in laboris & gloriæ promulgandi apud Lithuanos & Ruthenos evangelii ſocietatem aſciſcerent. Gedeminnius enim Lotvvinorum ſive Lithuanorum Rex, de cujus agitata ad fidem converſione hiſtoriam ſuperiori anno delibavimus, ad Romanum Pontificem ut ſupremum Chriſtianorum ſacrorum principem literas dederat, quibus ſe divino inſtinctum ſpiritu, ut in filiorum Dei numerum accederet, ſignificarat. Legatis itaque collata eſt ſubjectis literis ampliſſima auctoritas ad religionem Chriſtianam in ipſius regno propagandam.

(e) *An.* 8. *p.* 1. *ep. cur.* 11.
Miſſi in Lithuaniam legati pro fide amplificanda.
(f) *Ib. ep.* 16.

XLVI. *Joannes, &c. Vobis auctoritatem concedimus ut in terris illarum partium, convertendarum ad fidei catholicæ veritatem proponere verbum Dei; & conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqui fuerint majori excommunicatione ligati, in verbo, officio, cibo, ac in aliis boneſtis & licitis communicare ſecure, ipſoſque ſeu alios, quos converti ad veritatem fidei Chriſtianæ affectamus recipere, baptizare, aggregare ovili fidelium valeatis; in bis omnibus per vos, vel alium, ſeu alios exequendis pari in omnibus poteſtate functuri niſi in iis, quæ ordinis epiſcopalis exiſtunt, & auctoritatem pontificalis exigunt dignitatis, quæ per te frater epiſcope volumus exerceri. Liceat quoque perſonis dudum ſacro baptiſmate delibutis, redeuntibus ad fidei veræ lumen & obedientiam dictæ ſedis, majori excommunicatione ligatis, abſolutionis beneficium juxta formam eccleſiæ impertiri: ac etiam diſpenſare, ut redeuntes de ſchiſmaticis ad eccleſiæ catholicæ unitatem inter ſuos, ſi voluerint, valeant habitare, eiſque communicare ſine contumelia Creatoris; & quod clerici nationum ipſarum, publice ad dictæ ſedis obedientiam redeuntes, gaudeant privilegio clericali* [1].

Legati ampliſſima inſtructi auctoritate.

Ornavit ipſos pluribus aliis prærogativis, quo rem catholicam augere ac divinum cultum amplificare poſſent. Tum auctoritate munivit, ut priſtino ſtatui præteritorum temporum injuria collapſas epiſcopales ſedes ac metropoles reſtituerent, vel novas excitarent, præficerent idoneos paſtores in urbibus atque oppidis, religioſas familias admitterent, conferrent indulgentiarum præmia, commutarent vota, exceptis religionis, continentiæ, ac peregrinationis ultramarinæ: tum auctoritate apoſtolica rata haberent eorum matrimonia, qui in ſchiſmate in tertio, vel quarto conſanguinitatis gradu contraxiſſent, atque eccleſiæ ſe aggregarent. Præſcripta (g) quoque fidei formula, quam Romana profitetur eccleſia, in eaque ipſos Gedeminnium Regem ac Lithuanos erudire juſſit. Prætermittenda vero hic nobis viſa eſt, cum eiſdem verbis, atque ea, quam ad Palæologum (h) Imperatorem, Græcos & Armenos tranſmiſſam vidimus, concepta ſit. Commendavit eoſdem legatos Ponti-

(g) *Ib. ep.* 19.
Tradita legatis formula fidei Lithuanis proponendæ.
(h) *Ext. in to.* 14. *An. Ann. Chr.* 1267. *n.* 14. *&c. & an.* 1318. *n.* 10.



NOTÆ [1] QUæ hic ab Annaliſta recitantur Joannis literæ ad Bartholomæum Electenſem & Bernardum Abbatem extant pariter in anecdoctis Martenii tom. I. col. 1349. Sed ibi nec integræ afferuntur, nec in anni adſcriptione ſinceræ. Nam datæ leguntur *Avenione calendis Junii Pontificatus anno primo*. Hanc anni adſcriptionem mendoſam eſſe ex eo colligo, quod in regiſtro epiſtolarum Joannis ad annum ejus VIII. epiſtola hæc referatur ut ex annaliſta hic deduxiſſe mihi videor, cum in literis hoc anno a Joanne ad illos datis contineri dicat fidei confeſſionem quam Romana Eccleſia profitetur. Hæc etiam in literis a Martenio vulgatis recurrit. Inſuper in iiſdem Martenii literis narrat Joannes ſe repetitas literas a Gedeminnio Lithuanorum rege accepiſſe. Vix credo in ipſo initio, Pontificatus anno priori, repetitas ab eodem Rege literas excepiſſe. Facilius contigiſſe id potuit anno Pontificatus ſui octavo. Quin & ex literis ejuſdem Joannis ad Gedeminnium non ante præſentem vel præcedentem annum ſecundum ejus regis literas Pontifici redditas intelligimus; ex quo plane deducimus literas a Martenio vulgatas non ante hunc annum Joannis octavum datas fuiſſe. MANSI

(a) An. 8. p. 1. ep. cur. 14.

Gratulatur Pontifex Regi Lith. ipſum fidei veritatem agnoviſſe.

ſex (a) Lithuaniæ, atque ampliſſimæ Ruſſiæ partis Regi, gratulatuſque eſt ipſum divino afflatum ſpiritu unicam divinitatem, perſonarumque triadem; Romanum vero Pontificem Chriſti in terris vicarium, a cujus ſede fidei orthodoxæ puritas petenda ſit, agnoviſſe. Cum vero graves de cruciferis equitibus querelas attuliſſet, qui etiam olim adeo Mindavum Regem oppreſſerant, ut illum ac Lithuanos poſt ſuſcepta Chriſtiana ſacra ad veterem ſuperſtionem deſciſcendi cauſam dederint, quos quidem e Longino diximus Lithuaniæ ſupremum imperium affectaſſe (b), cum illud Mindavus in ipſos baptiſmo rite luſtratus obtenta (c) ab Alexandro IV. regia corona transfudiſſet; Gedeminnio Joannes eſt pollicitus, (d) ad componendas eas controverſias curas ſe adhibiturum, ipſumque ac Lithuanos & Ruthenos paterno ſtudio complexurum.

(b) Ann. Chr. 1255. n. 58.

(c) Ib. n. 58.

(d) Sup. ep. cur. 14. extat etiam in MS. arch. Vat. de reb. infid. & ſchiſm pag. 16.

XLVIII.

*Excellenti & magnifico viro Gedemunne Letvvinorum, & multorum Ruthenorum Regi illuſtri, Deum colere, & timere.*

*Miſſa nobis tuæ magnitudinis litera devotione referta, verbiſque ſuccincta, grata nimirum noſtris ac fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium venit affectibus; in qua dum tuam devotionem attendimus, dum advertimus ſalvationis tuæ ſalubre propoſitum, dum illum, quem ad Deum, ac nos & Romanam eccleſiam te gerere aſſeris devotionis affectum intentæ meditationis intuitu contemplamur, auditui noſtro gaudii & lætitiæ materiam præbuiſti. Poſt primum quidem tuæ gratæ ſalutationis alloquium, in ipſius primordio literæ ſubjunxiſti, quod omnes fidei Chriſtianæ cultores auctoritati noſtræ debent eſſe ſubjecti, quodque tota fides catholica juxta proviſionem Romanæ eccleſiæ gubernatur; declarans nobis, quod quondam prædeceſſor tuus Rex Mindouue, cum toto ſuo regno fuit ad fidem Chriſti converſus: ſed propter atroces & innumerabiles injurias dilectorum filiorum magiſtri & fratrum ordinis S. Mariæ Theutonicorum Jeroſolymitanorum a fide hujuſmodi receſſerunt & in errorem priſtinum ſunt relapſi, ſicut & te oportet propterea uſque ad hodiernum diem, licet invitum, in errore hujuſmodi permanere; ac ſubſequenter quamplures articulos contra eoſdem magiſtrum & fratres in eiſdem literis annotaſti, multorum gravaminum, injuriarum, exceſſuum expreſſivos; ſubnectens, quod tu nequaquam Chriſtianos impugnas tanquam fidem velis deſtruere Chriſtianam, ſed defendis te ab inimicis tuis, ut faciunt Reges & principes alii Chriſtiani; & quod Prædicatorum & Minorum ordinum fratres tecum habes, quibus commiſiſti & licentiam dediſti liberam, ut baptizent, prædicent, & informent Chriſtianum populum & etiam infideles, ut ad omnipotentem Deum & Dominum convertantur. Supplicaſti denique nobis, ut ad ſtatum tuum flebilem attendere dignemur, quia paratus es nobis in omnibus, ſicut cæteri Reges catholici, obedire, ac fidem recipere orthodoxam; dummodo prædictis magiſtro & fratribus in nullo penitus tenearis; eligens nos dictoſque fratres noſtros prædictæ Romanæ eccleſiæ Cardinales cum filiis tuis præſentibus & futuris in partes, ac iterato ſupplicans, ut venerabilem fratrem noſtrum Fredericum archiepiſcopum Rigenſem una cum legato noſtro & Apoſtolicæ ſedis ad te ad partes illas pro facienda pace, ac terminis diſponendis mittere dignaremur.*

Expoſitæ ab Rege Lith. in crucigeros querelæ.

Bellum cum iis non religionis odio ab ipſo geri.

Datam religioſis viris promulgandi evangelii facultatem.

Ad pacem cum Cruciferis ipſum comparatum eſſe.

*Conſequenter poſt aliqualis decurſum temporis profuſæ devotionis odore ſecundæ literæ, quas nobis tua excellentia deſtinavit, exultationem & gaudium ſuper eo nobis & eiſdem fratribus noſtris uberrima cumularunt, quod tu & alii principes omnes & barones regni tui, perſeverantes laudabiliter in præmiſſis, circa nos & eandem eccleſiam te & ipſos plena ſinceritate conſpicuos indicarunt: illum in perſona tua innuentes obedientiæ reverentis haberi ſpiritum, tibi ut credimus, non ſine divinæ clementiæ dono conceſſum, prout in earumdem literarum principio annotatur, quod ex illuſtratione divina te aſſeris, unum eſſe Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: & hoc firmiter credis & tenes, noſcens ab eodem Deo vivo & vero nos paſtorem & gubernatorem ſalvandorum omnium conſtitutum, ut quidquid ligaverimus & ſolverimus in cœlo & in terra, ab altiſſimo Judice ratum maneat. Multa inſuper grata noſtriſque accepta propoſitis earundem tenor continet literarum, quæ inſerere præſentibus cauſa omittimus brevitatis.*

Ut Gediminnus primatum eccleſiæ agnoverit.

XLI.

*Nos igitur tam primis, quam ſecundis hujuſmodi literis, debita cum eiſdem fratribus noſtris attentione diſcuſſis, Deo Patri omnipotenti (a quo bona cuncta procedunt, in cujus manu Regum corda conſiſtunt, cui etiam quæcumque vult illa ſine obice difficultatis inclinat) multimodas gratiarum retulimus actiones pro eo, quod Spiritus ſancti gratia videtur mentales tuos oculos ſui fulgore radii illuſtraſſe, ac oſtendiſſe tibi viam catholicæ veritatis; ut regalis providentia reformet ſalubriter fidem ipſam catholicam, quam prædeceſſor tuus prædictus cum ſuo regno ſuſceperat, licet ab ea deficientes poſtmodum damnabiliter in errorem priſtinum laberentur, ut tuæ literæ continebant; præſertim cum & noſtrum ex hoc, & ipſius eccleſiæ hoc expectemus magnum & ſalutare deſiderium adimplendum, ſi viderimus eandem eccleſiam multiplicatæ prolis fœtu concreſcere, variaſque gentium nationes, ſub*



Pontificius zelus pro Lithuan. ad Chriſti cultum traducendis.

*ſub ejuſdem fidei obſervantia in unum acceptabilem Chriſto populum congregatas, in domo Domini habitare.*

*Hanc utique domum, unam videlicet eccleſiam ſibi ex gentibus congregatam, non habentem maculam neque rugam, Dominus noſter elegit, juxta quod legitur in canticis canticorum: Una eſt ſponſa mea, electa mea, immaculata mea. Ipſe quoque Dominus unum eſſe ovile ovium, & unum paſtorem, in evangelio proteſtatur: & in Apoſtolorum ſymbolo unam eſſe catholicam & apoſtolicam eccleſiam fides catholica profitetur. Hanc autem dominus Jeſus Chriſtus in ſemetipſo lapide angulari fundavit: hanc & ſui pretioſi ſanguinis effuſione redemit; cujus magiſterium Apoſtolorum principi B. Petro vicario ſuo, & per ipſum ſuis ſucceſſoribus, ſingularis privilegii prærogativa commiſit: Tu es, inquiens, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam; & cum ille poſt ſuam reſurrectionem verbo tertio repetito dixiſſet: Paſce oves meas. Pro cujus etiam fide ſe oraſſe fatetur, loquens ad eum in evangelio: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Ac ut ejuſdem Apoſtolorum Principis, ſuorumque ſucceſſorum univerſalis eccleſiæ eſſet auctoritas, & introducendi in regnum cœlorum indubitata poteſtas, ad eundem dixit: Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.*

Primatus Romanæ eccleſiæ illuſtratur.

*Qui ergo ſe ad hujuſmodi ovile, & ſub ejuſdem paſtoris curæ reduxerint, ac ſub ejus doctrina & magiſterio curſum vitæ peregerint, ſalvationis gratiam merebuntur; qui vero ab eis deviarint, damnationis ſententia ferientur. Et ideo paterno deſideramus affectu, ut ſalutis tuæ vitato diſpendio, electorum aggregari conſortio merearis; & quæ credit, tenet, & ſervat eadem Romana mater eccleſia (deletis omnino ſchiſmaticorum erroribus, in quorum obſervatione deviatur a via lucis, & panditur iter ad tenebras) veræ converſionis & converſationis gratiam amplectaris. Hinc eſt quod nos ad venerabilem fratrem noſtrum Bartholomæum Electenſem epiſcopum, & dilectum filium Bernardum abbatem monaſterii S. Theofredi Anicienſis diœceſis, viros utique literarum ſcientia præditos, vita & converſatione laudabiles, & gratiam evangelicæ prædicationis habentes, nobiſque propterea ac dictis fratribus acceptos, dirigentes oculos mentis noſtræ; ipſos ad te ac partes tuæ ditioni ſubjectas de ipſorum fratrum conſilio ut noſtros & dictæ ſedis nuntios duximus ſpecialiter deſtinandos, ut tibi ac regno tuo evangelizent & prædicent Deum & dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; voſque in orthodoxæ ac ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ fidei veritate ſalubriter inſtruant & informent; quatenus ipſum Dei Filium Jeſum Chriſtum tu & gens tua ſalutaribus eorum eruditionibus agnoſcentes, baptiſmi, qui nondum illo forſan renati eſtis, purificari mereamini in ſacramento; ac ſuum glorioſum nomen Chriſtianæ fidei obſervantia colatis.*

Commendati Gediminno legati.

L.

Spondet Joannes ad conciliandam inter Lithuan. & crucifeos pacem ſe incubiturum.

*Cæterum quod ſuper memoratis articulis, in prædictis primis ac ſecundis literis etiam contra dictos magiſtrum & fratres expoſitis, ad nos dictoſque Cardinales fratres noſtros habuiſti recurſum; nos attendentes, quod ex recta confidentia & pura devotione procedit, quod noſtrum & ipſius eccleſiæ ſubire in illis judicium non recuſas, & imploras auxilium confidenter, ejus obedientiæ te ſubmittens; eiſdem magiſtro & fratribus, te poſt ſuſceptionem ejuſdem fidei ad gremium ejuſdem eccleſiæ redeunte, noſtris dabimus literis in mandatis, & faciemus, auctore Domino, per circumſpectam Apoſtolicæ ſedis providentiam, quod ab hujuſmodi moleſtiis, damnis, & injuriis tibi de cætero inferendis penitus reſipiſcant; tecumque fraterne teneantur vivere, & in pace, ſine qua non congrue colitur pacis auctor. Et nihilominus, cum ſimus omnibus, ſecundum Apoſtolum, in juſtitia debitores, ſuper hujuſmodi articulis, cauſis, & quæſtionibus, quos & quas cum dictis magiſtro & fratribus, vel adverſus eos te habere proponis, poſt tuæ felicis converſionis auſpicium adeo favorabilis juſtitiæ plenitudinem ac defenſionis præſidium tibi tuiſque natis & regno exhibere proponimus, quod tu, qui nos dictoſque Cardinales fratres noſtros in patres cum eiſdem filiis tuis, ut præmittitur, elegiſti, merito gaudere poteris tales elegiſſe patres; teque in nobis & prædicta Romana eccleſia id, quod in patris & matris auxilio reperire ſperaveras, inveniſſe. Sed & memoratis epiſcopo & abbati dedimus in mandatis, ut omnia inter te dictoſque magiſtrum & fratres in dictis partibus agere ſtudeant & tractare, quæ ad cultum & laudem Dei, exaltationem catholicæ fidei, honorem Apoſtolicæ ſedis, relevationem eccleſiarum & pauperum, animarum ſalutem & corporum pertinebunt.*

Secundum legem pronuntiaturum.

*Ideoque magnificentiam tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus eoſdem epiſcopum & abbatem pro divina, dictæque Apoſtolicæ ſedis, ac noſtra reverentia, immo potius nos in ipſis benigne recipiens, & honeſte pertractans, eorum ſalubribus monitis acquieſcas; ſiſque Chriſtianis catholicis, qui apud te degunt, pius & miſericors, benevolus & benignus; & permittas, quod iidem epiſcopus & abbas*

Hortatur, ut orthodoxos foveat.

*bas aliæque perſonæ idoneæ, gratiam evangelicæ prædicationis habentes, quas ad hujuſmodi prædicationis officium duxerint aſſumendas, Chriſtianis eiſdem aliiſque infidelibus tibi ſubditis evangelizare libere valeant Jeſum Chriſtum. Dat. Avinione.*

LI. Ad Lithuanos Rhutenoſque, ad fidem catholicam redeuntes, arctiori vinculo eccleſiæ adſtringendos, Theutonicos equites religioſos, qui atroci ipſos diutius bello afflixerant, ab inferenda illis ulla moleſtia abducere ſtuduit. Significavit igitur, ut Gedeminnius Rex divino radio a Patre luminum, a quo omne donum optimum & omne donum perfectum deſcendit, colluſtratus Chriſtianam fidem ſuſcepiſſet, ſuaque Apoſt. ſedi obſequia detuliſſet, atque adeo ad ipſius ſubditos in evangelicam lucem adducendos epiſcopum Electenſem atque abbatem Bertrandum mitti flagitaſſet. Ne vero res diſturbaretur, ipſos ad componendas omnes controverſias, quæ cum eodem Rege ipſis intercederent, eſt adhortatus (*a*).

Datæ ad cruciferos literæ.

(*a*) *An.* 8. *p.* 1. *ep. cur.* 17.

LII. Confirmatæ concordiæ leges inter Gedemin. & Livones.

Interea confirmatæ ſunt a Pontifice (*b*) hoc anno fœderis inter Gedeminnium & Livones Vilnæ initi ſuperiori anno leges, ac fœdifragis cenſurarum incuſſa religio. Refrixiſſe porro in egregie cœptis pium Gedeminnii ardorem, atque in veteribus tenebris involutum hæſiſſe, refert Crantzius his verbis (*c*): *Nihil cunctatus Pontifex annuit poſtulatis, mittens epiſcopum cum abbate & clero competenti: qui ubi in Livoniam pervenere, perducti ſunt, annitente archiepiſcopo Rigenſi* (is erat Fridericus) *memorato, in conſpectum Letuaniæ principis. Expoſito legationis ſuæ mandato, cum barbarus vir jam animum mutaſſet, in hanc ſententiam fertur reſpondiſſe: Papam veſtrum nec novi nec noſſe cupio. Fidem ac religionem, quam paterna traditione accepi, in ea permanebo, certans pro illa a ſanguine uſque ad mortem. Legati ubi audiverunt, dejectis in terram frontibus, non læti redierunt, tantum itineris tantum periculorum per mare, per terras emenſi: ſic ſe res habet. Antiquus ille hoſtis princeps tenebrarum, Ægypti tyrannus Pharao non dimittit populum Domini, niſi in manu forti*. Sequenti porro anno Gedeminnium Regem filiam Wladiſlai Lokteki Regis Poloniæ filio Caſimiro, dimiſſis pro dote captivis Polonis junxiſſe, illamque ſolemni ritu in Cracovienſi templo baptiſmalibus ſacris initiatam Annæ nomen accepiſſe, tradunt auctores (*d*). Sancitum inde inter Polonos & Lithuanos fœdus, ac finitimas provincias, quæ Lithuanico bello continuis fœdatæ excurſionibus atque in ſolitudinem redactæ fuerant, revocatis colonis excoli ac refloreſcere cœpiſſe, tum utrumque adverſus cruciferorum fœderatos excurſiones feciſſe; demum divina ultione periiſſe Gedeminnium, cæſumque ad Ploſcoviam a Polono equite, refert Crantzius (*e*), qui tamen Davidem illum vocat.

(*b*) *An.* 8. *p.* 2. *ep. com* 1893.

(*c*) *Cranz. Vvandal. l.* 8. *c.* 9.

Gedeminnus ad vomitum reverſus.

Pontificii legati ſine fructu ullo reverſi.

(*d*) *Michov. l.* 4. *c.* 11. *Chomer. l.* 9. *in Vvlad. Loctek. & alii.*

Capitivi Poloni pro dote a Lith. filiæ dati.

(*e*) *Crantz. Vvandal. l.* 8. *c.* 10.

LIII. Cruciferi in jus vocati.

Cum equitum crucigerorum Livoniæ ac Theutonicorum hoſpitalariorum ſanctæ Mariæ Jeroſolymitanorum ordo graviſſimorum criminum, ob quæ ad ſedis Apoſtolicæ tribunal ſupremus illius magiſter atque alii inferiores præfecti exciti erant, infami ſuſpicione laboraret; quæ tamen equites illi negabant conſtanter, ac ſe illorum labe puros, ac immunes contendebant; Pontifex, ut rei Chriſtianæ conſuleret, ſingulis accuſationum capitibus in medium adductis contraria remedia appoſuit (*f*), ordiniſque procuratores ſacramento adegit, imperia apoſtolica ipſos religioſiſſime ſervaturos. Objectum ergo ipſis fuerat, arceri ab illis præcones evangelicos, ſive religioſos ſæcularesve, ne populis, veteris ſuperſtitionis tenebris involutis, evangelii lucem inferrent, eoſque ſacris concionibus ad Chriſti cultum traducerent; cumque per eorum terras iter habendum eſſet, ſecuritati ipſorum cavere recuſaſſe: præterea neophytos, quos paterna complecti benevolentia, ac ſingularibus ſtudiis proſequi debuiſſent, ut alios ad Chriſtum ea amoris ſignificatione pellicerent, intolerabili ſervitutis jugo atterere: non permittere, ut excitarentur templa, in quibus divina doctrina imbui atque informari poſſent; neque in illos modo exercere tyrannidem, verum etiam viros eccleſiaſticos opprimere, necare, ſpoliare eccleſias & excindere, aut flammis delere, cumque eos atrociter læſiſſent, vinculis, minis, terrore, pœnis ad remittendam injuriam adigere: coitiones ad labefactandam in iis partibus Romanæ eccleſiæ auctoritatem feciſſe: tum itinere prohibere eos, qui ad ſedem Apoſtolicam ſe conferrent; quodque immanitate barbarum atque a Chriſtiana manſuetudine ac lege penitus abhorret, ſævire pietatis ſpecie in ſodales ſuos ſive fratres, quorum ſi quis in prælio ab hoſte ſauciatus eſſet, ei mox inhumane, antequam extremos agerent ſpiritus, reliquam ferro vitam abrumpere ac flammis cadaver iniicere: invadere etiam jura Rigenſis archiepiſcopi & illius eccleſiæ canonicorum collegii, atque epiſcoporum, qui ſub archiepiſcopi auctoritate erant; tum in civium Rigenſium bona involare, peſſundare immunitates, publicam rem labefactare, fluminum, Dunæ præcipue, occupare ripas, ac portum Rigienſem, ne libere commercium iniretur, intercludere.

(*f*) *An.* 8. *p.* 1. *ep. com.* 722.

Objecta iis crimina.

Ad ea igitur tollenda mala, vel ne aliquando erumperent præcidenda, intentato anathemate, iiſdem equitibus apoſtolico pro imperio præcepit, ne ſimilia unquam auderent; reſtituerent præſulibus eccleſiaſticis ac Rigenſibus erepta, neque ullam iis moleſtiam inferrent: devincti cenſuris tum ii, qui vulneratos in certamine commilitones religioſos necarent, tum, qui tam horrendo ſceleri conſentirent: caverent, ne venientes ad ſedem Apoſtolicam interciperent: coitiones ac ſacramenta, quibus eccleſiæ auctoritati detraheretur, convulſa: colerent eccleſiaſticos, atque ab injuriis quibuſcumque illis inferendis, aut templis violandis temperarent: ſinerent neophytis eccleſias extrui, in quibus lege Chriſtiana erudiri atque excoli poſſent: ipſos non modo non opprimerent, ſed etiam officiis proſequerentur: ſacerdotes, qui ad diſſeminandum apud infideles evangelium, ac proferendos religionis Chriſtianæ fines ſe conferrent, ſalvos & incolumes tuerentur; quos ſi forte quapiam in re violarent, tam ſceleris auctores, quam cæteri omnes, ad quos quoquo modo ea criminis labes pertineret, anathemate damnati. Quæ ſanctio IV. *id februarii pontificatus anno* VIII. eſt conſignata.



Ea emendare juſſi a Pontifice.

Polonia eccleſiæ vectigalis.

In Polonia Henricus dux Haleciæ & Poſnaniæ, idemque Poloniæ heredem ſe gerens, datis ad Pontificem literis, (*a*) Glogoviæ pervigilio S. Joannis hujus anni, profeſſus eſt a ſe clientelæ nomine Romanæ eccleſiæ cenſum perſolutum iri; quæ literæ in MS. Nicolai Cardinalis Aragonii extant.

(*a*) *Ext. in MS. Nicol. Card. Aragon. ſign. lit. C. pag.* 139.

*Sanctiſſimo in Chriſto Patri & domino ſuo reverendo domino domino Joanni, divina providentia ſummo Pontifici, Henricus dux Haleciæ heres regni Poloniæ, dux Glogoviæ & Poſhnaniæ cum recommendatione ipſius pedum oſcula beatorum.*

Henr. ducis ad Pont. literæ.

*Ad agendas gratias debitas pro immenſa beatitudine veſtra devoto filio veſtro gratia benignius impertita in eo, quod interventu mediante ſereniſſimi domini Roberti Regis regni Jeruſalem & Siciliæ, conſanguinei noſtri chariſſimi dignati gratioſe fuiſtis in matrimonio inter me & Mathildim filiam olim domini marchionis Brandeburgenſis in quarto conſanguinitatis gradu contracto miſericorditer diſpenſare, prolem etiam a nobis prius habitam & habendam legitimam decernendo, mea facultas non ſufficit: quod ſummi Creatoris clementia mercedem pietatis veſtræ æterno gaudio recompenſet. Conſideratione tamen tantæ gratiæ liberaliter mibi factæ beatitudini* * *& Rom. eccleſiæ, prout alias ex debito teneor, de cætero promptus ac fideliter ſummo deſiderio me conformare una cum fratribus meis intendo: denarium vero S. Petri, licet modo inſolito exigatur, ipſum tamen ego & fratres mei in ſignum obedientiæ, qua ſanctiſſimæ paternitati veſtræ ac Apoſtolicæ ſedi immediate nos recognoſcimus eſſe ſubjectos, in omnibus terris & diſtrictibus noſtris ſolvi dudum mandavimus reverenter; fiducialiter præſumentes, quod ſi aliquis Imperator vel Rex Romanorum de facto in juriſdictionem noſtram ſuam vellet exercere, ſedis Apoſtolicæ præſidio violentiis & injuriis* * *defenſati, &c. Dat. Glogoviæ in vigilia S. Joannis Baptiſtæ, anno Domini* MCCCXXIV. Hiſce literis in memorato volumine ſunt aliæ adjectæ (*b*) Vvladiſlai Regis Poloniæ datæ Cracoviæ in pervigilio S. Trinitatis, quibus denarium S. Petri penſitandum pollicetur, poſcitque ut apoſtolica auctoritate Poloni ad profitendam in Tartaros crucis accepto ſymbolo, religioſam militiam concitentur, atque auxilia ad eorum retundendos conatus efflagitat.

* veſtræ

Clientem eccleſiæ ſe profitetur

* erimus

(*b*) *Ead. pag.* 139. *& in alio M. S.*

*Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino domino Joanni, divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici Vvladiſlaus Dei & Apoſtolicæ ſedis providentia Rex Poloniæ devotus filius ad pedum oſcula beatorum.*

Polonus Dei & Apoſt. ſedis providentia ſe Regem agnoſcit.

*Cum conſtet vos, pater celeberrime, totius Chriſtianitatis & præcipue noſtrum, qui ſubſumus nullo mediante, conſiſtere gubernatorem luculentum, expedit quævis noſtra, & terrarum noſtrarum, immo veſtrarum, quarum ſolicitudinem gerimus pervigilem ex commiſſo, adverſa impedimenta veſtris auribus inculcare, ut in iis, ad quæ non ſufficimus noſmetipſi, manum nobis conſilii & auxilii porrigatis adjutricem. Hinc eſt, quod ſanctitati veſtræ inſinuatione præſentium cum dolore reverentius intimamus, quod duo ultimi principes Ruthenorum de gente ſchiſmatica, quos immediatos pro ſcuto inexpugnabili contra crudelem gentem Tartarorum habebamus deceſſerunt ex hac luce: ex quorum interitu nobis & terris noſtris ex vicinitate Tartarorum, quos decreto credimus terram Ruthenorum noſtris metis contiguam (de qua annua tributa conſueverunt Papæ percipere) occupare, perturbatio indicibilis (niſi Dei omnipotentis & veſtra gratia affuerit) imminebit. Ea propter ſanctitati veſtræ, quæ nullum in tribulatione deſpicit ſuam miſericordiam, implorantem filii devoti more ſupplicamus, quatenus memores ſervitii noſtri pariter veſtri & honoris (cum ex debito noſtræ ſubjectionis nos & terras noſtras teneamini defenſare veſtro conſilio & auxilio videlicet in prædicatione ſanctæ crucis & aliis ſubſidiis, quæ beatitudini veſtræ videbuntur opportuna contra gentem Tartarorum ſupradictam, ne occupent terram Ruthenorum, & per conſequens nos invadant) celeriter ſuccurrere dignemini oculo pietatis. Et nos nihilominus una cum nobis adhærentibus id,*

Ruſſiam ſedis Apoſt. vectigalem ait.

Poſtulat opem contra Tartaros.

*quod*

*quod facere poterimus pro dilatatione ſanctæ eccleſiæ gentiſque catholicæ, exacta diligentia operabimur, auxilio Jeſu Chriſti mediante; ſcientes, ſanctiſſime pater, ſi his per veſtram miſericordiam breviter intenderitis, eccleſia & gens fidei orthodoxæ in ſuis proficient incrementis: alias ad opprobrium deſolationis irrecuperabilis* * *una cum terris noſtris, de quibus ſolvitur annuus cenſus in ſignum ſubjectionis veſtræ ſanctitati. Dat. Cracoviæ in vigilia S. Trinitatis* XII. *kal. julii.*

* ruent

LIV. Claudimus hunc annum inſigni prodigio. Narrat Joannes Villanus (*a*) ſacro epiphaniæ die in Provincia Guillelmi Corni animam, quæ paulo ante e corpore migraverat, ſe pluribus videndam objeciſſe, multaque admiranda de alterius vitæ rebus & pœnis purgatorii dixiſſe. Cumque plurimo hominum comitatu ſtipatus prior Prædicatorum eo acceſſiſſet, atque adverſus diabolicas fraudes ſacratiſſimam hoſtiam clam detuliſſet, ſpiritus Salvatorem mundi delatum pronuntiavit. Eadem refert S. Antoninus his verbis (*b*): *In provincia Provinciæ in civitate dicta Aleſio circa illud tempus hoc accidit mirum, ut refertur in chronico. Apparuit quidam ſpiritus, qui aſſerebat ſe eſſe animam cujuſdam, qui de propinquo mortuus fuerat in civitate illa: utrum autem audiretur tantum, & non videretur; vel videretur & in qua ſpecie appareret, non clare habetur. Mira hic ſpiritus referebat de alia vita, & de purgatorio. Prior autem conventus ordinis Prædicatorum, qui erat, in illa civitate, vir venerabilis converſationis, acceſſit ad illum, occulte ſecum deferendo ſacramentum corporis Chriſti ad obviandum fraudibus diaboli, ſi forte eſſet opus ejus: & cum dictus prior examinaret illum, & adjuraret in præſentia plurimorum hominum, hoc cognoſcens ille ſpiritus, dixit priori: Tu habes tecum verum Deum ſalvatorem mundi. Sub adjuratione vero inquiſitus plura ſecreta manifeſtavit; addens demum, quod propter merita ejus & fratrum cito haberet requiem.*

(*a*) *Jo. Vil. l. 9. c.* 234.

(*b*) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 5. §. 8.*

Anima cujuſdam defuncti regreſſa in domum.

Mira de altera vita narrat.

Cognoſcit delatam clam Euchariſtiam.

Anni



I. Carolus Francor. Rex ad imperium annititur.

ANnitebatur ad imperium occidentis Carolus Francorum Rex (*a*), ejuſque cauſam Romanus Pontifex promovebat anno Chriſti milleſimo trecenteſimo vigeſimo quinto indictione octava, cum ſpes affulgeret, ſi Carolus eveheretur ad imperium, optime rei Chriſtianæ conſultum iri: ob illius enim potentiam, cui ſuam etiam Siciliæ & Ungariæ Reges, Gallico ſanguine ſati, conjungendam offerebant, ſopienda bella civilia, obterendos hoſtes eccleſiæ: cæteroſque perduelles ad officium revocandos, denique ſacram in Saracenos expeditionem, cui ſe Carolus devoverat, ab ipſo, conjuncto cum Galliarum & Navarræ regnis imperio, felicioribus auſpiciis contra ſoldanum Babylonium promovendam. Diſſipata tamen ea conſilia, cum Ludovicus Bavarus omni contentione pro aſſerendo ſibi imperio contraria ſtudia conferret. In primis quidem cum ſolicitatum ad bellum ſibi inferendum ab Auſtriacis ducibus Francorum Regem ob tentum in diuturni carceris ſqualore Fridericum, pluresque ob id a ſe abalienatos videret; fœdus cum Friderico ea lege, ut omni ad imperium jure diſcederet, iniit (*b*) menſe aprili: quam concordiam ipſius fratres, excepto Leopoldo, admiſiſſe refert Joannes Villanus (*c*). Hujus vero fœderis & pactionum formula ex monumentis Bavaricis affertur a Georgio Hervvarto (*d*) cujus præcipua decerpimus capita.

(*a*) *To. 5. ep. ſecr. pag.* 15.

Initum a Bavaro fœdus cum Friderico.

(*b*) *Jo. Vill. l. 9. c.* 315. *chr. Elvang.*

(*c*) *Jo. Vill. l. 9. c.* 294.

(*d*) *Hervv. ad hunc ann. n.* 39.

*Primo, prædictus dux Fridericus renunciare debet clare & omnimode regno, & omni juri, quod in illo habere poſſet, & debet literas, quibus eligebatur, ſi electio vocari poſſet & omnes alias literas, quæ ipſum ad hoc juvare ac promovere poſſent, a quocumque hæ illi datæ & in quacumque forma ſcriptæ ſint, reddere Regi ſine omni fraude & dolo: neque etiam regnum unquam ambire ulla ratione, neque per ullius voluntatem aut inſtantiam, nec in eo ullum obſtaculum a quocunque inductus aut irritatus, ſive ab eo qui ſe Papam nominat*, ſcilicet Joannem a quo, Fraticellorum errores ſecutus, deſciverat Ludovicus; *ſive a quovis alio Regi opponere quamdiu Rex vivit.*

Frideric. controverſo jure imperii abſcedit.

*Deinde debent prædicti duces omnes quinque*, nimirum Auſtriaci, *Regi reſtituere quicquid de imperio tenent & occuparunt, ſive ſint dominia, civitates, & in univerſum terræ, homines, & bona quocunque nomine, & quicquid de his oppignerarunt; ſive etiam quod ab aliis Imperatoribus & Romanis Regibus Regis anteceſſoribus oppigneratum eſt, aut oneratum, id omne debent redimere & liberare. Debent etiam omnes quinque cum Rege fœdus inire æternum, cum eo & ejus liberis permanendi, & illos juvandi contra quoſcumque, quocumque dictos nomine, clericos & laicos, & nominatim contra illum, qui ſe Papam dicit; omneſque ejus adjutores ac fautores, quamdiu is contra Regem & regnum eſt.* Et infra. *Debent etiam procurare, ut omnes principes, ſive laici ſive clerici, comites, liberi, vaſalli, & alii quocunque nomine, qui in illorum miniſterio hactenus fuerunt propter bellum; feuda ſua recipiant a Rege, & illum agnoſcant & habeant pro ſuo domino, illique obediant tanquam Romanorum Regi de jure. Et quicunque principes, ſive laici ſive clerici, comites, liberi, vaſalli, aut alii quocunque nomine, id facere noluerint; contra illum & illos debent Regi auxilium ferre cum corpore & bonis ſuis ſine fraude & dolo tamdiu, quoad ille vel illi ſua feuda accipiant a Rege; illumque agnoſcant, & habeant pro ſuo vero domino, eique obediant ac ſubditi ſint tanquam Romano Regi de jure; præter illos octo ſupradictos, ſcilicet Charinthium, Badenſem, & alios principes, qui una cum ducibus, ſua feuda abſolute abſque omni contradictione accipere debent a Rege, &c. Facta & ſcripta eſt in Tranſnicht die mercurii ante dominicam, qua cantatur lætare.* Cum has concordiæ pactiones reſpueret Leopoldus, ad eum ſibi conciliandum ſtudium omne convertit Ludovicus [1].

Sequaces in Lud. obſequium adducere ſpondet.

At

NOTÆ [1] Quamquam Fridericus in iis, quibus cum Ludovico convenit pactionibus primo quidem renunciare cogeretur omni quod in novum Regnum obtinebat juri; adhuc tamen ab eodem Ludovico petiit, & impetravit ut regium nomen quo hucuſque uſus fuerat ſervaret, & retineret. Id ſe fama referente comperiſſe ſcribit Joannes Vitoduranus in Chronico his verbis: *Poſt illa vero pacta & colloquia uterque* (Ludovicus nempe & Fridericus) *ſibi nomen regale abſcripſit publice & ſigillo regio utebatur, ut fertur.* Nec vana id fama proditum demonſtrat ejuſdem Friderici poſt receptam libertatem diploma legendum apud Ludevig reliq. to. 4. pag. 274. Datum eſt illud in Siletia *A. D.* 1326. *Regni vero noſtri* (Friderici) *anno XII.* Præfigitur huic diplomati ejuſdem Friderici nomen cum adſcriptione *Regis Romanorum ſemper Auguſti*, ac dirigitur *ad univerſos Sacri Romani Imperii fideles*; eodemque confirmat jura omnia, quibus antea utebantur fratribus ſuis *Luipoldo*, *Alberto*, *Einrico*, & *Ottoni* Ducibus Auſtriæ, & Styriæ Principibus, quibus obſtrictum ſe profitetur eo nomine, quod *ad exaltationem ſuam & confirmationem Sacri Romani Regni dum eſſet in periculoſo conſtitutum anfractu totis ſuis voluntate, & opere indeſinenter & imperterriti præ cæteris laborarint* vel igitur datam Ludovico fidem Fridericus deſeruit, vel forte Ludovicus ab initis primo pactionibus receſſit in gratiam Friderici captivi, permittens ut inanem regis titulum retineret. MANSI.

II. At contra Pontifex, cum ſolutum vinculis Fridericum audiſſet, Leopoldum eſt adhortatus (a), ne fœdus cum Ludovico jungeret, neve in colloquium cum ipſo ſaltem in loco ſuſpecto deſcenderet, datamve Regi Francorum fidem violaret; ſed potius pontificiam ſententiam, ultimo latam in Bavarum, divulgandam curarat coram Friderico fratre; ad quem etiam Fridericum extant pontificiæ literæ (b), quibus de Ludovico exauctorato, cenſuriſque defixo fit certior, & omni religionis, qua ſe ipſi devinxiſſet, nexu ſolvitur.

(a) To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag. 49.

Damnat Pontifex pactiones a Frid. initas cum Bavaro.

(b) Ead. pag. 49.

*Friderico duci Auſtriæ dudum in Regem Romanorum electo.*

*Ad noſtrum auditum nuper perduxit relatio fide digna, quod Ludovicus dux Bavariæ te pridem a ſuo carcere, quo diu mancipatum detinuerat, relaxavit: quæ utique relaxatio dummodo ſit libera, velut a nobis optata diutius, eſt accepta. Sane quia multorum habet opinio, quod in relaxatione hujuſmodi ad multa Deo infeſta, tibique inexpedientia, & rei periculoſa publicæ te promiſſionibus, obligationibus, juramentis, ac pœnis & aliis vinculis duxeris aſtringendum; nos ſuper hoc de ſalubri providere remedio cupientes, & attendentes, quod ad præmiſſa metus probabilis, qui in conſtantem caderet hominem, te potuerit adduxiſſe; nec non, quod variis enormibus exceſſibus contra Deum, nos, & Romanam eccleſiam per eundem Ludovicum commiſſis, ſuiſque gravibus culpis exigentibus, dudum diverſos proceſſus, excommunicationis ac privationis juris, ſi quod, ſibi ex electione, quæ de ipſo in Regem Romanorum facta fuiſſe in diſcordia dicebatur, ad regnum vel imperium pertinebat, & alias diverſas pœnas & ſententias continentes, habere compulſi (urgente conſcientia) fuimus contra eum per quos quidem proceſſus inter cætera omnibus & ſingulis tam clericis quam laicis, cujuſcumque præeminentiæ, ſtatus, vel conditionis exiſterent, ut nullus eidem Ludovico ſuper his, quæ ad regimen vel adminiſtrationem regni vel imperii pertinent prædictorum, aſſiſteret in aliquo vel pareret, aut præſtaret per ſe vel per alium publice vel occulte conſilium, auxilium, vel favorem, etiam prætextu cujuſcumque homagii aut colligationis, confœderationis, ſocietatis, vel conventionis ſeu ligæ contractæ tunc vel in poſterum contrahendæ etiam ſi pœnarum adjectione, literarum vel juramenti, ſeu cujuſlibet alterius eſſent vinculo firmitatis innexæ, colligationes, confœderationes, ſocietates, & conventiones hujuſmodi diſſolvendo, pœnaſque propterea præmiſſas & juramenta præſtita de poteſtatis plenitudine relaxando, duximus expreſſius inhibendum; propter quæ patet, promiſſiones & obligationes quaſcumque eidem Ludovico per te factas, & juramenta præſtita, pœnaſque adjectas ſuper his nullius firmitatis exiſtere vel momenti, ea ex officio noſtro caſſa & irrita & nulla eſſe penitus declaramus, & quatenus proceſſerunt de facto caſſamus, irritamus, & omnino viribus vacuamus, decernentes te ad eorum ſeu aliquorum ipſorum obſervantiam non teneri; tibique nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna, quam te (ſi contrarium feceris) incurrere volumus ipſo facto, diſtrictius inibentes, ne ad ejuſdem Ludovici rebellis & excommunicati quoquomodo redire carcerem, aut ſibi (quamdiu extra ſedis Apoſtolicæ gratiam fuerit, ſicut nunc eſſe dignoſcitur) parere in aliquo vel obedire præſumas. Dat. Avin. IV. non. maii anno IX.* Hactenus Joannes ad Fridericum. Qui tamen eidem Ludovico conjunctus hæſit, ac Regem & principem ſuum profeſſus (c) ſocios & ſequaces populos proceresſque in Bavari obſequium publicis literis pellicere ſtuduit. Cum vero initas inter illos pactiones Leopoldus aperuiſſet Pontifici, Joannes eas ut iniquas damnavit, contenditque ipſos de iis, quæ ad ſe non ſpectarent, paciſci non potuiſſe; ac Leopoldum monuit (d), ut ab eorum fraudibus ſibi caveret, cum graviſſima ſubeſſet ſuſpicio, illos inter ſe geſta & conventa non aperire, atque ex aliorum damnis ſua commoda conſectatos.

Significat omnes illius pactiones reſciſſas.

Servanti anathema intentat.

(c) Ib. pag. 52.

(d) Ead. ep. pag. 52.

*Joannes, &c. Luipoldo duci Auſtriæ.*

*Percepimus quid, juxta relata tibi per germanum iis diebus præteritis a carceribus liberatum, inter ipſum & liberantem in ipſa liberatione fuerit ordinatum; quidque a te & tuis aliis fratribus ab ipſis fuerit poſtulatum: ſuper quo tuam benevolentiam plurimum in Domino commendantes, eidem referimus gratiarum uberes actiones. Profecto, fili, ordinationem ipſorum non indigne reputamus temerariam & inſanam; velut de his, quæ ad ipſos non pertinent attentatam; & quæ in eccleſiæ Romanæ, electorum quoque, ac totius rei publicæ præjudicium & injuriam, ſi (quod abſit) procederet, redundaret.*

*Petitiones autem prædictæ fraudulentæ ſunt, per quas ſua venantur commoda, non ſine tuo fratrumque tuorum tam corporali quam ſpirituali incommodo evidenti. Per primam quidem ſatagunt te fratreſque tuos prædictos ſuæ ſubiicere ditioni, quorum alter veſter eſt capitalis æmulus; quique, ſi diem illum videre poſſet (quod avertat Dominus) non poſſet de veſtris diſpendiis variis ſatiari. Per ſecundam autem petitionem a devotione Dei & ſanctæ matris eccleſiæ ac noſtra, in qua perſtitiſtis viriliter hactenus, & ut tenemus indubie perſiſtetis, retrahere vos laborant; & ad hoſtis Dei & eccleſiæ obedientiam*

Vergere eas in decus eccleſiæ & electorum ait.



*inclinare, ejuſque vos ſubdere ditioni.*

*Sane fili quia, ſicut noſti, virtuti non minus aſcribitur, quam acquirere, parta ſervare; circumſpectionem tuam providam, & providentiam circumſpectam duximus exhortandam, tibi & nihilominus ſano conſilio ſuadentes, quatenus fel & venenum quæ ſub petitionibus hujuſmodi latitant, cogitans & recogitans diligenter, ipſas a tuo cures abiicere animo; & contra illas more ſerpentis, cujus in hac parte prudentia commendatur, aures tui cordis ſtudeas obturare: ac amicitiam Dei & eccleſiæ, ac noſtram & cunctorum eccleſiæ fidelium, quas per actus tuos fideles & ſtrenuos merito quæſiviſti, in ipſis immobiliter perſiſtendo, ſtudeas omni diligentia ſedula obſervare, conſideranter attendens ſapientis conſilium ſuadentis, ne inimico tuo te credere debeas in æternum, quia ejus nequitia more æruginat æramenti: ſed & ſi humiliatus curvus incedat, animum tuum ab illo abiice, teque ab illo perinde cuſtodi: Eſt enim qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo. Sed & ſi vocem ſuam ſumpſerit, cave ne credas te illi, quoniam ſeptem nequitias in ſuo, te ut decipiat, corde gerit.*

Ne fidat hoſti Leopoldum monet.

*Qualem autem ad fratrem tuum prædictum ante liberationem ejus geſſerimus animum, qualemve ex quo extitit liberatus, ex oblatis per nos tibi & tuis nunciis, & literis deſtinatis tuam credimus prudentiam plenius informatam. Quomodo autem tam in liberatione ipſa, quam poſtea noſtram & Apoſtolicæ ſedis gratiam conſervare, ac ampliorem ſtuduerit promereri, quæ geſſit in ipſa liberatione ac poſtea, & quæ gerere & procurare continue non omittit, hæc arguunt quæ ſcimus tuam providentiam non latere. In ipſa quidem liberatione cum hoſte Dei, & perſecutore eccleſiæ execrabili fœdus & amicitiam copulavit, & inſuper ad contrahendum parentelam cum ipſo contra ſtatuta canonum ſe aſtrinxit. Nec his contentus, te fratreſque tuos, quantum in eo fuit, a devotione noſtra ſubduxit & eccleſiæ, & illi tuo ſingulari æmulo nos conjungere laboravit; communitates & principes ad ejus obedientiam verbis & literis nihilominus pertrahendo, ipſumque nominando Regem & ſuum dominum, & eidem favendo & totaliter adhærendo; non attendens pericula, quæ per proceſſus noſtros incurrunt talia facientes.*

Queritur de Friderico Auſtriaco.

Appellaſſe Ludovicum Regem.

VI. *Rurſus ſi diligenter attendens quantum ipſum poſt liberationem repereris varium, ne dicam mendoſum, vide quantum nos & tu de eo confidere, quamdiu in his perſtiterit, valeamus: cum indubie ſupponamus, quod de iis, quæ inter ipſos acta ſunt, nondum tibi aperuerint veritatem. Linguas ſiquidem ſuas tam liberatus quam liberans videntur docuiſſe loqui mendacium, & ut iniqua perpetrent, conveniſſe. Propterea ſuum fecerunt conventiculum, omnibus ſuis neceſſariis prætermiſſis, contenti ſolis ſuis duobus confeſſoribus, quibus forſan omnia non panderunt. Hoc enim habent perverſa tractantes proprium, ut lucem odiant, nec ad lucem libenter veniant, ne forte ſua opera arguantur. Deduc itaque fili, quæſumus, præmiſſa omnia in conſiſtorio rationis, illaque diligenter examina, eorum finem inſpiciens, ut paratos tibi laqueos valeas evitare, nec eorum conſilia verearis: ſperamus enim in Domino, quod ipſe illa velut exoſa ſibi merito diſſipabit. Perſta igitur, fili, in cœptis tam laudabiliter: nobis enim videtur indubie, quod continue a ſuo propoſito ſe elongent, quodque ut in foveam, quam tibi & aliis fidelibus paraverunt, incidant ſe diſponant; ac honore, quem ambiunt impudenter aſſumere, carebunt merito, & habitis ſi quos habent, reddent ſi in cœptis perſtiterint ſe indignos. Dat. Avin. VII. kalend. auguſti anno IX.*

Non ſincere agere.

Qui inter Ludovium & Fridericum concordiæ fuerint interpretes.

V. Perſtitit in ſuſcepta ſententia, & cum Joanne Papa ac Francorum & Siciliæ Regibus, Florentiniſque fœdere Leopoldus: (a) atque hoc ipſo anno Ludovicum, dum Burgravium obſidebat, fudit fugavitque (b). Cum vero Pontifex Fridericum, qui ut vincula evaderet, ſua ad imperium in Ludovicum jura transfuderat, priſtinis juribus ex electione quæſitis reſtituiſſet (c); Bavarum vero ut hoſtem eccleſiæ omni jure privatum, ac ſceptro indignum pronunciaſſet, nonnulli Germani diuturnæ pertæſi diſcordiæ, miſſis oratoribus ad Avenionenſem aulam, flagitarunt ut Fridericum, excurrente brevi tempore, Regem Romanorum declararet: ægre enim ferebant tot annis ancipites & incertos, quem agnoſcerent, fluctuare. Quibus reſpondit Joannes, non oblatum ſibi de Friderici electione decretum, neque illius jura diſcuſſa: quæ ſi proponerentur in judicio, ex legibus ſententiam ſe laturum, deque his Joannem epiſcopum Argentinenſem docuit anno proximo (d).

Adhæret Pontifici Leopoldus

(a) Jo. Vill. l. 5. c. 315.

(b) Chron. Elwang. Ludovicum ad Burgravium fundit.

(c) To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag. 49.

Flagitant a Pontifice Germani, ut Fridericum Regem confirmet.

Reſpondet Joannes, non oblatum electionis illius decretum.

(d) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 258.

*Joannes, &c. Joanni epiſcopo Argentinenſi.*

*Sane frater, mirati fuimus admodum, quod nuncii prædicti electionem, de magnifico viro Frederico duce Auſtriæ in Regem Romanorum dudum diſcorditer celebratam, decreto electionis non oblato, nec data informatione alia ſuper ea, coram nobis petierunt infra brevis temporis ſpatium confirmari. Et ut reſponſionem, quam ſuper propoſitis hujuſmodi fecimus, non ignores; ecce quod tam ipſis nunciis, verbo, quam dilecto filio nobili viro Alberto duci Auſtriæ literis taliter duximus reſpondendum; videlicet quod ſuper ipſo negotio parati ſumus prompte, & expedite*

Laturum ſe juſtam ſententiam, cum id a ſede Apoſt. poſtulabitur.

*cum fratrum noſtrorum conſilio, ſicut & requirit negotii qualitas, juſtitiam exhibere; & adhuc gratioſe & favorabiliter, quantum ſine Dei offenſa, ſuæque ſanctæ eccleſiæ præjudicio, ac injuria principum, ad quos electio Regis Romanorum promovendi in Imperatorem pertinere noſcitur, poterit fieri, cum hoc opportune poſtulatum fuerit, nos habere. Dat Avinione* II. *non. ſeptembris anno* X.

(a) *Rebdorf. in annal. Alber. Argent. in chron.*

Joannis conſilium de imperio ad Gallos transferendo.

(b) *To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag.* 254.

(c) *Ib. pag.* 211.

(d) *Jo. Vill. l. 9. c.* 294.

(e) *To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag.* 15.

(f) *Ead. p. 1. ep. ſecr. pag.* 52.

Non aſſenſit æquiſſimo reſponſo Albertus, ac Pontifex apud Germanos in ſuſpicionem adductus eſt (*a*), ex innato in patriam ſtudio illi imperium inferre moliri, apud quam ſummum jam ſacerdotium pervenerat, ac repente mutata rerum facies eſt. Nam & populi Auſtrales ad Ludovici partes ſe contulere; (*b*) Albertus dux Joannem Regem Boemiæ & Trevirenſem archiepiſcopum ad fœdus cum Ludovico & Friderico trahere ſtuduit (*c*): Bavarus & Auſtriacus electi partiri inter ſe imperium ducentes potius, quam ſi omnino ob eo excluderentur, ſancito novo fœdere (priori enim ad Ludovici gratiam Fridericus regno abſceſſerat (*d*) in eas concordiæ leges deſcendere (*e*), ut alter Germanicum, Italicum alter regnum capeſſeret: ex quo cum pontificiis rebus ac fœderatis Guelphis haud dubium exitium immineret, Carolum Gallorum Regem in conſectando imperio remiſſum animis fuiſſe incuſavit (*f*) Joannes, ex eoque ſtudia pontificia intepuiſſe; effundendum ea occaſione ærarium, excutiendum in rebus agendis languorem, occupandum tempus antequam efflueret: ſignificatum ſibi, Fridericum fidem Ludovico devinxiſſe proque eo in gratiam apud ſedem Apoſtolicam reſtituendo interceſſurum; ac ſi repulſam tulerit, ipſum recepta imperii parte arctiſſimum cum Ludovico fœdus conjuncturum.

*Carolo Regi Francorum illuſtri.*

VI.

(g) *Ib. pag.* 15.

Electi Reges Germaniam Italiamque inter ſe partiti.

*Diligenter* (*g*) *percepimus quæ continebant literæ regiæ, & tranſcriptum literæ de Alamannia excellentiæ regiæ deſtinatæ: & antequam nobis fuiſſent præſentata, per dicta illius, qui de Alamannia prædicta ſcripſerat, literas receperamus; & non tantum eadem, quoad familiaritatem & amicitiam illorum ducum incredibilem, continentes adhuc fidedignorum receperamus literas quod dictorum ducum ad hoc intentio ferebatur, quod liberatus deberet remanere in Alamannia ſub titulo regio, & illud ab ipſo recognoſcere liberante; liberans autem ſub imperiali titulo deberet ad partes Italiæ ſe transferre, vel ſi liberanti eſſet acceptius liberatus pro eo deberet ad partes Italiæ proficiſci: creditur tamen quod, ſpretis periculis, liberans eligat Italiam viſitare.* Extant (*h*) de hujuſmodi ſeu diviſione, ſeu ſocietate imperii pacta inter Ludovicum & Fridericum publica documenta, quæ a Cuſpiniano referuntur, ſeptima ſeptembris hujus anni die conſignata, & repetuntur ab Hervvarto (*i*) ludibrii gratia, ea quippe ut commentitia refellit. At cum arcanis pontificiis literis conſentiant non conficta eſſe conſtat; neque convincit idem auctor falſitatis, adductis prioribus tabulis, ſiquidem diverſas pactiones variis temporibus ob rerum converſiones initas exploratum eſt. Pergit Pontifex, quem illud Friderici & Ludovici arctiſſimum fœdus urebat, in literis ad Gallorum Regem datis.

(h) *Apud. Cuſpinian. in Auſt. pag.* 638.

(i) *Hervv. ad hunc ann. n. 34. &c.*

Refellitur Hervvartus.

Monitus Rex Francorum, ut his occurrat.

*Profecto, fili chariſſime, ſi conceptus iſti, quod abſit, producerentur ad partum, multa poſſent pericula, & utique ampliora quam conſiderari valeant, provenire. Ideoque providentia regia, tepiditate depoſita curet ſuper hoc vigilare; res enim ſic adhuc ſunt diſpoſitæ, ut regium poſſit ut prius deſiderium adimpleri, quod forſan non poterit, ſi prædicti poſſint ſuum propoſitum ſtabilire. Tepiditas regia multum negotio obfuit, quia & nos reddit & reddidit tepidos & moroſos. Literam illam, per quam de regio theſauro nil emittitur, tenuit magnificentia regia jam fere per annum, licet ſæpius ſpes data fuerit tranſmittendi. Excutiat circumſpectio regia, quæſo, hunc torporem; & operetur ſi ad hoc intendat, dum dies eſt: nox enim ſupervenire poterit, in qua non poterit operari. Solicitatur, ſicut intimatum eſt nobis de illis partibus, is qui regali excellentiæ inſinuavit prædicta, ut noſtram liberanti debeat gratiam impetrare, quod ſi non poſſet fieri, ſe cum illo velit conjungere, & de imperio recipere quidquid volet. Scribenti reſcripſimus, prout vidimus expedire. Ex multis, quæ audivimus, credimus quod nondum liberatus de modo liberationis, & factis in ea promiſſionibus ſuis fratribus expoſuerit veritatem, &c. Dat. Avin.* III. *kal. auguſti anno* IX.

Poſſe adhuc votis potiri, ſi ſegnitiem excuſſerit.

VII.

Leopoldus Francum incitat, ut imperium corripiat.

(k) *Mut. chr. Ger. l.* 24.

Non hiſce ſtimulis Carolus Francorum Rex excitatus eſt, ut ad ſubiiciendum ſibi imperium cum Germanis aliis benevolentia & promiſſis ſplendidis cum aliis ferro, cum aliis auro certaret; de quo, deque Leopoldo duce Auſtriæ, qui Ludovici odio, ac fratris liberandi cauſa traducere ad Carolum imperium ſtuduerat, narrat Mutius (*k*) Leopoldum ipſum in Gallias ſe contuliſſe, & Carolum Regem urſiſſe, ut Ludovico bellum inferret; res maximas geri facile poſſe: Germaniam a Bavaro notato anathemate deſciviſſe; laturam auxilia Ungariam. Sed plura erant quæ Carolum Regem a conſectando anxie imperio deterrerent. Multos autem Germanos ad Carolum inclinaſſe, ut collapſam majeſtatem imperii reſtitueret, majorique terrore ac vi infideles adoriretur,



ſcripſit Bertrando tit. S. Marcelli Apoſtolicæ ſedis in Italia legato Marinus Sanutus (*a*) cujus verba ſubiicio: *Frater Albertus de Nigrocaſtro de Alemannia, qui fuit magnus præceptor ſanctæ domus hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani de Alemannia, familiariter retulit mihi, quod principes Alemanniæ contentabantur dare coronam imperii prædicto Regi Franciæ ſolum in vita ſua; & hoc faciebant, ut imperium aliquod bonum haberet principium; nam reverenter loquendo, videtur mihi, quod illud ex humilitate maxima & ſapientia procedebat.* At horum conſilia a Bertholdo Moguntini archiepiſcopi fratre in Confluentinis cœtibus disjecta fuiſſe, ſubdit Argentinenſis. De tentata nova Regis Romanorum electione extant pontificiæ ad Carolum Francorum Regem literæ IX. kalend. ſeptembris datæ; (*b*) quibus ipſi indicat, quæ Germaniæ principes in ea cauſa ſedi Apoſtolicæ ſcripſiſſent, aliiſque literis ſignificat (*c*), Albertum ducem Auſtriæ Auſtriacoſque gravate accepiſſe datum in extrahenda Friderici electionis confirmatione reſponſum, ac Joannem Regem Boemiæ & Balduinum archiepiſcopum Trevirenſem in ſuas partes allicere meditatos; atque ideo admonet, ut rebus ſuis conſulat, quive ad perducenda conſilia agendum ſit exploret; quibus literis III. non. ſeptembris dies aſcripta eſt. Boemum porro Regem ac Balduinum archiepiſcopum Trevirenſem Gallorum Regi, ne eligeretur, adverſatos ſcribit Rebdorfius his verbis (*d*): *Papa Joannes miſit quemdam legatum in Alemanniam priorem de Toloſa de ordine Hoſpitalariorum, mandans principibus electoribus & principaliter dominis Henrico Colonienſi & Mathiæ Moguntino epiſcopis, de quibus ſpecialiter confidebat, ut alium Regem eligerent: & cum in termino condicto præſentes conveniſſent, domini Vvaldevvinus Trevirenſis archiepiſcopus & Joannes Rex Boemiæ hujus propoſitum impediverunt: & ſic legatus reverſus eſt ſine fine.* Hæc Rebdorfius. Neque his obſtat Marinus Sanutus, dum in literis (*e*) ad Bertrandum Cardinalem, de quo paulo ante memoravi, narrat Boemum Regem de Carolo; cui ſororem nuptui locarat, evehendo ad imperium egiſſe, varietati enim temporum rerumque converſioni ſerviunt hominum voluntates.

(a) *Marin. San. ep.* 17.

Nonnulli Germani ſtuduere Gallo.

Diſſipata tandem conſilia.

(b) *To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag.* 210.

Tentata nova Regis Romanorum electio.

(c) *Ib. pag.* 211.

(d) *Rebdor. in chr.*

Miſſus ad eam promovendam legatus.

Rex Boemiæ & arhiep. Trevirenſis illam diſcutiunt

(e) *Marin. San. ep.* 17.

VIII.

Fuere itaque vera comperta Joannis Papæ monita Carolo Regi Francorum data, ipſum votis non potiturum, niſi acerrimis ſtudiis illa conſectaretur: inferret nimirum Ludovico Bavaro, hoſti eccleſiæ judicato, bellum; Pontifex enim reliquos Reges finitimos ad ſigna in Ludovicum attollenda, ut Joannem Boemiæ & Vvladiſlaum Poloniæ Reges, ac plures alios principes concitare ſtuduit (*f*): traxitque Polonus in Brandeburgico bello Lithuanos infideles armorum ſocios; unde non levem Joanni creatam invidiam indicat Rebdorfius (*g*).

(f) *To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag.* 52.

Rex Poloniæ contra Ludovicum incitatus.

(g) *Rebdor. in chr.*

Lithuanos in Brandeburg. marchionatum immittit.

Vertiſſe Ludovico Bavaro crimini Pontificem, non adepta confirmatione fiduciarium imperii marchionatum Brandeburgenſem filio contuliſſe, ſuperius vidimus: ferebat enim ægre Bavarum potentiam ſuam auxiſſe eo principatu, quem cum Vvladiſlaus Loktekus Rex Poloniæ cum exercitu invaſiſſet, de re ut præclare geſta idibus julii gratulatus illi eſt Pontifex (*h*): neque ex eo ſuſcepto bello ipſius gloriam apud quemquam obſcurari poſſe: ſi ejus oratores in aula pontificia traxiſſent moras, ut veniam daret rogavit (*i*); Reginæque Hedvvigi de effuſo in Romanam eccleſiam ſtudio gratias egit (*k*). Meminere hiſtorici (*l*) de bello Brandeburgico a Polonis geſto eo conſilio, ut Brandeburgenſes a fœdere equitum cruciferorum divellerent; ac Lithuanos belli ſocios plura crudeliter & barbare egiſſe, at præter Pontificis voluntatem: ex eo tamen poſtea a Bavaro ſumpta eſt invehendi acerbiſſime in Joannem occaſio, ferendæque in eum nefariæ ſententiæ (*m*), de qua ſuo loco agetur. Nunc ad inſtitutam orationem regredimur. Sollicitati quoque a Pontifice in Ludovicum Bavarum alii principes, Slaviæ, Glogoviæ, Longomeriæ duces, (*n*) comeſque Spainhem (*o*), ne illius filium marchionatus Brandeburgici poſſeſſionem inire finerent.

(h) *To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag.* 52.

Gratulatur illi Pontifex.

(i) *Ib. pag.* 51.

(k) *Ibid*

(l) *Chr. l. 11. & alii.*

(m) *Ext. apud Nicol. Min. MS. Vat. bibl. ſign. n. 4008. p. 25. & in MS. ſed. Vall.*

(n) *To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag.* 54.

(o) *Ib. p.* 52.

Contendit Ludovicum marchionatum filio conferre non potuiſſe.

*Præſertim cum nullum jus*, Joannis verba ſunt, *ut veſtram prudentiam latere non credimus, ſibi competat in eodem: nec dictus dux de illo potuerit aliquid diſponere, ſicut in noſtris proceſſibus contra eum, ſuis culpis gravibus exigentibus, per quos revocare debuiſſet, quidquid de facto & indebite attentaverat, ſuper his plenius continetur; ſcituri, quod obedientes dicto Ludovico, ſeu ſibi præſtantes ſuper dicto marchionato auxilium, conſilium, vel favorem, excommunicationis & alias graves ſpirituales & temporales pœnas & ſententias contentas in eaſdem proceſſibus incurrere dubium non exiſtit, &c. Dat. Avin.* IV. *id. auguſti anno* IX. Vetiti aliis literis (*p*) Brandeburgenſes ſtudere Ludovici filio, quem de parentis manu nullo jure principatum accepiſſe ait, pœnaſque ſi cum ipſo ſenſerint, apoſtolicis diplomatibus comprehenſas incutit.

(p) *Ib. p.* 177.

*Joannes, &c. nobilibus viris univerſis vaſſallis, nec non communitatibus & univerſitatibus ac populis communitatum, caſtrorum, terrarum, villarum, & aliorum locorum marchionatus Brandeburgenſis.*

*Nos dudum fidedignis relatibus intellecto,*

Brandeburgenſes a Ludovici partibus abducere nititur.

Objectum Ludovico electionis decretum ſedi Ap. ipſum non porrexiſſe.

Damnatis de hæreſi ſuppetias dediſſe.

*cto, quod Ludovicus dux Bavariæ, tunc pro Rege Romanorum ſe gerens, nondum electione diſcordi, quæ de ipſo in Regem Rom. promovendo in Imperatorem facta fuiſſe dicebatur, Romanæ eccleſiæ, ad quam examinatio ac approbatio, ſeu reprobatio electionis & perſonæ cujuſcumque in Regem Romanorum electæ pertinere dignoſcitur, præſentata; nec ea per eandem eccleſiam approbata vel reprobata, ejuſdem regni adminiſtrationi ambitioſe & impudenter & indebite ſe immiſcens, de dignitatibus ejuſdem regni ſeu imperii Romani (ſicut de marchionatu Brandeburgenſi, quem primogenito ſuo de facto contulerat, diſponere præſumebat) nec non damnatis hæreticis ac rebellibus Dei & eccleſiæ partium Italiæ manifeſtis adhæſerat & adhærebat, ac præſtiterat & præſtabat contra Deum & eandem Romanam eccleſiam auxilia, conſilia, & favores; adverſus eundem ducem diverſos proceſſus habuimus, per quos ipſum a dictis exceſſibus & aliis delictis variis per eum nequiter & horribiliter perpetratis retrahere ſalubriter, & ad viam veritatis & ſalutis reducere credebamus.* Et infra, ubi expoſuit ob plura perperam attentata jure omni in regnum vel imperium pontificia ſententia exutum, ſubiicit.

*Sane cum idem primogenitus prætextu collationis de dicto marchionatu per eundem ducem patrem ſuum præſumptæ de facto, ut præmittitur, marchionatum prædictum & ejus jura (licet certum ſit, nullum jus prætextu dictæ collationis in eiſdem ſibi competere) nitatur, ſicut aſſeritur, temerariis auſibus occupare, ſeu occupatum violenter & temerarie detinere; univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attentius, vobis nihilominus & veſtrum ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ ac ſub prædictis pœnis & ſententiis diſtrictius injungendo mandantes, quatenus eidem primogenito ſeu alii vel aliis*

Vetat Pont. illius filium marchionem agnoſci.

*ejus nomine vel mandato, tanquam marchioni, ſeu ſuper aliquibus juribus ad dictum marchionatum ſpectantibus, nullatenus pareatis, adhæreatis, ſeu præſtetis per vos vel per alium ſeu alios directe, publice, vel occulte, auxilium, conſilium, vel favorem: nec de juribus, redditibus, proventibus, ſeu obventionibus quibuſcumque marchionatus prædicti ſibi vel aliis, aut aliis ejus nomine reſpondeatis vel aliquid perſolvatis. Quod ſi contrarium (quod abſit) præſumpſeritis quovis modo, omnes pœnas & ſententias in proceſſibus ſupradictis contentas plenius & expreſſas incurrere volumus ipſo facto, a quibus ab alio quam a Romano Pontifice obtinere abſolutionis vel relaxationis beneficium, niſi prout continetur in ipſis proceſſibus, nequeatis, &c. Dat. Avin. kal. auguſti anno* IX. Neque de ea ſeveritate quis juſte queri poteſt, cum

Cenſuras non parituris obiicit.

Romanos pontifices eorum, qui percuſſi ſunt anathemate, ſequaces cenſuris percellere conſueviſſe, tum a Card. Baronio, tum a nobis in ſuperioribus tomis demonſtratum ſit.

IX. Ab iis cladem accipit.

Non porro in Germania modo Ludovicum Bavarum ac ſequaces, verum in Italia inſectatus eſt Pontifex. Acceperat is recentem a Mediolanenſibus Vicecomitibus cladem, cum ipſi vicum, cui S. Domnini nomen inditum, in Parmenſi agro menſe martio expugnaſſent, (a) ut ex eo in in Etruriam ac Liguriam bellum traducere, ac Gibellinis contra Guelphos ferre auxilia poſſent. Pertimuit Pontifex, ne inde, ut contigit, ad reliquam turbandam Italiam hoſtis excurreret; Bertrandoque legato recuperandi ejuſdem loci provinciam dedit, (b) ac ſolicitavit (c) Genuenſes, (d) ut auxiliares copias, ne in priores bellorum fluctus & diſcrimina coniicerentur, cum legato conjungerent. Obſecuti ſunt Genuenſes pontificiis precibus, quibus Joannes de balliſtariis in Inſubriam miſſis gratias egit (e), Poſtulati (f) etiam una cum pluribus aliis Florentini, ut copias egregie inſtructas ad legatum mitterent. Coegerat is hoſtem ad ſummam rerum inopiam, cum Scaliger Veronenſium, Paſſarinus Mantuanorum, atque Aceſtini marchiones Ferrarienſium præfecti, juncta armorum ſocietate, commeatus obſeſſis invexere; (g) Indeque Azo, ut Caſtrucio, qui Lucenſibus dominabatur, adverſus Florentinos cum copiis opem ferret, occaſionem nactus eſt. (h) Concitavit quidem in Etruria adverſus Guelphos graviſſimos motus, illiſque plures intulit clades Caſtrucius Gibellinarum partium Lucenſium ac Piſtorienſium Cæſareus legatus, ut Ludovici oſtendunt diplomata (i): contra vero pontificia ſententia damnatus (k) poſtulatuſque eſt crimine hæreſeos, quem bellica virtute ac peritia e parva & tenui fortuna ad ſummas opes ac potentiam effloruiſſe, Marinus Sanutus in literis hoc anno ad Ingramum archiepiſcopum Capuanum & Regis Siciliæ ſcrinii præfectum datis deſcribit (l). Contra quem Florentini, adverſo ad Altopaſſum attriti (m) certamine, Carolum ducem Calabriæ ad publicæ rei gubernacula in decennium vocaverunt (n). Ad confirmandos vero labantes ſociorum animos Joannes Rainerium & Ugucionem Cortonenſium magiſtratus, qui egregium erga eccleſiam explicuerant ſtudium, excitavit ne ob cladem Florentinis illatam animis contraherentur: *Super caſu*, inquit, *quem contigiſſe nuper in Florentinorum exercitu per præfatas literas deſcripſiſtis, Florentinis ipſis compatimur in viſceribus charitatis. Verum quia juſtus Do-*

Genuenſes imminentis periculi præmonet.

Caſtrucius creatur a Lud. legatus imperii in Etruria.

Cur juſtos deprimi interdum divina providentia patiatur.

(a) Jo. Vill. l. 9. c. 289.

(b) To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag. 93.

(c) Pag. 103.

(d) Ead. pag.

(e) To. 5. p. 2. ep. ſecr. p. 357.

(f) To. 5. p. 1. ep. ſecr. p. 93.

(g) Jo. Vill. l. 9. c. 307.

(h) Id. ib. Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 4.

(i) Ext. in appen. poſt Rebd. chr.

(k) To. 5. p. 1. ep. ſecr. p. 188.

(l) San. ep. 3. pag. 292.

(m) Jo. Vill. l. 6. c. 305. Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 4.

(n) Jo. Vill. l. 9. c. 229.





*minus, cujus judicia ſunt occulta, interdum bonos ac malos tentari permittit, ut bonorum ipſorum patientia ad majus meritum comprobetur, & malos ipſos de ſua ſuperbia gloriantes deiiciat terribilius & repellat; exhortationibus noſtris adiicimus, ut præmiſſis conſideranter attentis, caſus ipſe non vos terreat, nec amoveat a petra fortitudinis pedes veſtros, ſperantes in Domino, quod ipſe breviter dentes iniquorum ſua potenti virtute conteret, & elata confringet cornua ſuperborum. Dat. Avin. id. Novembris anno* X.

Adhærent Pontifici contra Ludovicum Piſani.

Solicitati ſunt inter hæc Piſani multis verborum lenociniis a Bavari oratoribus, ut more majorum imperialem cauſam defendendam ſuſciperent; ſed repulſi ſunt: quocirca Pontifex multis laudibus eorum conſtantiam atque in eccleſiam fidem extulit, (a) ubi nonnullis verbis Bavarum, veluti male de eccleſia meritum, quæſito ex electione jure excidiſſe præfatus eſt: *Suos*, inquit, *prout fida relatione didicimus, non admiſiſtis, ſed excluſiſtis inſtanter præ foribus nuntios venientes, ut ipſi velut pſeudoprophetæ labiorum dulcedine veſtram non imprævisam inde prudentiam quadam ſerpentis aſtutia ſeducerent in ruinam.*

(a) To. 5. p. 1. ep. ſecr. p. 102.

Graves in Piceno turbæ.

Contra vero in Piceno Firmani & Fabrianenſes ferro, flammis, cædibus, ac rapinis in pontificios clientes graſſati ſunt. Ad quos reprimendos graviſſima edicta pronuntiavit Pontifex (b): reque altius repetita, expoſuit ut improbiſſimis nonnullis Recinetenſibus, Auximanis, ac Friderico e Monte Feretro infeliciſſime e vita ſublato, atque ob infandam idololatriam cenſuris eccleſiaſticis defixis, ſe conjunxerint: *In illam enim*, ut loquitur, *mentis dementiam, quinimmo cœcitatem & ignorantiam corruerant fidei orthodoxæ, quod documentis veritatis abjectis, & per obſcœnas operationes & ſordidas inquinati, in gravem Dei omnipotentis injuriam & offenſam idololatriæ nefandiſſimo cultui per profanas ſuperſtitiones & horridas ſe occulta & cœca ingeſſerant inſania, labe reſperſi peſtifera idololatriæ ac hæreticæ pravitatis, hoſteſque facti profani eccleſiæ ſanctæ catholicæ adverſus redemptorem noſtrum Dei unigenitum ſponſum ejus inſurrexerunt, blaſphemiis ejuſdem fidei catholicæ detractionum ictibus impetendo.* Addit Pontifex, ut ob receptos impios illos idololatras, junctumque cum iis fœdus anathemate irretiti Firmani ac Fabrianenſes una cum Lipacio & Andræa impetu cœperint Auximum ad obſequium eccleſiæ poſtea redactum, ac deletis ferro quamplurimis civibus, Berardum epiſcopum duriſſimo carceri manciparint: præfectoque ſibi Sperantia e Monte Feretro, explicitis ſignis, in Piceni præſidem agentem Maceratæ arma moverint, ac plures in oppidum impreſſiones fecerint: propulſatique furorem in agros verterint, exciderint arbores, atque obvia quæque everterint deindeque in oppidum, cui S. Quirici nomen eſt, Camerinenſis diœceſeos ditioniſque pontificiæ, occuparint: ac licet incuſſo pœnarum graviſſimarum metu reſipiſcere juſſi eſſent, monita omnia reſpuerint. Tum ſubdit:

(b) To. 5. p. 1. ep. ſecr. p. 185.

Perduellium impietas.

Firmanorum & Fabrianenſium varia ſcelera.

Incuſſæ iis pœnæ.

*Et licet ad privationem civitatis Firmanæ a dignitate ac honore epiſcopali & titulo ac nomine civitatis & terræ Fabriani prædictarum muris ſeu mœniis circumdantibus illam, ac fortalitiis & ædificiis omnibus conſiſtentibus in eadem, & ad pœnas alias, prout eorundem Firmanorum ac Fabrianenſium demeruit doloſa protervia & rebellio manifeſta, procedere valeremus; noſtri tamen Salvatoris exemplo, qui inflictis pœnis aliquibus peccatorem caſtigatum interdum, cujus vitam non mortem deſiderat, ut a ſua via mala convertatur expectat, probare volentes, num ipſi correcti forſitan aliqualiter ex præmiſſis, tantæ rebellionis abjecta rubigine, ad cor redire, & alicujus devotionis ſcintillam erga nos & præfatam eccleſiam matrem & dominam eorumdem oſtendere ſatagant quoquomodo, &c.* Magiſtratus ac præcipuos cives, ut evolvente ſe duorum menſium ſpatio ad officium atque eccleſiæ imperia redeant, admonet: ni pareant has minas incutit: *Si forſan ipſi, in eorum (quod abſit) erroribus perſiſtentes, infra terminum ipſum requiſitioni & monitioni ac mandatis noſtris hujuſmodi contempſerint obedire, prædictam civitatem Firmanam omni dignitate ac honore epiſcopali ac titulo civitatis & nomine, dictamque terram Fabriani muris ſeu mœniis circumdantibus illam, ac fortalitiis & ædificiis omnibus conſiſtentibus in eadem, quæ funditus ex tunc præciſe dirui expreſſe mandamus, non reædificanda ulterius abſque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali; de prædictorum fratrum conſilio & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ex nunc prout ex tunc ſententiando, privamus, * ſtatui venerabilis fratris noſtri epiſcopi Firmani, prout conveniens fuerit providere, &c. Dat. Avin.* VII. *id. maii anno* IX.

* volentes

Guido epiſcopus Aretinus Picenum turbat.

Tentaverunt præterea Urbinum Fabrianenſes (c) una cum Guidone epiſcopo Aretino & Nolfo Friderici e Monteferetro filio: ſed ſtrenue propulſati ab Urbinatibus, quibus Pontifex gratulatus eſt. Triumpharunt etiam de hoſtibus eccleſiæ Æſculani (d). Quod vero ad Guidonem Aretinum epiſcopum exauctoratum ſpectat; is Gibellinarum partium vindex acerrimus plures in Picæno motus concitavit, (e) atque a cenſoribus fidei, ut idololatrarum & hæreticorum fautor damnatus eſt (f), a Pontifice vero ob id etiam cri-

Deturbatur epiſcopali dignitate.

(c) Eod. p. 1. pag. 76.

(d) Ib. pag. 77.

(e) Pag. 167. 168. & pag. 77.

(f) Pag. 77. & 168.

men epiſcopatu dejectus (*a*): excitatus Spoletani ducatus præfectus (*b*) ad Faventinos perduelles edomandos, adverſum quos ſinguli provinciæ populi ad bellum accenſi (*c*): Puteolanus etiam epiſcopus ad tentandam revocandamque ad obſequium eccleſiæ Ferrariam ſe accinxit (*d*): rogatuſque Joannes Superantius dux ac ſenatus Venetus, ut operam ad eam recuperandam collocarent: qua in re optime dux de eccleſia eſt meritus; cui Joannes eo nomine plurimas gratias egit (*e*). Afferebat Pontifici horum bellorum moles graviores moleſtias, ac varios in animo æſtus concitabat, ut ipſe in literis (*f*) ad Carolum ducem Calabriæ datis teſtatur: *Scire*, inquit *te facimus, auctore Deo, in cujus manu vita eſt hominis, ſoſpitatem, qua te, fili dux perfrui cupimus, nobis exterius adeſſe corpoream; interius vero ultra metas potentiæ nos languore ſpiritus laborare, &c.*

(*a*) Pag. 167. (*b*) Pag. 81. (*c*) Ibid. (*d*) Pag. 103.
Veneti ad recuperandam Ferrariam favent Pontifici.
(*e*) Ead. pag. (*f*) To. 5. p. 2. ep. ſecr. p. 56.

Comparabat tum Carolus princeps una cum patre ingentem adverſus Siciliæ inſulam expeditionem: ad quam diſcutiendam Fridericus Roberti Regis vitæ ſtruxit inſidias, (*g*) ac ſubmiſit incendiones, qui claſſi faces ſubiicerent: ſed, detecta proditione, de reis ſumptum ſupplicium. Cum vero a Pontifice expetiiſſet Carolus dux, ut præmia indulgentiarum ſigna contra Fridericum ſecuturis concederet, ejus preces non admiſit Pontifex, repulſæque hanc rationem ſubjecit (*h*): *Quia non præceſſerunt proceſſus noſtri contra tuum æmulum, per quos ad concedendum indulgentiam, quam olim felicis recordationis Martinus Papa prædeceſſor noſter contra Siculos & inſulæ Siciliæ occupatores conceſſit, procedere cum noſtra decennia valeamus, habeat nos tua nobilitas, quæſumus, ſuper hoc excuſatos, &c.* Cumque Carolum belli illius conficiendi provinciam in ſe ſuſcepiſſe Pontifex accepiſſet, ob ingentia pericula, in quæ ſe coniiceret, ſibi rem ingratam acceſſiſſe ſignificavit, piiſque monitis inſtruxit (*i*).

Robertus Rex expeditionem comparat in Trinacriam.
(*g*) Jo. Vill. l. 9. c. 281.
Paratæ illi inſidiæ a Friderico.
(*h*) To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag. 59.
Car. dux Calab. ducere in Trinacriam meditatur.
(*i*) Ib. pag. 60.

*Joannes, &c. Carolo Roberti Regis Siciliæ primogenito, duci Calabriæ.*

X. *Te, fili, capitaneatum armatæ regiæ, mittendæ in inſulam Siciliæ ſuſcepiſſe diſplicenter audivimus in perſona propria proſequendum, cum nobis perſonæ tuæ pericula, quæ Deus avertat, verentibus ſatis fuiſſet acceptius, ſi alius capitaneatum hujuſmodi aſſumpſiſſet.* Et infra: *Cum mittas manum ad fortia, tuæ nequaquam prudentiæ innitaris; ſed viros fideles & prudentes tecum habeas, quorum utaris conſiliis, teque prudenter & mature regas & alios, ac dirigas ſic in omnibus actus tuos, quod perſonam tuam evidentibus non ſupponas periculis, nec omittas etiam quæ utilia & expedientia videbuntur. Et ut virtutum Dominus actiones tuas aſpirando præveniat, & adjuvando ſalubriter proſequatur, ipſum timere & diligere ſuper omnia ſtudeas, exercendo quæ ſibi placita fuerint; & quæ poſſent ejus oculos offendere penitus devitando. Eccleſias inſuper & perſonas Eccleſiaſticas ſemper habeas in honore, ab ipſarum injuriis & oppreſſionibus penitus abſtinendo: nec non pupillis, orphanis, ac viduis, aliiſque perſonis miſerabilibus pietatis & miſericordiæ non claudas viſcera; ſed ſis eis potius miſericors & defenſor. Redeuntibus quoque ad obedientiam, & tuam miſericordiam implorantibus te pium exhibeas in parcendo, ut beatitudinis, quam viris miſericordibus repromittit Veritas, participio non frauderis, &c.*

Præceptis eum informat Pontifex.

XI. Accepto illius belli apparatu Alfonſus comes Urgellenſis, Aragonici ſceptri heres, viginti triremes ac ſex naves inſtruxit, ut primum Sardicam rem curaret, ac deinde redintegrandæ inter Siciliæ & Trinacriæ Reges concordiæ ratione tentata, ſi voti compos non fieret, patruum Fridericum armis juvaret. Aggreſſus vero eſt Carolus Calabriæ dux Siculum bellum, ut refert Joannes Villanus, (*k*) magno apparatu ac terrore, ineunte majo: cumque aliquandiu contrariis, ventis fuiſſet agitatus, Panormum fruſtra obſidione tentavit; idque mirum accidit, ut tertio a ſoluta obſidione die maxima mœnium pars ſponte corruerit; ex quo in quanto periculo Panormitanorum res verſatæ fuerint, conſtitit. Meſſanam etiam incaſſum oppugnavit, oramque maritimam evaſtaſſe contentus præcipiti æſtate reverſus eſt, cui de felici reditu Pontifex x. kal. novembris eſt gratulatus (*l*). Caroli porro parentem Robertum Regem, cum divinarum rerum ſtudio ſe addixiſſet, hiſce literis ad transfundendum rebus cœleſtibus animum magis incendit.

(*k*) Jo. Vil. l. 9. c. 297.
Panormum fruſtra tentatum obſidione. Meſſana incaſſum oppugnata.
(*l*) To. 5. p. 2. ep ſecr. pag. 261.
Robertus Rex divinis rebus animum addicit.

*Regi Siciliæ.*

*Exultantem de te, fili chariſſime, nuper concepimus ex auditu lætitiam, quod ut familiari cum Deo ſæpe loquaris eloquio, & in conſpectu ſuo cordis tui meditatio dirigatur, horas canonicas ſolicite recitas, & devota veneratione, qua decet, cultus divini myſterium ſolemnizas. Quæſumus igitur, & excitando te, fili chariſſime, intimo patris affectu, quo poſſumus deprecamur, quatenus ſic delectabiliter iſta continues, ſumma orationis dulcedine guſtum tuum quaſi libamine ſuavi reficiens, mulcens mentem, ac ejus præſidio componens, & roborans vitam tuam, quod ex illorum perſeverantia quæ ſola præmium promeretur ut noſti, ſentias incrementum votivæ proſperitatis in terris, & coronam vitæ aſſecutum finaliter gaudeas te in cœlis. Dat. Avin.* xv. *kalen. decembris anno* x. [1]

Gratulatur ipſi Pontifex.



Contulit ad redintegrandum inter Carolum Francorum & Eduardum Angliæ Reges maximum ſtudium Pontifex, (*a*) cum quo ſuum Iſabella Regina, ut conjugem fratri conciliaret, conjunxit: utque facilius concordia coaleſceret initæ ſuperiori anno induciæ extractæ ſunt (*b*). Gratulatus etiam eſt kalend. aprilis Joannes (*c*) Eduardo, Reginam in Gallias miſiſſe: quæ adeo ſtrenue ad rem perficiendam incubuit, ut ſacro pentecoſtes feſto pax conſtituta ſit, de qua gratulatoriæ ad Viennenſem archiepiſcopum & Hugonem epiſcopum Auraſicanum extant Pontificiæ literæ (*d*).

Pacem inter Franc. & Angl. Reges conciliare nititur.
(*a*) To. 5. p. 5. ep. ſecr. pag. 16. ad. 24.
(*b*) Ib. pag. 8.
(*c*) Ib. pag. 21.
(*d*) Ib. pag. 12.

*Joannes, &c. Guillelmo archiep. Viennenſi & Hugoni epiſcopo Auraſicano A. S. N.*

*Lætanter fraternitatis veſtræ recepimus literas, pacem inter chariſſimos in Chriſto filios noſtros Carolum Francorum & Navarræ, & Eduardum Angliæ Reges illuſtres ingenti deſideratam deſiderio non abſque Spiritus ſancti gratia in die fuiſſe concordatam pentecoſtes ad univerſalis eccleſiæ immenſum gaudium; nunciantes. Super quo illi, qui ubi vult ſpirat & diſſidentium miſericorditer corda unit, atque concliat juxta ſuæ beneplacitum voluntatis, in humilitatis ſpiritu cernui gratias duximus referendas. Et quia, ſicut eædem literæ continebant, optant partes, ut quouſque per Regem præfatum Angliæ homagium præſtitum fuerit, moram in illis partibus contrahatis, placet nobis & volumus, ut earum beneplacitis acquieſcere debeatis, &c. Dat. Avin.* iv. *non. junii anno* ix. His conſentiunt quæ Joannes Villanus (*e*) ſcribit iis legibus pacem confectam, ut Eduardus clientis officia Carolo Regi ſolemni ritu Aquitaniæ nomine exhiberet, & quæ parta bello a Carolo Valeſio fuerant, a Gallis retinerentur. Verum, ut refert Vvalſingamus (*f*), Eduardus in filium Aquitaniæ ducatum transfudit, ut fidem Carolo ſacramento obligaret.

Concordia confecta inter Reges ſacro Pentecoſtes die.
(*e*) Jo. Vill. l. 9. c. 314.
Quæ pactiones fuerint initæ.
(*f*) Valſin. in Eduard. II.

XIII. Novum porro Aquitaniæ ducem Pontifex inſtruxit (*g*) ad ſectandas virtutes, præceptiſque optimis informavit, uti ſe in parentes & Carolum Regem avunculum gereret.

Eduardus junior creatus dux Aquitaniæ.
(*g*) To. 5. p. 1. ep. ſecr. pag. 215.
Salubribus præceptis a Pontifice inſtruitur.

*Eduardo duci Aquitaniæ.*

*Quia recte ordinata principia felices ſolent ſortiri eventus, deſideranter appetimus, fili, & tibi nequaquam ambigimus expedire, ut in initio tui regiminis ſic te geras & proinde prudenter, quod ſtatus tuus & terræ tuæ, te præſidente, Deo propitio de bono ſemper in melius proſperetur. Ad quod opportunum admodum & neceſſarium reputamus, ut tecum habeas viros maturatos & providos, qui tuam ſalutem diligant, quorum conſiliis regules facta tua; & in officiis terræ tuæ homines conſtituas peritia præditos & fide pollentes, pacem & juſtitiam diligentes, odientes avaritiam & injuſtitiam abhorrentes; inclytis Regibus chariſſimis in Chriſto filiis noſtris Carolo Francorum & Navarræ velut tuo domino ſpeciali, & Eduardo Angliæ tamquam patri & domino cum omni devotione & reverentia pariturus; nec non chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Iſabellæ Reginæ Angliæ illuſtri genitrici tuæ honorem exhibiturus debitum, labores quos ipſa te in utero geſtando pertulit, & amorem ſincerum, quo te proſequitur, non oblitus.*

*Nec permittas, fili, ſuper omnia Deum diligere ac timere, ipſiuſque mandata tenaciter obſervare; eccleſias & perſonas eccleſiaſticas pro divina reverentia honorando, & in ſuis juribus & libertatibus confovendo, pauperibus, orphanis, ac viduis & aliis perſonis miſerabilibus miſerando, eoſque ab oppreſſionibus & gravaminibus tuorum officialium & quorumcumque malignantium relevando. Quocirca nobilitatem tuam paternis rogamus & hortamur affectibus, quatenus ſic in hujuſmodi & aliis piis operibus tuam ſolidare ſtudeas iuventutem, quod cum ad ætatem provectiorem deveneris, & curis fueris majoribus occupatus, portes aſſueta ſuavius, ac in tam impiis actibus magis ac magis quotidie delecteris; indeque Deo merearis fieri ſemper accceptior, qui te ad laudem ſui nominis & rei utilitatem pu-*

NOTÆ [1] QUi hoc tempore Siculam Hiſtoriam ſcribebant Authores, nempe Anonymus Marthenii, & Nicolaus Specialis in Chronico a Baluzio vulgato, nonnulla tradunt, quæ Siculæ hujus expeditionis hiſtoriam quam Annaliſta & Joannes Villanus proſequitur, corrigunt, & emendant. Appulit in Panormum Carolus non quidem initio Maii, ut Villanus ſcribit, ſed eo menſe exeunte die ſcilicet 26. Maii ſecumque trahebat Claſſem CXIII. triremibus, aliiſque minoribus navigiis inſtructam. Urbem tenuit obſeſſam diebus XXV. nec inde receſſit niſi juſſu fratris ſui Roberti, qui plane intellexit difficile eſſe urbem munitam, & propugnatoribus defenſam expugnare ait Nicolaus Specialis lib. 7. Cap. XVIII. Reductas ex ea obſidione copias per inſulam circumducens igne, & ferro late agros vaſtavit. Die Auguſti quinta ſucceſſum eſt ad Urbem Meſſanam, ibique diebus tredecim perſeveratum; *non tamen at propinquantes ad mœnia* Meſſanæ ait Anonymus Martenii Cap. 94. Nec ita multo poſt, die videlicet 17. menſis Auguſti, Carolus cum ſuis rediit in Calabriam. Male igitur Annaliſta oppugnatam hoc anno Meſſanam conſtituit. MANSI.

*publicæ perducat, ſicut oramus ſuppliciter, in dierum longitudinem & ſalutem, ad nos quos, quantum cum Deo poterimus, propitios & benignos in tuis opportunitatibus reperies, recurſum fiducialiter habiturus. Dat. Avin. II. non. octobris anno* X.

Similiter Iſabellam Reginam eſt hortatus (*a*), ut filium Eduardum virtutibus excoleret: tum ut ad redintegrandam pacem recenter initam abruptamque inter Reges omni ſtudio contenderet. Quo etiam argumento ad Carolum & Eduardum Reges hortatorias literas dedit (*b*). Conceperat nimirum Anglus in Regem Francorum, & uxorem filiumque odia; cum Iſabella & Eduardus, ſpretis ipſius imperiis, redire in Angliam detrectarent (*c*): abalienati enim ob nimiam Spenſeriorum gratiam improbamque adminiſtrationem a Rege Angliæ erant. Ad quam removendam diſcordiam duos epiſcopos legavit Joannes (*d*): demum rem in apertum bellum erupiſſe, ac Spenſerios capite damnatos, Regemque exauctoratum videbimus.

(*a*) *Ib. pag.* 215.
Obortæ novæ turbæ.
(*b*) *Ib. pag.* 211. & 225.
(*c*) *Jo. Vill. l.* 9. *c.* 314.
Miſſi ad eas componendas nuntii a Pontifice.
(*d*) *Jo. Vval. ubi ſup.*

XIV.

In Belgio præterita diſſidia recruduere: [1] (*e*) cumque Ludovicus comes nonnullos Brugenſes, proditionis crimine poſtulatos, Curtraci perſequeretur, ac faces tectis, ubi agebant, iniici juſſiſſet, tantum excitatum incendium eſt, ut Curtraci magna pars ignibus conflagrarit. Irritati municipii clade Curtracenſes, arma ſtrinxere in comitem: excitique in auxilium Brugenſes Ludovicum, fuſo ejus exercitu, vinctum Brugas adduxere, ac participes comitis conſiliorum, ut publicorum malorum auctores, capite damnarunt: demum arrepta (*f*) a Gallo Rege comitis clientela, miſſoque (*g*) Petro Atrebatenſi epiſcopo internuntio apoſtolico, ob pervicaciam defixi (*h*) anathemate, ac geminio prælio fuſi (*i*), comitem Ludovicum libertati reſtituere: cujus fœderis leges Meyerus proſequitur (*k*).

(*e*) *To.* 5. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 15. *Jo. Vill. l.* 9. *c.* 309. *Meyer. hiſt. Flan. l.* 12.
Belgium civili bello laborat
(*f*) *To.* 5. *p.* 1. *pag.* 15.
(*g*) *Ead. pag.*
(*h*) *Meyer. ſup. l.* 12.
(*i*) *Jo. Vill. l.* 9. *c.* 330. *Meyer. eod l.* 12.
(*k*) *Meyer. hiſt. Flan. l.* 12.

XV.
Dionyſii Regis Luſit. mors.
(*l*) *Marian l.* 15. *c.* 18.

In Luſitania Dionyſius Rex hoc anno ineunte e vivis ſublatus eſt, de quo hæc Joannes Mariana (*l*): *Anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo quinto ſeptimo nonas januarii Dionyſius Luſitaniæ Rex Scalabri deceſſit, diuturno regno anno quadrageſimo quinto novem menſium dierum quinque: excelſa animi magnitudine & perpetua felicitate inter principes ea ætate inclytus. Domeſtica diſſidia, implacabileque inter patrem & filium odium ad aliquam injuriam extrema ætate acceſſerunt. Corpus in Ciſtercienſe monaſterium illatum, quod ejus impenſa ab Olyſippone ſex paſſuum millibus ab imo totum erat extructum: pietatis id argumentum eſt. Liberalitatem magnificentiamque animi multa oppida conſtituta, alia perpetua mœnium corona, aut aliis operibus munita indicant.* Succeſſit Dionyſio Alfonſus filius cognomento fortis, quem e ſancta Eliſabetha ſuſceperat. Si quæ porro in vita Dionyſius crimina violato jure eccleſiaſtico, commiſiſſe, vel ætatis ardore in veſanos amores actum præcipitem diximus, ſanctiſſimæ conjugis precibus obtenta cœleſti gratia, ea magno ſenſu pietatis delibutus lacrymis deleviſſe viſus eſt, ut in conſolatoriis ad ſanctam Reginam literis Pontifex exponit, (*m*) dum ritu Chriſtiano omnibus eccleſiaſticis munitum ſacramentis, concepta ingenti de alterius vitæ immortalitate ſpe emigraſſe ait.

Alfonſus filius ſuccedit.

(*m*) *To.* 5. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 39.
S. Eliſabetham de mariti morte ſolatur Pontifex.

*Chariſſimæ in Chriſto filiæ Elizabethæ Reginæ Portugalliæ illuſtri.*

XVI.
Datæ ad ipſam lit.

*Licet chariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi Regis Portugalliæ illuſtris nati tui literæ nobis miſſæ, claræ memoriæ Dionyſii Regis Portugalliæ viri tui obitum nunciantes, non indigne amaricaverint mentem noſtram, cum non potuerimus de tam devotiſſimi & chariſſimi ſubtractione filii non dolere; felix tamen ipſius Regis tranſitus, qui devotione ad Deum & ſanctam eccleſiam clarens præcipua, & zelo fidei orthodoxæ accenſus, devote receptis ſacramentis dominicis, de morte tranſiiſſe ad vitam, & in excelſis cum amicis & electis Dei obtinuiſſe manſionem perpetuam creditur, nobis in partem magnæ conſolationis acceſſit, & ejuſdem Regis nati tui debita gratitudo, quam ipſum erga dictum genitorem ſuum gerere prædictarum literarum ſeries indicavit, dum de ipſius animæ ſalute ſolicitus, illam per nos & cætum fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium haberi commendatam in noſtris orationibus ſupplicavit humiliter, cordis amaritudinem non modicum temperavit: cum hoc nobis ſpem tribuat, quod ipſe circa ſalutem propriam velit intendere, ac eam ſtudioſis operibus procurare. Ad quod eidem neceſſarium nunciamus, ut Deum timeat, ejuſque præcepta obſervare tenaciter non poſtponat, ſponſam ejus ſanctam eccleſiam in ſuis prælatis & aliis perſonis eccleſiaſticis honorando, compatiendo pauperibus, & eos ab oppreſſionibus defendendo; viroſque Deum timentes, pacem & juſtitiam diligentes ad ſua conſilia & officia admittendo: ſuper quibus Regem eundem per alias*

NOTÆ [1] MOtus iſti Belgici partim ad hunc annum partim vero ad ſequentem pertinent. Iſto quidem anno Ludovicus Comes e principatu deturbatus agitur in carcerem; ſubſtituto in ejus loco Roberto. Eo ſequenti anno depoſito, Ludovicus iterum aſſumitur. MANSI



*lias noſtras literas duximus exhortandum.*

*Sane, filia chariſſima, quia ſicut noſti, ex præſentis vitæ fallaciis rerum mundanarum veluti corruptibilium figura præterit, & nihil quod ſub ſole naſcitur, ſoliditatis habet ſtabile fundamentum, nec aliquem a lege mortalitatis, cunctis indictæ mortalibus, eminentia dignitatis, ſeu cujuſvis poteſtatis excuſat, ſed potius omnes tam divites quam pauperes ſibi juxta voluntatis, & diſpoſitionis divinæ beneplacitum ſint ſubjecti; excellentiam regiam deprecamur, quatenus præmiſſa, nec non & prædicti Regis viri tui felicem obitum, cujus animam veluti devoti & catholici principis nos & dicti fratres noſtri commendatam ſpecialiter in noſtris orationibus habuimus & habere intendimus, conſideranter attendens, abſterſis lacrymis & mitigatis doloribus ſpiritum conſolationis aſſumas, quo Regem natum tuum, & domum regiam tuæ circumſpectionis providentia conſoleris; ipſum ad prædicta quæ præmiſimus, & alia quæ ſalutem ſuam reſpiciant dirigendo, maternis affectibus & ſedulis exhortationibus inducendo; ad nos nihilominus fiducialiter habitura recurſum ſuper tuis opportunitatibus, quæ, quantum cum Deo poterimus, & propitios reperies, & benignos. Dat. Avinione kal. martii anno* IX. Superfuiſſe ferunt (*a*) Reginam Elizabetham annis undecim, quos in omnium virtutum genere exercuit, adeo ut ſanctitas vitæ ingentibus illuſtrata miraculis ipſi in triumphanti eccleſia ſanctorum felicitatem, atque in militanti cultum venerationemque pepererit. Erexit etiam ad conſtantiam ſcriptis eodem argumento literis (*b*) Pontifex Alfonſum Regem, cujus oratores ad aulam apoſtolicam in illo primo illius regni ingreſſu miſſos excepit (*c*), ipſique viros eccleſiaſticos, præſertim religioſos equeſtres ordines, ad tundendos Saracenos inſtitutos, enixe commendavit (*d*).

Solicitatur, ut filium virtutibus excolat.
(*a*) *Marian. l.* 15. *c.* 18.
S. Eliſabetha poſt viri obitum divinis rebus ſe totam addicit.
(*b*) *To.* 5. *p.* 1. *ep. ſec. pag.* 39.
(*c*) *Ead. pag.*
(*d*) *Ibid.*

XVII.
(*e*) *Sur. l.* 6. *ann. c.* 60.
Renovatum in Sardinia inter Piſanos & Aragones bellum.
(*f*) *Ead. lib. c.* 60.
Miſſus orator ad Pont. pro re Sardica.
(*g*) *Ext. in lib. privil. Rom. eccl. to.* 3. *pag.* 315. & *in M. S. bibl. Vat. ſign. lit. B. n.* 12. *pag.* 343.

Hoc anno Rex Aragonum bellum Sardicum redintegravit (*e*) proximoque totius inſulæ liberam poſſeſſionem eſt adeptus: licet enim anno ſuperiori pacem firmatam viderimus; ex quo tamen Alfonſus regni heres Sardinia claſſem ſolverat, Piſani & Catalani mutuis cædibus paſſim ſe conficere cœpere; ac Piſanis oratorum opera de injuriis agentibus, Jacobus auxilia in Sardiniam ſubmiſit (*f*), tum ut parta ultimo bello retineret, tum Fridericum adverſus Siciliæ Regem juvaret. Miſſus vero a Jacobo Rege Bernardus e Boxados orator, qui coram Pontifice & Cardinalibus adjectas a Bonifacio in regni Sardiniæ donatione leges Jacobi nomine ratas habuit, ac pontificiam liberalitatem in remittendo ad decennium dimidio cenſu admiſit, eaque de re publica hæc edita monumenta (*g*).



*In Chriſti nomine Amen. Anno ejuſdem a nativitate MCCCXXV. indictione* VIII *Pontificatus ſanctiſſimi patris & domini noſtri domini Joannis divina providentia, Papæ* XXII. *anno nono, die* XXI. *menſis junii, conſtitutus in conſiſtorio coram ſanctiſſimo patre, & domino noſtro prædicto ac ſacro collegio reverendorum patrum dominorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium, præſentibus nobilibus clericis cameræ, notariis & teſtibus infraſcriptis, nobilis miles dominus Bernardus de Boxados domini Jacobi, Dei gratia, Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ, Corſicæ Regis illuſtris, comitiſque Barchinonenſis, ac S. R. E. vexillarii, admirati & capitanei generalis procurator & nuncius per ipſum dominum Regem ad admittenda, acceptanda, recognoſcenda, & facienda quæ inferius deſcribentur, ad ipſum dominum noſtrum Papam ſpecialiter deſtinatus, quaſdam ipſius domini Regis patentes literas, ſuo magno pendenti ſigillo ſigillatas, humiliter præſentavit & exhibuit dicto domino noſtro Papæ, quarum tenor inferius inſeretur, per quas idem miles de ſua dicebat procuratione conſtare.*

*Quibus quidem procurationis literis coram ſe, & dicto collegio, nobis notorio ac dicto milite præſentibus, primo publice lectis, idem dominus noſter Papa quaſdam alias literas ejuſdem domini Regis aurea ſua bulla bullatas; in quibus idem Rex fatetur & recognoſcit expreſſe Sardiniæ & Corſicæ regnum a domino ſummo Pontifice & Rom. eccleſia recepiſſe in feudum ſub conditionibus, conventionibus modis & forma, atque tenore, qui in papali reſcripto continetur, facto ſuper donatione & conceſſione ipſius Sardiniæ & Corſicæ regni per felicis recordationis dominum Bonifacium Papam* VIII. *ſub certis modo & formis in ipſis literis regiis comprehenſis, quarum ſecunda linea incipiebat: Sanctitati veſtræ, tenore præſentium pateſiat, &c. penultima finiebat: Bona nobis competentia & competitura in eo humani, &c. necnon & copiam alterius literæ, quam ipſe dominus noſter Papa eidem Regi olim ſub bulla ſua tranſmiſerat, ut aſſeruit, pro eo quod ipſa contingebant negotia, ad quæ dictus procurator & nuncius deſtinatus extiterat immediate mihi fecit legi, cujus tenor ſequitur in hunc modum, &c. Dat. Avin.* XII. *kal. decemb. pontificatus noſtri anno* IX.

Jacobi Regis, profitentis regnum Sard. ſpectare ad ſedem Ap. literas affert orator.

*Joannes, &c.* Inſeruntur literæ anno ſuperiori a nobis adductæ: tum aliæ publicæ tabulæ, quibus Jacobus Rex Bernardum e Boxados procuratorem regio inſtruxit mandato, ut ſe obſtringeret, remiſſionem illam futuram irritam, ſi reliquum cenſum pontificio fiſco non inferri contingeret: tum caveret eam rem pontificiis juribus fraudi non fore, nec

leges à Bonifacio in conferenda jure beneficiario Sardinia abrogatum labefactatumque iri. *Dat. Valentiæ* VIII. *id. martii anno Domini* MCCCXXIV. Subdunt publicæ tabulæ.

XVIII. *Quibus lectis, idem dominus noſter ſummus Pontifex ſententiam dictarum literarum præfatarum domini Bonifacii Papæ VIII. ſuper donatione Sardiniæ & Corſicæ regni confectarum, ſummatim eidem militi expoſuit in vulgari: & interrogavit eundem, ſi vellet admittere, acceptare, facere, & adimplere omnia & ſingula, ad quæ ſe ſuum procuratorium extendebat, ita quod præmiſſa, pactis, conditionibus, & obligationibus prædictis inter eandem Romanam eccleſiam & ipſum Regem Aragonum factis & ſtabilitis non derogaretur in aliquo; quin potius in ſuo robore & efficacia permanerent. Qui quidem miles reſpondit, quod volebat, in quantum ad hoc ſe lectum ſuum procuratorium extendebat. Tunc dominus noſter præfatus, juxta formam oblationis eidem domino Petro infanti per ipſum dominum noſtrum dudum, & poſtmodum præfato Regi Aragonum per ſuas literas factæ, prout in tenore ipſarum literarum ſuperius lecto plenius continetur, ſub modis conditionibus, & forma prædictis de fratrum ſuorum conſilio medietatem duorum millium marcharum argenti ſterlingorum cenſus annui, & militaris ſervitii prædictorum uſque ad x. annos proxime venturos præfato Regi Aragonum, ſuiſque heredibus in dictarum expenſarum ſuffragium de mera liberalitate & gratia ſpeciali remiſit: adjecto tamen per eundem dominum noſtrum, quod ſi ipſe Rex Aragonum vel heredes ſui in ſolutione reſiduarum mille marcharum cenſus annui præfati, in dicto termino feſti beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum facienda, quocumque anno dicti decennii forte ceſſarent, remiſſio hujuſmodi de illis mille marchis pro cenſu, ipſo, quam faciebat tam pro illo anno, quo ceſſatum eſſet a ſolutione prædicta, quam pro toto reſiduo temporis dictorum decem annorum haberetur penitus pro non facta: quodque per præmiſſa pactis, conditionibus, & obligationibus prædictis inter eandem Romanam eccleſiam & antedictum Regem factis & ſtabilitis non derogaretur in aliquo; quin potius in ſuo robore & efficacia permanerent.*

Pactiones initas cum eccleſia ratas habet.

De remiſſis ad decennium mille marchis gratias agit.

*Ac conſequenter præfatus miles, humiliter genuflectens, nomine dicti Regis Aragonum domini ſui, dictam gratiam per dictum dominum noſtrum ſummum Pontificem & Romanam eccleſiam, præfato domino ſuo & heredibus ejus factam, admiſit, recepit, & acceptavit, & eidem expreſſe conſenſit: & nomine quo ſupra recognovit præfatum Regem Aragonum dominum ſuum, ejuſque heredes, eidem domino noſtro, ſuiſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac Romanæ eccleſiæ ad totum cenſum duorum millium marcharum argenti ſterlingorum annis ſingulis; & ad militare ſervitium ſupradicta pro Sardiniæ & Corſicæ regno teneri, quod idem Rex tenet, & heredes ſui tenere debent in feudum ab eis, ſub modis, formis, & conditionibus contentis in literis ſuper dicta donatione confectis. Et voluit & conſenſit expreſſe procurator præfatus nomine quo ſupra, quod ſi Rex dominus ſuus, vel heredes ſui in ſolutione reſiduarum mille marcharum cenſus annui præfati, in dicto termino feſti beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum facienda, quocumque anno dicti decennii forte ceſſarent, remiſſio hujuſmodi de mille marchis pro cenſu ipſo Regi Aragonum ejuſque heredibus facta tam pro illo anno, quo ceſſatum eſſet a ſolutione prædicta, quam pro toto reſiduo temporis dictorum decem annorum, haberetur penitus pro non facta: quodque per præmiſſa pactis, conditionibus, & obligationibus prædictis, inter eandem Romanam eccleſiam & antedictum Regem factis & ſtabilitis non derogaretur in aliquo; quin potius in ſuo robore & efficacia permanerent. De quibus omnibus & ſingulis tam per dominum noſtrum ex mera liberalitate eidem Regi de gratia ſpeciali remiſſis & adjectis, quam per eundem militem nomine procuratorio Regis ipſius admiſſis, acceptatis, recognitis, quibus expreſſe conſenſit, mandavit nobis notariis infraſcriptis idem dominus noſter ſummus Pontifex, quod inde faceremus unum vel duo publica inſtrumenta, quæ idem miles fieri voluit, & conceſſit.*

Cautum pontificio juri.

XIX. *Cumque præfatus miles pro ampliori gratia, eidem domino ſuo Regi Aragonum facienda, domino noſtro humiliter ſupplicaret, idem dominus noſter ſummus Pontifex de fratrum ſuorum conſilio gratiam prædictam eidem domino Regi factam, ſub modo ampliavit & forma inferius comprehenſa: videlicet, quod ſi ipſe Rex Aragonum vel heredes ſui in ſolutione reſiduarum dictarum mille marcharum annui cenſus præfati, in dicto feſto beatorum Petri & Pauli apoſtolorum facienda, quocumque anno dicti decennii forte ceſſarent, remiſſio hujuſmodi de mille marchis pro cenſu ipſo, & medietate ſervitii militaris prædicti pro illo anno ſolummode, quo ceſſatum eſſet a ſolutione prædicta, haberetur penitus pro non facta, cæteris omnibus ſuprapoſitis in ſua liberalitate & gratia & adjectionibus antedictis, ut ſupra plenius continetur, in omnibus & per omnia in ſuo robore duraturis: & de hoc etiam voluit idem dominus noſter, quod faceremus publicum ſeu publica inſtrumenta. Quam quidem ampliationem gratiæ, & omnia*

Temperata non ſolventis cenſum multa.

*con-*



*contenta in ipſa ſub forma ſuperius expreſſa dictus miles nomine dicti Regis reverenter & humiliter acceptavit, & eidem expreſſe conſenſit. Acta fuerunt hæc Avinione in epiſcopali palatio, ubi prædictus dominus noſter Papa cum ſua curia reſidebat, anno, indictione, die, & pontificatu prædictis, præſentibus venerabilibus in Chriſto patribus dominis Gasberto archiepiſcopo Arelatenſi camerario, Ademario epiſcopo Maſſilienſi theſaurario ejuſdem domini noſtri Papæ, & domino Petro de abbatia canonico Valentino ad præmiſſa vocatis teſtibus & rogatis.* Quod ad aliorum regnorum vectigalia ſedi Apoſtolicæ pendenda ſpectat; ſolutum a Roberto Rege Siciliæ pontificia ſyngrapha docet (*a*). Tum etiam miſſos in Poloniam nuntios ad exigendum denarium S. Petri, commendatoriæ ad Vvladiſlaum Regem & Andream e Verulis ac Petrum de Alvernia literæ oſtendunt (*b*).

*(a) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 307.*
*(b) To. 5. p. 2. ep. ſec. pag. 160.*

XX. Interea recruduere de proprio Chriſti & Apoſtolorum controverſiæ, nonnullis hypocritis, quos malus agebat ſpiritus, detrahentibus conſtitutionibus apoſtolicis, quas ſuperioribus annis editas vidimus; quibus illorum error, qui Chriſtum Dominum & Apoſtolos puro rerum uſu ſine ullo jure potitos affirmabant, refellebatur. In quos in regno Balearico a Majoricarum epiſcopo, in Aragonio a Valentino inquiri imperavit Joannes (*c*). Inter cæteros Ubertinus e Caſali [1] pſeudominorita judicio poſtulatus (*d*) cum lis apud ſedem Apoſtolicam penderet, non obtenta facultate diſceſſit, atque in vincula a Pontifice abripi juſſus eſt. Verum ipſe ſeveritatem eluſit, confugitque ad Ludovicum Bavarum, cui una cum hæreſiarcha Marſilio in concipienda adverſus Joannem ſententia, referciendaque hæreſibus poſtea operam navaſſe, refert Muſſatus (*e*); meminitque de ejuſdem impiis ſcriptis adverſus decreta apoſtolica MS. (*f*) Vat. Ubertini (*g*) Caſalis magiſter fuerat Petrus Joannis Olivi, damnatus proximo ineunte anno, factionis, quæ inter Minoritas ſpiritualium ſpecioſum nomen ſibi arrogabat, princeps: hauſerat (*h*) vero plurimam fæcem partim ex Vvaldenſium lacunis, partim ex abbatis Joachimi deliriis, accommodatis nempe ſancto Franciſco blaſphemis iis encomiis, quæ Joachimus in S. Benedictum temere effudiſſe ferebatur, magnoque argumento eſt improbum hypocritam a cacodæmone in angelum lucis transformato deluſum, ſi vera ſunt quæ referunt Franciſcani annales (*i*), illum in extremo vitæ diſcrimine profeſſum, omnem ſuam ſcientiam ipſi infuſam divinitus, & quadam die hora tertia repente a Numine colluſtratum fuiſſe: hoc enim auctore pa-

Nonnullorum pſeudominoritarum pervicacia & hæreſis.

*(c) Ib. pag. 134.*
*(d) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 268. & pag. 275.*
Ubertus e Caſali factionis ſignifer.
*(e) Muſſ. in Lud. Bav.*
*(f) M. S. Vat. ſignat. n. 4010. in indice.*
*(g) Marc. Olyſip. l. 5. c. 24.*
Magiſtro Petro Joannis Olivi erat uſus.
Damnati Petri Joannis commentarii.
*(h) Guid. epiſc. Elnev. ſum. de hær. Petr. Ja.*
*(i) Marc. Olyſipp. l. 5. c. 33.*



NOTÆ [1] Mendum in Annalibus cubare hic ſuſpicor. Ubertinus de Caſali Genuenſis inter Pſeudominoritas hoc anno judicio poſtulatus, atque e fuga, quam meditabatur, retractus in carcerem, tandem ſe ſe proripuiſſe ad Bavarum aſſeritur. Ubertinus primo quidem Minoritarum Ordinem profeſſus fuit, nec in eo tantummodo egit, ſed & inter acerrimos Minoriticæ paupertatis propugnatores valuit. Sententiam ea de re ſuam a Joanne requiſitus anno 1322. expoſuit, ut ipſe in charta vulgata a Baluzio Miſcell. to. I. pag. 307. affirmat. Sed ante eos annos cum dogmata Petri Joannis Olivi acrius defenderet, ejuſque defenſionis gratia invidiam in ſe multorum Ordinis ſui creaſſet; e re ſua cenſuit ſi e Minoritis ad ſancti Benedicti Monachos tranſiret, qua de re legendæ apud VVadingum pontificiæ Joannis literæ ad ipſum *Ubertinum Monachum ſancti Petri de Gemblaco Ordinis ſancti Benedicti Diœceſis Leodienſis data Kalendas Octobris anno 2.* ideſt anno 1317. Hinc apud Muſſatum in Ludovico Bavaro. Ubertinus iſte, non quidem Ordinis Minorum, ut ſemper deſignantur ab illo Minoritæ, ſed *Monachus* appellatur. Veſtem tamen non animam mutavit, ut ex ſententia de paupertate, cujus ſuperius meminimus, planum eſt. Quam ſententiam anno 1330. die 27. Septembris palam ſe defendere per ſyngrapham a ſe ſcriptam profeſſus eſt omnem contrariam definitionem reſpuere ſe ut hæreticam, & fidei oppoſitam proteſtatus. Ex hac ſolemni & audaci ſententiæ ſuæ expoſitione ſuſpicari quis poſſet, Ubertinum hoc ipſo anno e carcere Pontificio, (cui traditum fuiſſe hoc anno ex anonymo quodam Vaticano M. S. codice aſſerit Annaliſta) evaſiſſe & cum ad Bavarum ſe proripuiſſet, poſitum in tuto ſtatim opinionem ſuam fidenter pandiſſe. Cum tamen apud Muſſatum legerim monachum iſtum authorem fuiſſe Ludovico Bavaro ut Romam quo a Romanis invitabatur, concederet; eoque venerit Ludovicus anno 1327. jam tunc ſeceſſionem hanc ab eo factam conſtat.

Ad judicium Apoſtolicum in dogmata Petri Joannis Olivi quod attinet, extra locum ſuum ab Annaliſta hic referri, ſatis conſtat. Cum enim ſententia illa lata fuerit ſabbato primo Quadrageſimæ die VI. Februarii, his characteribus exprimi annum veteri quidem ſtilo 1325. ſeu alterum præſentem 1326. nemo ambigit. In annum igitur ſequentem hæc omnia reiicienda erant. Theologi vero a Pontifice delecti, ut mature eadem dogmata diſcuterent, duo tantummodo ex octo quibus ea provincia commiſſa fuit in annalibus recenſentur. Omnium nomina præfixa leguntur cenſuræ in ſententias quaſdam ex libris Petri Joannis excerptas, quam cenſuram ſcriptis traditam Theologi illi Pontifici deſtinarunt, & vulgavit Baluzius Miſcellan. to. I. pag. 219. Sunt vero Guido Prior generalis Carmelitarum, Bernardus de Turre Ord. Minorum, Aquitaniæ provinciæ miniſter, Guillelmus de Laduno Ord. Prædicatorum *Lector Sacri Palatii* (dein Viennenſis Archiepiſcopus) Nicolaus de S. Juſto Decanus S. Quintini, Laurentius Anglicus Ord. S. Benedicti, Simon Anglicus Carmelita, Arnaldus Royardi Minorita, Petrus de Palude Ordinis Prædicatorum. MANSI

tre mendacii dictum colligitur, ut hæreſes ſuas altius defigeret in animis ſimplicium diſcipulorum, qui adeo erant faſcinati, ut pro iis tuendis flammas pertulerint (*a*). Cæterum vana penitus ſunt, quæ nonnulli de Franciſcana familia referunt, illam adeo fuiſſe collapſam hoc tempore, ut viros ſanctos diſciplinæ reſtitutores circumventos calumniis incendio deleverit; deformatores enim fuiſſe, ex ſerie hiſtoriæ patet. Quamvis autem nonnulli Petri Joannis errores jam ante in concilio Viennenſi damnati fuiſſent, cum tamen alii ex ejuſdem ſcriptis eruti invaleſcerent, impietatis judicio aliqua illius commentaria damnata ſunt, ut tradit MS. Vaticanum (*b*): *Anno* inquit, *domini* MCCCXXV. ſumpto nimirum illius ab incarnatione Verbi exordio, *ſabbato primo quadrageſimæ condemnavit* (nimirum Joannes) *poſtillam fratris Petri Joannis Biterrenſis diœceſis de ordine Minorum: ex qua fomentum ſumpſit quædam ſecta peſtifera illorum, qui ſe pauperes de tertio ordine S. Franciſci appellant, ex quibus multi fuerunt combuſti*. Confirmat hæc Bernardus (*c*), qui etiam ab eodem amplificatam Beguinorum ſectam ſcribit.

(*a*) *Eod. lib. c.* 24.

(*b*) *M. S. bib. Vat. ſign. n.* 3765. *in Jo.* XXII.

(*c*) *Chron. Rom. Pon. M. S. bib. Vat. ſign. n.* 2043. *& ex eo Bar. in ſchedis.*

Ex his Beguini ſectarii tuebantur hæreſim.

*Anno Domini* MCCCXXV. *ſabbato primo quadrageſimæ quæ fuit* VI. *idus februarii dominus Joannes Papa* XXII. *reprobavit & ſententialiter condemnavit in publico conſiſtorio, aſſiſtentibus Cardinalibus & prælatis & magiſtris in theologia & doctoribus utriuſque juris, quandam peſtiferam poſtillam, quam frater Petrus Joannis olim ordinis fratrum Minorum de Serinhano diœceſis Biterrenſis fecerat ſuper librum apocalypſis B. Joannis, tamquam continentem peſtiferum & hæreticum dogma contra unitatem eccleſiæ catholicæ, & poteſtatem ſummi Pontificis Romani, & Apoſtolicæ ſedis. Continebat etiam plures articulos erroneos & hæreticos. Ex qua poſtilla ſumebat originem & fomentum ſecta quædam peſtifera illorum, qui Beguini ſunt vulgariter appellati, qui ſe fratres pauperes de tertio ordine S. Franciſci communiter nominabant: ex quibus quamplures fuerant per judicium prælatorum & inquiſitorum hæreticæ pravitatis tanquam hæretici, condemnati, & relicti judicio curiæ ſæcularis & combuſti diverſis locis in provincia Narbonenſi, &c.* In libri margine æque vetuſto charactere additum eſt: *Narbonæ, Biterris, in Capite ſtagno, apud Pedevacium, apud Lodovam, apud Lunellum, & Maſſiliæ, & Carcaſſonæ, & Tholoſæ*. Eadem afferuntur in MS. Card. Baronii notis, quibus conſentit Aymericus his verbis: *Dominus Joannes Papa* XXII. *Avinione reſidens, informatus de perverſa doctrina fratris Petri Joannis de ordine fratrum Minorum, cum magno conſilio multorum in theologia magiſtrorum & doctorum condemnavit dicti fratris Petri Joannis, de quo actum eſt ſupra hos liberos ut vere hæreticales; ſcilicet poſtillam ſuper apocalypſim, poſtillam ſuper Matthæum, poſtillam ſuper canonicas propter errores contentos in eis, & hæreſes, quæ recitantur ſupra quæſtione nona*. Eadem Pegna (*d*) refert in commentario, qui ipſum profeſſione Minoritam ait, Ceriaco diœceſis Biterrenſis oriundum, ac ſepultum Narbonæ in eccleſia Minorum. Ad cujus ſepulcrum cum ſimplices afferrent venerationis ergo donaria, juſſu pontificio refoſſa ejus oſſa refert, & diſſipata: *Idem*, inquit, *dominus Papa fecit exhumari oſſa dicti fratris Petri Joannis, & omnia tam cereas imagines, quam pannos per manus ſimplicium ad ejus tumulum deducta Narbonæ fecit publice concremari. Aliqui tumen volunt dicere, quod licet oſſa fuerint exhumata, non tamen cum prædictis concremata, ſed Avinionem deducta, & de nocte in Rhodanum projecta pro eo, quia repertum extitit, quod libros ſuos prædictos ſuppoſuerat correctioni ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ*. Ac ne quis ambigat, poſthac, damnatos Petri Joannis in apocalypſim commentarios a Romana eccleſia, teſtimonium producimus ejus temporis ſcriptoris inſignis, ſcilicet Alvari Pelagii ordinis Minoritarum, poſtea epiſcopi Silvenſis, qui in ſuo tractatu in extravag. Joannis, *Cum inter nonnullos*, hæc narrat (*e*).

Varia Petri Joannis ſcripta exitialia.

(*d*) *Pegna comm.* 51. *in q.* 26.

Diſſipatum ejuſdem hypocritæ monumentum.

*Dominus Papa de conſilio ſacri collegii dominorum Cardinalium in condemnatione, juxta ſupplicationem ſibi factam pro parte ordinis fratrum Minorum, quam fecit de poſtilla, quam Petrus Joannis ſuper apocalyſim conſcripſit, habuit conſilium magiſtrorum in ſacra pagina, quibus examinationem ipſius poſtillæ commiſit: inter quos magiſtros fuerunt fratres Gregorius de Landinio archiepiſcopus Viennenſis, & Petrus de Palude ordinis Prædicatorum, & multi alii magiſtri aliorum ordinum & ſtatuum. In quo judicio, per ipſos magiſtros in ſcriptis ſub eorum ſigillis etiam in forma publici inſtrumenti præfato domino Papæ tradito, de quodam articulo, quem dictus Petrus Joannes ſcripſit in dicta poſtilla, cujus articuli tenor de verbo ad verbum talis eſt: Ex quo per Romanæ eccleſiæ autenticas teſtificationem & confirmationem conſtat, regulam Minorum per B. Franciſcum editam, eſſe vere & proprie illam evangelicam, quam Chriſtus in ſe ipſo ſervavit, & Apoſtolis impoſuit, & in evangeliis ſuis conſcribi fecit; & nihilominus conſtet hoc per irrefragabilia teſtimonia librorum evangeliorum & cæterarum ſcripturarum ſanctarum, & per ſanctos expoſitores eorum, prout alibi eſt ſuperabunde monſtratum; dicti magiſtri in ſacra pagina de ipſo articulo ſuum dant conſilium in hæc verba.*

(*e*) *Ext. in M. S. arch. Vat. var. bull. Jo.* XXII. *pag.* 89. *ext. etiam typ. cuſa apud Alvar. Pelag. de planctu eccl. l.* 2. *c.* 59.

Ut maturitas conſilii adhibita in damnando Petro Joannis.

Laus regulæ Min. temeraria.



*Si dictus Petrus Joannis hæc verba accipit ſecundum intellectum & declarationem decretalis Exiit qui ſeminat: verum dicit. Si autem intelligit, ſicut ipſe alibi declarat, & ſui ſequaces aſſerunt, quod regula B. Franciſci ſit vere & proprie idem & id ipſum, quod Chriſti evangelium & e converſo, & quod dominus Papa non habet poteſtatem ſuper eam, ſicut nec ſuper evangelium; vel quod quidquid eſt in regula beati Franciſci, totum Chriſtus ad literam ſervaverit, & Apoſtolis impoſuerit obſervandum; hoc totum ſimpliciter reputamus hæreticum, ridiculum, & inſanum: nec iſtud probatur per aliquod teſtimonium, quod inducat. Hæc verba dicti concilii.*

XXI. Nonnulli ejus articuli juſſu pontificio diſcuſſi.

Extant in MS. archivi Vaticani nonnulli alii articuli, ex Petri Joannis ſcriptis decerpti, qui cum nefariæ doctrinæ ſuſpicione non carerent, tranſmiſſi fuere Pontificis juſſu ad Franciſcum epiſcopum Florentinum, poſtea Cardinalitia purpura exornatum, ut ipſos ad theologicum examen adduceret: qui iis accurate diſcuſſis, ſententiam ſuam ſubjectis verbis explicuit (*a*).

(*a*) *Apud. Jo.* XXII. *var. bull. pag.* 79. *& in M. S. bibl. Vat. ſign. n.* 4004.

*Mittantur*, nimirum articuli memorati, *reverendo in Chriſto patri domino domino Franciſco Dei gratia epiſcopo Florentino*.

*In nomine Domini. Amen. Super articulis mihi tranſmiſſis, quæ inferius continentur, duxi breviter ſicut ſequitur reſcribendum. Primus noſcitur eſſe talis: Utrum catholice poſſit dici, quod pontificatus Chriſti fuerit primo ſtirpi vitæ evangelicæ & apoſtolicæ in Petro & aliis apoſtolis datus, ac deinde ad ſtatum habentem temporalia utiliter & rationabililiter commutatus*. Et infra.

Ut fictitiam pontificatus mutationem induxerit.

*Prædictus articulus videtur implicare duos errores. Primus eſt, quia dicit pontificatum fuiſſe datum determinate ſtirpi, ſcilicet ſtirpi vitæ evangelicæ & apoſtolicæ: hoc enim videtur eſſe falſum & erroneum, quod poteſt probari ſic, quia pontificatus fuit datus toti cœtui fidelium Chriſtianorum, & non determinatæ ſtirpi: quod patet ex hoc, quia quicumque fidelis Chriſtianus rite eligitur & conſecratur in Pontificem vel epiſcopum, vere eſt Pontifex vel epiſcopus, nec oportet, quod teneat vel obſervet vitam apoſtolicam*, id eſt, proprio abrenuntiet. Et infra.

Florentini epiſcopi cenſura.

*Item dico, quod videtur ſine dubitatione, faciendo mentionem de pontificatu Chriſti dato ſtirpi, ut dicit, quædam ſupponere & principia facere, ex quibus poſſit aliquos errores fundare, quibus deſtructis tales non poſſunt nec debent errores fundari. Et ideo dicendum videtur quod Petrus Joannis, qui in ſua dixit poſtilla, quod dictus pontificatus datus fuit ſtirpi vitæ, &c. jure primogenituræ; & ſic ad ordinem Apoſtolorum tali jure ſpectare dixit, ut vidi contineri in prologo ejuſdem poſtillæ* VII. *notabili, ſubtrahendo Apoſtolis quod ſuum erat, & eis datum, ut eſt dictum; & hoc dixit ad hoc, quod qui de ſtirpe dictæ vitæ non fuerit, ad dictum pontificatum non debeat aſſumi. Quod falſum videtur tali ratione, quia ſi concedatur quod datus fuerit ipſe pontificatus eo modo, quo dicit in Petro & aliis Apoſtolis, quod ipſi Apoſtoli omnes fuerunt pontifices, & hoc eſt verum; licet Judas non expectaverit pontificatum, quamvis ſacerdos fuerit: ſed Petrus ex conceſſione Chriſti ſpeciali & ampliori propter rationem & ordinem univerſi, qui eſt, quod omnia ad unum caput ſeu terminum reducantur, ſummus fuit Pontifex, & exercitium habuit univerſaliter ut vicarius Jeſu Chriſti, dicente ſibi Domino Joan. ultimo: Paſce oves meas. Ubi aliquis de ſtirpe decedit, in locum ejus ſuccedere debet proximus, quem nemo antecedit, ut hæc plene probantur in alia facultate. Sed Apoſtoli, quos nullus anteibat in ſancta eccleſia, erant proximiores Petro eorum capiti poſt Chriſtum de ſtirpe vitæ prædictæ. Ergo quicumque de Apoſtolis remanſit poſt Petrum, ſibi ipſum Petrus ſucceſſorem debuit facere in pontificatu ratione juris primogenituræ, & quia ſtirpi datus erat pontificatus ſecundum Petrum Joannis, & ſi hoc B. Petrus non fecit propter rationes prædictas mortaliter peccavit, ſubtrahendo Apoſtolis quod ſuum erat, & eis datum, ut eſt dictum.*

Error de pontificatus ſucceſſione hereditaria.

*Dico quod quia pontificatus non erat datus ſtirpi, ſecundum quod ipſe Petrus Joannis dixit, beatus Petrus ſibi Clementem ſubſtituit, nec aliquem Apoſtolum* VIII. *q.* I. *Si Petrus in te. Et glo. Et quod de Apoſtolis aliquis poſt Petrum remanſerit, vide* XII. *q.* I. *Dilectiſſimis. Et quod B. Petrus peccaverit mortaliter ſic faciendo, ſpiritu ſancto plenus, & qui ſciebat, quomodo pontificatus erat datus, eſt impoſſibile*. Et infra.

Refellitur.

*Secundus error implicatur in hoc, quod dicit, pontificatum mutatum de ſtatu vel ſtirpe Apoſtolorum ad ſtatum habentium temporalia: quia per hoc clare dicitur, quod Apoſtoli non habuerunt temporalia nec in proprio nec in communi*. Et infra: *Non tamen pontificatus ipſe datus eſt ſub præcepto non habendi temporalia, vel ſub prohibitione habendi; conſtat enim quod & Chriſtus & Apoſtoli temporalia habuerunt: nam & Dominus habebat loculos, & a fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat; & Apoſtoli, cum rerum pretia, quæ offerebantur reciperent, & etiam diſpen-*

Error, quod Apoſtoli non habuerint temporalia.

*penſarent*, XII. *q. c. Dilectiſſimis. &c. Scimus; quamvis nihil proprium dicerent eorum, quæ poſſidebant, ſed omnia erant communia, ut in illis capp. dicitur. Patet igitur, quod ſtatus ille primus in Chriſto & Apoſtolis erat ſtatus habens temporalia: & hoc quoad communia bona temporalia, ſicut ſunt bona eccleſiaſtica hodie quantum ad clericos & pauperes, quoniam bona eccleſiæ pauperum ſunt*, XVI. *q.* I. *c. ult. Ex quibus ſatis apparet, quod quoad bona temporalia eccleſiarum, quæ non propria ſed communia ſunt & dicuntur*, XII. *q.* I. *Expedit, pontificatus tempore Chriſti & Apoſtolorum erat in ſtatu habente temporalia, & nunc ſimiliter. Ergo non poteſt dici commutatus ad ſtatum habentem temporalia; cum commutatio vel mutatio ſit de uno in aliud.* Et infra.

XXII. Error de ſexto ſtatu.

Secundus articulus eſt: *Utrum catholice poſſit dici, quod in ſexto ſtatu hujuſmodi vitæ non ſolum ſimplici intelligentia, ſed palpativa & guſtativa experientia videbitur omnis ſapientia Verbi incarnati, & potentia Dei Patris, quia Chriſtus promiſit, quod cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Multis interjectis ad hæc confutanda, non videri nempe ſeptem humanitatis Chriſti myſteria, non conceptionem, non nativitatem, non paſſionem, mortem, & ſepulturam, non deſcenſum ad inferos, non reſurrectionem, non aſcenſum in cœlos, non adventum poſtremum; non etiam Trinitatis myſteria conſpici, verbum generari, procedere Spiritum, nec divinam eſſentiam, &c. ſubdit.

*Prædictus articulus non videtur catholicus in eo quod dicit, quod in præſenti vita non ſolum ſimplici intelligentia, ſed etiam guſtativa & palpativa experientia videbitur omnis ſapientia Verbi incarnati, & potentia Dei Patris; quia ex hoc ſequitur, ut probatum eſt, quod in præſente vita habebimus experimentalem notitiam de articulis fidei: ſed ſic fides non habebit meritum, dicente Gregorio in homiliis, quod fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sic etiam fides evacuaretur in præſenti vita, quod eſt contra auctoritates præmiſſas*, nempe Apoſtoli: *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et: *Nunc ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*, id eſt imperfectum. Itemque: *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium. Sic etiam in præſenti vita poſſemus in aliquo ſtatu habere notitiam experimentalem de unitate divinæ eſſentiæ, & trinitate perſonarum, & ſic plene eſſe beati, &c.*

Alius contra fidei naturam.

Tertius articulus eſt de prædeſtinatione poſt quem ſubiicitur.

*Quartus articulus talis eſt: Utrum catholice poſſit dici, quod B. Franciſcus ſit evangelicæ vitæ & regulæ ſexto & ſeptimo tempore propagandæ revelator, & ſummus poſt Chriſtum & ejus matrem obſervator.* Et infra: *Ponit aſſertionem de incertis minus probabilem & non credibilem, cum ſupponat quod Apoſtoli minus quam B. Franciſcus vitam evangelicam & regulam obſervarint: quod ratio refugii & probabilis credulitas aſpernatur.* Et infra: *Per hoc quod dicitur, vitam evangelicam fore propagandam ſexto & ſeptimo tempore, clare ſatis innuitur quod adhuc aliud evangelium ſit futurum: quod eſt omnino erroneum, & per eccleſiam tempore Alexandri IV. jamdiu damnatum tanquam hæreticum ſic enim ſequeretur, quod lex Chriſti, quæ per evangelium nobis exponitur, non eſſet perfecta, & ſic non poſſet homines introducere ad vitam æternam.* Et infra: *Non eſt ergo expectanda in ſexto vel ſeptimo tempore propagatio vitæ & regulæ evangelicæ, quia nullus ſtatus vitæ præſentis eſt futurus perfectior quam evangelii jam divulgati, per quod homines ad finem omnis perfectionis, ſcilicet ad æternam beatitudinem perducuntur: & dicere contrarium omnino eſt hæreticum. Si autem aliquis dicat, quod per vitam regulæ evangelicæ, ſexto & ſeptimo tempore propagandæ, intelligitur regula fratrum Minorum quam B. Franciſcus edidit, non autem intelligitur per illam propagationem novæ regulæ novum evangelium futurum; dico, quod iſtud nihil videtur valere, primo quia, cum ipſe dicat, quod B. Franciſcus eſt ſummus obſervator talis vitæ poſt Chriſtum & ejus matrem, innuit per hoc quod Chriſtus & ejus mater illam regulam & vitam, de qua loquitur, ſervaverunt. Conſtat autem, quod non ſervaverunt regulam, quam B. Franciſcus edidit, quia nondum erat tempore Chriſti & matris ejus. Ergo non intelligitur de illa, &c.*

Impium S. Franciſci encomium.

De fictitio ſtatu perfectionis in extremo tempore.

XXIII.

Scriptæ præterea ab eodem Florentino Præſule aliæ animadverſiones in damnatos Petri Joannis commentarios præfixo hoc titulo.

*Super tertio cap. ſuper verbo; Tene quod habes.*

*Item* (a) *ſicut ſoli primo*, verba ſunt Petri Joannis, *comminatur tranſlationem ſuæ eccleſiæ de loco ſuo, ſic ſoli ſexto ſignificat, quod ſi non perſeveraverit, ejus corona ad alium transferetur: cujus myſtica ratio eſt; quia ſicut primus ſtatus habuit primatum reſpectu ſui totius primi generalis ſtatus mundi, qui ab Apoſtolo vocatur tempus ſeu ingreſſus plenitudinis gentium, ſic ſextus habebit primatum reſpectu totius tertii duraturi uſque ad finem ſæculi. Ne ergo ſuperbiant de ſuo primatu, aut inſoleſcant, quod non poſſint ipſum perdere, aut quod alius nequeat*

(a) Ib. pag. 88.

Figmenta de translatione pontificatus in Fraticellos.



*queat ſubſtitui eis & fieri æque dignus, inſinuatur eis prædicta tranſlatio. Secunda ratio eſt, quia uterque eorum ſubſtitutus eſt alteri: nam gloria, quæ fuerat ſynagogæ parata & pontificibus ſuis ſi in Chriſtum credidiſſent, tranſlata fuit ad primitivam eccleſiam & ad paſtores ejus; ſic & gloria parata finali eccleſiæ quinti ſtatus transferetur propter ejus adulteria ad electos ſexti ſtatus, unde & in hoc libro vocatur Babylon meretrix circa initium ſexti ſtatus damnanda. Notandum tamen, quod per hoc verbum docemur, numerum electorum ad complendam fabricam civitatis ſupernæ ſic eſſe præfixum, quod ſi unus per ſuam culpam corruat, alterum oportet ſubſtitui, ne illa fabrica remaneat incompleta.*

Blaſphemia in Rom. eccl.

*Qui vicerit. Hoc verbum expoſitum eſt ſupra. Notandum quod ipſe victor ſignanter dicitur fiendus columna templi Dei: & ſicut primi Apoſtoli Chriſti fuerunt fundamenta eccleſiæ, ſic iſte debet eſſe columna recta ipſius, & pertingens ad ſublimem conſummationem ipſius; debetque eſſe firmum & decorum ſuſtentaculum altæ & finalis perfectionis ipſius, &c.*

*Reverende pater*, is erat memoratus Franciſcus epiſcopus Florentinus, *dominus noſter*, ſcilicet Joannes Papa, *vult quod ſuper hoc*, id eſt, propoſitionibus Petri Joannis in poſtilla, *deliberetis & ſcribatis.*

XXIV. (a) Ib. p. 81.

*Secundum* (a) *Hieronymum verba & ſcripta ſanctorum doctorum ſunt pie accipienda & exponenda, & ſemper trahenda ad bonum & verum ac pium ſenſum & ſententiam: ſed verba & ſcripta hominum ſuſpectorum ſunt fugienda ut peſtis, & repellenda ut quoddam venenum & lepra. Sicut enim dicit Auguſtinus in homilia, vera falſis permiſta in una diſputatione vel narratione hominis ſignificant lepram: unde ſecundum eundem leproſi non abſurde intelligi poſſunt, qui ſcientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur errorum. Et quia frater Petrus Joannis prædictus multa falſa & erronea, ac hæretica ſcripſit in ſua poſtilla ſuper apocalypſim, prout jam incipit innoteſcere toti eccleſiæ fidelium, in Romana curia & alibi per diverſas mundi partes & nationes; ideo verba præmiſſa in dicto notabili credo eſſe trahenda & intelligenda ſecundum ſuum ſenſum perverſum & corruptum, quia qui ſemel malus in eodem genere malitiæ, ſemper præſumitur malus.* Et infra.

Suſpecta ſcripta rigide interpretanda.

*Dicit primo, quod ſicut primus ſtatus habuit primatum reſpectu ſui totius primi generalis ſtatus mundi, ſic ſextus habebit primatum reſpectu totius tertii duraturi uſque ad finem mundi. Ne ergo de ſuo primatu ſuperbiant, aut inſoleſcant, quaſi non poſſint ipſum perdere, aut quaſi alius nequeat ſubſtitui eis, & fieri æque dignus, inſinuatur eis prædicta tranſlatio. Secundam rationem aſſignans dicit ſic: Secunda ratio eſt quia uterque ſubſtitutus eſt alterius, nam gloria, quæ fuerat ſynagogæ parata & pontificibus ſuis, ſi in Chriſtum crediſſent, tranſlata fuit ad primitivam eccleſiam, & ad poſteros ejus; ſic & gloria parata finali eccleſiæ quinti ſtatus transferetur propter ejus adulteria ad electos ſexti ſtatus: unde & in hoc libro vocatur Babylon meretrix, circa initium ſexti ſtatus damnanda. Ex præmiſſis colligi poteſt, quod exponendo prædictum textum: tene quod habes, &c. ne alius accipiat coronam tuam; ponit de facto, quod primus ſtatus perdidit primatum, quem habuit; & ſextus ſtatus poterit perdere primatum, quem eſt habiturus, & ſicut ſynagoga perdidit gloriam ſibi paratam, quæ gloria parata fuit tranſlata ad primitivam eccleſiam.*

Refellitur fictitia Pontificatus translatio.

His conſentanea Guido epiſcopus Elnenſis (b): tum de Petri Joannis erroribus plura habent Aymericus in directorio inquiſitionis (c), qui ex ejuſdem commentariis in apocalypſim, blaſphema in eccleſiam convitia recenſet, quibus ille hypocrita proſcindit eccleſiam, dum ipſam Babyloniam meretricem, beſtiam, ſynagogam ſathanæ, carnalem eccleſiam, habitationem dæmoniorum; Pontificem vero myſticum antichriſtum impie vocat (d): at ſuæ ſectæ homines Chriſti militiam, eccleſiam ſpiritualem, & ſanctos patres appellat. His mendaciorum lenociniis & blaſphemis in eccleſiam vocibus jam ante uſi erant Uvaldenſes, (e) ac pſeudoapoſtoli, qui ſtupris adulteriiſque contaminatiſſimi eccleſiam meretrcem vocitarant; quod impium mendacium Alvarus Pelagius (f) epiſcopus Silvenſis his verbis confutat: *Attendendum eſt iſto toto tempore Matth.* XVI. *Mar.* VIII. *Luc.* XII. *a fermento quorundam pſeudoprophetarum, quod eſt hæreſis, dicentium eccleſiam meretricem, ſcilicet vere de meretrice impia conſcientia, & malignante pſal.* XXV. *odivi eccleſiam malignantium; tales adulterii & ſpurcitiei filii ſunt exorti. Eccleſia enim catholica in ſe & in ſuis ſanctis non meretrix, ſed ſancta eſt, non habens maculam hæreſis Epheſ.* V. *nec rugam ſchiſmatis.* Et infra: *Ait Jeremias* XXXI. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miſerans tui. Hoc matrimonium initiatum fuit in paradiſo, quando de latere dormientis Adæ formata eſt Eva gen.* II. XXXV. *q.* I. *Cum igitur in princi. extra de divort. Gaudemus. extra in Clemen. de ſum. Trin. Sacroſanctæ. ratificatum in cruce, ubi de latere Chriſti dormientis proceſſerunt duo ſacramenta, ſcilicet ſanguis & aqua, quibus formatur & dotatur eccleſia, ut præ-*

*aleg.*

(b) *Guid. Carmel. ſumm. de hær. c. de hær. Petri Jo.*

(c) *Aymer. direct. inquiſit. p. 2. q. 26.*

Blaſphemæ voces in eccleſiam.

(d) *Ead. p. q. 9.*

(e) *Guid. epiſc. Elnenſum de hær. Valdem. Turrecrem ſum. de eccl. p. 2. l. 4. c.*

(f) *Alv. Pel. de planct. eccleſ. l. 1. c. 66.*

Confutatur e ſacris oraculis.

*aleg. cap. Sacroſanctæ, & extr. de celebr. miſſ. In quadam : aqua enim mundatur, ut ſit ſine macula, cant.* IV. *ibi. Et macula non eſt in te; Chriſtus loquitur eccleſiæ. Sanguine ornatur, ut ſit purpurata ſicut Regina. pſal.* XLIIII. *Adſtitit Regina, id eſt eccleſia. Conſummatum erit poſt judicium, quando introducetur ſponſa in thalamum ſponſi, ut bonis ejus plenarie perfruatur, & nunquam ab ejus amplexibus avellatur, apoc.* XIX. *ibi : Quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit ſe.* Et infra : *De iſto etiam matrimonio inter Chriſtum & eccleſiam dicitur Oſeæ* II. *ibi : Deſponſabo te mihi in fide : ſponſabo te mihi in judicio, & juſtitia, & miſericordia & miſerationibus. Sponſabo te in ſempiternum. Ter dicit, Sponſabo, ut oſtendat hoc matrimonium initiatum, ratum, & conſummatum : initiatur enim in fide, per quam quælibet anima de eccleſia Dei ſponſa Dei efficitur, & annulo fidei ſubarrhatur.* Et infra : *Conſummatur autem hoc matrimonium in æternitate : & hoc eſt quod ait : In ſempiternum. Sed non dicit in quo ſtat conſummatio, innuens quod ineffabilis erit delectatio matrimonii conſummati; unde Auguſtinus : Quod Deus præparavit diligentibus ſe, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non comprehenditur, deſideria & vota tranſgreditur acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.* Hactenus Alvarus.

XXVI. Pſeudoprophetiæ Petri Joannis.

(a) *Eymer. ſup. q.* 9.

Edoctus præterea a patre mendacii Petrus Joannis, pſeudoprophetam agens; vaticinatus erat (*a*), Pontificem & eccleſiam everſum iri. Tum effutierat inter cætera fore, ut evangelium obſoleſceret inter Latinos, atque inter Græcos, Saracenos, & Tartaros efflore ſceret : quæ cum etiam nonnulli jactarent apoſtatæ, nam & Fraticellos metu Bonifacii VIII. in orientem ſe ſubduxiſſe vidimus (*b*), imperavit Joannes, edita conſtitutione, ne quis e religioſis ordinibus niſi a ſuis præſulibus miſſus inter infideles evangelium promulgaret.

(b) *Annal. to.* XIV. *an.* 1297. *n.* 55.

*Joannes, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

Vetiti monachi ſine ſuperiorum venia orientem petere.

*Ad noſtrum nuper relatio fide digna perduxit auditum, quod nonnulli religionis geſtantes habitum, ſed a veritate religionis omnino vacui, & modeſtia penitus alieni ad partes quandoque tranſmarinas ſe transferunt, in quibus pauci fideles reſpectu infidelium commorantur : & ut ibidem facilius decipere ſimplicium animos, ac ipſos & alios in errores præcipitare ſeu retinere valeant; ſub ovili veſte ac humilitatis habitu lupinum animum occultantes, per doctrinas ſuas reprobas & erroneas fidelium mentes, quantum in eis eſt, corrumpere ſatagunt : in ipſis partibus periculoſa nimium ſpargere non omittunt, nec non & os ſuum ponentes in cœlum, lingua eorum tranſeunte falſidica ſuper terram, ſanctæ Romanæ eccleſiæ detrahere conſtitutionibus, & alia multa a fide devia in ſuis ſermonibus & ſecretis collocutionibus, evomere inſanis auſibus non verentur : ex quibus Deus offenditur, periculoſa ſuſcitantur ſcandala, paratur ſimplicibus laqueus, ipſique talium præſumptores de hæreſi vehementer arguunt ſe ſuſpectos.*

Fraticell. orientem ſuis hæreſibus inficiunt.

*Nos itaque, tantis obviare periculis paternæ diligentiæ ſtudiis cupientes, univerſis & ſingulis religioſis cujuſcumque religionis, ordinis, ſtatus, vel conditionis exiſtant, de fratrum noſtrorum conſilio diſtrictius auctoritate præſentium inhibemus, ne ipſorum aliquis abſque ſuperioris ſui ordinis licentia, ſibi per ipſius literas patentes conceſſa, de cætero ad partes ſe transferat antedictas; ſuperioribus ipſis nihilominus iniungentes, ne quibuſvis ſui ordinis fratribus, niſi dumtaxat viris literatis, providis, & expertis hujuſmodi licentiam impertiri præſumant, &c.* Intentatum anathema, cujus nexu niſi in extremo mortis diſcrimine ſolvi poſſent, iis qui contra hæc tenderent : dataque præſulibus imperia, ut ejuſmodi monachos niſi ſuperiorum ſyngrapha instructi eſſent, divina celebrare aut conciones ſacras habere, permitterent, ſed veluti apoſtatas inſectarentur; ac ſi qui e ſacro ſuggeſtu aliqua adverſus religionem effutirent, ipſos ſine judiciario ſtrepitu in carcerem coniicerent, ſoluta quavis prærogativa, qua pontificiis diplomatibus munitos ſe contenderent. Quæ ſanctio VI. *id. maii pontificatus anno* IX. edita eſt.

XXVII. Blaſphemant tranſlatum in ipſos a Rom. eccleſia pontificatum.

Refregit pontificium hoc decretum pſeudomonachorum audacia : plures enim ex Fraticellorum fæce, qui Romanam eccleſiam collapſam penitus, ac religionis & ſanctitatis expertem ob ampliſſimas opes, quibus ſuæ dignitatis ſplendorem tuebatur, impiaque dogmata effutiebant, penetrarunt in orientem, ac fideles nonnullos hæreſi antea damnata infecere, non Clementem V. non Joannem XXII. non Benedictum XII. non quoſcumque alios etiam Pontifices veros paſtores fuiſſe, ſed fucatam tantum & umbratilem auctoritatem geſſiſſe; veram autem firmamque auctoritatem a divino Numine in ipſos, paucos numero & ſpecie mendiculos, ſed cœleſtibus theſauris affluentes transfuſam. Ad quorum reprimendam improbitatem, orientales fideles a Clemente VI. (*c*) monitos, ut ab iis hypocritis ſceleſtiſſimis caverent, inferius (*d*) viſuri ſumus. Cæterum edidit Joannes adverſus naſcentes errores plures ſanctiones (*e*), quas in academia Pariſienſi juſſit divulgari : datiſque ad Robertum Regem Siciliæ literis,

(c) *Clem. VI. l.* 3. *ep. ſecr.* 52. *Ext. etiam in MS. arch Vatic. de reb. tranſmar. pag.* 57.
(d) *Ann. Chr.* 1344.
(e) *To.* 5. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 201.





(a) *To.* 5. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 58. *& lib. var. bull. ſign. lit. A pag.* 118.

ipſum edocuit (*a*) eccleſiam nil contra Minoritas, ſtatuere, ſed in impios tantum illos, qui ſe ſpirituales jactabant, atque eccleſiam Romanam evertere nitebantur.

Impia inter Minoritas ſpiritualium ſecta. Excindi juſſa.

*Roberto Regi Siciliæ.*

*Conſtitutionem, fili chariſſime, non contra fratrum Minorum ordinem, ſed contra nonnullos illis fratribus, qui ſe ſpirituales nominant, adhærentes eorumque doctrinam ſequentes peſtiferam, ſanctam Romanam eccleſiam, ejuſque ſtatuta falſis inſaniis ſatagunt impugnare, nos excellentia regia noverit de fratrum noſtrorum conſilio edidiſſe : cujus tenorem regiæ providentiæ, ut eidem innoteſcant de illa plenius, in cedula mittimus præſentibus intercluſam. Dat.* II. *non. feb. anno* IX. Rogavit aliis literis (*b*) eundem Regem, ut Beguinos, qui ex Sicilia in ducatum Calabriæ ad diſſeminandos errores ſuos fugerant, coerceret, ne ea lue populos inquinarent, ac præſulibus puniendos traderet. Ex his conſtat iniquas eſſe eorum querelas, qui Joannem in invidiam nimiæ in Minoritas acerbitatis adducunt : perpendere enim debuerunt ipſum amantiſſime complexum Minoritas, tantummodo autem Franciſcani ordinis hoſtes, ſacris ejus inſigniis indutos, inſectatum.

(b) *Ib. pag.* 59.

XXVIII. Boſnia contaminata hæreticis.

Pullulantem etiam tum in Boſſina hæreſim excindere ſategit, ac Stephanum (*c*) & Elizabetham (*d*) Boſſinenſes principes excitavit, ut in ea labe delenda zelum explicarent. Tum Regem Ungariæ Carolum graviſſimis literis monuit, (*e*) ut regia auctoritate Fabianum Minoritam fidei cenſorem fulciret.

(c) *An.* 9. *p.* 1. *ep. cur.* 5.
(d) *Ib. ep.* 7.
(e) *Ib. ep.* 6.

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Ungariæ illuſtri.*

Expurgandæ illi dat operam Pontifex.

*Frequenter, fili chariſſime, fide digna relatio Apoſtolicæ ſedis pulſavit auditum, quod principe tenebrarum, humanæ ſalutis æmulo, nocendique cupido, conſuetis nequitiæ ſtimulis procurante, magna hæreticorum caterva, de multis & variis partibus congregata, ad principatum Boſnenſem, in confinio Dalmatiæ conſtitutum, ſub fiducia inibi ſeminandi obſcœnos errores tuteque nocendi confluxit. Qui antiqui hoſtis imbuti verſutia, ac veneno ſuæ falſitatis armati, catholicorum animas, ſub ſimplicitatis ſimulatæ fallacia prætenſa, ſed falſa Chriſtiani nominis profeſſione corrumpunt, dum eorum ſermo ſerpit ut cancer : humiliter irrepunt, ſed latenter occidunt; & lupi rapaces interius exiſtentes, veſtitum ovium exteriori ſimulatione demonſtrant, quia non poſſent fallere veras & ſimplices Chriſti oves, niſi ſub nomine Chriſtiano tegerent rabiem beſtialem.*

*Cum igitur prædictorum hæreticorum nefanda, ſed eliminanda ſeductio in dicto principatu, ſicut aſſeritur, jam multas animas labe reſperſerit, ſeu infecerit hæreticæ pravitatis; dictuſque principatus tuæ, ſicut accepimus, ſit ditioni ſubjectus, ac propterea deceat & expediat cum omni cautelæ ſtudio & proviſionis acceleratæ medio, de principatu prædicto peſtem hujuſmodi radicitus extirpare, ne paſſim vagari permiſſa intactas adhuc Chriſti oves morbo ejuſdem pravitatis inficiat, & in vicinis provinciis periculoſius dilatetur; ſerenitatem regiam rogamus & hortamur in eodem domino Jeſu Chriſto, tibi nihilominus per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ob reverentiam Apoſtolicæ ſedis & noſtram, ac pro ſalute animarum, ad eliminandum & extirpandum dictos hæreticos de principatu prædicto opem præpares & impendas congruentem, regio culmini, & ejuſdem provinciæ ſtatui opportunam, &c. Dat. Avinione nonis Junii anno* IX.

Carolus Rex ad fidem tuendam incitatus.

XXIX. Pugnat adverſus infideles.

Agitabat tum Carolus ingentia fidei propagandæ inter finitimos barbaros conſilia, quæ cum expoſuiſſet Pontifici, flagitavit ut e regnis, in quibus florebat Chriſtiana religio, auxilia ſibi pro fide augenda dimicaturo ſubmitteret. Cujus piis votis Joannes annuere non potuit, reſponditque, (*f*) moris non eſſe ut Romanus Pontifex ulla auxilia cuiquam principi extra regni ſui limites petenda attribueret : *Sane*, inquit, *fili chariſſime, cum per eaſdem literas inter cætera nobis duxeris ſupplicandum, ut ad refrænandam nationum infidelium tuo regno vicinarum, contra quas te pugnare frequenter oportet, ſuperbiam & malitiam conterendam, certum tibi ſubſidium in certis aliis regnis propinquis concedere dignaremur; regalem providentiam volumus non latere, quod licet te, dictumque regnum tuum prærogativa favoris præcipui proſequamur, libenter ad ea, quæ tuum & ipſius regni commodum & honorem reſpiciunt, paternis affectibus intendentes; quia tamen nulli Regi ſubſidium extra regnum ſuum concedere conſuevimus, tuæ petitioni hujuſmodi annuere cum noſtra decentia non valemus : quare nos habeat regia magnificentia ſuper hoc, quæſumus, excuſatos, &c. Dat. Avin. id. ſeptembris an.* X. Gratulatur quoque iiſdem literis filium regni heredem futurum ab ipſo ſuſceptum. Cæterum Pontifex, quem extra Ungariam Carolo negaſſe auxilia vidimus, ut Ungaros ad ſequenda illius ſigna concitaret, omnibus qui in acie adverſus infideles & Saracenos pugnando fortiter caderent, vel occumberent ex vulneribus, præmia indulgentiarum contulit.

(f) *To.* 5. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 258.

Poſcit ex alienis regnis ſubſidia.

Pontificium reſponſum.

Ungaris eum ſecuturis conceſſæ indulgentiæ.

XXX.

Ardebat (*g*) ſimili pio deſiderio proferendæ inter barbaros religionis Chriſtianæ Joannes Boemiæ Rex, atque ora-

(g) *An.* 9. *p.* 1. *ep. com.* 212.

Rex Boemiæ proficiſci in Syriam meditatur.

torum opera ſuſcipiendæ a ſe Aſiaticæ expeditionis conſilia ſignificavit Pontifici: qui magnis ea laudibus extulit, illumque hiſce literis ad conſtantiam in concepta voluntate incitavit (a).

(a) To. 5. p. 1. ep. ſecr. p. 46.

Pontifici pium animum ſignificat.

*Joannes, &c. Joanni Regi Boemiæ.*

*Cum nuncii te, fili chariſſime, ad tranſfretandum zelo fidei catholicæ in ſubſidium terræ ſanctæ, & ad certos honores noſtros & ejuſdem eccleſiæ toto cordis affectu ſub eadem credentia coram nobis aſſeruerint aſpirare, perſonam & bona tua propterea te paratum exponere nihilominus offerentes; nos oblationem hujuſmodi, quam Deo gratam, tibique honorabilem, & nobis placitam admodum & acceptam indubitanter ſupponimus, tuumque in hac parte laudandum propoſitum gratiarum actionibus uberibus proſequimur, & digna laude in Domino commendamus. Et licet ſupplicatis pro parte tua per ipſos nuncios, qualitate ſupplicatorum ipſorum & aliis pluribus obſiſtentibus, per nos præfatis nunciis expoſitis, & tibi referendis per eos, non annuerimus uſquequaque; ea tamen de illis, quæ ſecundum Deum & honeſte potuimus, ad exauditionis gratiam admittenda favorabiliter duximus, ſicut in literis confectis ſuper hoc regiæ patebit magnitudini, & ipſi nuncii referre potuerunt viva voce.*

Ad conſtantiam in ſuſcepto conſilio ſolicitatur.

*Rogamus igitur excellentiam regiam & obſecramus in domino Jeſu Chriſto, quatenus in eodem propoſito, exhibitione fructuoſi operis, cum opportunum fuerit, proſequendo conſtanter & indefeſſe perſeverare ſtudeat regia celſitudo: tenemus enim indubie, quod perſeverantia ipſa grata divinæ majeſtatis accedet oculis, & honoribus & profectibus regiis exiſtere poterit multipliciter opportuna. Dat. Avin. kal. aprilis anno IX.*

XXXI.

Quod ad orientalium res ſpectat; refert Jo. Villanus (b) Joannem Roberti Regis Siciliæ fratrem, Peloponnenſi ſive Moreæ principem, comparata viginti quinque triremium claſſe, ad Cephaloniam applicuiſſe; cumque comitem a fratre cæſum reperiſſet, eas inſulas ſibi ſubjeciſſe, ac domitis rebellibus, Clarentiam appuliſſe feliciter, atque a civibus maximo cum honore exceptum. Addit Marinus Sanutus (c) in literis ad Ingramum Capuanum Archiepiſcopum Regiſque Siciliæ ſcrinii præfectum, irrupiſſe e Blachia in Græciam Albanenſium ingentem exercitum, ac Græcos & Catalanam ſocietatem magnis cladibus attriviſſe, ipſorumque regionem late populatos: tum eorumdem conjunctas copias propulſaſſe. Præterea Turcas piraticam exercuiſſe in Ægæo mari, atque Eubœam & Naxon inſulas, abductis in ſervitutem Chriſtianis, infeſtaſſe.

(b) Jo. Vil. l. 9. c. 282.

Joannis principis felices in Græcia progreſſus.

(c) Sanut. in append. ep. 3.

Albanenſium irruptio in Græcos & Catalanos.

Turcar. piratica excurſio.

Andronicus junior corona redimitus.

Redimitum Conſtantinopoli, ineunte februario Andronicum juniorem imperiali diademate, refert Nicephorus Gregoras: (d) ſervatoſque in ea celebritate ritus Joannes Cantachuzenus (e) exactius deſcribit. Qua perfecta pompa, cum e S. Sophiæ baſilica rediret Andronicus, ſenior equo in lutum eſt provolutus, qui caſus a pleriſque in triſte labentis imperii omen verſus eſt (f).

(d) Greg. l. 8.

(e) Cantac. l. 1. c. 41.

(f) Greg. eod. l. 8.





I.

Jo. Card. S. Theodori legatus in Italiam miſſus.

CUm diſcordia in Inſubria atque Etruria anno Chriſti milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſexto indictione nona in dies ingraveſceret, ac populos inter ſe magno furore committeret; nec Bertrandus Cardinalis legatus in eas provincias miſſus ob negotiorum molem, quibus obruebatur, ſolicitudinem ſuam ad omnia, quæ occurrebant, interponere poſſet; Pontifex oneris impoſiti partem in Joannem S. Theodori diaconum Cardinalem convertendam cenſuit (a).

(a) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 350. & an. 10. p. 1. ep. cur. 5.

*Joannes, &c. Joanni S. Theodori diacono Card. A. S. L.*

*Attendentes quod gratiarum dator Altiſſimus perſonam tuam, nobilitate generis, ſcientiæ magnitudine, providentiæ dono, diſcretionis virtute, induſtriæ munere, circumſpectionis gratia, & aliarum virtutum titulis inſignivit, humeros tuos fortitudinis robore muniendo, ut onera gravia facilius ſupportares; plenam quoque immo pleniſſimam de hujuſmodi tuis laudabilibus meritis fiduciam obtinentes, licet apud ſedem Apoſtolicam ex tui maturitate conſilii tua non modicum opportuna præſentia dignoſcatur, noſque illa careamus inviti; te ob honorem & exaltationem eccleſiæ ad reformationem & directionem neceſſarias, ac deſideratam quietem provinciæ ac partium prædictarum, nimirum Etruriæ, de fratrum prædictorum conſilio illuc tanquam pacis angelum duximus deſtinandum: diſcretioni tuæ in eadem provincia Tuſciæ, tam in imperio quam in terris Romanæ eccleſiæ conſtituta; nec non archiepiſcopatu Piſano, & Caſtelli ac Peruſina civitatibus & diœceſibus, Maſſa Trabaria, civitate Urbini, diœceſi & diſtrictu ipſius, marchiæ Anconitanæ, ducatus Spoletani provinciis; Campaniæ, Maritimæ, & Sabinæ comitatibus, patrimonio B. Petri in Tuſcia, & Urbevetana, Viterbienſi, Tiburtina, Reatina, Tudertina, Interamnenſi, Narnienſi civitatibus & diœceſibus, omnibus aliis provinciis & terris in literis legationis dicti Bertrandi Cardinalis legati expreſſis; necnon inſulis & terris Sardiniæ & Corſicæ, ſub ipſius Bertrandi legatione libere remanentis & incluſis; plenæ legationis officium committendo, ut evellas & deſtruas, diſſipides & diſperdas, ædifices & plantes, ac facias auctoritate noſtra quæcumque ad honorem Dei, proſperum ſtatum partium earumdem, ac reformationem pacis fidelium videris expedire, conceſſa tibi auctoritate ſimili contradictores & rebelles quoſlibet, præterquam noſtros & ejuſdem eccleſiæ Romanæ eccleſiæ officiales, quos nobis ſpecialiter reſervamus, per excommunicationis & interdicti, vel amotionis, aut depoſitionis ſententias, ſive alias per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, &c. Dat. Avin. XV. kal. maii an. X.*

In quibus provinciis munus illi demandatum.



Creatur pacificator in Etruria.

Privilegiis ornatur.

Eundem creavit paciferum, ſive publicæ pacis ſervatorem in Etruria, quod munus ampliſſimum erat, ad factioſos ad concordiam adducendos reprimendoſque. Ornavit (b) etiam pluribus privilegiis pro concilianda illi populorum veneratione, & officio egregie obeundo: atque inter cætera, ut cum Florentiam accederet, templorum & ſacrorum uſum civibus reſtitueret (c). Tum vero univerſos Etruriæ & aliarum provinciarum, quæ legato obnoxiæ erant, præſules, viros nobiles magiſtratus urbium, ac populos eidem Cardinali S. Theodori, ut legato ſedis Apoſtolicæ paciſque ſervatori parere juſſit: (d) cum autem ille ſe Piſas contuliſſet, fuit a Piſanis honorifice exceptus habituſque, quo nomine gratias ipſis egit Pontifex (e).

(b) Ib. ab ep. cur. 7. ad 42.

(c) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 350.

(d) Ib pag. 251. & an. 10. p. 1. ep. cur. 5. 6. & to. 6. p. 1. ep. ſecr. pag. 59.

Piſis excipitur.

(e) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 361.

II.

Caſtrucius ab eo poſcit in gratiam admitti.

Dum vero Piſis agebat legatus, Caſtrucius Anterminellus Lucanorum tyrannus, ut refert Joannes Villanus, (f) miſſis ad eum literis pacem oravit: quo accepto nuntio Pontifex reſpondit legato, (g) Lucanos ſe in gratiam amantiſſime admiſſurum, ſi ad eccleſiæ partes ſe traducerent; ſed vereri ſe, ne animus ab eorum dictis longe abhorreret.

(f) Jo. Vill. l. 9. c. 349.

(g) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 355.

*Legato Tuſciæ.*

*Lætanter audivimus, fili, te cum tua comitiva Piſis perveniſſe proſpere, clerumque ac populum civitatis ejuſdem te amicabiliter ac honorificentia placida recepiſſe. Placent nobis quæ illorum infidelium* (Lucenſes notat hoc verbo) *nunciis reſpondiſti: & ſi Dominus in eorum cordibus ſpiraret, quod a devio ſuos vellent pedes retrahere, dummodo realis eſſet retractio, non verbalis, eſſet nobis gratum admodum & acceptum, ac in his & aliis proinde plus ad facta, quam ad verba tuum intuitum dirigendo, dilecto filio magnifico viro Carolo duci Calabriæ ſcribimus, ut amicabiliter, & benigne Piſanos pertractare ſtudeat, ac ut ipſos ſuæ devotioni attrahat, ſtudioſam curet diligentiam adhibere, ad quod eum tua providentia inducere non omittat. Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tecum, quæ te in agendis dirigat & protegat ab adverſis. In confectione præſentium nos & fratres noſtri, Dei miſericordia, valebamus. Dat. Avin. VI. idus julii anno X.*

Aſſentitur Pont. modo ficte non agat.

Athenarum dux Florentiam a Duce Calabriæ miſſus.

III.

Florentiæ Robertus imperii vicarius promulgatur.

Non aberravit a vero Pontificis conjectura: Caſtrucius enim, ut ſe in tutum ſubduceret redimeretque tempus, dum novas vires ad excipiendos hoſtiles impetus comparabat, pacis tractatum do-

(a) Jo. Vil. l. 9. c. 349. (b) Eod. lib. c. 347. Senenſium imperium datum Carolo duci. (c) Jo. Vill. l. 9. c. 352. (d) Ant. tit. 21. c. 6. §. 5. (e) Jo. Vill. l. 10. c. 1. (f) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 265.

lo injecerat, ut refert Joannes Villanus: (a) traditque (b) Gualterum ducem Athenarum Carolo duci præiviſſe, ac Florentiæ pontificium diploma, quo Robertus imperii in Italia adminiſtrator, dum teneret interregnum, pronuntiabatur, promulgari juſſiſſe: menſe vero julio Carolum Senas acceſſiſſe, atque ob diſcordias Tolemæorum & Salimbenenſium, inter quos inducias imperavit, (c) præfecturam Senarum ad quinquennium obtinuiſſe; (d) deinde inclinante eodem menſe una cum uxore, magna procerum multitudine ac flore nobilitatis magniſque copiis ſuccinctum Florentiam ingreſſum. (e) Stipavit ipſum in ea expeditione Joannes Achajæ princeps patruus, quem Pontifex literis, ut nepoti opera & conſilio adeſſet, eſt adhortatus (f).

Caſtrucius ſimulatæ pacis petitione ſe tuetur. (g) To. 6. p. 2. ep. ſecr. pag. 55. (h) Jo. Vill. l. 10. c. 1.

Eluſiſſe (g) Caſtrucium arte & dolo horum principum vires formidabiles, dum tractatum pacis ſimulatæ cum legato, cui Pontifex ut omni ſtudio ad Gibellinos ad eccleſiæ partes revocandos incumberet, commendabat, (h) extraxit. Ita enim conſumptum tempus, bellumque mora conſenuit, quod impetu gerendum fuiſſet: ſi enim Lucam verſus caſtra moviſſent, cum menſe auguſto Caſtrucius gravi implicitus valetudine teneretur, levi momento res eſſet confecta. Cum vero convaluiſſet, ac menſe octobri duæ arces, quibus Cavignanum & Mammianum nomina, ab ipſo defeciſſent, adeo ſtrenui ducis partes obivit, (i) ut occupatis itinerum anguſtiis, Caroli ducis copias ne eo tenderent repulerit, omneſque conatus fregerit.

(i) Jo. Vill. l. 10. c. 6.

IV. Caroli impetus fortiter ſuſtinet. (k) To. 6. p. 2. ep. ſecr. pag. 59. Guido epiſc. Aretinus ei ſe conjungit. (l) Jo. var. bull. pag. 13. Jo. Vill. l. 9. c. 342. (m) Ann. 1324. n. 21. (n) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 348. (o) ibid. Pontificis in eum ſententia.

Nec parum Caſtrucium juvere exortæ inter Carolum & Florentinos diſcordiæ, quas a legato demum ſopitas ipſi Pontifex gratulatus eſt (k). Cui etiam provinciam injunxit, ut apoſtolicam ſententiam in Guidonem epiſcopum Aretinum, quem dignitate exauctoratum (l) diximus (m), Gibellinarum partium ducem acerrimum latam divulgaret (n). Corripuerat is malis artibus Aretinorum præfecturam, & graves clientibus eccleſiæ clades intulerat; interque alia ſcelera Caſtrucio arctiſſimo fœdere ſe conjunxiſſe, queritur Pontifex (o).

*Joannes, &c. dilecto filio Joanni S. Theodori Cardinali A. S. L.*

*Idem epiſcopus, mala malis accumulans, ſibique iram in die ultionis & juſti judicii Dei theſaurizare damnabiliter non formidans, damnato Caſtrucio de Anterminellis, Dei & eccleſiæ manifeſto rebelli & hoſti, excommunicato, ac de hæreticorum fautoria ſententialiter & publice condemnato, excommunicationis & alias graves pœnas & ſententias contra quoſcumque participantes, fautores, adjutores, valitores, conſiliatores, receptatores, defenſores, & adjutores dicti Caſtrucii; cujuſcunque ſtatus, dignitatis, ordinis, vel conditionis exiſtant, etiam ſi pontificali, vel quacunque alia præfulgeant dignitate; per literas & proceſſus noſtros ſuper hoc habitos, & in eis partibus ſic ſolemniter publicatos, quod non eſt dubium illos ad ipſius Guidonis notitiam perveniſſe, impoſitas & inflictas incurrere nequaquam metuens; ſed in mortis & damnationis præcipitium potius ſe immergens, adhæſit, favit, adhæret, & favet, ſibique præſtat & præſtitit contra eandem Romanam eccleſiam & fideles ipſius publice ac notorie, auxilia multiplicia, conſilia, & favores.*

Ut ſenſerit cum perduellibus eccleſiæ.

*Poſtmodum vero cum ad dilectorum filiorum Joannis de Ancona & Servidei de Penna de ordine fratrum Minorum, inquiſitorum hæreticæ pravitatis in provincia noſtra marchiæ Anconitanæ deputatorum, auctoritate apoſtolica notitiam clamoribus plurimum validis, referenteque fama ſeu potius infamia publica perveniſſet, quod dictus Guido quondam Friderico de Monteferetro, ac Jacobo & Berardo Perſevalli, Ajoleto Cruciani, Burgareſco ejus nepoti, Zanolo, Cerolo, ac Leoni de Racaneto, de hæreſi & idololatria, necnon Lipacio & Andreæ quondam Gonzoli de Auximo de hæreſi ſententialiter & publice condemnatis adhæſerat, ac eiſdem poſt condemnationem hujuſmodi præſtiterat multipliciter auxilia, conſilia, & favores, &c.* Recenſet atrocia alia ejuſdem ſcelera, utque ob epiſcopatus adminiſtrationem pontificio juſſu non dimiſſam anathema incurrerit, veteraque flagitia recentibus cumularit: ob quæ omnes præſules, & urbium magiſtratus, intentata cenſurarum religione, Guidonis commercio abſtinere juſſit; cunctaque cum ipſo inita fœdera reſcidit. *Datum Avin.* VIII. *kal. junii anno* X. De promulgata a legato adverſus Guidonem exauctoratum ſententia meminit Joannes Villanus (p), atque a Pontifice Ubertinum e nobili Aretinorum familia ſatum creatum (q) epiſcopum Aretinum; poſſeſſionem tamen eccleſiæ, quamvis res tentata fuerit (eo argumento ad Franciſcum Florentinum epiſcopum, ut vi & armis electum Aretinum in eccleſiam induceret, extant literæ ſecundo poſt anno ineunte datæ r) inire non potuiſſe. Vocatus quoque eſt in ſuſpicionem Simon Piſanus archiepiſcopus, ſentire cum hoſtibus, ac præcipue Caſtrucio: ſed in eam opinionem ſe adduci non potuiſſe, ſignificavit illi Pontifex (s), utque in priſtina fide & conſtantia perſtaret, hortatus eſt. Tulit vero graviter Bononienſium defectionem, quam in literis ad Bertrandum tit. S. Marcelli presbyterum Cardinalem datis (t) ob adverſos caſus,

Anathema incurrit.

(p) Jo. Vill. l. 10. c. 3. Ubertinus in epiſcopatu Aretino ſubrogatus. (q) Eod. lib. c. 12. (r) To. 6. p. 2. ep. ſecr. pag. 59. (s) Ead. p. ep. 136. Bononienſes ab eo deficiunt. (t) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 335.

qui-



quibus occulto Dei, ut ait, judicio excepti fuerant contigiſſe, illoſque hæreticis & aliis cum ipſis ſentientibus adhæſiſſe deplorat, ſeque inducias, quas pepigerant cum hoſtibus, reſcidiſſe ſignificat: quo argumento ad Bononienſes ſcriptis literis, eos ſervandarum pactarum induciarum cum Paſſarino Mantuæ tyranno religione exolvit (a) [1].

(a) Ib. p. 360.

V. Varii & triſtes belli caſus in ditione pontificia. (b) Jo. Vil. l. 9. c. 334. (c) Ib. c. 351. (d) Eod. cap.

Certatum quoque pariter eventu vario eſt in ditione eccleſiaſtica inter eos, qui partes eccleſiæ defendebant, ac perduelles, qui ſe Gibellinos profitebantur. Fabrianenſes (b), Piceni Gibellinis & Aretinis conjuncti quoddam, oppidum impetu cepere impleverequc cædibus: ii tamen poſtea a Tano Æſino & Malateſta profligati (c). In victorem vero conflata conjuratio a Lamberto (d), qui dominandi cupidus conſanguineos opiparo exceptos convivio adortus, Ariminum ſibi ſubjecit abſente Malateſta: qui mox eo advolans, perrupta urbis porta, tyrannum pepulit. Turpi quoque proditionis genere Auximani (e) Firmanos, dum luſibus & jocis indulgebant, contra fœdera invaſere, urbemque ſanguine & flammis deformarunt. His malis feſſi Firmani ſe ad obſequium eccleſiæ redituros ſpopondere (f). Fabrianenſes (g) etiam, quos a Malateſta contuſos diximus, ad officium reverſi.

(e) Ib. c. 340. (f) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 321. (g) Ead. p. pag. 315.

VI. Pontifex pacem Bavarum inter & Frid. initam damnat. (h) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 254.

Dum ea in Italia gerebantur, Pontifex initum inter imperii æmulos fœdus omni opera diſſolvere niſus eſt. Inter cætera vero objecit plura (h) in eo contra electorum principum, ac Romani Pontificis dignitatem contineri, cum illius leges religioſo Chartuſiano ſacerdote adhibito initæ occultæ tenerentur, nec Ludovicus cum iis, quæ affirmabant Friderici ſequaces, conſentiret; queſtuſque eſt de Balduino archiepiſcopo Trevirenſi, edicta in Bavarum pontificia non divulgaſſe: *Non ſufficimus*, inquit, *admirari, quod in cor alicujus prudentis, qui noſtros proceſſus contra Bavarum habitos noverit aſcendere poſſit vel potuerit, quod concordia, quæ facta eſſe inter Auſtrales & Bavarum dicitur, nobis grata ſit vel accepta; præſertim cum illa concordia ſolis tribus ex ipſis, vel ad plus quatuor nota, omnibus aliis prout fertur, occulta remanet & incerta. Ex quo probabiliter convincitur reproba & indecentia, ac juri ſanctæ Romanæ eccleſiæ & illorum, ad quos jus eligendi Regem aſſumendum in Imperatorem pertinet, obvia continere; præſertim cum Bavarus iis, quæ Auſtrales aſſerunt, non concordet: immo, ſicut fertur, in duabus congregationibus eligentium habitis pro parte ſua iis fuerit contradictum expreſſe.*

VII. Habiti in Germania conventus. (i) Jo. Vill. l. 9. c. 315.

De iis duobus principum conventibus in Germania, pro illius turbis componendis celebratis, agit Joannes Villanus, (i) ac refert, emiſſo e vinculis Friderico Auſtriaco exeunte ſuperiori anno primum habitum, atque inter partes adverſas diſcordiam exortam, cum Leopoldus negaret conſenſurum ſe, ut frater juribus imperii abſcederet. Hoc vero anno alium tractatum habitum, atque in eo agitatum, ut Ludovicus Bavarus in Italiam accederet ad inſigne imperiale accipiendum, ac Leopoldus ab eo vicarius imperii diceretur: Fridericus autem in Germania regio nomine potiretur. Verum urgentibus Pontifice ac Rege Francorum principes imperii electores adverſaros, objeciſſeque Fridericum ſua in Ludovicum ſuffragia conferre ſine nova electione non potuiſſe. Initum quidem ea de cauſa inter Pontificem ac principes electores fœdus indicare videntur Joannis Papæ literæ (k) ad Joannem Boemiæ Regem & Balduinum Trevirenſem archiepiſcopum datæ, quibus Auſtriæ ducis oratori reſponſum ſignificat, nullum fœdus cum Ludovico aut Friderico eo inconſulto a ſede Apoſtolica firmatum iri.

(k) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 256.

Dum ſuperiora agitabantur, addit Joannes Villanus (l), Leopoldum, qui cum Roberto Siciliæ & Carolo Francorum Regibus ac Florentinis fœdus percuſſerat, vigeſima ſeptima februarii die, non ſine veneni ſuſpicione extinctum [2]. Vocatur in crimen a nonnullis (m) nefariæ cum necromantis familiaritatis ſuſceptæ, ac inſano videndi dœmonis correptum deſiderio, illum deformi aſpectu magi opera intuitum, ac mox ex horrore decubuiſſe morbo, ac phreneticum obiiſſe. Quæ ſi ab invidis non jactata ad calumniam, qui magicarum artium ſint fructus, triſtes exitus oſtendunt.

(l) Jo. Vill. l. 9. c. 315. Leopoldi ducis mors. (m) Alb. Arg. in chron. & add. ad Lambert. auctor.

Por-

NOTÆ [1] QUi in exordio hujus anni januario menſe nondum elapſo, eccleſiæ partes deferere viſi ſunt Bononienſes, pace cum Mutinenſibus eccleſiæ adverſariis compoſita, paucis elapſis menſibus iterum redierunt ad obſequium. Scribit enim vetuſtus author chronici Bononienſis vulgatus Rer. Italic. to. XVIII. Bononienſes ad legatum pontificium, qui copias in Paſſerinum Mutinenſium dominum agebat, miſiſſe equites trecentos, quod & ab authore coævo chronici Eſtenſis Rer. Ital. to. XV. col. 388. memoriæ proditum eſt. MANSI

[2] OBiit hoc anno Leopoldus frater Friderici Auſtriæ ducis uti cum Annaliſta æquales omnes ſcriptores affirmant. De menſe diſſidium eſt aliquod. Nam Villanus diem 27. februarii aſſignat; ſed qui tunc in Germania agebat Joannes Vitoduranus Minorita mortuum

aſſe-

Fridericus Auſtriacus imperium a Pont. eblandiri nititur.

Porro adulto anno Fridericus Auſtriacus, cum Pontificem abalienatum a Ludovico cerneret, aſſerendi ſibi imperii ſpem concepit, atque una cum fœderatis ampliſſimam ſuo, ac Moguntini & Colonienſis archiepiſcoporum nomine apparavit legationem, cujus princeps erat futurus Albertus Auſtriacus: ſed ab his præmiſſi oratores averſum a confirmando eodem Friderico Joannem & alia meditantem conſilia comperere: moliebatur nimirum Carolum IV. Regem Francorum evehere ad imperium, deque ea re arcanos iniiſſe tractatus colligitur ex ſubjectis literis quibus Auſtriacorum conſilia ac molitiones aperuit. (*a*)

(*a*) *MS. arch. Vat. bullar. Jo. 22. ſign. lit. A. p. 121.*

*Joannes, &c. Regi Franciæ illuſtri.*

Decreta pro eo legatio.

*Regali magnificentiæ taliter reſpondemus, quod gratum eſt nobis, opportunitatibus favendo regiis, dictæ dilationi annuere, quantum videlicet ipſum negotium nos concernit: ſed dum attente circa illud attendimus, quod in tractatu dicti negotiique præfixione termini nonnulli ambaxiatores ſolemnes certarum civitatum ſolemnium de ipſorum regiorum nuntiorum beneplacito aſſuerunt, veremur quod ipſius termini prorogatio eis inconſultis vel inſciis dubios ipſos reddat & anxios; quod utique non expedit in hac parte. Præterea, ſicut ad aures ſupponimus regias perveniſſe, ambaxiata ſolemnis pro parte viri magnifici Friderici ducis Auſtriæ, dudum in Regem Romanorum electi, dirigenda nobis ordinata extitit pridem, in qua dilecti filii nobilis vir Albertus ipſius Friderici germanus pro eo, & de Bucheli, ac de Virnemberch comites pro venerabilibus fratribus noſtris Maguntino & Colonienſi archiepiſcopis fuerunt ad veniendum cum aliis nonnullis perſonis ſolemnibus ſpecialiter deputati. Qui ſiquidem Auſtrales duos poſtmodum præcurſores nuntios præmittentes, a nobis nonnulla in favorem electionis Friderici prædicti cum ferventi inſtantia poſtularunt: quibus cum annuendum minime decreverimus, tam præcurſoribus ipſis oretenus, quam Alberto prædicto per ſpeciales literas duximus taliter reſpondendum, videlicet quod ſuper negotio per eoſdem nuntios propoſito, præfatum Fridericum principaliter contingente, parati eramus prompte & expedite cum fratrum noſtrorum conſilio, ſicut & requirit negocii qualitas, juſtitiam exhibere: & adhuc gratioſe & favorabiliter quantum ſine Dei offenſa, ſuæque dictæ eccleſiæ præjudicio, ac injuria principum, ad quos electio Regis Roman. promovendi in Imperatorem pertinere noſcitur, poterit fieri, cum hoc opportune poſtulatum fuerit, nos habere. Ex quibus providentia, quæſo, colligat regia, quæ poſſent, præſertim exordio, nec non intento fini dicti negotii, ex prorogatione reſponſionis hujuſmodi, maxime Auſtralibus ipſis & ſibi adhærentibus, condictam ambaxiatam proſequentibus, obſtacula provenire. Nihilominus tamen offerimus nos paratos memoratis civitatum prædictarum ambaxiatoribus juxta regium beneplacitum ſcribere prorogationem termini antefati, rogareque illos etiam, quod exinde diſplicentiæ materiam eorum devotio non aſſumat. Dat. Avin. IX. kal. ſeptembris anno X.*

Pertentata prius Joannis mens.

Datum a Pont. anceps reſponſum.

Ad Francorum Regis gratiam extractum interregnum cæſareum.

Gallus & Auſtriacus votis deluſi.

Non Gallus, non Auſtriacus potiri imperio potuere, ſed Ludovicus Bavarus vi & armis illud tenuit; exindeque a principe Pontifici adverſante maximam procellam, quæ eccleſiam concuſſit graviſſime, excitatam viſuri ſumus.

Interea Germania, cui pacem ex æmulorum Cæſarum conjunctione reſtitutam plerique ſperabant, fluctuabat urgente ſua in Ludovicum edicta Pontifice, qui Trevirenſem archiepiſcopum ob prætermiſſam eorum promulgationem corripuit his verbis (*b*): *Miramur inſuper, nec ſufficimus admirari, cum nobile membrum eſſe noſcaris eccleſiæ ſanctæ Dei, cur a capite & commembris tuis aliis, publicando proceſſus contra dictum Bavarum habitos, te renuis conformare. Quocirca fraternitatem tuam requirimus & hortamur, ut attendens attentius, quantum*

(*b*) *To. 5. p. 2 ep. ſecr. pag. 254.*

NOTÆ aſſerit iſto quidem anno, ſed *circa finem martii* Argentinæ. Æquior eſt autem famæ ejuſdem Leopoldi Vitoduranus præ Alberto Argentinenſi, quem pariter ætate præceſſiſſe credo, cum Argentinenſis chronicon ſuum claudat cum anno 1378. Vitoduranus vero annum 1348. non ſuperat. Hæc ergo de Leopoldo ex aliorum relatione ſe audiviſſe tradit Vitoduranus: *De duce Leopoldo refertur, quod vitam ſuam quaſi tyrannicam bono fine terminavit. Nam cum Argentinæ poſt aliquot dies decumberet, forte egit pœnitentiam. Inſuper a Papa Joanne ſibi valde favorabili eo quod ſe Ludovico ſemper oppoſuit, per confeſſorem ſuum Fratrem Minorem, cognomento appellatum de Bibrach, abſolutionem omnium peccatorum ſuorum atque pœnæ debitæ pro peccatis meruit adipiſci.* Quin nec tyrannicam vitam egiſſe, quamquam id affirmat Vitoduranus, admittit continuator chronici Martini Poloni vulgatus ab Eccardo inter Hiſtoricos medii Ævi to. II. ſcribit enim ad hunc annum: *Moritur dux Leopoldus vir non eximii corporis; ſed valde agilis, magni cordis & intrepidus, cujus etiam morte propter probitatem ipſius Papa Joannes dicitur multum doluiſſe.* Continuator iſte hiſtoriam ſuam ad annum uſque 1344. perducit. Ex his fama nominis Leopoldi adverſus obtrectationes Alberti Argentinenſis, quas Annaliſta hic adoptat, in tuto ponitur. Habes etiam omnium, ut arbitror, antiquiſſimum exemplum indulgentiæ Pontificiæ, quam vocant *in articulo mortis*. MANSI



Treverenſis arch. edicta in Bavarum promulgare juſſus.

*Deum offendis & matrem tuam, quæ te præfecit eccleſiæ Treverenſi, quantumque honori tuo detrahis, quantiſque per hæc periculis te exponis, præceptis ſedis Apoſtolicæ toties iteratis obedire non protrahas; ſed ea prompte ſtudeas adimplere, &c. Dat. Avinione VII. idus martii Pontificatus noſtri anno X.* Terrere poterant Trevirenſem objecta pericula, ſi pontificia in Ludovicum Bavarum edicta vulgaret: Bochartus enim archiepiſcopus Magdeburgenſis, a Ludovici ſequacibus appetitus inſidiis, pro defendenda eccleſiaſtica dignitate occubuerat. Obſecutus ille Romano Pontifici cenſuris Magdeburgenſem provinciam ob ſuſceptas Bavari partes defixerat: cumque illa ea religione ſolvi depoſceret, ac Pontifici obſecuturam ſponderet, data (*a*) fuere hæc Bochardo anno ſuperiori imperia.

(*a*) *An. 9. p. 2. ep. com. 1343.*

*Joannes, &c. venerabili Bochardo archiepiſcopo Magdeburgenſi.*

De Bochardo archiep. Magdeburgenſi.

*Dudum ex manifeſtis rationabilibus & urgentibus cauſis contra Ludovicum de Bavaria, tunc in diſcordia in Regem Romanorum electum, pro eo quod diſcordi electione hujuſmodi per Romanam eccleſiam, ad cujus examen perſonæ electæ in Regem Romanorum in Imperatorem aſſumendæ approbatio & electionis admiſſio pertinet, non admiſſa, nec ejus approbata perſona, nomen Regis Romanorum indebite uſurparat, ac regni Romanorum & imperii adminiſtrationi ſe, in ejuſdem eccleſiæ manifeſtam injuriam, plurimorum ſcandalum, ac ſuæ aliorumque multorum animarum periculum ingerebat, diverſos proceſſus fecimus, varias pœnas & ſententias continentes.* Nonnullis interjectis, quibus cenſuras Ludovico adhærentibus inflictas recenſet, ſubjungit: *Tuque dictos proceſſus & contenta in eiſdem literis publicare ſolemniter curaviſti, prout tua nobis inſinuatio patefecit. Et quia nonnullas perſonas & loca tuæ dictioni ſubjecta reputaſti contra proceſſus & ſententias eoſdem dicto Ludovico adhæſiſſe ac etiam adhærere, tu prout ex forma literarum hujuſmodi tibi directarum poteras, publice nunciari mandaſti & feciſti perſonas ipſas tunc nominatim expreſſas excommunicationis ac loca hujuſmodi & ſpecialiter civitatem Magdeburgenſem, Hallenſem, Calvenſem, de Barboys, & de Roſeborg, cæteraque alia oppida & caſtra tuæ diæceſis interdicti ſententiis ſubjacere. Verum quia, ſicut ex inſinuatione prædicta percepimus, hujuſmodi perſonæ ſingulares, quas excommunicatas, nec non dictæ civitatis ac prænominatorum & aliorum oppidorum & caſtrorum (quæ interdicta mandaſti & feciſti, ut præmittitur nunciari) univerſitates coram te poſt hujuſmodi ſpatium proponere curaverunt, ſe prædictas ſententias minime incurriſſe, pro eo quod ipſi contra proceſſus & ſententias præfatos eidem Ludovico minime adhæſerant, nec etiam adhærebant, offerentes ſe ſuper hoc purgare, ſeu ipſorum innocentiam oſtendere juxta morem illius patriæ per propria juramenta; nobis humiliter ſupplicaſti, ut illorum ſtatui & ſaluti providere clementer & miſericorditer dignaremur.*

Sententes cum Bavaro percutit anathemate.

Incumbit ad Magdeburgenſes ad officium revocandos.

*Nos igitur cunctorum Chriſticolarum tranquillitatem & ſalutem plenis deſideriis affectantes, & volentes ut eos, qui conſiſtunt in fide ac devotione ipſius Romanæ tuæque eccleſiarum, confirmes & corrobores in eiſdem, & alios qui forſan deviarunt ab illis ad gratiam reconciliationis admittas, ipſoſque ſic admiſſos verbo informes & ſtabilias ſalutari; tuis ſupplicationibus inclinati fraternitati tuæ, de qua ſinceram & firmam in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus circa illas ex eiſdem perſonis ſingularibus, quas excommunicatas; & eas ex univerſitatibus, civitatis, ac prænominatorum & aliorum oppidorum & caſtrorum eorundem, quas & quæ interdictas ſeu interdicta mandaſti & feciſti, ut prædicitur, nunciari; quæve ſe ſine culpa fuiſſe aſſerunt in præmiſſis, ſeque coram te purgaverint, ſeu innocentiam ſuam oſtenderint juxta morem illius patriæ per proprium juramentum, facias quod juſtitia ſuadebit; alios vero, qui adhærendo dicto Ludovico, vel præſtando eidem auxilium, conſilium, vel favorem contra proceſſus prædictos excommunicationis vel interdicti ſententias incurrerunt, ab hujuſmodi excommunicatione juxta eccleſiæ formam, ſi tibi videbitur, poſſis abſolvere; ac interdictum hujuſmodi, quod univerſitates civitatis oppidorum & caſtrorum prædictorum ob cauſam ſimilem incurrerunt, auctoritate prædicta valeas relaxare, injungendo eiſdem ſuper iis quæ de jure fuerint injungenda. Volumus tamen quod ipſi vel illi eorum, qui eidem Ludovico contra proceſſus prædictos in poſterum adhærebunt, ſi perſonæ ſingulares, in excommunicationis, ſi vero univerſitates extiterint, in interdicti eo ipſo prædictas ſententias relabantur. Dat. Avinione X. kal. februarii anno IX.*

VIII. Inſidiis capitur.

Dum impoſitum munus obibat Bochardus ſtrenue, ac Magdeburgenſes & alios pontificiis imperiis parere ac Ludovici exauctorati partes deſerere juberet, captus ab hoſtibus tetro carcere incluſus eſt, in quo a larvatis carnificibus clava armatis, parricidales choræas agentibus, necatus eſt. Quam triſtem cædem deſcribit Crantzius (*b*): *Sub noctem*, inquit, *rapitur in carcerem tenebroſum, ſqualidum, profundum; oneratur catenis, maceratur inedia, mille excruciatur modis, vir Deo dignus, quem improbi diu habere*

(*b*) *Crantz. Vvand. l. 8. c. 12. & 13.*

*ve pontificem non mererentur. A die nati Joannis ad feſtum uſque Matthæi ſedebat in tenebris, lucerna lucens. Jam conſilium parricidæ firmaverunt. Eliguntur viri quatuordecim; de Magdeburgo octo, de Hallis quatuor, de Calvis duo, veſte per omnia ſimili, & larvis induuntur, ut etiam inter ſeſe noſſe non poſſent, quis eſſet quiſque. Clavas manibus præferentes irruunt in carcerem, clamoribus teſtati nequitiæ ebrietatem. Vinctum pontificem ludibundi choriꝫantium in morem circuierunt, & ut in tenebris poterant, clavis ſæpe innoxiis jacentem tetigerunt. Jam vertigine in errorem acta, ut internoſci quis cæderet non poſſet, unus ex his clava ferit caput pontificis; nec opus fuit ictum iterare. Vertiginem tamen continuarunt, donec mortuum eſſe non dubitarent. Egreſſi ponunt larvas, nec inter eos quis necem peregiſſet, ſciebatur: niſi quod omnes æque noxii & eſſe & haberi voluerunt, qui uno conſilio graviſſimum parricidium & atrociſſimum facinus peregerunt: nec refert cujus manu interierit, quando omnium conatu conſummatum eſt ſcelus. Linquitur ſanctum in carcere cadaver anno pene toto. Ignorabat capitulum vacare eccleſiam. Jam pene in oblivionem venerat pontifex, cum cives, velut ignari rerum, inſpectare vadunt quid agat carceratus. Reperiunt jam fœtore gravem, vermibus ſcatere, diuturnitate pene conſumptam carnem: enunciant defunctum in carcere. Non potuit internoſci pontificis niſi in capite ſignum. Extrahitur, in medio templo tumulatur, lacrymantibus per circuitum bonis omnibus, quod vir juſtus & pontifex inter ſuos tam miſerabiliter laceratus periiſſet.* Hæc ille.

Immane mortis illi illatæ genus.

Audito cædis nuntio Joannes Papa, ſicariis intendit judicium, ac Miſnenſi, Nuemburgenſi, & Hildeſemenſi epiſcopis partes dedit, ut Magdeburgenſem provinciam ſacrorum uſu interdicerent, auctoreſque ſceleris ferirent anathemate, atque ex iis octo, eorundemque poſteros ad tertiam progeniem publicis muneribus, gerendiſque ſacerdotiis mulctarent. Obtemperaſſe illos juſſis apoſtolicis, refert Crantzius (*a*), additque Bochardi ſucceſſorem deſignatum etiam a Ludovico Bavaro captum in carcere brevi vitam clauſiſſe: tunc vero ſuffectum Lantgravii Haſſiæ filium. Ex pontificiis autem literis (*b*) certiſſime conſtat, Magdeburgenſes ſacris interdictos patrati ſceleris in Bochardum acerbe pœnituiſſe, atque Othonem deſignatum archiepiſcopum magnis honoribus, & demiſſis obſequiis proſecutos (*c*): tum miſſis oratoribus ad ſedem Apoſtolicam a commiſſo crimine rite expiari popoſciſſe, ac demum ad clementiam Joannem quinto poſt anno flexiſſe qui Magdeburgenſibus eam pœnam impoſuit (*d*), ut ſacellum in eo loco, in quo cæſus fuerat Bochardus, excitarent ut in eo ſacerdos pro archiepiſcopi trucidati anima ſacra quotidie perageret: in templo etiam principe quinque altaria Deo ponerent, ut in iis pariter divina ad placandum eidem cæſo præſuli divinum Numen celebrarentur; ſanxitque ut Magdeburgenſes ſingulis archipræſulibus ſucceſſuris clientelarem ſponſionem fidemque ſacramento addicerent.

Intentatum judicium parricidis.

(*a*) *Crantz. eod. c.* 13.

(*b*) *To.* 6. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 45.

(*c*) *An.* 15. *p.* 4. *ep. com.* 575.

(*d*) *An.* 15. *p.* 4. *ep. com.* 575.

Magdeburgenſes veniam poſcunt.

*Joannes, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Quamvis cædes ejuſdem antiſtitis* (nempe Bochardi archiepiſcopi Magdeburgenſis) *mentem noſtram horrendi criminis atrocitate commoverit, cum inauditum ſit facinus proprium necare paſtorem, parricidiale committere crimen in præſulem, & funeſtam perniciem in antiſtitem proprium miniſtrantem ſubditis verbum fidei Chriſtianæ tam nequiter exercere; conſiderantes tamen, quod per plurium annorum curricula conſules & communitas prælibati magnam contritionem & devotam pœnitentiam oſtendentes de exceſſibus ſupradictis, pro conſequenda ſuper his miſericordiæ venia penes ſedem Apoſtolicam per procuratores eorum, propter hoc apud dictam ſedem per plures annos continue commorantes, inſiſtere continuatis precibus non ceſſarunt; attendentes quoque propter multitudinem delinquentium prædictorum fore in hac parte ſeveritati canonicæ detrahendum, ac rigorem pœnarum, eis pro præmiſſis exceſſibus debitarum, ejuſdem ſedis miſericordia temperandum; nec minus etiam in meditationis noſtræ ſcrutinium deducentes, quod dicti conſules & communitas erga dilectum filium Othonem electum & eandem eccleſiam Magdeburgenſem ſic ſe gratos, humiles, & devotos reddere ſtuduerunt, atque ſtudent, quod idem electus & capitulum ejuſdem eccleſiæ pro miſericordia cum dictis conſulibus & communitate habenda penes nos, & ſedem eandem ſolicita & inſtanti devotarum precum inſtantia interpellant; de ejuſdem ſedis conſueta clementia ſatisfactionem & emendam prædictas, nobis oblatas, juxta modum & formam expreſſos præſentibus per conſules & communitatem prædictos providimus exhibendas; videlicet quod conſules & communitas præfati ad laudem Dei conſtrui faciant unam capellam in longitudine ſeptem, in latitudine vero tres cum dimidia cannas, & in altitudine condecentem menſuram habentem pro conſideratione longitudinis & latitudinis prædictarum, ſecundum conſuetudinem terræ illius in loco vel prope locum, in quo dictus Bochardus archiepiſcopus, proh dolor! fuit occiſus, & per tempus jacuit occultatus; in qua unus clericus infra annum, ſi ſacerdos non fuerit, in presbyterum promovendus, ſeu ſacerdos libere per archiepi-*

Proſequuntur luctu paſtoris cædem.

Othonem ſucceſſorem honorifice excipiunt.

Quo ritu expiatum crimen.

Sacra ædes in loco ubi trucidatus eſt, extrui juſſa

*ſco-*



*ſcopum Magdeburgenſem, qui erit pro tempore inſtituendus, in ea quotidie per ſe ibidem divina officia celebret, vel per alium faciet celebrari pro anima Bochardi archiepiſcopi memorati: & quod in eadem capella eſſe debeat perpetuum luminare, ſintque ejuſdem capellæ perpetui redditus annui aſſignandi realiter cum effectu eidem capellæ per conſules & communitatem prædictos quadraginta & octo florenorum auri, dividendorum hoc modo: ſi quidem triginta floreni auri præfato clerico, ſeu ſacerdoti, & duodecim ejus miniſtro, & tres pro luminari, & alii tres reſidui dabuntur pro candelis cereis pro uſibus dictæ capellæ opportunis: & quod in majori eccleſia Magdeburgenſi per dictos communitatem & conſules quinque altaria debeant fieri, ſeu conſtrui, in quibus per quinque ſacerdotes in divinis officiis perpetuis futuris temporibus ad laudem Dei & pro anima dicti Bochardi archiepiſcopi ſerviatur, ad illa per archiepiſcopum Magdeburgenſem, qui erit pro tempore, libere inſtituendos in eos: quibus etiam debeant per eoſdem communitatem & conſules ſufficientes dotes, ſeu annui & perpetui redditus aſſignari per infraſcriptum modum inter eos ſimiliter dividendum. Nam ſinguli dictorum altarium ſingulos ſacerdotes habebunt, & percipient ſingulariter ſinguli vigintiquinque florenos auri redditus annuatim. Sed quia uſus florenorum auri in dicta civitate, ut dicitur, non exiſtit, loco quatuor florenorum auri, quando eorum copia inibi non habebitur, una marcha puri argenti & uſualis monetæ perſolvatur eiſdem. Quæ omnia iidem procuratores, prout ad id habebant ſufficiens & ſpeciale mandatum, acceptarunt, ratificarunt, & approbarunt expreſſe procuratorio nomine communitatis, &c.* Solvit Pontifex Magdeburgenſes cenſurarum nexu, exceptis Bochardi interfectoribus, quorum percenſet nomina, eorumque poſteros notat infamia, edicitque ne ab ullo ſacerdote quam a Romano Pontifice abſolvi poſſint; tum addit. *Volumus etiam, quod præfati conſules & communitas cuilibet archiepiſcopo Magdeburgenſi, qui erit pro tempore, in cujuſlibet archiepiſcopi novitate juramentum fidelitatis & homagii præſtare & facere teneantur, &c. Dat. Avin.* XI. *kal. julii anno* XV.

Attribuenda illi pro gerendo cultu divino vectigalia.

Altaria quinque in eccleſia principe excitanda.

Marcha Argentea quatuor aureis valet.

IX.

Hoc anno irrupit hoſtili furore in marchionatum Brandeburgenſem, quem Ludovicum Bavarum majori natu filio contuliſſe vidimus, Wladiſlaus Rex Poloniæ auxiliis Lithuanorum, cum quibus fœdus pepigerat, Ruthenorum & Walachorum ſuccinctus; ac maximam infelici provinciæ intulit vaſtitatem. Ultum ipſum eſſe acceptas a ſuperioribus marchionibus injurias, cum Premizlaus Rex ab iis cæſus eſt, vaſtata Pomerania & vendita, refert Michovias (*a*), atque infanda flagitia a barbaris in ea expeditione patrata, templa flammis abſumpta, direpta monaſteria, matronas & virgines violatas. Inter tot ſcelera editum eſt inſigne a moniali, quæ rapiebatur ad ſtuprum, virtutis facinus, quod narrat Chromerus: (*b*) *Memoratur*, inquit, *forte & præclarum monachæ cujuſdam facinus, quæ capta a Lithuano quopiam, cum ad ſtuprum traheretur, rogavit eum, ne ſibi vim faceret; mercedis autem loco promiſit, ſe eum edocturam eſſe, qui corpus ejus vulnerari nullo unquam ferro poſſet: quod cum diſcere ille percuperet, jugulum ei fortis puella præbuit, ut in ipſam ejus rei periculum faceret. Credulus ille, ſtricto gladio, caput ejus amputavit. Sic illa barbari libidinem eluſit, ſtuprumque turpe honeſta morte evaſit.*

Regis Poloniæ in marchionem Brandeburgenſem irruptio.

(*a*) *Michon. l.* 4. *c.* 9.

(*b*) *Chron. l.* 11. *in Vulad. l.* 8. *c.* 13.

X.

Infeſtata ſunt hiſce temporibus Norvvegiæ, Suetiæ, & Gotiæ regna variis paganorum excurſionibus, Carelorum maxime & Ruthenorum, qui graves earum partium Chriſtianis clades intulerunt. Ad quos propulſandos cum Magnus Rex ſedis Apoſtolicæ auxilia imploraſſet, Pontifex mediam illi e vectigalibus eccleſiaſticis collectæ ſexennalis decimæ, in Syriæ res convertendæ, partem attribuit, ac nuntiis apoſtolicis Joanni e Serone & Bernardo de Ortolis partes dedit (*c*), ut eam illi, explorata re de barbarorum irruptionibus, erogarent.

Septentrionalia regna ab infidelibus infeſtata.

(*c*) *To.* 5. *p.* 2. *ep. ſecr. p.* 373.

*Joannes, &c. Joanni de Serone Prædicatori, & Bernardo de Ortolis Apoſtolicæ ſedis nuntiis.*

*Dudum ex inſinuatione chariſſimi in Chriſto filii noſtri Magni Regis Norvvegiæ illuſtris, non abſque magna mentis compaſſione percepimus, quod infideles pagani, Carelli videlicet & Rutheni, regnis ſuis Norvvegiæ, Sueciæ, ac Gociæ propinqui, adeo regna ipſa, præſertim Norvvegiæ prædictum ſibi vicinius, & degentes Chriſticolas in eodem per rapinas, incendia, ſtrages varias, captiones, incarcerationes, depopulationes, & tam locorum ſacrorum, quam aliorum dirutiones, & alios incurſus hoſtiles multiplices hactenus: maxime poſt claræ memoriæ Hayquini Regis Norvvegiæ avi ſui obitum, crudeliter & immaniter afflixerunt, & moleſtare continuis vexationibus non deſiſtunt, quod iidem Chriſticolæ, ſic ex præmiſſis afflicti multipliciter & conſumpti, adverſus hoſtium crucis prædictorum ſævitiam, & ſuperbam ſementem ſtare non poterunt diutius, niſi opportunis ſubſidiis fulciantur; quodque Regis ejuſdem ad hoc, necnon & infideles eoſdem ad divini nominis laudem & gloriam ac fidei exaltationem catholicæ, liberationemque Chriſtiani populi impugnandos non ſufficiunt, ut habet præfati Regis petitionis ſeries, nobis per dile-*

Implorata a Norvvego Pont. auxilia.

*ctos filios nobiles viros Bertrandum de Suciolis & Raimundum de Lemena nuncios & ambaxiatores ſuos exhibitæ, facultates.*

*Nos autem eiſdem Regi, & ſuis ſubditis Chriſticolis ſuper oppreſſionibus, calamitatibus, & miſeriis hujuſmodi, paterno compatientes affectu, eiſque volentes de illo, quod commode præſentialiter poſſumus, ſubſidio providere; diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſi de prædictis neceſſitatibus nobis ignotis merito vobis, dum in illis partibus fueritis, conſtiterit evidenter, præfato Regi medietatem pecuniæ dictæ decimæ ſexennalis collectæ in eiſdem regnis, ac etiam colligendæ in ſubſidium & neceſſitates prædicta, ſecundum ordinationem venerabilis fratris noſtri archiepiſcopi Narbonenſis, & duorum ex ſuis ſuffraganeis, per eundem archiepiſcopum & vos ſuper hoc aſſumendis, quorum oneramus in hac parte conſcientias, diſpenſandæ noſtro nomine concedatis, &c. Dat. Avin. idibus aug. an. x.*

Ad eos arcendos media ſexennalis decimæ pars attributa.

XI. Belgium civili diſcordia laniatum.

(a) Meyer. hiſt. Fland. l. 12. in Lud. Niv.

Fœdavit (*a*) eodem anno cædibus Flandriam Jacobus Peyt iis barbaris impietate & crudelitate non impar, ſeditionum popularium, quæ violata pace Arkenſi recrudvere, ſignifer: adeo enim impius extitit, ut clericis & eccleſiis omnia, quæ poſſet damna inferret, cunctoſque viros eccleſiaſticos in unum corpus refuſos, illudque perditum velle publice jactaret: adeo crudelis, ut fratres & conſanguineos in ſe mutuo exercere carnificinam juberet. Obtruncatus ille demum eſt, atque ob labem hæreſeos ab epiſcopis ejus memoria damnata. Redeuntibus porro ad officium ſub hujus anni initio Flandris, atque Francorum Rege Carolo expoſcente, ut cenſuris ſolverentur, Pontifex Silvanectenſi & Tornacenſi epiſcopis provinciam eam impoſuit (*b*).

Flandri ad officium revocati.

(b) An. 10. p. 1. ep. com. 605.

Recrudvere aliæ in Aquitania diſcordiæ cum Francorum Rex partas ultimo bello terras retinere vellet, eaſque Anglus repeteret: quæ quidem ut reſtituerentur Eduardo juniori duci Aquitaniæ Joannes nuncios ſuos apud Gallum operam dare ſubjectis literis juſſit (*c*).

Orta in Aquitania nova belli ſemina.

(c) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 219.

*Guillelmo archiepiſcopo Viennenſi, & H. epiſcopo Auraſicenſi Apoſtolicæ ſedis nunciis.*

Miſſi pro pace redintegranda nuntii.

*Deſiderantes intenſe, ut inter chariſſimos in Chriſto filios noſtros Carolum Franciæ & Navarræ, & Eduardum Angliæ Reges illuſtres pacis perennis & concordiæ, ſublatis quibuſcunque impedimentis contrariis, vigeat plenitudo, volumus, & fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus inſtetis apud eundem Regem Franciæ, ſicut videritis expedire, ut ipſe circa reſtitutionem terræ ducatus Aquitaniæ per ipſum occupatæ, dilecto filio nobili viro Eduardo prædicti Regis Angliæ primogenito duci Aquitaniæ faciendam, non juris rigorem velit attendere, ſed potius ſe habeat gratioſum; nos ſuper his & aliis vobis occurrentibus reddituri nihilominus, quotiens opportunum noveritis certiores. Dat. Avinione kal. maii an. x.*

Monitus Carolus, Rex, ne acerbiori jure in Angliam utatur.

Hortatus jam erat ad id Carolum ipſum Pontifex, ut nimirum clementiam & liberalitatem in nepotem clientem, redditis terris, quas bello pepererat, explicaret; aliiſque literis (*d*) ineunte julio exaratis ſuaſit, ut mutuæ conjunctioni aliquid daret; tum etiam Toloſanum (*e*) & Aginnatem pro Rege Gallorum, Vaſconiæ (*f*) vero pro Anglo præfectos ad ſopiendos tumultus ac ſervandam pacem juſſit incumbere.

(d) Ead. pag. 209.

(e) Ib. p. 208.

(f) Ib. pag. 212.

XII.

At cum erumperet in majus incendium diſſenſionis flamma, ad divinam opem implorandam publicas preces indixit Pontifex; quo argumento literas ad Galliarum & Angliæ archiepiſcopos & epiſcopos dedit (*g*), ut populos ad cœleſte illud munus expetendum permoverent, ac preces, quæ inter divina eſſent fundendæ, præſcripſit.

(g) To. 6. p. 2. ep. ſecr. p. 2. ext. etiam in MS. bibl. Vall. ſign. lit. C. n. 27. p. 65.

*Joannes &c. Ad illum, qui mari & ventis imperat, per quem fit de turbatione tranquillitas, cum fratribus noſtris deliberavimus recurrendum; ac apud ipſum, in cujus manu ſunt omnium poteſtates & jura regnorum, quique Regum corda inclinare poteſt, quo voluerit, humilibus ſupplicationibus inſiſtendum, ut benignius Reges præfatos* (Carolum nimirum & Eduardum) *alioſque orthodoxos principes, eorumque principatus & regna reſpiciat, ac ab illis diſſenſiones amoveat, diſſidentium corda in concordiæ unitate conciliet, tranquillitatem tribuat, ipſoſque in illius ſoliditate conſolidet & confirmet, ſicque ipſos præeſſe, ut proſint, tribuat; eorumque regimen ſic regat & dirigat, ut cedat tam ipſis, quam eorum ſubditis ad ſalutem, perpetuam quietem, ac pacem; nobiſque ipſe, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, modos & vias aperiat, per quas hoc, ut in votis gerimus, efficaciter promovere poſſimus.*

Encyclicæ ad præſules literæ de poſcenda a Deo pace.

*Ut autem hoc multiplicatis interceſſoribus promptius aſſequamur, univerſitatem veſtram, cujus ſuffragia ſupponimus multipliciter opportuna, monemus, rogamus, & hortamur attente, quatenus vos noſtris deſideriis in hac parte conformantes, & veſtras diebus ſingulis ex totis præcordiis in excelſa preces humiles porrigentes, devotas orationes fundatis ad Dominum, ut ipſe, cujus eſt ita pacis perfecta conceſſio, quod ipſo eandem concedente, non ſit qui condemnet judicio, poteſtate deterreat, vel terrore perturbet; inter memoratos principes ſuæ pacis & concordiæ fluenta diffundat.* Et infra. *Et ut*





*ad prædicta per ſalutaris retributionis exinde obtinendæ præmium promptius exequi ſtudeant orthodoxi, nos de omnipotentis Dei miſericordia, beatorum quoque Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi; & illa, quam ipſe nobis Dei Filius ligandi atque ſolvendi tribuit poteſtatem, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis ſingulis diebus, quibus uſque ad annum poſtquam eis innotuerit computandum, devote pro præmiſſis oraverint, viginti dies de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus.* Et infra: *Et quia in miſſarum ſolemniis ad Deum conſueverunt preces fundi devotius, ordinamus quod in ſingulis miſſarum celebrationibus poſt dictum a celebrante, Pater noſter, reſponſioneque ſecuta, antequam in miſſa ulterius procedatur, illud canticum: Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, cum Gloria Patri, a religioſis clericis & aliis literatis præſentibus cum devotione dicatur; & poſt dicantur: Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, & Pater noſter; & poſt iſti verſiculi ſubſequantur: Domine ſalvos fac Reges. Et exaudi nos in die, qua invocaverimus te. Salvum fac populum tuum Domine. Et benedic hereditati tuæ, & rege eos & extolle illos uſque in æternum. Fiat pax in virtute tua. Et abundantia in turribus tuis. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Oratio: Largire domine famulis tui indulgentiam, placatus & pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura tibi mente deſerviant. Per Chriſtum dominum noſtrum. Dat. Avin.* IV. *kal. octobr. an.* XI.

Indictæ ob id ſolemnes preces.

XIII. Diſſenſio inter Regem Reginamque Angliæ.

(a) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 204.

(b) Walſin. in Eduar. II. Meyer. hiſt. Fland. l. 12.

(c) Jo. Vill. l. 10. c. 7.

(d) Walſing. ubi ſup.

Auctæ (*a*) ſunt eæ inter Carolum & Eduardum Reges diſcordiæ ex atroci inter Iſabellam Reginam Angliæ Caroli ſororem ac virum diſſenſione: cum enim illa antea Gallicam aulam pro componenda pace acceſſiſſet, diutius in ea, quam vir cuperet, hæſit: vocatam etiam in ſuſpicionem turpis cum Rogerio e Mortuo mari conſuetudinis nonnulli ferunt (*b*). Ab orationibus vero Regis Angliæ nomine in regnum redire juſſa, negavit ſe reverſuram, ni Rex Hugonem Spenſerium eiiceret exoſum omnibus, qui regni adminiſtratione abutebatur (*c*), & a quo fama (*d*) erat Regem in libidinum cœnum impelli, cujus perfidiæ nunquam ſe committeret. Reſpondit contra Iſabellæ Eduardus, Spenſerium nullas ei moliri inſidias, ſed meritis ipſam officiis proſecuturum: atque ea de re Eduardo apud ſedem Apoſtolicam expoſtulante; conquerente etiam Francorum Rege violatam a Regis Angliæ copiis in Vaſconia pacem, & conteſtante malorum omnium, quæ fœdifragorum culpa emergerent, auctorem ſe non futurum ſi ſua armis jura tueretur; Pontifex adducta re in deliberationem cum Cardinalibus, Guillelmum archiepiſcopum Viennenſem & Hugonem epiſcopum Auraſicanum, qui e legatione redierant, ut in iis peritiſſimos, adiuncto Joanne e Grandiſono, iterum mittendos cenſuit (*e*): eoſque ad pacem Eduardum inter ac Iſabellam revocandam juſſit incumbere. Qua de re ad Francorum Regem (*f*) ac plures alios (*g*) tum Gallos tum Anglos ſcripſit.

Miſſi ad eam ſopiendam a Pontifice nuntii.

(e) To. 9. p. 2. ep. ſecr. pag. 206. 213. & 219. to. 6. p. 1. ep. ſecr. pag. 1. & 5. & an. 10. p. 1. ep. com. 1301.

(f) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 211.

(g) Ib. pag. 204. 216. 221. & to. 6. p. 1. ep. ſecr. pag. 10. & 23.

*Joannes, &c. Carolo Regi Franciæ.*

*Ad noſtram (h) notitiam circumſpectio regia deducebat, pacem dudum inter ipſum & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Eduardum Regem Angliæ illuſtrem ſuper guerra Vaſconiæ initam, & juramento vallatam, fore abſque diffidatione aliqua tegere violatam, ac ſubditis regiis in perſonis & rebus per gentes dicti Regis Angliæ in partibus ipſis Vaſconiæ contra pacem prædictam illata fuiſſe damna gravia, exceſſuſque perpetratos deteſtabiles varios, & continue perpetrari, ad illum finem hæc ad noſtram notitiam deducendo, quod exceſſus injuriæ pacis violatæ, ac juramenti tranſgreſſio præfati Regis Angliæ, nec non mala, damna, & offenſiones contra Deum, & ſanctam eccleſiam, quæ ſequuntur exinde, ac pejora, quæ poterunt ſubſequi tam animabus quam corporibus, nobis exiſterent manifeſta; nec non & ad finem, quod de quibuſvis malis & periculis, quæ in præſenti ex præmiſſis ſuccedant, vel in futurum continget ſuccedere, nos & ipſa eccleſia excuſatam regalem celſitudinem haberemus; quodque provideremus, quid in caſu hujuſmodi ſit agendum. Profecto, fili chariſſime, hæc non indigne cor noſtrum amaritudine repleverunt; hæc nos cibarunt abſynthio, & miniſtrarunt nobis amariſſimum potum fellis, cum per talia videamus divinæ offendi oculos majeſtatis, jura violari ſanguinis, univerſæ congregationi fidelium diſcrimina varia præparari.*

(h) Superior. p. 211.

Ut quæſtus ſit Gallus, ab Anglo pacem violatam.

*Sane, fili, attendentes, quod (ſicut dictus cantor nobis expoſuit) excellentia regia hoc per viam denunciationis, nequaquam proponere ſeu quovis modo coram nobis proſequi intendebat, ſed ſolum illa, ad finem ſeu fines, quem ſeu quos finis continet regiæ literæ, ad noſtram notitiam deducebat; & inſuper ad memoriam reducentes, quomodo Rex Angliæ ſupradictus ante adventum cantoris prædicti nobis per ſuas literas ſæpius & nuncium curaverat intimare, quod chariſſima in Chriſto filia noſtra Iſabellis Regina Angliæ conſors ejus, quæ de ipſius licentia ad partes Franciæ pro bono pacis utriuſque regni pridem accedens, plus debito ad eum redire, quamvis pluries ſuper hoc requiſita ſolemniter, differebat; non ex ſe, ſed ab alio cauſam ſumens, prout ipſe Rex ſe tenere indubie aſſerebat, quod redire*

Contrariæ Regis Angliæ querelæ.

*timet ad eum, quouſque vir nobilis Hugo Ledeſpenſer Regis ejuſdem nepos & camerarius amoveatur ab eo, licet nunquam perceperit, ut conſtare aſſerit Rex prædictus, quod dictus Hugo eidem Reginæ damnum aliquod ſeu vituperium procuraverit publice vel occulte (quod ſi percepiſſet, utique ſicut aſſerit correxiſſet taliter, quod cederet ſuis aliis ſubditis in exemplum, dictuſque Hugo paratum ſe obtulerit, ſi in aliquo eandem Reginam offenderit, eidem ſatisfacere ad arbitrium boni viri) ac ſupplicaret per nos ſalubriter provideri, quod dicta Regina ad ejus rediret conſortium, & ut tenetur adhæreret eidem ad animarum utriuſque ſalutem, præcipue cum ipſe paratus eſſet ac ſemper extiterit, ipſam Reginam, quam ſemper dilexit & diligit, honorifice ac maritali affectione tractare, juxtaque ſui ſtatus excellentiam & exigentiam facere in omnibus quod incumbit; quodque tuam, fili, excellentiam inducere curaremus, ut terras per te occupatas in ducatu Aquitaniæ duci reſtitueret Aquitaniæ, cum jam ab eodem homagium receperis pro eiſdem; ſatis nos prædicta, nec immerito perplexos & anxios, quid ſuper præmiſſis agi expediat, reddiderunt, præſertim cum ſuper reditu Reginæ prædictæ, ex dubio, quod prætendit penitus ſupputando, noſtros ad te, fili, ac Reginam & Regem Angliæ nuncios, prout novit celſitudo regia, duxerimus deſtinandos, qui a neutra partium reſponſum ad hoc obtinere congruum minime potuerunt: ſicque ipſos redire oportuit, inordinato negotio (non ſine periculo, ut probant ſequentia) remanente. Et ut habet nunciorum relatio prædictorum Rex Angliæ conductum eis dare niſi ſuper Reginæ negotio recuſavit, nec de illo ipſis loqui potuit, niſi ut vir amarificatus nimium, & immenſe turbatus.*

Pontificia ſolicitudo pro conciliando diſſidio.

*Verum quia ante adventum dicti cantoris negotium iſtud, velut tangens nimium intima cordis noſtri, in conſiſtorio ſecreto propoſueramus noſtris fratribus, eorum conſilium ſuper hoc requirendo, poſt ejuſdem adventum cantoris cum nonnullis ex ipſis fratribus & tandem cum omnibus in ſecreto conſiſtorio deliberavimus ſæpius, quid Deo gratum, negotio expediens, nobiſque conveniens poſſemus agere in præmiſſis. In quo multis in conſideratione deductis, in hoc tandem deliberatio reſedit omnium ibidem præſentium, quod adhuc præfatos noſtros nuncios, videlicet venerabiles fratres noſtros C. archiepiſcopum Viennenſem, & H. epiſcopum Auraſicenſem, velut inſtructos in præfatis negotiis deberemus, adjuncto eis non ſine cauſa dilecto filio Joanne de Grandiſono archidiacono Nothigiæ in eccleſia Eboracenſi, ad tuam Reginæ, ac Regis Angliæ prædictorum præſentiam eveſtigio deſtinare: quod & ordinavimus indilate, per quos plenius, quid nobis agendum videtur ſuper his, dante Domino, reſcribemus; &c. Datum Avin. kalend. ſeptembris anno* x. Hactenus Pontifex ad Regem Francorum, cui internuntios ipſos enixe commendavit (*a*). Denique Iſabellam Reginam Regemque Eduardum pluribus literis variis exaratis temporibus eſt adhortatus, (*b*) ut in mutuam gratiam redirent, e quibus hæc ſaluberrima conſilia Regi, cui extremum exitium impendebat, a Pontifice data afferre ſuffecerit.

(a) Eod. to. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 204. & to. 6. p. 1. ep. ſecr. pag. 10.
(b) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 219.

XIV. Conſulit Eduardo Pontifex ut paci ſe accommodet.

*Celſitudinem regiam rogamus & hortamur attentius, ac per Dei miſericordiam obſecramus, quatenus varia ſcandaloſa diſcrimina, quæ valerent ex hujuſmodi diſcordia, ſi quod abſit, procederet, merito formidari, ac quot & quanta bona ſperari poſſint probabiliter ex concordia proventura, in ſcrutinio regiæ conſiderationis adductis, præfatos nuncios, tuæ ſalutis & honoris fervidos zelatores, benigne recipiat; ſicque ipſos patienter ac quieto, pacifico, & tranquillo animo audiat & exaudiat regia providentia in hac parte, quod omni turbatione Regis pacifici & æterni gratia ſuffragante, ſedata, pacis & charitatis grata ſubſequatur tranquillitas, quam deſiderabiliter affectamus. Et licet aliqui murmuraſſe dicantur, quod præfati nuncii nequaquam reciperentur a tua ſerenitate benigne, quin immo afficerentur injuriis, ſi ad tuum regnum Angliæ ſe transferrent, nos tamen hoc credere nequivimus, nec in cor noſtrum aſcendit, quod nuncios a ſede miſſos prædicta, & pro tuis honoribus laborantes offendi vel injurioſe tractari ſineret regia prudentia quoquomodo. Quamobrem eiſdem mandavimus, ſicut præmittitur, ut dictis obtentis literis illuc accedere non poſtponant. Cæterum, dilectiſſime fili, negocia venerabilium fratrum noſtrorum Norvvicenſis, Lincolnienſis, & Herfordenſis epiſcoporum, ac tam ipſorum quam aliorum prælatorum regni tui perſonas & eccleſias regiæ celſitudini, ſicut alias, commendamus; ipſam attentius deprecantes, quatenus ipſos ob divinam & Apoſtolicæ ſedis reverentiam regio favore pertractans, ab eorum injuriis & oppreſſionibus facias tuos officiales & ſubditos abſtinere, &c. Dat. Avin.* IV. *id. maii anno* X.

XV. Ne principes Anglos vexet.

Affecerat inter alios Eduardus atrocioribus injuriis Joannem e Britannia Richemundiæ comitem, boniſque privarat: cum tamen ille in Gallias ad gerendas ipſius res acceſſiſſet, ſummaque fide & conſtantia in maximis bellis ſua ſtudia & officia Eduardo ac parenti explicuiſſet; maximos etiam periculorum æſtus, & hoſtium carceres ejus cauſa ſubiiſſet. Cujus rei indignitate permotus Pontifex, Eduardum hortatus eſt (*c*), ut comitem priſtinæ gratiæ fortuniſque reſtitueret; non has pro acceptis beneficiis injurias reponendas: tum Gualterum archiepiſcopum Cantuarienſem optimis eum monitis ad id flectere, atque apoſtolicas ipſi reddere literas juſſit (*a*). Agebat Eduardum præcipitem in hæc & alia mala nefariis ſuis conſiliis Hugo Spenſerius, quem paulo ante memoravi, e cujus voluntatibus infelix princeps pendebat, eaque re omnium in ſe odia concitabat. Imminentium vero malorum præſagus Pontifex Hugonem monuit, niſi Apoſtolicis conſiliis morem gereret, voluntateſque a ſe averſas conciliaret, demum ſub rerum mole ſuccubiturum.

(c) Lib. 10. ep. com. 1301.



(a) Reg. poſt eand. ep.

Hugo Spenſerius diſcordiarum auctor.

*Hugoni Ledeſpenſier juniori.*

*Utinam, fili, conſideranter attenderes, ne dum tibi credis conſulere, gravioribus periculis te ſubmittas. Hæc pro tanto dicimus, quia ut habet vox communis, nobis utique implacida & ingrata, tu inimicitias minuere * ſatagens, ad gravamina prælatorum & principum continue ac vigilanter intendis; ex quibus nedum gravatorum inimicitias aggravas, ſed & Dei & hoc videntium iram contra te provocas & irritas. Quocirca nobilitati tuæ ſano conſilio ſuademus, quatenus ab his prorſus abſtineas, ac viis & modis aliis inimicitias minuere ſtudeas, & provideas amicitias cumulare: veremur etenim, quod niſi noſtris acquieveris in hac parte monitis, oneri quod ſufferre non poteris, te ſubmittis. Datum Avinione* x. *kal. maii anno* x.

* non

Monet eum Pontifex, ne in ſe aliena odia concitet.

XVI. Iſabella Regi bellum infert.

Sprevit pontificia monita Spenſerius, atque in triſte fallacis humanæ felicitatis exemplum verſus, carnificum, qui ipſum omni ſuppliciorum genere diſcruciarunt, ludibrium extitit; miſerumque Regem, quem ſuis lenociniis corruperat, in exitium traxit. Deſcribunt tragicam illam rerum converſionem auctores (*b*), nimirum Iſabellam Reginam furentem in virum zelotypia, atque in Spenſerios odio, Caroli Regis Francorum fratris ærario comitiſque Hannoniæ, cujus filiam Philippam Eduardus filius uxorem acceperat, in Hollandia menſe ſeptembri octoginta navium claſſem comparaſſe, & cum proceribus Anglis quibus Spenſeriorum adminiſtratio exoſa erat, in Britanniam vela feciſſe: uſam vero militari dolo, ac divulgaſſe armorum fœdera pepigiſſe cum Scotis, atque in finitima eorum ora excenſionem facturam: cumque his rumoribus deluſus Rex Eduardus Londino in eas ſe partes conferret, haud procul a regia urbe applicuiſſe, ac recto itinere contendiſſe Londinum, plura edicta in Spenſerios ſparſiſſe, ac melioris adminiſtrationis ſpe populos deliniviſſe; tum certatim omnes, atque inter alios Londinenſes illius partibus acceſſiſſe, Regemque in Walliam perſecutam: Eduardum autem cum ſe in extremum diſcrimen ab uxore adductum videret, naviculam conſcendiſſe, ut una cum Hugone ſuo in Hiberniam evaderet; ſed maris æſtu ventiſque contrariis ſæpius in terram rejectum: haud vero ita multo poſt a Lancaſtriæ comite, cujus parens Eduardi juſſu capite truncatus fuerat, captum una cum Hugone; ac tum Eduardum, cum ſe honorifice ab hoſtibus tractari videret, Hugoni metuentem, illum amplexu ſibi adſtrinxiſſe: ſed agminum ductores dolo uſos finxiſſe, de arcanis quibuſdam ſe cum Rege agitare velle: atque ita dimiſſum Hugonem, moxque raptum ad Iſabellam Reginam, illiuſque juſſu patibulo ſuſpenſum, avulſis genitalibus & in ignem iniectis, unco tractum, atque in partes conciſum. Is infelicis Spenſerii exitus fuit. Rex vero Eduardus in cuſtodiam datus, ac triſti ſupplicio ad ſequentem annum reſervatus. In iis bellorum civilium motibus Joannes apoſtolico muneri non defuit, ut ad Regem ac Reginam exeunte ſeptembri datæ ad pacem hortatoriæ literæ oſtendunt (*c*), tum ad Apoſt. ſedis nuntios, ut coitiones ſacramento etiam firmatas reſcinderent (*d*); ſed odiorum pertinacia ac ſubditi caſus pontificiam diligentiam eluſere.

(b) Jo. Vill. l. 9. c. 7. Valſing. hiſt. Angl. in Eduar. II. & alii.

Londinum occupat.

Regem fugientem perſequitur.

Hugonem ad ſupplicium rapi jubet.

Regem Eduardum vinculis tradi.

(c) To. 6. p. 1. ep. ſecr. pag. 12.
(d) Ib. pag. 3.

XVII. Imperatæ induciæ inter delphinum & Sabaudum.

Adducere etiam in aliis provinciis ac regnis publicam pacem Joannes ſtuduit: ad quam conciliandam inter delphinum Viennenſem & Sabaudiæ comitem, Joannem Toloſanum archiepiſcopum & magiſtrum Hoſpitalariorum equitum juſſit (*e*) incumbere, ac pœnis gravioribus intentatis, adverſas partes prælio abſtinere, plurimus enim ſuperiori anno fuſus ſanguis fuerat. De qua ineunda concordia plures ad Guidonem delphinum, Eduardum Sabaudum, nec non Galliarum & Boemiæ Reges literas dedit (*f*). Afferendæ etiam concordiæ ſtudio bella, quæ in Pedemontio inter Regem Siciliæ ac Philippum e Sabaudia, Manfredum Salutiarum, Montisferrati, & Carreti marchiones exarſerant, ſopire ſtuduit, (*g*) indictaſque jam ante inducias prorogavit.

(e) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 363.
(f) Ib. pag. 362. ad 370.

Pedemontium pacare nititur Pontifex.

(g) Ib. 337. & 341. & to. 6. p. 2. ep. ſecr. pag. 46.

Agitatum etiam ab eo eſt (*h*) cum Jacobo Rege Aragonum de pace inter Robertum Siciliæ & Fridericum Trinacriæ Reges conjungenda, quam Aragonius fratris ſtudio urgebat, eaque de cauſa ad ſedem Apoſtolicam oratores legarat; reque in deliberationem adducta, viſum eſt (*i*), ut ii ad Aragoniam aulam redirent, atque a Jacobo ad Fridericum Trinacrium mitterentur regii legati, qui ipſum ad pacis leges Regi Roberto tolerabiles adducerent, ac voti effecti compotes ad Regem Robertum diverterent, il-

(h) To. 5. p. 2. ep. ſecr. pag. 234.
(i) Ib. p. 240.

De pace inter Siciliæ & Trinacriæ Reges agitat.

illumque ad eas admittendas flecterent: ſi trahere in ſuam ſententiam non poſſent, inducias inter eos firmare ſatagerent, quibus excurrentibus Siciliæ & Trinacriæ Reges oratores ad Pontificem mitterent, ut de fœdere cum eo tractarent; ac tum a ſede Apoſtolica cum Jacobo Aragonio de re perficienda agitaretur: de quibus eundem Regem certiorem fecit, ac ſi conſilii ratio accepta eſſet, quamprimum oratores ad Siciliæ & Trinacriæ Reges tranſmitteret. Felicem illi rei exitum his verbis ultimis comprecatus eſt: *Gratia Dei cor regium dirigat in agendis. Dat. Avin.* XVIII. *kal. maii anno* X.

XVIII. Belli inter Reges cauſa. (a) Sur. l.6. c.75.

Agit de iis Surita (*a*), ac belli inter hos Reges cauſam eam notat, Fridericum ab armis quieſcere negaſſe, niſi Trinacriæ regnum ſuis poſteris permitteretur; quæ res cum antiqui fœderis a Carolo Valeſio initi, confirmatique a Bonifacio VIII. legibus pugnabat: Robertum vero illud regnum ad ſe revocare ſtuduiſſe, illatiſque annis ſingulis fœdiſſimis populationibus adeo attriviſſe Trinacriam, ut nil propius abeſſet, quam ut populi tot calamitatibus feſſi ſe Roberto ſubiicerent: Regem autem Aragonum, fratris caſu conſternatum, de conciliandæ pace multos tractatus, de commutanda certis legibus Trinacria cum Dyrrachii comitatu, ac ſuppeditandis vectigalibus pro Albaniæ regno Friderico comparando, de Sardinia illi tradenda, de Murciæ regno & Granata ipſi conferendis ingeſſiſſe; ſed graves in iis difficultates ſubortas: cumque Friderico fratri auxilia ſubmitterre decerneret, a filio Alfonſo revocatum, ne ab Alfonſo Rege Caſtellæ bello peteretur; Robertum vero ſe obtuliſſe Friderici poſteris ampliſſimas fortunas traditurum, ſi regnum ſibi Trinacriæ reſtitueret. Tum menſe majo claſſem immiſit in Trinacriam (*b*), fœdamque illi expoſitis in terram copiis intulit vaſtitatem [1].

Trinacria hoſtili populatione vexata.

(b) Jo Vill. l.9. c.348.

Dum ea parabatur claſſis, ineunte anno, atroces inſidiæ Caroli ducis Calabriæ vitæ comparatæ ſunt, quæ cum feliciter diſcuſſæ eſſent, Pontifex Robertum Regem ad adorandam divinam providentiam excitavit his verbis (*c*): *Conſideret, quæſo, ſerenitas regia bonorum omnium largitoris benevolentiam, quæ dicto principi & in eo tibi & univerſis fidelibus in præmiſſis clementer oſtendit, ut pro ea te ſibi gratum exhibeas, & ad gratiarum juges actiones aſſurgas, &c. Dat. Avin.* VII. *kal. februarii anno* X. Aliis etiam literis Carolum ad agendas Deo pro inſidiis ſuperatis grates permovit (*d*). Gerebant ii principes bellum cum hoſtibus, qui inſidias, proditiones, & quidquid ignava perfidia comminiſcitur, genus putabant victoriæ: quocirca ſuperiori etiam anno Neapoli atque antea Avenione Robertum inſidiis appetitum vidimus.

(c) To.5. p.2 ep. ſecr. pag. 263. Carolo Duci ſtructæ inſidiæ diſcuſſæque.

(d) Ead. pag.

XIX. Quod ad Aragonias res attinet; Joannes Alfonſum (*e*) comitem Urgellenſem ingrati in Deum & eccleſiam animi perſtrinxit, qui mox ejus criminis ſuſpicionem ex Pontificis animo multis verborum officiis delere conatus eſt (*f*). Gravioribus quoque verbis increpitus eſt Rex Aragonum (*g*) violati juris eccleſiaſtici, ac revocare juſſus (*h*) quæ in Barchinonenſem epiſcopum, præconis voce ſede ſua depulſum ſcelere hactenus inaudito, geſta eſſent: *Præconizationem prædictam ocyus*, inquit, *ſtudeas revocare, quod præmiſſa poſſis merito devitare. Nec immunem ſe putet a prædictis circumſpectio regia, eo quod ea fieri non præcepit; ipſe namque ſua efficiet, ſi ea neglexerit revocare: licet enim Heli in ſe bonus exiſteret, peccata tamen ſibi filiorum imputavit divina providentia, quæ negligenter omiſerat emendare. Dat.* III. *id. martii anno* X.

(e) Ead. pag. Alfonſus comes de violato jure eccleſiaſtico correptus.

(f) To.6. p.1. ep. ſecr. pag. 34.

(g) Ead. pag.

(h) To.5. p.2. ep. ſecr. pag. 238.

Sanxerant (*i*) Ilerdæ epiſcopus & canonicorum collegium, non paſſuros ſe in aliis templis, quam in principe baptiſmalia ſacra conferri infantibus, vel nuptos benedictione ſacra donari. Quæ lex cum iniqua eſſet, ac plura inveheret mala; tum brevis ævi & imbecillium virium infantes ob id baptiſmo non abluti excederent e vita, Pontifex Petri principis adductus precibus eam reſcidit, ac ſacramentum, quo epiſcopus & canonici de non tradenda aliarum eccleſiarum parochis facultate irritum juſſit eſſe.

Ilerdæ epiſcopi decretum reſciſſum a Pontifice.

(i) An.10. p. 1. ep. com.452.

NOTÆ [1] DE expeditione quam Robertus Siciliæ Rex hoc anno in Fridericum inſtauravit, non Surita tantummodo recens ſcriptor, nec ſemper accuratus teſtis proferendus eſt; ſed & illam deſcribunt æquales eorum temporum hiſtorici Siculi, & Anonymus Martene, cum Nicolao Speciali. Inter quos Anonymus ille, multo diligentius, quam Surita, certum tempus captæ & abſolutæ expeditionis hujus notavit. Scribit ille, hoc anno die quarta Junii Comitem Novellum, Regiæ Claſſis præfectum, ad oram tractus Panormitani appuliſſe, expoſitiſque in terram copiis, die VIII. Junii, die Martii cum Panormitanis conflixiſſe, iterumque ad manus cum illis veniſſe die XI. ſeu feria ſexta. Tandem die XI. Julii agro Panormitano relicto Cajetam ſolviſſe. Tota claſſis triremibus octuaginta conſtitit, ut ſcribit Nicolaus Specialis lib. 7. cap. 19. eundemque numerum expreſſiſſe cenſeo anonymum, quamquam in textum pro octuaginta irrepſerit *octingenta*. MANSI



In Luſitania Alfonſus Rex edicto regio cavit, ne quis ultionem de hoſte ferro, ſed legibus peteret: nefarius enim mos inoleverat, ut furori in ulciſcendis injuriis fræna laxarentur. Quam Alfonſi legem multis laudibus commendavit Pontifex, egitque illi gratias (*a*), apoſtolicum nuntium Petrum Labruna honorifice excepiſſe. Beatrici vero Reginæ nonnullas ſacras reliquias, eaſque inter vivificæ crucis, in qua redempti humani generis perfecta myſteria, particulam tranſmiſit (*b*).

Regis Luſitan. lex de ultione legibus tantum perſequenda. (a) Ib. p. 243.

(b) Ib. p. 244.

XX. Hoc anno XXV. menſis junii die celebratum eſt (*c*) Complutenſe concilium provinciale a Joanne Toletano archiepiſcopo Hiſpaniarum primate, & regii Caſtellæ ſcrinii præfecto, cui Petrus Segobienſis, Joannes Exomenſis, Fernandus Conchenſis, Giennenſis epiſcopi, & Palentini, Seguntini, & Cordubenſis epiſcoporum procuratores interfuere, ac plura in eo ad aſſerendam rei eccleſiaſticæ dignitatem conſtituta; atque in primis Joannes archiepiſcopus, ut ſuam auctoritatem confirmaret, hæc ſanxit: *Quia, ipſa experientia rerum magiſtra nos edocente, probavimus nonnullos ſuffraganeorum noſtrorum nobis & noſtræ Toletanæ eccleſiæ in eiſdem promittendis*, vultu nimirum & obſervantia in archipræſulem, *negligentes hactenus extitiſſe; idcirco concilio approbante præſenti conſtitutione duximus ſtatuendum, ut epiſcopus per alium quam per nos ſine noſtra licentia conſecratus, ex quo ſuam fuerit ingreſſus diœceſim uſque ad annum, legitimo impedimento ceſſante, ad nos accedere perſonaliter teneatur, ad prommittendum nobis & noſtræ eccleſiæ reverentiam & obedientiam, ut tenetur, niſi de noſtra ſpeciali licentia dictus terminus ſibi per nos fuerit propagatus: alias contrarium faciens tamdiu ab ingreſſu eccleſiæ ſit ſuſpenſus, donec ad nos acceſſerit, & obedientiam præſtiterit a canonibus definitam.* Confirmata etiam ad libertatem eccleſiaſticam, tuendam ſtatuta, quæ a Gundiſalvo Joannis prædeceſſore apud Pennafielem edita erant: quibus adjunctum eſt, ut cum quis ob eccleſiarum jura invaſa, bona eccleſiaſticorum direpta, vel atroces injurias iis illatas ab epiſcopo diœceſano anathematis infamia notatus eſſet; reque ad archiepiſcopum relata, ab eo cæteris omnibus ſuffraganeis fuerit injunctum, ut patrati criminis auctorem ſolemni ritu in omnibus eccleſiis anathemate defixum pronuntient, interdictum ſit ingreſſu eccleſiæ iis omnibus, qui ſe inertes in imperiis exequendis præbuerint, donec illum ſolemni ritu fidelium cœtu pulſum divulgarint.

(c) MS. bibl. Vall. ſig. lit. L. n.18. p. 68.

De ſuffraganeorum conſecratione decretum.

Aliud de tuendo jure eccleſiaſtico

XXI. Celebrata Toleti ſynodus. (d) Eod. MS. pag. 69.

Celebratum (*d*) aliud ſequenti anno Toleti concilium viſuri ſumus ab eodem archiepiſcopo Joanne, qui egregia paſtoralis ſolicitudinis exempla explicuit, ornatuſque eſt a Pontifice eo privilegio, (*e*) ut extra provinciam accepta a Metropolitanis poteſtate certis diebus in peragendis divinis pallio uteretur. Adjungenda hic viſa ſunt alia privilegia a Pontifice hoc anno conceſſa. Meditabatur peregrinationem Compoſtellanam Philippus Valeſii comes ſequenti anno inire, eaque perfecta bello ſacro in Saracenos Hiſpaniæ ſe devovere: quæ pia conſilia cum expoſuiſſet Apoſtolicæ ſedi, ea uti a Spiritu ſancto afflata magnis laudibus extulit Pontifex (*f*), atque omnibus, qui ipſum in acie ſtiparent, fortiterque pro fide occumberent, præmia indulgentiarum propoſuit.

(e) An.10. p.2. ep. com.1315. Datum archiep. Toletano privilegium.

Philippus Valeſius expeditionem in Granatenſis meditatur.

(f) To. 5. p.2. ep. ſecr. pag. 284.

Exceſſerat e vivis paucis ante menſibus illius parens Carolus Valeſius, quem ajunt (*g*) in extremo vitæ confinio procuratæ Engerrani, de quo dictum eſt, necis pœnituiſſe, obtinuiſſeque a Rege Carolo, ut illius corpus e patibulo depoſitum conſanguineis ſacræ ſepulturæ mandandum traderetur. Magnis ſane virtutibus ornatus erat princeps, quem ad reſtituendam orienti armorum vi catholicam fidem ſæpius paratiſſimum vidimus, ſi temporum ratio cum illius votis conſenſiſſet (*h*): e quo Valeſiorum Regum proſapia duxit originem, atque inter illius elogia illud affertur, non quidem Regem, ſed filium, patruum, ac parentem Regum extitiſſe.

Caroli Valeſii mors.

(g) Paul. Æmil. in Carol. IV.

(h) Ann. Chr. 1315. n.3.

In Galliis patrata hoc anno eſt infanda ſcurrilitas a nonnullis, qui inter divina mimicas ineptias exercuere: quos Pontifex juſta ſeveritate, ut ſubjectæ docent literæ (*i*), perculit.

(i) An. 10. p.1. ep. cur. 50. Indigna aliquorum ſcurrilitas.

*Joannes, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Non abſque vehementi admiratione percepto, quod menſe maii proximo præterito fratribus ordinis Minorum in Villa Exoldunenſi Bituricenſis diœceſis commorantibus, de tranſlatione B. Nicolai confeſſoris feſtum celebrantibus celebre, ad quod quamplures perſonæ fuerant invitatæ; quidam frater ipſius ordinis cum baculo paſtorali, annulo, & aliis pontificalibus inſigniis miſſam conventualem & ſolemnem, guardiano conventus ejuſdem villæ aliiſque prædictis fratribus, uno videlicet eorum tenente ad inſtar abbatis altum baculum paſtoralem, & decem aliis cappis indutis ſericis ſibi aſſiſtentibus, celebrarat. Et ſubſequenter in ſecundis ejuſdem feſti veſperis, dicto fratre ibidem in pontificalibus veſperorum ipſorum officium proſequente, quidam alius frater ejuſdem ordinis indutus mulieris amictu, duas literas bullatas portans in manibus, ad fratrem acceſſerat eundem in pontificalibus, ut præmittitur celebrantem, dicens ei, quod* ipſum

*ipſum faciebat ſummus Pontifex Cardinalem*. Et infra, ubi ſubjecit Bituricenſi archiepiſcopo datam provinciam, ut ſine ſtrepitu forenſi diligentiſſime exquireret veritatem, exploratoque facinore Gaucelino tit. SS. Marcellini ac Petri presbytero, ac Bertrando S. Mariæ in Aquiro, tum Arnaldo S. Euſtachii diaconis Cardinalibus partes demandatas, ut illum qui perſonatum epiſcopum egerat, atque alterum qui muliebri veſte indutus illum creatum Cardinalem denuntiarat, in examen adducerent; crimenque ab iis compertum fuiſſe, addit Pontifex: *In patratione præmiſſorum exceſſuum a recto regulæ declinatur, dum a viris ſacræ religioni deditis in tantæ levitatis ludibrium proſilitur, & forma eccleſiaſtica deformatur: dum pontificalis dignitatis auctoritas deducitur taliter in contemptum, & ii, qui deberent in domo Domini verbo pariter & exemplo proficere, ac virtutibus coruſcare, tam profanæ vanitatis flatibus ventilantur, talia in devotis mentibus præſentium, dum agebantur ſacra myſteria & celebrabantur divina officia, non ſine fidelium ſcandalo nefarie præſumendo: ex quibus intime tangimur & movemur.*

Inflicta iis pœna.

*Ne igitur hujuſmodi præſumtuoſa temeritas in perniciem tranſeat aliorum, ſed in committentibus puniatur, ac etiam extinguatur, ne quod abſit, cæteri ſumant audaciam ſimilia committendi; auctoritate apoſtolica de fratrum noſtrorum conſilio, eundem Joannem Garnerii omnibus officiis, ſi qua in eodem habet ordine, perpetuo privamus, ipſumque inhabilitamus & inhabilem reddimus ad quævis officia in poſterum obtinenda, & alios actus legitimos exercendos, & per unius anni continuum ſpatium a miſſarum celebrationibus ipſum ſuſpendimus; quodque ipſe per totum eundem annum jejunare ſexta feria, & dumtaxat panem comedere & aquam bibere, ſedendo donec comeditur & bibitur in ſuperficie terræ coram ſui conventus fratribus teneatur; & quod per integrum annum hujuſmodi in quolibet capitulo de manu illius, qui ſibi præerit, acutam ſeu rigidam & bene ſenſibilem recipiat diſciplinam, ut hujuſmodi ab eo commiſſum ſine rubore & cum ſcandalo aliorum exceſſum defleat, & deflendo patienter ad contritionis affectum ejus animus efficaciter inducatur. Ordinamus quoque atque decernimus auctoritate prædicta, ut prædicto Joanni Robineti caputium habitus dicti ordinis, quem defert, amoveatur omnino, ſicque hujuſmodi detruncato habitu uſque ad feſtum reſurrectionis Domini proximo venturum maneat & incedat, niſi cum eo interim ſuper hoc per ſedem prædictam extiterit diſpenſatum; quodque per totum eundem annum dicta feria jejunare, comedere, bibere, ac ſedere, prout de dicto Joanne Garnerii prætangitur, teneatur; & quod per eundem annum viginti vicibus in capitulo, ſicut ſibi exprimitur, ſucceſſive recipiat diſciplinam ſimilem, &c. Dat. VIII. kal. Auguſti anno* X. Eodem argumento Pontifex Bituricenſi archiepiſcopo ſcripſit, præcepitque ut in Exoldunenſi conventu pontificiam ſanctionem promulgaret, pœnaſque reis infligendas curaret.

XXIII. Nonnulli Minoritæ rebellant in Pontificem.

Emarcuerat adeo inter nonnullos Minoritas priſtinæ pietatis flos, ut aliqui hæreſeos infamia laborarint, contemptiſque ſacris inſtitutis S. Franciſci, quem ipſis Romani Pontificis & præſulum obſervantiam religioſiſſime commendaſſe vidimus, nefarias voces in ſedem Apoſtolicam effutirent. In iis Petrus (*a*) quidam miniſter, ut vocant, eo crimine poſtulatus traditus cuſtodiæ eſt; commiſſaque Hugolino abbati monaſterii S. Petri, & Matthæo Ungari Minoritæ theologo provincia, ut de illius dictis in Pontificem temere jactatis inquirerent. Guillelmus (*b*) etiam Minorita e Villafranca e ſacro ſuggeſtu contra apoſtolicas conſtitutiones, quibus definitum erat ab hæreſi non abeſſe, qui pertinaciter affirmarent Chriſtum dominum & Apoſtolos aliquid proprio vel communi nomine non poſſediſſe, declamare non perhorruit: cujus cauſam Elnenſis epiſcopus cognoſcere juſſus eſt.

(*a*) *To.* 5. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 328.

(*b*) *An.* 11. *p.* 1. *ep. cur.* 3.

Impoſtores in Italia.

Nonnulli quoque tum ſceleſtiſſimi hypocritæ, qui pſeudoapoſtoli vel Fraticelli videntur extitiſſe, religioſa veſte inſignes, multis verborum lenociniis ſimplices quoſque contaminare ſuis erroribus in ditione pontificia, ac pietatis ſpecie pietatem omnem extinguere nitebantur. Contra quos Joannem Amelium archidiaconum Forojulienſem ducatus Spoletani præſidem leges diſtringere imperavit (*c*).

(*c*) *To.* 5. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 325.

*Dilecto filio Joanni de Amelio archidiacono Forojulien. ducatus Spolitani rectori.*

Impoſtores graſſati in Italia.

*Ad audientiam noſtram tua nuper inſinuatione pervenit, quod nonnulli pravitatis filii, ovinam pellem ſub religionis habitu prætendentes extrinſecus, lupi vero rapaces intrinſecus exiſtentes, decretam tibi provinciam, velut ovile dominicum ſub hac fictione, proh dolor! & ſimulatione ſubintrant, ut invenientes ibi ſimplices fidelium animas, quædam eis, ſub verbo prædicationis enuncient, & ſophiſticis atque fallacibus ſuggerant argumentis, ex quibus ipſi fideles inducti, abjurata fide, labantur in perfidiæ lubricum, & a noſtrorum, ac ſanctæ Romanæ matris eccleſiæ declinent ſemitis mandatorum. Cupientes itaque his providere ſalubriter, ac gerentes de tuæ circumſpectionis induſtria fiduciam in domino ſpecialem, procedendi contra tales ſimpliciter & de plano, abſque ſtrepitu & figura judicii, teque per omnes vias & modos juri non obvios informandi, ac faciendi quod ſuadebit juſtitia, tibi auctoritate præſentium licentiam impartimur. Contradictores, &c. Dat. Avin. kal. martii anno* X. Similiter in Germania Franciſcus e Lutra Benedictinus apoſtata, de quo jam ante egimus, peſtiferos errores in omnibus, quæ circumcurſabat, locis diſſeminabat: quocirca Ratiſponenſium Minoritarum præfecto munus a Joanne injunctum eſt, (*a*) ut impium hominem carceri traderet.



Alius in Germania.

(*a*) *Ib. pag.* 247.

XXIV.

Cum vero nonnulli impii Chriſtiani, qui terreni lucri cupiditate illecti, jacturam æternitatis incurrere, totieſque a conciliis œcumenicis ac Romanis Pontificibus vetita cum Saracenis commercia inire non perhorrerent, ut pœnarum metu a crimine ſubmoverentur, Joannes ob inſignem eccleſiaſticarum cenſurarum contemptum in eos ſtatutis in hæreticos legibus agi juſſit (*b*). Quorum ſuſcipere patrocinium auſus eſt Rizardus Cremonenſis (*c*), ac dictis contrariam apoſtolicis conſtitutionibus ſententiam tueri; qui cum ſentiret etiam cum hæreticis & perduellibus eccleſiæ, cenſoribus fidei in ipſum animadvertendi munus injunctum eſt. Quibus etiam ſequenti anno, cum magis fureret illius improbitas, eadem repetita imperia (*d*); ac Bertrando Cardinali A. S. L. datæ partes (*e*), ut in ipſum legibus ageret, cujus ſcelera his verbis in medium adducit.

(*b*) *To.* 5. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 247.
(*c*) *Ead. pag.*

(*d*) *To.* 6. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 204 & 215.
(*e*) *Ib. pag.* 37. & 40.

Ryzardi Cremon. doctrina de commercio infid. damnata.

*Rizardus Malumbre de Cremona approbationis, innovationis, & declarationis hujuſmodi* (nimirum criminis labem contrahere, non modo qui merces in conciliis œcumenicis vetitas Saracenis Ægyptiis veherent, verum etiam alias a Nicolao IV. Bonifacio VIII. Clemente V. prohibitas inferrent, aut illi flagitio conſentirent,) *non ignarus aſſerere, affirmare, aſtruere, ac dogmatizare verbo & ſcriptis in ſuæ ſalutis animæ diſpendium & multorum, quos ſecum in errorem hæreſis damnatæ ſatagebat trahere, perniciem & jacturam; quod deferre vel mittere Saracenis in Alexandriam, aut in alia loca Saracenorum terræ Ægypti victualia & alia quæcumque mercimonia, præter prædicta in eiſdem conciliis prohibita, non erat peccatum, præſumpſerat damnabiliter ac etiam præſumebat: quodque idem Rizardus hujuſmodi pravis ſuis ac iniquis actibus non contentus, ſed ſe Dei & eccleſiæ ac fidei catholicæ rebellem & hoſtem exhibens manifeſte, Raynaldo & Opizoni marchionibus Eſtenſibus, ac Galeatio de Vicecomitibus, ejuſque fratribus hæreticis, & de crimine hæreſis a ſuis competentibus judicibus ſententialiter & publice condemnatis; nec non Ludovico de Bavaria excommunicato, Dei & eccleſiæ rebelli & hoſti, adhæſerat*. Et infra: *Contra dictum Rizardum ſuper prædictis & ea tangentibus ſecundum formam canonum, ac privilegia officio inquiſitionis conceſſa ſolerter & diligenter per te, vel alium, ſeu alios inquirere ac procedere non poſtponas. Dat. Avin. non. maii.*

Idem adhæret. Gibellinis & Bavaro.

XXV.

Interea hoc anno ad Genuenſium gratiam juſtis cauſis adductus Pontifex apoſtolicas leges de non ferendis ad Saracenos mercibus ad biennium mollivit, cum ea reſpublica, antea florentiſſima opibus, tum ob civium diſſenſiones, tum intercepta commercia cum orientalibus ab antiquo ſplendore deficeret, neque ad Conſtantinopolitanum imperium, aliaſque plures provincias merces transferre poſſent. Permiſit (*f*) itaque retinendæ veteris dignitatis cauſa, ut merces ferro, telis, lignis, navalibus exceptis, ad Laodicenam oram Babylonio ſoldano obnoxiam advehere; indeque cum Perſis, Tartaris, Indis, & aliis populis, quibus Chriſtianorum commercio interdictum non eſſet, merces diſtrahere ac permutare poſſent. Impoſita (*g*) vero eſt archiepiſcopo Genuenſi provincia, ut ſacramento navium rectores e portu ſoluturos adigerent, ipſos contra imperia pontificia non ituros, nec merces vetitas Saracenis invecturos. Cum vero in pontificiis literis dicatur, Genuenſes ad Conſtantinopolitanum imperium merces devehere tum non potuiſſe, id ob Turcarum excurſiones, qui ea maria infeſta reddebant, videtur contigiſſe, de quibus ſupra ex Sanuto memoravi: is enim auctor ſuadebat propterea Romano Pontifici, ut claſſem ad reprimendos Turcas compararet, ita namque & Chriſtianorum libertati conſulturum; atque a Græcis, qui ad conjunctionem cum Romana eccleſia his beneficiis allicerentur, ſummam gratiam initurum.

(*f*) *An.* 10. *p.* 1. *ep. com.* 890.

(*g*) *Ib. poſt eand. ep.*

Data Genuenſibus facultas, ut cum infidelibus merces commutarent. Turcæ maria graſſationibus infeſtant.

* XXVI. Andronicus revocandæ ad Rom. Græcor. eccleſiæ deſiderii derium præſefert.

Præſeferebat (*h*) quidem Andronicus Imperator redintegrandæ cum Romana eccleſia conjunctionis deſiderium, atque oratores ad Francorum Regem Carolum miſit, quibus ſignificabat, ſe pacem cum omnibus Chriſtianis maximeque cum Gallis ſervaturum, & alias ingentes ſpes & promiſſa oſtentabat: de quibus ut certior fieret Carolus, Benedictum e Cunis Dominicanæ familiæ religioſum virum legandum cenſuit (*i*); quem Pontifex ad Robertum Regem Siciliæ ac Philippum principem Tarentinum tranſmiſit, ut quæ ipſis in tanta re gerenda viſa eſſent, optima conſilia explicarent.

(*h*) *To.* 5. *p.* 2. *ep. ſecr. p.* 266. & 372.
(*i*) *Ead. pag.* 266.

Oratorem ad Regem Francor. ea de re acturum mittit.

*Regi Siciliæ.*

*Significavit nobis chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Rex Franciæ & Navarræ illuſtris, quod vir magnificus Andronicus, qui ſe Romanorum Imperatorem*

*rem & moderatorem intitulat, per ſuas literas inſinuavit eidem, intentionis & voluntatis eſſe ſui imperii, velle pacem & amorem cum omnibus, & ſpecialiter Chriſtianis; & cum Regem ipſum, ejuſque domum, & prædeceſſores ſuper alios mundi principes ad hoc perciperet delectari, certum ad ipſum deſtinabat nuncium literarum exhibitorem ipſarum, ſuper intentione prædicta plenius informatum. Rex itaque præfatus ſcire, ut aſſerit, deſiderans certius; an ipſe Andronicus præfatæ intentionis exiſtat, & an quæ literis præfatis aſtruit, operibus cupiat adimplere, dilectum filium Benedictum de Cunis ordinis Prædicatorum ſacræ theologiæ magiſtrum ad eundem Andronicum pro ſcrutandis hujuſmodi providit de noſtro beneplacito cum ſuis literis deſtinandum.*

Robertus Rex Sicil. & Philip. princeps de ead. re conſulti.

*Nos autem attendentes, quod negotium hujuſmodi tuam excellentiam, nec non & dilectum filium nobilem virum Philippum principem Tarentinum germanum tuum inter cæteros catholicos principes non mediocriter tangit, volumus quod idem magiſter, prius quam ad dictum accedat Andronicum, ad tuam, dictique principis ſe conferat præſentiam, auditurus utriuſque intentionem, ac informationem, ſi quam ei dare decreveritis ſuper his, nobiſque illas poſtmodum reſcripturus. Quocirca regalem excellentiam attentius excitamus, quatenus cum eodem principe, quid nos deceat, vel expediat in hac parte, provida deliberatione diſcernens, magiſtrum eumdem reddere ſtudeat ſuper his plenius informatum: nos enim præfato magiſtro collegam alium in negotio ipſo cogitaveramus adjungere; ſed donec de tua, dictorumque principis & Andronici intentionibus ſuper his plenius nobis liquerit, conſultius id providimus differendum: ſuper quibus etiam præfato germano tuo per magiſtrum ipſum literas noſtras dirigimus opportunas. Datum Avinione* XIII. *kal. ſeptembr. an.* X.

XXXII. Miſſus ad Andronicum a Pont. internuntius.

De miſſo ad Andronicum Imperatorem Benedicto e Cunis, ut ipſum ac Græcos ad fidem orthodoxam alliceret, extant aliæ literæ (*a*), quibus ea ſpe facultatem ipſi tribuit, ut cum mathematicis (iis nimirum, quorum profanæ artes in prædicendis, magiſtro dœmone, vanaque aſtrologiæ oſtentatione, rerum futuris eventibus ab eccleſia damnatæ ſunt) & cæteris ſchiſmatis labe infectis publice occulteve ageret, concioneſque ſacras haberet. Terruerant Andronicum pervulgati de expeditione Gallorum Aſiatica ineunda ſermones, fueratque a Marino Sanuto admonitus (*b*), pleroſque Conſtantinopolitanum prius imperium expugnandum cenſere, & eorum opinionem in Regum conſiliis a ſe refutatam; ſollicitatuſque, ut Chriſtifideles contra Saracenos omni ſtudio juvaret. Cæterum præclara adeo de reſtituenda Aſiæ Chriſtiana religione, ac ſuperſtitione excindenda Mahumetica ob occidentalium diſſenſiones eſt turbata; neque univerſus exercitus, ſed leves copiæ ad defendendas Chriſtiani nominis reliquias orientem petebant, pluresque crucesignati oſtentationis magis, quam pietatis cauſa crucis ſymbolum ferebant: quos in Æmilia Pontifex a provinciæ præſide Aymerico archiepiſcopo Ravennate vel ad promovendam ſacram rem Aſiaticam profectionem inire, vel ſacrum ſymbolum abiicere monendos curavit (*c*).

(*a*) *Ib. pag.* 372.

(*b*) *Sanut. in lit. ad Andronic.*

Segniter bellum ſacrum geritur.

(*c*) *To.* 5. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 331.

XXVIII. Cyprii Græci male de fide ſentiunt.

Adducebatur hoc interim ſpatio in diſcrimen orthodoxa in Cypro religio, cum Neſtoriani duas in Chriſto perſonas, ipſumque non natura, ſed adoptione Dei filium; Jacobitæ contra unicam in eo tantum naturam contra œcumenica concilia cum Eutyche publice impieque effutirent: Cyprii etiam Græci purgatorium ignem negarent, ac perverſe ſentirent, neque improbos inferni pœnis affici, nec ſanctos cœleſti felicitate ad diem uſque extremum judicii potiri: ſacramentum etiam corporis dominici animalibus ad reſtituendam iis valetudinem porrigerent, ac niſi Conſtantinopoli deferretur, excipere abnuerent. Ad quas fœdas excindendas hæreſes Pontifex Raimundum patriarcham Hieroſolymitanum zelum explicare hiſce literis juſſit (*d*).

(*d*) *To.* 6. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 80.

*Joannes, &c. Raimundo patriarchæ Jeroſolymitano.*

*Trahimur in amara ſuſpiria, & multa mentis turbatione movemur, dum infra fines eccleſiæ catholicæ, curæ noſtri regiminis divina diſpoſitione commiſſæ, contra puritatem catholicæ fidei errores percipimus pullulare: ad quos extirpandos tanto ſolertius vigilare nos convenit, quanto majora formidantur ex illis pericula fidei & fidelibus proventura. Habet ſiquidem infeſta nimis de tranſmarinis partibus inſinuatio, nobis miſſa, quod in regno Cypri, ubi catholicæ fidei viget cultus, quidam iniquitatis filii, Neſtoriani & Jacobitæ vocati, quorum ſecta nequiſſima olim in conciliis generalibus reprobata extitit & damnata, ſe adverſus Dei ſcientiam extollentes, ac in damnatos errores & hæreſes incidere non verentes; præfati Neſtoriani in Chriſto Jeſu domino noſtro duas perſonas, & ipſum per inhabitantem gratiam adoptivum Dei Filium exiſtere; dictique Jacobitæ unam tantum ineſſe naturam contra veritatem orthodoxæ fidei damnabiliter profitentur; habentes ſuas illic diſtinctas eccleſias, in quibus errores & hæreſes hujuſmodi, non ſine magnis ſuarum & multorum aliorum animarum periculis, publice dogmatizant. Et inſuper quod Græci aliqui, qui pro majori parte in regno morantur eodem, negant*

Plures Neſtorii hæreſi infecti.

Alii cum Jacobitis unam in Chriſto naturam aſſerunt.

Alii purgatorium & infernum negant.



*gant purgatorium & infernum, aſſerentes mendaciter & temere, nullum ſanctorum eſſe in paradiſo uſque poſt judicium generale; ſed interim in certo loco quieſcere ſine pœna: & hoc idem etiam de malis aſſerere moliuntur. Alii quoque Græci ſunt ibi, qui ſacramento altaris non communicant, niſi eis de Conſtantinopoli deferatur, & nonnulli etiam alii hujuſmodi ſacramentum in eſcam jumentis pro ſanitate miniſtrare præſumunt.*

Infandum de Euchariſtia animalibus porrecta ſacrilegium.

XXIX. Patriarchæ Jeroſol. adverſus impios data imperia.

*Cupientes igitur prædictos errores & hæreſes de finibus fidelium extirpari, ac de tuæ circumſpectionis exquiſita prudentia plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ad extirpandum prædictos errores & hæreſes, ac reformandum & corrigendum quæ in hac parte reformanda noveris ac etiam corrigenda, intendere juxta datam a Deo tibi providentiam adeo ſtudeas diligenter, quod divinam & Apoſtolicæ ſedis gratiam uberius propter hoc merearis, &c. Datum Avin. kalend. octobris anno* XI. De gliſcentibus iis hæreſibus Hugoni Regi Cypri eadem ſententia ſcripſit Pontifex, (*a*) utque ad eas excindendas Raimundo patriarchæ regiam opem porrigeret, hortatus eſt; cum nullam majorem gloriam, quam in fide amplificanda, afferendoque ſtudio ne illius flos ac dignitas emarceſceret, colligere poſſet: *In virtute*, inquit, *ac decore fidei a Domino cenſentur conſtituti viri potentia præditi, & proſapia illuſtrium præcellentes, qui dum illam fulciunt, & ſe operoſos exhibent in illius dilatatione miniſtros, fama creſcunt & meritis, & a Domino in ſuis actibus diriguntur. Sed in eorum gloria non parum maculæ ponitur, cum in ſuis diſtrictibus fides vim patitur, & infidelium ſubjectorum morſibus laceratur; frequenter enim exercitatione membrorum caput affligitur, & nonnunquam pœna principibus propter peccata plebis infertur.*

(*a*) *Ead. pag.*

Solicitatus Rex Cyp. ut patriarcham fulciret.

Orientales linguæ in publicis ſcholis docendæ.

Cæterum propagandæ latius inter orientales nationes religionis ſtudio Pontifex decretum concilii Viennenſis de Græca, Hæbraica, Arabica, & Chaldaica linguis in celeberrimis gymnaſiis docendis inſtauravit, ac Pariſienſem epiſcopum, ad illud in academia ſorbonica operi mandandum, incumbere juſſit (*b*).

(*b*) *An.* 10. *p.* 1. *ep. cur.* 99.

Datæ ea de re ad epiſcop. Pariſien. literæ.

*Joannes &c. venerabili fratri epiſcopo Pariſienſi.*

*Cupientes, ut fidei Chriſtianæ religio, dilatato tentorii ſui loco, funiculos ſuos faciat longiores, & proinde ſalus proveniat animabus, plenam volumus habere notitiam, qualiter ſtatutum felicis recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri de ſcholis in Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ, & Chaldææ linguarum generibus in Pariſienſi & certis aliis ſtudiis erigendis, & a certis viris catholicis ſufficientem habentibus linguarum ipſarum notitiam ſcholis regendis eiſdem, ac de proviſione annua ipſis regentibus in ſtipendiis competentibus & ſumptibus facienda in concilio Viennenſi editum, quod dilatationem fidei & profectum animarum earundem reſpicere noſcitur, obſervetur in Pariſienſi ſtudio prælibato. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus* * *de illis & eorum numero, qui dictas ſcholas in præfato Pariſienſi ſtudio juxta hujuſmodi ſtatutum in linguis regunt eiſdem; & ſi ſcholares auditores habent, & qualiter in ſtipendiis & ſumptibus antedictis, & per quos & in quanta vel quantis pecuniariis ſummis dictis regentibus providetur, &c. Datum Avin.* VIII. *kal. aug. an.* X.

* nos certiores facias.

XXX. Amplificata apud Tartaros Chriſtiana religio

Proferebat ſe latius per id tempus in remotioribus orientis oris fides Chriſtiana, atque in Tartaria Imperator miſſos a Romanis Pontificibus ad eos populos Chriſtianis ſacris imbuendos epiſcopos perhumaniter excepit, & ad ſuſtentandam honeſte vitam ſtipendia attribuit, ut Andreæ e Peruſio epiſcopi e ſacro Minoritarum ordine ſuffraganei archiepiſcopi Cambalienſis ad Peruſinorum Minorum præfectum literæ teſtantur (*c*).

(*c*) *Ext. apud Vvad. to.* 3. *hoc an. n.* 2.

*Frater Andreas de Peruſio de ordine Minorum fratrum, divina permiſſione vocatus epiſcopus, reverendo patri fratri guardiano Peruſini conventus, &c.*

*Noviſtis me cum bonæ memoriæ fratre Peregrino coepiſcopo, & meæ peregrinationis individuo comite, præter multos labores & languores, inedias, variaque tormenta, atque pericula in terra pariter & in mari, ubi fuimus, rebus omnibus, etiam tunicis & habitibus ſpoliati; demum Deo juvante ad Cambalienſem civitatem, quæ ſedes eſt imperii magni Chanis, anno dominicæ incarnationis MCCCVIII. ut credo, perveniſſe: ubi ſecundum mandatum a ſede Apoſtolica nobis datum, archiepiſcopo conſecrato, moram ibi per quinquennium fere contraximus. Infra quod temporis ſpatium procuravimus alafa ab Imperatore magnifico pro victu & veſtitu octo perſonarum: eſt autem alafa impenſa, quam Imperator tribuit nunciis magnatum, oratoribus, bellatoribus, diverſarum artium artificibus, jaculatoribus, pauperibus, & diverſis diverſarum conditionum perſonis: quæ impenſæ plurium Latinorum Regum introitus & expenſas tranſcendunt. De divitiis, magnificentia, & gloria hujus magni Imperatoris; de vaſtitate imperii, multitudine populorum, numeroſitate civitatum, & magnitudine earundem; & de ordinatione Imperii, in quo nemo adverſus alium auſus eſt levare gladium, tranſeo, quia longum foret ſcribere, & audientibus incredibilia viderentur: nam ego ipſe, qui præ-*

Imperator Tartar. Andreæ epiſcopo ex ærario victum tribuit.

*præſens ſum, talia audio, quæ vix ipſe credere poſſum.* Et infra:

XXXI. *Eſt quædam magna civitas juxta mare oceanum, quæ vocatur lingua Perſica Cayton, in qua civitate una dives domina Armena eccleſiam erexit præclaram ſatis & grandem, quam quidem, de ipſius voluntate per archiepiſcopum in cathedralem erectam, cum competentibus dotibus, fratri Gerardo epiſcopo, & fratribus, qui cum eo erant, donavit in vita, & in morte reliquit; qui primus eandem cathedram ſuſcepit. Mortuo autem dicto epiſcopo, ibique ſepulto, voluit archiepiſcopus in eadem eccleſia me facere ſucceſſorem: ſed hujuſmodi locationi & ſucceſſioni me non præbente aſſenſum, ipſam contulit fratri Peregrino epiſcopo memorato, qui illuc habita opportunitate ſe contulit, & poſtquam paucis annis rexit eandem, anno Domini MCCCXXII. in craſtino octavæ Apoſtolorum Petri & Pauli diem clauſit extremum. Ante cujus diſceſſum per quatuor fere annos ego, qui in Cambaliech non eram conſolatus ex aliquibus cauſis, procuravi quod dicta alafa ſeu eleemoſyna imperialis mihi daretur in præfata civitate Caytonis, quæ diſtat a Cambaliech itinere hebdomadarum fere trium; ut dixi, ſolicite procuravi: & cum octo equitibus, ab Imperatore mihi conceſſis, ad eandem civitatem cum magno honore perrexi & applicui, adhuc fratre Peregrino præfato vivente; & in quodam nemore proximo civitati ad quartam partem unius milliarii eccleſiam convenientem & præclaram ædificari feci cum omnibus officinis ſufficientibus pro* XXII. *fratribus, & cum quatuor cameris, quarum quælibet eſſet pro quocumque prælato ſufficiens. In quo quidem loco moram traho continuam, & vivo de eleemoſyna regia memorata, quæ juxta mercatorum Januenſium æſtimationem aſcendere poteſt annuatim ad valorem centum florenorum aureorum vel circiter: & de hac eleemoſyna magnam partem in ædificatione loci prædicti expendi, cui ſimilem in eremitoriis in tota noſtra provincia nullum ſcio quoad pulchritudinem & omnem amœnitatem.*

*Denique non longo elapſo tempore poſt obitum fratris Peregrini recepi decretum archiepiſcopi de locatione noſtra in memorata eccleſia cathedrali, cujus locationi aſſenſum præbui, cauſa rationabili ſuadente: & nunc in loco, vel eccleſia civitatis, nunc in eremitorio moram facio juxta meæ libitum voluntatis, & ſum ſano corpore, & quantum longævitas vitæ patitur, aliquibus adhuc annis in hac meſſe laborare potero, licet canitiem habeam ex defectibus naturalibus, & proprietatibus ſenectutis. Sane in iſto vaſto imperio ſunt gentes de omni natione, quæ ſub cœlo eſt, & de omni ſecta, & conceditur omnibus & ſingulis vivere ſecundum ſectam ſuam.*

Inſtitutum a Joann. de illius miraculis religioſum examen.

*Eſt enim hæc opinio apud eos, ſeu potius error, quod unuſquiſque in ſua ſecta ſalvatur; & nos prædicare poſſumus libere & ſecure: ſed de Judæis & Saracenis nemo convertitur. De idololatris baptizantur quamplurimi, ſed multi ex baptizatis non recte incedunt per viam Chriſtianitatis. Quatuor noſtri fratres martirizati fuerunt in India a Saracenis, quorum unus bis in ignem copioſum injectus illæſus evaſit; & tamen ad tam ſtupendum miraculum nullus eſt a ſua perfidia permutatus, &c. Datum in Cayton anno Domini MCCCXXVI. in menſe Januarii.*

Omnes ſectæ apud Tartaros toleratæ.

XXXII. Superiore anno Placentini, permoti fama miraculorum Gregorii Papæ X. ſupplices a Joanne XXII. flagitarunt, ut illum in ſanctorum albo collocaret: ad quorum juſtas preces Joannes, ut in tanta re ſolitam conſilii maturitatem adhiberet, Piſano archiepiſcopo & epiſcopo Mutinenſi provinciam dedit (a), ut de illius ſanctitate & miraculis, adductis in religioſum examen teſtibus, publica documenta conficerent.

Gregorius X. miraculis clarus.

(a) An. 9. p. 2. ep. com. 1519.

*Joannes, &c. venerabilibus fratribus archiepiſcopo Piſano & epiſcopo Mutinenſi, ac dilectis filiis Bindo de Senis propoſito eccleſiæ Colonienſis notario noſtro.*

*Dudum ex parte dilectorum filiorum Jaconini de Pontecanali pro Rom. eccleſia rectoris, ac prioris antianorum, & ipſorum antianorum, nec non conſilii & communis civitatis Placentinæ coram nobis & fratribus noſtris propoſitum extitit, quod felicis recordationis Gregorius Papa X. prædeceſſor noſter; dum viveret, nitore ſanctitatis emicuit, converſatione reſplenduit, ac multis magniſque tam ante quam poſt ſuum obitum miraculis coruſcavit: quare pro parte ipſorum fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut de ejuſdem Gregorii vita & miraculis inquiſitione præmiſſa, ſi reperiremus præmiſſa veritate fulciri, eum aſcriberemus ſanctorum catalogo, ipſumque faceremus per univerſas eccleſias honore congruo ſolemniter venerari. Verum, licet prædicta coram nobis & eiſdem fratribus noſtris expoſita, ſi vera ſint, noſtrum & fratrum noſtrorum corda multiplici jucunditate repleverint; attendentes tamen, quod Romana eccleſia, præſertim in tanto negotio conſuevit cum magna maturitate procedere, ubi videlicet de re tam ardua quæritur, & de cœleſtibus indagatur; nam ſi difficile exiſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore, quæ in cœlis ſunt quis inveſtigabit? ut tutiori & ſolidiori tramite procedamus, diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo veſtrum in loco vel locis, ubi expedire videritis, de vita, converſatione, ac miraculis Gregorii prædicti cæteriſque cir-*

Placentini SS. catalogo annumerandum poſtulant.



*cumſtantiis, hujuſmodi negotium contingentibus, juxta formam, quam vobis ſub bulla noſtra tranſmittimus intercluſam, inquiratis diligentius veritatem; & quæ ſuper præmiſſis inveneritis, fideliter in ſcriptis redacta, ſub teſtimonio ſigillorum veſtrorum per viros idoneos ad ſedem Apoſtolicam deſtinetis, ut per inquiſitionem veſtram ſufficienter inſtructi, ſicut res exigit, & expediens viſum fuerit, ſecurius in ipſo negotio procedere valeamus. Dat. Avin. VI. id. maii anno IX.* Conditæ erant Gregorii reliquiæ in Aretina eccleſia, cujus diœceſis hoc anno diſpartita eſt (a), condito Cortonæ novo epiſcopatu.

Conditur epiſc. Corton.

(a) Ib. ep. com. 2672.

Con-

I. COncuſſit (*a*) Italiam Ludovici Bavari ad eam ſibi armis ſubiiciendam, corripiendaque vi inſignia imperii, adventus anno Chriſti milleſimo vigeſimo ſeptimo indictione decima: cum enim ob Caroli ducis Calabriæ, qui Florentinam rempublicam adminiſtrandam ſuſceperat, & Joannis S. Theodori Cardinalis A. S. L. & publicæ pacis ſervatoris in Etruria inſtituti ſuperiori anno acceſſum, annuas Regis Siciliæ in Trinacriam irruptiones, attritamque Friderici potentiam, & Inſubriam a Bertrando legato continuis afflictam bellis, Gibellini hinc armis, hinc cenſuris pontificiis urgerentur, illum crebris legationibus & pollicitationibus ad maturandum iter pellexere. Indixit (*b*) Tridenti menſe februario ſuæ factionis comitia Ludovicus, in quibus plura perperam geſſit, ſchiſmaticorumque & impiorum illuviem ad ſe traxit, qui in eum prorupere furorem, ut ſupremum in terris Chriſtianorum caput anathematis notarent infamia, captatiſque ex nomine inanibus argutiis, ut facete ſacrilegi viderentur, presbyterum Joannem appellarent: ex quo pontificiæ dignitatis contemptu ſententiæ apoſtolicæ habitæ ludibrio, & eccleſiaſticum interdictum, coram Ludovico, divinis celebratis officiis, violatum. Eminebant (*c*) inter cæteros impietate ſceleſtiſſimi Ludovici Bavari aſſentatores Marſilius Patavinus theologicæ ſcientiæ improbus interpres, & Jandunus philoſophicarum argutiarum nugarumque artifex, qui novis hæreſibus ex inferis excitatis, id unum moliebantur, ut eccleſiam Dei excinderent, vel fœdiſſimæ ſubiicerent ſervituti; quibus Pontifex quinto idus aprilis judicium hæreſeos intendit: ſed de his agetur inferius. Nunc Bavarum Italiam ingredientem ſequamur [1].

(*a*) *Jo.* 22. *to.* 6. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 60.

Bavarus in Italiam a Gibellinis excitatus.

(*b*) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 17. Tridenti ſuorum conventus agit.

(*c*) *To.* 6. *p.* 3. *ep. ſecr. p.* 221. Marſilius & Jandunus ad illius gratiam fingunt hæreſes.

II. Cum de Tridentinis conventibus habitis a Gibellinis certior eſſet factus a Bertrando legato Joannes Papa, tenues eo-

NOTÆ [1] LUdovicus Bavarus hoc anno Italicam expeditionem ſuſcepit, atque in ipſo limine, Tridenti ſcilicet, frequentem conventum habuit, quo plures Italorum Principes convenerunt. Tridenti adhuc agebat die VI. Kal. Martii, qua die ex urbe illa dedit literas ad Fridericum *Siciliæ*, ut appellat, *Regem*; & alias ad Petrum ejus filium de ſuo in Italiam adventu certiores illos faciens, paratumque ſe ad omnia eorum commoda ſpondens. Recitat literas illas anonymus Siculus apud Martene cap. CXVI. Juratum eſt ibi ab omnibus in verba Ludovici, quem Itali adjuturos ſe armis, & pecunia ſpoponderunt ut Guelfos conficeret, & imperii coronam adipiſceretur. Cum vero in eo conventu plures eſſent epiſcopi, ut non laicorum tantummodo civilis congreſſus haberi poſſet; ſed & concilium eccleſiaſticorum, cauſa pariter Eccleſiaſtica diſcuſſa fuit de orthodoxia ſcilicet Joannis papæ, & accuſationis ſexdecim capitibus, præſertim circa ea quæ de paupertate Chriſti docuerat, propoſitis, & admiſſiſque hæreticum illum plane & a fide Catholica alienum pronunciarunt. Hæc damus ex fide Joannis Villani lib. X. cap. XV. qui licet inanes interdum rumores pro veris & compertis obtrudit; probabilia tamen hac in re ex idoneo aliquo authore audita narrare videtur. Ita rebus Tridenti compoſitis, Ludovicus iter promovens Bergomum, inde Comum pervenit menſe Martio teſte Joanne Villani ibidem, & authore chronici Bononienſis Rer. Italic. tom. XV. non *Majo* menſe ut per errorem forte amanuenſis ſcripſit Bonicontrus Morigia author coævus chronici Modoetienſis lib. III. cap. XXXVII. Longiorem in ea urbe moram ut protraheret coegit Margharitæ uxoris ſuæ, quam operiebatur adventus. Cum veniſſet, Mediolanum actutum ſe contulit die XVII. Maii ait Morigia, qui tunc præſens aderat in chronico Modoetienſi, cui per omnia adſtipulatur ejus pariter ætatis Galvancus Flamma ord. Præd. in manipulo florum cap. CCCLXV. Errant igitur veteres illi ſcriptores, qui cum authore rerum Mediolanenſium vulgato Rer. Italic. tom. XVI. pro die XVII. diem XXVII. ſubſtituerunt. Ita rebus conſtitutis, Ludovicus ferrea corona ornatus fuit quam Modoetia advectam Mediolani recepit, ceræmoniam hanc agente Guidone Epiſcopo de *Aretino Archiepiſcopo Mediolanenſi*; quæ verba ſunt Morigiæ in chronico Modœtienſi, ex quibus diſcimus (niſi forte mendum aliquid in textum irrepſerit) a ſchiſmaticis depoſitum fuiſſe Fr. Aycardum archiepiſcopum Mediolanenſem (qui tunc extorris agebat ob ſecutas partes pontificis) ejuſque loco Guidonem electum. Epiſcopus alter, qui comes huic acceſſerat, fuit Fridericus de Madiis olim Brixenſis epiſcopus, quem Pontifex deſtituerat. Hujus epiſcopi, de quo ſilet Morigia, & Flamma, meminit eorum pariter temporum fere æqualis Jacobus Malvecius, qui Brixianum chronicon ad annum uſque 1332. perduxit. Vulgatum eſt opus illud rer. Ital. to. XIV. Tridentinum etiam epiſcopum, itidem depoſitum a Pontifice, adfuiſſe cæremoniæ huic ſcribit vetus author annalium Mediolanenſium cujus ſuperius meminimus. Id actum ſacra pentecoſtes die, ultima maii, ſcriptores omnes teſtantur. Nec ita multo poſt, die V. julii feſto S. Margaritæ ſacra, Galeatium Vicecomitem principatu Mediolani expoliavit, egitque captivum. Hæc Galvaneus Flamma ibidem; ſed cum notet diem illam V. julii ſacram fuiſſe memoriæ S. Margaritæ virginis, nec in ullo unquam veteri martyrologio, nec in Mediolanenſi pariter, quod adnotationibus Boſchii ante plures annos excuſum eſt, legerim die illa V. julii S. Margaritam cultam uſſibi fuiſſe, mendoſum eſſe hujus ſcriptoris textum ſuſpicor. Joannes Villani lib. X. cap. XXX. diem VI. ſignat; quem Morigia, oculatus teſtis, ut ſæpe alias monuimus, diem VII. julii præfert. Exauctorationis hujus cauſas alii alias prætexunt, veriſſimam cenſeo, quam Morigia aſſignat. Narrat ille Galeatium de rebus cum pontifice componendis jamdudum cogitaſſe



rum vires, ſuaſque ſuperiores arbitratus, nullas timendi cauſas ſubeſſe, exaratis XII. kalendas aprilis literis, reſpondit; (*a*) parteſque ipſi dedit, ut cum Carolo duce Calabriæ, cui eo argumento eadem die reſcripſit (*b*), ad propulſandos hoſtes ſe compararet: ſed Pontificis conſilia & vires Bavari vicit bellica audacia. Cujus itinera Marinus Sanutus (*c*) deſcripſit, datis ad Cardinales ſibi familiares literis, quibus auctor erat, ut ad declinanda mala imminentia Pontifex Ludovicum admitteret in gratiam, cum populorum ſtudia in eum vergerent. Ingredien-

(*a*) *Ib. pag.* 61.
(*b*) *Ibid.*

(*c*) *Sanut. in appen. ep.* 16. Ludovici ingreſſus in Inſubriam.

NOTÆ taſſe, tantumque rem proceſſiſſe, ut non multum abeſſet a concordia. Arcanas haſce molitiones ſubodoratas Marcus vicecomes, Galeatii frater, Ludovici fautor præcipuus & fratri ſuo infenſus, actutum ſe ad Ludovicum, tunc agentem Tridenti, contulit, quem & ſollicitavit, ut ſtatim Mediolanum proficiſcens rebus ſuis provideret. Conſilium admittens Ludovicus, profectionem Mediolanenſem maturavit, ac dejecto Galeatio ejuſque fratribus & filiis, omnes, excepto Marco, habuit captivos; qui tandem intercedentibus Italis pluribus principibus, dimiſſi ſunt, primo quidem reliqui, uno Galeatio retento teſte Galvanco Flamma in manipulo capit. CCCLXV. tum ipſo demum Galeatio, ut aſſerit Morigia in chronic. Modoet. qui tamen anno ſequenti id actum ſignificat. In hac Mediolanenſi mora coactum ibi a rege concilium, in quo Joanne XXII. abrogato, Petrus de Corvaria aſſumptus fuit, ſcripſit Petrus Azarius, qui chronicon principum Vicecomitum ad ſua uſque tempora, annum ſcilicet MCCCLXII. perduxit, vulgavitque Muratorius rerum Italicarum tom. XVI. Ita enim ille capit. VII. *Dum prædicta gerentur, convocato concilio in Mediolano, & etiam partecipantibus quampluribus Lombardiæ & Alemanniæ, & ſecum,* (cum Ludovico ſcilicet) *ſociatis, & in opprobrium prædicti Joannis papæ, propter ea quæ ipſe committebat contra imperium, ejuſque participes, creaverunt alterum antipapam &c.* Verum cum electio Petri de Corvaria in pontificem non niſi ſequenti anno Romæ contigerit, ut accurati omnes & eorum temporum ſcriptores affirmant; & ſcriptor iſte multa interdum miſceat, locis & temporibus diſtincta, non inanis ſuſpicandi conjectura datur, num forte in unum confundat electionem Antipapæ, quæ ſuccedenti anno contigit, cum celebratione concilii, quod hoc anno a Ludovico Mediolani adhuc agente, haberi potuit. Niſi reputaverimus hoc ipſo anno 1327. in Mediolanenſi concilio Joannem Papam depoſitum, ejuſque loco deſtinatum fuiſſe Petrum de Corvaria, qui tandem anno ſequenti Romæ initiatus fuerit. Seu potius ſequi maluerimus fidem Andreæ Ratiſponenſis, cujus chronicon vulgavit Eccardus in Corpor. Hiſtoric. med. ævi to. II. qui concilium a Ludovico habitum non Mediolani, ſed Romæ commemorat. Florebat Andreas circa medium ſæculi XV. Concilium equidem in Italia a ſchiſmaticis celebratum, ſcribit pariter Joannes Marius in lib. de ſchiſmat. & concil. cap. XXI. ubi pariter meminit alterius concilii a Joanne pontifice adverſus antipapam Avenione habiti, non quidem iſto anno, cui per errorem a Labbeo adſcribitur, cum non niſi ſequenti antipapa aſſumptus fuerit. Verum cum ſcriptor iſte recentior ſit, quam ut fidem ſola aſſertione ſua mereatur; ſcribebat enim ſæculo XVI. & veteres omnes coævique ſcriptores de hoc Avenionenſi concilio nihil memorent, eidem ſcriptori fucum factum cenſeo ex concilio Avenionenſi habito anno præcedenti 1326. die XVIII. junii, cujus canones legas in collectione Labbeana to. XV. col. 280. Venet. edit. Nec ipſe pariter Joannes in literis quas de condemnatione a ſe facta Nicolai antipapæ ſcripſit, vulgatis a Martenio anecdot. to. II. ſententiam hanc in concilio dediſſe ſe unquam meminit. Ablegandum eſt igitur a collectionibus conciliorum hujus vel ſequenti anni concilium Avenionenſe; ejuſque loco ſubſtituendum eſt Mediolanenſe hujus anni, vel forte Romanum anni ſequentis conciliabulum. Nunc iterum ad Bavarum.

Mediolano exivit Ludovicus die V. auguſti; ſed caſtris non longe poſitis aliquandiu ibi ſubſtitit ait Flamma cap. CCCLXV. Locum caſtrorum Flamma appellat *Bianchetam in pratis Domini Andreæ de Orto*; nec alium deſignari credo a Joanne Villani lib. X. cap. XXXI. cum profectum illum ſcribit in oppidum Brixianæ, quod appellabatur *li Orzi*, ibique & generalem totius Lombardiæ & Tuſciæ conventum indictum aſſerit. De hoc tamen conventu nihil apud utrumque ſcriptorem ſupparem & gentilem. Inde movens die XIII. auguſti, quem diem ſignat Morigia in chronico Modoetienſi, eodem auguſto menſe in Tuſciam ad Petram-Sanctam, tunc ditionis Lucenſis oppidum, pervenit, ubi & moram aliquandiu prorogavit. Hæc Andreas Dei ſcriptor chronici Senenſis, tunc Senis agens, quod ejus opus vulgatum eſt rer. Ital. to. XV. Repugnat huic chronologiæ Villanus lib. X. cap. XXXI. quippe, qui nonniſi ſeptembri jam cœpto ad oppidum illud veniſſe Ludovicum aſſerit. Cum vero ſcriptor ille in chronologicis erret frequenter; ideo alterius ſcriptoris, alioqui diligentis nec ab iis locis remoti, fidem ſequi maluimus. Secundum hæc die VI. ſeptembris, ut Hiſtorici omnes conveniunt, ad obſidionem Piſanæ urbis ſe contulit, quam diutina expugnatione dierum XXVIII. ut ſcribit Nierius, author coævus hiſtoriæ cujuſdam Lucenſis adhuc ineditæ ſollicitatam, tandem die XI. octobris obtinuit. Quæ ibi egerit ex hiſtoricis, Joanne Villani lib. X. cap. XXXIII. Andrea Dei in chronic. Senenſ. ad hunc annum repetas. Secundum hæc Lucam venit cum Caſtruccio die IV. novembris, unde Piſtorium excurrit; tum iterum ſe Lucæ reſtituit in feſto S. Martini, teſte Nierio, ibique urbem, cum tota ejus ditione, Piſtorio pariter, Luna, Volaterris, & S. Geminiano Caſtruccio, ducis titulo inſignito, afferuit, ſignato diplomate die XVII. novembris anno 1327. quod in appendice ad vitam Caſtruccii ex Aldo decerptam, & vulgatam Romæ anno 1590. legitur. His peractis reverſus eſt Piſas die XXIII. novembris ait Joannes Villani lib. X. cap. XXXVI. ſed Nierius diem XVIII. ſignat. Nec ita multo poſt die nempe XXI. decembris, ut recte Andreas Dei in chronic. Senenſi, profectionem Romanam ſuſcepit. Hæc latius aliquanto deduxi tum ad majorem lucem iis quæ in annalibus traduntur affundendam, cum pariter ut ſuus rebus ordo conſtaret. MANSI

Florentini oratorem ad Pont. mittunt.

(a) To. 6. p. 2. ep. ſecr. pag. 50.

diente Italiam Bavaro, Florentini ut periculum anteverterent, oratorem miſere (*a*) ad ſedem Apoſtolicam Simonem Pazium, qui a Pontifice flagitavit, ut adverſus Ludovicum ne Italiam penetraret, ſacram expeditionem dato crucis ſymbolo indiceret; Bononienſes exules, ut civitas milite inſtructior foret, patriæ reſtitui a legato juberet; ac Ferrarienſes ad augendas vires in gratiam admitteret. Cui reſpondit Joannes (*b*), adducturum ſe in deliberationem, an crucis ſigna in Ludovicum eſſent explicanda: tutum non eſſe Bononienſes exules revocare in patriam, ne proditionem conflarent: Ferrarienſes, qui recenter cum Tridentinis coitiones inierant, vix ad officium adduci poſſe. Navata tamen ei rei opera (*c*). De Bononienſibus etiam exulibus in patriam reducendis data legato imperia (*d*), ſi e pontificia re id fore cognoſceret; alios vero cives hortatus eſt, ne ob Ludovici in Inſubriam irruptionem animos deſponderent, ullisve adverſis rebus ab eccleſia divelli ſe paterentur. Tum certiores fecit, quibus cenſuris hoſtes defixi eſſent.

(b) Ibid. pag. 45.

(c) Pigna de Princ. Ateſt. l. 4.

(d) To. 6. p. 3. ep. ſecr. pag. 126.

Solicitati ad conſtantiam Bononienſes.

*Ipſe quidem*, inquit, *Ludovicus ſuis demeritis exigentibus, ſicut vos noſſe credimus, jure ſi quod ei ex electione, quam de ſe celebratam aſſerit, ad regnum Romanorum acquiſitum fuerat, privatus jamdiu extitit, juſtitia exigente: ac ſubſequenter ducatu Bavariæ, & omnibus feudis quæ ab eccleſia Romana, ſeu eccleſiis aliis, vel imperio obtinebat; nec non & omnibus privilegiis eccleſiaſticis & imperialibus fuit his diebus præteritis privatus, ſeu declaratus privatus, juſtitia exigente. Et nihilominus extitit declaratum ipſum fautorem hæreticorum notorium, ipſumque pœnas inflictas talibus incurriſſe. Et quia de hæreſi evidentius eſt convictus, ad audiendum ſuper hoc ſententiam eſt ſibi peremptorius terminus aſſignatus, ſicut plenius in noſtris proceſſibus, quos dilecto filio Bertrando tit. S. Marcelli presbytero Cardinali A. S. L. in illis partibus tranſmittendos duximus, poteritis intueri. Illos autem Dei hoſtes & noſtros ac veſtros, tyrannos ſcilicet de Mediolano, de Ferraria, & de Mutina, de hæreſi ac de fautoria; illum de Cumis, & de Luca, & de Aretio condemnatos, veſtra prudentia non ignorat, &c. Dat. Avinione* III. *kal. maii anno* XI. Excitati ſunt ad conjunctionem armorum & conſtantiam ſimillimis literis alii fœderati populi: tum Benignus & Albiſſus e Vico judices Piſani ob navatam eccleſiæ operam commendati (*e*). Ut vero Piſani demum ſub Bavari potentia & artibus ſuccubuerint, videbitur inferius.

Intentatum Ludovico judicium hæreſeos. Guelphi in hoſtem ad arma concitati.

(e) To. 6. p. 2. ep. ſecr. p. 71.

Ludovicus Mediolani ab excommunicatis corona ferrea redimitus.

III.

Interea redimitum ipſum magna pompa, exeunte majo die ſacro pentecoſtes in æde Ambroſiana, refert Joannes Villanus (*f*): non quidem ut moris eſt, ab Aycardo Mediolanenſi archiepiſcopo; illum enim partium eccleſiæ defenſorem acerrimum vidimus, pontificiamque potius in Ludovicum ſententiam, ut fuerat juſſus (*g*), divulgabat; ſed a Guidone Tarlato olim Aretino exauctorato & Brixienſi defixo anathemate epiſcopis, qui dignitatem ſuis ſceleribus inquinarant. Interfuere vero profanæ celebritati Gibellinæ factionis proceres: qua perfecta pompa colligendo in militum ſtipendia auro intentus Bavarus Galeatium, & ejus filium ac fratres, pro quibus tuendis Pontificis hoſtem ſe profeſſus erat, in vincula conjecit. Aſcripta eſt, ut refert S. Antoninus (*h*), hujus tyranni calamitas divinæ vindictæ, ut ab illo, quem exciverat ad deprimendam eccleſiam, dominatu pelleretur. Sed nec minus Ludovicum ingrati animi vitio in ea re laboraſſe ſubjicit. Terruere Galeacii aliorumque Vicecomitum vincula Gibellinos proceres, (*i*) quos ut ſibi conciliaret Ludovicus, ac ſuſpiciones de ipſo conceptas amoveret, indictis comitiis, plura objecit Galeatio; atque inter cætera, de defectione ad pontificias partes conſilia cum Bertrando legato Cardinale agitaſſe: quæ an vera eſſent, an ad abolendam invidiam facti ſubornata, non eſt facile diſcernere. Marcum vero Vicecomitem, ut ab omni criminis labe purum, vinculis ſolvit: Luchinus & Azo ducentis ſupra quinquaginta aureorum millibus redimere libertatem juſſi.

(f) Jo. Vill. l. 10. c. 19. Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 5. Alber Argen. in chron. Mutius lib. 24.

(g) To. 6. p. 2. ep. ſecr. pag. 50.

(h) Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 5.

(i) Id. ib. c. 33. Ant. ubi. ſup.

Luchinus & Azo libertatem magno pretio redimunt.

Ludovicus porro refecto ea ratione ærario, ac ſumpta, uti dictum eſt, Mediolani ferrea corona, ad auream Romæ accipiendam ſe accinxit. Ferunt nonnulli (*k*) ipſum, ut morem majorum ſervare videretur, oratores ad Pontificem miſiſſe, qui ab ipſo depoſcerent, ut Romam ad conferendum illi imperiale inſigne accederet, vel legatis, ut Clemens V. cum Henrico VI. egerat, id munus tribueret. Sed abhorrebat longe a confirmando Ludovico Joannes, cum non modo juribus imperii, verum etiam ducatu Bavariæ illum privarit (*l*), ac ſententiam ad Joannem Regem Boemiæ tranſmiſerit (*m*): illius juſſu Joannes S. Theodori diaconus Cardinalis die S. Joanni Baptiſtæ ſacro ſententiam in eum, ut hæreſis nota contaminatum & eccleſiæ perſecutorem latam, divulgarit (*n*) Florentiæ: data (*o*) ſint Aycardo Mediolanenſi archiepiſcopo eadem imperia in Inſubria: in Germania Balduinus (*p*) Trevirenſis archiepiſcopus, qui etiam tum rem diſtulerat, Ludovicum omnibus pœnis pontificia ſententia comprehenſis devinctum pronuntiarit: Henricus Colonienſis archiepiſcopus (*q*) parem in ſenten-

(k) Caſpin. de Cæſar. Thrithem. in chron. Hirſang.

(l) To. 6. p. 1. ep. ſecr. pag. 44.

(m) Ibid. pag. 51.

(n) Jo. Vill. l. 10. c. 26.

(o) To. 6. p. 2. ep. ſecr. pag. 50.

(p) To. 6. p. 1. ep. ſecr. pag. 51.

(q) Ead. p. 1. ep. ſecr. pag. 48.

tiis



tiis pontificiis divulgandis laudem tulerit; ac Matthias Moguntinus una cum aliis archiepiſcopis ad inſectandum Bavarum ſit excitatus (*a*).

(a) Ib. p. 44.

Germaniæ etiam principes ac populi ſolicitati (*b*), ne nova ab illo vectigalia, ad quæ exigenda turrim in Rheni inſula excitarat, imponi ſinerent, priſtinamque tuerentur libertatem. Vetiti etiam Italiæ proceres, ut Philippus (*c*) Sabaudus, Guecelo (*d*) Tempeſta, Tarviſini, pluresque alii ſentire cum Ludovico, ſed omni contentione ſuum eccleſiæ ſtudium explicare juſſi. Placentini (*e*), ut urbem propugnaculis contra Ludovici impetus munirent, admoniti (*f*). Genuenſes, inter quos Gibellini invaluerant, ad mutuam concordiam excitati (*g*). Commoverat enim populos Ludovici adventus, atque hos ſpe, hos metu concitarat. Ac Piſis (*h*) quidem, cum de Ludovico Mediolani coronato nuntius acceſſiſſet, coorta ſeditio, ſed magiſtratuum diligentia mox repreſſa.

(b) Ead. pag.

(c) Tom. 6. p. 2. ep. ſecr. pag. 78.

(d) Ead. p. pag. 71.

(e) Ib. pag. 82.

(f) Ib. pag. 95.

Genuenſes mutuis diſcordiis diſciſſi.

(g) Ib. pag. 70.

(h) Jo. Vill. l. 10. c. 24.

IV.

Seditio Piſis orta compreſſaque.

(i) Ib. c. 20.

Romani urgent Pontificem, ut in Urbem veniat.

Graviores vero motus Romæ a populo nobiliſſimiſque civibus concitati. Agebat (*i*) eos indignatio, tranſlatam Avenionem a Gallis Pontificibus Apoſtolicam ſedem, amiſſoque veteris imperii ſplendore, ipſos ſummi ſacerdotii dignitate carere: orbatam Pontificis & Cardinalium præſentia Urbem in ſqualore jacere, civium numero minui, attenuari opibus, vetera eccleſiarum decora in rudera redigi. Joannem itaque demiſſis primum precibus interpellarunt, ut ſedem Apoſtolicam Romæ reſtitueret. Quos Pontifex mulcere adventus ſui ſpe ſubjectis literis conatus eſt (*k*).

(k) To. 6. p. 2. ep. ſecr. pag. 13.

Pontificis excuſatio.

*Joannes, &c. dilectis filiis conſilio & populo Romano.*

*Super eo nimia commendatione condigno, quod vos, utique filii benedictionis & gratiæ, videndi patris avidi zelatores, inſtanter a nobis & gratanter exigitis, ut matris & univerſalis eccleſiæ S. Petri Apoſtolorum principis limina viſitemus, advertat quæſumus veſtra prudentia variam negotiorum urgentiam, quæ pro tranquillo ſtatu cunctorum Chriſti fidelium & præſertim Italiæ partium diutius, proh dolor! inquietæ, nos ad præſens inexplicabiliter detinet occupatos. Verum illis (in quibus filiali compaſſione, ſi libet, æquanimiter & amabiliter potius corporalem ex cauſa noſtram ſupportetis abſentiam, cum divinæ majeſtatis auxilio proſpere, ſicut cupimus & pariter affectare vos credimus, conſummatis) nedum libenter & prompte, immo anhelantibus ex corde affectibus hujuſmodi limina ipſius eccleſiæ, cujus miniſter apoſtolicæ ſervitutis exiſtimus, iter bonum parante nobis Altiſſimo, viſitare curabimus præſentialiter; fruituri, ſi Deo placuerit, veſtra paternis affectibus corporea*



*viſione: licet inſpiciamus vos mentalibus oculis & favoribus præviis, quos bono modo valemus, & gratiis geramus vos merito in viſceribus charitatis, &c. Datum Avin.* XIII. *kal. februarii anno* XI.

V.

Repetitæ apud Joannem Rom. preces.

Non his promiſſis deliniti Romani quievere, ſed magis tumultuati ſunt, cum Ludovicum Romam cum exercitu petere rumor increbreſceret: ac Pandulphus Anguillariæ comes & Annibaldus de Annibaldis regionarii, atque a Roberto Rege Siciliæ Urbis ſenatore publicæ rei præfecti, haſce literas (*l*) Pontifici tranſmiſere, quibus obteſtabantur, ut iter Romam intenderet; ac ſignificabant, populum intuendæ illius ſanctitatis cupidiſſimum ad retundendos Ludovici impetus ſe comparare.

(l) Ext. ib. pag. 4.

*Epiſtola Pandulphi comitis Anguillariæ & Annibaldi de Annibaldis, regiorum in Urbe vicariorum, ad Joannem XXII.*

Magiſtratus literæ de ea re datæ.

*Licet veſtræ beatitudinis, ſanctæque matris eccleſiæ profiteamur eſſe fideles; ex debito tamen noſtri officii pro ſubſidio veſtri peculiaris populi Romani ſoliciti reddimur ad cuncta, quæ veſtræ placeant ſanctitati. Et quamvis beatitudo veſtra univerſali præſit eccleſiæ; peculiari tamen jure præeſt civitati Romanæ: & tanto amplius veſtra ſanctitas in ſcrinio beatitudinis veſtræ crebro populum prælibatum decet habere, quanto qui nati ſunt & continue naſcuntur totis viſceribus mentis & animi deſiderant continuis recitationibus videre ſanctitatem veſtram; his præſertim temporibus, quibus inſurrexerunt nova illius peſſimi tyranni Bavari ſanctæ matris eccleſiæ inimici, qui ut fertur, ad ipſam veſtram civitatem ut ipſam viribus intret, dirigit ſuos greſſus: quem Romanus populus reputat inimicum, & contra eum diſponimus cum dicto populo pro veſtra ſanctitate & ſancta matre eccleſia viriliter reſiſtere, & pati, ſi oportuerit, corporum cruciatum; & cum ea aviditate, qua poſſumus, nos cum populo memorato ſtudemus ad hoc facere apparatum, &c.* Extulit (*m*) multis laudibus Joannes præclarum illorum in ſedem Apoſtolicam ſtudium, atque ad conſtantiam in retundendo Ludovico Bavaro eos eſt cohortatus, ſe opportuno tempore ſedem ipſam Romam tranſlaturum pollicitus. Conſignatæ hæ literæ VI. id. junii. Quo etiam die alias ad Jacobum Sabellum, pluresque alios patritios Romanos dedit (*n*), rogans ut omni ope anniterentur, ne Romani Bavaro ſtuderent.

(m) Ead. pag.

(n) Ead. pag.

VI.

(o) Jo. Vill. l. 10. c. 20.

Miſſus iterum orator, ut in Urbem rediret.

At dum hæc ſcribebat Pontifex, Romani plurima novarant in Urbe (*o*), atque in Ludovici partes propendebant, ne Urbem ipſam cædibus ac direptioni exponerent: parati tamen pro majeſtate pontificia bellum gerere, ſi Joannes ſedem Apoſtolicam Romam reduceret. Quem



ut

ut permoverent magis, Matthæum Urſinum ex ſacro Prædicatorum ordine religioſum virum, poſtea creatum Cardinalem, oratorem decrevere, ſubjectiſque literis (a), ut reditum maturarent, inſtitere: *Quoniam totius mixti corporis connexio ſpiritualis ſuperioribus inferiora ſubjecit, & caput unum membris ſingulis excellentiæ ſublimitate præfecit, condignum proculdubio æſtimamus, ut culmini Apoſtolicæ ſedis cujuſcumque ſubſit dignitatis poteſtas, non ſolum veſtræ almæ Urbis, ſed totius orbis, cui Deus claves regni cælorum conceſſit, ac primatum contulit pontificii ſingularis; &, ei quem univerſalem Regem, præſulem, & paſtorem Salvator inſtituit, cuncti qui Chriſtiani vocabulo nuncupantur, humiliter pareant, & paſtorali præeminentiæ inclinentur.*

(a) Ext. apud Jo. to. 6. p. 2. ep. ſecr. pag. 3.

Propoſitum Romam divinitus electam Pontificum ſedem.

*Ut veſtræ reverendiſſimæ ſanctitati pateat manifeſte totius veſtræ Urbis, & generaliter omnium civium Romanorum voluntaria unitas & unita voluntas implendæ ſanctæ matris eccleſiæ, & * ſedis veſtræ beneplacita & mandata ſincero animo & valenti; latorem præſentium reverendum virum magiſtrum Matthæum de filiis Urſi provincialem Romanæ provinciæ fratrum ordinis Prædicatorum, vita & ſcientia approbatum, quem pro ſanctæ Romanæ eccleſiæ, veſtræ devotionis honore fervidum novimus zelatorem, quemadmodum in veſtrorum publicatione proceſſuum experimento didicimus, quos conſtanter publicari mandavit, curavimus ad veſtræ ſanctitatis pedes ſingulariter deſtinare, qui ut concivis fidiſſimus reverentiam veſtram de intentione & affectione noſtræ voluntariæ unitatis certiſſime informabit; expectantes & optantes quidquid per eum veſtra beatitudo duxerit intimandum, & mandare decreverit ſervis ſuis, paratis contra quoſcumque rebelles, ſedi Apoſtolicæ non parentes, toto conatu inſurgere & pro viribus obviare. Cæterum cum filiorum affectus ſuſpenſis deſideriis patris expectent præſentiam perſonalem, ſicque expectatione diutina ſuſpirent propenſius & anhelent ſanctitati veſtræ devote & humiliter ſupplicamus, quatenus ipſos veſtros filios in Urbe veſtra inclita dignemini corporali viſitatione eorum deſideria cito cum gaudio adimplere.*

* ſanctitatis.

Preces additæ ut ſedem urbi reſtituat.

VII. Queritur Pont. novatum eſſe in Urbe.

Acceptis hiſce Romanorum literis Pontifex, ſolitis verborum blandimentis opportuno ſe tempore in Urbem acceſſurum, reſpondit (b); graviſſimeque expoſtulavit ipſos inclinare in partes Ludovici, quem ut hæreticorum defenſorem juribus imperii privaſſet, hoſtem eccleſiæ judicaſſet, principatu Bavariæ dejeciſſet, cui ob crimen hæreſeos diem ad decretoriam ſententiam excipiendam conſtituiſſet: corrumpendam non eſſe fidei & conſtantiæ in ſedem Apoſtolicam gloriam, quam a majoribus accepiſſent; atque ideo hortatus, ut in priorem ſtatum Urbem reſtituerent.

(b) Ead. pag. 3.

*Joannes, &c. dilectis filiis conſulibus Bovaceriorum & mercatorum, ac ſingularum aliarum artium viginti ſex bonis viris, duobus videlicet per quamlibet regionem, ac populo Urbis.*

*Sane, dilectiſſimi filii, quia diſplicenter nimis audivimus his diebus, quod in Urbe innovata ſunt aliqua, per quæ inter vos videtur diſſenſionis pericuſe jeciſſe ſemina hoſtis pacis; quodque ab æmulis a devotione eccleſiæ ſanctæ Dei per diverſa jam eſt mundi climata publicatum, quod in favorem & ſubſidium illius hoſtis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, Ludovici ſcilicet de Bavaria qui velut hæreticorum fautor, & infeſtus perſecutor ejuſdem ſanctæ Rom. eccleſiæ, variiſque aliis criminibus irretitus, jure ſi quod electione, quam de ſe in Regem Romanorum celebratam aſſerit, fuerat acquiſitum, nec non & ducatu Bavariæ, feudiſque omnibus, quæ a Romana & quibuſvis aliis eccleſiis, ſeu imperio obtinebat, per ſedem Apoſtolicam eſt privatus, ac de fautoria hæreticorum ſententialiter condemnatus; cuique per ſedem eandem ad audiendum ſuper crimine hæreſis, de qua convictus evidenter noſcitur, eſt aſſignatus terminus peremptorius, ſunt novitates hujuſmodi attentatæ: quanquam hæc nullatenus poſſimus credere, cum ſint prorſus rationi obvia, & præmiſſarum veſtrarum continentiæ literarum. Quis enim credere debeat quod tam devoti filii, ſic radicati in fide catholica, ſicque firmati in devotione ſincera eccleſiæ ſanctæ Dei, ponendo maculam in ſua gloria, ſic horrendam viro tam pernicioſo, tamque atroci perſecutori ejuſdem eccleſiæ, contra matrem ſuam favorem, ſeu ſubſidium cogitaverint impertiri? Proculdubio tam periculoſus defectus de viris tam providis nequaquam probabiliter eſt credendus.*

Promiſſa hoſti eccleſiæ auxilia.

Non ea expectanda de Romanorum fide & conſtantia.

*Hæc vobis, licet apud nos ſint incredibilia, nuntiare duximus, ut ſuper iis poſſitis cautius providere; veſtram circumſpectionem providam exhortantes attentius & rogantes, quatenus novitates iſtas ad finem Deo gratum, veſtræque devotioni ac fidei, quam ad eandem matrem veſtram geſſiſtis & geritis, congruum prompte ſic ordinare curetis, quod interpretatio hujuſmodi perverſorum interpretum novitatem ipſarum falſa & mendoſa cunctis evidenter appareat, veſtraque ſincera fides eluceſcat evidentius, & prorſus inviolata perſiſtat providentes attente, ne ſubdola malignorum vos ſeducere perſuaſio valeat, nec ad ſuam vos perfidiam pertrahat, ſicut optant; ſed veſtrorum progenitorum veſtigiis inhærentes, firmi & immobiles in fide ac devotione ipſius ſanctæ Dei eccleſiæ matris veſtræ curetis perſiſtere; ipſique*

Commoniti officii.



*ſique contra præfatum perſecutorem Dei & ejuſdem eccleſiæ, ejuſque fautores aſſiſtatis viriliter & potenter: per hoc enim veſtri nominis augmenta ſuſcipiet gloria Dei ac ejuſdem eccleſiæ matris veſtræ, noſtram quoque merito uberiorem promereri poteritis gratiam, ac ad veſtra beneplacita reddere promptiores, &c.* Excuſat ſe nondum poſſe prout gerit in votis, iter in Urbem aggredi, ſubditque. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti in agendis vos dirigat, nec vos ſeduci permittat; ſed in ſuo prorſus beneplacito vos corroboret & confirmet. Amen. Dat. Avin.* VI. *id. junii anno* XI.

VIII. (a) E. d. p. 2. ep. ſecr. pag. 4.

Hortatus eſt etiam (a) ſcriptis eodem die literis Romanos patritios Stephanum, Jacobum, Sciarram, ac Joannem Columnenſes; Neapoleonem Urſinum, Theobaldum e S. Euſtachio; Ambaldum, Petrum, Allebrandinium Annibaldenſes; Joannem & Nicolaum Comites, ut ſtrenue eccleſiæ partes contra Ludovicum tuerentur. Sed jam curandæ publicæ ſalutis ſpecie res in rebellionem eruperat (b): Neapoleo Urſinus & Stephanus Columna, ut pontificiarum partium vindices, atque a Roberto Rege Siciliæ nuper creati aurati equites, ne illi Urbem proderent, in exilium pulſi ſunt: Siciliæ Regi Romæ ſenatori interdictus in Urbem acceſſus: Sciarra Columna, Gibellinæ factionis vir, urbanis rebus, adjunctis quinquaginta duobus viris, delectis quatuor ex ſingulis regionibus urbanis, præfectus: ac tum, ut refert Joannes Villanus (c) oratores iterum Avinionem miſere, ut Pontificem Romam accerſerent; exponerentque ſe, ni veniret, Ludovicum in Urbem admiſſurus, ſuæque conſulturos ſaluti. Sextus is erat dies a coronato Mediolani Ludovico, quo oratores decreti, miſſæque a Romanis literæ, terror enim ipſos compleverat; datique tantum tres oratoribus dies, ut in aula pontificia morarentur, ne alias ex aliis moras Joannes traheret, repetitiſque adventus ſui promiſſis eos eluderet. Ejuſmodi literarum exemplum infra ſcriptum eſt (d).

(b) Jo. Vil. l. 10. c. 20.

Pontificii magiſtratus pulſi. Roberto Regi abrogata ſenatoria dignitas a Rom. Sciarra Columna eam ſibi arrogat.

(c) Eod. cap.

Oratores ad Pontificem miſſi a Romanis.

(d) Ext. apud Jo. 22. to. 6. ep. ſecr. pag. 5.

IX. Literæ ab iis ſcriptæ ad Pont.

*Nexum immenſi debiti, quo parentibus filii alligantur inſufficientes totaliter ad ſolvendum in hoc ſaltem retribuunt, quod gaudent in illorum honoribus & opprobria deteſtantur. Hac certe meditatione continua nos veri filii eccleſiæ ſanctæ Dei modernis temporibus audientes iniquos flare ventos pro Petri navicula tempeſtatibus conquaſſanda, turbamur in intimis, & lethaliter vulneramur, præſertim cum eccleſia ſancta matre noſtra, cum qua & vivere & mori unanimiter ſumus diſpoſiti, ab ea tam longævo ſpatio ſeparati præſentialiter & continue non manemus. Ea propter veſtræ beatitudini flexis poplitibus ſupplicamus, quatenus ſedem veſtram primævam, & verum eccleſiæ fundamentum, quam oblivioni videmini tradidiſſe, abjectis morulis & exceptionibus conſuetis, præſentialiter viſitetis: in qua omnium adverſantium repulſo turbine, pater & filii conflati in unum poterunt, Deo propitio, in pacis pulchritudine nuptialiter delectari.*

*Alioquin ex nunc apud Deum, totamque cæleſtem curiam, & eccleſiam ipſam, ac omnes mundi Chriſticolas excuſemur, ſi quid ſiniſtrum accidat vel contingat; & filii patris præſentia deſtituti, tanquam acephali declinent ad dexteram vel ſiniſtram. Et ecce quod pro his ſerioſus enarrandis oraculo vivæ vocis nobiles & ſapientes viros dominos Petrum Vajani & Petrum de Magiſtris Lucæ judices, & Gocium Gentilis dilectos cives & ambaxatores noſtros ad veſtram præſentiam deſtinamus; eiſdem diſtrictius injungentes, quod quia facto opus eſt, non verbis, ultra tres dies apud Romanam, immo Avinionicam curiam non morentur: ſed cum feſtinantia retrocedant, ut eorum audita relatione ſaltem noſtræ indemnitati cautius conſulere valeamus. Data Romæ apud eccleſiam S. Mariæ in Aracæli die* VI. *menſis junii* X. *indictione.*

Denuntiant, ni venerit fœdus ſe cum hoſte inituros.

Triduum oratoribus tantum datum, ut agant cum Pontifice.

Auditis Romanorum oratoribus Pontifex, reque in conſilium magna celeritate & maturitate cum Cardinalibus adducta, cum evoluto trium dierum ſpatio reditum adornarent, nec literæ, quibus ipſis reſpondere meditabantur, compoſitæ eſſent, recedendi facultatem impertiit; ac ſignificavit ſe nuntiorum opera, quos citiſſime erat tranſmiſſurus, conſilium ſuum expoſiturum. His vero poſtea literis Romanos in officio continere ſtuduit, reditus in Urbem moras excuſavit. (e)

X. Joannes reſponſum extrahit.

(e) Ib. pag. 5. & 6.

*Joannes, &c. dilectis filiis quinquaginta duobus electis viris per Romanum populum ſuper pacifico ſtatu Urbis, conſulibus arcium, populoque Romano.*

*Quantam noſtrum ad Urbem acceſſum deſiderio affectetis, quantoque deſideretis affectu, veſtrarum præmiſſarum literarum nos docuit lectio, ipſorumque nunciorum inſinuatio luculentius patefecit. Et licet, filii amantiſſimi, filiorum deſiderantium patris præſentiam videatur deſiderium commendandum; hoc tamen intelligimus, ſi ſit, ut decet & expedit, debitis circumſtantiis communitum: inter quas circumſtantias indubie numerandas ſupponimus habilitatem temporis, ſecuritatem viæ vel itineris, & quod locus, ad quem acceſſus petitur, ſit pacificus & ſecurus. Sane, ſi ad habilitatem temporis proficiſcendi ad Urbem ipſam ſine mora, ut petitur, mentis aciem convertatis, proculbubio ſi quantum temporis apparatus ad acceſſum hujuſmodi exigat attendatis, reperietis tempus inhabile ſubſequi ad receſſum. Si autem vos*

Quod demum ab illo datum fuerit.

E veſtigio provolare in Urbem ipſum non poſſe.

Iter tutum non eſſe.

vos ad ſecuritatem viæ vel itineris convertatis, tam maritimas quam terreſtres, tam nobis quam fratribus noſtris, quam iis, qui ipſam ſequuntur curiam, quam qui ad eam de cunctis mundi partibus pro ſuis neceſſitatibus ſunt venturi, reperietis innumeris inſidiis & periculis variis inundare.

XI. Urbem impacatam fore.

Porro ſi de ſtatu Urbis inquiratur: an cenſendus ſit pacificus & ſecurus, reſpondeant ſuper his quæ acta ſunt iis diebus inibi & aguntur. Ab ea quidem nobiles noviter ſunt ejecti, ac compulſi in manu populi ſua dare fortalitia, & filios ſeu nepotes pro obſidibus aſſignare. Filio quoque noſtro chariſſimo Roberto illuſtri Regi Siciliæ, noſtro in dicta Urbe vicario, ejuſque fratribus eſt interdictus acceſſus; nec ejus in ea recipiuntur literæ, nec nuntii admittuntur: & qui conſueverunt Romano populo eſſe chari, propter Regem odio ſunt habiti & ſuſpecti. Ludovicus inſuper de Bavaria, Dei & noſter æmulus, perſecutorque notorius eccleſiæ ſanctæ Dei palam aſſerit, & prælatis ac principibus ſcribere non omittit, novitates prædictas in Urbe prædicta fore in ejus favorem & præſidium attentatas; atque adeo in eadem Urbe potentem exiſtere, quod non credit, quod ejus ingreſſum potentia aliqua impedire valeat, ſicut in pleriſque literis ſuis vidimus contineri.

Robertum Regem acceſſu Urbem interdictum.

Bavarum jactare ſibi favere Romanos.

Sciarram Columnam novæ rei auctorem ſe dicere.

Quas inſuper novitates quidam veſter concivis (ſicut in quibuſdam ſuis literis infidelibus miſſis & interceptis a fidelibus, ab iis, qui eas ſe vidiſſe aſſerunt, contineri dicitur) pro favore partis, & ad honorem Bavari aſſeruit factas eſſe: & quod negotia Urbis, prout vellet, procederent, & Regis e contra ſe novitatum ipſarum fuiſſe eſſe & futurum promotorem. Vos quoque, de quibus potius admiramur, ſi forſan nos Urbem præſentialiter contingeret non adire, ſi quid ſiniſtrum accidit vel contingat, & filii patris præſentia deſtituti, tamquam acephali declinent ad dexteram vel ſiniſtram, id eſt ad receptionem Bavari, ſicut nuntiorum habuit expoſitio, apud Deum totamque cœleſtem curiam & eccleſiam ipſam, ac omnis mundi Chriſticolas petitis excuſari. Si quis autem hæc omnia & ſingula ad examen rectæ deduxerit rationis, non credimus, ſi in eo ratio vigeat, quod præmiſſis ſic ſtantibus, poſſit pro nobis, fratribus noſtris, & curia Urbs ſepæfata locus tutus, quietus, & pacificus reputari.

XII.

Sane quia noſter ac fratrum noſtrorum ad hoc intenſe fertur affectus, ut nos ad Orbem prædictam, cum primum opportune poterimus, conferamus; Deo ac ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo & ſanctis aliis, quorum inibi corpora requieſcunt, exhibituri reverentiam debitam: ac ut ibidem vicis commiſſæ nobis officium, interveniente ipſorum ſuffragio, utiliter exequamur, mutuaque præſentia nos & vos invicem conſolemur; circumſpectionem veſtram rogandam duximus & hortandam, quatenus ſub ratione veſtrum deſiderium reſtringentes, ſic curetis Urbem ipſam diſponere, quod in ipſa probabiliter tute poſſit & quiete reſidere curia, noſque in eadem paſtorale poſſimus officium libere ad Dei gloriam, conſolationem veſtram, reique publicæ commodum exercere. Et utinam, dilectiſſimi filii, præmiſſa verba, ſcilicet quod ſi vos in ſiniſtram declinare contingeret, haberemini apud Deum, &c. nec mente concepta, nec ore prolata, nec, quod eſt gravius, ſcripturæ tradita extitiſſent. Quomodo enim ab infidelitate ſcienter commitenda potuiſtis petere, ut haberemini excuſati? Quomodo creditis, quod Deus, cœleſtis curia, eccleſia, vel Chriſticolæ de tanto exceſſu, quantus eſſet ille, ſi in illum, quod abſit, vos incidere contingeret, vos excuſatos haberet? Præterea quomodo propter abſentiam noſtram vos acephalos dicere potuiſtis? Papæ namque præſentiam nequaquam patrem ipſum vobis conſtituit, nec equidem abſentiam acephalum quemquam reddit: alioquin nobis in Urbe moram trahentibus, ſequeretur quod omnes Chriſticolæ alii poſſent acephali, quod veritati obviat, reputari.

Arguit Pont. Romanos, ſe dixiſſe acephalos.

Utinam tunc memores fuiſſetis verbi Apoſtoli, quod ad laudem Romanorum ipſis ſcribens protulit dicens: Gratias, inquit, ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur univerſo mundo. Credimus etenim, quod ſi verbum apoſtolicum veſtræ memoriæ occurriſſet, verbum illud declinandi in ſiniſtram de ore veſtro nullatenus proceſſiſſet: quod utique vos in fide fluctuantes arguit, ac arundini vento agitatæ ſeu maris fluctui, quæ a vento movetur & circumfertur, ſimiles vos oſtendit: niſi velimus dicere, quod deſiderium ingens, quod habetis, ut in Urbe curiam haberetis, vos ad proferendum illud impulit, non quod cor veſtrum intraverit tam deteſtabile verbum.

Comminatos ad hoſtem eccleſiæ defecturos.

XIII.

Et quia facta potius, quam verba ſunt attendenda, hortamur veſtram prudentiam & rogamus, quatenus ſic factis fidem veſtram conſtantem & indubiam ad nos & ſanctam Romanam eccleſ. oſtendere ſtudeatis, quod evidenter appareat, præmiſſa ab ore veſtro non ex animo proceſſiſſe, devotis eccleſiæ & ſpecialiter Regi prædicto vos oſtendendo benevolos, ac indevotis ut ad devotionem redeant, præſertim dicto Bavaro (cui per noſtros proceſſus, quos debet venerabilis frater noſter Viterbienſis epiſcopus noſter in Urbe vicarius publicaſſe, ſpecialiter eſt interdictus ingreſſus, ac contra ipſum, ſi eum intrare contingeret, nec non & ipſum recipientes, ſeu in hoc faventes eidem, & dantes conſilium, auxilium, vel favorem impendentes, publice vel occulte, pœnæ variæ ſunt inflictæ) viriliter reſiſtendo; ſcituri quod nos una cum fratribus noſtris, ut impedimenta tollantur viæ vel itineris, quantum in nobis erit, diligentiam adhibere intendimus ſedulam: ac illum, cui mare & venti obtemperant, & cui voluerit ſubeſt poſſe, devotis orationibus, ut illa dignetur tollere, & propulſare, rogamus. Et infra ubi literas Romani populi inſeruit, adiicit.

Hortatur ad priſtinam conſtantiam.

Spondet ſe in Urbem ſi id præſtent, opportuno tempore acceſſurum.

Oratores ad illos mittit.

Sane quoniam vox viva efficacius, quam mortua, imprimere conſuevit; ecce quod dilectos filios Guidonem de S. Germano præpoſitum Anicienſis cappellanum noſtrum, cauſarum noſtri palatii auditorem, & Guillelmum de Veirato præcentorem Agathenſis eccleſiarum, Apoſtolicæ ſedis nuncios, de quorum circumſpectione plene confidimus, ad vos pro præmiſſis explicandis ſerioſius deſtinamus: quos pro noſtra & Apoſtolicæ ſedis reverentia honorifice velitis recipere, attente ac patienter audire, ac eis & eorum cuilibet in ſolidum indubie credere ſuper his, quæ vobis circa præmiſſa pro parte noſtra duxerint explicanda. Dat. Avin. VI. kal. auguſti anno XI.

XIV. Joannes Cardinalis in Urbem juſſus proficiſci.

Cum his motibus Urbs fluctuaret, Pontifex Joannem Card. Urſinum A. S. L. Romam, aut ad Propiora loca conferre hiſce literis juſſit (a), ut ſeditionem ſopiret, ac diſſentientes ad tuendas contra Bavarum eccleſiæ partes conciliaret.

(a) Ead. pag. 5.

Joannes, &c. Joanni S. Theodori diacono Cardinali A. S. L.

Cum ad ſtatum Romanæ urbis, in qua caput ſacerdotii providentia divina noſcitur ſtatuiſſe, convertimus aciem mentis noſtræ, ipſum utique non abſque grandi turbatione animi periculis ſubjectum variis cernimus & turbatum. Quis enim ſtatum tutum & abſque periculo dicere poterit, cujus populares de nobilibus ſuſpicantur, ipſoſque ab ipſius regimine, immo ab habitatione, quod eſt durius, prorſus efficiunt alienos, fortalia ipſorum recipiunt, & ipſos nobiles obſides dare cogunt? Quis enim talis civitatis ſtatum ruinæ magnæ vicinum non timeat, ſic diviſæ? Profecto dum hoc in conſiſtoria deducimus rationis, ſuper eam flere cogimur, & noſtrum amaritudine cor repletur; illique paterno compatientes affectu, vias & modos non ceſſamus perquirere, per quos poſſit Urbs ipſa inclita a tantis periculis eripi & reduci ad ſtatum quietis & pacis. Et quia te ad ſtatum illius proſperum non ambigimus affici, velut nobile membrum ejus, de tua induſtria & prudentia plenam in Domino fiduciam obtinentes, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ad Urbem prædictam, vel ad locum aliquem illi vicinum, ſicut magis cognoveris expedire, te perſonaliter conferens, juxta datam a Deo tibi prudentiam ad uniendum Urbem ipſam, & tollendum omnem ſuſpicionem hujuſmodi cures interponere ſolicitudinis tuæ partes, &c. Legatum ad munus obeundum, percellendoſque pervicaces neceſſaria auctoritate inſtruit. Dat. Avinione XIII. kal. auguſti anno XI. Excitavit aliis literis, III. kal. auguſti exaratis (b), ad rem ſtrenue gerendam, & quinquaginta duos viros populumque (c) Romanum ſolicitavit, ut legato concordiam inter ipſos adducturo obſequerentur: tum patritios ac præ cæteris Neapoleonem Urſinum (d), Stephanum Columnam, Phandulphum comitem Anguillariæ (e), & Annibaldum, Angelum epiſcopum Vieterbienſem (f) pontificias vices Romæ gerentem, abbatem S. Pauli, ac Joannem Achajæ (g) principem ſolicitavit, ut nervos omnes ad Urbem in priſtinum ſtatum revocandam intenderent.

Ad ſeditionem ſopiendam incumbere.

(b) Ead. p. pag. 7.
(c) Ead. pag.
(d) Ead. pag.
(e) Ib. pag. 5.
(f) Ib. pag. 7.
(g) Ead. pag.

Jo. Achajæ princeps ad id ſolicitatus.

Miſiſſe tum Robertum Siciliæ Regem fratrem ſuum Joannem memoratum Peloponnenſi principem, increbreſcente de Ludovici adventu fama, ut regni aditus ac maritimæ, Campaniæque arces milite præſidiario muniret, refert Joannes Villanus (h): illumque Romam, ut cives in pontificias partes traheret, vi ingredi paraſſe repulſam paſſum Romanorum terris vaſtitatem intuliſſe, atque etiam quinque Genuenſium triremes quinto auguſti die cepiſſe Oſtiam, ac fauces tyberinas obſediſſe, ut commeatus Urbi intercluderent: cum Romani nonnullas copias ad recuperandam Oſtiam tranſmiſere, quæ non ſine cæde propulſatæ: Genuenſes autem veriti, ne majoribus copiis impares eſſent, facibus Oſtiæ injectis abſceſſere. Quo excidio efferati Romani, cœptum cum Roberto concordiæ tractatum abrupere.

(h) Jo. Vill. l. 10. c. 21.

Repulſus Romanum agrum evaſtat.

Romani cæſi.

XV. Poſcit legatus in Urbem ingreſſum.

Accedit interea, ut erat juſſus, legatus Cardinalis, & exeunte auguſto cum Joanne Achajæ principe, atque exulibus Guelpharum partium Romanis Urbem ingredi nititur, ut pacem illi reſtituat: at repulſus a civibus vi penetrare in Urbem apparat: initaque cum aliquot civibus coitione, nocte intempeſta per hortos pontificios ad eccleſiam S. Petri cum Joanne principe & Neapoleone Urſino, ac lectiſſimis equitum copiis irrumpit, Romanorumque præſidia cædit. Subſiſtere jubet in area S. Petri inſtructam ad pugnam equitum aciem, atque ulterius eventum belli tentat. Sed cum ii, qui arma pro pontificio nomine conjuncturos polliciti erant, ſe in Urbe non commoviſſent, atque plurimus undique populus ingrueret; exoriente luce ſuburbanis ignes injecit, ut Romanos a ſe inſequendo retardaret. Cujus incendii ope agmina ex Urbe tuto educit. Ut vero Romam factioſi, miſſis oratoribus, Bavarum in-

Repulſa accepta, vi irrumpit noctu.

Propulſatus ſuburbana incendit.

Urbem exciverint, dicetur inferius.

XVI. Tumultus in ditione eccleſiaſtica.

In reliqua ditione eccleſiaſtica graves etiam tumultus concitati. Viterbienſes, excuſſo eccleſiæ jugo, Ludovici hoſtis obſequio ſe addixerant: in quos cum Robertus Siciliæ Rex & Joannes Achajæ principes ſigna attollere meditarentur, ipſorum conſilia & conatus Pontifex commendavit (*a*). Alberghentinus (*b*) Faventinos ad defectionem traxit, homo in eccleſiam perfidus, impius in parentem Franciſcum Manfredum, quem dominandi libidine principatu depulit: cum Richardus Manfredus frater, acceptis a Bertrando Cardinale legato, qui Bononiæ agebat, copiis, Faventiam revocare ad officium ſtuduit (*c*): ſed repulſus a Faventinis agros circumquaque vaſtavit. Inde adverſus Imolenſes (*d*), qui licet a Pontifice officii & conſtantiæ admoniti, (*e*) cum Alberghetino tamen defectionis agitabant conſilia, verſæ iræ, magnaque ii clade cæſi & eorum opes direptæ. Arimini Rambertus Malateſta ab eccleſia deſcivit (*f*): rogati vero Veneti, (*g*) Jaderenſes (*h*), atque inſularum Dalmatiæ adjacentium incolæ, ne perduellibus commeatus inferrent. Et quidem optime de eccleſia meritos, ac ſtudium & operam Æmiliæ præſidi ad hoſtes oppugnandos explicuiſſe Venetos, commendatoriæ ad Joannem Superantium ducem ac populum ſenatumque Venetum indicant literæ. (*i*)

(*a*) To. 6. p. 3. ep. *ſecr.* pag. 219.
(*b*) *Jo. Vill.* l. 10. c. 27.
(*c*) Eod. l. 10. c. 45.
(*d*) Id. c. 40.
(*e*) To. 6. p. 2. ep. *ſecr.* pag. 12.
(*f*) Ib. pag. 68. 69.
(*g*) Ib. pag. 67.
(*h*) Ib. pag. 68.
(*i*) Ib. pag. 69.

Certatum quoque in aliis provinciis magno animorum ardore adverſus eccleſiæ hoſtes: atque adeo in Etruria munita arx, cui S. Mariæ ad montem nomen eſt, a Carolo duce Calabriæ & Florentinis erepta (*k*) Caſtrucio Lucenſium tyranno, indeque Artiminum expugnatum. (*l*) In Inſubria a Cardinale legato Mutina, depulſa e cervicibus Paſſarini ſervitute, ad eccleſiæ partes quarto junii die traducta (*m*), ac menſe decembri oppidum cui S. Domnini nomen inditum, ineſcatis auro civibus, ad deditionem pellectum (*n*). Non tamen itinera Ludovico in Apennini anguſtiis intercluſa (*o*) fuere ab eodem legato.

(*k*) *Jo. Vill.* l. 10. c. 29.
(*l*) Eod. lib. c. 30.
(*m*) Cap. 23.
Mutina ad Pont. partes revocata.
(*n*) Cap. 51.
(*o*) Ib. c. 33.

XVII. In Etruriam Ludovicus penetrat. A Piſanis excluditur.

Penetravit itaque in Etruriam cum exercitu Ludovicus, cum menſe auguſto Inſubria caſtra moviſſent, atque una cum uxore a Caſtrucio magnificentiſſime exceptus (*p*), cum Piſas cogitaret, ejus oratores excluſi ſunt a civibus, qui proditionis metu Germanos pepulere, atque ad tolerandam obſidionem ſe accinxere. Concepit in eos graves iras Bavarus: tumque Guido Tarlatus epiſcopus Aretinus exauctoratus pro conciliandis Piſanis interceſſit; quorum oratores cum ſexaginta aureorum millia Ludovico ſponderent ea lege, ut Piſas prætergrederetur, indignante Bavaro ſubito abrupto tractatu in vincula conjecti ſunt, ac mox VI. Piſæ ſeptembris die cinctæ (*q*) obſidione, quæ ad menſem extracta eſt. Poſtea diſſenſio inter cives exorta, urbſque oppreſſa (*r*) metu iis legibus tradita Ludovico, ut ipſi ſexaginta millia aureorum penderent, Caſtrucius vero & exules urbem non ingrederentur: ſed tertio die magiſtratus adacti metu ſcripta fœdera exuſſere ſeque addixere ſervituti Ludovici; qui præter illa ſexaginta aureorum millia, alia centum millia, ut Romanum iter conficeret, exegit. Pœnituit tum eos ſpontaneæ deditionis, qui ſi conſtanter hoſtem mœnibus arcuiſſent, Bavarus obſidionis diuturnitate debilitatus conatus ſuos fruſtra conſumpſiſſet. Ex Piſarum autem expugnatione illius potentiæ terror omnibus offuſus eſt.

(*p*) *Jo. Vill.* l. 10. c. 34.
Piſæ ab eo obſeſſæ.
(*q*) Ib. c. 35.
Exorto tumultu deditione captæ.
(*r*) *Ext. de eo inſtrum. publ. apud Jo. Var. bull. pag.* 103.

XVIII. Renovata a Lud. in Robertum Regem capitis ſententia.

Poſt hæc adeo elate ſe gerere cœpit, ut publice, Piſis capitis, ſententiam latam in Robertum Siciliæ Regem ab Henrico VII. Imperatore, atque a Clemente V. revocatam renovarit, ut narrat Pontifex in literis ad Carolum Francorum Regem ea de re ſcriptis. (*s*) Dum vero Piſis agebat Ludovicus, inter ipſius factionis principes, Caſtrucium ſcilicet & Guidonem ex epiſcopum Aretinum, orta contentio (*t*): in Guidonis enim os ab altero objectum eſt proditionis crimen, ejuſque culpa, qui ſuas copias non adduxiſſet, Florentiam expugnatam non fuiſſe, cum ipſe una cum Azone Galeatii filio caſtra ad mœnium conſpectum promoviſſet. Retorſit in Caſtrucium Guido perfidiæ infamiam, ut qui Ugucionem Fagiolanum Gibellinarum partium Piſarum & Lucæ principatu exuiſſet; nec ſe datam Florentinis induciarum fidem frangere debuiſſe: cum vero Bavarus Caſtrucium non reprehendiſſet, Guido preſſo intus injuriæ dolore, conſulendarum Aretinarum rerum ſpecie abſceſſit a Ludovico; graviſſimaque indignatione, atque ex ea morbo correptus, coram multis commiſſa in Pontificem Romanum crimina, ac Ludovicum ut hæreticum, & hæreticorum fautorem execratus; conceptoque pio, ſi valetudinem recuperaret, defendendæ eccleſiæ dignitatis deſiderio, vigeſima prima octobris die extinctus eſt, ut narrat Joannes Villanus (*u*), quibus conſentanea ſcribit S. Antoninus (*x*), adductis in medium illius vitiis virtutibuſque, hiſce verbis.

(*s*) To. 6. p. 3. ep. *ſecr.* pag. 193.
(*t*) *Jo. Vill.* l. 10. c. 36.
Guido olim epiſc. Aret. a Caſtrucio accuſatus.
Ex dolore morbum contrahit. Ejuratis Ludovici partibus moritur.
(*u*) *Jo. Vill.* l. 10. c. 36.
(*x*) *Ant.* 3. p. tit. 21. c. 6. §. 5.

*Vir quidem magnus fuit & glorioſus in ſæculo, niſi quod adverſus Pontificem rebellis ut omittam, quod & ſtatui ſuo & dignitati exercitium id omnino fuit contrarium. Quem tandem errorem recognoviſſe ante obitum, ac pro Pontifice, ſi vita ſuppeteret, adverſus hoſtes militaturum promiſiſſe, quidam literis tradiderunt. Quamvis enim multos ſoleat decipere ſera*

*pœni-*



*pœnitentia, miſericordiæ tamen Dei nec menſuras poſſumus nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras converſio. Poſt ejus autem mortem Petrus cognomento Sacbon hujus Guidonis frater tyrannidem Aretinorum exercuit.*

Dederat (*a*) paulo antea Pontifex cenſoribus fidei provinciam, ut in Guidonem Tarlatum e Petramala, epiſcopali dejectum dignitate, hæreſeos infamia laborantem, legibus agerent. Cujus morte audita, Bertrando Cariti Vaurenſi archidiacono & Guillelmo Dulcino ordinis Prædicatorum Apoſtolicæ ſedis nuntiis munus injunxit (*b*), ut inquirerent an Guidonem in extrema mortis confinia adductum anteactæ vitæ ſcelerum pœnituiſſet, atque adeo ſepulturæ eccleſiaſticæ mandari potuerit, quive tabelliones publici illius pœnitentiam ſcriptis conſignarint.

(*a*) To. 6. p. 1. ep. *ſecr.* pag. 60.
Inquiri jubet Pont. an illum ſcelerum pœnituiſſet.
(*b*) To. 6. p. 3. ep. *ſecr.* pag. 118.

XIX.

Perculit eo tempore, nimirum vigeſima octobris die Joannes exultantem ſecundis rebus Ludovicum Bavarum apoſtolica ſententia (*c*), atque omnibus honoribus & digitatibus ac juribus exuit. Extat ea ſententia, inferius a nobis ſubiicienda, in MS. codice archivi Vaticani (*d*), in qua Pontifex, præfatus, ſe apoſtolica conſtitutione damnaſſe hæreſeos illos, qui pertinaciter negarent, Chriſtum & Apoſtolos jus in res, quibus uſi fuere, habuiſſe, addit Bavarum ſcripta ſuo munita ſigillo ejuſmodi errore fœdata ad principes ac populos Germaniæ & Italiæ miſiſſe, libellum hæreſibus inquinatiſſimum a Marſilio & Janduno compoſitum recepiſſe atque ad eas hæreſes promulgandas ſtudia conferre; quamvis a præſulibus catholicis monitus eſſet ne tantum piaculum patraret, neve ſacerdotes ad divina, violato eccleſiaſtico interdicto, profananda adigeret. Extat is libellus apud Nicolaum pſeudominoritam ſchiſmaticum, (*e*) in quo cæſareus ſcriba nomine Ludovici, quem hoc facto prodebat turpiſſime, aſperſa ipſi hæreſeos infamia, blaſphemas deliraſque illationes ex orthodoxo dogmate aſſerto a Pontifice elicit, nimirum ſi Chriſtus jus in eas res, quibus uſus eſt, habuiſſet, paupertatem altiſſimam præ ſe non tuliſſe; ex quo ita concludendum impie contendit.

(*c*) *Jo. Vill.* l. 10. c. 37.
(*d*) *Variar. bull. Jo.* XXII. pag. 75.
Inſtituti adverſus Bavar. hæreſeos judicium.
Ut miſere ad profitendam hæreſim a proditoribus adduci ſe paſſus ſit.
(*e*) *Nic. Minor. MS. bibl. Vat. ſign. n.* 4008. pag. 18.

*Neceſſario concluditur Chriſtum*, nempe ſi jus in eas res quibus utebatur habuit, *non fuiſſe verum Chriſtum, nec Meſſiam illum, quem lex & prophetæ promittunt: in æſtimatione enim divitiarum, ſive communium ſive propriarum, eſt principale fundamentum & janua ſingularis ſectæ antichriſti & totius erroris mendacii, & etiam Saracenorum, &c.* Hæc ille, fuſaque oratione inde Judæorum ac Saracenorum ſuperſtitionem confirmari diſceptat: quaſi Chriſtus altiſſimam omnium angelorum & hominum admiratione & laudibus celebrandam, paupertatem non eſſet profeſſus, qui jus & dominium pauciſſimarum rerum, quibus ipſum eſſe uſum divina teſtantur oracula, exercuerit: cum tamen in reliquia omnia condita, quorum abſtinuit uſu, ſupremum jus & imperium, longe quidem auguſtius, quam quod maximi Imperatores unquam ſibi arrogarunt, tenuerit: quod Joannes ad depellendam ſuperioris erroris caliginem eximio commentario, quem ſuo loco afferemus, poſtea illuſtravit. Nunc vero, ut Ludovici errorem comprimeret, illum juſtiſſima hac ſententia (*f*) defixit.

*Joannes, &c. epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

(*f*) *Var. bull. pag.* 75.

XX. Pontificia in eum ſententia.

*Dudum volentes certis dubiis, quæ inter nonnullos viros vertebantur ſcholaſticos, finem dare, de fratrum noſtrorum conſilio duximus declarandum, quod pertinaciter affirmare, quod redemptori noſtro & domino Jeſu Chriſto, ejuſque Apoſtolis in iis, quæ ipſos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, nequaquam ipſis jus utendi ſeu conſumendi competierit, nec illa vendendi, ſeu donandi jus habuerint, aut ex ipſis alia acquirendi; quæ tamen ipſos de præmiſſis feciſſe ſcriptura ſacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere ſupponit aperte; cum talis aſſertio ipſorum & uſum & geſta evidenter includeret in præmiſſis non juſta, quod utique de uſu, geſtis, ſeu factis Redemptoris noſtri Dei Filii ſentire nefas eſt, ſcripturæ ſacræ contrarium, & doctrinæ catholicæ inimicum; aſſertionem ipſam pertinacem de fratrum eorundem conſilio deinceps erroneam fore cenſendam & hæreticam, duximus declarandum. Ac ſubſequente cum ad notitiam noſtram fama publica perduxiſſet, quod nonnullorum mentes dicebatur pater mendacii adeo excæcaſſe, quod auſu nefando ac petulantia improba auſi fuerant defendere publice damnatam per conſtitutionem noſtram prædictam hæreſim, ac etiam approbare, videlicet quod Chriſtus & ejus Apoſtoli in iis, quæ habuiſſe leguntur, tantum habuerunt abſque jure aliquo ſimplicem uſum facti; ex quo, ſi verum eſſet, ſequeretur uſum Chriſti fuiſſe non juſtum, quod profecto blaſphemiam continet, & eſt catholicæ fidei inimicum; cum hoc de pertinaci animoſitate ac erronea non eſſet dubium proceſſiſſe, omnes & ſingulos, qui verbo & ſcripto per ſe, vel alium, ſeu alios talia præſumpſerant publice, ipſos quoque, qui eos inſtruxerant in talibus, & ut præmiſſa facerent docuerunt, in damnatam incidiſſe hæreſim, ac evitandos fore ut hæreticos, de fratrum noſtrorum conſilio per noſtram conſtitutionem aliam, quæ incipit, Quia quorumdam, duximus declarandos, prout in eiſdem conſtitutionibus plenius continetur.*

Ut damnata ſit hæreſis negantium, Chriſtum jus in res, quibus uteretur, obtinuiſſe.

*Sane cum fama publica nec non & inſi-*

*nua-*

XXI. Profeſſus ſit eam Ludov.

nuatio, tam verbalis quam literalis, plurium ſublimium perſonarum ad noſtrum perduxiſſet auditum, quod Ludovicus de Bavaria, in diſcordia dudum in Regem Romanorum, ut dicebatur electus, velut in reprobum ſenſum datus contra prædictam declarationem temere præſumpſerat, facta mentione expreſſa de conſtitutione prædicta, Cum inter, contarium aſſerere publice, ac in ejus præſentia per alios, ut plures in ſui erroris devium traheret, facere publicari; & ut ſua inſania in plurium notitiam perveniret, libellum quemdam, ſigillo ſuo in eodem appenſo, inter alia multa falſa & erronea prædictam continentem hæreſim, videlicet quod in Chriſto & Apoſtolis in rebus, quas habuerant, nullum jus competiit, ſed tantummodo uſus facti; inſuper adiecto, quod dicere contrarium hæreticum eſt cenſendum, prout etiam nos & plures ex fratribus noſtris in diverſis libellis prædicti Ludovici ejus ſigillo pendenti ſigillatis vidimus contineri; per certos nuntios ad diverſas civitates & principes Alamanniæ, & Italiæ, & aliarum partium, nec non & ad tyrannos & hæreticos partium prædictarum curaverat tranſmittere, libellum ipſum affigi faciens in locis publicis & exponi publice, ut haberet de tanta & tali infamia plures teſtes; ex quibus evidentius apparebat, ipſum aſſeruiſſe pertinaciter eſſe catholicum quod dicta conſtitutio hæreticum judicavit, ac fore hæreticum quod dicta conſtitutio catholicum declaravit, præcipue cum in eodem affirmaret libello, ſe credere eſſe vera; & inſuper cumulans mala malis duos viros nequam, perditionis filios & maledictionis alumnos, quorum unus Marſilium de Padua & alter Joannem de Janduno ſe faciunt nominari, ad eundem Ludovicum (quem ſuis demeritis exigentibus velut hæreticorum fautorem, & perſecutorem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac plurium atrocium aliorum exceſſuum patratorem de fratrum ipſorum privaveramus conſilio jure, ſi quod ſibi ex electione prædicta fuerat acquiſitum) greſſus ſuos propere dirigentes, ſibi librum quemdam erroribus plenum, ac variis hæreſibus non vacuum, ſicut multorum fidedignorum catholicorum habebat aſſertio, præſentarant; quos errores & hæreſes in terra ipſius Ludovici, & in ejus præſentia docere ſæpius præſumpſerant publice, ſicut habebat inſinuatio eorundem; quodque, licet nonnulli viri catholici ſacris literis eruditi eidem Ludovico dicerent doctrinam illam hæreticam, ipſoſque Marſilium & Joannem fore veluti hæreticos puniendos, periculoſumque ſibi fore tales ad ſuam familiaritatem admittere, aut in terris ſuæ ditioni ſubditis ſuſtinere; ipſe tamen non acquieſcens eorum ſalutaribus monitis, velut credens illorum hæreſes, ipſos in ſuos familiares retinuerat, errores prædictos ac hæreſes publice dogmatizare permittens; adhuc quod diverſis ligatus excommunicationum ſententiis in locis interdictis divina faciebat, etiam nonnumquam contra rectorum eccleſiarum & religioſorum voluntatem & beneplacitum excommunicatis & interdictis præſentibus celebrari, immo quantum in eo erat, potius profanari; ex quibus evidenter præſumebatur, immo convincebatur potius, clavium eccleſiæ ſanctæ Dei evidenter contemptor exiſtere, ac labe reſperſus hæreticæ pravitatis; nos attendentes, quod juxta doctrinam Apoſtoli peccantes publice ſunt publice arguendi, ac utilitati publicæ expedire, peccata nocentium deduci in publicam notionem, cum ad ipſum non eſſet tutus acceſſus, per quem noſtra poſſet ad eum redargutio per nuntios ac literas pervenire; exceſſus ipſos multitudini tunc aſtantium fidelium non abſque dolore ingenti animi referendos duximus, ut ſic ſaltem ad ejus notitiam noſtra poſſet circa exceſſus ipſos reprehenſio pervenire.

Germanos & Italos in eandem inducere ſit conatus.

Marſilii & Janduni libellum receperit.

Permiſerit eorum hæreſes diſſeminari.

Eccleſiaſtica interdicta violarit.

XXII. Et licet, juſtitia exigente, tunc poſſemus ad ſententiam ſuper præmiſſis proferendam procedere contra ipſum, cum adeo præmiſſa forent notoria, quod nequirent tergiverſatione aliqua occultari; volentes tamen adhuc de benignitate apoſtolica expectare, an dimiſſis præfatis erroribus ad ſinum ſanctæ matris eccleſiæ & viam vellet ſe convertere veritatis, de fratrum eorundem conſilio ipſum III. non. aprilis proxime præteriti per edictum publicum citavimus præſente fidelium multitudine copioſa, ut infra kal. octobris, ex tunc proxime ſubſequentis, coram nobis perſonaliter compareret, facturus ſuper præmiſſis quod ſuaderet ratio, & ſententiam auditurus. Quem terminum, eidem denuo de fratrum noſtrorum conſilio peremptorie duximus aſſignandum, prædicentes publice, quod ſive veniret, ſive non veniret, ad proferendum procederemus ſententiam & alias ſuper omnibus præmiſſis & ſingulis, conjunctim vel diviſim, prout videremus expediens & juſtitia ſuaderet.

Intentatum ſit illi judicium hæreſeos.

XXIII. Et ut proceſſus noſter prædictus & omnia ac ſingula in eodem contenta ad præfati Ludovici & omnium aliorum, quorum intererat, communem deducerentur notitiam, chartas ſive membranas, proceſſum continentes eundem, in eccleſiæ Avinionenſis appendi, & affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus fecimus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicarent, ut idem Ludovicus & alii, quos proceſſus ipſe tangebat, nullam poſſent excuſationem prætendere, quod ad eos non pervenerat, vel quod ignoraſſent eundem, cum non eſſet veriſimile, quoad ipſos remanere incognitum vel occultum, quod publicabatur omnibus tam patenter: prædictum inſuper citandi modum decernentes eligere cum,



cum, ut prædicitur, ad dicti Ludovici præſentiam propter viarum pericula & alia diſcrimina varia tutus minime pateret acceſſus; volentes & auctoritate apoſtolica de poteſtatis plenitudine decernentes, ut perinde proceſſus dictæ citationis eundem Ludovicum apprehenderet & arctaret ac ſi eidem inſinuatus perſonaliter & alias ſolemniter extitiſſet, conſtitutione quacumque, per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices in contrarium edita, non obſtante.

XXIV. Sane cum dictus Ludovicus (quem, ut prædicitur, jure ſi quod ſibi ex electione prædicta acquiſitum fuerat, privaveramus juſtitia exigente: ac ſubſequenter, ejus aucta contumacia, feudis omnibus, quæ a Romana, vel quibuſvis aliis eccleſiis, ſeu imperio obtinebat; & ſpecialiter ducatu Bavariæ, ac omni jure, quod in eodem, aut ejus occaſione, vel cauſa ſibi competebat, ſeu competere poterat quoquo modo; nec non & omnibus privilegiis apoſtolicis & imperialibus ſibi, ſeu ejus prædeceſſoribus, quatenus ſcilicet ipſum tangere poterant, indultis juſto privaveramus judicio; quemque pro fautoria hæreticorum excommunicationis innodatum ſententia, quam per biennium & ultra indurato ſuſtinuerat, ſicut & adhuc ſuſtinet animo, declaraveramus manifeſtum hæreticorum fautorem, pœnas omnes a canonibus inflictas talibus incurriſſe, prout hæc plenius in noſtris proceſſibus contra ipſum habitis continentur) infra prædictum ſibi præfixum terminum jam elapſum comparere per ſe vel alium non curarit, ipſum uſque in craſtinum hora conſiſtorii duximus de fratrum noſtrorum conſilio expectandum. Et quin nec tunc comparuit, nec aliquis pro eodem, de fratrum eorundem conſilio eum reputavimus & declaravimus contumacem.

Pronuntiatus ſit fautor hæreticorum.

XXV. Et licet tunc præmiſſa adeo eſſent notoria, quod nulla poterant tergiverſatione celari, & contra ipſum ad ſententiam poſſemus procedere, exigente juſtitia, proferendam; ipſum tamen de benignitate Apoſtolica uſque ad diem præſentem hora conſiſtorii de eorundem fratrum conſilio duximus expectandum. Et quoniam nec hac die hora jam dicta comparuit, nec comparet adhuc, nec aliquis pro eodem, nec ad correctionem prædictorum ſe diſponit in aliquo; ſed velut in profundum malorum perductus mala malis ſuperaddere, offenſaſque offenſis cumulare, ac iram Dei contra ſe provocare, fideleſque verbis & operibus perſequi non omittit; nos in prædictis læſionem fidei, patrumque ſanctorum contemptum & probra, nec non & præſentium ſcandala variaque poſterorum pericula attendentes, tantiſque malis & periculis obviare ſalubriter cupientes, cum præmiſſa adeo ſint notoria, quod nequeant tergiverſatione aliqua occultari; præſente hac multitudine fidelium copioſa, ipſum reputantes & declarantes merito contumacem, Dei nomine invocato, de fratrum eorundem conſilio ipſum fore hæreticum declaramus, ipſaſque aſſertiones per dictam conſtitutionem hæreticas, ut prædicitur declaratas, & ſcripturas quaſcumque continentes eaſdem; nec non & ipſum Ludovicum velut hæreticum reprobamus & ſententialiter condemnamus. Si quis autem doctrinam & aſſertiones prædictas defendere vel approbare præſumpſerit, cujuſcumque dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus exiſtat, tamquam hæreticus ab omnibus confutetur. Et nihilominus ipſum Ludovicum bonis omnibus, mobilibus & immobilibus, juribus, juriſdictionibus, & quibuſcumque aliis, ubicumque ſint, & quibuſcumque nominibus cenſeantur; & ſpecialiter comitatu Palatino Rheni, & omni jure, ratione, vel occaſione illius vel alias quovis modo ad eundem Ludovicum pertinentibus; habendi vocem in electione Regis Romanorum in Imperatorem promovendi, ſeu in electione hujuſmodi aliquem ad prædicta regnum vel imperium eligendi, ſeu quomodolibet nominandi, privatum fore decernimus & privamus, exponendis vel concedendis catholicis, ſi, prout, & quando, ac quibus, vel de quibus ſedes Apoſtolica ordinandum duxerit, jure principalis domini ſemper ſalvo.

Convict. hæreſeos damnatur.

Pœnæ illi incuſſæ.

XXVI. Vaſſallos quoque ipſius & quaſcumque alias, tam eccleſiaſticas quam ſæculares perſonas, nec non communitates, univerſitates & civitates, caſtra, terras & villas, quæ ſibi fidelitatis vel aliis quibuſcumque juramentis tenerentur aſtricta, prorſus ab illis abſolvimus; ac quaſcumque colligationes, confœderationes, ſocietates, pactiones, & ligas per quoſcumque cum eodem contractas vel initas; etiamſi juramentis, pœnis, vel aliis quibuſcumque firmitatibus eſſent innexæ, quatenus favorem aut commodum ipſius concernerent; de poteſtatis plenitudine penitus diſſolvimus: ac pœnas adjectas, & juramenta ſuper iis præſtita relaxamus, decernentes quaſvis perſonas ſingulares, ac communitates, univerſitates, caſtra, villas, terras, & oppida nequaquam teneri de cætero ad obſervationem earum, vel cujuſlibet earundem. Univerſis etiam & ſingulis prælatis & perſonis eccleſiaſticis, ſecularibus & regularibus, cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, ſtatus, vel conditionis exiſtant, etiamſi patriarchali, pontificali, aut majori ſeu inferiori fulgeant dignitate; nec non Regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, poteſtatibus, capitaneis, rectoribus, & aliis dominis temporalibus; & qui aliquo titulo ſe præmiſſorum intitulant, licet jus non habeant in eiſdem; ac communitatibus, univerſitatibus, civitatibus, ca-

Vetiti fideles illi parere.

*caſtris, & villis: & ſpecialiter Mediolanenſi, Saonenſi, Cumanæ, Vercellenſi, Pergamenſi, Laudenſi, Cremonenſi, Aretinæ, Novarienſi, Papienſi, Mantuanæ, Ferrarienſi, Veronenſi, Lucanæ, & aliis quibuſcumque inhibemus & mandamus expreſſe, ne prædicto Ludovico de hæreſi, ut præmittitur, condemnato adhærere, communicare, participare, vel favere quomodocumque, directe vel indirecte publice vel occulte, præſumant; nec portent, mittant, portari vel mitti faciant, aut procurent granum, vinum, aut quæcumque victualia, pannos, ligna, ferrum, arma, ſeu quævis mercimonia, pecuniam, vel quidquid aliud, quod poſſit in ipſius utilitatem vel commodum redundare: nec ſocietates, confœderationes, colligationes, pactiones, aut ligas quaſcumque cum eodem initas & contractas, præſertim in ejus favorem, auxilium, vel utilitatem, conſervent. Alioquin perſonas quaſcumque ſingulares excommunicationis, univerſitates vero vel communitates & collegia, quæ poſtquam videlicet proceſſus noſter hujuſmodi ad eorum pervenerit notitiam, vel perveniſſe probabiliter potuerit: aut per ipſos ſteterit, quominus pervenerit ad eoſdem, in hac parte offenderent quovis modo, nec non terras & loca quorumcumque circa prædicta delinquentium interdicti ſententiis, & generaliter pœnis omnibus, quibus fautores & defenſores hæreticorum & adhærentes eiſdem ſubiiciuntur a jure, vel quibuſvis conſtitutionibus, volumus & decernimus ſubjacere: apertius prædicentes eiſdem, nos ad earumdem pœnarum declarationem & executionem contra delinquentes hujuſmodi proceſſuros, ſpecialiter ſi & quando & quoties videbimus expedire, non obſtantibus ſi eis vel eorum aliquibus, communiter vel diviſim, a ſede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſum ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem; & quibuſlibet privilegiis, indulgentiis, & literis apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, quibuſvis perſonis, locis, vel ordinibus ſub quacumque forma vel expreſſione verborum conceſſis; etiam ſi de illis eſſet ſpecialis & expreſſa & de verbo ad verbum in præſentibus mentio facienda, per quæ nullam contra præmiſſa vel præmiſſorum aliquod volumus afferri ſuffragium, vel obſtaculum interponi. Cæterum proceſſus tam contra prædictum Ludovicum, quam fautores & adhærentes ipſius, per nos habitos, de fratrum eorumdem conſilio ratos exiſtere decernimus, eoſque ratificamus & ex certa ſcientia etiam approbamus. Ut autem ſententiam & proceſſus præſentes hujuſmodi ad dicti Ludovici & aliorum, quorum intereſt, communem notitiam deducantur, chartas ſive membranas, ſententias & proceſſus continentes eoſdem, in eccleſia Avinionenſi appendi vel affigi oſtiis ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ ipſos ſententiam & proceſſus ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicabunt; ita quod dictus Ludovicus & alii, quos contingere dignoſcuntur, nullam poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos non pervenerint, vel quod ignorarint eoſdem: cum non ſit veriſimile quo ad ipſos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Dat. Avin. x. kal. novembris pontificatus noſtri anno* XII. Data ſunt mox Germaniæ præſulibus imperia, ut Ludovicum hæreſeos ſententia damnatum promulgarent: quo argumento literæ (*a*) ad plures ad Moguntinum archiepiſcopum ac ſuffraganeos, alioſque III. non. novemb. conſignatæ ſunt.

(*a*) To.6. p.3. ep. ſecr. pag. 70. & poſt eand. ep. & pag. 171. 173.

XXVII. Marſilius & Jandunus hæreſiarchæ.

Præcipui hæreſiarchæ, quos ſuis ſtudiis Ludovicus impiorum politicorum conſilio efferebat, erant memorati Marſilius Patavinus & Jandunus, qui ad illius attollendas res deprimendamque majeſtatem pontificiam novas hæreſes conflarant. Meminit de Marſilio Patavino nefandiſſimo hæreſiarcha Albertus Pighius, deque ejuſdem nefariis ſcriptis hæc habet (*b*): *Nemo diligentius, vehementius, aut etiam copioſius cauſam ſæcularis poteſtatis adverſus eccleſiaſticam egiſſe legitur, quam plane ſubvertere & in nihilum redigere omni ſtudio conatus eſt. Scripſit is ante annos ducentos ad Ludovicum Bavarum temporibus Joannis XXII. a quo ille excommunicationis vinculo innodatus fuerat, ex contumace hæreticum facere ſatagens, velut apologiam quamdam adverſus auctoritatem pontificiam, cui Defenſoris* (*c*) *pacis titulum fecit, cum eandem omni ſtudio eliminet ab eccleſia. Fuit homo Ariſtotelicus magis quam Chriſtianus, atque ex illius magis quam Chriſti inſtitutis novam eccleſiaſticæ hierarchiæ formam conatus effingere; quamvis ſacras literas & ſanctorum patrum ſententias, ſed ſuo more intellectas, ſine fine & modo congerat, veritatique confidentiſſime obiiciat, ubique ſeipſum victorem pronutians: ſed ante victoriam tam amarus, tam virulentus in Romanos Pontifices, ut merito dubitares, niſi tempora diſiungerent, hic ne a Luthero, an Lutherus ab iſto ſuam didicerit rhetoricam; nam uterque alterum in hac parte conatur vincere.* Hactenus Pighius. Cum peſtifer Marſilii liber, cui etiam conſarcinando damnatiſſimam operam Jandunus contulerat, in vulgus emanaſſet, Pontifex ſervandæ incorruptæ religionis zelo ductus, cum illis judicium conſtituta die intendiſſet (*d*), obfirmatos in contumacia x. kalen. novembris decretoria per-

(*b*) Albert. Pigh. l.5. c.1.

(*c*) Ext. MS. in bibl. Vat. ſign. n. 3974.

Sacrarum literarum corruptores.

(*d*) To.6. p.3. ep. ſecr. pag. 221.



perculit ſententia, eorumque hæreſes damnavit. (*a*)

(*a*) Var. bull. pag. 76. & in append. lib. Marſil. MS. Vat. ſignat. n. 3974.

Decretoria in eos ſententia.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

*Licet juxta doctrinam Apoſtoli ob id eſſe hæreſes ſit neceſſe, ut fiant qui probati ſunt apertius manifeſti; quia tamen juxta doctrinam ejuſdem Apoſtoli, hæreticorum ſermo ut cancer ſerpere, id eſt, a parvo ad majus paulatim tendere conſuevit, neceſſe eſt, ut talibus eorumque perverſis dogmatibus ſic celeriter occurratur, quod tam pernicioſus morbus neglectus inter initia vires ſumere nequeat; ſed potius ſuo profocetur in ortu. Sane dudum ad noſtram evidentiam relatione, tam verbali quam literali, plurium ſublimium ac fidelium perſonarum, necnon fama publica notoriante perducto, quod duo viri nequam, perditionis filii, & maledictionis alumni, quorum unus Marſilium de Padua & alter Joannem de Janduno ſe faciunt nominari, quemdam librum compoſuerant multa falſa, erronea, & hæretica continentem; quodque ipſos errores ac hæreſes in ducatu & terris Bavariæ ( Ludovico de Bavaria excommunicato, Dei & eccleſiæ fideique catholicæ perſecutore manifeſto & hoſte crudeli, ſuiſque horrendis exceſſibus & gravibus culpis exigentibus juro, ſi quod ei ex electione diſcordi, quæ de ipſo celebrata dicebatur, ad regnum Romanorum vel imperium competebat, juſto privato judicio eiſdem Marſilio & Joanni favente ſuper his, ac etiam adhærente ) dogmatizare publice præſumebant; quibus licet nonnulli viri catholici, ſe pro defenſione fidei opponentes, oſtendiſſent aperte, quod illa doctrina erat erronea & hæretica, velut contraria evangelicæ & apoſtolicæ veritati, & ut a tali doctrina deſiſterent ſuaſiſſent eiſdem, ipſique eorum nollent acquieſcere monitis, ſed in publicandis ſuis erroribus perdurarent; tandem tam præfati, quam plures prælati, necnon & alii viri catholici per pernicioſas hæreſes inter catholicos dogmatizari publice indecens & pernicioſum nimium reputantes, nobis certos articulos excerptos de libro prædicto curaverunt nonnulli mittere, ac per ſeipſos aliqui præſentare, ſupplicantes attentius, ut ſuper præmiſſis curaremus ſanctæ Dei eccleſiæ de optimo remedio providere: de quibus articulis ſubſcriptos duximus præſentibus annotandos. Et licet tam cum fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, quam cum archiepiſcopis & epiſcopis aliiſque eccleſiarum prælatis, necnon & cum pluribus ſacræ theologiæ magiſtris, ac utriuſque juris profeſſoribus deliberationem ſuper ipſis articulis præhabueramus diligentem; ex quorum deliberatione aperte convincitur, quod errores articulorum ipſorum ſunt adeo manifeſti, quod quidquid ad eorum manifeſtationem adiicitur, fruſtra adiici videatur, & quaſi ſol facibus adjuvari; ut tamen minus periti promptius illos percipere valeant & vitare quædam ad ipſos declarandos errores perfunctorie ſatis de eorumdem fratrum conſilio præſentibus duximus inſerenda.*

Editus ab iis liber refertus hæreſibus in gratiam Lud.

Commoniti non reſipuerunt.

*In primis itaque iſti viri reprobi dogmatizare præſumunt, quod illud, quod de Chriſto legitur in evangelio beati Matthæi, quod ipſe ſolvit tributum Cæſari, quando ſtaterem, ſumptum ex ore piſcis, illis qui petebant didrachma juſſit dari, hoc fecit non condeſcenſive e liberalitate ſuæ pietatis, ſed neceſſitate coactus. Quod utique doctrinæ contradicit evangelicæ, noſtrique ſententiæ Salvatoris. Cum enim, ſicut in eodem evangelio legitur, Chriſtus interrogaſſet Petrum: Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel cenſum? a filiis ſuis, an ab alienis? & Petrus dixit: Ab alienis, ex hoc concludens Chriſtus filios Regum eſſe liberos, dixit: Ergo liberi ſunt filii; conſtat autem Chriſtum ſecundum carnem fuiſſe David filium, juxta teſtimonium angeli ſic dicentis: Dabit ei Dominus ſedem David patris ejus, &c. Et per conſequens quod ipſe a ſolutione tributi vel cenſus, erat prorſus immunis. Hoc etiam ex hoc patet, quod ſtatim ſubjunxit: Ut autem non ſcandalizemus eos, vade & da ſtaterem pro me & pro te eis. Ubi evidenter patet, quod non ut aſtrictus, ſed ut evitaret ſcandalum, ſtaterem tributi exactoribus juſſit ſolvi.*

XXIX. Chriſtum ex neceſſitate tributum Cæſari penſitaſſe affirmabant.

*Ex prædicto autem dicto ſuo nituntur concludere præfati viri reprobi, quod omnia temporalia eccleſiæ ſubſunt Imperatori, & ea poteſt accipere velut ſua. Videntur enim ſupponere, quod ex hoc, quod Chriſtus tributum ſolvit ex debito, res temporales ejus Imperatori ſubeſſent; & per conſequens, quod res eccleſiæ temporales ſint Imperatori ſubjectæ, & eas poſſit recipere velut ſuas. Quæ quidem concluſio nullatenus ex præmiſſis ſequitur, nec ſequi poteſt etiam apparenter: cum enim liqueat ex prædictis, Chriſtum fuiſſe a ſolutione tributi vel cenſus liberum & immunem, & ſtaterem non ſolviſſe ex debito, ſed ut aliorum ſcandalum evitaret; nullo modo poteſt concludi, quod res Chriſti, quales ſunt res eccleſiæ, ſubſint Imperatori. Præterea etiamſi Chriſtus ſtaterem ſolviſſet ex debito, impertinenter concluderetur ex eo, quod res Chriſti, quales ſunt res eccleſiæ, ſubeſſent Imperatori: cum Chriſtus non pro rebus, ſed pro perſona ſtaterem ſolvit antedictum; quod patet ex eo, quod ille juſſit ſolvi pro ſe & Petro modo prædicto, non pro rebus ſuis & bonis. Unde non ſequitur, quod ex eo quod perſona eſt tributaria, ſunt*

Falſo inferebant, res eccleſiaſticas ad Cæſarem ſpectare.

ſunt, & bona: immo qui pro perſona tributum tenetur ſolvere, habere poteſt bona libera, & e contra: & quia hæc patent falſa etiam per jura imperialia manifeſte, ſuperſedimus ſuper hoc plenius allegare.

XXX.
Primatum Petri negabant.

Secundo, iſti filii belial, dogmatizare præſumunt, quod beatus Petrus Apoſtolus non plus auctoritatis habuit, quam alii Apoſtoli habuerunt, nec aliorum Apoſtolorum fuit caput. Item quod Chriſtus nullum caput dimiſit eccleſiæ, nec aliquem vicarium ſuum fecit: quod eſt totum contrarium evangelicæ & apoſtolicæ veritati. Quod enim Chriſtus vicarium ſuum beatum Petrum conſtituerit, patet. Conſtat enim, quod Chriſtus officium paſtoris geſſit in terris. Hinc eſt quod in Joanne ſe vocat paſtorem dicens: Ego ſum paſtor bonus, &c. Liquet etiam quod curam gregis ſui ante aſcenſionem beato Petro generalem commiſit, quando ſibi illud Joannis dixit: Paſce oves meas; paſce agnos meos. Unde cum paſtor gregis dominici, ſcilicet Chriſtus, curam ejuſdem gregis beato Petro commiſerit; quin eum, quoad curam gregis ſuum vicarium fecerit, nullus debet in dubium revocare. Hoc ille Imperator Chriſtianiſſimus Conſtantinus aliquando teſtatus eſt dicens: Beatus Petrus videbatur in terris vicarius Dei Filii conſtitutus. Ex hoc etiam ſequitur evidenter, quod Petrus caput univerſalis eccleſiæ poteſt dici juxta morem illum ſacræ ſcripturæ, quo rector alicujus multitudinis dicitur eſſe caput. Unde legitur in Joele *: Congregabuntur filii Juda & filii Iſrael pariter: & ponent ſibi caput unum; id eſt, rectorem. Conſtat autem quod beatus Petrus eo ipſo, quod Chriſtus ſibi commiſit curam gregis dominici, ipſum ejuſdem gregis conſtituiſſe rectorem, & per conſequens caput.

Refelluntur ex ſcripturæ oraculis.

* Oſea

Fatemur tamen cum Apoſtolo, quod Chriſtus eccleſiæ eſt verum caput & principale, ſub quo tamen Petrus caput dicitur ſecundum modum prædictum; ſecundum quem modum ſub Chriſto capite & Petro multa capita particularia poſſunt dici, ſicut patriarcha patriarchatus ſui & archiepiſcopus archiepiſcopatus ſui; ſicut videmus, quod licet Chriſtus ſit eccleſiæ principale ac primarium fundamentum, juxta illud Apoſtoli: Fundamentum autem nemo poteſt ponere præter illud, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus; & alibi, loquens gentilibus converſis, dixit: Vos eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo lapide angulari Chriſto Jeſu; id eſt, quod fundamentum eſt Chriſtus Jeſus; tamen etiam Apoſtoli dicuntur fundamentum, juxta illud Pſalmiſtæ: Fundamenta ejus, id eſt, eccleſiæ, in montibus ſanctis. Et ſecundum hunc modum Chriſtus videtur Petrum prædixiſſe futurum eccleſiæ fundamentum, dum dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Unde ſicut Chriſtus dicitur ſanctus ſanctorum, Rex Regum, & dominus dominantium; ſic ſimilitudinaliter paſtor paſtorum & caput capitum & fundamentum fundamentorum eccleſiæ poteſt dici. Sic igitur ex prædictis patet, quod Petrus ſecundum prædictum modum caput eſt eccleſiæ & vocatur. Et hoc videtur Chriſtus in impoſitione nominis deſignaſſe; dixit enim ſibi, ſicut legitur in Joanne: Tu vocaberis cephas; cephas autem Græce interpretatur Latine caput. Unde Conſtantinus Imperator de Romana eccleſia loquens dixit, quod principatus ſacerdotum & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cœleſti conſtitutus eſt Romæ. Juſtinianus quoque in quadam epiſtola Joanni Papæ miſſa, teſtatur hæc dicens: Non patimur quicquam, quod ad eccleſiam pertineat, quamvis manifeſtum & indubitatum ſit quid innovetur, & non hæc veſtræ ſanctitati, quæ caput eſt eccleſiarum omnium, innoteſcat. Et alibi ſic dicit: Summi pontificatus apicem apud Romanam eccleſiam eſſe, ipſamque fore ſacerdotii fontem, nemo eſt qui dubitet; ideſt qui debeat dubitare. Ludovicus autem Imperator beatum Petrum principem Apoſtolorum vocat.

Præcellere Petrum reliquis Apoſtolis oſtenditur.

Quod autem beatus Petrus plus quam alii Apoſtoli habuerit auctoritatis, ex prædictis etiam concluditur evidenter; certum eſt enim, quod major eſt auctoritas paſtoris, quam gregis; Petrus autem totius gregis dominici generalis conſtitutus eſt paſtor, ut probatum eſt ſuperius; quod de nullo alio poteſt dici. Præterea conſtat, quod major eſt non limitata auctoritas, limitata: omnes autem alii Apoſtoli receperunt limitatam poteſtatem, ſive ſupra verum corpus Chriſti conficiendum, ſumendum, & aliis miniſtrandum: quæ quidem auctoritas ſeu poteſtas fuit in cœna Domini omnibus Apoſtolis attributa; & etiam illa, quam poſt reſurrectionem Dominus ſupra corpus myſticum dedit illis, dicens: Quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Sive etiam in aſcenſione, quando dixit eis: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, &c. Petro autem ſine limitatione aliqua commiſit curam gregis dominici, cum ſibi dixit: Paſce oves meas: paſce agnos meos. Item ſibi ſoli, ita quod nulli alii ſingulariter dixit: Tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Hæc etiam in ſancto Lucæ evangelio Jeſus videtur

ſa-



ſatis congrue deſignaſſe, ubi loquens Petro dixit: Duc in altum; ſignificans quod ad ipſum ſolum pertineat, in altum, id eſt, in profundum diſputationum fidei dubia definire; ſibi autem & aliis quod ſequitur: Laxate retia in capturam; quia omnes Apoſtolos conſtituit hujuſmodi piſcatores, juxta illud quod in ſancto evangelio Marci dixiſſe legitur Chriſtus: Venite poſt me, faciam vos hominum piſcatores; hoc quoque, ſcilicet quod Petrus plus cæteris Apoſtolis receperit auctoritatis, apparet ex multis quæ Jeſus ſibi, & de ipſo aliis dixit; necnon & ex multis, quæ ipſum poſt Aſcenſionem Domini dixiſſe atque feciſſe, ſacra ſcriptura teſtatur. Ex prædictis itaque patet, quod Petrus a Chriſto fuit vicarius conſtitutus, quando ſibi totius gregis dominici curam commiſit, & per conſequens rector, & caput gregis ipſius inſtitutus eſt, & vocatus. Ex quibus ſequitur, quod ſibi a Chriſto amplior, quam aliis attributa fuerit auctoritas & poteſtas. Hinc eſt quod Clemens ejuſdem Petri ſucceſſor & diſcipulus dixit: Nec inter ipſos Apoſtolos par fuit inſtitutio: ſed in omnibus præfuit unus, ſcilicet Petrus.

XXXI.
Effutiebant, ad Imp. ſpectare Pontifices inſtituere & deturbare.

Tertio iſti filii belial aſſerere non verentur, quod ad Imperatorem ſpectat, Papam inſtituere & deſtituere, ac punire; quæ utique omni juri obviant, & repugnant. De primo quidem poſt Chriſtum novi teſtamenti ſummo Pontifice ſcilicet Petro patet, quod non ab Imperatore temporali, ſeu terreno conſtitutus Papa fuerit, ſed a Chriſto, dicente ſibi illud Joannis: Paſce oves meas: paſce agnos meos; per quæ verba ipſum ſuum vicarium generalem conſtituit, ut patet ex prædictis. Adhuc, de illis ſummis Pontificibus, qui fuerunt ante Conſtantinum magnum Imperatorem, quod ipſorum inſtitutio ad Imperatores non pertinuerit, ſatis liquet volenti acquieſcere veritati. Cum enim fere omnes Imperatores illius temporis fuerint idololatræ, ac fidei catholicæ & orthodoxorum Pontificum perſecutores atrociſſimi, adeo quod omnes fere a beato Petro incluſive uſque ad beatum Silveſtrum effecerint martyres; quod ad eos Papæ inſtitutio potuerit pertinere, nullo modo utique credi debet. Nec de ipſo Conſtantino uſque ad ſuam converſionem ad fidem catholicam, quod ad eum inſtitutio pertinuerit, dici poteſt; nec per converſionem ad fidem hoc aſſequi potuit, cum per eam Papæ filius ac diſcipulus fuerit & ſubjectus. Præterea cum Imperator ipſe poſt ſuſceptum baptiſmum inconveniens reputaverit & injuſtum, quod ubi principatus ſacerdotum & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cœleſti inſtitutum fuerat, videlicet Romæ, illic Imperator terrenus poteſtatem haberet, ideoque ſedem imperialem Silveſtro Papæ conceſſerit, & ad partes orientales imperii & regni tranſtulerit poteſtatem, multo fortius injuſtum & inconveniens eſt cenſendum, quod ad ipſum Imperatorem Papæ potuerit inſtitutio pertinere. Et idem patet dicendum eſſe de Græcis Imperatoribus, qui ſibi in Imperio ſucceſſerunt.

Id falſum eſſe, probatur in Petro primo Pontifice.

Non item id ſpectaſſe ad Imp. idololatras.

Conſtantinum Imp. contrarium factis oſtendiſſe.

Spectare non potuiſſe ad Impp. Græcos.

Neque ad Latinos.

Quod autem ad Imperatores Latinos non pertinuerit, nec pertineat inſtitutio ſupradicta, patet: imperium enim per Papam a Græcis tranſlatum eſt in Latinos; nec plus juris in ipſos, quam apud Græcos exiſteret, Papam ipſum transferentem legimus tranſtuliſſe. Græcis autem Imperatoribus, ut ex prædictis patet, talis non pertinebat inſtitutio; quare nec pertinere poterit ad Latinos. Et ſi dicatur, quod Papæ inſtitutio ad Latinos Imperatores pertinet ex conceſſione poſtea ipſis facta per ſummum Pontificem, vel ſummos Pontifices, eſt dicendum, quod nulla conceſſio facta per Papam aliquem Imperatori ſeu Imperatoribus, debet intelligi, quod ipſi Imperatores Papam poſſent inſtituere ſeu eligere; ſed quod poſſent electioni ſummi Pontificis intereſſe. Et quod ſic conceſſiones illæ intelligi debeant, ſatis ex eo, quod in quodam capitulo legitur, ubi ſic dicitur: Verum quia Imperatores quandoque modum ſuum ignorantes, non in numero conſentientium, ſed potius diſtribuentium, immo exterminantium eſſe voluerunt, &c. Item querimonia nunciorum Ludovici Imperatoris, quibus in Urbe præſentibus electio de Papa Adriano II. ipſis non vocatis extitit celebrata, hoc ſimiliter probat: conquerebantur enim dicentes, quod cum præſentes eſſent, non fuerant invitati: nec optatæ meruerunt electioni futuri præſulis intereſſe. Adhuc quia nonnulli Imperatores illo privilegio abuſi fuerunt, ac frequenter in hæreticorum prolapſi perfidiam, & catholicæ matris eccleſiæ unitatem fuerunt impugnare conati; ſtatuta ſanctorum patrum contra eos, ut ſe electioni Papæ non ingererent, prodierunt, ac ut anathematis innodaretur vinculo quiſquis eorum ſuffragia eccleſiam obtineret. Nonnulli quoque Imperatores ducti religione mentis affectu ex abundanti, ſupradicto renunciaverunt privilegio, ut patet ex tenore canonum ſuper hoc conditorum, per quos & non alios probatur conceſſio antedicta.

An fuerit conceſſa aliquibus Impp. Pontificis inſtitutio.

Oſtenditur non conceſſa.

Præterea legant homines iſti peſtiferi hiſtorias approbatas, & oſtendant quis unquam Papa catholicus ab Imperatore inſtitutus fuerit. Profecto credimus quod nullum poterunt reperire. Nec dubium, ſi ad eos talis pertinuiſſet inſtitutio, quin poteſtate fuiſſent uſi hujuſmodi, & quin hiſtoriis de inſtitutione tali mentio haberetur. Dicere autem quod Papæ deſtitutio, ſeu punitio ad Imperatorem pertine-

at,

at, eſt erroneum & inſanum. Quomodo enim pertinebit Papæ deſtitutio, cum ejus inſtitutio ad eum non pertineat, ut ex prædictis patet? Inde etiam ſecundum jura imperialia privatio debet procedere, unde datio noſcitur proceſſiſſe. Præterea, quomodo Imperator principem clericorum deſtituere poterit, vel punire, cum etiam ſecundum imperiales leges id in ſimplici clerico nequeat exercere? Audeant inſuper iſti perfidi homines quid circa hoc nonnulli catholici principes ſenſerint, & quid duxerint ſanciendum.

Imperatorum teſtimonia, ab ipſis pontifices non poſſe exauctorari.

Theodoſius quidem & Arcadius Imperatores catholici expreſſe ſanxerunt, quod nullus epiſcoporum, ſive eorum qui eccleſiæ neceſſitatibus ſerviunt, ad ordinariorum ſive extraordinariorum judicium pertrahantur: Habent enim illi ſuos judices, nec quicquam eis cum legibus eſt commune. Item Imperator Conſtantinus, cum querelam clericorum quorundam coram ſe deferendam conſpiceret, dixit: Vos a nemine laicorum poteſtis judicari, qui Dei ſolius eſtis judicio reſervati. Et ſi dicatur: Si ſolius Dei judicio reſervantur, ergo nec a judicibus eccleſiaſticis poterunt judicari; dicendum quod immo ipſi quidem pontifices vicarii, licet differenter, ſunt Chriſti; quia Papa univerſalis, velut vocatus in poteſtatis plenitudinem; alii vero particulares, velut illi, qui in partem ſolicitudinis ſunt vocati: unde a Deo videntur judicari, quia ab eo judicantur potius quam ab ipſis, cum ille cujus auctoritate fit, illud facere videatur. Et propter hoc Imperator prædictus ſignanter dixit: A nemine laicorum. Item *.... cum Romæ concilium convocaſſet, ut ſanctum concilium judicaret de his, quæ Papæ Symmacho ab adverſariis dicebantur impingi, certi epiſcopi, qui convenerant, Imperatori dixerunt, quod ad illum, qui Impetebatur, ſcilicet Papam, pertinebat concilium convocare, quia ejus ſedi primum Petri Apoſtoli meritum, deinde ſecuta juſſione Domini conciliorum venerandorum auctoritas, ſingularem in eccleſiis tradidit poteſtatem, nec ante minoris ſubjacuiſſe judicio antiſtitem dictæ ſedis. Quo audito * prædictus, Deo inſpirante, reſpondit ſynodalis eſſe arbitrii in tanto negotio ſequenda præſcribere; ac ad ſe nihil, præter reverentiam, de eccleſiaſticis negotiis aſſeruit pertinere. Epiſcopis etenim principes Chriſtianos ſolitum eſt capita ſubdere, non de eorum capitibus judicare. Hinc eſt quod Innocentius Papa Arcadium Imperatorem excommunicavit, quia conſenſit, ut a ſua ſede ſanctus Joannes Chryſoſtomus pelleretur. Plures quoque ſummos Pontifices legitur, Imperatores pro ſuis exceſſibus imperiali dignitate privaſſe. Beatus quoque Ambroſius, licet eccleſiæ univerſalis non eſſet Pontifex, Theodoſium magnum Imperatorem excommunicans, eidem ingreſſum eccleſiæ interdixit.

* Theodoricus Rex

* Rex

Inſana hæreticorum probatio ad confirmandam hæreſim.

Ad hujuſmodi autem erroris ſui fulcimentum, ſcilicet quod ad Imperatorem pertineat Papam deſtituere & punire, illud quod in ſanctis evangeliis legitur de Pilato, ſcilicet quod Chriſtum crucifixerit, præſumunt inducere; aſſerentes ipſum Pilatum tanquam Chriſti ordinarium crucifixiſſe ipſum tanquam ſibi ſubjectum, quod habet duplicem intellectum. Aut enim intelligunt Pilatum Chriſtum crucifixiſſe de jure, aut de facto, ſi de jure, hoc obviat veritati; de jure enim de crimine quis puniri non poteſt: niſi qui deliquerit vere, vel interpretative, vel qui convictus fuerit deliquiſſe. Chriſtus autem ſecundum veritatem non deliquit, quia innocens fuit manibus, & mundo corde: Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus; & hoc Pilatus ipſe fuit expreſſe teſtatus, cum enim ipſum Judæis tradidit crucifigendum, dixit: Mundus ſum a ſanguine juſti hujus. Item nec fuit deliquiſſe convictus, quod idem pluries eſt teſtatus; cum enim Judæi inſtarent quod crucifigeret eum, in uno loco dixit: Quid enim mali fecit? quaſi dicat: Nihil invenio eum feciſſe mali. Et alibi pluries eiſdem Judæis inſtantibus, quod crucifigeret illum, dixit: Ego nullam in eo invenio cauſam mortis. Quare ipſum de jure non potuit punire.

Refellitur egregie a Pont.

Si autem intelligant quod de facto, & injuſte punivit eum innocentem, ſicut & veritas ſe habet, tunc non poſſunt concludere aliud, niſi quod Imperator Papam de facto poteſt interficere & injuſte; quod utique non ſolum de Imperatore concedimus, verum etiam de privato, ſicut & plures Imperatores a privatis perſonis & ſummos Pontifices a non ſuis judicibus, ſicut omnes martyres legimus interemptos.

XXXII. Nefandus error contra hierarchiam eccleſiaſticam.

Quarto dicunt iſti vaniloqui, immo falſiloqui quod omnes ſacerdotes, ſive ſit Papa, ſive archiepiſcopus, ſive ſacerdos ſimplex, ſunt ex inſtitutione Chriſti auctoritatis & juriſdictionis æqualis. Hanc hæreſim ab Aerio confictam cum epiſcopalem gradum adipiſci non potuiſſet, S. Auguſtinus obſervat (a) quam nonnulli alii hæretici imbibere; huic vero Marſilius & Jandunus hoc virus addidere: Quod autem unus plus alio habeat, hoc eſt ſecundum quod Imperator concedit uni vel alii plus & minus: & ſicut conceſſit alicui, ſic poteſt illud etiam revocare.

Confutatur graviſſimis argumentis.

Quæ utique doctrinæ ſacræ obviant, & hæreticam ſapiunt pravitatem; quod enim ſacerdotum ſimplicium & non ſimplicium ex ipſa inſtitutione Chriſti non exiſtat æqualis poteſtas, patet tam in his qui fuerunt in teſtamento veteri, quam in iis qui fuerunt in novo. In veteri ſiquidem teſtamento per Moyſem ex præcepto Domini Aaron in ſummum pontificem, filii vero ejus uncti fuerunt in ſimplices ſacerdotes; quorum poteſtas, ut patet, inæqualis exiſtit, quia ex ſimplicibus ſacerdotibus velut ad ſuperioris auctoritatis & poteſtatis honorem ad pontificatum ſunt aſſumpti: tumque licebat quædam pontifici, ut ſancta ſanctorum ingredi, quæ non licebant ſimplici ſacerdoti. In novo vero teſtamento pontificis & ſimplicium ſacerdotum ab ipſo Chriſto ex eo aſſumpſiſſe videtur exordium, quod duodecim Apoſtolos, quorum typum gerunt pontifices, ac ſeptuaginta duos diſcipulos inſtituit, quorum typum gerunt ſimplices ſacerdotes. Conſtat autem ex multis, quod de ipſis in ſanctis legitur evangeliis, quod Apoſtolorum & diſcipulorum auctoritas diſpar fuit.

(a) Aug. in catal. hær. & ex eo Guid. Carmelita ſumm. de hær. Bar. annal. to. I. ann. Chr. 58. n. 4.



Adhuc quod poteſtas aliorum quorumcumque ſacerdotum poteſtati Papæ par non ſit, nec æqualis, patet evidentius ex prædictis, quod aliorum epiſcoporum, ſcilicet patriarcharum, archiepiſcoporum, & epiſcoporum, par poteſtas nec ſit nec fuerit, patet. Inferiorum ſiquidem poteſtas ſuperiorum non eſt par poteſtati: conſtat autem patriarchas eſſe ſuperiores reſpectu archiepiſcoporum, & archiepiſcopos reſpectu epiſcoporum, & epiſcopos reſpectu ſimplicium ſacerdotum. Et ſi dicant iſti homines reprobi, quod iſtorum epiſcoporum diſtinctio ab Imperatore proceſſit, non a Chriſto dicimus quod immo proceſſit ab ipſo, ille enim, cujus auctoritate fit aliquid, velut feciſſe videtur. Beatus autem Petrus Chriſti vicarius, & gregis dominici caput, attendens quod aucto grege, ſine ipſius augmentatione cuſtodiæ gregi non poterat ſalubriter provideri, auctum gregem poſt aſcenſionem Domini conſiderans, & aucturum amplius prævidens in futurum, gradus prædictarum poteſtatum inſtituit & diſtinxit: quare cum auctoritate Chriſti prædicta diſtinctio facta fuerit, Chriſto debet abſcribi. Hanc autem poteſtatem datam eccleſiæ, pſalmiſta diu ante prædixit, dicens: Pro patribus nati ſunt tibi filii conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Ubi patres eccleſiæ vocat Apoſtolos, & filios eccleſiæ fideles, per Apoſtolos, ipſos converſos: ubi ſatis aperte eccleſiæ, ideſt ejus paſtori, attributa poteſtas intelligitur inſtituendi diverſos gradus principum, cum expedire perciperet eccleſiæ ſanctæ Dei. Audiant inſuper iſti perverſi homines, quod Juſtinianus Imperator catholicus ſuper hoc dixit; cum enim circa gradus prædictos epiſcoporum, eorumque ſuperioritatem & ſubjectionem conſtituiſſet aliqua, ſubjunxit dicens; Nam hoc ſecundum ſacrarum regularum explanationem, apoſtolicamque traditionem conſtituimus. Ex quibus colligitur evidenter, non ab Imperatore diſtinctionem & auctoritatem pontificum originaliter & principaliter, ſed ab auctoritate apoſtolica proceſſiſſe: Imperatoremque, ut illa ſervarentur melius: juxta ſtatuta apoſtolica eadem ſtatuiſſe.

Abſurda ex dictis hæreticorum conſequentia.

Conſiderent etiam quæ & quanta ex his, ſi vera eſſent, inconvenientia ſequerentur. Sequeretur utique, quod uſque ad tempus Conſtantini nulla poteſtas eſſe potuerit in eccleſia ſancta Dei, cum illo tempore Imperatores fere omnes gentiles fuerint, & perſecutores eccleſiæ ac prælatorum ejuſdem, de quibus dici non poteſt, quod prælatis eccleſiæ poteſtatem conceſſerint aliquam, ut ex prædictis patet. Ex prædictis inſuper ſequeretur, quod univerſalis eccleſia, quæ Spiritu ſancto regitur, erret & erraverit, ipſos honorando pro ſanctis; quod eſt utique contra illud, quod Chriſtus diſcipulis in aſcenſione ſua, ut in ſancto evangelio Matthæi legitur, promiſit dicens: Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Secundum enim iſtos diaboli filios, pro illo tempore vera Chriſti promiſſio non fuiſſet, nec aliquis illorum Pontificum, qui a paganis fuerunt eo tempore interfecti, ſancti fuerunt, nec pro ſanctis honorari deberent. Hoc quoque eſt expreſſe contra illum articulum: Unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam; quia ſecundum eos nec ſancta fuit pro illo tempore, nec potuit dici ſancta.

Parem non eſſe pontificalem & ſacerdotalem poteſtatem oſtenditur.

Utrum autem in omnibus Apoſtolis, ac in ſimplicibus ſacerdotibus fuerit ordinis poteſtas æqualis; dicimus, quod quantum ad ordinis dignitatem pares ſunt & fuerunt: æque enim ſacerdos quilibet ſacerdotalem characterem recipit rite & ſecundum formam eccleſiæ ordinatus: poteſtas autem ipſius ordinis par quoad ſacramentum altaris omnino non exiſtit, nec extitit ſimplicis & non ſimplicis ſacerdotis, quod patet, quia poteſtas ligabilis & ſuſpenſibilis illi: qui ligari & ſuſpendi nequit, nequaquam par poteſt dici: conſtat autem, quod Papa ligare poteſt aliorum ſacerdotum & ſuſpendere poteſtatem, ſic quod licite uti dicta poteſtate non poterunt, licet effectus ſubſequatur, ſi uſi fuerint, & ipſi ſunt ex hoc merito puniendi: nullus autem aliorum ſacerdotum poteſtatem Papæ ligare vel ſuſpendere poteſt: quod etiam de aliis ſuperioribus, & inferioribus patet. Ex quo ſequitur evidenter, quod poteſtas etiam ordinis ſuperiorum & inferiorum ſacerdotum omnino par judicari non poteſt. Concedimus tamen, quod ſi ſine prohibitione aliqua minores uſi fuerint hujuſmodi ordinis poteſtate, puta hoſtiam conſecrando, par ſequitur effectus. Æque enim prolatis verbis illis: Hoc eſt corpus meum, &c. a ſimplice ſacerdote fit tranſubſtantiatio panis in corpus Chriſti, ſicut ſi ea ſuperior protuliſſet; quod ex eo contingere noſcitur, quia unus & idem eſt

*eſt ſacerdos interior, videlicet Chriſtus, qui prolatis verbis prædictis a ſacerdote quolibet animo conſecrandi, tranſubſtantiationem hujuſmodi facit: & ideo non eſt mirum, ſi par effectus ſequi debeat verbis prædictis a quocumque ſacerdote prolatis, cum unus & idem auctor hujuſmodi eſſe noſcatur effectus.*

XXXIII. Inſanus eorundem error, neminem ab eccleſia puniri coactive poſſe, confutatur.

*Quinto adhuc iſti blaſphemi dicunt, quod tota eccleſia ſimul juncta nullum hominem punire poteſt punitione coactiva, niſi concedat hoc Imperator; quod utique doctrinæ evangelicæ noſcitur obviare. Conſtat enim, quod a Chriſto Petro & in perſona Petri eccleſiæ poteſtas coactiva conceſſa, vel ſaltem permiſſa extitit; quæ quidem permiſſio fuit poſtea adimpleta, cum ſibi Chriſtus dixit: Quodcumque ligaveris ſuper terram, &c. Ligantur enim non ſolum voluntarii, ſed inviti. Adhuc conſtat, ſicut ibi legitur in Matthæo, quod ſi aliquis damnum alicui indebite dederit, illudque ad mandatum eccleſiæ noluerit emendare, quod eccleſia per poteſtatem a Chriſto ſibi conceſſam ipſum ad hoc per excommunicationis ſententiam compellere poteſt: quæ quidem poteſtas eſt utique coactiva. Circa quod eſt advertendum, quod cum excommunicatio major nedum excommunicatum a perceptione ſacramentorum removeat, ſed etiam a communione fidelium ipſum excommunicatum excludat; corporalis eſt a Chriſto coactio eccleſiæ permiſſa; cum etiam ſecundum leges imperiales gravius reputetur inter homines converſari, ipſorumque privari ſuffragiis, quam ab hominibus ſeparari; ſequitur poteſtatem coactivam non ab Imperatore terreno, ſed ab ipſo Chriſto fuiſſe originaliter eccleſiam conſecutam.*

*Præterea beatus Petrus poſt aſcenſionem Domini in perſonam Ananiæ & Sapphiræ uxoris ſuæ ſine imperiali conceſſione aliqua hac uſus eſt poteſtate: in quos, quia de pretio agri Deo oblato fraudaverant, mortis ſententiam promulgavit; quæ quidem ſententia non proceſſit de ipſorum conjugum voluntate. Item beatus Paulus Elimam magum, Sergium Paulum a fide quærentem abducere, ad tempus luce corporali privavit. Illum quoque fornicatorem Corinthium in carnis interitum tradidit ſathanæ, ut ejus ſpiritus ſalvus eſſet. Item Corinthiis ſcribens idem Apoſtolus dixit: Quid vultis? in virga ad vos veniam, an in charitate, & in ſpiritu manſuetudinis? In quo ſatis expreſſe coactivam poteſtatem ſuppoſuit ſe habere. Item ſcribens eiſdem alibi dixit: Arma, inquit, militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ideſt a Deo conceſſa, ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruens, & omnem multitudinem, extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei. Et ſequitur; In promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam. Ex quibus patet, Paulum non ab Imperatore, ſed a Deo habuiſſe poteſtatem, etiam coactivam; cujus contrarium blaſphemi præſumunt dicere ſupradicti. Rurſum advertant iſti nequam homines, quomodo audent dicere, quod ab Imperatore terreno eccleſiarum prælati coactivam vel aliam receperint originaliter poteſtatem; cum, ut ſupra dictum eſt, Imperatores uſque ad Conſtantinum magnum fere omnes pagani fuerint, ſeu idololatræ & perſecutores; immo exterminatores, quantum fuit in eis, eccleſiæ ſanctæ Dei. Quomodo ergo illi talibus coactivam vel aliam poteſtatem concederent, utique nullus ſapiens credere debet.*

XXXIV. Ut iidem hæretici judicio poſtulati ſint.

*Et quia ne tantorum actores & doctores errorum plures in ipſorum errorum pertraherent devium, ipſique propter impuritatis audaciam nequaquam fierent nequiores, licet nos cum eorum exceſſus adeo forent notorii, quod nulla poterant tergiverſatione celari, & poſſemus procedere ad ſententiam contra eos; de benignitate tamen apoſtolica, quæ converſionem deſiderat perverſorum, nos ipſos Marſilium & Joannem & quemlibet ipſorum de fratrum eorumdem conſilio v. idus aprilis proxime præteriti, die videlicet dominicæ cœnæ, per edictum citavimus publice, præſente fidelium multitudine copioſa, ut infra quatuor menſium etiam proxime ſubſequentium ſpatium, quos eis & eorum cuilibet de eorumdem fratrum conſilio pro peremptorio termino præfiximus & aſſignavimus, apoſtolico conſpectui ſe perſonaliter præſentarent, ſuper prædictis exceſſibus & delictis, ut præfertur, notoriis juſtam, dante Domino, ſententiam audituri; ac reſponſuri & facturi quod juſtitia ſuaderet; eiſdem apertius prædicentes, quod ſive infra prædictum comparerent terminum coram nobis, ſive non comparerent; nos ad prædicta abſque monitione & citatione procederemus, prout videremus expediens, eorum abſentia non obſtante; volentes tunc nihilominus, ac etiam decernentes occaſione prædicta, etiamſi termini ſupradicti præfixo in tempore forſitan caderet feriato, perinde valere, ſuumque effectum ſortiri debere, ac ſi tempus feriatum non exiſteret, quacumque conſtitutione ſuper hoc in contrarium edita non obſtante: & ut ad ipſorum & aliorum, quos tangebant, notitiam communem deducerentur prædicta, chartas ſive membranas, proceſſum continentes eumdem, in majoris eccleſiæ Avinionenſis appendi vel affigi oſtiis fecimus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicarent, ut ipſi & alii, quos proceſſus ipſe tangebat, nulla poſſent excuſatione contendere, quod ad eos non perveniſſet, vel quod ignoraſſent eumdem: cum non eſſet veriſimile, quoad ipſos remanere incognitum*

Propoſitum publice in eos edictum.





*tum vel occultum, quoad publicabatur omnibus tam patenter. Voluimus etiam, auctoritate apoſtolica decernentes, quod idem proceſſus prædictos citatos apprehenderet & arctaret, quia ad eos, moram trahentes cum dicto Ludovico, tutus non patebat acceſſus, ac ſi eis inſinuatus perſonaliter & publicatus ſolemniter extitiſſet, conſtitutione quacumque per Romanos Pontifices prædeceſſores in contrarium edita non obſtante.*

Convicti contumaciæ.

*Cum autem præfati Marſilius & Joannes citati, ut prædicitur, nec aliquis eorundem in præfixo ſibi termino comparere non curaverint, nec aliquis pro eiſdem, nos ipſos & eorum quemlibet de fratrum prædictorum conſilio reputavimus, & decrevimus merito contumaces. Et licet etiam eorum contumacia exigente potuiſſemus cum eorum eſſent exceſſus, ut præfertur, adeo notorii, quod non poterant aliqua tergiverſatione celari, ad ſententiam alias rationabiliter contra ipſos procedere & quemlibet eorundem; de benignitate tamen apoſtolica, quæ converſionem peccatorum deſiderat, ipſos decrevimus uſque ad noſtrum beneplacitum expectandos: quocirca contra ipſos procedere uſque ad diem præſentem de eorundem fratrum conſilio duximus differendum.*

XXXV.

*Sane conſiderantes attente, quod præmiſſi Marſilius & Joannes ad redeundum ad ſinum eccleſiæ ſe non præparant, ſed potius ut in ſui erroris devium alios pertrahant, elaborant; necnon & ad memoriam reducentes, quod dudum cum hoſtis humani generis ad impugandum ſinceritatem fidei hæreticorum fallaciam ſubinduceret fraudulentam, ſancti patres prædeceſſores noſtri contra ipſos viriliter inſurgentes, eorum prava dogmata cum ſuis auctoribus condemnarunt, ſicut patet de Arrio & Manichæo, Neſtorio & Dioſcoro, ejuſque complicibus & pluribus aliis, quos cum ſuis hæreſibus juſtiſſima ſententia condemnarunt, ac volentes eorundem patrum veſtigiis inhærere; & inſuper attendentes probabiliter formidari, quod contra præmiſſa mora periculum, & damnum diſſimulatio forent proculdubio allaturæ, non intendentes eos ulterius expectare, ſed reputantes ac decernentes potius contumaces: ad laudem & gloriam ſanctæ & individuæ Trinitatis, conſolationemque fidelium, & fidei catholicæ firmamentum de fratrum noſtrorum conſilio, Dei nomine invocato, articulos prædictos, videlicet quod illud, quod de Chriſto legitur in evangelio beati Matthæi, quod ipſe ſolvit tributum Cæſari, quando ſtaterem ſumptum ex ore piſcis, illis qui petebant didrachma juſſit dari; hoc fecit non condeſcenſive & liberalitate ſuæ pietatis; ſed neceſſitate coactus: item quod beatus Petrus Apoſtolus non fuit plus caput eccleſiæ, quam quilibet aliorum Apoſtolorum, nec habuit plus auctoritatis, quam habuerunt alii Apoſtoli, & quod Chriſtus nullum caput dimiſit eccleſiæ, nec aliquem fecit vicarium ſuum: rurſus quod ad Imperatorem ſpectat corrigere Papam & punire, ac inſtituere & deſtituere; adhuc quod omnes ſacerdotes ſive ſit Papa, ſive archiepiſcopus, ſive ſacerdos ſimplex quicunque, ſunt æqualis auctoritatis & juriſdictionis ex inſtitutione Chriſti, ſed quod unus habet plus alio, hoc eſt ſecundum quod Imperator conceſſit plus vel minus, & ſicut conceſſit, revocare poteſt; ultimo quod Papa, vel tota eccleſia ſimul ſumpta nullum hominem quantumcumque ſceleratum poteſt punire punitione coactiva, niſi Imperator daret eis auctoritatem, velut ſacræ ſcripturæ contrarios & fidei catholicæ inimicos, hæreticos, ſeu hæreticales & erroneos; nec non & prædictos Marſilium & Joannem hæreticos, immo hæreſiarchas fore manifeſtos, & notorios ſententialiter declaramus; articuloſque ac librum prædictos, nec non & quamcumque aliam ſcripturam continentem eoſdem; prædictos, quoque Marſilium & Joannem, ut hæreticos manifeſtos & notorios, immo ut hæreſiarchas potius reprobamus & ſententialiter condemnamus. Si quis enim doctrinam prædictam defendere vel approbare præſumpſerit, cujuſcumque dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus tanquam hæreticus ab omnibus confutetur.*

Damnatæ ipſorum hæreſes.

Inflictæ Marſilio & Janduno pœnæ.

*Præterea univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus diſtrictius inhibemus, ne prædictos Marſilium & Joannem hæreticos & de hæreſi, ut præmittitur, condemnatos ſententialiter, aut eorum alterum receptare, defendere, fovere, aut eis quomodolibet, adhærere per ſe, vel alium ſeu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, auxilium, conſilium, vel favorem præſumant; ſed eos evitent potius ut hæreticos manifeſtos, ipſoſque, quos capiendos fidelibus exponimus, zelo perſequantur fidei, & capiant ubicumque ipſos reperire potuerint; ac eccleſiæ captos aſſignent, animadverſione debita puniendos, &c. Dat. Avin. x. kal. novemb. pontif. noſtri anno XII.*

XXXVI.

Meminit hujus conſtitutionis Turrecremata (*a*) ac memoratas hæreſes Marſilii & Janduni perſtringit; ſcripſitque adverſus eoſdem Alvarus Pelagius in ſuo collyrio (*b*) adverſus hæreſes, tum in libro de planctu eccleſiæ, ac duas alias inſuper Marſilium vomuiſſe memorat his verbis (*c*): *Dicit etiam ille perfidus Marſilius, quod vacante papatu ſuccedit Imperator. Sed unde hoc habuit, & quo motu hoc dixit ignoro, cum nedum omnis ſcriptura, ſed huic poſitioni omnis ratio contradicat: Papa enim ſuccedit imperio, extra de foro compet. Licet, extra de re jud. Paſtoralis in Clement. non Imperator in*

*(a) Turrec. ſumm. de eccl. l. 4. p. 2. c. 37.*
*(b) Ext. MS. in bibl. Vat. ſign. n. 1129. p. 5.*
*(c) Alvar. Pelag. ep. Silven l. 1. de planctu eccl. c. 68.*

Finxit Marſil. Pontifici ſuccedere Cæſarem vacante ſede refellitur.

*in papatu. Quæ enim communicatio cani & ſancto? eccleſiaſt.* XIII. II. *Corint.* VI. *profanis & divinis? extr. de Juda. Ad hæc* XII. *q.* II. *Nulli. Subdito & domino? extr. de elect. Venerabilem. Quomodo poteſt Imperator in eccleſiaſticis ſuccedere, cum inhabilis ſit ad talia poſſidenda & tractanda, cum etiam ſtatutum factum ab eo in eccleſiæ favorem non valeat niſi expreſſe ab eccleſia approbetur?* XCVI. *di. Bene quidem extr. de conſti. Eccleſia. Quia Balthaſſar vaſa templi contaminat, a Deo percutitur, Dan.* V. *de conſec. di.* I. *Veſtimenta. Item Ozias Rex Juda, quia ſacerdotum officia uſurpare voluit, a Domino lepra percuſſus eſt,* II. *Paralip.* XXVI. II. *q.* VII. § *Item cum Balaam verſic. Sicut ergo. Item Heliodorus miſſus a Rege Antiocho, invidere ærarium, ubi erant in templo repoſita depoſita, calcibus equi, mirabiliter apparentis, percuſſus ſemivivus relictus eſt,* II. *Machab.* III. *Item ſi Imperator ſuccederet in papatu, jam ſolveret & ligaret: ſed non Imperatoribus, ſed piſcatoribus datæ ſunt claves a Deo, de pœn. di.* I. *Quem pœnitet, & non laicis, ſed presbyteris: Imperator enim a ſacerdotibus eccleſiæ anathematizatur & religatur* XCVI. *di. Duo. Ad hæc faciunt* XCVI. *di. Satis evidenter.* XVII. *di.* §. *Hinc etiam. Item Ambroſius Imperatori volenti eccleſiam occupare ait; Quid tibi & adulteræ? adultera eſt, quæ non tibi eſt legitimo matrimonio copulata: cedat palatium Imperatori, eccleſia antiſtiti.* XXIII. *q.* VIII. *Convenior; diſtincta autem quantum, ad hoc ſunt officia Romanorum Pontificum & Imperatorum.* X. *di. Quoniam,* XCVI. *di. Cum ad verum; unde in fine ibi dicitur de Imperatore: Ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſpiritualibus implicatus. Vide ſup. cap.* XL. *verſ. Item error.*

XXXVII. Negavit clerum temporalia habere poſſe.

*Inſuper quod dicit ille impius, ſubdolus, & ſophiſta, quod eccleſia temporalia habere non poteſt, falſum eſt, quia nedum laici, ſed etiam clerici poſſunt habere temporalia & proprium. Sed illa de antiqua hæreſi traxit, hi ſunt enim hæretici, qui condemnant proprium, habentes in hoc mundo,* XXIV. *q.* III. *Quidam verſic. Apoſtolici. Alii etiam ſunt qui dicunt, quod a tempore Silveſtri Papæ, qui recepit donationem a Conſtantino, de qua* XCVI. *di. Conſtantinus, eccleſia non fuit in ſtatu ſalutis. Sed iſtis mentita eſt iniquitas ſibi, pſal.* XXVI. *nam eccleſia primitiva habebat pecunias & proprium in communi, act.* IV. *&* XII. *q.* I. *Dilectiſſimis & ca. Scimus; unde & videntes ſummi ſacerdotes & alii fideles magis expedire eccleſiis habere poſſeſſiones, quam pecunias, quæ dabantur eis ex poſſeſſionibus venditis, dederunt eis poſseſſiones, quæ in ditione epiſcoporum conſiſtunt,* XII. *q.* I. *Videntes de prædiis eccleſiarum,* XII. *q.* II. *quaſi per totum. Propter hanc etiam cauſam Chriſtus aliquoties habuit loculos, Jo.* XII. *quia ſua erat eccleſia loculos habitura,* XII. *q.* I. *Habebat, &c. Exemplum* XXIII. *q.* IV. *Duo iſta. Quod autem & epiſcopi & alii clerici poſſint habere proprium in ſpeciali, qui religioſi non ſunt, clarum eſt,* XII. *q.* I. *Epiſcopi cum* II. *c. ſeq. &* §. *Cum ergo &* §. *Oſtenſum.* Et infra: *Item ſi ſancti martyres & confeſſores prælati in eccleſia Dei ſciviſſent eſſe peccatum eccleſiam bona temporalia poſſidere, nunquam donationes talium recepiſſent & diſpenſaſſent: ſic argumentatur Proſper* XII. *q.* I. *Expedit. Simile c.* VII. *q.* I. *Omnis qui gemebat. Præterea filii Levi clericos præfigurant,* XXI. *di.* §. *Terras & civitates poſſidebant* XIIII. *q.* I. §. *His ita.*

Exploditur ea hæreſis.

Marſilii ſcripta in lucem edita a Lutheranis.

Sparſi ſunt præter memoratas hæreſes plures alii errores in venenatis Marſilii libris, quos in perduellionis Lutheranæ exordio, cum diu ob pontificiam proſcriptionem in tenebris, quibus erant digni jacuiſſent, perfidi in lucem ediderunt, ne ut ait Albertus Pighius: *Nulla non peſtis nunc reviviſceret, aut quid deeſſet perſecutioni eccleſiæ.* Confutavit tunc idem catholicus doctor (*a*) luculento libro typis cuſo Marſilii peſtifera dogmata, ut fideles adverſus illius venena communiret, quem lector cupidus conſulere poterit; cum ipſe magna fide Marſilii argumenta referat, ut nos ex MS. (*b*) vetuſto Vaticanæ bibliothecæ, quod præ manibus habuimus comperimus, eaque ſolide & erudite confutet; noſtra vero ad hiſtoricam narrationem revocanda ſit oratio, ut Ludovicum, cujus gratia aſſentatores nefandi tot finxere hæreſes, Romam properantem ſequatur.

(*a*) *Alber. Pig. l.* 5. *de hierarch. eccl.*

(*b*) *MS. bibl. Vat. ſign. n.* 3974.

XXXVIII. Exeunte anno eduxit Piſis exercitum Ludovicus (*c*), cum a Piſano populo & clero auri vim in militum ſtipendia exegiſſet, & Caſtrucio aliquot diebus expectato (cui Piſanos Sarzanam, Rotinam, aliaque oppida invitos tradere coegerat (*d*); quique non ſine magnis difficultatibus, ut Romam contenderet, adduci poterat) a Romanis Gibellinis ſolicitatus (*e*), ut caſtra promoveret, ne Urſini ac Robertus Rex fluctuantem populum in ſuas partes traherent, Urbemque occuparent; vigeſimo primo decembris verſus Romam per maritimam oram iter intendit non ſine maximis difficultatibus. Tum vero Pontificiæ ſpes inanes apparuere: cum imminente Italiæ Ludovico, Joannes perſpectis Gibellinorum rebus, illius impetus fractum iri præfidebat (*f*) a Bertrando legato & Carolo duce Calabriæ, quos ad conjungenda, ut Ludovico iter abrumperent, ar-

(*c*) *Jo. Vill. l.* 10. *c.* 49.

(*d*) *Cap.* 47.

(*e*) *Cap.* 49.

Movet verſus Romam exercitum Ludovicus.

(*f*) *To.* 6. *p.* 2. *ep. ſecr. p.* 61.



arma animabat: qui tamen venienti nullum obicem objecere. Pervenit Viterbium ſecunda januarii die (*a*) inſequentis anni Ludovicus, quo ſe mox Caſtrucius cum lectiſſima equitum manu contulit. Carolus (*b*) vero dux Calabriæ vigeſimo octavo decembris Florentia abſceſſit in regnum paternum, ut illius aditus adverſus Ludovici irruptiones muniret.

(*a*) *Jo. Vill. l.* 10. *c.* 49.

(*b*) *Ib. c.* 50.

XXXIX. Filius Jacobi Regis Arag. ſuam adverſus Lud. operam offert.

Dum ſecundis rebus utebatur Ludovicus, parteſque eccleſiæ proſternebat, Petrus princeps Jacobi Regis Aragonum filius, zelo accenſus, ſuam Pontifici operam adverſus Bavarum detulit: cujus egregia in eccleſiam ſtudia commendavit Joannes, temporeque opportuno ejus ſe adhibiturum operam reſcripſit. (*c*) Cæterum exagitabat (*d*) tum Petri principis pater Jacobus Rex Cæſarauguſtanam eccleſiam, a qua opprimenda ipſum ſibi temperare juſſit Pontifex; ac Jacobum Regem Balearium eſt adhortatus (*e*), ne Tarraconenſis eccleſiæ jura, quæ in Minorica inſula Tarraconenſis archiepiſcopi virtute barbaris, ut vidimus, erepta obtinebat, invaderet; ac Philippo (*f*) e Majoricis ſacræ eccleſiæ B. Martini quæſtori ac regio tutori, ut ſervarentur integra, commendavit: inſtititque (*g*) apud eumdem principem, ne ſuum nepotem, qui a nonnullis Aragoniis magnatibus ad dirimendas ferro quaſdam controverſias in certamen ſingulare ex nefaria gentis conſuetudine vocabatur, diſcrimini ſe committere permitteret. Tum etiam ad Regem Aragonium, ut rem vetaret, hæc ſcripſit (*h*): *Quia quædam in partibus regni tui conſuetudo eſſe aſſeritur, divino prorſus & humano juri contraria, quod barones, ſeu milites & eorum filii ſuper quæſtionibus ſuis, etiam ſi ſtare juri ſe offerant, hoc non admiſſo, cum adverſario bellum ſuſcipere compelluntur; nec, ut noſti, præfatum Regem,* Balearium ſcilicet, *deceat, nec ſibi & dicto regna ſuo expediat, ſe tanto exponere caſui, prædictum Regem, tam in humana conſuetudine prædicta non ſinas aliquatenus coarctari. Dat. Avin.* V. *kal. junii an.* XI.

Monitus a Pont. de tuendo jure eccleſiaſtico.

(*c*) *To.* 6. *p.* 1. *ep. ſecr. p.* 40.

(*d*) *Ead. pag.*

(*e*) *Ead. par. pag.* 35.

(*f*) *Ib. pag.* 36.

(*g*) *Ead. par. pag.* 40.

Rex Balearis provocatus in certamen ſingulare.

(*h*) *Ead. pag.*

Rogatus Rex Arag. impium facinus diſturbare.

Ereptus eſt e vivis paucis poſt menſibus, nimirum menſe octobri, ut refert Joannes Villanus (*i*), vel novembri ineunte ut Hiſpani auctores affirmant, Jacobus Rex Aragonum, magnis quidem, ut ajunt, virtutibus ornatus, & pacis bellique artibus decorus, cujus peritia in rebus ingentibus ſe explicuit. Laudat ipſum Joannes Mariana (*k*) litibus infenſum fuiſſe, ac Radam juriſconſultum inſignem, cum illius argutiis æquitas opprimeretur, regno pepuliſſe; atque hoc elogium ſubjungit: *Illud in Jacobo Rege eximium, quod regni principatus Aragoniam, Catalaniam, Valentiam individuos fore perpetua lege ſanxit.* Sexaginta ſex annorum fuiſſe tradit Surita, (*l*) ejuſque corpus in monaſterium S. Crucis illatum.

(*i*) *Jo. Vill. l.* 10. *c.* 46.

Jacobi Regis mors.

(*k*) *Marian. l.* 15. *c.* 19.

Illius elogium.

(*l*) *Sur. l.* 6. *c.* 75.



XL. Hoc anno ſecunda menſis februarii die habita eſt ſynodus provincialis Toleti Joannis archiep. Toletani juſſu, in qua plura de ſervando in cognoſcendis cauſis judiciorum ordine, deque eccleſiaſtica reſtituenda diſciplina ſtatuta ſunt. Tum hæc in clericos, qui cenſuras eccleſiaſticas ſpernerent, ſancita: *Quia frequenter aliqui clerici, qui in obedientiæ exhibitione & obſervatione mandatorum Dei & eccleſiæ ſuæ ſanctæ eſſe debuerant ſpeculum aliorum, manendo excommunicati longo tempore animo indurato occaſionem laicis tribuunt ſimilia faciendi; idcirco ſtatuimus, quod quicumque clericus excommunicatus ab homine paſſus fuerit contumaciter per triginta dies a tempore ſententiæ ſic ſe manere ligatum, ſi beneficiatus fuerit, per ſententiam domini archiepiſcopi vel ejus vicarii ſuo beneficio expolietur, & per duos menſes ſit inhabilis ad aliud obtinendum: ſi beneficiatus non fuerit, pro ſuperioris arbitrio pecuniaria * puniatur; ſic quod major pœna ei imponatur, quam per Regem & ſtatuta contra laicos taliter excedentes.*

Synodus Toleti celebrata.

Contra clericos cenſuras ſpernentes decretum.

* *mulcta*

XLI. In Caſtella Joannis princeps Emanuelis filius, limiti adverſus Granatenſes Saracenos præfectus, belli ſacri conſilia meditabatur: quæ cum aperuiſſet Pontifici, ad ea magnis animis perducenda excitatus eſt (*m*): eoque militari ardore incenſus Rutem arcem, ut ſcribit Mariana (*n*), improviſo adventu cepit, collatiſque ad Guadalfortium cum Mauris ſignis, illuſtrem de fidei hoſtibus victoriam retulit; de qua Pontifex gratulatorias haſce literas ad illum dedit (*o*), utque debellandis fidei hoſtibus operam, uti magna cum virtutis laude cœperat, collocaret accendit.

Joannes princeps in Granatenſes ducit.

(*m*) *To.* 6. *p.* 2. *ep. ſecr. p.* 87.

(*n*) *Marian. l.* 15. *c.* 19.

(*o*) *To.* 6. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 492.

*Joannes, &c. nobili viro Joanni nato celebris memoriæ Emanuelis infantis.*

*Nobilitatis tuæ literas glorioſam victoriam, quam tibi adverſus nationem Saracenorum fœtidam pridem in eis partibus dominus exercituum de cœlo contulit, cum ingenti lætitia recepimus deſcribentes, & ex earum lectione, necnon & relatione venerabilis fratris noſtri Guillelmi epiſcopi Sabinenſis, & dilecti filii Lucæ S. Mariæ in Via lata diaconi Cardinalis, quibus plenius ſuper iis ſcripſeras (per quas modum ipſius lætabundæ victoriæ, captioniſque vexilli profani Regis Granatæ, ac alia, quæ præceſſerant & ſubſecuta fuerunt, plenius intelleximus) lætiores effecti, ei exolvere laudis jubilum curavimus, qui te tantæ zelo devotionis accendit, ut fortis athleta & pugil Chriſti effectus ſtrenuus contra blaſphemos no-*

Gratulatoriæ de victoria parta Pontificis lit.



*mi-*

*minis Chriſtiani, crucis hoſtes, & Chriſtianorum ſanguinem ſitientes, pro noſtri Redemptoris reverentia potenter & viriliter offeras temetipſum; quique tandem, te gratia ſuæ benedictionis præveniens, adverſus hoſtes ipſos triumphalem tibi victoriam miniſtravit.*

*Exultamus inſuper in Domino, & in eo tuæ devotionis prudentiam multipliciter commendamus, quod victoriam ipſam non tibi, ſed ſibi, qui contra ſuos pugnans adverſarios, non modicam in manu tua concluſit ipſorum multitudinem, ſapienter aſcribis. His profecto, fili, rebus intendere perſuadet tibi clara tui proſapia generis, & cor tuum gratia perfundente divina, te illis inhærere inducit ſtudiis, quæ benedictionem tibi adaugeant, & laudem apud homines tuæ titulis probitatis adquirant. Sane quia inter virtutes, currentes ad bravium, corona eſt perſeverantiæ repromiſſa, eandem nobilitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus laudabiliter cœpta pervigili cura continuans, ſic Dei negotium ad finem perducere, gratia tibi aſſiſtente divina, ſtudeas peroptatum; ſicque, ubicumque potueris, pugil Chriſti cultum ejus, repreſſis ejuſdem crucis hoſtibus, propagare procures, &c. Datum Avinione.* Felices ii progreſſus, exortis novis in Caſtellana aula diſcordiis, abrupti: cum enim Alfonſus Rex, neglecta Conſtantia Joannis principis filia, quam uxorem ducere ſpoponderat, in Mariam Regis Luſitaniæ filiam affectus convertiſſet, Joannes (*a*) relicto bello priore, contentus parta victoria, ad ſuæ ditionis oppida ſeceſſit. Abalienatus etiam eſt a Rege Alfonſo ob crudele illius in Joannem Cantabriæ principem facinus, quem vocatum exceptumque convivio, violato hoſpitii jure, obtruncavit; moxque in Cantabriam miſſo exercitu principatum occupavit; ex quo atroci facto vindicis nomen apud ſuos tulit.

Diſcordiæ civiles ſecundos ſucceſſus evertunt.

(*a*) *Marian l.* 15. *c.*19.

XLII. S. Eliſabeth Regina.

Inter hæc in Luſitania Elizabetha Regina, cui ſanctæ nomen eximiæ virtutes peperere, piis operibus ſe totam addicebat (*b*), magnoque ſumptu xenodochium exercendæ in pauperes miſericordiæ cauſa condere meditabatur, proximo intervallo ſitum a religioſis ædibus, quas antea Conimbricæ in Clariſſarum uſum extruxerat, cum quibus divinis rebus liberiorem animum transfundere cupiebat, perficiendique pii conſilii poteſtatem petiit a Pontifice; qui piis ejus votis ſubjecto diplomate annuit (*c*).

(*b*) *An.*12. *p.* 1. *ep. com* 170. *Vvad. in annal. hoc ann. n* 18. 19.

(*c*) *Ib.* Extructum ab ea Claris ſuarum monaſterium.

*Chariſſimæ in Chriſto filiæ Elizabeth Reginæ Portugalliæ illuſtri.*

*Petitio tua nobis exhibita, quod tu olim cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ad honorem B. Claræ virginis quoddam monaſterium monialium ordinis ejuſdem ſanctæ, prope civitatem Colimbrienſem conſtrui feciſti, & de bonis propriis ample dotaſti, illudque permagnum & latum ſpatium muro vallaſti, atque infra murum, & vallum hujuſmodi domos, in quibus tu cum tua familia valeas commorari, ædificari mandaſti; quodque nihilominus tu quoddam hoſpitale pro alimentandis pauperibus juxta domos hujuſmodi conſtruere, & propriis facultatibus dotare intendis: quare nobis humiliter ſupplicaſti, ut tibi conſtruendi hoſpitale prædictum in dicto loco licentiam largiremur.*

Et xenodochium.

*Nos itaque hujuſmodi tuum laudabile propoſitum in Domino commendantes, ac volentes, quantum cum Deo poſſumus, votis tuis annuere in hac parte, tuis ſupplicationibus inclinati, ut prædictum hoſpitale & juxta illud capellam, in qua altaria ad honorem B. Claræ & Elizabethæ erigantur, ac unus vel duo perpetui capellani inſtituantur ibidem Domino ſervituri, per te & ſucceſſores tuos loci diœceſano in poſterum præſentandi, qui poſſint pauperibus dicti hoſpitalis & familiaribus ſuis ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrare; conſtruere valeas, dote ſufficienti pro præmiſſis omnibus eiſdem hoſpitali & capellæ juxta ejuſdem diœceſani arbitrium per te primitus aſſignata, devotioni tuæ tenore præſentium indulgemus: volentes inſuper & auctoritate apoſtolica nihilominus concedentes, quod idem diœceſanus in loco opportuno cœmeterium benedicere poſſit, in quo præfati hoſpitalis pauperes & familiares tui prædicti, cum eos pro tempore mori contigerit, valeant ſepeliri; jure parochialis eccleſiæ & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo, &c. Dat. Avinion.* VI. *kal. novembris anno* XII.

XLIII. Anglorum Regina Regem in vinculis tenet.

Aberat ab his S. Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ virtutum exemplis Iſabella Regina Angliæ, quæ Eduardum Regem maritum ſuum mancipandum vinculis curaverat (*d*): denique infelix Rex Eduardus in publicis totius regni ordinum conventibus gradu regio deturbatus eſt (*e*), ipſiuſque ſceptrum ad filii manus tranſlatum. Neque is actus ultimus calamitatis miſeri principis, quem ſibi exitium ob contempta pontificia monita accerſiviſſe vidimus; arctiſſimæ enim cuſtodiæ mancipatus eſt: cumque nonnulli de eo liberando cogitarent, in vinculis extinctus eſt. Tulit rumor acerbiſſimo eoque ignominioſiſſimo ſupplicii genere diſcruciatum, ne ulla in corpore violentæ mortis nota appareret, adacto nimirum in anum tubo ductili, trajectoque veru ignito, quo exuſta ſunt viſcera. Rogerius Mortimerius tutelam regis Eduardi III. una cum Edmundo Cantii & Henrico Lancaſtriæ

(*d*) *Vvalſing. in Eduar. II.* Conventus ordinum contra Regem celebrati.

(*e*) *Idem in eod.* Eduardus ſenior in vinculis extinctus.



caſtriæ comitibus ſuſcepit novoque Angliæ Regi Pontifex VI. idus novembris hujus anni de adepto regno gratulatus, optimis præceptis illum imbuit, ita ſceptrum caducum moderaretur, ut immortale ſibi compararet. Geſſit bellum ſub ipſa regni initia cum Roberto Bruſio Rege Scotiæ, ac Joannes Hannoniæ comitis frater maxima e Flandria ad Eduardum auxilia adduxit: quibus copiis externis & Anglico inſtructus exercitu, Robertum (qui in Angliam ante irruperat) adorſurus, ob ſuorum diſcordiam reducere exercitum coactus eſt.

Inutilis Eduardi expeditio in Scotiam.

XLIV. Pontificis curæ ad pacandam Aquitaniam.

In Aquitania Anglorum cum Gallis controverſiæ non leves erant: ac licet Pontifex idibus maii Joanni Wintonienſi & Guillelmo Norvvicenſi epiſcopis de pace inita ſit gratulatus; haud ita tamen res compoſitas (*a*) datæ ad ſedis Apoſtolicæ nuntios julio, & auguſto literæ indicant. Geſtæ vero rei hiſtoria, quam parum accurate tractant Gallici ſcriptores petenda eſt ex ipſis concordiæ, quæ tum inter Reges percuſſa eſt, publicis documentis, quæ ad Joannem XXII. pacis ſolertem interpretem tranſmiſſa ſunt, atque ex archæo Avinionenſi in Vaticanum illata, præ manibus habuimus, quæ diligentius a nobis excutienda viſa ſunt, cum ex male ſervato hoc fœdere bella, quæ Anglos Galloſque exercuere tot ſæculis, primam duxiſſe originem viſuri ſimus.

(*a*) *To.*6. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.*23.

In primis de fœdere antea inter Carolum & Eduardum II. inito interprete præcipue Iſabella Regina Eduardi conjuge & Caroli ſorore ſuamque ad id operam conferentibus archiepiſcopo Viennenſi & epiſcopo Auraſicano ſedis Apoſtolicæ nuntiis, facta a nobis mentio eſt ex hiſtoricis, quos ſecuti, diximus eam latam fuiſſe legem, ut quæ parta fuerant in Aquitania a Carolo Valeſio, Gallici juris eſſent: ſed in documentis (*b*) publicis Gallorum Regis ſigillis obſignatis, ea pactio non eſt expreſſa, ſed obſcuris admodum verborum ambagibus adumbrata, quas cum hujuſmodi tricarum politicarum artifices nexuiſſent, atrociſſimarum diſcordiarum maximo rei Gallicæ damno ſemina ſparſere, cum Galli in eum ſenſum concordiæ leges detorquerent: Angli vero fucum ſibi factum diſceptarent: adjectum enim fuerat, Gallum ſecundum leges de his terris pronuntiaturum, jus ſuum Anglo repetente; atque ita lis dirempta non fuit. In illo vero tractatu ea pactio perſpicua eſt, ut Gallus Aquitaniæ virum probum Anglo non ſuſpectum præficeret ad juſtitiam adminiſtrandam, ſolverentur utrinque exercitus, Angluſque Gallum Regem, recurrente feſto aſſumptæ in cœlum Deiparæ ſacro Bellovaci conveniret, & acceptam Gallicæ coronæ Aquitaniam referret, quæ tum ipſi, revocato memorato præfecto reſtituenda foret. Et hæc pari conſenſu a Gallicis & Anglicis oratoribus ad Iſabellæ Reginæ gratiam, ſediſque Apoſtolicæ preces anno MCCCXXV. ut Caroli & Eduardi Regum literæ (*c*) oſtendunt, ſancita fuerunt. At dein, cum Eduardus II. in filium Aquitaniæ jura transfudiſſet, poſteaque inteſtino oppreſſus bello periiſſet, atque Eduardus III. Angliæ ſceptrum capeſſiviſſet, priora recruduere bella, jus ſuum armis, quod legibus non potuerat, Eduardo repetente; ſed ne ſanguinis jura violarentur, ea diſſidia, urgente concordiam Pontifice, a quo Guillelmus archiepiſcopus Viennenſis & Joannes Grandiſono miſſi, (*d*) ita compoſita (*e*) ſunt, ut primum quæ ab Anglis in Aquitania erepta fuerant Gallo contra ſuperioris fœderis formulam reſtituerentur, & viciſſim parta a Gallo redderentur Eduardo: tum Anglus quinquaginta millia ſterlingorum ad ſarcienda illata damna numeraret, Aquitanii vero ſuperiorum diſſenſionum auctores, qui a Franco Rege capite damnati fuerant, exilio tantum ad Anglorum gratiam mulctarentur. Superioris præterea fœderis leges reſtitutæ, editaque Marmandæ menſe octobri publica de his documenta, quæ proximo anno XX. februarii Pariſiis Gallorum Regis ſigillo obſignata fuerunt. At involuta & anceps hæc pax extitit, cum Carolus prius e vivis ſublatus ſit, quam partas a Carolo Valeſio Aquitaniæ terras Eduardo nepoti reſtitueret: Philippus vero Valeſius, qui componendis hujus fœderis pactionibus interfuit, (*f*) ad ſolium evectus expugnata a ſuo patre in Aquitania loca retinere voluerit, neque ad id a Pontificibus flecti potuerit: cumque ſummo & acerbiore jure cum Anglo ageret, illum ad Galliarum excidium concitavit; ſed de his poſtea. Nunc ad Carolum orationem revocemus. Extulit pluribus laudibus Joannes (*g*) Caroli Francorum Regis eximium in tuendis viris eccleſiaſticis, ac reprimenda eorum, qui ipſi infenſi eſſent temeritate, ſtudium: Joannamque Reginam uxorem permovit, (*h*) ut ipſum ad eccleſiaſticorum venerationem, Dei cultum, pia opera, atque alia exempla virtutum urgeret.

Quæ fuerint belli cauſæ.

(*b*) *Ext. in arch. Vat. ex Avinion. delata ſign. n.* 10. *in chart. pergam.*

Quæ fuerint prioris fœderis pactiones.

(*c*) *Ext. inſert. in eod. inſtr.*

(*d*) *To.* 6. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 17.

Poſterioris belli cauſæ.

(*e*) *Ext. de eo publ. docum. ſign. n.* 8. *in arc. Vat. ex Avin. delata.*

Quibus legibus ſopitum.

Deluſus ſua expectatione Anglus.

(*f*) *Idem MS. ubi ſup.*

(*g*) *To.* 6. *p.* 3. *ep. ſecr. pag.* 191.

(*h*) *Ead. pag.*

Invidit quidem dæmon pii Regis felicitati, qui adminiſtros ſuos ad conflandas illius vitæ magicis artibus inſidias impulit, de quibus Pontifex his verbis queritur (*i*): *Nonnulli perditionis filii & iniquitatis alumni, deteſtandæ factionis nefariis operationibus damnabiliter intendentes, quaſdam ſub figura ſeu typario regio conflari imagines plumbeas, vel etiam*

Structæ magicis artibus Carolo Regi inſidiæ.

(*i*) *Ib. pag.* 179.

*tiam lapideas fabricarunt, ſeu fabricari fecerunt, ut magicis artibus horrenda maleficia, incantationes, & convocationes dæmonum, & alia execranda & prohibita opera exercerent.* Tantorum flagitiorum auctores nonnulli clerici accuſati: qui cum a regiis adminiſtris in vincula conjecti eſſent, atque ad eccleſiaſticum tribunal de eorum cauſa cognoſcere ſpectaret, Pontifex Guillelmo epiſcopo Sabinenſi, Petro tit. S. Suſannæ, ac Bertrando S. Mariæ in Aquiro diacono Cardinalibus munus impoſuit, (*a*) ut clericorum eorumdem cauſam diſcuterent, judiceſve conſtituerent.

In nonnullos clericos mali auctores a Pont. inquiri juſſum.

(*a*) *Ead. pag.*

XLV. Plures magicis artibus infecti.

Per ea quidem tempora dæmones curioſitatis lenocinio plures Chriſtianos ad magicas artes allexiſſe, ſeque phialis, ſpeculis, ſigillis, aliiſque rebus vinciendos curaſſe conſtat. Tantum enim tamque lugubrem fidelium lapſum his verbis deplorat Pontifex (*b*): *Dolenter advertimus, quod etiam cum noſtrarum turbatione viſcerum cogitamus, quamplures eſſe ſolo nomine Chriſtianos, qui relicto primo veritatis lumine, tanta erroris caligine obnubilantur, quod cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno: dæmonibus namque immolant, hos adorant, fabricant ac fabricari procurant imagines, annulum, vel ſpeculum, vel phialam, vel rem quamcumque aliam magice ad dæmones inibi alligandos. Ab his petunt reſponſa, ab his recipiunt, & pro implendis pravis ſuis deſideriis auxilia poſtulant; pro re fœtidiſſima fœtidam exhibent ſervitutem. Proh dolor! hujuſmodi morbus peſtifer, nunc per mundum ſolito amplius convaleſcens, ſucceſſive gravius inficit Chriſti gregem, &c.* Objectum eſt a Pontifice anathema iis, qui nefarias hujuſmodi artes exercerent; ac ſancitum, ut pœnis in hæreticos conſtitutis afficerentur, omneſque libelli de arte magica conſcripti, excurrente octiduo, flammis abolerentur; inflictumque anathema iis, qui ipſos ſervarent.

(*b*) *Ext. in bullar. in Jo.22. conſt.13.*

Statutæ in eos pœnæ.

XLVI. Franciſcus Aſculan. magus.

Nefariis ejuſmodi artibus imbutum Franciſcum Aſculanum aſtrologum Florentiæ flammarum ſupplicio traditum hoc anno ſcribit Joannes Villanus (*c*). In tantam enim veſaniam proruperat, ut in ſphæræ tractatu a ſe Bononiæ compoſito affirmaret, in ſuperioribus orbibus cœleſtibus ſpiritus generari, qui incantatoria arte ad opera admiranda conſtringi poſſent: aſtra in hominum voluntates influere, eaſque ad neceſſitatem cogere: Chriſtum dominum certo aſtrorum concurſu natum inopem, atque in crucem ſuffixum; diſſimilique ſiderum converſione naſciturum antichriſtum, ac ſummas opes, potentiam, & orbis imperium adepturum. Quam pernicioſam hæreſim cum a fidei cenſoribus evomere juſſus eſſet, iterumque roſorbens quæ vomuerat, damnato libro uteretur, urgente epiſcopo Averſano Minorita ducalis ſcrinii præfecto, qui nefarium hominem in ſcelera & libidines effuſum in Caroli Calabriæ ducis clientela & uſu verſari dolebat, flammis exuſtus eſt. Plura vera Franciſcum prædixiſſe, ut de Ludovici Bavari Romam uſque ſecundis proceſſibus, refert memoratus Villanus: quæ quidem dæmonum opera præſagire facile potuit, cum ſolemne ſit hujuſmodi hominibus, dæmonum conſortio inquinatis, ad ſcelus tegendum inanem aſtrologiam obtendere.

(*c*) *Jo. Vill. l.10. c.41.*

Ficta ab eo hæreſis. Exuſtus Florentiæ.

XLVII. Oppugnatur eccleſia variis impietatum telis.

His igitur temporibus infernæ poteſtates eccleſiam oppugnare omnium telorum genere anniſæ, promovebant artes magicas, ut nefarios & curioſos a Chriſto omnino abducerent. Præterea Marſilii & Janduni hæreſibus, de quibus ſuperius actum eſt, in Italia ac Germania præcipue inficiebant politicos; alios vero pietatis ſpecie in ſchiſma & hæreſim agebant præcipites. Graſſati enim in Boſſina, Sclavonia, & Tranſilvania religionis larva induti hæretici (*d*). Polonia ea labe non caruit, (*e*) ad quam abolendam Prædicatores (*f*) fidei cenſores in eo regno ſunt conſtituti: in Sicilia Fraticelli (*g*) ſua venena ſparſere. Michael Cæſenas (*h*) ſummus Minoritarum præfectus ſuis ſcandalum injecit: cum enim ſententiam ſuam promulgatam in Peruſinis comitiis præferret fidei decreto a Pontifice edito, in jus ad ſubſellia Apoſtolica vocatus hoc anno rebellionem & fugam molitus eſt. Deinde ubi ſe parum collegiſſet, pœnitere præ ſe tulit; ac ſignificavit literis (*i*) Joanni, ſe Apoſtolicæ ſedi, ac ſententiam ſuam ſubiicere, iterque ad capeſſenda illius imperia ingreſſum. Cui reſcripſit Pontifex eum ſe præſtolaturum. At Michaelem ipſum reverſum ad vomitum, ſeque ad Ludovicum Bavarum contuliſſe, atque antipapæ adhæſiſſe viſuri ſumus.

(*d*) *An.11. p.1. ep. cur.20.*

(*e*) *Ib. ep. 25.*

Michael Cæſenas impietatis ſignifer. Fugæ ſe pœnitere fingit.

(*f*) *Ead. p. 1. ep. cur. 27. 28.*

(*g*) *To. 6. p.1. ep. ſecr. p.57.*

(*h*) *To.6. p.3. ep. ſecr. pag. 123.*

(*i*) *Ead. par. pag. 125.*

Rediere (*k*) vero nonnulli Minoritæ ad ſinum eccleſiæ: quos expiato rite crimine a Bartholomæo Minoritarum, ut vocant, provinciali una cum aliis, (*l*) qui hæreticis & ſchiſmaticis ſtuduerant, jamque reſipuerant a crimine, Pontifex exemplo, ut ait, Dei non morte, ſed vita peccatorum gaudentis, Aſtenſi & Albenſi epiſcopis in conſilium adhibitis, in gratiam reſtitui juſſit. Illos porro tum Ludovici Bavari partibus, cum ageret in Inſubria acceſſiſſe colligitur, ſimiliter namque Alberto epiſcopo Brixienſi data (*m*) auctoritas, ut ſex ex iis, qui Bavaro obſecuti erant, divinaque coram ipſo officia peregerant, cenſuris exolveret. At Fraticellos, quibus de paupere vita nomen erat, qui Calabriam inficie-

Plures Minoritæ reſipiſcunt ab hæreſi.

(*k*) *Ib. pag. 95.*

(*l*) *Ead. pag.*

(*m*) *Ann. 12. p. 1. ep. com. 40.*

bant



bant, comprehendi, ſupplicioque juſſit (*a*) affici.

(*a*) *To.6. p.1. ep. ſecr. pag. 57. & 60.*

XLVIII. Carol. Ung. Rex hæreticos inſectatur.

Ad perpurgandam etiam Boſſinam, in qua vetus Catharorum & Manichæorum lues hæſerat, Carolum Regem Ungariæ, qui eximia in dies Chriſtiani principis exempla in amplificanda religione, atque hæreticis inſectandis explicabat, ad Dalmatiæ & Boſſinæ hæreticos delendos adhortatus eſt, hocque ornavit elogio: (*b*) *In illis, fili chariſſime, quæ ad exaltationem catholicæ fidei & exterminationem hæreticæ pravitatis reſpiciunt, celſitudinem tuam eo libentius ſalubriuſque requirimus, quo experientia certa didicimus, quod tu velut glorioſus athleta Domini, intrepidaſque pugil eccleſiæ, ac orthodoxæ religionis zelator aſſiduus, ad exterminandum labem pravitatis ejuſdem de regni tui finibus, & conterendum inimicos crucis & fidei vota tua ſemper feliciter direxiſti.* Geſſiſſe adverſus infideles ſacrum bellum Ungariæ principes pro amplificanda fide Caroli auſpiciis, oſtendunt datæ ad Philippum comitem Palatinum & alios proceres apoſtolicæ literæ (*c*).

(*b*) *Ann. 11. p.1. ep. cur. 22.*

Gratulatur ob id ipſi Pontifex.

(*c*) *To.6. p.1. ep. ſecr. p.61.*

XLIX. Boleſl. dux Ruſſiæ ad fidem orthodox. provocatus.

Propagandæ etiam religionis catholicæ zelo permotus Pontifex Boleſlaum ducem Ruſſiæ, Græcorum ſchiſmate infectum, ut ad Romanæ eccleſiæ conjunctionem una cum populis ſuis rediret, ſolicitavit (*d*). Tum excitavit Wladiſlaum (*e*) Regem Poloniæ, qui proximo ſanguinis gradu Boleſlaum attingebat, ut in tam præclaro opere regiam diligentiam navaret.

(*d*) *Ead. p. 1. ep. ſecr. p.52.*

(*e*) *Ead. pag.*

Rogatus Rex Polon. in id incumbere.

*Vuladiſlao Regi Poloniæ illuſtri.*

*Famæ gloria creſcis & merito, fili chariſſime, multipliciter profuturus tibi & aliis apud Deum, ſi ad incrementum fidei catholicæ niteris ad quod tanquam princeps catholicus piis conſiderationibus innitaris. Cum itaque, ſicut exultatione prægrandi nuper audivimus, nobilis vir Boleſlaus dux Ruſſiæ pronepos tuus, qui ex ritus imitatione Græcorum ab univerſalis ſanctæ Romanæ matris eccleſiæ unione dividitur, ſpiritum Domino aſpirante conceperit ad unitatem ipſius eccleſiæ redeundi, nec bene conveniat, ut ex tuæ, quod abſit, degeneratione proſapiæ arbor diſcrepet a radice; rogamus excellentiam regiam quantum affectuoſe poſſumus & hortamur, te nihilominus in remiſſionem peccaminum obſecrantes, quatenus præfatum ducem, cui ſuper hoc per alias noſtras literas ſcribimus, quod relicto hujuſmodi ritu erroneo redeat, ſeu veniat in ſuæ ſalutis præmium ad ipſius eccleſiæ unitatem, paternis & ſalubribus inducere monitis non omittas. Dat. Avin.* XVI. *kal. julii anno* XI.

Controverſiam idem Rex habebat de regni limitibus cum Jo. Rege Boemiæ, qui Vvratiſlaviam inter alia a Polonia divulſerat: cumque Vvratiſlavienſis ager denarium vectigalem Romanæ eccleſiæ penderet, ne ex ea mutatione dominatus juri pontificio detraheretur, Petrus Alvernus Apoſtolicæ ſedis nuntius coram Joanne Rege jus (*f*) eccleſiæ expoſuit, idque in publica monumenta juſſit redigi aſſentiente ipſo Boemo Rege, & paciſcente quidquam damni ex eo eccleſiam non accepturam.

Vvratiſlavia vectigalis eccleſiæ.

(*f*) *Ext. in MS. Arch. Vat. ſig. lit. C. p. 140. & in alio ſign. lit. E. pag. 240.*

Ludi cruenti Neapoli edi ſoliti.

L.

Suſcepta (*g*) erat Neapoli nefanda conſuetudo, ut ludi crudeles ederentur, in quibus exercendarum virium ſpecie, plurimus ſanguis humanus fundebatur: ad quos abolendos navata eſt a Pontifice opera, ut ſubjectæ literæ docent (*h*).

(*g*) *To.6. p.3. ep. ſecr. p.215.*

(*h*) *Ead. p.3. ep. ſecr. pag. 215.*

*Joannes, &c. archiepiſcopo Capuano & Geraldo de Valle A. S. N.*

*Sane noſtra tenet memoria, quod cum olim in minoribus conſtituti moram in partibus regni Siciliæ traheremus, non ſine ſtupore audito, quod Neapoli, civitate utique regia, ludus quidam pernicioſus & execrabilis carbonarii nuncupatus, certo anni exercebatur tempore: in quo Chriſtiani, per modum pugnæ ſeu invaſionis vires ſuas alter in alterum exercentes, ſe ipſos quandoque mutilabant invicem, & interdum etiam occidebant impune, variis exinde aliis ſcandalis & periculis ſubſecutis; ad quod horrendum ſpectaculum multitudo tam ſublimium, quam aliarum perſonarum, in quarum conſpectu præmiſſa committebantur horribilia, concurrebat; nos tam temeraria ludibria, tamque horrenda facinora multipliciter abhorrentes, claræ memoriæ Carolo Regi Siciliæ tunc viventi diximus & denuntiavimus, quod talia ſibi a Deo ad culpam & negligentiam merito poterunt imputari; eidem nihilominus ſuadendo, ut ea non ſineret ulterius in ſuis terris & diſtrictibus attentari, qui noſtris ſalutaribus acquieſcens conſiliis, ludum hujuſmodi pro tunc penitus interdixit.*

Suaſerat olim Carolo Joannes ut eos aboleret.

*Recolimus etiam chariſſimo in Chriſto filio noſtro Roberto Regi Siciliæ illuſtri, dudum apud ſedem Apoſtolicam colloquenti nobiſcum, hoc idem ſuaſiſſe ſuper ludo prohibendo prædicto, quod dicto Carolo Regi genitori ſuo duxeramus, ut præmittitur, ſuadendum.* Addit Pontifex ac deplorat ludum illum nefarium inſtauratum, ex quo recrudeſcunt odia, funditur Chriſtianus ſanguis, ſeruntur diſſidia, aliaque mala ingraveſcunt: ad quæ tollenda Capuano archiepiſcopo & Geraldo e Valle memoratis provinciam imponit, ut Regem ad prohibendos, adjecto pœnarum terrore, hujuſmodi lupos, impellant: tum etiam, ut pro ſacris concionibus tribus diebus feſtis in maxima populi frequentia anathema in illos, qui eos ludos celebrarint ſpectarintve, fulminent, ac promulgent ipſos a nemine, niſi in extremo mortis diſcrimine, præ-

Ac dein Roberto.

Intentato anathemate tolli jubet.

ter-

terquam a Romano Pontifice, illius criminis labe abſolutum iri. *Dat. Avin.* XII. *kal. januarii an.* XII. Repetita (*a*) ſequenti anno eadem imperia, juſſique internuntii apud Robertum Regem omni opera incumbere, ut regia auctoritate crudeles eos ludos diſturbaret. Quo etiam anno, ut ſimilia conjungamus, objecta anathematis religione edixit (*b*), ne quis Avinione, aut in illius ſuburbanis, dum pontificia aula in ea Urbe verſaretur, haſtiludia exhiberet.

(*a*) To. 6. p. 3. ep. ſecr. pag. 215.

(*b*) An. 12. p. 1. ep. cur. 3.

Vetita Avinione haſtiludia.

LI.

Robertus Trinacriam populatur.

Quod ad Siculas res ſpectat; Robertus Rex, ut narrat Joannes Villanus (*c*), menſe julio ſeptuaginta triremium claſſem ad populandam Trinacriam immiſit, magnaque vaſtitas Trinacriis illata, ut iis attriti malis ad obſequium cogerentur. At Fridericus Roberti impar viribus ex adventu Ludovici Bavari, in ſpem latus, repetendæ ultionis conſilia moliebatur, de quibus ſequenti anno agetur. Geſſerat idem Robertus in pedemontio diuturnum bellum cum Philippo Sabaudæ ſtirpis principe, ſolicitatique ambo ſunt (*d*), ut paci animos accommodarent; pariterque Guigo delphinus ut firmando optato fœderi aſſentiretur incitatus (*e*). Illum vero una cum Sabaudiæ comite diuturnas inimicitias Reginæ Clementiæ conſiliis poſuiſſe, ſequenti anno videbimus. Ne vero exercita jamdiu Genuenſes inter atque Cyprios diſcordia maximo Chriſtianæ rei damno recrudeſceret, Pontifex Hugonem Regem, qui patruo Henrico ſucceſſerat, atque in Genuenſes animo propendebat, literis eſt adhortatus (*f*), ut ad confirmandam concordiam ſtudia ſua conferret. Potiri tum felici pace Cyprum & Armeniam Hugo Rex Pontifici ſignificarat (*g*): Genuenſes tantummodo nonnullos exercere piraticam, Cypriiſque infeſtos eſſe, contra quos ſe compararet: ſed Joannes, qui ex Genuenſium bello rei Chriſtianæ exitium conflari verebatur, Hugoni reſcripſit, maximo ſe ex iis diſſidiis dolore affici, atque adducendæ paci & tranquillitati operam daturum; qua in re ſequenti anno apoſtolicum ſtudium collocaſſe viſuri ſumus. Nunc Græcorum res perſtringemus.

(*c*) Jo. Vill. l. 10 c. 21.

Sabaudus & delphinus ad pacem incitati.

(*d*) To. 6. p. 2. ep. ſecr. p. 59.

(*e*) Ead. pag.

De pace inter Genuen. & Cyprios agitatum.

(*f*) To. 6. p. 2. ep. ſecr. p. 80.

(*g*) Ead. p. 2. ep. ſecr. p. 86.

LII.

Andronicus ſenior pulſus ſolio.

Die S. Spiritui ſacro prodita Conſtantinopolis.

Depulit (*h*) hoc anno imperiali ſolio Andronicum ſeniorem junior Andronicus nepos. Conflata vero in eum eſt proditio Spiritui ſancto in Apoſtolus igneis linguis devoluto die ſacro, quemadmodum Cantachuzenus notat (*i*); ut nimirum ob perfidiam negatæ ex Filio Spiritus ſancti proceſſionis plecti conſtaret: noctuque admotis mœnibus ſcalis, adjuvantibus proditoribus, ac porta ab iis, qui ſubierant urbem, patefacta Conſtantinopolis capta eſt quarta & vigeſima die menſis maii undecimæ indictionis. Ut vero Andronicus ſenior victoris ingredientis tumultu excitatus ad Virginis ſacellum confugerit, deſcribit Gregoras. Solicitatus eſt junior Andronicus a Niphone olim patriarcha ad avum male tractandum, a quo ille gradu patriarchali fuerat depulſus: ac poſt agitata varia conſilia illud ſumptum eſt, ut inſignia imperialia ſeni relinquerentur, ſed extra palatium pedem efferre aut publicam rem attrectare non liceret, attributaque illi ad vitam ſuſtentandam modica ſtipendia: in qua cuſtodia quæ & quanta mala ſit perpeſſus deſcribit Gregoras, atque ex eo dicetur inferius. Eſaias vero patriarcha, monaſterio ab Andronico ſeniore incluſus, a victore curru exceptus ſolio patriarchali reſtitutus eſt: in qua pompa nullis epiſcopis & presbyteris, ſed meretricibus ſtipari viſus. Ex quo facile colligas, quantam morum ſanctitati ſchiſma cladem inferat. Potito itaque rerum Andronico juniore, ac ſolo habenas imperii tractante, civilia bella, quibus Conſtantinopolitanum imperium agitatum fuerat, quievere: quæ quanta mala rei Chriſtianæ invexerint, ſuperius indicavimus, cum inde Turcarum potentia invaluerit. Quanto vero tempore arſerint, ex Cantachuzeno (*k*) decerpendum viſum eſt: *Belligerarunt*, inquit, *annos ſex, menſem anum, incipientes nimirum anno ab orbe condito vigeſimo nono ſupra ſex millia & octingentos indictione quarta* XIII. *kal. majas; & ad annum quintum & trigeſimum ſupra ſex mille octingentos ad indictionem undecimam &* XIV. *kal. junias perducentes.*

(*h*) Cantac. l. 1. c. 59. Nic. Greg. l. 9.

(*i*) Cantac. l. 1. c. 58.

Eſaias patriarchatui reſtitutus.

Ex Græcorum diſcordia Turci aucti potentia.

(*k*) Cantac. l. 1. c. 59.

LIII.

De jure paroch. & religioſor. controverſia ſopita.

Editæ ſunt hoc anno a Pontifice nonnullæ conſtitutiones: atque in primis cum clerus apud Pontificem de religioſis Prædicatoribus, Minoritis, Carmelitanis, & Auguſtinianis expoſtularet, ipſos parochorum jura infringere, nec Bonifacii VIII. decretum, *Super Cathedram*, a Clemente V. in concilio Viennenſi confirmatum, obſervare; Joannes rei æquitate permotus, ne condita a prædeceſſoribus jura obſoleſcerent, ea lege religioſos viros aſtringi pronuntiavit (*l*), & ad eam ſervandam cenſurarum religione adigendos; neque ad illius ſeveritatem eludendam ulla apoſtolica privilegia ipſis præſidio & munimini fore conſtituit.

(*l*) Ext. in extr. com. l. 2. de ind. cap. unic.

Privilegia contra jus ſedis Ap. non valent.

(*m*) An. 11. p. 1. ep. cur. 24.

Ea de re conſtitutio.

Præterea ſanxit (*m*), privilegia, quæ nonnullis urbibus & populis a ſede Apoſtolica erant conceſſa, ne extra certos limites vocari in judicium poſſent, ad aulam pontificiam non extendi, cum ob pontificiæ dignitatis apicem omnes ab illa juſtitiam repetere debeant; par non eſſe, beneficia ab ipſa collata illius majeſtati fraudi eſſe. *Attendentes*, inquit, *quod Romana curia communis eſt patria, ſedeſque Apoſtolica mater exiſtit omnium fidelium & magiſtra; hoc edicto in perpetuum valituro auctoritate apoſtolica declaramus, præfatum indultum hactenus quibuſvis conceſſum, vel in poſterum concedendum, ad cauſas & negotia, quæ apud ſedem eandem agitantur, ſeu pro tempore contigerit agitari, propter prærogativam ſeu eminentiam dictæ ſedis aliquatenus non extendi, nec univerſitates & perſonas, cujuſcumque dignitatis, conditionis aut ſtatus exiſtant, aliquam immunitatem exinde recipere, quominus apud ſedem eandem apoſtolica auctoritate vocatæ comparere, ac reſpondere legitime teneantur. Nulli ergo, &c. Dat. Avin. non. april. an.* XI.





LIV.

Fideles ad orationem Angelicam repetendam veſpertino crepuſculo incitati.

Hoc anno ad incendendam fidelium pietatem, cum Romanæ eccleſiæ gravis perſecutionis procella ingrueret, Pontifex cum jam ante ſtatuiſſet, ut in veſpertino crepuſculo fideles, dato ſigno, angelicam ſalutationem repeterent, & incarnati Verbi divini myſteria religioſe recolerent, decem dierum indulgentias ſacram eam orationem pronuntiaturis adjecit (*a*).

(*a*) To. 6. p. 2. ep. ſecr. pag. 1.

Conceſſæ iis indulgentiæ.

*Angelo epiſcopo Viterbienſi noſtro in Urbe vicario.*

*Salutiferum illud verbum, Ave Maria, &c. pium quidem evangelicæ ſalutationis eloquium, orationis loco quadam a fidelibus veneratione præcipua eſt dicendum, cum Virgo ipſa in ejus Filio domino Jeſu Chriſto pignus mundo humanæ ſalutis attulerit, & quæ Salvatoris omnium eſſe meruit genitrix, apud ipſum præ cæteris eſſe meruit efficax interventrix. Dudum ſane ad reddendum dictæ Virgini gloriam, & per interceſſionis ſuæ præſidium a divino Numine gratiam dictis fidelibus implorandam, quod in quolibet noctis crepuſculo campana pulſetur, & ad ſonum ejuſdem ipſi fideles præmiſſæ ſalutationis verbum dicerent, pie duximus ordinandum. Et ut prædicti fideles ad hoc ſpirituali munere inducerentur avidius, omnibus & ſingulis prædicta hora hujuſmodi verbum devote dicentibus, de omnipotentis Dei miſericordia ac ejuſdem glorioſæ Virginis & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli meritis ac interceſſionibus confidentes, decem dies de indulgentia duximus concedendum, &c. Dat. Avin. non. maii anno* XI.

LV.

Cardinalium creatio.

(*b*) To. 6. p. 3. ep. ſecr. pag. 193.

(*c*) Bern. chr. Rom. Pont. Ms. Vat. bibl. ſign. n. 2040.

Exeunte anno recurrentibus quatuor temporum jejuniis Pontifex, ut ſuſtinendæ incumbentium rerum moli par eſſet, atque eccleſiam a Ludovico Bavaro quatiendam fulciret, decem novos Cardinales laborum ſocios renuntiavit (*b*), quorum nomina Joannis vitæ auctor (*c*) recenſet his verbis: *Hic dominus ſummus Pontifex pontificatus ſui anno* XII. *dominicæ incarnationis MCCCXXVII. feria* VI. *quatuor temporum, adventus videlicet,* XV. *kal. januarii fecit tertiam ordinationem decem Cardinalium, quos aſſumpſit: videlicet Joannem de Convenis archiepiſcopum Toloſanum, Anibaldum Gaitanum Romanum archiepiſcopum Neapolitanum: Jacobum Ciſtercienſis ordinis magiſtrum in Theologia epiſcopum Mirapiſcenſem, Raimundum Rutenenſis diœceſis epiſcopum S. Pauli; Petrum de Mortomari Lemovicenſis diœceſis epiſcopum Antiſſiodorenſem, Petrum de Capis epiſcopum Carnotenſem, fratrem Matthæum de Urſinis Romanum de ordine Prædicatorum magiſtrum in theologia archiepiſcopum Sipontinum, Petrum de Toleto Hiſpanum epiſcopum Carthaginis vel Murciæ, Joannem de Columna Romanum, Ubertum de Puteo de Montepeſſulano.* Erant ii viri inſignes, qui illuſtribus virtutum exemplis in eccleſia præluxerant: e quibus Jacobus Novelli Mirapiſcenſis Joanni in pontificatu accepto Benedicti nomine ſucceſſit, magna & doctrinæ & probitatis laude conſpicuus: cui Pontifex his literis ab eccleſiæ Mirapiſcenſis cura ipſum ſolutum, atque in partem moderandæ univerſæ eccleſiæ catholicæ vocatum, ſignificavit (*d*).

Jacobus Mirapiſc. epiſ. Card. creatus poſtea Bened. XII. dictus.

(*d*) To. 6. p. 1. ep. ſecr. pag. 193.

*Jacobo olim epiſcopo Mirapiſcenſi ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ presbytero Cardinali.*

Virtutes in Cardinalibus deſideratæ.

*Moyſi legiſlatoris, qui Jetro cognati ſui utili adhærendo conſilio viros potentes & Deum timentes circa regendam plebem Iſraeliticam elegiſſe teſtatur, exemplo ducti laudabili, ad onus ſpiritualis totius orbis regiminis, quod nobis ex injuncto deſuper apoſtolatus officio incumbere noſcitur, auxiliatores & cooperatores nobis, viros utique potentes & Deum timentes, in quibus ſit veritas & avaritiam oderint, nos & fratres noſtri profundis meditationibus, laborioſiſque vigiliis; de diverſis ipſius orbis partibus perquirentes, ad perſonam tuam, quam bonorum omnium largitor Altiſſimus multis virtutibus inſignivit, intuitum conſiderationis noſtræ direximus, & te per nos a vinculo, quo eccleſiæ Mirapiſcenſi tenebaris aſtrictus, de poteſtatis plenitudine abſolutum ad honorem & ſtatum Cardinalatus de dictorum fratrum conſilio una cum nonnullis aliis duximus aſſumendum. Quocirca diſcretioni per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus onus prædictum, apoſtolica diſpenſatione tuis impoſitum humeris, devote ſuſcipias, ac proviſioni noſtræ hujuſmodi in humilitate ſpiritus acquieſcens, ad præſentiam Apoſtolicæ ſedis abſque moroſæ diſpendio tarditatis accedas, una nobiſcum & eiſdem fratribus divinis obſequiis, & eccleſiæ Romanæ ſervitiis vacaturus. Dat. Avinioni* XIII. *kal. januarii anno* XII. Evexit etiam VI. kal. januarii ad Oſtienſem & Velletrenſem epiſcopatum Bertrandum tit. S. Marcelli Cardinalem in Inſubria Apoſtolicæ ſedis legatum, cum Rai-

Rainaldus epiſcopus Oſtienſis eam eccleſiam moriens orbam reliquiſſet.

LVI. Obiiſſe ferunt (a) hoc anno B. Rochum cujus ſanctitas cœleſtibus beneficiis in eos, qui peſte percuſſi illius apud Numen divinum ſuffragia implorarunt, collatis inclaruit. Ejus geſta Franciſcus Diedus, Petrus Pinus, Claudius e Rota, Ludovicus Maldura (b), & Crantzius (c) conſcripſere. Silentio autem diſſimulandum non eſt, nonnulla in ejus geſtis apud Surium fictitia reperiri, velut cum dicitur illius parentem Montipeſſulano imperaſſe & Rochum principatu ſe abdicaſſe, ut peregrinationem ſuſciperet: conſtat enim tunc Baleares Reges eum principatum beneficiarium Gallicæ coronæ obtinuiſſe, & Francorum Regibus clienteſari ſponſione acceptum retuliſſe (d) quamvis de inſigni aliquo magiſtratu ſive præfectura poſſit intelligi. Narratur (e) etiam B. Rochum egiſſe triennio Romæ apud Cardinalem natione Britonem, atque ab hoc perductum ad Pontificem, quæ fabuloſa ſunt, ut patet, Romana curia Avenione defixa; neque antea venire potuerat, cum anno MCCXCV. natus referatur. In eo vero omnes conſentiunt, ipſum in Italica peregrinatione in xenodochiis famulatum peſte laborantibus, & pleroſque crucis ſigno ab eo luſtratos valetudini reſtitutos. Demum ſanctitatis illius fama apud patres concilii Conſtantienſis celebrata eſt, quorum decreto ad propulſandam luem honores ſanctis debiti eidem exhibiti fuere (f): nam, ſolemni ſupplicatione indicta, imaginem ipſius, inſtructo agmine religioſo, per urbem ingenti pompa circumtulerunt; quo peracto extincta peſtis eſt: indeque exemplum ſumptum, ut ubique locorum ejus venerandæ imagines expoſitæ, & ſacella templaque ad ejus memoriam Numini poſita fuerint. Urbanus etiam VIII. eccleſiaſtico officio colendam ejus memoriam edixit. Tranſlatum ejus corpus ajunt Venetias anno Domini MCDLXXXV.

(a) Apud Sur. to. 4.
Mors S. Rochi.
(b) Ib.
(c) Crantz. in Metrop. Saxen. l. 9. c. 25.
Ejus geſta, Peſte laborantibus inſervit.
(d) To. 1. p. 3. ep. ſecr. pag. 135.
(e) To. 6. p. 3. ep. ſecr. pag. 87.
(f) Auct. ſup. citati & Bar. in not. ad 16. aug.
A Conſtantien. ſynodo decreti illi SS. honores.





I. EXhorruit Chriſtianus orbis anno a partu Virginis milleſimo treceteſimo vigeſimo octavo indictione undecima, pſeudopontificem improbiſſimum, ſumpta ex Romani Pontificis intempeſtivæ ab Urbe abſentiæ occaſione, effrænata audacia Apoſtolicam ſedem invaſiſſe. Tanti auctores ſceleris hæreſiarchæ & proditores fuerunt, qui Ludovicum Bavarum vindictæ cupidine, ut ipſe faſſus eſt, in Pontificem ob Romanum ipſi abrogatum imperium æſtuantem, ad id concitarunt, non curantes quantum exinde illius rebus ac dignitati damnum inferrent. Penetrarat ille ineunte anno cum Germanico & Italico Gibellinorum exercitu in ditionis eccleſiaſticæ terras; ac Viterbium jam a Silveſtro Gatta ad defectionem adductum, ſecundo januarii die pervenerat (a); cum Romani, adverſarum factionum ac ſpei metuſque æſtu incerto agitati, aliis excipiendum avide Ludovicum, aliis conſtanter excludendum, admittendum vero certis legibus ſentientibus aliis; poſtremam amplexi (b) ſententiam, ampliſſimos oratores Viterbium ad eum miſere, ut fœderis cum ipſo leges componerent. At Sciarra Columnius & Jacobus Sabellus ac Theobaldus e ſancto Euſtachio, viri auctoritate in Urbe ac nobilitate principes, plurimo a Caſtrucio ac Gibellinis Etruriæ auro corrupti, fidei in Pontificem immemores, ac futurorum ignari malorum, Ludovico miſſis nuntiis arcano ſignificarunt, ut ſpretis Romanorum oratorum dictis, iter in Urbem maturaret, ea enim votiſque ipſum certiſſime potiturum. Qua ſpe elatus Ludovicus Bavarus, perhumaniter acceptis oratoribus, Caſtrucio dandi illis reſponſi provinciam contulit: ac mox ſigna moveri juſſit, ut quiſque itineri Romam verſus ſe accingeret. Septimo itaque januarii die, attonitis ex illius improviſo adventu Romanis, exceptus (c) eſt; de quo hæc in MS. Vaticano leguntur: *Hoc anno Ludovicus Bavarus intravit Italiam: & licet Robertus Siciliæ Rex & dominus Bertrandus Oſtienſis Cardinalis, tunc legatus Italiæ, conarentur ipſum in paſſibus impedire; recto tamen itinere venit Romam: & caſtrametatus in pratis, ut dicitur, ante Urbem, tandem auxilio Columnenſium introivit.* Traditum mox illi Urbis & arcium imperium addunt (d), cum boni quique ingemuere, ut publicis poſtea tabulis profeſſos videbimus.

Progreſſus Lud. in Urbem tendentis.
(a) Jo. Vill. l. 10. c. 49.
Romani adverſis factionibus fluctuant.
(b) Eod. lib. c. 55.
Datum a proditoribus Lud. conſilium.
(c) Jo. Vill. lib. Muſſ. in Lud. Bav. Bern. in Libell. de Imp. Rom. MS. bibl. Vat. ſign. n. 1043. MS. bibl. Vat. de Rom. Pont. ſign. n. 3765.
Bavari adventus.
(d) Cortuſ. hiſt. l. 3. c. 11.

II. Interea e clero & religioſis ordinibus prudentia & ſanctitate præcipui in fugam ſe convertere: ſacratiſſima Veronica, in qua Chriſti domini pergentis ad crucis ſupplicium divino miraculo expreſſa effigies, a baſilicæ Vaticanæ canonico, ne a ſchiſmaticis & hæreticis indigne conſpiceretur, abſconſa, indictumque ſacrorum juſtitium. Celebrata a Ludovico in capitolio magna pompa comitia, in quibus ipſe Romanorum Rex eſt ſalutatus, creatuſque a populo ad annum Urbis ſenator & copiarum urbanarum dux; denique decretum, imperiali diademate ipſum cingendum. Hæc pluribus Joannes Villanus aliique auctores. Quam vero inani jure id ſit attentatum refert Albertus Argentinenſis (e): *Prætenderunt enim*, inquit, *urbici*, ii nimirum, qui Bavaro adhærebant, *hoc eis competere, Papa etiam nolente; præſertim, cum ſenatores prius Papam requiſiverint, ut ad Urbem ſe transferret.*



Cleri & religioſor. pars præcipua Urbe diffugit.
Ob ingreſſum Ludovici Roma ſacrorum uſu orbata.
Creatur Lud. a rebelli populo ſenator.
Romani perduelles coronandi Imp. ſibi jus arrogant.

III. Redimitus itaque eſt imperialibus ornamentis Ludovicus in baſilica S. Petri, de qua celebritate hæc Nicolaus Minorita (f): *Die*, inquit, **XVII. januarii quæ fuit dominica de nuptiis, anno Domini MCCCXXVIII: præfatus princeps dominus Ludovicus Romanorum Rex fuit non per Papam, ſed per quatuor ſyndicos populi Romani, ad hoc ſpecialiter conſtitutos, in eccleſia S. Petri in Imperatorem Romanorum ſolemniter corona aurea coronatus, & ex tunc Imperator vocatus: nam a die ſuæ electionis, uſque ad diem qua Romæ corona aurea coronatus, non Imperatores; ſed Reges Romanorum in ſuis literis & ab omnibus appellantur.* Impoſitam illi a Sciarra Columnio imperialem coronam, addit S. Antoninus (g): *In coronando*, inquit, *nullus ſolitus ordo, nemo legatus, nulla Pontificis auctoritas ſibi adfuit. Impoſita eſt illi corona populi nomine a Sciarra Calumnenſi, principe diverſæ factionis: in cujus rei memoriam ipſe poſterique ejus ad antiquum gentis inſigne, quod eſt columna, coronam addidere, quaſi præclarum fuerit ſcelerate feciſſe.*

(e) Alb. Arg. in chr. & ex eo Naugem. 45.
(f) Nic. Min. MS. bibl. Vat. ſign. n. 4008. pag. 21. Cortuſ. hiſt. l. 3. c. 11.
* VI. habet Vill. l. 10. c. 56.
Lud. a quo diademate redimitus.
(g) Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 6.

Delibutum vero inunctione auguſtali una cum uxore a Jacobo Alberto exauctorato epiſcopo Venetiarum (h) Cardinalis Pratenſis nepote, ſuſceptique ornamentis imperialibus, pias ad oſtentationem, ſed ſuſpecto conſilio leges tuliſſe, refert Joannes Villanus (i): nimirum primam de fide catholica incorrupta ſervanda, ſecundam de tuenda libertate eccleſiaſtica, tertiam de viduis & pupillis defendendis; atque aſtu ſimpliciores Romanos ſibi devinxiſſe: cum tamen objecta religionis ſpecie religionem oppugnare, odiaque in Chriſti vicarium atque omnes catholicos illi adhærentes,

Inunctus a Caſtellano exepiſcopo.
(h) Cortuſ. hiſt. l. 3. c. 11.
(i) Jo. Vill. l. 10. c. 56.
Leges latæ a Bavaro.

quos æquabat cum hæreticis, ipſe apoſtolica ſententia damnatus, effundere moliretur.

IV. Ignorabat Pontifex (*a*) Ludovicum tanta celeritate felicitateque in Urbem pervaſiſſe, & imperialem coronam ſuſcepiſſe; cum XII. kalen. februarii hujus anni, ut ſecundos illius progreſſus abrumperet, & Urbe ac Scilicæ regno arceret, ſacram militiam, præmiis indulgentiarum propoſitis iis omnibus, qui ſigna eccleſiæ Robertive Regis ſequerentur, vel ſtipendiis, conſilio, aut milite juvarent, indixit, tranſmiſſo ad Joannem Urſinum Cardinalem legatum ſubjecto diplomate.

(*a*) *To. 6. p. 3. ep. ſecr. pag.* 107.

Indicta a pont. in illum cruceata militia.

*Joannes, &c. Joanni S. Theodori diacono Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato.*

Pontificium ea de re diploma.

De præteritis in Lud. edictis.

*Cum præfatus Ludovicus, qui ut prædicitur jure, ſi quod ſibi ex electione prædicta fuerat acquiſitum, ac ſubſequenter, ejus aucta contumacia, feudis omnibus, quæ a Romana vel quibuſvis aliis eccleſiis, ſeu imperio obtinebat; & ſpecialiter ducatu Bavariæ, ac omni jure ad ipſum in eo cum ejus occaſione vel cauſa ſibi quomodolibet competenti, nec non & omnibus privilegiis apoſtolicis & imperialibus ei aut ſuis prædeceſſoribus conceſſis, quatenus ipſius tangere poterant commodum, juſto privatus extiterat judicio; quique etiam pro fautoria hæreticorum innodatus excommunicationis ſententia, quam per biennium & ultra indurato ſuſtinuerat, ſicut & tunc ſuſtinebat animo, manifeſtus hæreticorum fautor declaratus fuerat, & pœnas a canonibus inflictas talibus incurriſſet; quæ in proceſſibus contra eum habitis plenius continentur, infra prædictum ſibi præfixum terminum* ( nempe kal. octobris ſuperioris anni ) *comparere per ſe vel alium non curarit, ac etiam poſtea de manſuetudine ſedis Apoſtolicæ diebus pluribus expectatus; nos eundem reputavimus de eorundem fratrum conſilio merito contumacem. Et quoniam ſe ad correctionem præmiſſorum diſponere in aliquo non curavit, ſed velut in profundum malorum perductus, mala malis ſuperaddere, offenſaſque cumulare offenſis, ac iram Dei contra ſe jugiter invocare, ac fideles verbis & operibus perſequi non ceſſabat; nos læſionem fidei, patrum quoque ſanctorum contemptum & probra, nec non & præſentium ſcandala, variaque poſteriorum pericula ſuper iis attendentes, obviareque tantis malis & periculis ſalubriter cupientes, cum eſſent præmiſſa ſic notoria, quod nequibant tergiverſatione aliqua occultari; Dei nomine invocato, de fratrum eorundem conſilio, præſenteque fidelium multitudine copioſa, præfatum Ludovicum fore hæreticum declaravimus: ac prædictas aſſertiones per dictam conſtitutionem hæreticas declaratas, & ſcripturas quaſcumque contra eaſdem, nec non & ipſum Ludovicum velut hæreticum reprobavimus, & finaliter duximus condemnandum; volentes ut ſi quis doctrinam, ſeu aſſertiones prædictas defendere, præſumeret, vel etiam approbare, cujuſcumque dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus exiſteret, tanquam hæreticus deberet ab omnibus confutari.*

De novo in eum judicio hæreſeos inſtituto.

V. *Ne itaque tot & tantorum facinorum in divinæ majeſtatis offenſam, & ejuſdem Romanæ eccleſiæ matris omnium fidelium contumeliam & contemptum, fideique catholicæ ac utilitatis reipublicæ detrimentum nequiter patratorum, in ſuccedentia temporum ſæcula ſine correctione debita in multorum perniciem memoria diffundatur; nec idem Ludovicus, qui pertinaciter in ſuis prædictis erroribus & hæreſibus perſiſtere, ac exceſſus exceſſibus, & injurias injuriis cumulare, pacem Dei & eccleſiæ perturbare quaſi continue non veretur, ac inter Chriſticolas ſchiſmata, diſſenſiones, & ſcandala ( præcipue in Urbe Romana & in regno Siciliæ citra pharum, quod ad Romanam Eccleſiam jure directi dominii noſcitur pertinere, & pro quo chariſſimus in Chriſto filius noſter Robertus Rex Siciliæ illuſtris exiſtit, vaſſallus eccleſiæ antedictæ ) nititur periculoſe nimium ſuſcitare, ſuos pravos & damnandos conceptus, per quos cultum ejuſdem fidei catholicæ, ſine qua Deum nemo videre poterit, depravare quantum eſt in ipſo ſatagit, in partum poſſit perducere; ſed potius, dextera Domini faciente virtutem, obſiſtatur eidem viriliter, & ſui damnandi executio propoſiti elidatur, opportunis providere remediis cupientes; quia in his Dei & ejuſdem catholicæ fidei cauſam agi conſpicimus, illam devote proſequentibus decrevimus etiam ſpiritualibus auxiliis aſſiſtendum, ut cauſam ipſam eo ferventius proſequantur, quo tutius hujuſmodi proſecutionis eventum poterunt experiri. Ideoque nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui dictum Ludovicum ejuſque complices, fautores, & receptatores, quamdiu extra dictæ ſedis gratiam extiterit, in perſonis & ſumptibus propriis nec non & iis qui in perſonis propriis, alienis tamen ſumptibus expugnabunt, & ſuper hoc per annum incipiendum a die, de quo tu duxeris ordinandum, continuum vel interpolatum infra biennium ex tunc complendum proximo laborabunt, eccleſiæ ſequendo vexillum, tam clericis, quam laicis, & eis inſuper, qui ſuis dumtaxat expenſis juxta quantitates, & facultates ſuas deſtinabunt idoneos bellatores, per dictum tempus moraturos, & laboraturos ibidem; illam concedimus veniam peccatorum, quæ concedi per eandem ſedem proficiſcentibus in terræ ſanctæ ſubſidium conſuevit, &c.*

Objectæ illi molitiones ad eripiendum eccleſiæ regni Neapolitani ſupremum imperium.

Ad Roberti gratiam indicta in Ludovicum religioſa militia.



Imponit legato promulgandæ indulgentiæ provinciam ad fideles ſub ſignis eccleſiæ contra ipſius hoſtes congregandos. *Dat. Avin.* XII. *kal. februarii anno* XII.

Conceptæ eadem verborum forma literæ tranſmiſſæ ad Bertrandum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis in Inſubria legatum, (*a*) & ad Capuanum archiep. (*b*) in Sicilia citeriori. Præterea eidem archiepiſcopo ac memoratis legatis Cardinalibus, tum patriarchæ Gradenſi, ac Genuenſi, Mediolanenſi, & Piſano archiepiſcopis data provincia (*c*), ut omnes eccleſiaſticos ac laicos anathemate defixos pronuntiarent, qui Bavari partes tuerentur, vel ipſi commeatus atque auxilia ſubmitterent. Quæ imperia præ cæteris, intentata cenſurarum religione, propoſita Mediolanenſibus, Saonenſibus, Comenſibus, Vercellenſibus, Bergomenſibus, Laudenſibus, Cremonenſibus, Aretinis, Novarienſibus, Ticinenſibus, Mutinenſibus, Ferrarienſibus, Veronenſibus, Lucanis, qui populi fœdus cum Ludovico pepigerant. Nec modo commeatus, vel auxilia Bavaro ſuppeditaturis, verum etiam cum eo commercium habituris objectæ cenſuræ.

(*a*) *To. 6. p. 6. ep. ſecr. pag.* 107.

Promulgata per totam Italiam.

(*b*) *Ead. pag.*

(*c*) *Ead. par. pag.* 109.

Fœderatis Ludovici inflictæ cenſuræ.

VI. Cum vero de occupata antea ab illo Urbe, ac Romani cleri in fugienda Ludovici communione, intermiſſoque ob ipſius præſentiam templorum & ſacrorum uſu conſtantiæ nuntius ad Pontificem affluxiſſet, Viterbienſem epiſcopum Urbis in divinis vicarium pontificium, & clerum Romanum ob fidem commendavit Joannes, utque in ea eccleſiæ perſecutione virtutum exemplo præluceerent, fortiterque obſiſterent hæreticis, ac præcipue blaſphemis Marſilio & Janduno quos duas beſtias ex abyſſo ſathanæ egreſſas appellat hortatus eſt. Ut autem Ludovicus ob ſuſceptam eorum impietatem, aliaſque cauſas anathemate devinctus eſſet, ac loca, in quibus ageret eccleſiaſtico interdicto perculſa, his literis expoſuit Pontifex (*d*).

(*d*) *Ib. pag.* 113.

*Joannes, &c. Angelo epiſcopo Viterbienſi noſtro in ſpiritualibus in Urbe vicario, & dilectis filiis clero ejuſdem Urbis.*

VII. *Poſt multas alias moras & expectatione prolixas, quibus modis omnibus deſiderabamus eundem,* nempe Ludovicum Bavarum, *per emendationis frugem ad ſinum & gratiam ſedis Apoſtolicæ revocari, intellecto quod ipſe non emendationi, ſed conſuetudini præteritarum factionum auſus illicitos deputabat, ruptiſque habenis modeſtiæ, in campum illicitæ voluntatis exiliens, ad civitatem Tridentinam, infra metas Italiæ conſtitutam, nonnullos hæreticos & de publica hæreſi rationabiliter condemnatos, ac rebelles ejuſdem eccleſiæ illuc direxit convocandos, cum eis contra pacificum ſtatum reipublicæ, in cunctorum fidelium ſcandalum, ac catholicæ fidei detrimentum, & Apoſtolicæ ſedis injuriam & offenſam conſilium ineundo; illud præcipue pravis machinationibus continuando, ut omnes pariter mutuis ſe juvantes auxiliis, ſub umbra culminis, quod idem Ludovicus ſperabat indebite uſurpare, poſſent velut cohærentes ſquammæ in ſuis rebellionibus & hæreſibus perſeverare liberius, eccleſiæque devotos de ſuis finibus effugare, ipſe Ludovicus, eorum fultus potentia, uſurpatum nomen regium indebite retinere, ac imperiale deinceps promptius uſurpare; ad hæc congerentes ſtudia, ſuaſque potentias conglobantes, non attendentes, quod Dominus exercituum novit reproborum infatuare conſilia, & etiam diſſipare; nos eorum pernicioſis volentes obviare conatibus, prout ad id apoſtolicæ ſolicitudinis debitum nos urgebat, per alios proceſſus noſtros ſpecialiter ſuper hoc & ſolemniter habitos eundem Ludovicum monuimus, ſibi ſuper hoc diſtrictius injungentes ſub anathematis & aliis pœnis a jure, ſeu conſtitutionibus quibuſcumque inflictis ſeu comminatis iis, qui titulum regium falſo propria temeritate ſibi uſurpare, aut ſe adminiſtrationi imperii immiſcere, quæ ipſo vacante, ſicut tunc vacabat, & vacat, ad eandem Romanam eccleſiam noſcitur pertinere, ipſam eccleſiam in adminiſtratione hujuſmodi perturbando &, quantum in eis erat, etiam ſpoliando; vel iis, qui hæreticis ac Romanæ eccleſiæ rebellibus præſumunt contra dictam eccleſiam impendere conſilium, auxilium, vel favorem, quaſque infligunt iis, qui guerras, præſumunt movere,* & infra, *conſiderantes etiam, quod ipſe ad omne malum præſumpta licentia adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus blaſphemias loquebatur, duaſque beſtias de abyſſo ſathanæ & inferni ſulphureo puteo prodeuntes, ac deteſtabiles hæreſes contra Redemptorem noſtrum in ſcandalum fidei publicantes, videlicet Marſilium de Padua & Joannem de Janduno, ac libellum per eos editum, impiiſſimos errores & fœdiſſimas hæreſes continentem, receperat; eoſque in conſortium ſuæ familiaritatis admittens, velut credens & publicus fautor eorum, ipſis dogmatizandi & diſſeminandi hæreſes ſupradictas defenſionem & licentiam exhibebat, quinimmo contemptor canonum & diruptor cujuſlibet eccleſiaſticæ diſciplinæ, quamvis foret diverſis excommunicationum ſententiis innodatus, divina faciebat officia in locis etiam eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis, excommunicatis & interdictis præſentibus, celebrari, &c.* Pergit, ut de hæreſi ob id eundem damnarit, & omnes ſubditos fidei ſacramento libe-

De conventibus Tridenti ab eo celebratis.

Incuſſæ illi novo edicto pœnæ.

Studium in hæreſiarchas objectum.

liberarit, cenſuriſque ejus ſtudioſos defixerit; tum ſubdit.

VIII. *Verum idem Ludovicus, omnino averſus a Deo & in profundum malorum demerſus, divina pariter & humana jura pervertens, invaſit Italiam; & per indevotorum loca progrediens, Urbem pollutis greſſibus introivit, ſerenitatem ejuſdem Urbis ſuæ pravæ contagione præſentiæ, quod dolenter referimus, maculando: cujus acceſſus & ingreſſus in dictam Urbem ſicut ejus ſequacibus eſt odor mortis in mortem, ſic vobis propter laudabilem veſtram conſtantiam, & claram & commendabilem obedientiam, quam erga Deum dictamque Romanam eccleſiam & nos fortibus & robuſtis animis oſtendiſtis, eſt odor vitæ in vitam: cum ex hoc maximæ laudis præconio magnæque commendationis titulo apud homines fulgeatis, veſtraque ſinceritas fidei ubique non indignæ laudis præconiis commendetur; ita quod propterea, licet vos ſemper geſſerimus in præcordiis charitatis, ſpecialem benevolentiam vendicaſtis. Quantæ enim commendationis laude reddidiſtis vos dignos, quod non obſtante malitia temporis impacati; quinimo ſpreto populari tumultu, & applauſibus laicorum multorum, communionem ejuſdem viri peſtiferi declinaſtis hactenus, & etiam declinatis ac interdictum, cui propter præſentiam ejuſdem hæretici Urbs ipſa, quod non abſque ingenti dolore referimus, ſubjacere dignoſcitur, velut prædilecti filii benedictionis & gratiæ ſtuduiſtis & ſtudetis inviolabiliter obſervare ſuper quibus Deo ac nobis & Apoſtolicæ ſedi cunctiſque fidelibus grati admodum & acceptis circumſpectionis veſtræ prudentiam dilectionis plenitudine proſequentes eam plurimum laudandam duximus & commendandam.*

Romano clero ob declinatum ejus commercium gratulatur.

*Ideoque univerſitatem veſtram rogamus attentius & hortamur, quatenus in laudabilibus cœptis veſtris conſtantiſſime perſiſtatis (ſperantes in Domino & potentia virtutis ejus dexteræ, quod ejuſdem viri nequiſſimi, ſe adverſus Dei potentiam & ſcientiam extollentis, fidei catholicæ puritatem & ſtatum reipublicæ pervertere ſatagentis, ſuorumque ſequacium cornua elata confringet) ejuſque violentiæ, quantum decet levitas miniſtros Altiſſimi, in verbo virtutis potenter & virilier reſiſtatis, ſcituri quod devotio & conſtantia veſtra, quam ſuper his oſtendiſtis & oſtenditis pro communione ſedis ejuſdem, ſic indelebiliter eſt & erit impreſſa, quod ſuo loco & tempore ejus gratitudinem realiter cognoſcetis. Nos enim ſuper iis taliter providere Deo auctore ſtudebimus, auxilii ſui dexteram nobis & eccleſiæ ſanctæ ſuæ adeſſe ſperantes, quod ejuſdem hæretici de perverſis conatibus honor erit Altiſſimo catholicæque fidei robur & eccleſiaſticæ libertatis augmentum provenient, & veſtra & aliorum fidelium proſperitas & utilitas ſubſequentur. Dat. Avin. IV. kal. martii anno XII.*

Ad conſtantiam eos hortatur.

IX. Divexarunt clerum Romanum in Pontificis obſequio conſtantem ſchiſmatici & hæretici, tulitque graviſſimos in ea perſecutione eccleſiæ labores Viterbienſis epiſcopus vicarius urbanus, quem datis nonis martii literis Pontifex ad revocanda in memoriam ſanctorum geſta, imitandamque eorum invictam inter tyrannorum iras & carnificum furorem patientiam excitavit (*a*): promiſſam enim perſeverantiæ immortalitatis & gloriæ coronam. Perſtitere (*b*) una cum eo conſtantes in ſedis Apoſtolicæ cultu plures viri nobiles Romani, quorum prolixior eſt in regeſto pontificio catalogus: inter quos Jacobus Columna canonicus Lateranenſis enitebat, quem ut zelo ardentiſſimum ſolicitavit Joannes (*c*), ut populum ad Marſilium ac Jandunum hæreſiarchas capiendos commoveret. Confluxerant (*d*) ii Romam mox atque Ludovicum ea potitum percrebuit, ut ſuis hæreſibus fideles inficerent: ac Marſilius a Ludovico Bavaro, quaſi ad eum ſacrorum cura & adminiſtratio ſpectaret, pontificii vicarii munus, cui præerat Viterbienſis epiſcopus, ſcelere acceperat, cœpitque (*e*) tyrannidem in viros probos, qui ſe hæreticorum & ſchiſmaticorum communione contaminare exhorreſcebant, pioſque ſacerdotes, qui ſacrorum uſu pie abſtinebant, exercere. Ad comprimendum vero ferocientem virum Pontifex Joanni S. Theodori diacono Cardinali A. S. L. onus injunxit (*f*), ut in vicinis Romæ locis edicta publica proponeret, quibus Marſilium & ſceleris ſocium Jandunum capi juberet.

Pii a Ludovici ſequacibus vexati.

(*a*) *Ead. p.* 3. *pag.* 117.

(*b*) *Ib. pag.* 116. 117.

(*c*) *Ib. pag.* 115.

(*d*) *Ib. pag.* 110.

Marſilius hæreſiarcha Romæ in clerum tyrannidem exercet.

(*e*) *Ead. pag.*

(*f*) *Ead. pag.*

*Joanni S. Theodori diacono Cardinali A. S. L.*

X. *Ad noſtri apoſtolatus auditum his diebus fama publica divulgante pervenit, quod illi duo nequam homines Marſilius de Padua & Joannes de Janduno hæretici manifeſti, & per nos dudum de fratrum noſtrorum conſilio de hæreſi finaliter & publice condemnati, audito quod Ludovicus olim Bavariæ dux & diſcorditer in Regem Rom. electus (qui ſuis horrendis exceſſibus & gravibus culpis exigentibus excommunicatus, ac jure, ſi quod ei ex prædicta electione ad regnum Romanorum vel imperium forſitan competebat; nec non ducatu Bavariæ ac comitatu Palatin. Rheni, & jure quocumque habendi vocem in electione Regis Romanorum in Imperatorem promovendi, juſto judicio privatus extitit, & de hæreſi finaliter & publice condemnatus) Urbem intraverat & in ea ſuam tyrannidem exercebat, ad Urbem ipſam ſe perſonaliter conferentes, hæreſes publice*

*præ-*



*prædicare præſumunt: dictuſque Marſilius prætextu vicariatus, quem ibidem ſibi per dictum Ludovicum commiſſum aſſerit, tam contra clericos quia nolunt interdictum, cui propter dicti Ludovici præſentiam ſubjacere proceſſuum noſtrorum auctoritate Urbs prædicta noſcitur, violare, quam eorum cognatos & affines in noſtram offenſam procedere immaniter non veretur.*

*Nos autem periculis & ſcandalis quæ fidei & fidelibus ex præmiſſis proventura feruntur probabiliter, obviare ſalubriter cupientes, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta præcipimus & mandamus, quatenus cum ad Urbem prædictam per ſævam & damnatam dicti Ludovici tyrannidem ſuorumque complicum occupatam tutus acceſſus ad præſens non pateat, Romanum populum & eos, qui rectorum & gubernatorum ipſorum gerunt officium, quocumque nomine cenſeantur, per publici propoſitionem edicti in locis publicis, de quibus tibi videbitur, & ſit veriſimilis præſumptio, quod ad eorum pervenire valeat notitiam, moneas efficaciter & inducas, ut ipſi prædictos Marſilium & Joannem hæreticos capiant & tute cuſtodiant, ſubdendos, ſicut jura præcipiunt, eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſi pœnas vitare curaverint, quas incurrunt talium contemptores. Dat. Avin. XVII. kal. maii anno XII.*

Ambos capi jubet Pont.

XI. Eluſit pontificiam ſeveritatem Marſilius clientela Ludovici tectus, quem Joannes Villanus (*a*) perfidum hæreticum ac Bavari ductorem & magiſtrum appellat. Recenſitæ ſunt anno ſuperiori illius hæreſes & confutatæ: quibus ſceleribus aliud atrox adiecerat, ut præcurſor antichriſti, Petri ſcilicet e Corbaria, evaderet, atque ad illius profanationem præcipuam operam correpti ſacrilegio in rebus ſacris vicariæ præfecturæ occaſione impenderet. Evomuerat jam ante eam blaſphemiam (*b*) Romanum Pontificem non ſuam a Chriſto domino, ſed Romanorum Imperatore auctoritatem accipere, hujuſque juris eſſe Pontifices ad arbitrium creare vel gradu pellere. [1]

(*a*) *Jo. Vill. l.* 10. *c.* 104.

Marſilii in conflando ſchiſmate ſcelus atrox.

(*b*) *Jo. Var. bull. pag.* 67.

Ludovicus itaque ejus hæreſeos lenocinio ab aſſentatoribus hæreticis delibutus, cum decimoquarto aprilis die purpura & imperialibus ornamentis decorus ad porticum baſilicæ S. Petri in ſolio conſediſſet, mortis ſententiam (*c*) tuliſſet in hæreticos, qui divinam & imperialem majeſtatem læſiſſent, utque a quolibet judice etiam non rogato, nec ſervata in flagranti delicto judiciorum forma, poſſent damnari, ſanxiſſet (*d*); ut tabelliones publica acta annis imperii ſui conſignarent; denique perduellibus bonorum mulctam inflixiſſet fraudulento adverſus Pontificem & catholicos ſæviendi conſilio: die lunæ inſequenti (*e*) Chriſti vicarium damnare hæreſeos, ac dignitate pontificia exuere temere eſt aggreſſus.

Edictum a Ludov. latum.

(*c*) *Ext. apud Nicol. Minor. MS. bibl. Vat. ſig. n.* 4008. *p.* 24.

(*d*) *Jo. Vill. l.* 10. *c.* 69. *Muſſ. in Lud. Bav.*

(*e*) *Vill. eod. lib. c.* 70. *Muſſ. ibid.*

Fert in Pontificem ſententiam.

Extat illa Ludovici ſententia (*f*) apud Nicolaum pſeudominoritam, qui illum a cleri & populi Romani ſyndicis, atque a Minoritis ad id facinus concitatum narrat: *Videns*, inquit auctor ſchiſmaticus, *prædictus Imperator, quod præfatus dominus Joannes Papa ſupradictus tria ſtatuta* (*g*) *nimirum, Ad conditorem, Cum in-*

(*f*) *Nic. Min. MS. bibl. Vat. ſign. n.* 4008. *pag.* 80.

(*g*) *Ext. inter extravag. de verb. ſign.*

NOTÆ [1] LUdovicus Bavarus Romam hoc anno veniens, imperiale diadema aſſecutus eo tandem audaciæ prorupit, ut depoſitionis ſententiam in Joannem pontificem, diceret. Sententiam hanc ex ſchiſmaticorum quorumdam ſcriptis erutam, annaliſta hic recitat. Cum vero poſtmodum in MSS. codicibus ſeorſum deſcriptam eam reperiiſſet dediſſetque Baluzius in collectione actorum veterum ad vitas paparum Avenionenſium to. II. col. 512. &c. ex eo tandem intelleximus, ſententiam illam, quam unica ſcripti ſerie contextam vulgavit annaliſta, duas inter ſe diſcretas in unam conjungere atque confundere. Duplex enim ſententia ab imperatore in Joannem hoc anno dicta apud eundem Baluzium legitur. Prior quidem in qua Ludovicus amovendi a ſacerdotio pontificis cauſam affert, quod eccleſiam vaſtaverit, & electioni de ſe in imperatorem factæ armatus reſtiterit. Alterius vero ſententiæ fundamentum ponit Joannis lapſum a fide; eo quod in conſtitutionibus in cauſa paupertatis Chriſti hæretica multa docuerit. Utraque vero hæc ſententia eodem menſe & die, XVIII. ſcilicet aprilis hujus anni conſignatur. Cur non unicam ſed duplicem promulgaverit Ludovicus, hanc fuiſſe cauſam ſuſpicor. Primo quidem ille ſententiam depoſitionis in pontificem dixit, eo quod ſibi & eccleſiæ eſſet adverſarius; atque hæc ſententia revera die XVIII. aprilis hujus anni promulgata eſt; cum vero id poſtmodum audax nimis facinus videretur, ut laicus pontificem deponeret; ideo ſententiam jam prolatam reformari viſum eſt. Tunc igitur alia inita eſt ratio ut a pontificatu Joannes amoveretur; non enim amplius id ſibi juris imperator arrogavit; ſed cum pontificem hæreſis reum demonſtraſſet, hinc conſequi cenſuit, ut cum ab eccleſia alienus eſſet, *ipſo facto fuit omni eccleſiaſtica dignitate, poteſtate, auctoritate privatus*, quæ illius edicti verba ſunt. Ita Ludovicus & voluntati ſuæ obſequebatur, & invidiam facinoris ſui minuebat; non enim a ſe amotum pontificem, ſed dignitate merito ſuo exceſſiſſe cauſabatur. Meam hanc conjecturam fulcit titulus, qui ſecundæ huic ſententiæ præfigitur, apud eundem Baluzium; ita enim conceptus eſt: *Sententia Ludovici IV. imperatoris adverſum Joannem XXII. correcta, & emendata.* Quamquam vero ſecunda hæc ſententia, eandem diem & menſem, quam prior, exhibet; ſuſpicor tamen aliquo poſt priorem illam tempore prodiiſſe; cum tamen in locum prioris ſubſtituenda eſſet, ideo eodem die & menſe conſignatur. Ita pariter ante non multos annos a Joanne pontifice præſtitum fuerat in conſtitutione, quam de paupertate Fratrum Minorum edidit. Illam enim prius evulgatam, dein correctam & emendatam, iterum reproduxit ſub ejuſdem diei & anni adſcriptione, ut in Nota ad A. 1322. 53. animadverti. MANSI

*inter nonnullos, Quia quorundam) ediderat & publice promulgaverat, & pertinaciter defendebat.* Et infra: *inductus ſupplicationibus & inſtantiis plurimis ſyndicorum cleri & populi Romani, atque fratrum Minorum, plenam ad hoc clerici & populi auctoritatem habentium & liberam poteſtatem, prout apparuit ex oblatis tunc dicto Imperatori ſyndicatus eorum publicis inſtrumentis; memoratum dominum Joannem Papam* XXII. *in hæreſi publice deprehenſum, per ſententiam definitivam ſolemniter depoſuit de papatu, cujus ſententiæ tenor talis eſt, &c.* Hæc Nicolaus ad ſchiſmatis commendationem.

(a) *Alv. Pel. de planctu eccl. l.* 1. *c.*36.
(b) *To.*6. *p.*3. *ep. ſecr. pag.* 110.
Ab hæreſiarchis & pſeudominoritis in id facinus impellitur.

Verum hoſce ſyndicos cleri Romani, partis nimirum infectæ (potiorem aufugiſſe vidimus, idque etiam Alvarus Pelagius, qui una cum piis abiit, teſtatur) (a) fuiſſe Marſilium & Jandunum hæreſiarchas conſtat (b) pariterque Sciarram Columnium, & alios, qui populi Romani nomen auctoritatemque corripuere. Quod vero Nicolaus in tanta re de ſyndicis Minorum meminit, ſatis facinoris horrorem detegit. Cur non enim tot aliorum ordinum religioſorum ſyndici exciti? Cur non collegii Cardinalium? Cur non patriarcharum, non archiepiſcoporum, non epiſcoporum, non abbatum, aliorumve præſulum cœtus vocati? Cur non rogati tot regum, principum, populorum, eccleſiarum, & academiarum oratores? ſiquidem tanta res omnes tangebat. Denique Ludovicus, qui jam ante a Pontificis ſententia ad ſynodum œcumenicam provocaverat, quomodo illius exauctorationem ſine eadem ſynodo moliri auſus eſt. Si enim ipſum exauctorare potuiſſet, a Joannis ſententia, non ad concilium, ſed ad Cæſareum faſtum provocare debuiſſet: ſed lædendi Pontificis libido id facinus ſuaſit, Marſilio hæreſiarcha & Ubertino Caſali apoſtata conſultoribus, quos edicta illa impia compoſuiſſe, Albertinus Muſſatus refert. (c) Prior quidem ſententia cum Fraticellorum erroribus referta ſit, Ubertini Caſalis deliria ſtylumque redolet; prolixiorque ea eſt, quam ut a nobis repetenda ſit, ne in immenſam molem confutatio aſſurgat: præcipua itaque illius capita perſtringemus.

(c) *Muſſ. in Lud. Bav.*

XII. Objectio prima Bavar. in Pont.

Obiicit primum Pontificem affirmaſſe in conſtitutione, *Ad Conditorem*, Minoritas non eſſe ſimplices uſuarios, & uſum juris vel facti a rei dominio in conſumptilibus non ſeparari. At controverſia hæc ad fidem non ſpectat, ſed ad quæſtionum legalium argutias; recte vero id pronuntiatum a Joanne fuiſſe, probat hujus temporis doctor: *Prima*, inquit, (d) *concluſio eſt, quod uſus licitus non poteſt ſeparari a jure utendi, & hanc concluſionem probo & auctoritatibus & rationibus. Primo, auctoritate domini noſtri, qui hoc manifeſtiſſime probat in conſtitutione, Ad conditorem, & in illa, Cum inter nonnullos, & in iſta quam habemus præ manibus. Secundo probo auctoritate Auguſtini ad Macedonium, & eſt in decretis* XIV. *q.* IV. *c. Quid dicam, de uſuris, ubi dicitur ſic: Hoc certe alienum non eſt, quod jure poſſidetur; hoc autem jure, quod juſte; & hoc juſte, quod bene. Tunc arguo: Hoc jure quod juſte poſſidetur. Hoc juſte quod bene. Tunc a primo ad ultimum quod bene poſſidetur, juſte poſſidetur. Tertio probo auctoritate Iſidori, & ponitur extra de verb. ſign. c. Jus dictum eſt a jure poſſidendi; jure autem poſſidetur, quod juſte, hoc autem juſte, quod bene; arguo ſicut prius. Quarto auctoritate ejuſdem Iſidori* V. *etymol. & eſt in decretis di.* I. *c. Jus generale, ubi dicitur ſic: Jus autem dictum eſt, eo quod juſtum eſt. Ex qua auctoritate arguo ſic: Omnis actus juſtus eſt juris, quia jus dictum eſt, eo quod juſtum. Iterum quia impoſſibile eſt adhibere rationem juſti ſine omni ratione juris. Sed omnis actus licitus eſt juſtus. Ergo omnis actus licitus eſt juris. Uſus autem quidam actus eſt. Ergo omnis uſus licitus eſt cum jure utendi. Quod autem omnis actus licitus ſit juſtus, patet quia omnis actus deliberatus hominis aut eſt juſtus aut injuſtus. Sed certum eſt quod licitus non eſt injuſtus. Ergo omnis actus licitus eſt juſtus. Confirmatur quia omnis actus juſtus *. Ergo omnis licitus eſt juſtus. Et iſtam rationem tangit dominus noſter in conſtitutione, Cum inter nonnullos; dicit enim ſic, quod dicere quod Chriſtus & Apoſtoli in rebus, quibus utuntur, non habuerunt niſi ſimplicem uſum facti, convincit actus eorum fuiſſe non juſtos, quia negatio in ſubjecto apto nato infert privationem, ſicut non viſio in oculo infert cœcitatem, & non auditio in aure ſurditatem: actus autem hominis eſt ſuſceptibilis juſti & injuſti, quia, &c.* Plura addit in eam ſententiam, quæ brevitatis ſtudio prætermittimus.

(d) *MS. Vat. ſign. n.*4869. *pag.* 31.
Ad fidem non ſpectat.
Probatur recte affirmatum a Pont. uſum juris a dominio in re conſumptib. non ſeparari.
Non fore aliter juſtum.
* *eſt licitus.*

Inepta interpretatio ſacri textus ſumpta ex fraterculis.

At ſubdit Ludovicus, Petrum ſociorum nomine dixiſſe: *Ecce nos reliquimus omnia*; ex quo multis verborum ambagibus deducit, ipſos jus etiam rerum conſumptibilium reliquiſſe; vocem enim, *omnia*, nihil quod relinqui poſſit excipere. At mox mendacium ſe prodit: ut enim uſus rerum relictus non fuit, ita nec jus utendi relictum; alterum namque ad vitæ ſuſtentationem, alterum ad juſtitiam virtutemque ſpectat, ſanctique patres, qui Spiritu ſancto colluſtrati ea Petri verba explanarunt, de jure conſumendi relicto ab Apoſtolis altum tenuere ſilentium: neque in eo ſancti perfectionem evangelicam, ſed in ſectando Chriſto & rerum caducarum exuenda ſollicitudine nimia, collocarunt. Qua de re, tum de vero illius ſententiæ ſenſu antea abunde dictum eſt.



Secunda objectio de explanatione grammaticali vocis abuti.

Pergit Ludovicus: *Secundus error, qui in dicto ſtatuto, Ad conditorem, continetur eſt quod rebus uſu conſumptibilibus non poteſt quis uti, quia eis uti non contingit, ſed abuti.* Sed ad fidem non ſpectat hæc quæſtio, ut propterea Joanni, ſi in argutiis legalibus diſtinguendis erraſſet, impingenda hæreſeos calumnia non fuerit. At nullatenus lapſus eſt Pontifex, ac varias in eadem conſtitutione vocis uti & alterius abuti ſignificationes docte explicuit, oſtenditque abuti interdum ſumi pro injuſto rei uſu, interdum pro rei conſumptione licet juſta, ita enim dixit propheta: *Abutere eis*; id eſt conſume eos. Ex hoc vero aſpergendæ Pontifici calumniæ hæreſeos nulla arripi occaſio prudenter potuit; ut nec cudendæ tertiæ objectionis, in qua adverſus eandem conſtitutionem opponit, dixiſſe Joannem, non pertinere ad perfectionem, ut Minoritæ careant jure ac dominio rerum, quibus utuntur; ac dominium, quod Pontifices prædeceſſores de rebus ad Minoritas ſpectantibus tenuere, ænigmaticum extitiſſe, cum nullum ex illo temporarium commodum capere ſperarent. Sed quam recte id pronuntiatum a Pontifice fuerit, ex ejuſdem conſtitutionibus memoratis adeo perſpicuum eſt, ut mirum ſit tantum principem aliquorum pſeudoreligioſorum nugis & quiſquiliis ſe implicuiſſe.

Recte explanatam eam vocem demonſtratur.
Tertia objectio de carentia juris in fraterculorum quiſquilias negata.

XIII. Quarta objectio Decretum fidei accuſatur erroris. Pontificem in edendo fidei decreto errare non poſſe probatur.
(a) *Matt.*6. Ex Chriſti oraculis.
(b) *Luc.*22. Ex Patrum interpretatione.

Quarto perſtringit hæreſeos Pontificem Ludovicus ob decretum fidei, quo ſancitum eſt, Chriſtum & Apoſtolos in iis quibus eos uſos fuiſſe ſcriptura teſtatur, jus habuiſſe in communi vel ſpeciali. Illud autem non oppugnandum fuiſſe a catholico principe, ſed religioſe colendum conſtat, cum Romanus Pontifex, ferens uti eccleſiæ princeps in controverſo fidei dogmate judiciariam ſententiam, errare non poſſit, teſtante Chriſto (a): *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; idque alio oraculo confirmante (b): *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Quæ quidem de firmitate ſedis Apoſtolicæ intelligenda ſancti patres docuerunt.

Quinta objectio vana de diſtinctione juris civilis.

Quinto objecit Ludovicus, docuiſſe Joannem, actum utendi in rebus temporalibus in Chriſto & Apoſtolis non potuiſſe eſſe juſtum abſque jure utendi, *civili & mundano, contentioſo & litigioſo*, addidit Ludovicus verbis Pontificis, nam præcipuum Joannis telum, quo hæretici confoſſi fuerunt, hoc fuit, rerum uſum in Chriſto & Apoſtolis fuiſſe juſtum, ergo non ſine jure, & blaſphemum eſſe injuſtum uſum ipſis affingere: de jure autem civili & mundano, contentioſo & litigioſo non aliud dixit, quam jus civile ſive contentioſum non eſſe injuſte, ſed juſte inductum, & a perfectis etiam jus coram judice ſuo repoſci poſſe: quamquam maximæ interdum ſit perfectionis, ne ſerenitas animæ turbetur, vel ob altiorem finem, injuriam ferre.

XIV. Sexta de interpretatione textus, *Nolite poſſidere.*

Sexto vertit crimini, Joannem in conſtitutione, *Quia quorundam*, revocaſſe in dubium, num ea Chriſti verba: *Nolite poſſidere aurum & argentum, nec pecuniam in zonis veſtris, &c.* præceptiva fuerint. Sed hæc deliria pſeudominoritarum, jactantium præceptum Apoſtolis, ne unquam pecuniam attrectarent; refellit docte pontificiæ conſtitutionis defenſor academicus Avenionenſis (c): *Secundum*, inquit, *Auguſtinum in lib. de opere monachorum, & in libro de mendac. cap.* XXII. *& in libro contra Adamantium diſcipulum Manichæi cap.* XX. *hoc non fuit præceptum, ſed documentum utile pro illo tempore: unde in prædicto libro de mendacio & prædicto cap. dicit Auguſtinus ſic: Dictum eſt Apoſtolis, ut nihil ſecum portantes in via, de evangelio viverent & quodam loco Dominus deſignavit cum hoc dixit, cum ſubjunxit Marci* X. *Dignus eſt operarius mercede ſua; ubi ſatis oſtendit Dominus permiſſum hoc eſſe, non juſſum, ut in opere prædicationis verbi, cum aliquis ab eis, quibus prædicaret, in uſus hujuſmodi vitæ ſumeret aliquid, illicitum facere non arbitretur, cum laudabilius non fieri in Apoſtolo Paulo monſtratum eſt, qui cum diceret: Communicet autem qui catechizatur verbo ei, qui ſe catechizat in omnibus bonis, & in multis locis illud ſaluberiter fieri ab eis qui verbum Dei prædicarent oſtenderet: ſed tamen unquam non ſum uſus hac poteſtate. Poteſtatem ergo dedit Dominus, cum iſta diceret, non imperio conſtrinxit.* Hoc Auguſtinus. *Et in dicto libro contra Adamantium cap.* XX. *dicit ſic: Ne dominus Jeſus Chriſtus impiis hominibus contra ſua præcepta feciſſe videatur, qui etiam loculos habuit, quibus ad victum neceſſarium pecunia portabatur; non juſſa iſta, ſed permiſſa ex hoc intelligitur, quod Apoſtolus Paulus manibus ſuis operatus victum quærebat, non uſus hac poteſtate, quam Dominus viris evangelicis, ſicut ipſe dicit, dedit. Et in libro de opere monachorum ducit: Non apparet hæc eſſe illa juſſa, ſed permiſſa, ut quiſque vellet uti, ea uteretur, quod ſcilicet liceret ex Domini conſtitutione. Si quis autem uti nollet, non contra juſſa faceret, ſed de ſuo jure diſcederet, miſericordius & laborioſius converſatus in evan-*

(c) *MS. bibl. Vat. ſign. n.* 4669. *pag.* 73.
Interpretatio pontificia a SS. Patribus petita oſtenditur.
Teſtimonium Auguſtini.
Aliud.

*evangelio, in quo & debitam mercedem nollet accipere: alioquin etiam contra juſſum Domini fecit Paulus, qui poſtea quam oſtendit ſibi licere, ſtatim ſubjecit: Sed non ſum uſus hac poteſtate.* Et infra: *dicit idem Auguſtinus: Acceperant diſcipuli hanc poteſtatem, ordinante Domino, ut qui evangelium nunciarent, de evangelio viverent, eo dicente: Dignus eſt operarius cibo ſuo; qua poteſtate Paulus, aliqua erogans, uti noluit. Liberum ergo eſt uti & non uti hac poteſtate. Et idem etiam dicit Auguſtinus de conſenſu evangeliſtarum, & fuit auctoritas poſita ſupra. Ex quo patet intentio Auguſtini, quod illud non fuit præceptum ſeu juſſum, ſed pro illo tempore utile documentum; & ratio Auguſtini eſt iſta: Verba iſta, nolite portare, &c. & quod reciperet ſumptus ab iis, quibus prædicabat, dicta ſunt ſub eodem textu verborum. Sed illud non fuit præceptum, ſed permiſſum, & conceſſum, quod patet quia tunc Apoſtolus Paulus in non recipiendo peccaſſet, & non ſupererogaſſet, quod eſt falſum. Ergo nec primum fuit præceptum ſed documentum. Præterea hoc fuit dictum Apoſtolis in quantum erant prælati, & in quantum eis ſuccedunt epiſcopi, quod patet quia ut ſic eis debentur neceſſaria, admittenda ab illis, quibus prædicabant vel prædicant, & jus recipiendi habent. Item quia hoc dictum fuit eis quando mittebantur ad prædicandum, prædicare autem competit prælatis ex officio; religioſi autem non niſi ex voluntaria commiſſione Domini Papæ, vel aliorum prælatorum. Item quia ex hoc accipitur forma & inſtitutio prælatorum in eccleſia, ſicut dicit Beda in glo. Luc. x. Sed nullus diceret, quod epiſcopi, cum vadunt ad prædicandum, peccarent mortaliter, ſi haberent aliqua in communi; immo hoc eſſet damnare non ſolum ſtatum prælatorum præſentium, immo & ſanctiſſimos epiſcopos, ſicut Auguſtinum, Ambroſium, Hilarium, & ſic de aliis, qui in communi bona eccleſiæ poſſederunt, & pro ſe & aliis laudabiliter diſpenſaverunt; immo etiam adauctis multis poſſeſſionibus ampliarunt. Ergo non fuit præceptum, ſed documentum. Præterea cum ſub eodem textu verborum dictum ſit Luc. x. Neminem per viam ſalutaveritis, ſi alia eſſent ſub præcepto, & iſtud fuiſſet ſub præcepto, quod non videtur: ſatis enim videtur eſſe durum dicere, quod Apoſtoli, diſcipuli & apoſtolici viri mortaliter peccaſſent, ſi aliquem in via ſalutaſſent, ut dictum ſit per ſapientem eccl. XII. Erubeſcite a ſalutantibus de ſilentio; quare patet, quod non fuit præceptum ſed documentum. Præterea quia omnia illa, de quibus Matth. x. ſit mentio, Chriſtus & Apoſtoli alicubi in ſcriptura leguntur habuiſſe, quod tamen non habuiſſent, ſi fuiſſet præceptum ipſos nunquam habuiſſe. Quod enim primo dicitur: Nolite poſſidere aurum; certum eſt, quod Matth. II. dicitur, quod Magi obtulerunt Domino aurum, thus, myrrham: illud autem aurum non potuit fuiſſe alterius quantum ad dominium, quam ipſius Chriſti, ut deductum fuit ſupra. Item cum ſubjungitur: Neque argentum, neque pecuniam; certum eſt quod loculos Chriſtus & Apoſtoli habebant, in quibus pecunia conſervabatur etiam pro neceſſitatibus ipſorum, ut dictum fuit ſupra. Item actuum IV. ipſi recipiebant pretia agrorum venditorum, pretium autem rei venditæ communiter eſt pecunia; quare, &c. Item cum ſubjungitur: Non peram in in via; certum eſt, quod Lucæ XXII. dicit eis Jeſus: Quando miſi vos ſine ſacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit nobis? at illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed & nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam & emat gladium. Ex quibus verbis patet, quod Chriſtus ſupponebat aliquos de Apoſtolis habere ſacculum & peram. Item cum ſubjungitur: Neque duas tunicas; certum eſt, quod Chriſtus habuit duas vel plures: conſtat enim in multis locis evangelii, ut patet Matth. XXVII. & Luc. XXIII. & clarius Joannis XIX.* Et infra: *Quare patet, quod omnia, quæ ibi videntur eis fuiſſe interdicta, alibi leguntur habuiſſe. Patet ergo, quod non fuit præceptum ſed documentum. Præterea ſi hoc fuiſſet præceptum, Paulus viros apoſtolicos iſta portare non præcepiſſet; cujus tamen oppoſitum apparet ad Titum III.* Et infra: *Quare patet, quod nomen præcepti frequenter ſumitur pro documento, & ſic accepit Marcus, cum dixit: Præcepit eis, ne quid tollerent, &c. Unde ſciendum, quod multa de abjectione temporalium & parentum & aliorum amicorum carnalium ponuntur in evangelio, quæ magis ſunt intelligenda quantum ad præponendum Dominum talibus ſecundum animi præparationem, quam quantum ad abiiciendum prædicta ſecundum effectum exteriorem, cum enim dicitur Lucæ XIV. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus; iſtud non eſt accipiendum, quod tales quantum ad naturam odiantur, cum præcipiamur Matth. v. diligere inimicos; ſed ſecundum Ambroſium ſic intelligendum eſt, ut a Domino parentum amore non deſiſtamus, ita ſcilicet quod præponamus Deum amori carnali parentum; unde ſuper illo verbo Marci x. Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, &c. dicit Theophil. ſic: Non innuit, ut parentes relinquamus, non adjuvantes eos, nec ut ab uxoribus ſeparemur; ſed nos inſtruit præferre honorem Dei ſæcularibus rebus. Et ita etiam cum dicitur Matth. x. Nolite poſſidere aurum, &c. non ſic accipiendum eſt, quaſi Dominus interdixerit Apoſtolis ſimpliciter & univerſaliter habere quodcumque jus in rebus temporalibus; ſed hoc ideo dixit quando miſit eos ad prædicandum, ut abſoluti ab omni cura temporalium, ne prædicatio impediretur, ſcirent ea eis deberi ab illis, quibus prædicabant unde videtur mihi ſecundum expoſitionem ſanctorum ibidem, quod Chriſtus hoc eis interdixit non propter hoc, ut interdiceret eis habere aliquod jus in rebus temporalibus, ſed propter alias cauſas. Primo ut oſtenderet alimenta eis deberi ab iis, quibus prædicabant, & hanc cauſam reddit Hieronymus ſuper illo verbo, dicens quod quodammodo nudos & expeditos Apoſtolos ad prædicandum miſerat, & dura videbatur eſſe conditio magiſtrorum: ſed ſeveritatem præcepti ſequentis ſententia temperavit, dicens; Dignus eſt operarius cibo ſuo; quaſi diceret: Tantum accipite, quantum vobis in victu & veſtitu neceſſarium eſt.* Recenſet docte plures alias cauſas, quas prætermittimus. Idem etiam recte obſervat, licet ſtatuatur, ea verba, *Nolite poſſidere aurum*, præceptiva fuiſſe eo nempe loco & tempore; male tamen a particulari ad univerſalem inferri. Quod etiam perpendit Guido (*a*) epiſcopus Elnenſis adverſus pſeudoapoſtolicos, qui in eo errore Waldenſium deliria erant ſectati.

Et exemplo Chriſti.

Et Apoſtolorum.

SS. Patrum exemplis & operibus idem illuſtratur.

Præceptum pro documento interdum accipitur.

A ſimili confirmatur ex interpretatione aliorum textuum.

(*a*) *Guido ſum. de hæreſ. c. 10. de hæret.*

Superior objectio petita a Waldenſibus.

XV. Septimo Ludovicus, vocavit in crimen hæreſeos Pontificem, quod de clavibus eccleſiæ male ſentiret: *In dicto*, inquit, *ſuo hæreticali ſtatuto, Quia quorumdam, in dubium revocat ſive negat clavem ſcientiæ eccleſiæ catholicæ fore clavem.* Recte id a Joanne contra pſeudominoritas, ut ſuo loco dictum eſt, negatum fuerat: ad decernendum enim fidei articulum non ſcientia tantummodo, qua interdum doctores præcellunt Pontificibus, deſideratur; ſed etiam auctoritas decernendi ex promiſſo Spiritus ſancti ſingulari præſidio; ex quo fit, ut cæteri præſtantiſſimi ſcientia doctores vel ſanctitate conſpicui, aſſertionem fidei condere non poſſint: Certe in formula (*b*) fidei Græcis, Armenis aliiſque ad eccleſiam acceſſuris propoſitum eſt: *Romanus Pontifex*, & infra, *ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debet judicio definire*. Quare hujus auctoritatis defectu perperam Michael, Ochamus, Ubertinus Caſalis, & alii pſeudominoritæ, qui Ludovicum Bavarum male docuerunt, quantumvis ſcientiæ faſtu turgerent in dirimenda fidei controverſia clavem apoſtolicam invaſerunt.

Septima objectio de clavis definitione.

Ad definiendum fidei articulum ſcientia non ſufficit.

(*b*) *Ext. in annal. to. 14. ann. Chr. 1267. n. 75. & to. 15. an. 1318. n. 11.*

Octavo denique inſignem calumniam a pſeudominoritis illatam Pontifici ira incitatus repetit: *Ipſe*, inquit, *in dicto ſtatuto, Quia quorumdam, etiam dogmatizat, quod ſummus Pontifex in iis, quæ ad fidem & mores pertinent, poteſt ſuorum prædeceſſorum definitiones & dicta revocare, & ejus contrarium ſtatuere, quod decernitur in eiſdem.* Prima objectionis pars, nimirum affirmaſſe Joannem, decreta fidei a prædeceſſore edita reſcindi poſſe, ex lectione conſtitutionis refellitur: conſpicuum enim eſt, reſcindi non poſſe: de quo cum lis non eſſet major propoſitione argumenti ab adverſariis facti ſcholaſtico more ſilentio præterita eſt, illuſtratur vero a pontificiæ illius conſtitutionis defenſore (*c*) gemina ratione, tum quia veritas veritati contraria eſſe non poteſt; tum quia principalis decernens extitit Spiritus ſanctus, ejuſque miniſter fuerit Pontifex, atque adeo contra Spiritum ſanctum, cujus inſtinctu decretum fidei editum, tendere non licet; alioquin quateretur fidei fundamentum juxta illud Auguſtini: *Ego evangelio non crederem, niſi eccleſiæ me commoveret auctoritas*; ea vero interiret auctoritas, ſi decretum fidei reſcindi poſſet. Quod vero ad ſecundam partem objectionis a Ludovico factæ ſpectat; diſtinguendum eſt de iis, quæ ad mores ſpectant eſſentialiter, & de iis quæ accidentario pertinent: quæ eſſentialiter ſpectant, inconcuſſa eſſe nunquam Joannes in ſua conſtitutione negavit. De his vero, quæ ſpectant accidentario ad mores, qualia erant ad Franciſcanorum diſciplinam ſpectantia, late diſſerit, variiſque Pontificum exemplis & prædeceſſorum & conciliorum œcumenicorum decreta convelli poſſe demonſtrat: atque in refellenda minori propoſitione argumenti adverſariorum inſiſtit, nimirum decreta prædeceſſorum circa regulam Minorum vel ejus elogia non fuiſſe decreta fidei, in quo tota adverſariorum delirantium vis effundebatur. Ex his patet Ludovicum ex conſilio improborum has fraterculorum fæces moviſſe, & paucorum apoſtatarum partes politico facinore ſuſcepiſſe.

Octava objectio mera eſt calumnia a pſeudomin. ficta.

Refellitur.

(*c*) *MS. bibl. Vat. ſign. n. 4869. pag. 21. 22.*

His ergo de cauſis Bavarus, falſo contendens Joannem hæreticum eſſe, repetendæ ab eo ultionis dolore elatus, hanc ſententiam protulit (*d*): XVI.

*Denuntiamus & declaramus, pronuntiamus & publicamus præfatum Jacobum de Caturco, ex quo, ut dictum eſt, contra fidem catholicam publice aſſeruit & ſtatuit prædicta, & ea manifeſte & notorie promulgavit & publicavit, & pertinaciter pro viribus defenſavit, fuiſſe & eſſe cenſendum hæreticum notorium, & manifeſtum excommunicatum ab omnibus catholicis evitandum, & quia de facto ſe gerit pro Papa: ipſum privamus & depo-*

(*d*) *Ext. apud Nicol. Min. MS. bibl. Vat. ſign. n. 4008. pag. 80.*

Bavarus ſupponens falſo Pontificem hæreticum, eum damnat.

*ponimus, ſive privatum & depoſitum nuntiamus, & omnes ſententias & proceſſus, omniaque per ipſum authoritate papali ſive pontificali a dicto tempore citra facta & geſta, nullos & nulla fuiſſe, nulliuſque roboris & firmitatis exiſtere.* His Bavarus Marſilii & Janduni hæreſiarcharum ſequacem ſe oſtendit, dum Romanum Pontificem exauctorare pertentat; tum ſubiicit.

*Inſuper univerſis, & ſingulis, ſub noſtro imperio degentibus cujuſcumque ſtatus, dignitatis, aut conditionis exiſtant, diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus nullus dictum Jacobum de Caturcho hæreticum, excommunicatum, & omni dignitate, poteſtate, & auctoritate privatum, de cætero habeat, reputet, ſive teneat ſicut Papam, nec eidem pareat ſive obediat tanquam Papæ, nec in hoc præſtet ſibi auxilium, conſilium, vel favorem, publice vel occulte; nec ejus proceſſus aut ſententias, præcepta vel interdicta, a dicto tempore citra prolata, præſumat obſervare, nec eidem tanquam Papæ & ejus nunciis obedire. Quicumque autem contrafacere præſumpſerit vel venire, eum omnibus feudis, quæ ab imperio tenet, ac omnibus gratiis, privilegiis, libertatibus, & immunitatibus a nobis vel prædeceſſoribus noſtris eidem conceſſis, privamus; ad quas pœnas, omnes contrafacientes poſt menſem a publicatione præſentium quoad Italicos, & poſt duos menſes quoad alios noſtro ſubjectos imperio, aſtringi volumus & arctari. In quorum omnium teſtimonium atque fidem præſentem proceſſum conſcribi mandavimus, & noſtræ imperialis majeſtatis bulla aurea ſignoque noſtro imperiali ſolito juſſimus communiri. Dat. & actum in urbe Roma in platea publica extra eccleſiam S. Petri, præſentibus clero & populo Romano, ac multis aliis principibus, tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus, epiſcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, & baronibus, ibidem nobis aſſiſtentibus, XVIII. die menſis aprilis anno Domino milleſimo trecenteſimo XXVIII. indictione XI. regni noſtri anno XIIII. imperii vero primo.*

XVII. (a) Jo. Vill. l. 10. c. 70.

Ingemuiſſe ob tantum facinus bonos omnes, refert Joannes Villanus (*a*): norant enim Pontificem orthodoxi dogmatis aſſertorem, ac Ludovicum, fraterculorum faſcinatum deliriis, illi calumniam hæreſeos impingere, fallaceſque eſſe ejus argutias, quas ab impiis doctoribus hauſerat. Ad quas refellendas non immorabimur, cum Pontificis commentarium, quo hujuſmodi argumenta confutantur, allaturi ſimus (*b*), idque dumtaxat addemus ex Alvaro Pelagio (*c*) ejus temporis ſcriptore, ſtatuta falſa hypotheſi, Pontificem fuiſſe hæreſeos rite accuſatum, haud tamen ad Ludovicum ejus cauſæ cognitionem pertinuiſſe: *Synodus etiam univerſalis*, inquit Alvarus, *in eum, corrigibilem præſertim, juriſdictionem non habet, nec in eum ſententiam depoſitionis profert etiam in hæreſi; ſed dicit ei: Ore tuo judica cauſam tuam, ut per c. In tantum* XXI. *di. Nunc autem ibi: Et dicit ei, ſcilicet Papæ, ſynodus univerſalis; Noli audiri in noſtro judicio, ſed collige in ſinu tuo cauſam tuam; rurſus: Quoniam ex te, inquiunt, juſtificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis; & infr. ib. Et in arbitrio præfati Pontificis tribuit judicare judicium ſuum. Facit eadem di. In tantum, ibi: Quia ponens in cœlum os ſuum, lingua ejus tranſeunte ſuper terram, excommunicationem in S. Leonem Papam dictavit. &* XVII. *§. Hic etiam, ibi: Nec antedictæ ſedis antiſtitem, id eſt, Papam minorum ſubjacuiſſe judicio; & ibi: Epiſcopi vero in ſynodo præſidentes, congregata auctoritate Symmachi, quod eſt notandum, quod etiam in cauſa, quæ agitur contra Papam, ipſe ſynodum congregabit, dixerunt: Symmachus Papa ſedis Apoſtolicæ præſul ab hujuſmodi oppoſitionibus impetitus, quantum ad homines reſpicit, ſit immunis & liber: ſed cauſam ejus totam Dei judicio reſervamus, & per c.* Nemo IX. *q.* III. *ibi: Neque ab omni clero; ubi de hoc notatur, quod concilium non poteſt Papam judicare: no. etiam Oſtien. extr. de conceſſ. præb. Propoſuit, quod ſi totus mundus ſentiret in aliquo negotio contra Papam, quod ſententiæ Papæ ſtandum eſſet, quod verum intellige, niſi eſſet cauſa fidei.*

(b) An. Chr. 1329. n. 22. &c.
(c) Alvar. Pelag. de planctu eccl. l. 1. c. 6.

Temeritas Bavari in damnando Pontifice oſtenditur.

Pontificis cauſa Deo reſervata.

At contra ſenſit cum Joanne XXII. univerſus orbis Chriſtianus in controverſia de paupertate Chriſti, exceptis paucis apoſtatis religioſorum ordinum; quocirca ejuſmodi Fraticellorum hæreſis in ipſo præfocata fomite orbem non pervaſit. Licet autem univerſa eccleſia in adverſam ſententiam contra Joannem inclinaſſet: peccaſſe tamen graviſſime Ludovicum in ferenda adverſus eum ſententia oſtendit Alvarus (*d*), cum Romanus Cæſar in ſummum Pontificem etiam ſontem nullam auctoritatem obtineat: *Quod Papa*, inquit, *vel eccleſia, vel clericus quilibet ab Imperatore judicari non valeat, ſed e contra, tum quia Papa a Deo, non ab homine juriſdictionem recipit, & ab eo ſolo judicandus eſt,* IX. *q.* III. *a §. Solo uſque ad fi. q. tum quia Imperator inferior* XCVI. *di. Si Imperator &c. Cum ad verum, extr. de. maii & obe. Solitæ,* XXI. *di. Interior;* & infra, *tum quia Imperator filius eſt eccleſiæ & non pater* XCVI. *di. Si Imperator: pater vero filium corrigit, non contra; unde & lex erubeſcit filios eſſe correctores patrum in aut. de nupt. §. Si vero,* XXIII. *q.* IV. *Diſ-*

Sentiebat cum Joanne univerſa eccleſia.

(d) Id. Alv. Pel. eod. l. 1. c. 68.

Non ſpectat ad Cæſarem in reum Pontificem ferre ſententiam.

Varia quæ id probant argumenta.



*plicet. verſi. voluntas,* XIII. XLV. *§. Salomon,* XCVI. *di. Quis dubitat; tum quia Imperator imperium tenet ab eccleſia ſicut vaſſallus fidelis,* LXIII. *di. Tibi domino extr. in Clem. de jurejur. Romani principis: ſed vaſſalli reſpondent ſub judicio domini, non contra extr. de judi. Cæterum. Facit quod no. de foro compe. Verum, glo. fin. & quod legitur & no.* XXII. *q.* V. *De forma; tum quia Imperator advocatus eſt & defenſor eccleſiæ extr. de elect. Venerabilem* XCVI. *di. Si Imperator & c. In ſcripturis* XI. *q.* II. *Sacerdotibus: tum quia Imperator gladium recipit ab eccleſia, ut ſupr. in principio iſtius operis probavi; ſed qui gladium ab alio recipit, non illum, a quo recipit, percutit, aut judicat cum eodem. Ad quod bene facit quod legitur & no.* XCVI. *di. Si Imperator, ibi: Et contra illius beneficia pugnare videatur, a quo propriam conſecutus eſt poteſtatem.*

XVIII. Cœleſtis poteſtas terrenæ non eſt obnoxia.

*Facit etiam quod legitur & no. extra de na. ex li. ven. c.* I. *optime quod legitur & no. extr. de poſtu. c. ult. in glo. ult. tum quia Papa non homo ſimpliciter, ſed quaſi Deus in terris eſt, pſal.* LXXXI. *Ego dixi dii eſtis. extr. de tranſl. c.* II. *& c. Quanto ut eccleſia bene c.* I. *Sed homo Deum non dijudicat, Sed e contra,* XI. III. *aliorum. tum quia Moyſes & Joſue & Samuel, qui typum tenent Papæ, ſicut rectores populi generales judicant populum exod. & Joſue quaſi per totum,* I. *Regum* VII. *non e contra: tum quia Papa non eſt de foro Imperatoris, nec ratione papatus, quem non tenet ab imperio, ſed a Deo, Joan. ult.* XXI. *diſt. In novo, nec ratione alicujus rei terrenæ, quam ab Imperatore teneat: nam etſi Imperator donationem fecit eccleſiæ de multis temporalibus.* XCVI. *diſt. Conſtantinus; ipſam tamen donationem liberam fecit, nec fecit eum feudatarium ſuum, aut emphyteotam, aut vaſſallum,* LXIII. *di. Ego Ludovicus* XVI. *q.* I. *§. Novarum & l. placet* XXIII. *q. ult. §. Quamvis l. ſcimus: quæ donatio valida & perpetua eſt, ut no. præ. c. Ego Ludovicus. Si ergo Papa non eſt de foro ejus, judicari non poteſt per eum, ut extra de foro compe. per totum &* XI. *q.* I. *In primis & extra de re ju. c. Paſtoralis in Clemen. ff. de juriſ. omn. juri. l. ult. extr. de eff. le. Novit. extr. de conſt. ut animarum §. fi. lib.* VI. *tum poſtremo, quia nedum non. ſuper Papam chriſtum Domini, ſed nec ſuper aliquem clerum poteſtas aut juriſdictio datur cuicumque laico, quia ſunt clericis inferiores laici & eis infeſti, ut* II. *q.* VII. *in primis* XXII. *c. Uſque ad §. Ex his extr. de accuſ. Cum p. extr. de conſti. Eccleſiæ ſanctæ Mariæ extr. de re eccl. non ali. Cum laicis* XCVI. *di. Bene quidem* XI. *q.* I. *In primis* XXV. *c. uſque ad §. Cum ergo; tum quia hoc quod juris erat de facto & ſancta conſuetudine & debita reverentia hoc omnes Reges & Romani principes ſervaverunt,* XI. *q.* I. *Sacerdotibus* XCVI. *di. In ſcripturis* XVII. *di. §. Tunc eſt.*

XIX. Obſtabant multa in Bavaro, ut jure id poſſet agere.

At ſi Imperator juſtus reum Pontificem judicare non poteſt, multo minus deſignatus Rex diſcordibus ſuffragiis, pontificiaque ſententia exauctoratus, propugnator adverſæ factionis ex dolo politico & apertus hoſtis juſtum Pontificem fidei aſſertorem jure damnare potuit, ut adverſus Ludovicum Bavarum idem Alvarus argumentatur his verbis: *Quod autem Bavarus in imperio intruſus, olim dux Bavariæ cum populo ſtulto & infideli & furioſo, & clero phantaſtico Romano, adulante ſibi, in furia Theutonica & inſipientia ſua & vindicta dominum Papam Joannem XXII. in cujus tempore ſcribo hunc librum, depoſuerunt in Urbe.* Et infra: *Hoc minus etiam eſt ad conſequentiam deducendum, quia nedum Imperator non eſt, ſed intruſus in imperio & tyrannus & lupus rapax, devorans nedum oves eccleſiæ obedientes ſanctæ eccleſiæ matri ſuæ a dextris ſtantes, Jo.* X. *ſed etiam hædos putidos & olidos ſecundum glo. Matth.* XXV. *ſtantes a ſiniſtris, faventes ſibi, filios degeneres & infrunitos,* XCVI. *di. In ſcripturis; & hoſtis eccleſiæ manifeſte,* XCII. *di. Si inimicus, & ab ea juſto judicio reprobatus extr. lib.* VI. *Fundamenta §. Quid plura; & ab eodem Papa Joanne de hæreſi ſententialiter condemnatus. Qualem ergo ſententiam dare potuit in imperio intruſus contra Papam catholicum, cui tota eccleſia, ſicut tenetur, obedit & tenet eum pro Papa, non auditum, non confeſſum, non convictum, non rei evidentia hæreticum? contra illud* XXI. *di. Nunc autem,* IX. *q.* III. *Nemo* II. *q.* I. *Nos in quemquam cum.* V. *c. ſeq. extr. de cohab. cle. & mu. veſtra & c. ultim. ext. in Clem. de re judicata Paſtoralis cum multis ſi. quæ enim ab intruſis fiunt non tenent, ut legitur & no. de conſ. di.* I.

Ut defuerit ipſi auctoritas.

*Hic ergo quomodo potuit, quia non potuit, iſte Bavarus dominum Papam Joannem accuſare, cum ſibi non obediat?* III. *q.* IIII. *Alieni. ibi: Aut Apoſtolicæ ſedis juſſionibus inobedientem ſuſcipere non debemus, ſupple in accuſationem. Item quia infamis, quia juſſa Apoſtolicæ ſedis libenter tranſgreditur: cauſ. c. & q. ca. Si quis Item Bavarus contra Papam conſpirator cum ſuis Gibellinis fuit, non dico de omnibus. Ergo Papam accuſare non potuit, c. cauſa & q. Conſpiratores. Item excommunicatus multis excommunicationibus Papam accuſare non potuit cauſ. ead. Nullus &c. Omnes. Item Bavarus Papæ inſidiator & detractor ab accuſatione ſua repellitur cauſ. c. & q. Clericus qui & c. Detractores. Item Bavarus ſacrilegus propter*

*pter multorum clericorum & religioſorum captionem, & multarum eccleſiarum & monaſteriorum invaſionem*, XII. *q.* I. *Nulli c. Qui abſtulerit, c. De viro* XVII. *q.* IV. *Sacrilegium c. Omnes raptores c. Qui rapit c. Si quis ſuadente & quaſi per totum. Vide hic de Bavaro uſque ad verſ. ſeq. qui incipit, Ad hæc etiam. &* XXVI. *q.* IV. *Quid ergo extr. lib.* VI. *de re judi. Ad Apoſtolicæ. Ne dum non Papam, ſed nec alium accuſare poteſt*, III. *q.* IV. *Nulli unquam & q.* V. *Conſtituimus.*

Suſpecta erant ejus odia.

*Item Bavarus, eccleſiæ & domini Papæ publicus hoſtis & inimicus capitalis, Papam accuſare non potuit, nec in eum ſententiam ferre, etiam ſi alias judex ſuus fuiſſet*, III. *q.* V. *Accuſatores, &c.* Et infra: *Item iſte Bavarus armavit ſe contra Papam ad literam & ſecundum glo. conviciando, vel diffamando eum. Ergo contra eum vel contra quèmlibet epiſcopum admitti non debet in aliquo ad hoc.* III. *q. Omnes, Omnes qui adverſus patres armantur, ut patrum invaſores infames eſſe cenſemus*, Et infra: *Quoniam jubent canonica decreta patrum, ut accuſatio vel teſtimonium eorum, qui odio quolibet perſequuntur, vel qui inimici aut ſuſpecti habentur, nullo modo recipiantur idem.* VI. *q.* I. *Sacerdotes. Quod autem contra eum ſententiam ferre non potuit inimicus, patet.* III. *q.* V. *Quod ſuſpecti ubi de hoc; unde dicitur ibi, quod ſuſpecti & inimici judices eſſe non debent, ut ipſa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis: nam quid gratius & amabilius dare quis inimico poteſt, quam ſi ei ad impetendum commiſerit quem lædere forte voluerit?* Et infra: *Ubi Athanaſius a ſuo patriarcha canonice condemnatus, quia proclamavit, quod inimicus eſſet, a ſynodo Chalcedonenſi recipere ſuam eccleſiam judicatur.* Et infra: *Quæro, inquit, judicium, quod prætendunt, ubinam poſſit agitari? an apud ipſos, ut iidem & inimici ſint & teſtes & rei judices? Quod ſi in judicio, ubi iidem ſunt inimici qui judices, nec humana committi debent judicia, quanto magis divina, id eſt eccleſiaſtica, quis ſapiens & non intelligat?* Et infra: *Nam quodammodo naturale eſt ſuſpectorum judicum inſidias declinare, & inimicorum judicium velle refugere, &c. De iſtis inimicis legitur & no. extr. de off. de l. Inſinuante, ubi etiam no. quod minor inimicitia repellit judicem quam teſtem & de accu. Quam oporteat. Item Bavarus excommunicatus & hæreticus condemnatus dare ſententiam non potuit contra Papam, extr. de re jud. Ad probandum*, XXIV. *q.* I. *§. Sin autem. Cum ſi. Quomodo ergo miſer iſte Bavarus ſæcularis & inferior, & tot dictis laqueis irretitus procedere potuit contra Papam contra illa omnia, c.* XXI. *di. §. In his omnibus, cum c. ſeq. uſque ad fi. di. Sed & concilium, vel potius conventiculum, quod Rom. ſuper hoc fecit (tunc prope Romam eram per tres leucas in eremitorio montis Compatris, a perſecutione & facie Bavari fugitivus in terra Guelforum) acephalum liquet eſſe, ubi de tanta poteſtate, ſcilicet domini Papæ, agebatur, & majorum non fuit expectata ſententia, ut* XXI. *diſt. Submittitur. Vere etiam poteſt dici in hac parte Bavarus beſtia lapidanda, quia montem tetigit ad Hebr.* XII. *exod.* XIX.

Profeſſus erat publice, ſe Pontificis hoſtem.

De Alvaro Auctore, ut tum Roma fugerit.

XX. Bavarus palam in Urbe reprehenſus.

Nec defuere qui Ludovici facinus in ipſa urbe Romana, ejus oppreſſa armis, publice reprehenderint intrepide: refert enim Joannes Villanus (*a*), Jacobum Columnam Stephani filium XXII. aprilis die in S. Marcelli area pontificiam ſententiam adverſus Bavarum latam coram mille Romanis & eo amplius perlegiſſe, conteſtatum ſyndicum cleri Romani verum non extitiſſe, qui adverſus Joannem Papam verba feciſſet; ipſum enim abfuiſſe, & clerum, nimirum Lateranenſis, Vaticanæ, ac S. Mariæ majoris baſilicarum canonicos & alios præcipuos auctoritate clericos, ac viros religioſos Prædicatores & Minoritas, alioſque præpotentis hoſtis vim fuga declinaſſe; reliquos, qui cum Ludovico ſentirent, anathematis nota inuſtos, neque Bavarum verum Imperatorem eſſe: deinde foribus S. Marcelli pontificiæ ſententiæ membranis affixis, cum quatuor ſociis præcipiti fuga Præneſte ſe recepiſſe admodum ex eo caſu Urbe commota, ac Ludovico fremente, tardiuſque ad eum comprehendendum equites immittente. Subdit Villanus, collaudatam a Joanne Jacobi conſtantiam, ipſumque creatum epiſcopum fuiſſe.

(*a*) *Jo. Vill. l.*10. *c.*71.

Egregium Jacobi Columnæ facinus.

XXI.

Inſequenti a divulgata Romæ a Jacobo ſententia pontificia Ludovicus improborum conſilio aliud facinus de redigendis in ſervitutem futuris Pontificibus eſt molitus, ſtatuens enim hanc Marſilii hæreſim, Pontifices non a Chriſto ſed ab Imperatore pontificium jus accipere, ita ipſos eſſe voluit legibus imperialibus obnoxios, ut ſi eas tranſgrederentur, omni pontificia auctoritate exuerentur, hancque ſanctionem edidit (*b*): *Summus Pontifex in urbe Romana continuam reſidentiam facere teneatur, nec extra urbem prædictam ſeu per duas vulgares diætas longe ab ipſa urbe poſſit ullo modo abſentare abſque cleri & populi Romani petita licentia & obtenta; nihilominus in caſu præmiſſo in urbe præfata ſede cum conſiſtorio remanente. Si vero talis ſummus Pontifex contra præſcriptam formam ſe abſentare præſumpſerit, & a clero populoque Romano tertio monitus infra terminum, eidem per dictum clerum & populum moderandum, ad urbem Romanam non redierit*

(*b*) *Ext. in MS. ſched. Vall. bibl.*

Impia lex.



*dierit celeriter, ibidem ut præmittitur continue moraturus, ipſo jure pontificatus ſui honore & dignitate præſentis conſtitutionis auctoritate volumus fore privatum; decernentes ad alterius ſummi Pontificis electionem procedi debere, ac ſi per mortem ipſius naturalem de alio electionem fieri immineret. Data Romæ apud S. Petrum ſub ſigillo majeſtatis noſtræ anno Domini* MCCCXXVIII. *die* XXIII. *menſis april. indict.* XI. *regni noſtri anno* XIV. *imperii vero* I.

Plures ea errores involvit.

At ſi Chriſtus vicarium ſuum orbi dedit, non is utique cæſerea, ſed divina tantum lege collatam a Deo auctoritatem amittet; ni forte Romanus Imperator Deum etiam ſibi eſſe obnoxium contenderit, qui ad cæſareum imperium vices ſuas modo huic modo illi conferret. Voluit utique Marſilius ſceleris auctor Græcorum Imperatorum, qui patriarchas ſuos ut viliſſima habebant mancipia, tyrannidem impietatemque inſtaurari in occidente; cum tamen id in ſummo Pontifice quam in patriarcha pertentare atrocioris ſit flagitii. Meminit de ſuperiori edicto contra ſupremam Pontificis auctoritatem conſcripto Joannes Villanus (*a*) illudque ut par eſt, damnat.

(*a*) *Jo. Vill. l.*10. *c.*72.

XXII.

Prodit ſe præterea illius edicti temeritas, dum Romanis eligendi Pontificis jus confert, cum illud nonniſi a ſede Apoſtolica conferri poſſit. Ad quos autem id vere ſpectet, illuſtrat Petrus Paludanus (*b*) qui primum de Pontificatu Antiochiam Romam tranſlato ita præloquitur: *Eſt*, inquit, *advertendum, quod ſedes Petri non dicitur prima, in qua ſedit, ſed ultima in qua finaliter reſedit, legitime tranſlatus. Petrus qui ſuper univerſalem eccleſiam ſedit, a principio nullam determinatam ſedem ſibi appropriavit; ſed ſedem Jeroſolymitanam Jacobo fratri Domini dimiſit. Poſtea vero Antiochiæ primo ſedit: ſed & illam ſedem reliquit Ignatio martyri diſcipulo S. Joannis Evangeliſtæ. Poſtea vero Romam venit, & illuc ſedem ſuam tranſtulit, & immobiliter illic reſedit: unde non Antiochiæ primo, ſed Romana ultima debet dici ſedes Petri. Verum qui in ſede Romana legitime conſtituitur, ſucceſſor Petri efficitur, & per conſequens plenus & perfectus vicarius Chriſti. Aliud autem eſt de electione epiſcopi, aliud archiepiſcopi, quia electio epiſcopi debet pertinere ad clericos omnes ſuæ diœceſis, vel ad majores clericos, ſicut ad eccleſiam cathedralem, quia præficitur ſolum diœceſi; ſed archiepiſcopus præficitur ſuæ diœceſi ſpecialiter & toti provinciæ communiter: qui autem omnes tangit, ab omnibus debet approbari; unde, quantum eſt de primitivo jure eligendi, non ad ſolam eccleſiam cathedralem cujus ſpecialiter intereſt, ſed ad ſuffraganeos, quibus præficitur, ſpectat electio archiepiſcopi: & ita olim ſervabatur: propter quod in electione B. Nicolai metropolitani Myrenſis eccleſiæ convenerunt epiſcopi ſuffraganei tanquam principales, ad quos ſolos electio pertineret, ſi archiepiſcopus nullam ſedem determinatam haberet. Sed quia difficile eſt ſemper ſuffraganeos convocare, conſtitutum eſt de conſenſu omnium, ad quos ſpectat, quod ad ſolam eccleſiam ſpectat electio archiepiſcopi, ſicut & epiſcopi. Si ergo Petrus mortuus fuiſſet antequam Romæ ſedem elegiſſet, ad primitivam totam eccleſiam, vel ejus conſenſu ad ſolos Apoſtolos quaſi ſuffraganeos pertinuiſſet electio ſucceſſoris Petri: ſed poſtquam Romæ reſedit, de jure communi & ad patriarchas ratione univerſalis eccleſiæ, & ad clerum Romanum ratione appropriationis ſpectat electio, ut videtur. Sed quia difficile erat patriarchas convocare, nec erat tutum ſimplicibus canonicis totum negotium committere, Papa loco patriarcharum & canonicorum Romanorum Cardinales inſtituit, qui Papam eligerent, concurrente tamen ad hoc conſenſu eccleſiæ generalis, ſicut infra plenius oſtendetur: unde qui ſic in Romanum Pontificem eligitur, eſt verus Petri ſucceſſor, & Chriſti plenus vicarius; unde dicit canon concilii Chalcedonenſis: Si quis prædicatur infamis, liberam habeat licentiam appellandi ad beatiſſimum antiquæ Romæ, quem habemus Petrum, petram refugii cum ipſi ſoli libera poteſtate loco Dei ſit jus diſcernendi * epiſcopi criminalis infamia ſecundum claves a Domino ſibi datas.* Ex his ergo patet ad Cardinales ſolos, non ad reliquum clerum Romanum eligendi Pontificis jus ſpectare.

(*b*) *Pet. Palud. de poteſt. eccl. MS. bibl. Vat. ſign. n.*4109.

Demonſtratur Pontificem exemplo Petri ſedem transferre poſſe.

Ad quos ſpectet jus eligendi Pontificis.

* *de*

XXIII. Alia Ludovici Bavari in Pont. ſententia.

Porro a memorato edicto promulgato recurrente quinto die, ſuadente hæreſiarcha Marſilio, Ludovicus capitali ſententia (*c*) ſummum Chriſtianorum antiſtitem damnavit; tantoque ſceleri duas cauſas prætexuit, nimirum orthodoxum dogma a Joanne aſſertum defenſamque Chriſti gloriam, & ob id egregium facinus hæreticum illum eſſe vocitabat; alterum ob imperii in ambigua duorum Cæſarum electione adminiſtrationem veteri inſtituto ſuſceptam, defenſumque jus pontificium, ad quod ſpectabat eam controverſiam legibus dirimere; & hanc Joannis conſtantiam, læſæ majeſtatis crimen appellavit. Replevit Marſilius (*d*) mendaciis, calumniis, hæreſibus, impietatiſque fœdiſſimis notis hanc poſteriorem Ludovici Bavari ſententiam, cujus errores catholici doctores ejus temporis confutarunt. Primum tanquam fundamentum ſtatuit, ut ſe non fuiſſe jure cæſareo exauctoratum probet, ſcilicet imperium æque ac ſacerdotium indepen-

(*c*) *Ext. apud Nic. Min. ſch. MS. bibl. Vat. ſign. n.*4008. *pag.*25. *&c. & in MS. ſched. Val. bibl.*

Lata auctore hæreſiarcha Marſilio.

(*d*) *Muſſ. in Lud. Bav.*

den-

denter & ſine medio a Deo traxiſſe principium, ut nimirum ſacerdotium divina exerceat, imperium autem humanis præſideat. Sed maximum inter utrumque ineſſe diſcrimen, illuſtrat his verbis Hervæus (a), neque ea æque independentia.

(a) Herver. de juriſd. eccl. MS. bibl. Vat, ſign. n. 4109. p. 296.

Sciendum, inquit, *quod licet ita ſit, quod omnis dominus & omnis præſidens, ſive in temporalibus ſive in ſpiritualibus, ſit aliquo modo vicarius Chriſti, ſeu Dei; tamen non eodem modo principes temporales & Papa ſunt vicarii Dei, quia principes temporales, qui acceptantur ad regimen populi ex ipſius conſenſu, non inſtituuntur vicarii Dei expreſſe & immediate, niſi aliqui Reges fuerint, qui revelatione Dei expreſſa fuerint inſtituti: ſed poſſunt dici inſtituti a Deo implicite & mediate, in quantum a Domino inditum eſt rationi humanæ, quod bonum eſt aliquam poteſtatem eſſe eminentem aliis, quæ poſſit compeſcere malos, qui ſcilicet nocent reipublicæ humanæ ut humana eſt, & poſſit conſervare pacem bonorum a moleſtiis talium: unde ſufficit, quantum ad hoc, poteſtas talis inſtituatur, per quam præſidens poſſit compeſcere moleſtias & conſervator eſſe boni humani in republica: nec ad poteſtatem talium pertinet ordinare populum ad gratum obſequium Dei, modo quo fides Chriſtiana potuit, vel etiam quod attendat acceptationem divinam, ſicut fides noſtra docet: propter quod quia conjectura ordinare de bono humano pertinet ad rationem & voluntatem humanam, ideo ſufficit ad inſtitutionem talis poteſtatis conſenſus humanus. Primus autem Papa, ſcilicet Petrus, in tali poteſtate & tali ſtatu expreſſe inſtitutus eſt a Domino, ut ejus vicarius; ita quod ejus prælatio & poteſtas eſt poteſtas, quæ eſt expreſſe & proprie loquendo poteſtas vicarii alterius, & hæc vicaria commiſſa eſt ſibi expreſſe quando dictum eſt ſibi: Paſce oves meas; unde poteſtas Petri expreſſe eſt poteſtas vicarii expreſſe deputati a Chriſto ſuper oves ſuas, &c. Patet minor, quia poteſtas Papæ, quæ ſuccedit Petro non ſolum ut ſimplici epiſcopo, ſed ut generali vicario Chriſti in tota univerſali eccleſia, eſt poteſtas vicarii Chriſti proprie dicti: & per conſequens patet conſequentia, ſcilicet quod inſtitutio poteſtatis papalis pertinet ad ſolum Chriſtum, cujus eſt expreſſe vicarius, &c.*

XXIV. Imperium a Pont. pendere oſtenditur.

Falſum etiam eſt imperium inter fideles independenter a ſacerdotio duxiſſe a Deo principium, quod Alvarus Pelagius epiſcopus Silvenſis pluribus auctoritatibus confirmat (b): *Sicut*, inquit, *unus Chriſti ſacerdos & Rex dominus omnium, ſic unus in terris & omnibus vicarius generalis. Ad hoc Hier. I. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, &c. Jeremias autem ſacerdos fuit typus Papæ: ſic argumentatur Innocentius* III. *extr. de majoritate & obedientia. Solitæ §. Nos autem, ibi: Ut alienum a ſuo demonſtraret ovili, qui Petrum & ſucceſſores ipſius magiſtros non cognoſceret, & paſtores; paſtores autem accipiuntur a Chriſto pro dominis ovium, Jo.* X. Et infra: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, &c. Matth.* XVI. I. *Cor.* XV. *Hebr.* II. *& dict. ca. Solitæ nihil excipiens, qui dixit: Quodcumque,* XXI. *diſt. Cleros, ibi: Antea autem Pontifices & Reges erant, &c. Pſal.* XCVIII. *Et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus, Item Samuel invocator nominis Domini, licet non ſacerdos, figurans Papam, populum Iſrael cunctis diebus ſuis judicavit, & rexit Iſrael,* I. *Regum* VII. *ad fidem. Item Melchiſedech ſacerdos Dei altiſſimi Rex Salem, id eſt Jeruſalem fuit gen.* XIIII. *ultra medium, quia typum Chriſti tenuit, Pſal.* CIX. *Tu es ſacerdos in æternum; & ſic Papæ vicarii Chriſti extr. de tranſl. Quarto item Moyſes ſacerdos, pſal.* XCVIII. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus.* XXII. *di. c.* II. *& no.* XXII. *di. §.* I. *&* LXVI. *di. Porro; qui gerit perſonam Chriſti. de pen. di.* III. *Inter hæc. Et rexit in tota vita ſua populum Iſrael. exod.* VII. *ibi: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis; & Papa Deus eſt Imperatoris*, id eſt ſuperior quod ad directionem attinet, quod alibi hiſce argumentis confirmat idem Alvarus. (c)

(b) Alv. Pel. de plan. eccl. l. I. c. 13.

(c) Eod. lib. c. 37.

*Item omnis poteſtas, quæ in eccleſia eſt, a Deo eſt: Non eſt poteſtas niſi a Deo, Rom.* XIII. XI. *q.* III. *Qui reſiſtit, & Joan.* XIX. *Non haberes in me poteſtatem ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper, facit* XXIII. *q.* I. *Quod culpatur. Sed quæ a Deo ſunt ordinata ſunt, ut dicitur ibidem Rom.* XIII. *Ergo iſtæ duæ poteſtates ſpiritualis & temporalis, quæ ſunt in eccleſia, ordinatæ ſunt. Non autem eſſent ordinatæ, ſed potius diſſipatæ, ſi una alteri minime ſubderetur, facit* LXXXIX. *diſt. Ad hoc. Igitur una alteri ſubjecta eſt. Sed non ſpiritualis temporali, ut* XCVII. *diſt. Quis dubitet cum ſeq. Ergo temporalis ſpirituali tanquam digniori,* XCVI. *di. Duo ſunt. Item omnis poteſtas dependens in eſſe ab alia ſicut a totali cauſa eſt illi ſubjecta. Sed poteſtas temporalis eſt hujuſmodi reſpectu ſpiritualis. Igitur eſt illi ſubjecta.* Et infra; *Item ſicut videmus in majori & minori mundo naturali, ſic & in mundo myſtico, id eſt in congregatione hominum, & maxime fidelium debemus arguere eſſe: Sed in majori mundo naturali videmus, quod corpora inferiora regulantur & ſubiiciuntur corporibus cæleſtibus; & corpora cæleſtia ſpiritibus, ſcilicet intelligentiis & motoribus: ita ſimiliter & in minori mundo, id eſt in homine, corpus regulatur & ſubiicitur animæ naturaliter & ab*

Temporalis poteſtas obnoxia ſpirituali, ut ea dirigatur.



*& ab ea vitam recipit, ad hoc* LXXXIX. *di. ad hoc de pœn. di.* I. *Reſuſcitatus ſub §. Hoc idem ſecundum Aug.* X. *de civitate Dei c.* VI. *anima utitur corpore ſicut ſtimulo & inſtrumento. Igitur ſic erit in mundo myſtico, qui eſt univerſalis eccleſia, quæ poteſtas temporalis regulabitur & ſubiicietur ſpirituali, & per conſequens Imperator Papæ.*

XXV. (a) Bell. l. 5. de Rom. Pont. c. 6.

Urget hoc argumentum Robertus Card. Bellarminus (a) in libro de Romano Pontifice, oſtenditque ut conjunctæ carni ita præeſt ſpiritus, ut ſi actiones carnis fini ſpiritus officiant refrænet ſenſus, carnem maceret, immo & aliquando, ut in martyribus, morti obiiciat; ita politicam poteſtatem conjunctam & ſubjectam ſpirituali inter Chriſtianos, ut ſi politica aberret ab ultimo fine, a ſpirituali coercenda ſit: imperare vero politicæ ſpiritualem probare pergit Alvarus.

Dirigenda utique ad ultimum finem.

*Illa poteſtas principatur & imperat alteri poteſtati, ad cujus actum tanquam ad finem ordinatur actus alterius poteſtatis. Sed ad actus proprios poteſtatis ſpiritualis, qui ſunt Deum colere in ſacrificiis, quibus vult ab homine coli, & regenerare homines ſacramentis eos ordinantibus ad vitam æternam, immediate ordinatur poteſtas temporalis ſive imperialis & ejus actio ſicut ad finem, dicente Auguſtino* V. *de civitate Dei c.* XXIV. *Nec enim nos Chriſtianos quoſdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt; vel quia imperantes filios morte reliquerunt,* & infra: *ſed ſi juſte imperant, & poteſtatem ſuam ad Dei cultum maxime dilatandum ordinant. Unde & Iſidorus: Cognoſcant principes ſæculi Deo ſe debere eſſe reddituros rationem propter eccleſiam, quam Chriſto tuendam ſuſcipiunt, & c.* XXIII. *q.* V. *Principes. Igitur poteſtas ſpiritualis imperat temporali, & Papa Imperatori. Coſirmatur etiam hoc, quia illa poteſtas, quæ immediatius & directius ordinatur ad finem ſimpliciter ultimum conſequendum, eſt ſimpliciter ſublimior illa, quæ non niſi mediante illa ordinatur ad conſequendum illum; ita quod ſicut finis eſt ſub fine, ſic & poteſtas ſub poteſtate* XI. *q.* III. *Qui reſiſtit. Sed poteſtas ſpiritualis immediate ac directe ordinatur ad finem ſimpliciter ultimum conſequendum, ſcilicet vitam æternam,* XCV. *di. Eſto ver. Recordemur. Poteſtas vero temporalis non niſi mediante ſpirituali, pro quanto ſcilicet ordinatur ad cultum Dei dilatandum & defendendum, ut per c. Principes, qui cultus eſt actus poteſtatis ſpiritualis. Ergo poteſtas ſpiritualis eſt ſimpliciter ſublimior temporali.* Et infra.

Spiritualis poteſtas ſublimior oſtenditur.

*Chriſtus eſt Rex Regum & dominus dominantium. Igitur & Papa ejus vicarius eſt & Rex. Hoc eſt etiam quod dicit Apoſtolus ad Epheſ.* I. *quod Deus omnia ſubjecit ſub pedibus Chriſti, id eſt ſub humanitate ejus ſecundum glo. quia ſicut pes eſt inferior pars corporis, ita humanitas eſt inferior natura in Chriſto, & ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius: ubi gl. dicit, quod proprie dicitur caput eccleſiæ ſecundum humanitatem, ſecundum quod conjungitur ei natura & gratia. Sed Papa ſolus eſt ejus vicarius, ut ſæpe dictum eſt. Igitur ipſe ſolus eſt caput eccleſiæ militantis, vel tenet capitis Chriſti locum, cui omnia membra eccleſiæ ſunt ſubjecta ut Chriſto, qui fuit Rex & ſacerdos. Ad hæc* XIX. *di. Ita Dominus extr. lib.* VI. *de elect. Fundamenta: unde & Petro vicario ſuo dixit Jo.* I. *Tu vocaberis Cephas, quod latine ſonat caput, eo quod pro capite ſit conſtitutus Apoſtolorum, ut dicit Papias* XXI. *diſt. In novo* XXII. *di. c.* I. *Unde & clerici qui ſub nullius diſciplina vel providentia epiſcopi vivunt, acephali vocantur,* XCII. *di. Nulla ratione.*

*Item apud illum reſidet regalis ſive imperialis dignitatis plenitudo, cui de jure competit imperium transferre, quod eſt uni auferre & alteri conferre; jus & poteſtatem eligendi Imperatorem tribuere, electum examinare, inungere, conſecrare, & per conſequens approbare vel reprobare. Sed hæc omnia de jure competunt Papæ, ut dicitur extr. de elect. Venerabilem, & in Clem. de jure jur. Romani principes, & in Clem. de re judicata Paſtoralis curæ, & extr. li.* VI. *de re judi. Ad Apoſtolicæ; & de hoc ſupra dixi in* XIII. *c. ver. item tenet. Facit ad hoc quia Papa privat etiam Reges regnis, & ſubſtituit alios, & abſolvit fideles a fidelitate eorum, poteſt etiam nedum ipſe ſed etiam quilibet epiſcopus,* juſta nimirum de cauſa, ac ni prohibeantur ab Apoſtolica ſede, *Reges & Imperatores excommunicare: ad hæc* XV. *q.* III. *Alius & c. Nos juratus extr. lib.* VI. *de ſup. neq. li. præ Grandi* XCVI. *di. duo. Item apud illum reſidet poteſtatis plenitudo, ad cujus judicium referri debet omne arduum vel ambiguum vel difficile, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus. Sed talis eſt Papa, ut per c. Per venerabilem extr. q. fi. Sint legi, &c. Item ille eſt ſimpliciter prælatus omnium & monarcha, ex cujus judicio pendent omnes, & qui pro omnibus eſt redditurus in divino judicio ſeu examine rationem, hi enim ſunt actus prælati. Sed Papa eſt hujuſmodi, ut* XVCI. *di. Duo ſunt, &* IX. *q.* III. *Aliorum. Ergo &c. Etſi dicatur quod eſt monarcha in ſpiritualibus & non in temporalibus, non eſt verum, quia propter contemptum in ſpiritualibus Papa punit Imperatorem in temporalibus,* LXIII. *id. Adrianus.*

Sacrat imperialem illique dat principium.

XXVI. Eam judicat.

*Item ille eſt major alio, qui ipſum judicare, & a quo judicari non poteſt. Sed Papa poteſt Imperatorem judicare & omnem hominem, & a nemine judicari*, XL. *di. Si Papa &* IX. *q.* III. *Nemo. Ergo, &c. & de hoc ſupra dixi. Item luna a ſole recipit luminis dignitatem; & Imperator luna a Papa ſole culminis dignitatem, ſic arguitur per c. Solitæ extr. de major. & obed. Item Hugo de ſacramentis lib.* II. *part. 2. c.* IV. *dicit, quod quantum vita ſpiritualis dignior eſt quam terrena, & ſpiritus quam corpus, tantum ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem ſive ſæcularem honore ac dignitate præcellit, nam ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem & inſtituere habet ut ſit, & judicare habet, ſi bona non fuerit: ipſa vero a Deo inſtituta eſt primum, & cum declinat, a ſolo Deo judicari poteſt, ſicut ſcriptum eſt* I. *Cor.* II. *Spiritualis judicat omnia, & ipſe a nemine; & hoc declaratum eſt expreſſe in populo Iſraelitico, ubi primum a Deo ſacerdotium inſtitutum eſt; poſtea vero per ſacerdotium, jubente Deo, regalis eſt poteſtas ordinata. Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur, Reg.* VIII. *Dedit eis Regem Saulem.*

*Item Ambroſius oſtendit in ſuis ſcriptis, quod aurum non tam pretioſius ſit plumbo, quam regia poteſtate ſit altior ordo ſacerdotalis. Item idem: Sublimitas epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari, ſi Regum fulgori compares & principum diademati, longe erit inferius quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas Regum colla & principum ſubmitti genibus ſacerdotum, & oſculata eorum dextera, orationibus eorum credant ſe communiri*, XCVI. *di. duo ſunt. Item Joannes Papa: Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas eccleſiaſticis præſulibus non præferre*, XCVI. *di. Si imperator. in fi. Dicendum eſt ergo, quod apud Papam reſidet vere & originaliter utriuſque poteſtatis & juriſdictionis plenitudo.*

(a) Eod. l. I. c. 56.

Opera imperialia nobiliora modo exercet poteſtas ſpiritualis.

Ut vero illa temporalis poteſtas aliter in ipſo quam in principe conſiſtat, explicat inferius Alvarus (*a*): *Præbabet*, inquit, *poteſtatem temporalem, non tamen ſecundum eundem modum, ſecundum quem habetur a principe temporali; ſed modo digniori & perfectiori: non enim ſic habet eam, ut exerceat ejus opera immediate, niſi in aliquibus caſibus, extra qui ſi ſint leg. Per venerabilem §. Rationibus; ſed agit opera ejus nobiliori modo, ſcilicet imperando & dirigendo, & ad ſuum finem operibus ejus utendo. Propter quod principes omnes temporales obedire debent ei, apud quem ſpiritualis poteſtas in ſummo reſidet, tanquam ſummo domino noſtro Jeſu Chriſto; extra de ma. & obe. Omnes principes; & ipſum ſicut ſuperiorem & ſicut caput recognoſcere, ipſumque revereri & honorare, atque ei ſubiici.* Pervertere niſi ſunt hunc ordinem Ludovici conſultores impii, qui Chriſti vicarium in ſervitutem redigi, ac veluti plebium Germanum ſubiici voluerunt.

XXVII. Obiectio de bello ſacro indicto a Pont. refellitur.

Præterea objecit Bavarus velut immane facinus Joanni Papæ, indictum fuiſſe ab eo ſacrum bellum tyrannis Gibellinis, & Chriſti fideles in illos ſacris præmiis concitatos: quod aſperiori verbo vocat, abuſum gladio ſanguinis, & indulgentias pro homicidiorum ſtipendiis contuliſſe. At juſte ſacrum bellum a Pontifice non modo contra infideles, ſed etiam improbos Chriſtianos divini humanique juris everſores geri, demonſtrat Auguſtinus Triumphus Eremitanæ S. Auguſtini familiæ religioſus vir hiſce verbis (*b*): *Dicendum*, inquit, *quod Chriſtiani cum peccant, gravius puniendi ſunt, quam pagani vel Judæi; promittunt enim in baptiſmo diabolo & pompis ejus renunciare, & ipſi Chriſto per fidem & charitatem incorporari: ſi ergo contingat aliquos Chriſtianos diabolicis inſtigationibus ſic ſuperari & implicari, ut tunicam Chriſti inconſutilem velint ſcindere, & a capite eccleſiæ tyrannica violentia ſe ſubtrahere, tanquam mendaces effecti promiſſionis factæ in baptiſmo per crucem Chriſti compeſcendi ſunt magis quam pagani vel Judæi, quia ut dicitur* II. *Petri* II. *Melius erat eis viam veritatis non cognoſcere, quam poſt agnitionem retrorſum reverti ab eo ſancto mandato, quod traditum eſt eis; & ſignanter dicit melius, quia minus malum eſt pati injuriam ab extraneis, quam a familiaribus amicis, ut glo. dicit.* Ad argumentum adverſariorum contendentium, cruceatam militiam in Chriſtianos cruce inſignitos non effundendam, reſpondet idem Auguſtinus: *Non eiicitur*, inquit, *cruceſignatus cruce in quantum eſt crucis Chriſti imitator, ſed ut eſt vicarii Chriſti contemptor, & membrorum Chriſti perſecutor: dicit enim Chryſoſtomus in homilia de laude crucis, quod crux Chriſti eſt conſolatio pauperum, refrænatio divitum, deſtructio ſuperborum, tyrannorum pœna, triumphus contra dæmones, obſeſſorum murus, pater orphanorum, defenſor viduarum.* Licet vero belli exitus fefellerit Pontificem, haud tamen conſilium ex eo damnandum; ſed divina adoranda providentia, quæ etiam cruceſignatos exercitus ab infidelibus deleri ſæpius paſſa eſt.

(b) Aug. Triumph. de poteſt. eccl. q. 26. art. 5.

XXVIII. Mota nova quæſtio a Lud. ſua ſent.

Ludovicus porro poſt detorta in alienum ſenſum aliqua divina oracula, ut ſe pontificiæ auctoritati ſubducat, hanc concluſionem elicit: *A Deo in ipſa electione juriſdictionem & poteſtatem in temporalibus nos ſoli recipimus, dum eo ipſo quod ſumus electi & confirmati, nulla prorſus*



*ſus confirmatione fienda per hominem indigemus.* Primum in his Ludovicus ab avitis legibus deflectit: Henricus enim, ut antiquiores prætermittam, Albertus, Rudolphus, cæterique Germani Cæſares, ut publica eorundem monumenta docent, etiam concordibus electi ſuffragiis, agnovere pontificia ſe indigere confirmatione, eamque nuncupato fidei ſacramento popoſcere. Præterea quamquam in ipſa electione a Deo cæſarea juriſdictio confertur, haud tamen negandum, quin medio Pontifice, qui ſeptemviratum conſtituit, mediis principibus qui eligunt, mediis imperii ordinibus qui conſentiunt, conferatur: quod ita illuſtrat Alvarus (*a*).

Spectare ad Pont. confirmare Cæſarem oſtenditur.

(a) Alv. Pen. de plan. eccl. A. I. c. 36.

*Ad illud c.* XCVI. *di. Si Imperator, ubi dicitur, quod divinitus Imperator conſecutus eſt ſuam poteſtatem, & ad illud quod dicitur ibi in glo. argumentando, non ergo a Papa; reſpondeo quod hoc non ſequitur ex textu, ſed eſt fallacia conſequentis: ſicut non ſequitur, Gentes divinitus ſunt conſecutæ baptiſmum. Ergo non mediantibus Apoſtolis; ſimiliter, Aaron & filii ejus divinitus conſecuti ſunt ſacerdotium. Ergo non mediante Moyſe, cum exod.* XXVIII. *dixerit Deus Moyſi: Veſties his omnibus Aaron fratrem tuum & filios ejus cum eo, & cunctorum conſecrabis manus, ſanctificabiſque illos, ut ſacerdotio fungantur mihi. Et de hoc* XXI. *diſt. 55. 1. ibi: Qui ex præcepto Domini Aaron, &c. Sic quod Papa facit, Deus facit, extr. de tranſlatione, Quanto ver. non enim. Et quod Imperator habet ab eccleſia, a Deo habet. Nunquid enim non habet approbationem ſui juris, conſecrationem, unctionem & diadema a Deo, ex quo habebat a Papa? ut præ. c. Romani principes de jurejur. Quis ſapiens negaret hoc? Deus enim aliqua facit immediate, ut quæ creat; aliqua vero mediante creatura in exemplis poſitis ſupra, & in exodo frequenter dicitur: Locutus eſt Dominus ad Moyſem; & intelligunt ſancti per interpoſitam creaturam per angelum, & utraque poſſunt dici divinitus eſſe facta. Ad. c.* IV. XXIII. *q.* IV. *quod dicit, poteſtates temporale a Deo fuiſſe conceſſas; verum eſt, quia omnis poteſtas ſive imperialis ſive alia a Deo eſt immediate & principaliter, ad Rom.* XIII. *in prim.* XXIII. *q.* I. *Quia culpatur; & mediate, quia poteſtas ſub poteſtate eſt*, XI. *q* III. *Qui reſiſtit, quia miles a poteſtate recipit gladium*, XXIII *q.* V. *Miles & Imperator ab eccleſia, ut ſupra plurimum eſt probatum.*

Imperium eſſe a Deo non excludit, quin medio Pontifice.

XXIX. Ludovici jactantia de dato ſibi divinitus gladio.

Quod vero Ludovicus ut rite patraro facinus videatur, jactat ſibi ſoli gladium divinitus ad vindictam malefactorum traditum; auctoritatis ſuæ limites plus æquo amplificat, dum gladium vertit in Pontificem: etſi enim ſtatuamus juſtum Cæſarem fuiſſe, is certe tantum in ſubditos Germanos Italoſve aliquos, non in alios puta Gallos, Anglos, Hiſpanos, Polonoſve malefactores exercere potuit: multo minus in Pontificem, a quo gladii poteſtatem mediis electoribus acceperat, cuique fidem addicere ſacramento tenebatur, quem Gallus, Hiſpanus, Boemus, Polonus, Anglus, Siculus, Ungarus, Danus, Norvvegus, Suecus, Cyprius, Rhodius, Armenus, ut patrem & dominum colebant; quemque etiam ipſe Germanus Cæſar ſingulari alio titulo tanquam fidei ſacramento obſtringendus avito jure & exemplo pari obſequio complecti debebat. Producta jam ſunt a nobis de ea re plurium Cæſarum monumenta; nunc quæ de his adverſus ſchiſmaticos ſcripſit Alvarus (*b*), breviter perſtringemus; *Item*, inquit, *nulli dubium eſt, quod Imperator fidelis eſt eccleſiæ, & fidelitatem ſibi jurat, ſicut ſæpe ſupradictum eſt*, LXIII. *di. Tibi domino, & extra de jurejurando, Romani principes Clem. Et inde eſt ratio quare facilius Papa contra ipſum procedit a depoſitionem, quam contra alios Reges; & Papa ſibi enſem porrigit, & ipſum coronat, & inungit tanquam defenſorem principalem eccleſiæ & protectorem eccleſiaſticæ libertatis. Et quod non adminiſtrat ante confirmationem Papæ, licet contra no. Inno. & Oſtien. extr. de elect. Venerabilem, & ſupra dixi, apparet præcipue per quandam extravagantem apologeticam domini Innocentii* IV. *qui depoſuit Fredericum, quam per totum orbem miſit: dicit enim ibi Innocentius inter alia: Aliud enim eſt in aliis Regibus, qui a ſuis Pontificibus inunguntur, extr. de ſacra unct. c.* I. *a quibus pro temporalibus ſubjectionibus fidelitatis accipiunt juramenta: facit* XI. *q.* I. *placuit* I. *&* XXIII. *q.* VIII. *§. Ecce. aliud in Romano principe, qui Romano Pontifici, a quo imperii honorem & diadema conſequitur, & fidelitatis & ſubjectionis vinculo aſtringitur, ſicut antiquitas tradidit, & modernitas approbavit. Item aliud inquit Innocentius, eſt de reliquis Regibus, in quibus pro hereditaria ſucceſſione ſuorum proveniunt jura regnorum: aliud de Imperatore Romano, qui per liberam Germaniæ principum electionem aſſumitur, in quos jus & poteſtas eligendi Regem, in Imperatorem a nobis poſtmodum promovendum, ſicut ipſi non abnuunt ſed fatentur, ab Apoſtolica ſede pervenit, quæ olim a Græcis imperium tranſtulit in Germanos. De hoc extra de electione Venerabilem, & in præc. cap. Clem. Romani principes.* In quo utique cæteris Regibus Cæſar inferior non erit, ut pravi politici argumentari voluerunt. Sed ſemper fuit auguſtior, cum in Pontifice Chriſto ſe ſubmittat, cui quo magis

Eo in Pont. etiam malefactorem non potuiſſe uti oſtenditur.

(b) Eod. l. I. c. 43.

Magis Pontifici obnoxius quam ſint cæteri Reges.

Non ex inde iis inferior, ſed ſublimior.

gis ſe ſubmittunt Reges, eo ſublimior illorum dignitas effloreſcit. Subdit Alvarus: *Et licet de hoc jus antiquum non reperiatur expreßum, longa conſuetudine eſt hoc approbatum: de facto enim & conſuetudine a trecentis & quinquaginta annis & amplius invenimus Imperatores coronatos ab eccleſia, antequam imperii officium proſequantur; conſuetudo autem loco juris ſuccedit cum jus deficit, di.* I. *Conſuetudo. Conſuetudo autem eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege accipitur cum deficit lex, ubi de hoc etiam no. & extra de conſue. cap. ult.* Hæc Alvarus Pelagius, cui de gerenda a Cæſaribus in Pontificem obſervantia adjungere lubet inſignem ſententiam S. Bernardi (*a*) in epiſtola ad Conradum Imperatorem ſcribentis ſubjectum ſalubre monitum: *Legi, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; quam ſententiam cupio vos, & omnibus modis moneo cuſtodire, & in exhibenda reverentia ſummæ & Apoſtolicæ ſedi & beati Petri ſucceſſori, ſicut ipſam vobis vultis ab univerſo ſervari imperio.* Ex eo ergo, conſtat Pontificem non eſſe ſubditum Cæſari, nec futurum reum *læſæ* majeſtatis.

(*a*) *Bern. ep. ad Conrad. Imp.*

Cæſar ita ſubjectus eſſe debet Pontifici, ut ſuos ſibi vult ſubjectos.

XXX. Ex hypotheſi quod vera crimina Joanni ſint objecta a Bavaro damnari non potuit.

Sed eſto fuerint ea vera Pontificis crimina, quæ Ludovicus in ſuæ ſententiæ formula cumulat de averſis Armenorum auxiliis, fœdato ſtragibus Brandeburgenſi principatu, concuſſa bellis Italia, oppugnata dignitate cæſarea; non tamen ob hæc vel aliam criminum molem præter hæreſim Pontifex gradu papali deturbari poteſt, nedum a Cæſare, ſed ne quidem ab univerſali eccleſia, ut docte probat ſubjectis verbis (*b*) Petrus Paludanus, de quo ſupra memoravi: *Dicendum,* inquit, *quod Papa in nullo caſu, quamdiu eſt Papa, propter quodcumque crimen poteſt nec a concilio, nec a tota eccleſia, nec a toto mundo deponi: non ſolum quia eſt ſuperior, ſed quia eſt a Deo, qui ſibi Romani præſulis, quamdiu præſul eſt, judicium reſervavit,* IX. *q.* III. *Aliorum. Sed quando labitur in hæreſim, tunc eo ipſo præciſus eſt ab eccleſia, & deſinit eſſe caput, & tunc deponitur de facto, non de jure, quia qui non credit, jam judicatus eſt: de jure ſcilicet hoc eſt ante judicium, quia eo ipſo quod eſt hæreticus, ab eccleſia eſt præciſus: non poteſt autem caput a corpore præciſum, quamdiu eſt præciſum, caput eſſe illius corporis, a quo eſt præciſum; unde Papa per hoc deſinit eſſe caput corporis eccleſiæ, quod ab illo præciditur per hæreſim ipſo facto, ſecundum illud deuteronomii* XIV. *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem. Unde hæreticus non poteſt eſſe nec manere Papa, quia extra eccleſiam non poteſt habere claves eccleſiæ. Per peccatum autem eſt caput languidum, & non propter hoc deſinit eſſe caput, nec poteſt a membris per conſequens judicari. Quia ergo Marcellinus Papa, qui idololatraverat, non fuit judicatus de facto, ſed dictum eſt ei: Tu ipſe judica cauſam tuam, di.* XXI. *nunc autem, hoc eſt quia non erat hæreticus, quia a fide nunquam deviaverat animo, ſed metu tormentorum ſacrificaverat idolis; potiſſime propter hoc, quia papatus, qui non eſt ab homine, non poteſt ab homine judicari: unde propter quodcumque crimen, quo Papa non deſinit eſſe Papa, ſicut eſt omne aliud præter hæreſim proprie dictam, Papa ab homine judicari non poteſt, ſed reprehendi poteſt, ſicut Paulus in faciem reſtitit Petro, quia reprehenſibilis erat; ita quod in malis non eſt ei obediendum, ſed reſiſtendum.* Et infra: *Iſte, qui habet ſuperioritatem a Deo, non ſubjectus, niſi per hæreſim a communitatis corpore dividatur, ſemper manet communitate ſuperior; unde non poteſt ab ea aliquatenus judicari: & ideo Papa ſolius Dei, qui ſolus ſuperior ejus eſt, judicio reſervatur. Secunda ratio talis eſt: Poteſtas quæ excedit poteſtatem eccleſiæ, non eſt ab eccleſia, quia nemo dat alteri quod non habet. Sed poteſtas Papæ ſolius excedit poteſtatem totius reſiduæ eccleſiæ, quia in omnibus aliis eccleſiis a Romana eſt pars poteſtatis, in ſola Romana, id eſt in ſolo Papa eſt plenitudo poteſtatis,* XI. *di. Quare, ut dictum eſt. Ergo poteſtas non poteſt eſſe ab eccleſia.* Nonnulliſque interjectis hæc ſubiicit. *Quilibet in eo, in quo non eſt alicui ſubjectus, poteſt ſe alteri ſubmittere, qui filii ſunt leg. c. Per venerabilem, & ideo populus nulli ſubjectus poteſt ſibi rectorem præficere, cui ſubmittat ſe in humanis & civilibus: & ſicut liber vendens ſe ad pretium participandum, ſe emptori ſubiiciendo, facit cum dominum ſuum, ſic populus ſe ſubiiciendo voluntarie alicui, ut principi vel rectori facit eum principem ſuum, dans ſuper ſe poteſtatem in civilibus & humanis, & iſta poteſtas erit in illo virtute, in quantum potens erat ſe ſubiicere. Sed poteſtatem ſpiritualem non poteſt populus conferre; unde nullo conſenſu populus poteſt ſibi aliquem præficere in curatum, nec ſe alicui ſubiicere, ut curato, ſic quod det ei poteſtatem ſe abſolvendi in foro conſcientiæ, cum illa poteſtas non ſit niſi a Deo: ideo nulla conſuetudine ſola poteſt quis ſibi eligere confeßorem, de pœn. c.* II. *l. di. nec ſimiliter poteſt ſibi aliquem præficere in epiſcopum ſic, quod ab eis habeat poteſtatem confirmandi & ordinandi, quod non eſt niſi a Deo. Ita ſimiliter cum Papa in eo, quod Papa, habeat plenitudinem poteſtatis; ex quo poteſt aliquid, quod totus mundus non habet formaliter nec virtute, ſicut quod poteſt dare,*

(*b*) *Palud. de eccl. poteſt. MS. bibl. Vat. ſign. n. 4109. pag. 229.*

Nec a ſynodo œcumenica, ſi non ſit hæreticus.

Rationes hujus rei.



*re indulgentiam pleniſſimam, quod poteſt reſtringere materiam ſacramenti matrimonii, multiplicare miniſterium confirmationis & ordinis & hujuſmodi. Iſta poteſtas, quæ non reſpicit humanum judicium nec civile, non eſt in virtute populi eligentis.*

XXXI. *Sed contra eſt, & videtur quod eccleſia Romana habeat primatum ab ordinatione univerſalis eccleſiæ ſive conciliorum tripliciter. Primo modo per ſimile de Imperatore, quia ſicut Papa præeſt in ſpiritualibus, quæ ſunt propria clero; ſic Imperator in temporalibus, quæ ſunt propria populo: unde iſti duo ſunt quaſi duo magna luminaria in mundo. Sed Imperator præeſt populo in temporalibus ab electione populi. Ergo Papa in ſpiritualibus ab electione cleri, all. di.* XCIII. *Legimus in medio, ubi dicit gloſſa, quod exercitus facit Imperatorem. Reſpondeo non eſt ſimile, quia Imperator non habet poteſtatem niſi temporalem, terrenam, & mundanam, quam populus, ſe ei ſubiicienda, poteſt ei dare: licet enim privatorum conſenſus judicem non faciat eum, qui nulli juriſdictioni præeſt. C. de juriſdictione ord. judic. le. Privatorum; tamen populi conſenſus poteſt facere judicem in temporalibus. Sed in ſpiritualibus nullorum hominum conſenſus facit judicem illum, qui non eſt per quamcumque ſubmiſſionem; unde nulla ſubmiſſione poteſt ſe quis ſubiicere excommunicandum illi, qui aliter excommunicare non poteſt. Verum quia Papa ut Papa habet ſpiritualem poteſtatem, qualis non eſt in tota reliqua eccleſia, ut dictum eſt, ideo illam per nullam electionem ſolum acquirere poteſt.*

A quo habeat ſuam auctorit. Pap.

Non habet a clero quamvis eo mediante.

*Secundo arguitur per illud, quod dicitur.* III. *q.* VI. *Dudum ubi dicitur, quod ſancti Apoſtoli ſucceſſoreſque eorum ſanctam Romanam eccleſiam primatem omnium eccleſiarum eſſe voluerunt: ex quo videtur, cum Apoſtoli & eorum ſucceſſores fuerint puri homines, quod a puris hominibus eccleſia Romana habuit principatum. Solutio ſicut ſupradictum fuit de Petro, ita & hic de ſua eccleſia dicendum eſt, quod a ſolo Deo primo & principaliter habuit principatum de jure; ſed a conciliis & patribus volentibus voluntati Domini obedire, ſicut debebant, de facto obtinuit principatum. Sed tertio obiicitur contra hoc, & videtur, quod immo etiam principaliter a conciliis, conſequenter autem a Domino approbante* XVII. *di. Huic etiam ſedi, ſcilicet ratione primi Apoſtoli Petri meritum, deinde ſecuta juſſione Domini conciliorum reverendorum auctoritas ſingularem in eccleſiis tradidit poteſtatem. Sed dicendum, quod licet in præferendo Romanam eccleſiam aliis meritum Petri præceſſerit Domini juſſionem quantum ad hoc, quod Dominus in perſona Petri eccleſiam fundavit, & ibi voluit eſſe primatum, ubi Petrus finaliter reſideret; tamen Petrus fuit cauſa meritoria tantum, ſed Chriſtus effectiva, concilia vero ſequentia cauſa executoria de facto tantum.*

Non a conciliis niſi ſecundario.

*Secunda concluſio principalis, ſcilicet quod Papa præeminentiam & plenitudinem, quam habet in eccleſia, non habet ab homine, ſed a Deo, probatur multipliciter. Primo ſic: Succeſſor Petri habet in tota eccleſia non ab homine, ſed a Deo præeminentiam ſuper omnes & plenitudinem poteſtatis. Papa ſive Pontifex Romanus eſt hujuſmodi. Ergo &c. Major patet, quia illa plenitudo & præeminentia poteſtatis, quæ fuit in Petro, tranſit ex dono Chriſti ad Petri legitimos ſucceſſores: ſicut enim Adam quædam dona habuit perſonalia, ſicut omnem ſcientiam, quædam vero pro ſua poſteritate in ſtatu innocentiæ, ſicut originalem juſtitiam; ſic & Petrus quædam dona a Chriſto habuit pro ſua perſona, ſicut miracula, ut quod ad ejus umbram ſanarentur infirmi, quædam vero pro ſucceſſoribus ſuis in eccleſia, & hæc ſunt prima, ſine quibus eccleſia non ſtaret, ſicut claves ligandi & ſolvendi, aliter portæ inferi prævalerent adverſus eam: unde hanc plenitudinem poteſtatis, per quam eccleſia reſiſtit mundo & diabolo, Chriſtus contulit Petro pro ſe & ſuis ſucceſſoribus; unde & ubi ſupra ſicut Chriſtus accepit a Patre ducatum & ſceptrum eccleſiæ gentium, ex Iſrael egrediens, ſuper omnem principatum & poteſtatem, & ſuper quodcumque eſt, ut ei genu curvetur; ſic & Petro & ejus ſucceſſoribus pleniſſime commiſit. Item de renunc. c. Quando dicit Innocentius: Poteſtatem transferendi Pontifices ita ſibi retinuit Dominus & magiſter, quod eam ſoli beato Petro vicario ſuo, & per ipſum ſucceſſoribus ſuis præbuit & conceſſit. Minor patet, quia ſucceſſor Petri in plenitudine & præeminentia poteſtatis, ſive papatu eſt ſolus epiſcopus Romanus.* Et infra.

XXXII.

Probatur habere a Deo.

Dona Petri alia perſonalia, alia in ſucceſſores tranſmiſſa.

*Item iſta concluſio, ſcilicet quod poteſtas Papæ ſit a Deo, probatur auctoritate Cyrilli in lib. theſaur. qui tractat illud Matth.* XVI. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, dicens: Secundum autem hanc Domini promiſſionem eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione & hæretica circumventione immaculata manet ſuper omnes primates eccleſiarum & populorum in ſuis Pontificibus in fide pleniſſimam, & auctoritate Petri. Item* XXI. *diſt. c. Quamvis: Sancta Romana eccleſia catholica & apoſtolica nullis ſynodaticis conſtitutis cæteris eccleſiis prælata eſt, ſed evangelica voce domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti primatum obtinuit. Item* XXI. *d. Omnes: Non ergo quælibet terrena ſententia, ſed illud ver-*

Auctoritates SS. Patrum, quod poteſtas papalis ſit a Deo.

*verbum, quo conſtitutum eſt cœlum & terra, per quod denique omnia condita ſunt, Romanam eccleſiam fundavit. Item ſequenti cap. Sacroſancta Romana eccleſia & apoſtolica non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino & ſalvatore noſtro primatum obtinuit. Item ib. Prima ergo ſedes cœleſti beneficio Romana eccleſia. Item ib. Hæc vero Apoſtolica ſedes caput & cardo, ut præfatum eſt, a Domino & non ab alio conſtituta eſt. Ad idem Conſtit. d. I. Baſilicas, ubi dicitur ſic in fine de eccleſia Romana: Ubi dominus eccleſiæ totius poſuit principatum.*

XXXIII. Accerſitus a Bavaro fucus pro colorando facinore.

XXXIII. At propugnat auſa Ludovicus Bavarus Othonis, & aliquorum ſchiſmaticorum Cæſarum exemplo: *Prædeceſſorum*, inquit, *noſtrorum, videlicet Othonis primi, qui cum clero & populo Romano Urbi & orbi providit, & aliorum quamplurimorum Imperatorum veſtigiis inhærere volentes.* Exempli hujus, utpote nefarii, imitationem confutat Alvarus (*a*) Pelagius his verbis: *Ad illud quod dicitur, quod Imperator poteſt Papam judicare, ſi Papa reperiatur a fide devius, quod non probatur niſi exemplo Othonis primi Regis Theutonicorum qui, ut fertur, cum clero & populo Romano Joannem* XII. *depoſuit a papatu, dico hoc falſum eſſe, quia Papa in hæreſi etiam incorrigibilis judicari non poteſt ab Imperatore, ſicut de hoc ſatis dixi ſupra in* III. IIII. XII. *&* XXXI. *cap. Nec eſt trahendum ad conſequentiam factum Othonis.* Et infra: *Non debemus autem attendere ad factum Othonis, quia non eſt exemplis, ſed legibus judicandum, c. de ſententia Nemo, de hoc no.* XX. *di. De quibus: leges autem infinitæ ſunt in contrarium, quod nunquam debet nedum Papa, ſed nec aliquis clericus a ſeculari judice condemnari, extra de judi. At ſi cleri, &c. Decernimus &* XI. *q.* I. *quaſi per totum & adde quod no. in præc. c.* III. IV. XII. *&* XXXI. Hæc Alvarus.

(*a*) *Alv. Pel. de planct. eccl. l.* 1. *c.* 37.

Confutatur Othonis exemplum.

At directe reſponderi poteſt ex hiſtoriarum monumentis (*b*), Othonem peſſimo exemplo Joannem pelle pontificatu aggreſſum, & ſchiſma conflaſſe, ac pſeudoſynodum illam, quæ Joanni Leonem ſubrogare voluit, peccaſſe graviſſime: atque in eo quod contendit propter peccata auferri Pontificibus clavium poteſtatem, in errorem impegiſſe, ex quo ſequeretur nullam in eccleſia juriſdictionis certitudinem eſſe, & omnis politicus ordo confunderetur. Sive ergo id Othonis vindictæ, ſive zelo ſed non ſecundum ſcientiam aſcribatur, non debuit in eo Ludovicus errantem illum imitari. At neque Otho, neque coacta ipſius imperio pſeudoſynodus præſumpſerunt in Joannem XII. ferre ſententiam.

(*b*) *Baron. Annal. to.* 9. *an.* 963. *n.* 14. *&c.*

XXXIV. Inepta hæreſeos objectio petita ex fraterculis. Diluitur.

XXXIV. Cum vero contenderit Ludovicus, Joannem infectum hæreſi eo quod Chriſtum jus rerum, quibus uſus eſt, habuiſſe ſanxerit (*c*), quod vocat, *perfectionem arctiſſimæ paupertatis in Chriſto penitus denegaſſe: ex quo conſequeretur*, inquit, *Chriſtum non fuiſſe perfectiſſimum viatorum*; facile refellitur, Chriſtus enim, quamvis omnium rerum creatarum imperium (quod obtinuiſſe quoad jus, non quoad uſum, ut nobis præluceret exemplo, certum eſt) exercuiſſet, perfectiſſimus tamen omnium viatorum extitiſſet. In quo autem ſita ſit vera perfectio, Anicienſis epiſcopus his verbis graviſſime demonſtrat. (*d*)

(*c*) *Ext. de verb. ſign. Cum inter nonnullos.*

*Tam ſecundum philoſophos, quam ſecundum theologos ſumma perfectio humana conſiſtit in operatione optimæ potentiæ ſecundum optimum habitum reſpectu optimi objecti, ut patet ex primo & decimo ethicorum: ſed potentia optima hominis eſt intellectus & voluntatis; optimi autem habitus ſunt illi, qui perficiunt prædictas potentias, optimum autem objectum eſt Deus: & ideo ſumma perfectio hominis conſiſtit in actu intellectus contemplantis Deum, & in actu voluntatis diligentis ipſum ſecundum habitus utique actui congruentes; & ſecundum differentiam perfectionis dictorum ſtatuum eſt differentia perfectionis perſonalis, propter quod cum in patria ſit contemplatio clara & dilectio perfecta, excludens omne impedimentum ex parte creaturæ, quod in via eſſe non poteſt; idcirco ſumma perfectio perſonalis poſſibilis homini eſt in patria, de qua dicit Apoſtolus* I. *Cor.* XII. *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt; cui perfectioni non poteſt æquari aliqua perfectio viæ, juxta quem ſenſum dicit Chriſtus Matth.* XI. *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta, qui autem minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo. Ex quo manifeſte apparet, quod perfectio perſonalis viæ non attingit ad perfectionem patriæ: perfectio enim viæ habet multas imperfectiones adjunctas, quæ evacuabuntur in patria.*

(*d*) *Ext. in MS. bibl. Vat. ſign. num.* 3740. *pag.* 130.

Demonſtratur contra fraterculos non ſitam in egeſtate perfectionem.

XXXV. Charitas perfectionis eſt apex.

XXXV. *Nihilominus tamen perfectio Chriſtianæ vitæ in præſenti conſiſtit, ut dictum eſt, in habitibus virtutum & in earum actibus: maxime tamen conſiſtit in habitu & actu charitatis, quæ in via præeminet cæteris virtutibus; unde Apoſtolus* I. *Cor.* XII. *enumeratis donis Dei, & officiis eccleſiaſticis, ſubjungit; Adhuc excellentiorem vobis demonſtro: & loquitur de charitate, de qua proſequitur in ſequente cap. & concludit: Major autem horum eſt charitas: in ejus enim duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ, ut dicit Chriſtus Matth.* XXII. *c. & Apoſtolus Rom.* XIII. *Plenitudo legis eſt dilectio, propter quod Coloſſ.* III. *dicitur. Super omnia au*-



*tem charitatem habentes, quæ eſt vinculum perfectionis. In ipſa igitur & ejus actu potiſſime conſiſtit perfectio perſonalis præſentis vitæ, quia ipſa virtutibus omnibus imperat, & ad finem ſuum ordinat. Patet ergo in quo conſiſtit perfectio perſonæ, quæ ſola reddit hominem perfectum & bonum, & ſine qua nullus eſt perfectus aut bonus, etiamſi ſit in ſtatu perfecto, quia hæc eſt perfectio formalis & ſimplex; ſicut ſanitas animalis eſt ſanitas formalis & ſimpliciter: propter quod ſicut nihil dicitur ſanum nec animal niſi in quo eſt adæquatio humorum, quæ eſt ſanitas formaliter & eſſentialiter; ſic nullus dicitur perfectus niſi ille, in quo ſunt habitus & actus virtutum, & præcipue charitatis, quia in his conſiſtit formaliter & eſſentialiter perfectio hominis tanquam ejus ſanitas ſpiritualis.* Hactenus epiſcopus Anicienſis. Quam doctrinam jam ante docuerat apoſtolica ſanctione Joannes Papa his verbis: *Perfectio vitæ Chriſtianæ principaliter & eſſentialiter in charitate conſiſtit, quæ ab Apoſtolo perfectionis vinculum dicitur, & quæ unit ſeu jungit aliqualiter in via hominem ſuo fini, ad quam per contemptum bonorum temporalium & ipſorum expropriationem via diſponitur:* ſcilicet in ſtatu naturæ lapſæ, veluti etiam per jejunia & carnis macerationem ad perfectionem itur: & ſicuti non colligitur Chriſtum non fuiſſe perfectiſſimum viatorum, quod melle ſilveſtri, & locuſtis, ut Joannes Baptiſta, vitam non ſuſtentarit; multo ſane minus quod jus earum rerum, quibus uſus eſt, tenuerit; cum perfectius ſit, uti juſte quam non juſte. Ob aſſertam ergo fidem orthodoxam & juſtitiam propugnatam, non ob hæreſim pontificatu exuere ſummum Pontificem Ludovico conſultores hæretici ſuaſerunt.

Comedens Chriſtus perfectior jejunante Baptiſta.

XXXVI. Cæſar exauctorari a Pont. poteſt.

XXXVI. Quod ad aliud objectum crimen ſpectat de abrogato Ludovico auguſtali apice; electionem cæſaream abrogari a ſummo Pontifice certis in caſibus poſſe, probat Auguſtinus (*a*) Triumphus, confirmatque (*b*) ratione & exemplo: ratio hoc ſyllogiſmo proponitur: *Omnis res*, inquit, *per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, principium autem ipſius generationis Imperatoris planum eſt, quod eſt ipſe Papa quantum ad ejus electionem*, ſiquidem ab eo ſeptemviri conſtituti; quare quod per hos ſit, per Papam fieri cenſetur, *item quantum ad coronationem & confirmationem. Ergo principium ejus depoſitionis & corruptionis ipſe Papa exiſtit.* Rei vero in opus adductæ conſtant juridica exempla recentiora in Othone IV. & Friderico II. quorum primus ab Innocentio III. alter ab Innocentio IV. exauctorati fuerunt. Juris ordinem deſcribit Paludanus (*c*) his verbis: *Ad officium Papæ ſpectat de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Chriſtianum, & ſi correctionem contempſit, per diſtrictionem eccleſiaſticam coercere, de judiciis cap. Novit. Quod ſi in excommunicatione perſeveret, poteſt ipſum, ut dictum eſt, deponere, & ſubditos ab ejus ſubjectione abſolvere ſicut ſchiſmaticum, propter contumaciam & inobedientiam pertinacem: & ex hoc etiam, quia excommunicatus & legitimis actibus & officiis publicis non debet fungi, & ſchiſmatici dignitate & cingulo militiæ ſunt nudandi,* XXIV. *q.* I. *Qui circa* XV. *q.* VI. *c. penult.* Ob hanc juris acerbitatem, a Joanne diſtrictam in Ludovicum, idem Ludovicus nimium vindictæ cupidini indulſit, dum hanc ab hæretico conceptam Pontificis proſcriptionem promulgavit his verbis; *Sæpedictum Jacobum, omnis eccleſiaſtici ordinis prærogativa nudatum, & officio ac beneficio eccleſiaſtico ſpoliatum, tenore præſentium ſubiicimus ſæcularis noſtrorum miniſtrorum arbitrio poteſtatis, ab omnibus feudatariis & juſtitiariis noſtri ſacri imperii ubicumque deprehenſum hæreticum animadverſione debita puniendum.* Indixit etiam perſecutionem in eos omnes, qui Joannem ut Chriſti vicarium colerent, idque ex Italorum ac Germanorum præſulum & principum conſilio actum oſtentare niſus eſt. Verum tantum abeſt ut Romani, Itali, Germanique aſſenſerint flagitio, ut ob id Ludovicum proborum omnium odia contraxiſſe Albertinus Muſſatus (*d*), & Joannes Villanus (*e*) teſtentur, ac ſecutæ mox rerum converſiones idem aperte commonſtrarint. Conſignata eſt hujuſmodi ſententia XXVIII. die aprilis hujus anni, quam Aventinus ex bibliotheca Bavarica erutam refert, non quidem ſuis conceptam verbis, ſed quia non ſatis veneni continere ipſi videbatur, impoſtoris more multa commentus eſt, affinxitque Ludovico alia mendacia, ut ex eadem ſententia non tantum Joannes, ſed alii etiam Pontifices carperentur: veluti cum obiicit Joannem *facere ſe adorari, pedeſque ſibi oſculari* permittere, ſervum ſervorum Dei ſe dicere, & non ſervire; a Franciſcanorum Peruſinis conventibus ſimulacrorum cultorem declaratum. [1] Hæc enim non extant in Ludovici ſententia, quam ex ſchiſmaticorum libris

(*a*) *Aug. Triumph. de pot. eccl. q.* 40. *art.* 1.
(*b*) *Ead. q. art.* 1.

Juris ordo.

(*c*) *Palud. MS. bibl. Vatic. ſign. n.* 4109. *de eccl. pot. pag.* 229.

Indignum Ludovici facinus.

(*d*) *Muſſ. in Lud. Bav.*
(*e*) *Jo. Vill. l.* 10. *c.* 70.

Aventini perfidia in adulteranda Ludovici ſententia.

Calumnia ab eo impacta Franciſcanis.

NOTÆ [1] Quamquam hæreticos ſcriptores in iis quæ per ſummam impudentiam effutiunt, adverſus Romanam eccleſiam excuſare nolo; tamen ea, quam profiteor, ſinceritas cogit me, ut Aventinum Annalium Boicorum ſcriptorem defendam ab accuſatione vitiatæ ſententiæ a Ba-

bris, qui in Vaticana bibliotheca reconditi ſunt, decerpſimus. Ex quibus patet quæ fides hujuſmodi hiſtorico, monumenta publica adulteranti, & Lutherana deliria illi principi, cujus dignitatem ſe aſſerere videri vult, impingenti habenda ſit. Quamvis autem ſuperiora facinora Ludovicus poſtea damnaverit, eaque vindictæ cupidine aſcripſerit, faſſuſque ſit non inſcium ſe fuiſſe, quantum patraret flagitium; prodiit tamen auctor recentior (*a*) qui traducendi Joannis Pontificis & commendandi Ludovici partes arripuit. Sed in his refellendis immorari nobis non eſt animus; ſufficit enim veritatem puram in luce collocare, & producere monumenta veterum: inter quos Bernardus Guido epiſcopus Lodovenſis, quid de geſtis Ludovici ſenſerit, candide hiſtoriæ tradit (*b*).

Hervvartus defenſor Ludovici.

(*a*) *Georg. Herv. in Lud. Bav. defenſion.*

(*b*) *Ber. de Imp. Rom. MS. bibl. Vat. ſign. n.* 2043.

XXXVII. Damnatur a Bern. Lud. facinus.

*Præfatus Ludovicus in oſtentatione coronationis ſuæ, ſuggerentibus nefariis hominibus mente & fide corruptis, contra ſanctiſſimum patrem & dominum Joannem Papam XXII. univerſali & catholicæ eccleſiæ præſidentem, & vicarium domini Jeſu Chriſti prorupit, auſu nefario ſanctum polluens ſacerdotium & pontificium S. Petri, dicens eundem ſanctiſſimum Papam eſſe hæreticum, & non eſſe Papam Romanum, nec eſſe ſibi a catholicis obediendum*, & infra, *& alia nefaria nonnulla invexit, quæ pudor eſt dicere, & auditui ſunt horrori. O inſania capitis! O barbarica ſtultitia! O furor furens ad ſcindendam tunicam inconſutilem domini Jeſu Chriſti, qui dicit bonum malum & malum bonum!*

Neque his contentus Ludovicus, cum illa quæ in lata a ſe ſententia continebantur, perficere in Joannem ipſum non poſſet, in pontificiam effigiem iras convertit, quam ex ſtramine efformatam cæſareos adminiſtros exuſſiſſe ex Muſſato (*c*) videbimus: cujus facinoris meminit S. Antoninus (*d*), dum tradit, Joannem a Bavaro flammarum ſupplicio damnatum. *Adeo*, inquit, *fuit temerarius & ſuperbus dictus Ludovicus Bavarus, quod poſt falſam coronationem auſus fuit facere contra Papam Joannem proceſſum & contra Regem Robertum, tanquam hæreticos & Patarenos, cum multis deriſionibus & contumeliis eos ad ignem condemnando: unde omnes boni fideles abominati ſunt eum, & multi clerici ex Urbe receſſerunt, ne participarent cum illis ſchiſmaticis & excommunicatis.*

(*c*) *Muſſ. in Lud. Bav.*

(*d*) *Ant.* 3. *p. tit.* 21. *c.* 6. §. 6.

XXXVIII. Albertus Auſtriæ dux poſcit a Pont. ut fratri imperium confirmet.

Dum atrocibus adeo injuriis Ludovicus pontificiam majeſtatem labefactare nitebatur, Albertus Auſtriæ dux ſpe aliqua elatus, Pontificem Ludovici odio Fridericum illius æmulum ad imperium evecturum, miſſis oratoribus flagitavit, ut Fridericum ipſum Regem jam Romanorum deſignatum confirmaret; ac poſt promiſſa ampliſſimis verbis ſua eccleſiæ ſtudia, eſt pollicitus fratrem ſe ad omnes Pontificis voluntates adducturum: cujus poſtulata cum nulla ratione niterentur, nec decretum electionis Friderici ad ſedem Apoſtolicam tranſmiſſum eſſet, quod tamen antea, cum Auſtralium Germanorum oratores idem urgerent, expetitum fuerat; Pontifex rem juſte perfici non poſſe reſpondit (*e*), objecitque Fridericum nunquam Apoſtolicam ſedem de ſuæ electionis juribus edocuiſſe; neque juſtitia, ſed vi imperiale ſolium affectare. Pontificiarum literarum potiorem partem ſubiicio.

(*e*) *To.* 6. *p.* 3. *ep. ſecr. pag.* 173.

*Joannes, &c. Alberto duci Auſtriæ.*

*Cujus* (nimirum Friderici clerici oratoris) *credentia hoc habuit in effectu, quod fratrem tuum præfatum in Regem Romanorum electum ſcribere, nominare, & approbare etiam dignaremur: & ut ad hoc inclinaremur facilius, obtulit te paratum pro eodem fratre tuo certitudinem & ſecuritatem facere tibi poſſibilem, quod idem frater ad mandatum noſtrum perſiſtet, & omnia ſua negotia ſecundum noſtram voluntatem diriget & diſponet. Profecto, fili, de ſupplicatione tam per te facta, quam per nuncium antedictum* *.. *& nonnulli ex fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, quos ad hoc duximus evocandos, admodum nec immerito fuimus admirati: quis enim unquam prædeceſſorum noſtrorum aliquem in Regem Romanorum electum in diſcordia Regem nominavit ſeu approbavit, nulla fide de electione hujuſmodi facta? Proculdubio factum non legimus, nec vidimus, quod fieri potuerit juſtitia non offenſa. Scimus quidem, quod dum de intitulatione duorum electorum in Reges Romanorum controverſia incidiſſet, per ſedem Apoſtolicam decretum extitit, deliberatione cum S. R. E. Cardinalibus præhabita diligenti, quod neuter illorum ante approbationem ſeu admiſſionem electionis ſuæ, per ſedem eandem habitam, deberent intitulari tali nomine, ſeu etiam appellari. Tuam autem prudentiam credimus non latere, quod dictus germanus nec dictæ ſuæ electionis decretum nobis obtulit, nec de ea nos aliter informavit; quare advertat tua prudentia, quomodo ſine offenſa juſtitiæ poſſit tua prædicta ſupplicatio ad exauditionis gratiam introduci. Et utinam, fili, præfatus germanus tuus per ſemitas juſtitiæ ad tanti honoris apicem aſcendere procuraſſet: ſed neſcimus quo ſeductus conſilio, non juribus ſed viribus, non per juſtitiæ ſemitas, quæ inter ipſum & ejus coelectum eſſe debebat media; ſed potentia potius tam ipſe quam ejus coelectus, ac congreſſibus bellicis decreviſſe videntur, exortam inter eos dirimere quæſtionem.*

* nos.

Reſpondet Pont. decretum electionis ſibi non oblatum.

Fridericum jura ſectari contempſiſſe.

XXXIX. *Quantum autem via prædicta Deo, a quo eſt omnis poteſtas, exoſa fuerit & infeſta quæ eorum utrique, proſequendo viam hujuſmodi, acciderunt, evidentius attente conſiderantibus manifeſtant; in tertiodecimo ſiquidem anno regni ſui exiſtere ſe deſcribitur, quanta autem incommoda, quot ſtrages corporum, lapſus rerum, animarumque pericula ex eorum congreſſibus bellicis, ut de incommodis ipſorum taceamus perſonalibus, fuerint ſubſecuta, rei evidentia clarius manifeſtat. Nec adhuc a via prædicta germanus tuus ſe videtur velle retrahere; ſed per eandem ad imperiale aſcendere ſolium, in Dei offenſam, matriſque ſuæ S. R. E. præjudicium, & rei publicæ detrimentum, oblivioni datis periculis variis, quæ incurrit propter ea, & quæ adhuc poteſt incurrere, & forſitan pejora. Hæc, fili, ad tuam germanique tui prædicti & aliorum ſuorum ſequacium memoriam utinam curares reducere, ac ut tanta vitaretis diſcrimina provide providere, &c. Dat. Avin.* IV. *non. martii anno* XII.

Excluſo itaque Friderico ſpe ſua, cum ſibi ad imperium juſtitia viam non muniret, jura vero ſua ex impiorum conſilio labefactaret Ludovicus, Pontifex apoſtolica auctoritate omnia, quæ in Urbe in conferendis eidem imperialibus inſignibus erant geſta, convulſit (*a*): eaque de re nonis aprilis hujus anni ad Germanos principes imperii electores literas dedit, (*b*) quibus etiam Bavarum juribus e præterita electione quæſitis, & ducatu Bavariæ ac vectigalibus omnibus & terris, quas eccleſiæ vel imperii beneficio auctoritateque obtineret, apoſtolica ſententia deturbatum ſignificavit, atque ad celebrandam novi Romanorum Regis electionem ſolemnes conventus celebrare juſſit. Habuere itaque feria tertia poſt octavum a dominica reſurrectione diem evolutum comitia, ac recurrente a feſto pentecoſtes octavo die deſignando novo Regi daturos ſe operam ſpopondere; qua de re Joannes IV. kal. maii Robertum Siciliæ Regem, Bertrandum in Inſubria & Joannem in Etruria Apoſtolicæ ſedis legatos Cardinales hiſce verbis fecit (*c*) certiores: *Principes eccleſiaſtici & ſæculares, in electione Regis Romanorum vocem habentes, in noviſſima congregatione ſua, videlicet die martis poſt octavas reſurrectionis Domini proximo præteritæ, diem martis poſt octavas inſtantis feſti pentecoſtes ad electionem celebrandam loco ſolito pro peremptorio termino aſſignarunt, ad eam procedere, favente Domino, intendentes. Dat. Avinione* IV. *kal. maii anno* XII.

XL. Geſta in Ludovico corona cingendo reſciſſa.

(*a*) *Ib. pag.* 167.

(*b*) *Ead. pag.*

Solicitati principes electores de creando novo Cæſare.

Conſtituta ab iis dies pro electione celebranda.

(*c*) *Ib. pag.* 221.

XLI. Cum die conſtituta principes haud facile convenire poſſent, non modo enim Ludovicum, verum Fridericum quoque Auſtriacum obſtitiſſe, ex literis ad Albertum ducem allatis colligitur, cum is etiam armis ad imperium anniteretur; Pontifex celebrandæ electionis diem ad ſex hebdomadas vel duos menſes extraxit, quæ Mathiæ archiepiſcopo Moguntino ſignificavit (*d*): *Nos*, inquit, *attendentes magnitudinem negotii, quodque ſanctæ Dei eccleſiæ, fideique catholicæ, ac utilitati reipublicæ plurimum expedit, quod perſona Deum timens & Deum diligens ad regimen regni Romanorum & imperii aſſumatur; ac provideri cupientes, ne propter breve tempus poſſit contingere periculum in hac parte,* * *ut ſi expectare potueris, & poſſit abſque periculo negotii electionis prædictæ fieri, terminum prædictum uſque ad ſex ſeptimanas vel duos menſes, ſi hoc magis expedire cognoveris, ab eodem termino in antea computandum prorogare aliaque gerere valeas, quæ circa prorogationem hujuſmodi fuerint opportuna*

Ludovicus & Fridericum rem diſturbant.

(*d*) Ead. *p.* 3. *pag.* 167.

Extracta a Pont. dies.

* *volumus*

NOTÆ a Bavaro in Pontificem dictæ. Animadvertere in eam rem juvat Udalricum quemdam Goildronem Ludovico ab epiſtolis fuiſſe, qui cum ab eo principe læſum ſe reputaret, eam injuriam ulturus impune, id molitus eſt, ut Pontificem in Bavarum vehementius concitaret. Quare ſententiam Bavari in Joannem & alia ejuſdem publica acta per ſummum ſcelus interpolavit, atrocia convicia in Pontificem interſerens. Fraus illa diu Bavarum latuit, utpote principem literarum, plane rudem nec legere quidem ſcientem, ut inter cæteros ſcribit Meiſterlin vetuſtus ſcriptor hiſtoriæ Nurimbergenſis ad annum uſque 1480. perductæ vulgatus a Ludevvig in Reliquiis to. VIII. Rei tandem veritas, impoſtore ipſo, cum extremum jam ſpiritum ageret, revelante, patuit, eandemque totam aperuit Bavarus in literis ad Benedictum XII. datis, recitatiſque in Annalibus ad An. 1336. 33. Quæ igitur Ludovici literæ ab Aventino, ex bibliotheca Bavarica erutæ, recitantur, ipſe forte ſunt, quas Udalricus impoſtor vitiavit, cum præſertim in iiſdem vitiatis literis atroces contineri injurias in Pontificem, ac inter cætera *Apoſtolicam beſtiam eſſe illum aſcendentem de mari, & antichriſtum* idem ſcriptor hiſtoriæ Nurimbergenſis, qui ante exortos Lutheranos ſcribebat, affirmet Hiſtor. part. 2. cap. VIII. §. V. Ex his plane demonſtratum arbitror Aventinum a fraudis ſuſpicione immunem habendum. Poſtquam vero fraus illa ex ipſa Imperatoris confeſſione patuit, tunc acta illa publica reformata paruiſſe ſuſpicor, iis ſublatis, quæ contra mentem principis irrepſerant, atque hinc factum cenſeo, ut acta eadem publica, a ſchiſmaticis relata, plane diverſa ſint ab iis quæ ex Bavaricis pluteis Aventinus extraxit. Animadvertere tamen hic juvat hiſtoricum illum Nurimbergenſem in eo erraſſe, quod vitiatas ab Ulrico ſcribat literas a Bavaro ad Benedictum XII. datas. Quamquam enim tunc Ulricus quidam Bavari cancellarium agebat; alius tamen erat ab Ulrico impoſtore, ut ex literis ejuſdem Bavari, de quibus ſupra, eruitur. MANSI

*fortuna, &c. Datum Avin. nonis maii anno* XII.

Facta etiam eſt eidem Mathiæ archiepiſcopo Moguntino cæteriſque principibus electoribus, qui die martis, poſt ſacram reſurgenti Chriſto celebritatem recurrente, in Moguntino agro convenerant a Pontifice poteſtas (a), ut ſi viſum eſſet ob hoſtium inſidias vel conatus in alio loco, quam Francofurti electionem novi Romanorum Regis celebrare poſſent: *Ut alium*, inquit, *locum, de quo tuæ providentiæ videbitur, pro celebranda electione prædicta eligere, ac etiam tibi & aliis coelectoribus aſſignare valeas, in quo tu & ipſi convenire & ibidem ad electionem prædictam poſſitis, ſicut in dicto loco de Frankinfort valeretis, procedere in præfixo prædicto, vel aliis terminis prorogandis ſeu etiam aſſignandis fraternitati tuæ facultatem & licentiam tenore præſentium elargimur; auctoritate apoſtolica nihilominus decernentes, electionem in loco, quem hac vice ad hoc elegeris celebrandam, perinde valere, quibuſvis conſuetudinibus, obſervantiis, ſeu ſtatutis contrariis nequaquam obſtantibus, ac ſi in prædicto loco de Frankinfort celebrata fuiſſet. Dat. Avin. non. maii anno* XII.

(a) *Ib. ep. ſecr. pag.* 163.

Sancitum ut in alio a Francofurto loco poſſet electio celebrari.

XLII. Data alia etiam Mathiæ archiepiſcopo imperia (b), ut Spirenſem clerum injuſto ſacramento exolveret, quo a Bavaro adacti fuerant, apoſtolicas ipſos literas non recepturos, pontificiſque imperiis non parituros. Fuiſſe vero Mathiam ab hoſtibus eccleſiæ armis appetitum, ex literis ad Henricum Colonienſem (c), Henricum Haſſiæ Lantgravium, ac plures alios datis colligitur, quibus ad explicandam illi opem ſunt excitati (d). Cum vero Baldunius Trevirenſis archiepiſcopus (e) jam diu nonnullas Moguntini principatus arces occupaſſet, cum ad eam eccleſiam vocaretur, de qua electione a Pontifice abrogata agit Serarius (f); admonitus eſt, ut eas Mathiæ reſtitueret. Data etiam eidem archiepiſcopo XII. kal. aprilis provincia (g), ut cruceatorum equitum Pruſſiæ & Pomeraniæ cauſam cognoſceret, qui juncto cum Ludovico Bavaro armorum fœdere marchionatum Brandeburgenſem, irruptione facta, cædibus fœdarant, epiſcopatum Wladiſlavienſem & alias fidelium terras ferro flammiſque corruperant, ſtuprarant virgines, homines in ſervitutem abduxerant; adeo ut eccleſiæ paſtoribus deſtitutæ eſſent, divinuſque cultus exoleſceret: ſævierat in ipſa templa eorum furor, calices, ſacra ornamenta diripuerant, adeo ut a ſacrilegis ipſum dominicum corpus in terram abjectum fuerit: vetuerant etiam clientibus, objectis gravioribus pœnis, ne denarius S. Petri Romanæ eccleſiæ penderetur, vel ſacerdotum decumæ perſolverentur, publicaque acta a pontificiis nuntiis de tantis ſceleribus confecta, atque intentatas cenſuras ludibrio habuerant. Cum itaque eorum ope Ludovici Bavari major natu filius marchionatum Brandeburgenſem ſibi vendicaſſet, Pontifex Bremenſi archiepiſcopo pridie kal. februarias munus injunxit (h), ut eam ditionem eccleſiaſtico interdicto ſubiiceret, omneſque religioſos viros, etiam pluribus in ſimili caſu auctos privilegiis, templorum & ſacrorum uſu abſtinere juberet.

(b) *An. 12. p. 1. ep. cur.* 5.

Archiep. Moguntinus a Lud. ſequacibus impugnatus.

(c) *Tom. 7. p. 1. ep. ſecr. p.* 91.

(d) *Ead. p. pag.* 92.

(e) *Ib. pag.* 91.

(f) *Serar. hiſt. Mog. l. 5. in Matth.*

Intentatum Pruſſiæ cruciferis judicium.

(g) *To. 6. p. 3. ep. ſecr. p.* 174.

Gravia eorum ſcelera.

Marchia Brandeburg. a Ludovici filio occupata.

(h) *Ead. p. 3. ep. ſecr. pag.* 165.

Sacrorum uſu privata.

XLIII. Hæc ad elidendam Ludovici potentiam agebat in Germania Pontifex, cum ille Romæ ſacro aſcenſionis dominicæ die atrox facinus creato pſeudopontifice adorſus eſt: obſervatque Nicolaus Minorita (i), Ludovicum ut rite ſcelus perageret affirmaſſe, Cardinalium ſenatum hæreticum eſſe, qui cum Joanne XXII. ſentiret: proinde omnes archiepiſcopos & epiſcopos, qui ejus decreta excepere, hæreſi maculatos; atque ita ad plebeculam & nonnullos minoris ordinis ſacerdotes, quibus præerat Marſilius hæreſiarcha (nam canonicorum collegia patriarchalium baſilicarum aufugerant) redactam eligendi Pontificis poteſtatem. Ludovicus itaque e fæce illa dignum ſchiſmaticorum caput Petrum e Corbaria pſeudominoritam, qui ſacerdotium jam contaminarat, dum in conjugio invita uxore illud ſuſceperat, ad ſolium pontificale extulit (k). Luget tantum facinus Alvarus Pelagius in libro de planctu eccleſiæ his verbis (l): *Bavarus in imperio intruſus, olim dux Bavariæ, cum populo ſtulto & infideli & furioſo, & clero phantaſtico Romano adulante ſibi, in furia theutonica & in inſipientia ſua & vindicta dominum Papam Joannem XXII. in cujus tempore ſcribo hunc librum, depoſuerunt in Urbe, & ſibi ſubſtituerunt de facto pſeudoreligioſum de ordine Minorum fratrem Petrum de Corbaria, quem cognovi in Urbe verum hypocritam, cum conventualis eſſem ibi Romæ in Aracœli, decimantem mentam Matth.* XXIII. *& anetum in quibuſdam abſtinentiis exterioribus, & in aperto & in abditis loculos compilantem, & inter mulierculas Romanas quaſi continue reſidentem, & gloriam aucupantem: & ſicut mihi teſtimonium perhibuerunt miniſter illius provinciæ Romanæ & cuſtodes tunc, cum eſſemus in magno concilio, de facto ejus & aliorum, qui eccleſiæ & ordini rebellaverant, Anagniæ minus habentem, ſcilicet in caſtitate, & ſic fidem paupertatis, & munditiæ, & obedientiæ, quæ ſunt legis graviora, relinquentem, Matth.* XXIII.

(i) *Nic. Min. MS. bibl. Vat. ſig. num.* 4008. *p.* 27.

Petrus Corbaria creatur antipapa.

(k) *Muſſ. in Lud. Bav. Cort. hiſt. l. 3. c.* 11.

(l) *Alv. Pel. l. 1. c.* 37.

Qui fuerint ejus mores.

Bernardus quoque Ludovici facinus ita de-



ſcribit (a): *Ad cumulum veſaniæ ſuæ, & in vituperium dictæ Urbis, & in ſcandalum fidei catholicæ fecit fieri & erigi in antipapam quemdam pſeudoreligioſum de ordine fratrum Minorum circa feſtum aſcenſionis Domini anno ejuſdem Domini benedicti* MCCCXXVIII. *eundemque antipapam fecit non ſacris ſed execratis orationibus execrari potius, quam ſacrari: cui etiam antipapæ ipſe Ludovicus reverentiam indebitam tanquam ſummo Pontifici exhibuit, & cervicem & genua inclinavit, ipſumque manu tenuit & deduxit tanquam idolum & paſtorem & nefarium hominem pro vicario domini Jeſu Chriſti. Præfatus pſeudopapa vocabatur frater Petrus Raynaldutii de Corbario Reatinæ diœceſis, qui uxorem habuerat & adhuc habebat Joannam Matthæi de Corbario ejuſdem diœceſis, cum qua cohabitabat publice conjugaliter ut maritus annis quinque, antequam aſſumeret habitum fratrum Minorum, quem aſſumpſit, renitente pariter & invita.* Eadem Ptolemæus Lucenſis repetit (b), conſentitque ſanctus Antoninus, (c) qui hæc addit: *Prius fecerat Ludovicus unum alium; ſed ille nolens ſchiſmati operam dare, recuſavit & ex Urbe aufugit.* Conſentientia ſuperioribus ſcribunt Germanus auctor anonymus (d), Joannes Villanus (e), Cortuſiorum hiſtoria (f), aliique plures; inter quos Albertinus Muſſatus (g) obſervat Ludovicum ob id facinus ſuorum odia collegiſſe.

(a) *Bern. in libell. de Imp. Rom. MS. bibl. Vat. ſig. n.* 2043.

Ut uxorem tunc habuerit per ſcelus dimiſſam.

(b) *Ptol. Luc. hiſt. eccl. l. 24. c.* 41.

(c) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §.* 7.

(d) *MS. bibl. Vat. ſig. n. 3765. in Jo.* 22.

(e) *Jo. Vill. l. 10. c.* 73.

(f) *Cort. hiſt. l. 2. c.* 12.

(g) *Muſſ. in Lud. Bav.*

Ludovicus ob ſchiſma conflatum ſuis inviſus.

*Quod*, inquit, *pravis aliquorum ſibi adjunctorum conſiliis Papam Joannem abominatus ac deteſtatus, furioſo plebejorum populique Romani clamore, accenſoque rumore, in illum ſub nullius ſacri ſolemniſque juris ſerie, ſolius facti executione, depoſitionis hæreticæque ſuperſtitionis ſententiam fulminaſſet; neve divini humanique juris alluſioni ſacrarumque conſtitutionum ac conſuetudinum quidquam deeſſet, turpi ludibrio periculoſoque Chriſtiani ritus diſcrimine antipapam Cardinaleſque creaſſe ſub clamore favoreque dementiæ popularis ſub ſacri manti papalis effigie galeorumque rubeorum, ad ultimumque fœdum ac cœcum conſiſtorium conſtituiſſe de potentia papæ factioſas per imperitos conſodales ſuos aſtu partiario conſcriptiones promulgaſſe; denique & ſimpliciſſimorum puerorum more Joannis Papæ ideam ſeu imaginem ex ſtramine formari paſſum eſſe, ipſamque imaginem Joannis Papæ nomine igni adjudicatam cremaſſe. Quæ quidem talia toti mundo horrenda abominandaque Ludovico huic levitatis, parvæque prudentiæ, potiuſque paucæ maturitatis infamiam attulere. Verum cum per plurimos imperialis factionis hæc jam dictis conſodalibus praviſque conſiliariis, quam ipſi Ludovico aſcribi dicerent; uſquequaque tamen ipſa excuſatio non levabat.*



Nulla valet excuſatio pro eo allata.

XLIV. Quarto ab ea profanatione die, nimirum decimaquinta (h) maii antipapa ex iis, qui conflando ſchiſmati operam dederant, creavit pſeudocardinales [1] Jacobum Alberti olim epiſcopum Caſtellanum, quem ad eccleſiam Oſtienſem & Velletrenſem traduxit, Franciſcum epiſcopum Albanenſem, Nicolaum e Fabriano Auguſtinianum tit. S. Euſebii presbyterum Cardinalem, Petrum Oringhium S. Petri ad vincula, Bonifacium Dominicanum, Paulum Viterbienſem Minoritam, Joannem Arlotum, Joannem Matthæi Vicecomitis Mediolanenſis filium. Exauctorati erant hi a Joanne juſto Pontifice omnibus ſacerdotiis & dignitatibus, qui mox a Ludovico ampliſſimis ſtipendiis donati: & quamvis Corbarius ſententiam tenuiſſet, Chriſtum & Apoſtolos nullius rei dominium proprio vel communi nomine poſſediſſe, atque id vitæ genus ſervandum a clero; ipſe tamen & pſeudocardinales ſui mox luxum, opes, & delicias conſectari flagitio cœpere (i), ac ſacerdotia dignitateſque auro divendere: ex quo patuit ab eo & aliis in Romanæ eccleſiæ magnificentiam jactata, non zelo, ſed invidia tantum temere dicta.

(h) *Jo. Vill. l. 10. c.* 75.

Antipapa pſeudocardinales creat.

Simoniam publice exercet.

(i) *Jo. Vill. eod. l. c.* 75.

Interjectis duobus diebus, Bavarus dimiſſo in ædibus Vaticanis antipapa, Tybur contendit (k), ut Romam ſolemni pompa ingrederetur ſacro pentecoſtes die, cui Petrus Corbarius una cum anticardinalibus ad baſilicam Lateranenſem occurrit, ac (l) Ludovicus tiaram ponti-

Tiaram a Lud. accipit.

(k) *Id. eod. c.* 75.

(l) *Cap.* 76.



NOTÆ [1] NIcolaus pſeudopontifex, ſupremum munus per omnia uſurpans Cardinales hoc anno plures renunciavit. Præter eos, quos hic enumerat Annaliſta, alios ſe pariter ex ejus regeſtro Pontificio eruiſſe Wadingus in Annalibus minorum ad hunc annum affirmat, ſed eorum nomina iis congruunt, quos Annaliſta hic ex Villano memorat. Andreas Dei, ſcriptor coævus in Chronico Senenſi hos recenſet: *Franciſcum ex Alemannia Epiſcopum Venetum, Petrum Onighi Romanum, Joannem Arlottum Romanum, Fatium Piſanum Epiſcopum de Onoratico, Nicolaum e Fabriano minoritam; de* Frati minori (non ergo Auguſtinianum) *Fratrem Hermanicum Tebaldi e S. Statio Romanum minoritam.* Quoad Joannem Vicecomitem, quem in cætum Cardinalium hujus anni refert Annaliſta, ex Authore coævo Chronici Mediolanenſis cap. 39. diſcimus a Pſeudopontifice purpura donatum fuiſſe anno ſequenti die 20. Januarii, cui & legatio per Lombardiam credita. Galvaneus Flamma in manipulo Florum ad A. 1329. narrat Joannem anno illo renunciatum cardinalem tituli S. Euſtorgii, non diu poſt fucatam illam dignitatem ſpreviſſe. MANSI

tificiam pſeudopontifici, iſque Bavaro diadema imperiale impoſuit (*a*), ſicque tanquam in ſcenico ludo fictæ dignitatis jura ſibi mutuo contulere. Confirmaſſe tum Ludovicum latam ab Henrico Imperatore in Robertum Siciliæ Regem ac Florentinos ſententiam addit Joannes Villanus: cum tamen Clemens V. eam, quæ in Robertum pronuntiata erat, ut injuſtam reſcidiſſet.

(*a*) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 9.*

Quid tentaverit Bavarus in Robertum Regem.

XLV. Nefaria antipapæ geſta.

Invadere etiam tyrannidem non eſt veritus hypocrita Petrus Corbaria, qui ne quidem juſtum principatum decere Chriſti vicarium ex fraticellorum ſchola effutierat: neque illum puduit provinciis ditionis eccleſiaſticæ præſides imponere, pſeudoapoſtolicos nuntios legatoſque in varia regna mittere: utque Dominicanæ familiæ religioſos viros, qui ut fortiſſimi pugiles contra pſeudominoritas iis temporibus pro fide dimicarunt, vexaret, Bonifacium pſeudoepiſcopum & anticardinalem ſacro illorum ordini præeſſe juſſit (*b*). Neque expavit ſacrilega edicta proferre (*c*), quibus latam a Ludovico Bavaro contra exauctoratum Joannem XXII. ſententiam a ſe corroboratam profitebatur, & omnes, qui vero Pontifici adhærebant, ſacerdotiis, dignitatibus, boniſque privabat.

(*b*) *Reg. Nic. antip. pag. 1.*
(*c*) *Eod. Reg. p. 87.*

*Nicolaus, &c. univerſis præſentes literas inſpecturis ad perpetuam rei memoriam.*

Ejus ſententia in clerum catholicum.

*Vobis & veſtrum ſingulis præſentibus duximus fore manifeſtum, quod cum per ſententiam dilecti filii noſtri Ludovici Romanorum principis & ſereniſſimi Imperatoris ſemper Auguſti omnes & ſinguli, Jacobo de Caturco ſe Papam aſſerenti obedientes, adhærentes, & faventes tanquam hæretici ſint damnati, ac quod omnibus & ſingulis beneficiis & feudis, ac bonis omnibus ſint privati; nos eidem ſententiæ juſtæ & rationabili adhærere volentes, & ipſam omnimode confirmare, omnes clericos & beneficiatos ac religioſos, cujuſcumque ordinis exiſtant, dicto Jacobo adhærentes, faventes, & eidem obedientes, ejuſque mandata tam interdicti quam aliorum obſervantes, omnibus & ſingulis beneficiis eccleſiaſticis & feudis & bonis omnibus privavimus auctoritate apoſtolica & privamus; decernentes ipſos & ipſorum ſingulos ſibi, ut præmittitur adhærentes fore eorundem beneficiorum, feudorum, & dignitatum privatos, & tanquam vacantes ſeu vacantia apud Apoſtolicam ſedem collationi & diſpoſitioni noſtræ & dictæ ſedis ſpecialiter reſervavimus, &c. Dat. Romæ apud eccleſiam S. Mariæ de Aracœli* VI. *kal. junii pontificatus noſtri anno* I.

XLVI.

Neque clerum modo, verum & Chriſtianam plebem, incuſſis atrocioribus minis, a legitimi Pontificis obſequio nititur divellere, ſancitque ut ſtatutæ in hæreticos pœnæ exerceantur in catholicos, qui ipſum Corbarium eſſe Pontificem negarent (*d*).

Alia æque nefaria in catholicos.
(*d*) *Ib. p. 231.*

*Nicolaus, &c. univerſis in Chriſto fidelibus.*

*Cum pridem Jacobus de Caturco ab apoſtolatus officio, cui in Dei offenſam & ſanctæ matris eccleſiæ opprobrium indigne & immerito præſidebat, propter manifeſtas hæreſes, errores, & alios nefarios & enormes exceſſus ſuos juſto judicio depoſitus fuerit & amotus, dilectionem veſtram attentius rogamus & monemus, & nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus & mandamus, ne eidem vel quibuſlibet ſuis proceſſibus vel ſententiis, habitis vel habendis, quomodolibet pareatis, nec ipſum Papam nominetis, vel in papatu faveatis auxilio, conſilio, vel favore: omnes enim & ſingulos, qui contrarium præſumerent, vel etiam pertinaciter aſſererent, ſeu defenderent ipſum eſſe verum Papam & injuſte privatum fore, & exinde Papam nominarent; nos quoque minus rite creatum dicerent, nec nominare Papam vellent, noſtriſque proceſſibus, ſententiis, abſolutionibus non parerent, ac ſi apoſtolicus non eſſemus, aut etiam blaſphemias nobis & confratribus noſtris dicerent; tanquam hæreticos decernimus puniendos. Et ad executionem præmiſſorum efficacius habendam, inquiſitori hæreticæ pravitatis damus ſtrictiſſime in mandatis, quatenus quoſcumque tales invenerit, fultus auctoritate noſtra pœna debita puniat & caſtiget, &c.* Deturbari ſuis dignitatibus jubet catholicos præſules. *Dat. Rom. apud S. Mariam de Aracœli* VI. *kal. junii pontificatus noſtri anno* I. Excitata itaque eſt antichriſti hujus juſſu in fideles perſecutio, ac Romæ duos a Ranerio Uguccionis Fagiolani filio ſenatore, quorum alter patria Etruſcus, alter Inſuber erat, cum intrepide & conſtanter aſſererent Joannem verum eſſe Pontificem, nec apoſtolico gradu Ludovici ſententia dimoveri potuiſſe; Corbarium vero eſſe apoſtaticum, ejuſque complices ſchiſmaticorum & hæreticorum ſynagogam, flammis traditos fuiſſe ſcribit Joannes Villanus (*e*).

Vetat piorum obſervantiam ac ſtudium in Pontificem.

Duo Romæ a ſchiſmaticis necati.

(*e*) *Jo. Vill. l. 10. c. 76.*

XLVII. Preces ad extinguendum ſchiſma a Pontifice indictæ.

Dum eccleſia ſchiſmate laniabatur, Joannes Papa, ut divinam miſericordiam ad eos ſedandos fluctus flecteret, ſolemnes preces indixit, ipſaſque fundentibus viginti dierum indulgentiam impertiit.

Precum formulæ inſtitutæ.

*Joannes, &c. Quia in miſſarum ſolemniis ad Deum conſueverunt preces effundi devotius, de eorundem fratrum conſilio ordinamus, quod in ſingulis miſſarum celebrationibus poſt dictum a celebrante, Pater noſter, reſponſionique ſecuta,*



*antequam in miſſa ulterius procedatur, illud canticum: Lætatus ſum in iis, quæ dicta ſunt mihi; totum cum Gloria Patri, &c. a religioſis clericis & aliis literatis præſentibus cum devotione dicatur. Et primo dicantur Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter; & poſt, iſti verſiculi ſubſequantur: Domine ſalvos fac Reges, & exaudi nos in die, qua invocaverimus te. Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hereditati tuæ; & rege eos & extolle illos uſque in æternum. Fiat pax in virtute tua; & abundantia in turribus tuis. Domine exaudi orationem meam; & clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum; & cum ſpiritu tuo.* Collecta: *Eccleſiæ tuæ quæſumus, Domine, preces placatus admitte, ut deſtructis adverſitatibus & erroribus univerſis, ſecura tibi ſerviat libertate. Per dominum noſtrum, &c.*

*Hoſtium noſtrorum, quæſumus Domine, elide ſuperbiam, eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne. Per Chriſtum dominum noſtrum. Benedicat celebrans conſequenter.*

Religioſi viri ad preces fundendas incitati.

*Nos autem Chriſtifideles ad exequendum ſupradicta promptius donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, tam his celebrantibus quam ipſis aſſiſtentibus obſervantibus ſupradicta, quam aliis preces tunc devotas Deo fundentibus, pro præmiſſis diebus & miſſis ſingulis, quibus hæc fecerint,* XX. *dies, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus. Nulli ergo, &c. Datum* XII. *kalendas julii anno* XII. Solicitati etiam ſunt ad fundendas Deo preces pro eccleſia religioſi viri, interque cæteros Ciſtercienſes (*a*), Dominicani (*b*) Toloſæ congregandi, tum Minoritæ (*c*) Bononiæ ſolemnes ordinis conventus, quibus Bertrandus electus Oſtienſis Cardinalis legatus præeſſe juſſus (*d*), habituri.

(*a*) *To. 6. p. 3. ep. ſecr. p. 188.*
(*b*) *Ead. p. pag. 204.*
(*c*) *Ead. p. pag. 103.*
(*d*) *An. 12. p. 1. p. 95.*

XLVIII.

De indictis publicis a Pontifice precibus meminit Albertinus Muſſatus (*e*), ac repente divinitus converſas res & hæreticorum ſchiſmaticorumque potentiam concidiſſe, obſervat: *Joannes*, inquit, *Papa tantis anfractibus rumoribuſque aſſidue invaleſcentibus, etſi mente vel corde timidus, nil tamen ambigui in patulum oſtendens, Dei maxime fiducia ad fratrum curialiumque exhortationes erigebatur, hoc non contingere ajens, niſi ut his luctationibus ac vexationibus ſancta creſcat eccleſia, inimicos ſua ipſorum exterminet pernicies: edictumque ſubito per univerſam eccleſiam omnibus fidelibus emiſit in ſacrarum miſſarum ſolemnium officiis poſt Pater noſter orationem ſpecialem ad altaria cantari, ſterneret Deus inimicos ſua virtute, ut eccleſia illi ſolita & ſua libertate conſerviat ſeu ſubſerviat, addito pſalmo: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, &c. Mirum quid poſt edicti hujus decantationem notatur: evenit enim, ut ejus virtute ſigna per eos dies ſubſecuta ſint.* Subdit auctor, præcipuos Gibellinos proceres, qui Ludovicum in his ſceleribus armis fulciverant, brevi miſere periiſſe: ſed de triſti eorum caſu agetur inferius. Nunc præcipuarum rerum inter hæc geſtarum narratio percurrenda eſt.

(*e*) *Muſſ. in Lud. Bav.*

XLIX. Ludovici res everti cœptæ.

Agente Romæ Ludovico, & in membranis maledictis in Pontificem inquinandis occupato, in eum a pontificiis res ſtrenue geſta eſt: inſtructus a Roberto Rege ad eum depellendum exercitus in Neapolitano regno, in Etruria Piſtorium a Philippo e S. Gineto, qui Florentiæ Caroli ducis nomine præerat, interceptum: captuſque eſt in illius urbis expugnatione Donatus Auguſtinianus pſeudoepiſcopus (ſchiſmatis enim occaſione monachorum ſex e clauſtris in epiſcopales ſedes irrumpebat) quem Joannes Cardinalis legatus exutum ſacerdotio legum ſeveritati ſubiicere juſſus eſt (*f*). Caſtrucius porro, qui ſenatoriam Romanæ Urbis præfecturam a Ludovico acceperat, mox ea jactura territus, veritusque ne alii populi ab ipſo deficerent, magnis itineribus in principatum ad eum confirmandum conceſſit, augendoque illi intentus, Piſas profectus cives adegit, (*g*) ut ſibi reipublicæ ſummam deferrent.

(*f*) *To. 6. p. 3. ep. ſec. pag. 109.*
(*g*) *Jo. Vil. l. 10. c. 60.*

Cæterum Caſtrucii ab Urbe receſſu conſilia de invadendo regno Neapolitano conſenuere, cum tamen Ludovicus, ſi recto itinere eo contendiſſet, ut communi hominum opinione pervulgatum fuit, Robertum Siciliæ Regem ſuæ imparem potentiæ oppreſſiſſet (*h*): licet enim Carolus dux Calabriæ cum mille quingentis equitibus cataphractis regni aditus tutaretur; in Ludovici tamen caſtris cum imperiale inſigne arripuit, quinque millia & eo amplius equitum conſpecta ſunt (*i*): ſed cum tempus in expectanda claſſe Trinacriæ Regis, ducendis inanibus pompis, exauctorando Chriſti vicario, creando antipapa conſumeret, obſoleſcere cœpit ejus felicitas, eripiente illi conſilium divino Numine, ut ait Joannes Villanus, ac Roberti Regis potentia cœpit aſſurgere. Ut enim mittamus plures ipſius milites a Romanis in ea periculoſiſſima ſeditione, quæ menſe martio concitata eſt, cæſos (*k*), Urbemveterem fruſtra oppugnatam (*l*), amiſſum Aſtur (*m*) inſequenti ab antipapæ execratione die, quatuordecim Roberti Regis triremes Tyberis oſtia ingreſſæ cœpere Oſtiam (*n*), & expoſito in ter-

(*h*) *Ib. & c. 56.*

Conſumptum a Lud. inanibus ſtudiis gerendarum rerum tempus.

(*i*) *Eod. c. 56.*

Robertus Rex creſcit potentia.

(*k*) *Cap. 66.*
(*l*) *Eod. c.*
(*m*) *Cap. 68.*
(*n*) *Cap. 74.*

Omnia aſperiora fiunt Ludovico.

terram milite obvia quæque ferro flammaque vaſtavere, & ad baſilicam uſque S. Pauli excurrere: immiſſique poſtea a Ludovico octingenti equites cum multo peditatu ad recipiendam Oſtiam non ſine magna clade propulſati ſunt. Fabrianenſibus Bavari partium a Tano pontificiarum copiarum duce magna clades illata (a); conciſæ nonnullæ prope Narniam quarto junii die Ludovici copiæ. (b) Juſſerat antea Pontifex illius provinciæ præſidi arces Roberto Regi milite præſidiario adverſus Ludovici impetus muniendas tradere, ubi tamen prius ab eo ſacramentum exegiſſet; ipſas eccleſiæ reſtitutum iri.

(a) Cap. 57.

(b) Cap. 77.

L. Expugnata quidem, aut improviſo adventu oppreſſa a Bavaro nonnulla agri Romani loca, refert Joannes Villanus; (c) ob inopiam tamen commeatuum vigeſimo junii die Tybur rediiſſe, ut regni Neapolitani fines pervadere tentaret: ſed cum omnes obſepti aditus, & annona graviſſima, ſummaque ærarii inopia eſſet, vigeſimo julii iter reflectere coactum: cumque (d) interea copias ſuas promoveret Robertus Rex, & in Campaniam ac finitimas Urbi terras penetraret, adduci ſe in periculum intuitum, maxime cum Romanorum potior pars geſta ejus execrans, publicis vocibus hæreticis & ſchiſmaticis mortem, ſalutem, & gloriam eecleſiæ, ejuſque ſtudioſis comprecaretur, ac nonnullos adverſæ factionis necaſſet; exterritum ac pudore oppletum, ſecumque trahentem idolum abominationis Petrum Corbarium antipapam, ac reliquam ſchiſmaticorum colluviem, quarto auguſti die Urbe exceſſiſſe, nocteque inſequenti Bertoldum Urſinum Joannis S. Theodori Cardinalis legati nepotem & Stephanum Columnam, cum copiis ingreſſos, pontificias partes fulciviſſe, ipſoſque ſenatores renunciatos: octavo vero menſis ejuſdem die Neapoleonem Urſinum & legatum Cardinalem, ad quem extant literæ IV. idus ſeptembris datæ (e), ut Urbi reverſæ ad officium templorum & ſacrorum uſum ad tempus reſtitueret, magnifice ac feſtis acclamationibus exceptos, Urbis ſtatum compoſuiſſe, plures in Bavarum & antipapam ſententias promulgaſſe: illorumque privilegia omnia publice exuſta in capitolio, mortuorum Germanorum corpora eruta a pueris e ſepulcris, ac tracta in Tyberim: Sciarram Columnium & Jacobum Sabellium ac ſequaces, quos Ludovicum exciviſſe in Urbem vidimus, in ea rerum converſione dejectos fugam arripuiſſe; direpta eorum bona ac fiſco addicta: neque multo poſt Guillelmum Ebulum cum equitibus octingentis ac multo peditatu a Roberto Rege ſubmiſſum, Urbem in Pontificis Regiſque obſequio confirmaſſe. Conſentit Joannis Villani dictis Ptolemæus Lucenſis (f) in hiſtoria eccleſiaſtica, cujus hæc verba ſunt: *Poſt hæc autem præfatus Ludovicus in menſe auguſti de urbe Romana diſcedit non volens, ſed nolens, & rediit ad urbem Piſanam, ubi cum ſuo antipapa de malo in pejus continuo debaccatur adhuc hodie, quo hoc ſcripſimus, inchoante jam anno dominicæ incarnationis MCCCXXIX. Nondum venit finis malorum ipſorum.* Illuſtrant ſuperiora literæ Pontificis, qui de felice victoria, de qua paulo ante memoravi, accepto nuntio, Chriſtianos principes, atque inter cæteros Philippum Valeſium Francorum, & Philippum Ebroicenſem Navarræ novos Reges de Roma recuperata, aliiſque rebus geſtis inſignibus certiores fecit (g).

(c) Cap. 78.

Signa degin reflectit & qua de cauſa.

(d) Cap. 98.

Metu urbe diſcedit Bavarus.

Roma ad Pontificis obſequium revocata.

(e) To. 7. p. 3. ep. ſecr. pag. 3.

Acta antipapæ & Lud. exuſta.

Pulſi adverſæ factionis principes.

Submiſſæ a Rob. Rege in urbem copiæ.

(f) Ptol. Luc. l. 24. c. 41.

(g) To. 6. p. 3. ep. ſec. pag. 203.

LI. Pontificiæ de felicibus ſucceſſibus ad Franc. Regem lit.

*Philippo Regi Franciæ.*

*Poſt plures nonnullorum mercatorum quam aliorum miſſas de partibus Urbis literas, continentes, quod divina providentia pro eccleſia ſancta ſua ibidem dignata eſt his diebus præteritis operari, literas dilecti filii noſtri Joannis S. Theodori diaconi Card. A. S. L. recepimus, quibus inter cætera continetur, quod die quarta præſentis menſis auguſti Ludovico de Bavaria excommunicato, ſchiſmatico, & hæretico, Urbem cum ignominia & diſpendiis plurimis exeunte, dilecti filii nobiles viri Stephanus de Columna miles & Bertoldus de filiis Urſi Urbem intraverunt eandem, per quorum ſolertem induſtriam Romanus populus, ſe peccaſſe conſiderans & cognoſcens, pacificatus & humiliatus extitit, & eoſdem nobiles pro nobis & ſancta Dei eccleſia conſtituit ſenatores. Et interim præfatus legatus, ad Urbem prædictam dirigens greſſus ſuos, illam intravit die dominica immediate ſequenti, & a Romanis clamantibus: Vivat ſancta mater eccleſia & ſanctiſſimus pater Papa Joannes, ac Cardinalis legatus, & moriantur Petrus de Corvaria, hæretici & Paterini, ac alii proditores; cum gloria & honore devote ac honorifice fuit receptus, ibique moratur pacifice, alloquendo populum, & ad devotionem Dei ac noſtram & eccleſiæ jugiter exhortando; dictique nobiles ſuum exercent ſenatoriæ officium, facto per eos in eadem Urbe generali parlamento, in quo inter alias reformationes ibidem factas, proceſſus, privilegia, & alia quæcumque facta & ordinata per dictos Bavarum & Petrum de Corvaria revocarunt, præconizato etiam per Urbem eandem publice, quod omnia talia coram dictis ſenatoribus infra certum ſuper hoc præfixum terminum portarentur, quodque in omnibus contractibus factis illis temporibus tempus pontificatus noſtri, ſicut hactenus, poneretur.* Præ-



Veronica ad baſilicam S. Petri magna pompa relata.

*Præterea ſanctum ſudarium Jeſu Chriſti, quod in eccleſia B. Mariæ rotundæ de Urbe cum magno tremore per Romanos aliquos ſervabatur, præfatus legatus cum devotione magna cleri & populi, aſtantium & ſequentium, ad baſilicam principis Apoſtolorum de Urbe reportavit in vigilia feſti B. Laurentii proxime præteriti, & in loco ſolito honorabiliter collocavit. Et quia tenemus indubie te, fili chariſſime, de proſperitate eccleſiæ matris tuæ, velut devotus ipſius filius & princeps Chriſtianiſſimus, ac errantium & ab ea deviantium converſione & reductione ad ipſam plenis & devotis affectibus conſolari; præmiſſa tuæ celſitudini, ut nobiſcum in domino congaudeas, & inde noſtro gratiarum actiones offeras Salvatori ſerie præſentium intimamus. Hæc autem nunciare magnificentiæ regiæ uſque ad diem datæ, quo ad nos prædictæ literæ pervenerunt, diſtulimus de præmiſſis a fide dignioribus certiores effici præſtolantes. Dat. Avin. v. kal. ſeptembris anno* XII. Eodem argumento literas Joannæ Reginæ (a) Francorum, ac Philippo Regi Navarræ, Carolo Alenconii comiti (b) Regis Galliarum fratri, Ludovico Borboniorum duci, Roberto Atrebatenſi comiti Bellimontis ſcripſit.

(a) Reg. poſt eand. ep.

(b) Ib. pag. 204.

Perſtitiſſe porro Romanos in obſequio eccleſiæ, atque omnes, qui ſchiſmaticorum partes in Urbe erant ſecuti, fortunis everſos, deſcribit Pontifex in literis ad Petrum archiepiſcopum Cæſarauguſtanum datis (c): *Ecce*, inquit, *frater quod literarum inſcriptionibus & relatibus percepimus fide dignis, eadem Urbs in noſtra & chariſſimi in Chriſto filii noſtri Roberti Regis Siciliæ illuſtris in eadem Urbe vicarii noſtri ſolida devotione perſiſtit, dictorum Ludovici & Petri hæreticorum & ſchiſmaticorum actibus per ejuſdem Urbis ſenatores reprobatis & damnatis ſolemniter, ipſorumque literis, quæ reperiri potuerunt, publice concrematis; ac inſuper domibus & habitationibus confictorum ejuſdem Petri, Cardinalium, notariorum, ſcriptorum, & officialium aliorum quorumlibet, qui fugæ ſe commiſerunt ignominioſæ datis funditus in ruinam.*

(c) To. 7. p. 1. ep. ſec. pag. 169. an. 13.

Officialium antipapæ domus dirutæ.

LII. Coactus Urbe abſcedere Ludovicus, Viterbium ſe contulit; Petrus vero Corbaria e pſeudopontifice in latronem verſus, S. Fortunati gazam ſacram, atque ipſas lampades diripuit: tantus in ſacrilego opum amor fuit, qui ſe paupertatis amantiſſimum per ſummam hypocriſim præſetulerat. Cumulavit hoc facinus impia tyrannide: cum enim juſta ſe execratione defigi a catholicis audiret ac pervulgari, nec Ludovicum jure exauctorare Pontificem, vel Corbariam ipſum ad ſolium evehere potuiſſe, excanduit vir nefarius, ac uni e miniſtris impietatis partes demandavit, ut in catholicos ſæviret, pontificiaſque ſententias latas in ſchiſmaticos irritas pronuntiaret. Conceptæ ſunt his verbis ſacrilegæ antipapæ literæ (d).

Jubet vexari catholicos.

(d) Regeſt. Nicolai antip. pag. 125.

*Nicolaus, &c. Emanuelis Sementis de Albigana ordinis fratrum Prædicatorum.*

*Habet rei veritas, nec orbis & Urbis angulis eſt occultum, qualiter damnatæ memoriæ Jacobus de Caturco, per ſereniſſimum principem Ludovicum Romanorum Imperatorem ſemper auguſtum noſtrum & eccleſiæ ſanctæ catholicæ & Chriſtianæ fidei pugilem, ac clerum populumque Romanum omni dignitate omnique pontificatus honore nuper recte privatus & depoſitus extitit ſententialiter ob ſuarum nefandarum congeriem offenſarum. Nos vero proceſſu temporis, divina diſponente clementia, licet immeriti, ad apicem apoſtolatus aſſumpti contra ejuſdem damnati ſequaces, fautores, & eidem pertinaciter adhærentes & communicantes in talibus criminibus, cujuſcumque ſtatus, ordinis, dignitatis, & conditionis exiſterent, ſententiam privationis & depoſitionis protulimus generalem, & tanquam hæreticorum fautores decrevimus eſſe cenſendos. Verum quia nonnullorum induratæ cervices & pravæ nec ſic a talibus improbitatibus reſipiſcunt, quin etiam effrænate os ſuum ponentes in cœlum, nos & poteſtatem nobis a Domino traditam & ſacri Romani auctoritatem imperii lacerare non deſinunt, variis & diverſis utentes contra nos detractionum vocabulis, & aſſerentes improbe, ac dogmatizantes temere, noſtras ſententias non valere, in eorum periculum animarum, ſcandalum etiam plurimorum, ne ipſorum malitiæ & nequitiæ falſæ ſuggeſtionis fermento tota maſſa fidelium cum ipſis converſantium corrumpatur, adhibere diſpoſuimus aduſtionis & præciſionis remedia opportuna, &c. Dat. Viterbii apud S. Franciſcum* XVIII. *kal. octobris pontificatus noſtri anno* I.

Queritur pervulgari non potuiſſe a Lud. exauctorari Pontificem.

Piorum vocibus ſe proſcindi.

LIII. Hæc inter Ludovicus expeditionem meditabatur (e) in Florentinos, adverſum quos a Caſtrucio, qui Piſtorium ad deditionem perpulerat (f), concitabatur. Et ſane impendebat iis magni diſcriminis terror, cum novus caſus Bavari conſilia retardavit; qua de re hæc S. Antoninus tradit: *Cum jam omnia Ludovicus paraſſet, ut e Tuderto in Etruriam iter dirigeret, claſſis Siculorum qua Regem Robertum invadere conſtituerat, tardius comparata eo tempore advenit, cum jam Ludovicus cœptum regni negotium omiſiſſet. Præerat autem claſſi Petrus Friderici Regis filius, erantque cum eo naves Genuenſium exulum, qui Regi adverſabantur. Ludovicus ergo cum equitatu delecto * Cortonem profectus eſt:* ibi

Ludovicus expeditionem in Florentinos meditatur.

(e) Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 8.

(f) Jo. Vil. l. 10. c. 85. 86.

Petrus Trinacrius cum claſſe ad eum accedit.

* al. Cornetum.

*ibi namque prædicta claſſis eum præſtolabatur. In colloquio autem magis querelæ effuſæ, quam ulla proviſio aut reparatio facta: ille enim fruſtra paratam claſſem magnamque vim pecuniæ incaſſum abſumptam; hic ob tarditatem adventus res ſimul ſpeſque ſuas ob id fruſtratas querebatur: ac reditum in regnum, quod illi poſtulabant, omnino recuſavit. Et hæc fuit cauſa retardationis impetuoſi progreſſus in Florentinos.* De Petri Regis Trinacriæ filii ac Saonenſium claſſis ſero adventu agit accuratius Jo. Villanus (*a*), ac Ludovicum, exeunte auguſto Tuderto profectum, in colloquium cum Petro deſcendiſſe, & promiſſa ex fœderis legibus viginti millia unciarum auri, ut in Roberti Regis terras irrumperet, repetiiſſe: hunc vero ſoluturum pollicitum, cum in hoſtis terras ſigna extuliſſet; tum Ludovicum accepto nuncio de tumultibus, Piſis opera filiorum Caſtrucii hoc anno, ut dicetur, extincti excitatis, illuc una cum Petro iter intendiſſe, exceptumque vigeſimoprimo ſeptembris die honorifice Tarlatinum Tarlatum Aretinum populi ſigniferum creaſſe. Petrum vero Trinacriæ Regis filium paucis poſt diebus, cum reditum comparaſſet, initi cum hæretico & ſchiſmatis auctore principe pœnas exolviſſe; disjecta enim ac laniata a ventis ejus claſſe, quindecim triremes una cum vectoribus fluctibus hauſtas, alias diſcerptas quaſſataſve, ſalvum tamen Petrum Meſſanam cum quatuor triremibus applicuiſſe; cæteras autem laceras militibus & armamentis valde deſtitutas ad varia Siciliæ loca perveniſſe.

(*a*) *Jo. Vill. l.* 10. *c.* 104.

Piſas ſe confert.

Petri claſſis laniata ventis merſa.

LIV.

Haud quidem feliciores Petro principe extitere alii Ludovici fœderati: ut enim prætermittamus Silveſtrum Gattam Viterbienſem tyrannum, quem Bavari juſſu (*b*) captum ac tortum, ut theſaurum ſuum proderet, quem Viterbii in Minoritarum ſacrario abſconderat, aſcendentem ad triginta aureorum millia, Caſtrucius ad apicem ſperatæ felicitatis excitatus, Piſtorium enim bello occuparat, & Luca Piſis ac plurimis locis aliis potiebatur, mortuus (*c*) eſt ætatis ſuæ ſeptimo & quadrageſimo: exituſque vaticinii illius apparuit, dum Romæ in pretioſa veſte hæc verba in pectore intexuerat (*d*): *Eſt quod Deus vult;* & a tergo: *Et erit quod Deus volet;* nimirum pulvis & cinis, qui inanes ſibi faſtus augurabatur: ejus vero filii principatu pulſi in exilium acti ſunt (*e*).

(*b*) *Jo. Vill. eod. l. c.* 67.

(*c*) *Ib. c.* 87. *Ant.* 3. *tit.* 21. *c.* 6. §. 8.

(*d*) *Jo. Vill. eod. l.* 10. *c.* 60.

(*e*) *Eod. l. c.* 108.

Paſſarinus tyrannus trucidatus.

Similiter inſignes alii Gibellini principes Ludovici ſocii periere, de quibus hæc narrat Albertinus Muſſatus (*f*), qui cœleſti iræ, ac divinæ in eccleſiam providentiæ eorum caſum adſcribit: *Paſſarinus*, inquit, *Mantuæ tyrannus, vir aſtutiſſimus, cujus maxime ductu conſultoque Ludovicus in Italiam tractus extiterat, ab Ludovico de Gonzaga & filio ex conjuratione cum Canegrandi della Scala habita, præſidioque ejus, inſcio Paſſarino, in Mantuam accepto, obtruncatus necatuſque eſt, filio ejus Franciſco capto, & cœſis membris omnibus decalvato, in caſtellaris fundum jacto, in quem olim Franciſchinum nobilem de Mirandula, multoſque Paſſarinus conjectos ad famis mortem coegerat. Hicque finis Paſſarini fuit, tyranni longiſſimo tempore crudeliſſimi. Epiſcopus * Furlivienſis, qui & ſpreta Papæ Joannis & eccleſiæ auctoritate magno apparatu in Lombardiam ad Ludovicum acceſſerat, favoreque multo excoluerat, repentina morte ac crudeli correptus eſt: quamquam & hic ſigna extremæ pœnitudinis eorum, quæ in hoc opere commiſerat, & verbis & nutibus patenter oſtenderit. Caſtrucius vir robuſtæ fortitudinis mox, dum Roma digreſſus in Lucam rediit, & ipſe morte præventus eſt.* Pauciſque interjectis, cæteris annumerat Galeatium Vicecomitem, de quo ſæpius actum eſt. De eo vero poſtquam multis precibus laxatus eſſet e vinculis, ac ſtipendia ſub Caſtrucio turpiter mereretur, qui Mediolano, Papiæ, Laudæ, Cremonæ, Como, Novariæ, Vercellis imperarat, miſere hoc anno extincto agens Joannes Villanus (*g*), eam ſententiam librat, divina quidem differri judicia, ſed non auferri. De quo etiam digniſſima ſunt, quæ a nobis afferantur hæc S. Antonini verba. [1]

(*f*) *Muſſ. in Lud. Bav. Jo. Vill. l.* 10. *c.* 101.

* *Aretinus*

(*g*) *Eod. l. c.* 87.

NOTÆ [1] Obiit hoc anno Caſtrucius Lucenſium dux inclytus, quem inter ſummos ætatis ſuæ imperatores non gentiles tantummodo, ſed & exteri pariter ſcriptores collocant. E privato repente princeps, tum & dux magnus initia fortunæ, reliqua virtuti debuit. Nam improviſa fortunæ vice e ſupplicio, cui ſub Uguccione della Faggiola principe deſtinatus fuerat, tranſlatus in ſolium, brevia anguſtæ ditionis pomeria, induſtria, viribus, præliis, victoriis ita dilatavit, ut præter urbes quinque, Lucam, Piſas, Piſtorium, Pratum, Volaterras oppida mœnibus cincta ad tercenta, Villano teſte, comprehenderint. Hoſtem non ſemel metuerunt Florentini, quos non uno prælio afflixit; memorabile illud, quod inter Altumpaſſum & Porcarium commiſſum fuit, in quo Florentinorum res accisæ, adeo ut externorum principum opem adverſum potentiſſimum hoſtem implorare cogerentur. Senſerunt & Piſani, & Piſtorienſes, quos ſemel atque iterum ſubjugavit. Viciſſim autem amicitiam ſtrenui ducis magni principes ambierunt Fridericus, & Ludovicus Bavarus de imperio inter ſe diſceptantes magnis largitionibus eum ſibi demereri contenderunt. Friderico enim fuit *regis Romanorum & ſecretarius & comes & vicarius;* Ludovico vero *vexillifer imperialis, Laterani comes, dux*, ac demum eo procurante a Romanis *urbis Romæ ſenator* renunciatur. Nec ea viri amicitia Ludovico fruſtra ceſſit, res enim ejus tamdiu ſteterunt quamdiu Caſtrucius; eo ſublato Ludovicus labare primum dein & cadere viſus eſt. Amore etiam conjunctiſſimos habuit Galeatium Mediolani dominum & vicecomites fratres, quorum libertatem (captivi enim a Ludovico detinebantur) precibus, & authoritate, qua plurimum apud Ludovicum valebat, impetravit. Tantam viro potentiam conciliavit non bellica tantummodo virtus, & rei militaris peritia; ſed & virtutes reliquæ, quales virum principem decent; ſi enim tyrannidem excipias, quam nemo laudaverit præſertim in patriam; in reliquis principis optimi effigiem expreſſit; juſtitiæ tenax comis, liberalis, magnificus. Sed cum nihil in terris omnibus ſit numeris abſolutum, vitia quædam viro inerant, quibus tantarum virtutum gloriæ non modice derogabat. Nam crudelior aliquanto in ſuos viſus eſt, quam pro juſto principe, quod tamen in tyranno neceſſitas ſervandi principatum utcumque excuſet. Illud inexcuſabile, quod Ludovicum Bavarum jura Romani pontificis ſacrilege invadentem armis & conſilio juverit, communique ſe cum illo cenſurarum eccleſiaſticarum vinculo obligaverit. Quod ſcelus alio ſcelere cumulavit, nam in medio ſecundæ fortunæ curſu lethali interceptus morbo, in ipſo vitæ exitu, quamquam non levia pietatis, & religionis dedit argumenta nunquam tamen irrogatam Romanæ eccleſiæ injuriam agnoſcere & veniam apud Deum & eccleſiam deprecari ſuſtinuit. Ita Villanus, quem vera referre ex ſilentio ſcriptorum noſtrorum colligo; nunquam enim illi conciliationem ejus cum pontifice ſiluiſſent. Quamquam extra eccleſiæ communionem e vita exceſſiſſe illum Villano aſſerenti haud aſſentior. Rem hanc validis, ut arbitror, argumentis adſtruxiſſe me blandior in notis ad vitam Caſtrucii Nicolao Tegrimio authore conſcriptam quam Lucenſibus typis meiſque adnotationibus illuſtratam non ita pridem recudendam curavit vir clariſſimus abbas Joannes Tegrimi. Obiit die III. ſeptembris anni hujus 1328. ætatem agens annorum 47. Res ab eo geſtas noſtrorum ſcriptorum non pauci poſteritati mandarunt, tum ex æqualibus ætatis illius, quorum apud nos MSS. commentarii ſervantur, tum ex recentioribus quorum vetuſtiſſimus Nicolaus Tegrimius ſæculi XV. labentis ſcriptor Caſtrucii vitam oratorio potius ſtilo quam hiſtorico deſcripſit; non enim naturalem & chronologicam factorum ſeriem ordinat, ſed accervatim omnia narrat, & celebrat. Eamdem ſpartam adornavit Nicolaus Macchiavellus; ſed pro hiſtoria fabellam abſtruxit; & dum in Caſtrucio heroem effigiat, non qualem ipſe fuit, ſed qualem ipſe finxit, exhibuit omnium juſtiſſima hiſtoria Aldi Manutii junioris, quæ vernacule ſcripta prodiit Romæ anno 1590. ſingula enim facta ibi ſuo in loco ac lumine collocantur, quibus ornamentum addit collectio veterum actorum ad Caſtrucii res geſtas illuſtrantium. Mansi



Vicecomitum Mediolanenſium miſera ſors.

(*a*) *Ant.* 3. *p. tit.* 21. *c.* 6. §. 8.

*Obiit* (*a*) *quoque per idem fere tempus Galeatius Vicecomes, qui dudum in Mediolanenſes cæteraſque Galliæ urbes amplum ac regno ſimile tenuerat imperium. Is enim poſt amiſſas res ac perditas opes ad Caſtrutium confugerat, ac in Piſtorienſi obſidione cum eo fuerat. Ibi contracto morbo Piſciæ e vita deceſſit, ſicque verum oſtenditur quod ait Pſalmiſta: Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros libani; tranſivi, ſcilicet per conſiderationem mentis, & ecce non erat, quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus. Et iterum: Dejeciſti eos dum allevarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubito defecerunt: perierunt propter iniquitatem ſuam: velut ſomnium ſurgentium exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt cum armis ſuis excommunicati ut rebelles eccleſiæ. Idem contigit, & in poſterum eveniet cunctis rebellibus & inimicis eccleſiæ.*

Agnovit quidem Pontifex in horum principum eccleſiæ hoſtium adverſis caſibus divinam juſtitiam arcana judicia exercuiſſe, dum hæc ad Joannem patriarcham Alexandrinum & Petrum epiſcopum Cæſarauguſtanum ſcripſit (*b*): *Excelſam extendente divina potentia manum ſuam, tyranni crudeliores partium Italiæ, videlicet Caſtrucius, Galeatius Paſſarinus & ejuſdem Paſſarini filius, aliique quamplures nequam homines, qui Deum & eandem eccleſiam fidemque catholicam, dictis adhærendo & favendo hæreticis & ſchiſmaticis, hactenus impugnarunt ferociter, a ſuis reſilire pertinaciter recuſantes erroribus, infeliciſſimæ mortis perſolverunt occaſum. Quæ tibi ad gaudium providimus nuncianda, non ut læteris, ſicut nec nos lætamur, quin potius triſtamur in perditione morientium; ſed conſoleris in Domino, cum ipſum qui ſuperbis reſiſtit & humilibus dat gratiam, percipis malos, ne majora committant, interdum tollendo de medio, juſtum ſuæ potentiæ judicium exercentem, &c. Dat. kal. novembris anno* XIII.

(*b*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. p* 169.

Divinæ in eccleſiæ hoſtes ultionis plura exempla.

LV.

Fœderatorum Ludovici infelicibus exemplis territi marchiones Ateſtini ad obſequium eccleſiæ redire in animum induxere (*c*). Damnati (*d*) jam fuerant hæreſeos crimine a cenſoribus fidei, atque in divinam providentiam plures blaſphemas voces evomuiſſe, illam res humanas non curare, Romanæque eccleſiæ dignitatem ſacrilegis vocibus temeraſſe accuſati. Ad quæ objecta diluenda, captandamque ſedis Apoſtolicæ clementiam Gaſparinum & Albertinum oratores miſere, qui injectis collo laqueis, ad Pontificis pedes inſigni Chriſtianæ demiſſionis exemplo ſe proſtravere, ac marchionum Ateſtinorum nomine Ferrariam pontificiæ ditionis eſſe, neque jus in eam ullum ipſos obtinere profeſſi ſunt. Dein commemoratis veterum principum Ateſtinorum in eccleſiam officiis, ad purganda objectæ nefandæ hæreſeos capita digreſſi, blaſphema ea verba nunquam ab iis jactata expoſuere, vel ſi dicta, e præcipitis iracundiæ ardore, levitateve ani-

Marchiones Ateſt. poſcunt redire in gratiam eccleſiæ.

(*c*) *Muſſ. in Lud. Bav.*

(*d*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. p.* 21.

animi prorupiſſe; de fide autem catholica, deque eccleſiæ majeſtate recte ſentire. A Pontifice itaque admiſſi in gratiam cenſuris omnibus ſoluti, priſtiniſque juribus & amplitudini reſtituti ea lege, ut Argentam oppidum aliaque ad Ravennatem eccleſiam ſpectantia reſtituerent: quo argumento ſubjectæ literæ exaratæ, (a) in quibus primum graviora iis impoſita crimina, ob quæ ipſos antea hæreſeos infamia notatos vidimus, recenſentur.

(a) Ead. p. 1. p. 27.

*Joannes &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Venerabilis frater noſter Guido epiſcopus Ferrarienſis auctoritate literarum noſtrarum, ſibi & dilecto filio inquiſitori hæreticæ pravitatis in provincia Lombardiæ ſuper hoc directarum, interdum cum dicto inquiſitore, interdum ſolus, prout ex forma dictarum literarum & ex commiſſione ſibi ſuper hoc facta per dictum inquiſitorem competebat procedens, aſſerens dictos nobiles* ( nimirum Raynaldum & Opizonem Ateſtinos ) *clare & manifeſte fore convictos de criminibus hæreticæ pravitatis, cum dixiſſent & protuliſſent pluries & ſcienter in publicum, quod Deus nihil habet in terra facere, nec de factis hominum, nec de mundo hujuſmodi intromittit; item quod eccleſia Romana eſt nihil, & quædam barataria, nec vera eccleſia eſt cenſenda; item quod non ſit peccatum ſpoliare eccleſias Dei & miniſtros earum; plura etiam alia dixerant erronea & abominabilia contra fidem, quæ præfati nobiles negare, ac audaci quadam obſtinatione in negatione perſiſtere præſumpſerant, ac expreſſe contrarium affirmare, quas reſponſiones & negationes emendare in termino præfixo peremptorie non curarant; diffinitive ſententiavit eoſdem nobiles in ſuis negationibus perſiſtere pertinaciter, & tanquam hæreticos judicavit, pœnas eiſdem imponendo varias, ipſoſque declarando alias incurriſſe, prout in proceſſibus ſuper præmiſſis per præfatos epiſcopum & inquiſitorem interdum ſimul, interdum ſeparatim, ut præmittitur, habitos plenius continetur: quorum quidem omnium proceſſuum præfatorum extenſam ſeriem propter prolixitatem eorum præſentibus non duximus inſerendam, licet velimus haberi ac ſi de verbo ad verbum continerentur plene & totaliter in eiſdem.*

Ut poſtulati ſint hæreſeos.

Impiæ voces ab iiſdem fuerint jactatæ.

LVI. *Cum autem ille, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & quod ad agnitionem veniant veritatis, cuique cum voluerit ſubeſt poſſe, cor eorum tangere placuit, ac oculos eorum, quos culpa clauſerat aperire, ad cor iidem nobiles redeuntes, ſuoſque enormes ac deteſtabiles attendentes exceſſus, nec non & pericula varia, in quæ inciderant propter illos, corde contrito & humiliato ſpiritu, ſicut ſequentia prætendebant; in Gaſparinum de Thaghis legum doctorem & Albertinum Abobus filium quondam Jacobini ſpeciales eorum procuratores & nuncios, ad omnia infra ſcripta plenum & ſufficiens ab eis mandatum habentes, prout in literis ſuper hoc confectis, & eorum ſigillo munitis, quas penes nos retinuimus, continetur plenius, ad noſtram præſentiam perſonaliter deſtinarunt. Qui quidem procuratores & nuntii coram nobis & noſtris fratribus comparentes, habentes & geſtantes circa collum funes in ſignum ingentis contritionis de iis, quæ commiſerant & doloris, in noſtra & dictorum fratrum, nec non archiepiſcoporum & epiſcoporum & aliorum prælatorum, tunc in curia Romana morantium, ac officialium noſtrorum & ſedis ejuſdem copioſa multitudine præſentia conſtituti, dictorum nobilium nomine recognoverunt & confeſſi fuerunt expreſſe procuratorio nomine & ut nuncii eorundem, quod prædicta civitas Ferrarienſis, ejuſque diſtrictus cum omnibus juribus & pertinentiis eorundem ad plenum jus & proprietatem B. Petri & ejuſdem Rom. eccleſia pertinebant; quod fuerant, ſunt, & eſſe debent de omnimoda juriſdictione, poteſtate, & dominio cum mero & mixto imperio Romanæ eccleſiæ memoratæ; quodque iidem nobiles in juriſdictione, poteſtate & dominio & mero ac mixto imperio civitatis prædictæ & diſtrictus ejuſdem, ſeu in aliquibus vel eorundem aliquo, jus aliquod non habuerant, nec habebant, ſalvis & reſervatis præfatis nobilibus omnibus & ſingulis domibus, poſſeſſionibus, & rebus, ac juribus, quæ de jure pertinent ad eoſdem in civitate præfata, ejuſque diœceſi & diſtrictu: ita tamen, quod reſervatio hujuſmodi facta dictis nobilibus referri non debeat, neque poſſit ad jus, juriſdictionem, vel dominium civitatis, comitatus, & diſtrictus prædictorum in ſolidum, vel pro parte, vel ad aliquid eorundem; ac inſuper civitatem & diſtrictum prædictos cum omni juriſdictione, poteſtate, dominio, mero & mixto imperio, & quocumque regimine eorundem, quatenus de facto illa vel eorum aliqua fuerant vel eſſe potuerant quomodolibet apud nobiles memoratos, in noſtris manibus procuratores prædicti eorum nomine libere reſignarunt, ac claves civitatis prædictæ nobis ibidem præſentialiter & manualiter ſupradicto nomine nihilominus aſſignarunt: proponentes inſuper prædictorum nobilium nomine procuratores prædicti, quod dicti nobiles originem traxerant ex parentibus catholicis & eccleſiæ Romanæ fidelibus & devotis, qui eidem eccleſiæ contra ſuos emulos & rebelles adhæſerant & aſtiterant, ſpretis rerum diſpendiis, nec vitatis perſonarum periculis opportunis auxiliis: ad hæc exempla ſequentia ſubjungentes.*

Pœnituerit eos ſcelerum.

Miſſi oratores pendente e collo laqueo veniam flagitarint.

Profeſſi ſint Ferrariæ imperium ad eccleſiam ſpectare.

Majorum ſtudia in eccleſiam expoſuerint.



LVII. *Azo quidem Eſtenſis marchio & progenitor eorundem, ſicut propoſuerunt & aſſeruerunt procuratores prædicti, cum toto ſuo exfortio cum quondam Gregorio de Monte longo tunc A. S. L. ad captionem & recuperationem civitatis prædictæ per Rom. eccleſiam fuerat, quæ tunc per Salinguerram vicarium quondam Frederici olim Rom. Imp. detinebatur indebite occupata; quodque idem Azo cum toto prædicto exfortio etiam fuerat ad capiendum * Guezclinum de Romano rebellem eccleſiæ memoratæ. Raynaldus quoque marchio Eſtenſis eorum ſimiliter prædeceſſor pro devotione ejuſdem eccleſiæ ab eodem Frederico captus extiterat, & in Apuliæ partibus in ejus carceribus interemptus. Multa quoque & alia eorum majores fecerant in ſubſidium, defenſionem, & exaltationem ejuſdem eccleſiæ, quæ longum eſſet per ſingula enarrare. Adjecerunt inſuper procuratores prædicti, quod majores ipſorum nobilium affinitates & parentelas & ligas cum fidelibus eccleſiæ & devotis ſemper conſueverunt contrahere & inire, ſeque in charitatis operibus, eccleſias & hoſpitalia conſtruendo, eaque de bonis dotando propriis, & aliis piis operibus exercere: ſubjungentes quod dicti nobiles, majorum ſuorum veſtigia imitantes fidem tenent & tenuerunt hactenus & intendunt tenere immobiliter in futurum, quam tenet ſancta Romana eccleſia atque docet.*

* al. Ezelinum.

Orthodoxam fidem colere aſſirmarint.

LVIII. *Credunt quoque & crediderunt & intendunt credere firmiter in futurum, quod Deus creator eſt & dominus cœli & terræ & omnium, quæ in eis ſunt; qui omnia bene fecit, & ſine eo factum eſt nihil; quod in mundo niſi ipſo volente nihil permittitur, vel permittente fit nihil. Item quod Romana eccleſia illa, cui nos præſidere fatentur, eſt ſancta, catholica, & apoſtolica eccleſia, quam ipſi credunt; & quæ ipſa credit & docet, credunt ea ſervanda & tenenda expreſſe, ac in contrarium credere hæreticum profitentur.* Et infra. *Verum eſt tamen quod cum interrogarentur ſuper aliquibus verbis, quæ dicebantur dixiſſe, cum illa non protuliſſent, nec eorum mentem intraſſent, prout eorum memoriæ occurrebat, ſe illa nequaquam dixiſſe, nec ea credere, nec unquam crediidiſſe; ſed contrarium reſponderunt, cum aliud non poſſent, ſalva conſcientia, reſpondere. Et quia memoriam hominum labilem eſſe conſtat, adjecerunt quod ſi ipſos illa contigiſſet aliqualiter protuliſſe, illa non ex propoſito ac penſate, nec ex certa ſcientia, ſed potius inconſulto calore iracundiæ, vel per jocum, vel ex animi levitate, non in contemptum Romanæ eccleſiæ, vel noſtrum, ſeu nunciorum ejuſdem ſedis Apoſt. fuerant ab ipſis prolata. Ad quæ probanda, nec non quod teſtes, qui eos ea protuliſſe dixerant, falſum ipſos ex eo depoſuiſſe manifeſtius apparebat, quod illa die in loco illo non fuerant, in quo ea eos deponebantur dixiſſe.* His permotus Pontifex, in marchiones Ateſtinos explicuit clementiam, ac Bertrando legato provinciam dedit, ut eos cenſuris ac pœnis, quas contraxerant, liberaret; tunc addit: *Ipſos inſuper dictos nobiles & quemlibet eorum reſtituimus in integrum ad ſtatum, dignitatem, & bona, ſalvis ſubſequentibus de apoſtolicæ, nec non & imperialis, quæ ad nos vacante imperio, ſicut & nunc vacat, pertinere noſcitur, plenitudine poteſtatis. Subjungit Pontifex paterna monita, ut fidem orthodoxam colant, linguamque a blaſphemis fundendis vocibus coerceant, obſequentes ſint eccleſiæ, & caſtrum Argentæ Ravennati eccleſiæ reſtituant. Dat. Avin. nonis decembris anno* XIII.

Eorum de objecta hæreſi excuſatio.

LIX. Nec Ferraria modo, verum plures etiam aliæ urbes Romanæ eccleſiæ obnoxiæ ad officium rediere (a). Tarviſini (b) in ditionem eccleſiæ ſponte conceſſere, actæque a Pontifice Gonzolo Tempeſtæ & Tarviſinis ipſis de tam egregio in eccleſiam ſtudio gratiæ, quorum adminiſtratio *Bertrando* Cardinali legato concredita (c). Parmenſes contra, quamvis de inſtituenda in eorum urbe academia Pontifex conſilia agitaret (d), ineunte auguſto pontificiorum ducum gravius jugum queſti, copias pontificias urbe depulere (e); dieque inſequenti Rhegienſes (f) a legato defecere; & cum Scaligero in fœdus cojere. Crevit vero admodum Scaligeri Veronenſis potentia, cum demum Patavium ſæpius antea fruſtra bello tentatum, atque ob diſcordias attritum in ſuam redegit poteſtatem (g). Interceſſiſſe vero antea inter Carrarenſes Patavinoſque Nicolaum & Marſilium atroces diſcordias, e Pontificiis literis (h) ad Nicolaum datis colligitur, quibus conqueritur indigna inter fratres odia creviſſe, alterumque alterius exitium moliri; neque enim id modo a decoro abhorrere, verum publicam rem in diſcrimen adducere: dataque abbati monaſterii Vvangadiſſenſis & Bertrando Raimundi provincia, ut omni ſtudio & opera ipſos inter ſe conciliare niterentur. Potitum (i) autem Canem Scaligerum Patavio Marſilii & ſociorum voluntaria deditione proditioneque, refert Muſſatus, cum fruſtra antea pluribus eam prœliis laceſſiviſſet: ita miſera urbs ſuorum magiſtratuum fœdata ſceleribus, ſervitutem commutavit. Obſervat vero auctor, Canem Scaligerum mox eccleſiaſticas opes, ſcilicet monaſterii S. Juſtinæ, alendis pauperibus ſacras, in Marſilium contuliſſe, ut eo beneficio ornaret proditorem,

Plures urbes ad eccleſiæ imperium traductæ.

Tarviſium in eccleſiæ ditionem concedit.

Parma & Regium a Pont. deficiunt.

Scaliger Patavio potitus.

Marſilius deditionis auctor.

(a) To. 7. p. 1. ep. ſec. pag. 30. 42. Jo. Vill. l. 10. c. 96.
(b) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 13.
(c) Ead. p. pag. 12.
(d) To. 6. p. 3. ep ſecr. pag. 90.
(e) Jo. Vill. l. 10. c. 97.
(f) Ead. cap.
(g) Eod. l. c. 105.
(h) To. 6. p. 3. p. 126.
(i) Muſſ. l. 12. de reb. Ital.

rem, cui hæc nullo emolumento fuiſſe auctor exprobrat; *Ab Marſili, mille panes per ſingulos dies de mille pauperum manibus rapuiſti, non plus quam uno ſolo refectus & paſtus; nec tamen Deo ſupplente defuit, quin & ſinguli eorum panibus uberius quam tu veſcerentur; ac mille ſaturatis a Deo, tu unus famelicus permanſiſti; templis Dei ſanctorum Proſdocimi & Juſtinæ eleemoſynas mille egenorum aſſiduas in tua horrea ſubtraxiſti, Tartari & Ubertinelli ſucceſſor & ſacrificiorum libamina combibiſti: Sed auctore Cane, inquis, conceſſa & donata poſſideo, &c.* Ex quo & aliis obſervandum, Gibellinos proceres, qui in Italia cæſaream tueri dignitatem præ ſe ferebant, fuiſſe maxima ex parte ſacrorum prædones, indeque juſtitiam pontificæ cauſæ adverſus horum fautorem Ludovicum patere.

LX. Carolus dux Calab. morbo extinctus.

(a) *Jo. Vill. l. 10. c. 111. Ant. 3. p. tit. 21. c. 6.*

(b) *Jo. Vill. l. 10. c. 22. Summon. in hiſt. Neap. l. 3. & alii.*

Oppreſſus eſt hoc tempore Robertus Siciliæ Rex graviſſimo luctu domeſtico, cum regnorum heres Carolus Calabriæ (*a*) & Florentiæ dominus unigenitus, contracto in venatione morbo, Neapoli nono novembris ſublatus eſt, nullis relictis liberis maſculis (ſuſceptus in lucem ſuperiori anno Florentiæ filius Carolus brevis ævi extitit *b*) ſed filia tantum Joanna, atque alia poſthuma, ſepultuſque in monaſterio S Claræ XIV. novembris. Confectum e filii obitu dolore Robertum ea verba uſurpaſſe ferunt: *Cecidit corona capitis mei.* Et quidem ex Joannæ I. in regno ſucceſſione maxima in Siciliam invecta ſunt mala, quæ ſub Joanna II. recruduiſſe videbimus, donec regnum illud diuturnis bellis laniatum Gallico generi ereptum eſt. Accepto Caroli ducis obitu Pontifex Robertum Regem ad Chriſtianam conſtantiam hiſce literis excitavit (*c*).

(c) *To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 145.*

Robertus Rex ad Chriſtianam conſtantiam excitatus a Pont.

*Joannes, &c. Roberto Regi Siciliæ illuſtri.*

*Scimus, fili chariſſime, tranſitum benedicti tui unigeniti, quem non abſque ſtupore & ingenti cordis amaritudine & dolore audivimus his diebus, & tibi & nobis, immo & cunctis fidelibus, ſecundum ſenſualitatem gravem doloris & anxietatis materiam miniſtraſſe: debet tamen, fili chariſſime, zelum temperare ſcientia, & dolorem ſpei fiducia delinire; immo & te & nos decet non modicum conſolari, ne illius benedicti anima nos poſſit arguere de inopia charitatis, dicens & ipſe quod dominus ad Apoſtolos ait: Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem. Spe enim tenemus firmiſſima, quod ipſum Pater cœleſtis de valle miſeriæ mundi hujus eduxerit, tanquam ſibi dilectum & placidum ad illam cœleſtem Jeruſalem delaturus. Adbuc quæ cauſa dolendi, ſi iſti viro inclyto charo noſtro miſeriarum finis, anguſtiarum terminus, laboris exitus ſunt conceſſi? ſi de labore ad requiem, de periculo pervenit ad ſecuritatem & pacem? Profecto, fili chariſſime, ſi hoc conſideremus attente, conſolationis magnæ nobis materiam miniſtrabunt, &c. Dat. III. id. decembris anno XIII.* Eodem argumento exaratis literis confectam luctu Sanciam Reginam erigere ſtuduit (*d*); in quibus hæc inter alia.

(d) *Ib. pag. 146.*

Conſolatoriæ ad Sanciam literæ.

*Expedit humanis non indulgere ſemper affectibus, ſed præſcindere potius rationabili conſideratione dolorem, attendentes quod ad nos illum revocare non poſſumus, ſed voluntati divinæ noſtram, quantum potuimus, ſtuduimus conformare.* Et infra: *Ideoque ſerenitatem rogamus regiam, ut & tu, filia chariſſima, hæc & alia, quæ tibi Dominus inſpirabit, recogitans diligenter, de tam gravi jactura in Domino conſoleris, vigilans ut quando dies vocationis tuæ, utique certa quæ veniet, ſed quando incertiſſima venerit, ſpiritum Deo reddere ſis parata; circa conſolationem dicti Regis viri tui intendens ſolicite, quem Deus totius conſolationis dignetur juxta tuum & noſtrum deſiderium conſolari, quod attenta ſua immenſa prudentia & ſcientia ſperamus effici, immo & ipſum alios conſolari. Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tecum. Amen.*

LXI. Guelfi ex Caroli obitu conſternati.

(e) *To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 27.*

(f) *Reg. poſt eand. ep.*

Dejecti ſunt ob Caroli ducis mortem Guelphorum Italiæ animi, quorum maximæ ſpes in eo erant collocatæ: interque cæteros conſternati Florentini (*e*) ac Senenſes (*f*), quos ducis imperii ſe ſubjeciſſe vidimus, ut illius clientela adverſus tyrannorum impetus tegerentur: eos vero recreare in illa conſternatione Pontiex niſus eſt. Cæterum mutatam mox ob Caroli mortem Florentinæ reipub. formam deſcribit Joan. Villanus (*g*), quibus antea Robertum Reg. filium ac Carolum quingentos equites cataphractos feſto omnibus ſanctis ſacro ſubmiſiſſe in auxilium ait (*h*): periclitabantur enim ob Ludovici Bavari ad Piſanam urbem adventum, in qua dum morabatur, octingenti equites ſuis fraudati ſtipendiis ab eo defecere (*i*). Ipſe vero ibi agens, priora facinora confirmare, & novis augere aggreſſus eſt conſilio Michaelis Ceſenatis, qui tum hæreſiarcham ſe profeſſus eſt; de quo ſceleſtiſſimo homine, inficere ſuis hæreſibus univerſam eccleſiam moliente, nunc agendum eſt.

Mutata reip. Florent. forma.

(g) *Jo. Vill. l. 10. c. 112.*

(h) *Eod. l. c. 110.*

Pars Germanici equitatus a Lud. deficit.

(i) *Eod. l. c. 109.*

LXII. Michael Cæſenas Ludovicum in Pont. exaſperat.

Texerat ſua hypocriſi Michael impium faſtum, quem de ſua ſcientia conceperat, poſtquam enim in Peruſinis comitiis in controverſia fidei erroneam ſententiam temere promulgarat, ita in male cœptis obduruit, ut errorem, quem multis ſcriptis, quæ a Romana eccleſia

dum



Quæ fuerint illius apoſtaſiæ exordia.

dum controverſiam agitabat, diſcuſſa fuerant, in præſulum & doctorum cætibus defenderat, licet damnatus hæreſeos fuiſſet apoſtolica ſanctione, *Cum inter nonnullos*, pertinaciſſime tamen tenuerit, lapſuſque ſit in hæreſim quam variis artibus affundere ſodalium animis, & latius propagare; tum in ſocios, qui ipſi adverſabantur, tyrannidem exercere præſumpſerit (*a*). Ob hæc ſcelera vocatus (*b*) ad curiam pontificiam, ut paternis monitis ad officium revocaretur, diu conquiſitis adverſæ valetudinis mendaciis ſubterfugit; denique exeunte ſuperiore anno Avenionem ſe contulit: quem produci menſe aprili hujus anni ante ſe voluit Pontifex, ut ipſum paterne emendaret, coramque Bertrando e Turre Cardinale Minorita & ordinis procuratoribus increpitum, objectis cenſuris, e Romana curia diſcedere vetuit. Potuerat Joannes ſuſpicione hæreſeos laborantem juſto carceri una cum perfidiæ ſociis addicere; verum benignitate eos ad officium adducere optabat: ſed homo arrogans in iras efferatus impia defectionis ab eccleſia iniit conſilia. Et fugæ colorem aucupaturus, Franciſcanos duos, qui interfuerant rei, cum increpitus fuerat a Pontifice, adduxit ut ad ipſius gratiam publicum de re geſta documentum hoc ederent (*c*).

Ut in jus vocatus ſit.

(a) *To. 6. p. 3. ep. ſecr. pag. 188.*

(b) *Nic. Mi. MS. bibl. Vat. ſign. n. 4008. pag. 21.*

(c) *Ext. ib. pag. 22.*

*Anno Domini* MCCCXXVIII. IX. *die aprilis, quæ fuit ſabbato in albis, dominus Joannes Papa XXII. fecit vocari coram ſe fratrem Michaelem miniſtrum in præſentia domini fratris Bertrandi de Turre Cardinalis, & fratrum Petri de Prato miniſtri provinciæ S. Franciſci, Raimundi de Lados procuratorum ordinis in Romana curia, & Laurentii de Coalbano baccalarii Avinionenſis: & dixit generali miniſtro prædictus dominus Joannes Papa, cum inter multa alia nuncupans, quod erat ſtultus, temerarius, capitoſus, tyrannus, fautor hæreticorum, & quod erat ſicut ſerpens nutritus in ſinu ab iſta eccleſia, & ſpecialiter increpavit eum de quadam litera capituli generalis facta Peruſii, quod quæſtione pendente in curia, ipſe eam determinare cum capitulo generali præſumpſerat: quam literam dixit fuiſſe & eſſe hæreticam pluries & frequenter. Ultimo præcepit ſibi per obedientiam & ſub pœnis excommunicationis, privationis officii, & inhabilitationis ad quodcumque officium & beneficium, ut non exiret de Romana curia ſine licentia ſpeciali: quas pœnas, ut dixit, volebat ipſum incurrere ipſo facto in hora, qua exire de curia attentaret.*

Increpitus ſit a Pont.

Vetitus diſcedere.

LXIII. Se reſtitiſſe Pontifici gloriatur.

Reſtitiſſe in faciem Pontifici Michaelem refert Nicolaus pſeudominorita ſchiſmaticus, eumque laudat conſtantiæ, de quo poſtea etiam Michael gloriatus eſt: cujus impudentiam Gerardus, in locum illius poſtea ſuffectus ſupremus præfectus Minoritarum, ita refregit (*d*): *Domino Papæ te mendaciter aſſeris reſtitiſſe: noſti namque quod qui fugit a facie, non reſtitit in faciem; nec Paulus reſiſtens Petro fugit a facie Petri, nec ſimulatione veritatem periclitari permiſit. Tu autem, ſicut res geſta declarat, a facie domini Papæ nocturno tempore ſicut fur & latro fugiſti. Non igitur ſicut Paulus in fide & veritate doctor gentium reſtitiſti, ſed ſicut Agar mater infidelium fugit a facie Saræ dominæ ſuæ, ſic tu a facie ſedis Apoſtolicæ dominæ tuæ velut deſperatus homo fugiſti.* Et infra: *Quod autem argumentis vaniſſimis innitaris, luculenter apparet, tum cum vis tuam apoſtaticam fugam etiam Chriſti conſilio colorare, dicis quod Papa te tuoſque ſequaces perſequebatur uſque ad mortem, ideo juxta conſilium Chriſti dicentis: Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite ad aliam; in civitatem Piſarum te tranſtuliſti. Sed verecundari deberes tu, qui confidis te ducem eſſe cœcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infatuatorum, habentem formam ſcientiæ, qui doctor cognominaris theologiæ, quod ita ſcripturam accipias, quod taliter arguas: legis enim, ſi codicem verum habes, Matth. x. Cum autem perſequentur vos in civitate iſta; non dicit una, ſed iſta, de qua ſcilicet ſermo præceſſerat, ubi Dominus dixerat: Quicumque non receperit vos, exeuntes foras de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus veſtris: ubi enim peregrinum cives non recipiunt, nec audire volunt, ſed de civitate ſua illum expellunt, utique perſequuntur: & de tali civitate ſuadet Dominus, quod prædicatores verbi Dei exeant, & in aliam tranſeant, fructum facturi ſalutis. Tu tamen in civitate Avinionenſi receptus fueras, expulſus non fueras: immo quod non recederes juſſus fueras; coram domino Papa prædicaveras de fide, auditus & audiendus eras: locum convenientem habitationis, ſufficientiamque victus, libertatem prædicandi, & facultatem loquendi & conſiliandi cum quibus velles, habebas. Dicat ergo tua nequam conſcientia, ſi in tali caſu jubet vel conſulit Dominus fugere, & ad aliam civitatem ire. Nonne dicit: Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum? Quia ergo propter tuam non juſtitiam, ſed injuſtitiam puniri timebas, de Chriſti conſilio nec de Chriſti promiſſis curaſti, ſed ut videtur, ad memoriam reduxiſti verba B. Petri dicentis: Nemo veſtrum patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: ſi autem ut Chriſtianus, non erubeſcat. Quia er-*

Refracta ejus jactantia.

(d) *Apud eund. Nic. Min.*

Ejus argutiæ ſubdolæ confutantur.

go

*go de fide interrogari erubuiſti, evidenter utique demonſtraſti, quod non ut Chriſtianus, ſed ut maledicus pati timebas: nec juxta conſcientiam Pauli, cui te comparas, aufugiſti*. Auget illius fugæ apoſtaticæ crimen loci, ad quem fugit, circumſtantia; quo nomine ita eum perſtringit Geraldus: *Receſſiſti a vicario Chriſti, & acceſſiſti ad vicarium antichriſti*. Et infra: *Acceſſiſti, ut tu ipſe dicis, ad civitatem Piſarum, ubi tunc erat ſedes ſathanæ*. Ex his arguendus nitelæ Franciſcanæ religionis auctor (a), qui hæreſiarcham de fuga excuſat, & Chriſti vicarium indigne carpit: *Pontificem*, inquit, *iratum non ſuſtinens, & quantis æmulorum ſubjaceret inſidiis perpendens, cum in auribus ſenis, ætatis & propenſionis vitio ad ſuſpiciones prompti, inania pericula & varios caſus inſtillare continuo non deſiſtebant; expertus etiam eſt die decima menſis aprilis quam acerbo in eum ſtomacho ferveret Joannes, quamque oblique deciſionem Peruſinam reſpiceret*. Hæc ille, qui potius pii Minoritarum magiſtri verba attendere debuit, quam pervicacis hominis deliria, quem non religionis zelus, ſed ambitionis furor tranſverſum egit. Antequam vero fugam caperet XIII. aprilis die nefariam provocationem edidit (b), cujus cauſam hanc memoratus Nicolaus affert: *Cognoſcens*, inquit, *& intelligens, quod dictus dominus Joannes Papa intendebat eum cogere ad abnegandum dictam determinationem capituli generalis*. Facti vero turpitudinem in totius ordinis invidiam derivare niſum, indicat idem ejus ſequax Nicolaus: *Videns*, inquit, *præfatus generalis arreſtatus, quod dicta pronunciatio, ſive aſſertio & arreſtatio erant in enorme ipſius præjudicium & gravamen, ac ordinis & capituli generalis & fidei orthodoxæ, & ſentiens ſe & dictum ordinem ex prædictis enormiter aggravatum & aggravari poſſe ex prædictis, &c.* Ita Michael, ut male in Peruſino cœtu a ſe ac ſodalibus definita (c) tueretur, ſchiſma & hæreſim conflavit.

(a) *Nitel. Franc. c. 3. ad ann. 1328. pag. 351.*

Vaniloquium recentioris ſcriptoris refellitur.

(b) *Ext. ea ib. pag. 22.*

Afficta illi ab ſchiſmaticis excuſatio.

(c) *Ext. ea definitio pap. an. Chr. 1322. n. 54. ex Nic. Min. pag. 1. &c.*

LXIII. Dum porro varias nocendi artes explorat, ſuorum opera, perdita agitat conſilia cum Ludovico Bavaro: qui cum jam ante, ut vidimus, Michaeli & ſociis Minoritis objeciſſet hæreſim, & ſacras exhomologeſes pandere, & ſacramenta profana facere diceret, ac Pontifici, quod Minoritas ſingulari ſtudio proſequeretur, in hæreticos ſtudium aſperſiſſet; ſuborta poſtea controverſia de proprio, cum Michaelem plura in eccleſiam moliri advertiſſet, hunc & ſocios partium ſuarum idoneos adminiſtros futuros ratus, eorum hæreſim propugnandam publice ſuſcepit (d), coluitque ut viros ſanctos, quos antea, cum putaret addictos Pontifici, ut hæreticos exagitaverat. Ludovicus itaque rogatus ut triremem inſtructam ad Michaelem, Ochamum, & Bonamgratiam excipiendos mitteret, non defuit: qua læti occaſione Michael cum ſociis deſcivit ab eccleſia, tacitamque fugam in Italiam capeſſivit (e) menſe majo, Piſaſque applicuit; ubi mox dies noctesque trivit, ut volumen pro concepta hæreſi propugnanda conficeret, & ſchiſma amplificaret. Titillatum ſpe atque illecebra corripiendi antipapatus fugiſſe, poſtea increbuit (f). Porro in illum Pontifex judicariam actionem inſtituit, & in locum ejuſdem apoſtatæ Bertrando e Turre Cardinale Minoritarum ordini ſubrogato, decretoriam tulit ſententiam, quam Bertrando e Podieto epiſcopo Tuſculano in Italia legato divulgandam tranſmiſit (g), in qua obiicitur Michaeli, illum multa tum alibi tum Romæ in fidei orthodoxæ odium commendationemque hæreticorum effudiſſe, in jus vocatum accerſitis variis fucis judicium declinaſſe, pios quoſque & in eccleſiam egregie affectos vexaſſe; participes vero nefariorum conſiliorum promoviſſe: cumque ob patrata illa ſcelera contra eccleſiæ majeſtatem juſte vinculis mancipari potuiſſet, religioſi tamen, cui præerat ordinis honori parcitum, intentataque anathematis & exauctoramenti religione imperatum fuiſſe, ne ſine pontificia facultate pedem Avenione efferret. Deinde ſubdit.

(d) *Ext. ea de re Lud. libel. apud Nic. Min. pag. 13.*

Ad eccleſiæ hoſtes deficit.

(e) *Nic. M. in. pag. 28.*

(f) *Jo. to. 6. p. 3. ep. ſecr. pag. 197.*

(g) *Ead. ep. p. 3. pag. 188. reper. idem proc. in chart. perg. n. 214. Avin. arch. an. 1594. & deinde Rom. tranſlatus.*

LXIV. *Poſtmodum vero præfatus Michael audita intruſione, quæ de quodam prædicti ſui ordinis per illum iniquitatis filium Ludovicum de Bavaria, Dei & ejuſdem eccleſiæ manifeſtum perſecutorem & hoſtem, & de hæreſi ſententialiter condemnatum, patrata in Urbe prædicta dicitur, ad quam ipſe Michael pro perſona ſua nequiter aſpiraſſe dicitur, ac etiam aſpirare; intellecto quoque, quod quædam armata galea, quam ipſe ſibi per dictum Ludovicum mitti procuraverat, ſicut patronus ejuſdem galeæ affirmavit poſtmodum, de Aquiſmortuis applicarat, prædictis inhibitione ac pœnis & ſententiis in contemptum deductis, nocturno tempore latenter & furtive de civitate prædicta receſſit: & aſſociatis ſibi quibuſdam ſuæ iniquitatis complicibus (inter quos erant duo nequam viri, videlicet Bonagratia de ordine prædicto, qui ſuis exceſſibus & delictis exigentibus in eadem curia arreſtatus ad ſancta Dei evangelia juraverat, ſe de ipſa curia minime ſine noſtra ſpeciali licentia receſſurum; & quidam Anglicus vocatus Guillelmus Okam ordinis prælibati, in quem ratione multarum opinionum erronearum & hæreticarum, quas ipſe ſcripſerat & dogmatizaverat, pendebat in eadem curia inquiſitio, auctoritate noſtra diu jam incœpta; & propter hoc erat, ne abſque noſtra licentia de curia memorata diſcederet, arreſtatus) ad portum ſupradictum deveniens, ſeque reddens cum dictis complicibus fugitivum, primo quandam navem ſeu chocam, ac deinde galeam ſupradictam conſcendit*. Addit Pontifex ſe, illorum comperta fuga, epiſcopum Portuenſem atque alios viros ad perfugas revocandos miſiſſe: qui ſpreta auctoritate apoſtolica reſponderint, ſe ad Nicolaum Papam ac Ludovicum cœptum iter proſecuturos: atque ideo teſtatur Joannes ſe perfidum ac ſchiſmaticum hominem ſuprema Minoritarum præfectura deturbaſſe, illudque munus ex Cardinalium conſilio in Bertrandum e Turre epiſcopum Card. Tuſculanum contuliſſe: quem ad rebelles percellendos, & ejuſdem religioſæ familiæ ſtatum optime componendum ſumma auctoritate inſtruxit, utque eam provinciam ſuſciperet, obiretque, adhortatus eſt. *Dat. id. junii pontific. noſtri anno* XII.

Affectavit antipapatum.

Bonagratia & Ocham rebellant in Pont.



LXV. Edixit præterea Pontifex archiepiſcopis (a), ut ſententiam pontificiam in Michaelem Cæſenatem, Bonagratiam, Ochamum, alioſque e pontificia aula fugitivos, hæreſeos, & ſchiſmatis juſta ſuſpicione infames, atque anathemate defixos e Cardinalium conſilio vibratam ſolemni ritu promulgarent, nefarioſque homines in vincula coniicerent. Tum Robertum Siciliæ Regem rogavit (b), ut defendendæ eccleſiæ ſtudio Michaelem qua terra qua mari inſectaretur, & comprehendendum curaret: quo etiam argumento ad Conradum Spinulam regiæ Roberti claſſis præfectum ſcripſit (c). Michael vero ad ineundam a Pontifice gratiam Philippi Galliarum Regis auctoritatem adhibuit, ut ſibi in Galliis muneris ſupremi apud Minoritas obeundi facultatem concederet: cui Pontifex commiſſa ab illo ſcelera, ut antipapæ ac Ludovico adhæſiſſet, quin etiam ſe in Petri ſedem intrudere affectaſſet, retexit (d); ex quibus juſtas in perditos homines iras conciperet. Quo accepto Philippus animum a Michaele avertit (e): pariterque Regina, quæ antea flagitarat a Joanne, ne in Michaelem pontificiam ſeveritatem diſtringeret, de commiſſis ab eo ſceleribus edocta reſcripſit (f) Pontifici, nullum in Gallica aula patrocinium Cæſenati, ſi ad eam confugeret, præſtitum iri. Fuiſſe vero Michaelem hoc anno Pariſiis damnatum in Minoritarum comitiis, refert Pegna (g). Cæterum alios etiam Reges Eduardum (h) Angliæ Reginamque Iſabellam, Alfonſum Aragonum, Jacobum (i) Balearium, Philippum principem, ac Toletanum archiepiſcopum de juſta in Michaelem lata ſententia certiores fecit.

(a) *To. 6. p. 3. ep. ſecr. pag. 123. 124.*

(b) *Ib. pag. 238.*

(c) *Ib. pag. 222.*

(d) *Ead. p. pag. 197.*

(e) *Ib. ep. 198. & 200.*

(f) *Ibid. pag. 198. & pag. 201.*

Moniti Reges de apoſtaſia Michaelis Cæſenatis.

(g) *Pegn. in Aymer. direct. inquiſ. p. 2. com. 40. in q. 15.*

(h) *To. 6. p. 1. ep. ſecr. pag. 239.*

(i) *Ib. pag. 238.*

LXVI. At Cæſenas flagitio claritatem adipiſci meditatus, a pontificia ſententia ad eccleſiam catholicam provocavit (k) XVIII. ſeptembris. Sed ad quam eccleſiam provocavit? Non ad eam utique, cui præerat Chriſti vicarius, ſed novam hæreticorum colluviem, cujus condendæ princeps extiterat. Præterea hæreſiarcha novus librum (l) ad impietatem propagandam edidit, in quo variis argutiis decretum fidei, *Cum inter nonnullos*, oppugnavit; ipſamque ſanctionem, qua fides orthodoxa adverſus novatores aſſerta eſt, proſcindere maledictis non perhorruit, vocans *hæreticalem, deteſtabilem, religionis & fidei deſtructivam*. Tanta hominis impii fuit inſania, cum tamen in eadem ſanctione nil aliud contineatur, quam Chriſtum & Apoſtolos juſte rebus neceſſariis ad vitam uſos. Alias quoque duas conſtitutiones, *Ad conditorem*, & *Quia quorundam*, confutare aggreſſus, in iis etiam, quæ nullatenus ſpectant ad fidem, plurium hæreſeon calumniam Pontifici aſperſit. Ejuſmodi autem librum Ludovicus Bavarus, a Michaele in breviorem formulam redigi voluit: & hunc poſteriorem libellum (m), in quo Cæſenas hæreſiarcha novem errores contra tres memoratas conſtitutiones orthodoxæ fidei aſſertori Pontifici impingit, una cum ſententia, (n) quam ipſe Romæ XVIII. aprilis tulerat in Pontificem, oſtiis Piſanæ eccleſiæ affigi juſſit XII. decembris: quibus nefariis libris Ochamus & Bonagratia ſua nomina appoſuere. Quin etiam commentarium alium compoſuit Michael, (o) in quo vertit in quæſtionem, an Pontifex ſine concilii ſententia tenendus foret hæreticus: quippe catholici ſentiebant non poſſe, neque ad Ludovicum ob cæſareos apices damnandi Pontificis ſententia hæreſeos munus ſpectare; tenendumque ſine concilio hæreticum concluſit.

Impia Michaelis Cæſ. ad concilium provocatio in Pont.

(k) *Ext. ejus appellatio tranſlata Rom. ex arc. Aven. ſig. n. 251. Ext. etiam apud Nic. Min. MS. bibl. Vat. ſign. n. 4008. pag. 29.*

(l) *Ext. apud eund. Nic. ib. ad pag. 75.*

Eam Ludovicus una cum ſuis edictis promulgat.

(m) *Ext. ib. pag. 75.*

(n) *Ext. ib. pag. 88.*

(o) *Ext. ib. pag. 82.*

LXVII. Fretus deceptuſque hujus hæreſiarchæ nequitia Ludovicus Piſis XIII. decembris, ut refert Joannes Villanus (p) maximos ſequacium ſuorum cœtus habuit, in quibus Michael ampullata oratione plurium hæreſeon calumnias effudit in Pontificem: cumque maledicendi finem feciſſet, mox Bavarus in Joannem veluti hæreticum pronuntiavit ſententiam, & pontificatu ipſum deturbare auſus eſt. Addit Villanus Pontificem eodem menſe recurrentibus quatuor temporum jejuniis Avinione in Cardinalium & præſulum ſenatu edicta in Ludovicum veluti hæreticum & perſecutorem eccleſiæ promulgaſſe, atque ob hæc ſcelera eum cæſarea, ducali, aliave dignitate exauctoraſſe, ac fidei cenſoribus dediſſe partes, ut in ipſum & fautores legum ſeveritatem diſtrin-

Item exauctorare nititur Pontific.

(p) *Jo. Vill. l. 10. c. 115.*

Ab eodem damnatur hæreſeos.

ſtringerent. Quæ quidem ſententia XIII. Joannis pontificatus anno conſignata in charta pergamena exarata reperta (*a*) eſt in Avinionenſis palatii archivio gerente legationem Avinionenſem Octavio Card. Aquaviva.

(*a*) *An. 1594. conſignat. n. 186.*

Judiciariæ actiones in Minoritas ſchiſmaticos.

Diſtricta etiam in apoſtatæ Cæſenatis ſequaces ſeveritas: extant quidem eo argumento datæ ad præſidem Patrimonii beati Petri literæ, quibus ei præcepit, (*b*) ut in Minoritas, qui Michaeli e Cæſena adhærebant, legibus ageret; tum etiam ad Joannem patriarcham Alexandrinum & Petrum archiepiſcopum Cæſaraguſtanum, ut Arnaldum Canelli & Petrum Fibla pſeudominoritas, qui plures in Romanam eccleſiam blaſphemias effuderant, ac per totam Italiam tanquam miniſtri diaboli fœdos errores diſſeminarant, ſeque in Aragoniam ad eam inficiendam contulerant, in cuſtodiam traderent (*c*). Infecti fuere præ cæteris Michaelis partibus Saonenſes (*d*) Minoritæ, e quibus tamen nonnulli oculos ad veritatis lucem extulere: alii in pertinacia obfirmati omnibus privilegiis apoſtolica ſententia exuti ſunt, habendarumque concionum & ſacrarum confeſſionum excipiendarum munere interdicti. Denique anno extremo ſcilicet x. kal. januarias Michaelem horrenda multa adverſus eccleſiam molientem, quem gehennæ filium vocat, pœnis gravioribus devinxit. Agit de Michaele, qui in hæreſiarcham evaſit, Aymericus (*e*) in directorio inquiſitionis, cujus hæreſes recenſet.

(*b*) *To. 7. p. 1. ep. ſec. pag. 41.*
(*c*) *Ead. p. pag. 169.*
(*d*) *Ead. p. pag. 78.*
(*e*) *Aym. dir. inqui. 2. p. q. 9. & Peg. com. 34.*

LXVIII.
Conflata Min. ordini ex aliquorum lapſu ingens invidia.

Ex infelici Michaelis Cæſenatis, Petri Corbariæ antipapæ, Ochami, Bonægratiæ, aliorumque lapſu, jactatiſque adverſus pontificias conſtitutiones vocibus, plures Franciſcano ordini infenſos Pontificem exaſperaſſe in Minoritas, teſtatur S. Antoninus (*f*): ſed Regum principumque precibus ad priſtinum amorem facile revocatum, cum plures viri ſanctitatis laude inſignes in eo ordine verſarentur, neve ſontium pœnis inſontes irretirentur. Præterea aſcitos jam antea in Cardinalium numerum duos Minoritas Bertrandum e Turre & Vitalem e Furno magna contentione eundem ordinem defendiſſe: *Aſſumpti*, inquit, *ad cardinalatus præcellentiam duo fratres Aquitanici, viri utique literati & ſuæ religionis Minorum ferventiſſimi zelatores, frater videlicet Vitalis de Furno, & frater Bertrandus de Turre canum latrantium contra ordinem clamoribus in facie eccleſiæ reſpondent. Vivebat etiam tunc dominus infans Aragoniæ patriarcha Alexandrinus, qui ex magna devotione ad ordinem deferebat habitum Minorum occultatum, qui juvabat fratrum cauſam. Parum ante iſtam tribulationem præceſſerat canonizatio B. Ludovici epiſcopi Toloſani, qui in facie eccleſiæ crebra miraculorum coruſcatione refulgebat. Quis ad dilectionem ordinis fortius efferbuit quam Rex Siciliæ Robertus Ludovici ſancti frater, & domina Regina Sanctia uxor ejus; quæ pro defenſione ordinis perſonam & potentiam ſuam obtulit, eam exponere parata, & pro ſtabilitate ordinis & regulæ parata immolari? Multi quoque Reges ac principes ordinem in tanta tribulatione poſitum adjuvabant in curia, Rex Franciæ, Rex Caſtellæ, Rex Aragoniæ, Rex Cypri, Rex Majoricarum.* Et infra: *Magna pars dictorum Regum & principum ſcripſit pro excuſatione & conſervatione religionis ipſius cordialiſſime domino Papæ; & magni magiſtri & famoſi tunc erant. Et ob hoc divino inſtinctu dominus Papa malitiam invidorum ſuſurrantium & ſolemnitatem & innocentiam religionis perpendens flexus ad eum, tum ex compaſſione tum afflictione literas multum conſolatorias & favorabiles miſit Pariſios capitulo generali, & ad amorem priſtinum eſt reductus.*

(*f*) *Ant. 3. p. tit. 24. c. 9. §. 15.*

Qui Minoritarum ſuſceperint clientelam.

Plures Reges ordini patrocinati.

Conciliatus Minorit. familiæ Pont.

Et quidem Pontificem, exceptis nonnullis pſeudominoritis hæreticis, ſchiſmaticis, & apoſtatis, de reliquo ſacro ordine optime ſenſiſſe, Albertus Callenſis in Piceno, Antonius Sagonenſis in Corſica, Nicolaus Ajacenſis in Armenia, Rodulphus Dunenſis in Hibernia, Joannes Senogallienſis & Matthæus Balneoregienſis creati ex eodem ordine hoc anno epiſcopi demonſtrant (*g*). In literis certe ſcriptis ad Francorum Reginam, ſacram illam familiam pontificiæ clementiæ commendantem, hæc reſpondit: *Quia in eadem literæ recommendationem ordinis adjecit regia celſitudo, preceſque fudit, ut pacem in dicto ordine ponere curaremus; ad hoc, ut alias reſpondimus, reſpondemus quod perſonas dignas honoris pariter & favoris tenemus indubie in ordine multas eſſe, quas cum earum probitatis obtentu, tum etiam partium regiarum intuitu proponimus & intendimus propenſius habere commendatas: nec exceſſus olim rectoris* (nimirum Michaelis Cæſenatis) *ſequaciumque ſuorum, adhuc & plurium aliorum ſi cum eis concurrerent, a dilectione nos dicti retraherent ordini, nec contra illum turbare nos poterunt, Domino concedente; cum non deceat alium ex alterius odio prægravari, pœnaque ſuos actores tenere debeat, nec ſit ad alios extendenda. Pro pace autem dicti ordinis nos ſicut unus de prædeceſſoribus noſtris utiliter credimus laboraſſe: & ſi fratres vellent agnoſcere quanto periculo dictus ordo ſubjacebat tempore, quo aſſumpti ad ſtatum hujuſmodi fuimus, credimus quod nequaquam in dubium revocarent, quod ex quo cœpit ipſorum ordo, nullus efficacius quam nos pro ſtatu eorum pacifico laboravit:*

Plures ex eo ordine creat epiſcopos.

(*g*) *Luc. Vvad. in annal. Minor. hoc an. n. 23.*

Suam in illum benevolentiam oſtendit.





*nec adhuc recuſamus labore, immo parati ſumus prompte aſſumere quoties opus erit.* Ex his refellas Franciſcanæ Nitelæ auctorem & alios, qui Joannem ut Minoritarum adverſarium traducunt, qui ſuorum potius culpam fateri ingenue debuiſſent, ſi ad eos coercendos Joannes adactus ſit, uti his verbis profitetur: *Sed quia ſtultorum infinitus eſt numerus, nec dubium quin in eodem ſint multi fatui, & qui non ponderant quæ loquuntur; ipſos ſuperiores eorum deberent corrigere, alias oportebit, quod ab aliis, non abſque aliqua nota ordinis, corrigantur; ſicut & jam multi linguas ſuas ad talia laxaverunt, propter quæ oportuit velut de hæreſi & ſchiſmate valde ſuſpectos inquiſitores hæreticæ pravitatis & ordinarios extendere manus ſuas.*

Queritur plures ex eo fræna licentiæ linguis laxare.

In eos agendum legibus.

LXIX.
Caroli Regis Francor. obitus.
Philippi Pulchri ſtirps exciſa.

Hoc anno (*a*) kal. februarii Carolus Francorum Rex e vivis exceſſit, atque in S. Dionyſii templo ſepulturæ mandatus eſt, nullo relicto ſceptri herede, haud magnarum virtutum princeps: & licet ingentia agitarit conſilia, nullum tamen in opus perduxit. Exaruit in eo Philippi Pulchri ſtirps regia, quæ cum magna eﬄoreſceret gloria, breviſſimo temporis intervallo extinctis quatuor Regibus defecit. Impletum tum epiſcopi Morianenſis oraculum, cum Bonifacium VIII. Philippi Pulchri factione captum audivit, illum ac filios perituros miſere, nec poſteris ſceptrum tranſmiſſuros. Cavendum itaque ſummopere, ne Reges jure vel injuria Chriſti vicarium lædant.

(*a*) *Jo. Vill. l. 10. c. 61. Paul. Æmil. in Carol. IV.*

Accepto de Caroli IV. Regis obitu nuntio Pontifex mœrentes Gallorum principes (*b*) Ludovicum Bojorum comitem, Robertum Atrebatenſem, atque alios, ſed præcipue Joannam Reginam e mariti ſui morte dolore confectam ſolari ſtuduit, humanarumque rerum, ut ad divina illam erigeret, inconſtantiam expoſuit (*c*), cum ab evolutis annis quindecim Reges quinque, Philippus Pulcher, Ludovicus Hutinus, Joannes, Philippus Longus, Carolus IV. Francorum & Navarræ ſceptra tenuiſſent.

(*b*) *To. 6. p. 3. ep. ſec. pag. 205.*
(*c*) *Ib. pag. 204.*

Conſolatoriæ ad Joannam Reginam literæ.

*Joannes Reginæ Franciæ & Navarræ.*

*Infeſti rumoris aſſertio ad noſtrum pervenit auditum, quod nobis chariſſimum filium, tibi chariſſima in Chriſto filia virum amantiſſimum, mors immatura ſubtraxerat.* Et infra: *Deſiderantes itaque ut tui doloris aculeos temperes, & præſcindas rationabili conſideratione dolores, tuæ mentis obtutibus exponenda duximus quæ ſequuntur. In primis quod, ut acerbitatem mortis ejus temperaret æqualitas, mortis tributum cunctis hominibus eſt indictum, a quo non excipit eminentia generis ſeu cujuſvis dignitatis, a cujus ſolutione ſapientia ſeu potentia non eximit, nullumque contra illud divitiæ muniverunt; nec ad remiſſionem ſtatuti prædicti obſervantiæ ætatis miſeratio provocat, ſeu ſexus invitat fragilitas, ſicut in libro experientiæ hæc leguntur aperte. Et ne ſuper hoc ad antiquorum recurramus exempla, hæc in regno Francorum inclyto poſſunt quaſi præſentia intueri, in quo quidem a XV. annis citra quinque præfuiſſe Reges legimus, & eorum quemlibet tributum hujuſmodi perſolviſſe.*

*Secundo quam brevis & miſera ſit hæc vita caduca, ad quod inducimur dicto beati Job ſic dicentis: Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis: qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Quid enim eſt aliud præſens vita? Profecto ut verbis utamur B. Jacobi, non eſt aliud niſi vapor ad modicum parens. Quid enim eſt aliud hæc vita, niſi curſus quidam ad mortem, in quo quidem nec momentum licet quieſcere, nec a curſu ceſſare? Hæc utique, filia prædilecta, ſi meditationis attentæ cenſura recenſeas, humanitatis conditione penſata, quod ferre in præſenti moleſte nimis noſceris, æquanimiter ſupportabis.* Addit ad permulcendum ejus dolorem, ut Rex omnibus ſacramentis eccleſiaſticis rite procuratus, regnique negotiis compoſitis, concepta de æternæ felicitatis ſpe firmiſſima animam pie efflarit. Tum illi apoſtolicam benevolentiam, ad quam in adverſis rebus confugiat, pollicetur; concluditque hiſce verbis: *Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tecum, quæ tibi patientiam in adverſitatibus tribuat, & miſericorditer conſolationem infundat. Amen. Dat. Avin. x. kal. martii anno* XII.

Vitæ humanæ inconſtantia deſcribitur.

Relicta a Carolo viro prægnans fuerat Regina Joanna, graviſque exorta controverſia, quis regii uteri cuſtos, regiæque procurator foret. Eduardus, miſſis Pariſios oratoribus, ad id munus enitebatur, contendebatque (*d*) ſi partus proſpere in lucem non exiret, Iſabellæ Reginæ matris Caroli IV. ſororis jure ad ſe regnum devolutum iri; ſed vicit ob legem Salicam contraria ſententia, regnique adminiſtratio Philippo Valeſio Caroli comitis nepotis S. Ludovici ac Philippi Pulchri Regis fratris filio, poſtremique Regis patrueli delata eſt, ac ſancitum e majorum inſtitutis regno ipſum ſucceſſurum, ſi maſcula proles a Joanna Regina non ederetur. Gratulatus Philippo eſt Pontifex, eum Galliarum & Navarræ adminiſtrationem iniiſſe, ac præceptis ſaluberrimis ad obeundum pro dignitate id munus informavit (*e*). Enixa demum eſt Regina Joanna femineum partum (*f*), atque ex memorata veteri lege Salica regno ipſa atque Iſabella An-

(*d*) *Paul. Æmil. in Phil.*
Philippus Valeſius regni adminiſtrationem init.
(*e*) *To. 6. p. 3. ep. ſecr. p. 205.*
Edito a Joanna Regina femineo partu, ſceptrum ſuſcipit.
(*f*) *Jo. Vill. l. 10. c. 62.*

Regia injunctione Rhemis linitur.

gliæ Regina & Eduardo, qui minora in regnum jura obtinebat, excluſis Philippus Valeſius proximus agnatus, conſentientibus regni ordinibus, octava pentecoſtes die Rhemis eſt Francorum Rex ſacratus (a), de quo hæc ex MS. Vaticano (b) decerpta ſubiicio: *Mortuo Carolo Rege Francorum ſine herede maſculo, Philippus comes de Valeſio nepos ejuſdem Caroli ex patruo regnum adeptus eſt Francorum: Rhemis coronatur, licet ex oppoſito per procuratores ſuos ad hoc miſſos inſtaret Eduardus Angliæ Rex, petens ſe admitti ad regnum, tanquam illum cui deberetur ex ſucceſſione matris ſuæ, quæ fuit ſoror Caroli tunc defuncti. Eſt tamen conſuetudo antiqua regni Franciæ, filias non ſuccedere in regno; ideoque idem Eduardus repulſus fuerat nec admiſſus: quare inter eundem Philippum & Eduardum gravis orta diſſenſio multis duravit annis, quæ & Franciam ultra modum afflixit*. At de bello Anglico agetur inferius.

(a) Eod. l. 10. c. 88. Paul. Æmil. in Phil. VI. (b) MS. bibl. Vat. ſig. n. 3765. in Jo. 22. & MS. aliud de Reg. Franc. ſign. n. 2040.

LXX. Excluſæ apud Gallos ſceptris feminæ.

Non eadem regni Navarræ ratio fuit, quod quamvis materno jure Carolus exemplo fratrum conjunctum cum Francorum regno poſſediſſet, cum tamen in Navarra Salica lex non vigeret, Philippus Valeſius eodem jure ad illud anniti non poterat: & licet antea Joannæ Ludovici Hutini filiæ ob matris adulterium, objectum viderimus incertum partum, ademptumque a Philippo Longo regnum Navarræ, ex quo multa bella erupere; novus tamen Rex, ne plures ſibi hoſtes pareret, cum etiam Anglus ut dictum eſt ſceptro Gallico inhiaret, Navarræ regnum Joannæ Ludovici Hutini filiæ, quæ Philippo Ebroicenſi duci regia Francorum Regum ſtirpe ſato, ac S. Ludovici pronepoti nupſerat, dimiſit: fuiſſeque illam communibus Navarræorum votis ad ſolium evectam, refert Mariana (c). Adepta itaque Navarræ regnum Joanna Regina, Romano Pontifici regia officia pie detulit: cui viciſſim Pontifex de ſuſcepto ſceptro eſt gratulatus (d), ipſamque incitavit, ut ad regnum æternum contenderet.

Regnum Navarræ a Gallico diviſum.

(c) Jo. Mar. l. 15. c. 19.

(d) To. 3. p. 6. ep. ſecr. pag. 202.

Joanna Regina ſuſcepto regno ſe ſuaque Pontifici defert.

*Joannæ Reginæ Navarræ.*

*Miſſa nobis magnificentiæ tuæ nuper epiſtola, aſcenſum tuum ad thronum nuncians regium, ac ſincerum, quem ad nos & ſanctam matrem geris eccleſiam, repræſentans affectum, grata nimirum noſtris occurrit aſpectibus. Super quibus magnitudini tuæ gratias non indebitas referentes, & oblationem acceptam habemus, & acceptamus oblatam, illa cum locus aderit uſuri tanto ſecurius, quanto id promptius conſideramus offerri. Cæterum quia ſalutem tuam plenis zelamus affectibus, & incrementa tui deſideramus honoris, circumſpectionem regiam exhortamur in Domino, eidem nihilominus ſano conſilio ſuadentes, ut ſtatus iſtius excellentiæ, cum ſit tranſitorius & brevi tempore duraturus, te non extollat indebite, ſed ei, qui ad illud dignatus eſt te perducere, in humilitate ſpiritus gratias agens aſſidue, ſic tranſire per bona temporalia ſtudeas, quod æterna non amittas: ſed cum vitæ finis advenerit, ad illorum beatum participium feliciter, quod tibi concedat Altiſſimus, admittaris; ſuaſura chariſſimo in Chriſti filio noſtro viro tuo, ut ſic regnum illud temporale regere ſtudeat, ut ad perenne feliciter poſt hujus vitæ tranſitum valeat pervenire. Dat. Avin.* VI. *kal. ſeptembris anno* XII.

Pontificia ad illam monita.

LXXI. Belgarum rebellio.

Diviſis Navarræ & Galliarum regnis, quæ in ultimis Regibus conjuncta fuerant, Philippus primum in Belgas, qui Ludovicum comitem principatum depulerant, expeditionem duxit (e): Et inter cæteros in caſtra abduxit delphinum Viennenſem, & Sabaudiæ comitem, quos quidem poſt diuturna bella, de quibus antea memoravi, in mutuam amicitiam Reginæ Clementiæ prudentiſſimæ feminæ, Ludovici olim Regis uxoris ac delphini amitæ, quæ extrema ægritudine, e qua paulo poſt obiit conflictabatur, ſtudio revocatos, ac mutua ſibi in benevolentiæ ſignum oſcula porrexiſſe, refert Joannes Villanus (f). Confluxerant (g) etiam ad Regis ſigna Barenſis, Namurcenſis, & Hannoniæ comites, pluresque viri nobiles adeo, ut duodecim millibus equitum Philippus eſſet inſtructus: is tamen, irrumpentibus Flandris in ipſum regium tentorium, in maximum diſcrimen fuit adductus. Conſurgentibus demum ad pugnam omnibus Gallis, magna Belgarum ſtrages, nimirum ad duodecim millia, edita eſt, alii fuga diſſipati: Hypra aliaque municipia ad victorem prona fuere. Revocatus Brugas eſt Ludovicus comes, quem Philippus Rex ad principatum moderate gerendum eſt adhortatus, interminatus, ni juſti principis munus obiret, ipſum ſe gradu depulſurum. De parta illuſtri adeo victoria Philippus Rex Pontificem certiorem fecit, utque in extremum periculum ab hoſtibus, qui ad illius tentoria penetrarant, eſſet adductus: cui Joannes referendam divino Numini hujuſmodi victoriam reſpondit, utque in victos clementiam explicaret, apoſtolicis monitis ſolicitavit (h).

(e) Jo. Vill. l. 10. c. 89.

Francor. Regis ad ipſos edomandos expeditio.

(f) Eod. l. 10. c. 107. (g) Ib. c. 89.

Ii demum repreſſi cæſique.

Comes Flandriæ principatui reſtitutus.

(h) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 113.

*Joannes, &c. Philippo Regi Franciæ.*

*Sane, fili dilectiſſime, cum horrore quodam percepimus, quod hoſtes uſque ad tua tentoria te inſcio potuerunt perveniſſe. Sed hoc forſan permiſit Altiſſimus, ut certius cognoſceres, ab ipſo futuram victoriam proceſſiſſe, teque ad ſuam devotionem ejuſque beneplacita exequenda, & arctius evitanda quæ prohibuit, obligaret. Et quia tam liberationem ab inimicorum inſidiis, quam victoriam ſubſecutam non humanæ potentiæ, ſed ſupernæ, ſicut prædictæ atteſtantur literæ, cum actionibus gratiarum aſcribis, circumſpectionem regiam multipliciter in Domino commendamus, regalem excellentiam attentius exhortantes, quatenus præmiſſa de tua memoria oblivio non obliteret; ſed cum aſſidua gratiarum actione perduret, ut ſic ejus uberiores continue gratias, quas ipſe tibi dignetur concedere, merearis: & attendens inſuper, quod magna eſt gloria principum uti miſericordia & manſuetudine poſt triumphum, illi populo, ſi humiliter & devote ad tuam devotionem & fidelitatem redire ſine fictione voluerit, ob illius reverentiam, qui cum iratus eſt, non obliviſcitur miſereri, ſinum tuæ non omittas gratiæ aperire. Cæterum de victoriæ inſinuatione hujuſmodi regiæ celſitudini gratiarum referimus uberes actiones. Dat. Avin.* VIII. *id. ſeptembris anno* XIII.





Gratulatur Philip. Pont. de parta victoria.

Hortatur ad clementiam invictos.

Belgæ Philippo ſe ſubmittunt.

Perdomiti Gallorum armis Belgæ, præteritæ defectionis veniam ſupplices popoſcerunt: cumque ex conventis antea cum Philippo IV. & Carolo IV. Regibus apoſtolica auctoritate initis, anathematis & interdicti eccleſiaſtici vinculis ſe irretiiſſent, Philippum Regem interpretem adhibuere apud Pontificem, ut ea religione ſolverentur. Flexus itaque ad regias preces Joannes, ſubjectis præſulibus eam provinciam demandavit (a).

(a) An. 13. p. 1. ep. com. 297.

*Joannes, &c. venerabilibus fratribus archiepiſcopo Rhemenſi & epiſcopo Silvanectenſi, & dilecto filio decano eccleſiæ Rothomagenſis.*

*Petitio chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Regis Franciæ illuſtris nuper nobis exhibita continebat, quod communitates, burgimagiſtri, advocati, ſcabini, conſiliarii, corrarii, & præpoſiti, cæterique habitatores & homines plurium villarum locorum, & caſtellaniarum patriæ & territorii Flandriæ contra paces & capitula contenta in eis inter claræ memoriæ Philippum tunc Regem Franciæ, dicti Philippi nunc Regis patruum ex una parte, & Robertum tunc Flandriæ comitem & habitatores locorum & villarum patriæ & territorii prædictorum ex altera primo, ac deinde inter claræ memoriæ Carolum tunc Regem Franciæ & Navarræ, ipſiuſque Regis, qui nunc eſt conſanguineus, prædeceſſores ſuos ex parte una, & communitates ac habitatores plurium locorum & villarum patriæ Flandriæ prædictæ ex altera dudum factas & initas temere veniendo, quamplures rebelliones & inobedientias contra eumdem Philippum, nunc Regem, genteſque ac ſubditos ipſius Regis patenter & notorie commiſſerunt, paces prædictas in pluribus punctis & articulis contra fidem per eos datam ac juramentum præſtitum violarunt, excommunicationis in perſonas & interdicti in communitates, villas, & loca tam a felicis recordationis Clemente Papa V. prædeceſſore noſtro, quam a nobis latas ſententias propterea incurrendo, quas quidem ſententias executores tam ab eodem prædeceſſore, quam a nobis ſuper hoc ſpecialiter deputati, ſeu alter eorum ad requiſitionem ipſius Regis, qui nunc eſt, prædictos burgimagiſtros, advocatos, ſcabinos, conſiliarios, corrarios, præpoſitos, cæteroſque habitatores excommunicationum, ac communitates, loca, caſtellanias, & villas rebellium prædictorum interdicti ſententias prolatas incurriſſe, auctoritate apoſtolica declararunt, prout hæc in apoſtolicis ſuper hoc confectis literis & proceſſibus inde ſecutis plenius & ſerioſius continetur: quodque poſtmodum præfati burgimagiſtri, advocati, ſcabini, conſiliarii, corrarii, præpoſiti, cæterique habitatores & communitates, villarum, caſtellaniarum, & locorum rebellium prædictorum ad cor reverſi, ſuumque recognoſcentes errorem, ducti ſpiritu conſilii ſanioris ad ejuſdem Regis obedientiam tanquam fideles ſubditi redeuntes, de & ſuper inobedientiis, rebellionibus, & attentatis aliis omnibus ſupradictis eidem Regi competentem fecerunt emendam, ſe ſuper iis ipſius Regis voluntati totaliter ſupponendo; quare nobis idem Rex humiliter ſupplicavit ut perſonis & locis præfatis provideri de abſolutionis & interdicti relaxationis beneficio miſericorditer mandaremus, &c.* Diſſolvit Pontifex ad regias preces cenſuras, & auctoritate memoratos præſules inſtruit, ut Belgas expiato ritu eccleſiaſtico crimine ſacrorum communioni reſtituant. *Dat. Avin.* XIV. *kal. novemb. anno* XIII.

De eorum pactionibus cum Phil. IV. & Car. IV.

Ut eas infregerint.

Cenſuris ſe illaquearint.

Earum nexu ſolvi efflagitarint.

Data Rhemenſi archiep. & epiſcopo Silvanect. ea provincia.

Lapſis aliquot annis Belgæ iterum in Philippum Regem conjurarunt, cenſuraſque eo fuco non contraxiſſe prætexuere, quod Eduardum Gallicum nomen regium ſibi aſciſcentem ſequerentur. De quibus ingentibus turbis, utque ejuſmodi de contrahendis cenſuris pactionem abrumpere ſint auſi, dicetur inferius. Addimus nunc Pontificem adhortatum eſſe Philippum, ut illius belli curis ſolutus animum vireſque ad eccleſiæ ſchiſmaticis oppugnatæ decus tuendum converteret: *Tenemus*, inquit (b), *probabiliter, quod intenſum tuum deſiderium, quod ad ulciſcendas matris tuæ, videlicet injurias, tuitionemque catholicæ fidei te habere tam pulica vox quam privata multorum teſtatur, tuæque literæ hoc exprimebant expreſſe, induxit Dei benevolentiam, ut brevi completo tempore, quod dudum compleri prolixiori nequivit circa matris ejuſdem eccleſiæ negotium, tuis poſ-*

Pontifex Philippum hortatur ad cauſam eccleſiæ ſuſcipiendam.

(b) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 114.

*ſis promptius præfatum deſiderium adimplere. Quare noſtris exhortationibus adiicimus; ut ſucceſſus proſperi, qui plerumque a bonis retrahere conſueverunt conceptibus, te non retrahant; ſed animent potius, ſicut & viros gratos percepta beneficia fortius animant & accendunt, ut illi, a quo ea percipiunt, promptius ipſi obſequantur.* Addit res eccleſiæ in dies efferri, hoſtiumque frangi potentiam; ſenatores Urbis vice Roberti Siciliæ Regis adminiſtrandæ publicæ rei præfectos munus ſtrenue ac placide obire: omnia, quæ a ſchiſmaticis geſta erant reſciſſa; edixiſſe, graviſſimis adjectis pœnis, ut qui literas pſeudopontificis haberet, quam primum deferret; omnium illorum domos, qui ab hæreſiarcha Cardinales, notarii, ſcriptores, officiales creati fuerant, funditus in æternum dedecus exciſas. *Dat.* IV. *non. octobris anno* XIII.

De proſperis Italiæ rebus eum monet.

LXXII. Rogat, ut denuntiet Italis, ſe eccleſiam adverſus ſchiſmaticos tutaturum.

Explicuerat Philippus Pontifici præclarum tuendæ Apoſtolicæ ſedis dignitatis ſtudium, atque ad evertendam hoſtium eccleſiæ tyrannidem, excindendumque ſchiſma armorum potentiam obtulerat. Cujus zelum Pontifex magnis extulit laudibus (*a*), rogavitque ut ad ſingulas Italiæ urbes ac populos literas daret, ac publice profiteretur, ſe eccleſiæ cauſam ſuſcepturum, atque arma in ſchiſmaticos & antipapæ ſequaces converſurum. Inſtitit etiam apud Joannam Francorum Reginam (*b*), ut maritum Regem ad glorioſiſſimum opus impelleret, ac ſcribere Italis ſuaderet, ne Ludovico, ejuſque, ut ait, idolo, nimirum antipapæ obſequerentur, ſed potius Roberto Siciliæ Regi omnem operam ponerent.

(*a*) *To.* 6. *p.* 3. *ep. ſecr. pag.* 197.

(*b*) *Ib. pag.* 169.

Urſerat etiam aliis exeunte anno ſuperiore literis Pont. Philippum, ut eccleſiæ cauſam ſtrenue defenderet, ſeque ad ulciſcendas illius injurias generoſe accingeret: ea re ſummam a Chriſto domino gratiam ipſum initurum; ſi enim mortales ſponſi ſuis illatas ſponſis contumelias vindicent, immortalem ſponſum eccleſiæ ſuæ ſponſæ injurias vindicantem amore complexurum: tum etiam gratulatus eſt (*c*) abjecta ab ipſo inanium fabellarum lectione ſacros Regum veteris teſtamenti libros perlegi.

(*c*) *Ead. p.* 2. *pag.* 191.

*Joannes, &c. Regi Franciæ.*

*Accedit nobis ad ingens gaudium, cum te, fili chariſſime, in iis occupari percipimus, quæ dignitati conveniunt regiæ, Regi Regum ſunt placida, & utilitatem reſpiciant ſubditorum. In his profecto te comprobas occupari, cum abjectis romantiorum fabulis, quarum lectio aures magnatum frequenter occupat, veteris teſtamenti Regum hiſtoriis intendis ſedule: ex quibus potes circa bellicos actus inſtrui ac quantum in illis divina providentia egerit, erudiri: ex quo potes evidenter percipere, quantum divina revereri majeſtas debeat, quodque in illa ſola ſpes omnis victoriæ ſit ponenda. Adhuc in præmiſſis te arguis occupari, cum circa tuendas eccleſias & perſonas eccleſiaſticas earumque injurias ulciſcendas te curas exhibere ſolicitum, quodque utique gratiam ejuſdem ſponſi eccleſiæ, ſcilicet Chriſti, tibi vendicas ampliorem: ſi enim ſponſi carnales adeo diligant ſponſas ſuas, ut ad illos ſuam extendant gratiam, quos illas noverint honorare, ac contra illos excandeſcere ſoleant, qui ſponſabus eiſdem injurias præſumpſerint irrogare; proculdubio multo magis ſponſus, qui amplius ad ſponſam afficitur, quam quivis ſponſus alius ſuam ipſam honorantibus exhibet gratiam, & contra inhonorantem eam, ſeu ſibi irrogantibus injuriam iraſcitur & turbatur, &c. Dat. Avin.* VI. *id. decembris anno* XII.

Gratulatur Philippo Pont. de ſacrorum librorum lectione.

Proponit partium ejus eſſe injurias eccleſiæ ulciſci.

LXXIII. Pontificiæ curæ pro ſopienda Anglum inter & Philippum lite.

Ut porro fluctuanti eccleſiæ felicius opem Philippus Rex ferre poſſet, ſtudium ad pacem in Galliis tuendam, exorientes cum Anglorum Rege Eduardo diſcordias ſopiendas, malaque imminentia avertenda convertit Pontifex. Contenderat, ut diximus, Eduardus jure ſanguinis ad ſceptrum Gallorum vocari, vimque & arma adhibere ad cauſam defendendam parabat; cum Joannes conciliandos novis affinitatibus eos Reges cenſuit, Robertumque Atrebatenſem ac plures Gallicæ aulæ principes, tum Reginam Francorum ſolicitavit (*d*), ut ad perficiendam concordiam incumberent: tum Philippum Regem eſt adhortatus, ut Joannem majorem natu filium cum Eduardi ſorore matrimonio conjugare niteretur; ex ea enim affinitate facile futura bella diremptum iri. Repudiata ſunt, nec mandata operi pontificia conſilia magno Francorum detrimento; ab Eduardo enim irato graviſſimis cladibus affectas Gallias, atque in extremum adductas diſcrimen viſuri ſumus. Traditam porro Eduardi ſororem Joannam Davidi Roberti Bruſii Regis Scotorum filio in uxorem, ac pacem poſt diuturna bella inter Scotos & Anglos firmatam, refert Joannes Villanus (*e*): quam quidem vocatam turpem ait Walſingamus, (*f*) cum Scotia antea in Eduardo I. regno Anglico conjuncta, ac ſuperioribus temporibus jure beneficiario obnoxia, ab omni onere & officio Anglis Regibus præſtando libera ex illius fœderis legibus pronuntiata ſit.

(*d*) *Ib. pag.* 203.

Pontificia conſilia maximo Philipp. & Gallorum malo neglecta. Pax Scotos inter & Anglos conciliata.

(*e*) *Jo. Vil. l.* 16. *c.* 80.

(*f*) *Vvalſin. in Eduar. III. Bœth. hiſt. Scot. l.* 14. *& alii.*

Scotia Anglico jugo ſoluta pronuntiata.

LXXIV.

Popoſcit tum veniam a Pontifice Robertus Scotiæ Rex, pluribus cenſuris ob præterita in Eduardum II. bella irretitus; miſſiſque oratoribus, apoſtolicis imperiis obſequentiſſimum ſe poſthac futurum pollicitus eſt. Excepit Joannes, qui pa-



Cenſuris liberata a Pont.

pacem inter Anglos & Scotos redintegratam gaudebat, benigne legationem, diſſolvitque cenſuras apoſtolico diplomate, in quo fuſe repetit, ut ardente inter Robertum & Eduardum II. Angliæ Regem bello, poſt varias concordiæ rationes pertentatas Gaucelinum epiſcopum Albanenſem, tunc tit. SS. Marcellini & Petri presbyterum, ac Lucam S. Mariæ in via lata Cardinales legatos miſerit, imperaritque Anglos inter & Scotos inducias, intentato iis, qui bellum moverent, anathemate: Robertus vero pacis conſilia reſpuerit, ac licet Cardinales ipſum cenſuris, & Scotiam eccleſiaſtico interdicto perculiſſent, ſi in Angliam cum exercitu irrumperet; ipſe tamen violata induciarum religione Angliam invaſerit, & Bervvicum ac nonnullas alias arces Eduardo ob eripuerit, quæ eum Cardinales defixum anathemate & Scotiam ſacris interdictam pronuntiarint: cum vero idem Robertus cenſuras toto vertente anno ſperneret, & Angliam vexaret armis, pontificio edicto in jus ad ſubſellia Apoſtolica accerſitus fuerit: cumque apud ea non compareret, ſervato judiciorum ordine ex ſacri ſenatus ſententia damnatus ſit contumaciæ, ac fidelium conſortio ejectus. Jam vero inſtaurata cum Eduardo III. pace ad eccleſiæ obſequium redeunti Pontifex veniam tribuit (*a*).

Cur eas contraxiſſet Rober.

(*a*) *An.* 13. *p.* 2. *ep. com.* 1849.

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Scotiæ illuſtri.*

*Cum ad præſens, cooperante pacis principe, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis & arcem poſſidet unitatis, quique de throno cœleſti ad ima deſcendens, pacem in terra per cœleſtium Angelorum exercitum, glorioſæ pacis canticum concinentem, bonæ voluntatis hominibus nuntiavit, & demum regreſſurus ad Patrem pacis bonum, quod ſuper omnia diligebat, tanquam donum gratiſſimum dedit fidelibus, & reliquit; pax & concordia inter te & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Eduardum nunc Regem Angliæ illuſtrem fuerint reformatæ, tu cupiens tanquam devotionis filius ad ſinum almæ matris eccleſiæ, quæ nulli redeunti claudit gremium, cum humilitate redire, ipſiuſque ac noſtris in omnibus obedire mandatis, nobis per venerabiles fratres noſtros Jacobum S. Andreæ & Joannem Moravienſem epiſcopos, ac dilectum filium Adam electum Brekmenſem nuntios & procuratores tuos (qui epiſcopus S. Andreæ, Jacobus Benedicti archidiaconus eccleſiæ S. Andreæ, & Adam electus præfati, Adam de Moravia decretorum doctor in litera, in qua eos ad id procuratores tuos conſtituiſti, per te nominati fuerunt) ad noſtram præſentiam ſuper his ſpecialiter deſtinatos, humiliter ſupplicaſti, ut providere tibi & ſtatui tuo, ac regno & terris tuis præfatis de ſalubris & opportunæ abſolutionis & interdicti relaxationis beneficio miſericorditer dignaremur. Nos itaque, qui ipſius Regis pacifici vices in terris quamvis inſufficientibus meritis exercemus, ipſius exemplis ſalutaribus eruditi, hujuſmodi pacis & concordiæ dulcedinem internis brachiis amplectentes; conſiderantes etiam attentius, quod divinitatis natura clemens eſt & pia, magiſque ad indulgentiam quam ad vindictam prona, quæ non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat; præfatis nuntiis & procuratoribus nomine tuo poſtulantibus humiliter & devote (qui etiam, habentes ad hoc a te ſpeciale mandatum, de ſtando ſuper omnibus & ſingulis noſtris & ejuſdem eccleſiæ mandatis in animam tuam præſtiterunt corporaliter in noſtra præſentia juramentum, bona tua ad hoc etiam obligando) te a præfatis omnibus & ſingulis excommunicationum ſententiis atque pœnis, quas per nos & Cardinales ipſos latas, ut præmittitur incurriſti, auctoritate apoſtolica tenore præſentium duximus abſolvendum, dictumque interdictum in regnum Scotiæ & alias terras præfatas, per Cardinales ipſos ut præfertur prolatum, uſque ad biennium a data præſentium numerandum auctoritate prædicta de ſpeciali gratia relaxamus.*

Miſſi a Scoto ad Pont. legati.

LXXV.

*Verum quia mediator Dei & hominum homo dominus noſter Jeſus Chriſtus hanc præpoſitis eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut confitentibus pœnitentiæ ſatisfactionem docerent, & eiſdem ſalubri ſatisfactione purgatis reconciliationis januam aperirent; tibi pro præmiſſis quoad præſens hujuſmodi pœnitentiam injungimus ſalutarem, videlicet quod de cætero per te, vel alium, ſeu alios treugas, ſi quas per ſedem Apoſtolicam inter te & ipſum Regem indici canonice contingeret in futurum, nullo modo violare, ac mandatis apoſtolicis licitis contraire, regnum etiam Angliæ ac terras alias dicti Regis nunquam invadere, ſeu alias occupare præſumas, niſi quantum tibi de jure conceſſum fuerit, vel permiſſum; reſervatis nobis omnibus aliis, quæ pro præmiſſis tibi injungenda fuerint, tibi noſtro arbitrio in poſterum imponendis. Nulli ergo, &c. Dat. Avin. id. octobris anno* XIII. Data aliis literis archiepiſcopis & epiſcopis imperia (*b*), ut a Roberto poſtulati, illum anathematis nexu ſolutum, & ſacrorum uſum Scotiæ ad biennium reſtitutum promulgarent. Haud diu pax ea tenuit, cum Roberto brevi extincto, Eduardum III. ſpreta affinitate, ad avita in Scotiam jura recuperanda Davide ſororium graviſſimo bello exagitaſſe viſuri ſimus.

Impoſita Regi Scot. a Pont. pœna.

(*b*) *Reg. poſt eand. ep.*

LXXVI. Rex Caſtellæ bellum in Mauros urget.

In Hiſpaniis Alfonſus Caſtellæ Rex, ardore propagandæ religionis ac regni limitis proferendi ſuccenſus, bellum in Sa-

Saracenos cœptum urgere conſtituit: utque belli molem facilius volveret, ab Romano Pontifice ſacrarum opum auxilia flagitavit, ac Joannem epiſcopum Conchenſem & Petrum electum Carthaginenſem oratores legavit, inſtruxitque auctoritate, ut fidem regiam ad ſervanda ineunda ea de re pacta obſtringerent. Quo argumento ſubjectas literas ſupplices tranſmiſit (*a*).

(*a*) Ext. apud Jo. an. 12. p. 8. inſerta ep. 2477. & in MS. bib. Vall. ſign. lit. B. n. 12. pag. 161.

*Sanctiſſimo ac beatiſſimo in Chriſto patri ac domino, domino Joanni, divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, chariſſimus ejus filius Alfonſus Dei gratia Caſtellæ, Legionis, Toleti, Galleciæ, Sibiliæ, Cordubæ, Murciæ, Giennii, & Algarbii Rex, ac Viſcayæ, & Molinæ comitatuum dominus, cum recommendatione humili & reverentia pedum oſcula beatorum.*

Poſcit ſubſidia a Pont.

*Pater ſanctiſſime, clare novit veſtra providentia circumſpecta, qualiter Deo ſervire præcordialiter affectantes, fidemque catholicam pro viribus exaltare, velut verus filius eccleſiæ & catholicus Chriſtianus, ac deprimere ſeu frangere Saracenorum inimicorum fidei orthodoxæ perfidam & abominabilem nationem, ſicut fecerunt Reges, de quorum ſtirpe noſcimur deſcendiſſe; cum regnorum noſtrorum redditus non ſufficerent ad tam arduum tamque ſanctum negotium modo debito proſequendum, ſperantes ad hoc auxilium per gratiam ſeu liberalitatem ſedis Apoſtolicæ conſequi opportunum, ſupplicari per noſtros fecimus nuncios, ut aliquas petitiones nobis, regnis, & ſubditis noſtris expedientes, veſtra ſanctitas dignaretur miſericorditer exaudire.*

*Verum, ut percepimus, quia veſtra ſancta pietas aliquas gratias nobis intendit facere pro ſubſidio guerræ per nos contra Saracenos inceptæ, ſub certis conditionibus, & ad earum obſervantiam obligationibus, quibus adiiciendis, quamvis anteceſſores noſtri, qui in Caſtella & Legione pro tempore regnaverunt, acceperint tertias & theſauros eccleſiarum ad guerram, quam cum præfatis habuerunt inimicis fidei exercendam, & ab eorum incurſibus terras & regna ſuo commodius protegenda; tamen ob devotionem eximiam, qua Deum & ſedem Apoſtolicam reveremur, impendentes reverentiam qua tenemur vobis vicario Jeſu Chriſti, veſtram voluntatem complentes facimus, conſtituimus, creamus, ordinamus noſtros veros procuratores, yconomos, ſyndicos, vel actores & nuncios ſpeciales venerabiles dominos Joannem Conchenſem epiſcopum, Petrum Carthaginenſem electum clericos noſtros, ac nobilem virum Fernandum Sancii militem ac judicem curiæ noſtræ abſentes tanquam præſentes omnes vel duos eorum ad comparendum coram ſanctitate veſtra & ſacro collegio reverendorum dominorum Cardinalium, & offerendum ex parte noſtra ſupplicationes, quæ ipſis procuratoribus, aut eorum duobus videbuntur ſpecialiter proſecutioni guerræ Saracenorum, nobis, regnis, ac ſubditis noſtris expedientes, & oblatas proſequendum & acceptandum una vobiſcum: immo & ſi ſanctitati veſtræ videbitur cum dicto collegio, ſuper dictis ſupplicationibus & earum qualibet quicquid ſanctitas veſtra & dictum collegium tractandum, ordinandum, & promittendum ordinaverit per eoſdem procuratores vel duos ipſorum nomine procuratorio noſtro: nec non obligandum nos, terram, & ſubditos noſtros ad tenendum & ſervandum firmiter omnia & ſingula, quæ dicti procuratores aut duo eorum in præmiſſis & eorum quolibet duxerint promittendum ſub quibuſcumque conditionibus & pœnis ſpiritualibus, tempore dictarum tertiarum nobis concedendarum tantummodo duraturis, adiiciendis cuilibet capitulo dictarum ſupplicationum per vos & dictum collegium ut exequamur ea, ad quæ dicti noſtri procuratores vel duo eorum nos duxerint obligandos: & præſtandum in animam noſtram cujuſlibet generis ſacramentum ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis obſervandis & tenendis: & generaliter ad omnia alia & ſingula procurandum, faciendum, agendum, & exercendum, quæ veri & legitimi ac ſufficientes procuratores procurare, agere, facere, & exercere poſſunt in præmiſſis & quolibet præmiſſorum, etiamſi mandatum exigant ſpeciale, & quæ noſmet procurare, facere, & exercere poſſemus, ſi perſonaliter intereſſemus. Inſuper promittimus ratum & firmum habere, tenere, & ſervare quicquid per dictos procuratores vel eorum duos procuratum, factum, actum, & geſtum fuerit in præmiſſis & quolibet præmiſſorum, & in nullo contrafacere vel venire ſub hypotheca & obligatione regnorum & aliorum bonorum noſtrorum: proteſtantes, quod curſo dictarum guerrarum tempore, ſalvum remaneat jus exemptionis & libertatis competentium nobis & regnis noſtris. In quorum omnium teſtimonium, has noſtras patentes literas, noſtro ſigillo plumbeo eiſdem appenſo dictis noſtris procuratoribus juſſimus elargiri. Dat. Toleti* VII. *id. martii anno Domini a nativitate* MCCCXXVIII.

Mittit ob id ad ipſum oratores.

Conventa obſervaturum ſe pollicetur.

LXXVII. Popoſcere Caſtellani oratores a Pontifice (*b*), ut religioſa expeditio collato crucis ſymbolo propoſitaque noxarum venia indiceretur: tum in militares ſumptus ſacerdotiorum decumæ ac duæ partes tertiæ reficiendis ſartis tectis addictæ, conferrentur. Extulit laudibus Pontifex Caſtellæ Regis de ducenda in Mauros expeditione conſilium (*c*), ejuſ-

que

(*b*) An. 12. p. 3. ep. com. 2477.

(*c*) Ead. ep. 2477.



Quæ leges Caſtellanis impoſitæ.

que petitis pro ſuſtendandis bellicis ſumptibus ita aſſenſit, ut ea certis legibus temperaret, ſanciretque ut a ſacro illo auro ſubſidiario Rex abſtineret eo flexu temporis, quo inducias pacemve cum barbaris paciſceretur: tum ad hæc conventa Alfonſum obſtrinxit.

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Alfonſo Regi Caſtellæ & Legionis illuſtri.*

*Volumus quod tu hujuſmodi negotium per te aſſumptum viriliter & efficaciter, tam per mare quam per terram, ad exaltationem & dilatationem catholicæ fidei contra Saracenos eoſdem proſequaris; & ubi hujuſmodi negotium in perſona propria non proſequereris, illud per terram ad minus cum mille militibus vel equitibus bene munitis equis & armis proſequi tenearis, non ſolum defendendo terram Chriſtianorum ab impugnationibus dictorum Saracenorum regni Granatæ, ſed impugnando & expugnando Saracenos ipſos, caſtra, fortelitias, terras, & loca ipſorum & alios Saracenos, tam vicinos quam quoſcumque alios, dum venerint in auxilium eorundem, niſi forte interdum pro meliori plus defenſioni cum prædicto militum ſeu equitum numero dictæ terræ Chriſtianorum ab impugnationibus Saracenorum dictorum, quam hujuſmodi impugnationi eorundem hoſtium proſpexeris inſiſtendum: quorum tamen hoſtium impugnationi & expugnationi debes intendere diligenter, cum ipſi fidem catholicam & terras fidelium, potiſſime in ipſorum frontariis conſtitutas, ac perſonas Chriſtianorum non deſinant impugnare, Chriſtianos ipſos capiendo, ſuæque ditioni ſubdendo, ipſoſque tam mares quam feminas & parvulos filios & filias eorundem cogendo fidem catholicam, ut præmittitur, abnegare, & nonnulla alia nefanda in eoſdem catholicos comittendo. Si vero aliqui milites ſeu equites per obitum ipſorum, vel ex aliqua rationabili cauſa, vel caſu de numero prædicto deficerent, idem numerus abſque reprehenſibili mora per tuæ ſolicitudinis ſtudium celeriter reſtauretur. Ubi autem non proſequereris dictum negotium perſonaliter per teipſum, ordinabis in capitaneum aliquem virum catholicum aptum, ſtrenuum, & fidelem, quem duxeris eligendum a dominiis, cum ſupradicto militum vel equitum numero, equis armis, ut præmittitur, munitorum ad proſecutionem dicti negotii loco tui contra Saracenos eoſdem, adhibito ubi forſan aliquis vel aliqui de numero prædicto deficerent, moderamine ſupradicto. In caſu vero ubi dictum negotium in perſona propria proſequereris, neceſſarium non exiſtimamus, quod tu ad faciendam proſecutionem hujuſmodi cum certo determinato numero militum vel equitum aſtringaris; ex eo maxime, quod probabiliter credi poteſt, quod velut princeps magnificus in comitiva tua ad proſecutionem dicti negotii, quoties illud in perſona propria proſequereris, longe majorem tecum duceres, quam præmiſſam militum vel equitum quantitatem.*

Obſtringitur Caſtellanus ad tutandum limitem Chriſtianorum.

De creando exercitus duce.

LXXVIII *In terris quoque, caſtris, & locis in dicto regno Granatæ tam per te noviter acquiſitis, quam quæ divina ſuffragante virtute acquiri contigerit, conſerventur & ædificabuntur eccleſiæ ſæculares, videlicet cathedrales ſecundum mandatum & ordinationem noſtram & dictorum ſucceſſorum noſtrorum vel aliorum, quibus nos vel dicti ſucceſſores id duxerimus vel duxerint committendum, conſiderata aptitudine, conditione, qualitate, & dignitate locorum, in quibus fuerint hujuſmodi eccleſiæ ordinandæ: in quibus etiam de mandato noſtro, ſeu noſtrorum ſucceſſorum ponentur & conſtituentur perſonæ eccleſiaſticæ ſæculares, per quas in eis divina celebrentur officia, & miniſtrentur locorum ipſorum habitatoribus catholicis eccleſiaſtica ſacramenta; collegiatæ vero & aliæ inferiores eccleſiæ a cathedralibus fundari poſſint de mandato prælatorum, vel aliorum catholicorum, quibus hoc de jure competit vel competet in futurum: ac ſimiliter inſtitutio, ſeu ordinatio perſonarum eccleſiaſticarum, quas ut prædicitur ſæculares eſſe volumus, in eiſdem collegiatis & aliis inferioribus eccleſiis ponendarum, poſſit fieri per eoſdem, quibus competet id de jure, ſalvo jure patronatus tui; quod jus intelligi volumus illud eſſe, quod tibi jura communia canonica in caſu, de quo agitur ſeu agetur, præſtiterint.*

De condendis eccleſiis.

Conſtituendis in iis clericis ſæcularibus.

LXXIX. *In locis autem taliter poſt guerram per te noviter cœptam acquiſitis, vel in poſterum, infra dictum tamen quadriennium acquirendis, ſi ſeorſum vel permixtim habitare contigerit Saracenos circa ſacerdotes ipſorum, qui Zabazara vulgariter nuncupantur, nec non templa ſeu meſchitas ipſorum ne, quod abſit, per eorum funeſtos ritus, invocationes, & clamores verborum, ac publicas invocationes & peregrinationes ipſorum in cordibus fidelium ſcandalum generetur, tu tanquam princeps catholicus & zelator fidei Chriſtianæ juxta conſtitutionem ſuper hoc editam in concilio Viennenſi, cum eoſdem Saracenos in dictis locis noviter, ut præmittitur, acquiſitis vel etiam acquirendis ad eorum templa ſeu meſchitas contigerit convenire, ut ibidem adorent perfidum Machometum, ejuſdem Machometi nomen alta voce invocari & extolli Chriſtianis audientibus, vel aliqua verba in illius honorem eos profiteri, vel proclamare publice, ſeu hujuſmodi peregrinationes in fidelium ſcandalum fieri non permittas: ſed talem obſervationem funeſtam de di-*

*ctis*

Reprimenda Mahumet. ſuperſtitione.

*ctis locis omnino auferas, & a tuis ſubditis auferri procures; diſtrictius inhibendo, ne præfata invocatio, ſeu profeſſio nomine ipſius perfidi Machometi publice, aut peregrinatio prælibata ab aliquo in tuo exiſtente dominio attentetur de cætero, vel quomodolibet toleretur; eos, qui ſecus præſumpſerint, taliter caſtigando, quod alii eorum exemplo perterriti a præſumptione ſimili arceantur. Et quia ſpiritualia diu ſine temporalibus non ſubſiſtunt, ac juſtum eſt, ut qui altari ſervit, vivere debeat de altari, & juxta verbum Apoſtoli, mirum eſſe non debet, ſi temporalia metant ii, a quibus ſpiritualia ſeminantur; volumus quod pro bonis & rebus in dicto regno Granatæ per catholicos noviter, ut præmittitur, acquiſitis vel in poſterum acquirendis decimas ac primitias eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis, inſtituendis ibidem, cum ſuper hoc per eas fueris requiſitus, facias cum integritate perſolvi, ſecundum quod jura ad id te aſtringere dignoſcuntur: & nihilominus libertas & immunitas eccleſiaſtica in civitatibus, caſtris, terris, & locis acquiſitis, & quæ acquiri contigerit in regno præfato, eiſdem eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis & aliis plene & libere ſervabitur juxta canonicas ſanctiones.*

Decumis pendendis ſacerdotibus.

LXXX. *Volumus inſuper quod proceſſus noſtri & ſententiæ excommunicationis & interdicti per nos, ut præmittitur, in perſonam tuam & civitates & loca prædicta latæ, & præmiſſorum occaſione ferendæ per aliqua verba dicti procuratorii tui nullatenus reſtringantur, ſed in ſua firmitate conſiſtant; ita quod, ſi eas incurrere te contingat, tamdiu in perſona tua ac civitatibus & locis prædictis eas habere decernimus roboris firmitatem, donec congrua ſatisfactione præmiſſa dictas ſententias de noſtro vel ſucceſſorum noſtrorum ſpeciali mandato contigerit ſpecialiter relaxari.* His etiam additum eſt, ut pactiones a Caſtellæ Regis oratoribus cum Gaucelino epiſcopo Albanenſi, & Joanne tit. S. Crucis in Jeruſalem presbytero, ac Jacobo S. Georgii ad velum aureum diacono Cardinalibus, nec non Gaſperto archiepiſcopo Arelatenſi camerario initæ pontificio nomine, illibatæ maneant: & ſi qua de iis oboriatur controverſia, illa a ſede Apoſtolica ſolvatur: tum ſubdit, ut Alfonſus vertente anno geſta ab oratoribus rata habeat, ejuſque literas antea memoratas inſerit, quibus hæc ſubiicit.

Pactionum interpretatio reſervata Pontifici.

*Cæterum, fili chariſſime, ut vitentur gravamina, quæ interdum viri eccleſiaſtici ſunt perpeſſi, volumus quod per dictos archiepiſcopum Hiſpalenſem & Cordubenſem ac Giennenſem epiſcopos, nec non per ſubcollectores, ſuper iis deputandos ab eis, hujuſmodi decima juxta conſtitutionem Viennenſis concilii ad monetam currentem communiter levetur, & etiam exigatur, quodque calices, libros, & alia ornamenta eccleſiarum, divinis officiis deputata, ex cauſa pignoris vel diſtrationis cujuſpiam per ſe, vel per alium, ſeu alios occaſione hujuſmodi decimæ contra conſtitutionem eandem capere ſeu recipere, diſtrahere ſeu occupare quomolibet non præſumatur. Dat. Avin. id. junii pontificatus noſtri anno* XII. Data (*a*) ſunt ea de re memoratis præſulibus imperia, ut quadriennales decimas cogerent, modo initæ pactiones corroboratæ eſſent a Rege: tum ut cruceſignatam expeditionem, promulgatis indulgentiarum præmiis, ad excindendam e Granatenſi regno mahumeticam ſuperſtitionem e ſacro ſuggeſtu indicerent, & clerum populumque, ſacram profeſſuros militiam, affixo humeris crucis ſymbolo inſignirent (*b*).

(*a*) *Ib. ep.* 1478.

Conferendi Crucis ſymboli data auctoritas.

(*b*) *Ib. ep.* 1476.

LXXXI. Turbabat bellum illud ſacrum graviſſima diſſenſio, quæ Alfonſum inter ac Joannem Manuelem e ſtirpe regia progenitum exarſerat: ad quam extinguendam Pontifex Petrum Cardinalem, epiſcopum olim Carthaginenſem, in Caſtellam legavit, Regemque illum hortatus eſt (*c*), ut diſcordiæ ſemina præfocaret: perpenderet quanta ex ejuſmodi civili bello mala emerſura eſſent, quantave ipſius dignitati labes aſpergeretur. Petrum vero ſtudia ſua omnia pro redintegranda inter illos concordia defigere juſſit (*d*); utque auctoritatem ipſi in re gerenda conciliaret, pileum cardinalitium, quamvis moris non eſſet niſi e Pontificiis manibus accipi, in Hiſpanias tranſmiſit (*e*): *Ut honorabilius*, inquit, *& utilius exequaris*, nimirum imperata, *tibi capellum rubeum, inſigne cardinalatus, tibi contra morem duximus de eorundem fratrum conſilio per latorem præſentium deſtinandum.* Solicitati (*f*) vero pontificiis precibus Alvarus Nunius comes e Traſtamara & Garſias Laſſus qui auctoritate in Caſtellana regia florebant, ut Cardinali legato in ſopienda diſcordia operam impenderent: denique ſancitum eſſe in ſequenti anno concordiæ fœdus, refert Mariana (*g*), Rege ad illam propendente, ut belli molem in Saracenos verteret.

Sacrum bellum civili diſſenſione retardatum.

(*c*) *To.* 6. *p.* 3. *ep. ſecr. pag.* 227. *Marian. l.* 15. *c.* 20.

Petrus Card. leg. concordiam revocare juſſus.

(*d*) *Ead. p. pag.* 226.

(*e*) *Ead. p. pag.* 228.

(*f*) *Ib. pag.* 228.

(*g*) *Jo. Mar. l.* 15 *c.* 21.

LXXXII. Interea Alfonſus Aragonum Rex, cum ex acceptorum Sardiniæ & Corſicæ regnorum jure fiduciario legibus excurrente primo regni adepti anno obſtrictus eſſet ad ſedem Apoſtolicam, ut fidem devinciret, ſe conferre, ob negotiorum, quibus obruebatur, molem expetiit, ut tempus extraheretur: cujus precibus permotus Pontifex, illud ad annum (*h*) a primo evoluto proximum prorogavit.

Arag. Rex ad clientelarem pro Sardinia ſponſionem obſtrictus.

(*h*) *To.* 6. *p.* 3. *p. ſecr. pag.* 230.

*Alfonſo Regi Aragonum illuſtri.*

*Cum pro regno Sardiniæ & Corſicæ, quod claræ memoriæ Jacobus Rex Aragonum pater tuus a nobis & Romana eccleſia tenuit, & quod tu, chariſſime fili, ſimiliter obtines ex ſucceſſione paterna, infra annum unum, a die obitus ejuſdem patris tui in antea numerandum, ex juramento per dictum patrem tuum præſtito, quo ſe ac heredes & ſucceſſores ſuos in eodem regno ad hoc ſolemniter obligavit, tenearis noſtram & Apoſtolicæ ſedis adire præſentiam, facturus nobis noſtro & ipſius eccleſiæ nomine ligium in manibus noſtris homagium, & præſtiturus fidelitatis debitæ juramentum; nos, paterno more compatientes tuis occupationibus variis, quos tibi nova ſuſcepti regiminis auſpicia ſubminiſtrant; ac propterea tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati terminum ſuper præmiſſis unius anni prædicti uſque ad unum alium annum, a fine præfati anni in antea computandum, tibi de fratrum noſtrorum conſilio tenore præſentium prorogamus. Volumus autem per hoc juramento per dictum patrem tuum (ſicut præmittitur) præſtito, ſeu quibuſcumque conditionibus, obligationibus, ſeu pactis & conventionibus aliis in conceſſione dicti regni facta præfato patri tuo appoſitis, quæ in ſuo robore permanere decernimus, in aliquo nullatenus derogetur. Dat. Avin. non. maii anno* XII. Ægre tulit Rex ampliores temporis metas ſibi non prorogatas: cui Joannes reſcripſit (*a*), moris non eſſe, ut Romana eccleſia rem adeo gravem in poſteriora tempora extraheret. Alfonſus tamen, cum metueret, ſi regno diſcederet, graviores in eo motus poſſe concitari, Petrum fratrem Ripacurtiæ comitem oratorem ad Joannem miſit, ut ſuſcipiendi itineris laborem ſibi remitti deprecaretur: cujus precibus flexus Pontifex, e Cardinalium conſilio aſſenſit, ut Rex in Aragonia ſolemni ritu pro obtenta ſedis Apoſtolicæ beneficio auctoritateque Sardinia ſacramentum nuncuparet. Rogatus quoque Pontifex, ut a Rege ad infidelium: ac præſertim ſoldani Babylonici, oras duas naves mitti permitteret, tum ad exportanda ſacra S. Barbaræ lipſana, tum ad nonnulla alia negotia conficienda; reſpondit (*b*), continuis ſuas ex Cypri & Armeniæ partibus clamoribus aures feriri, barbaris merces inferri, quibus aucti magis ferociebant; reliquiarum tamen ſanctæ illius martyris intuitu ipſi unius mittendæ navis, comitique Ripacurtiæ alterius poteſtatem feciſſe.

Eam ſe præſtare non poſſe primo ſuſcepti ſceptri anno excuſat.

Ad annum alterum extracta dies.

Poſcenti ulteriores temporis moras repulſa objecta.

(*a*) *Ib. pag.* 238.

Ripacurtiæ comes ad ſedem Ap. legatus.

Lipſana S. Barbaræ ex Aſia deportanda curat Alfonſus.

(*b*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 170. & *an.* 13. *p.* 1. *ep. com.* 85. 86.

LXXXIII. Hoc anno Jacobi Balearis Regis patruus atque antea tutor Philippus e Majoricis, Aragonum, Siciliæ, & Francorum Regum conſanguinitate illuſtris, novum Franciſcani inſtituti ordinem, in quo præſcripta a S. Franciſco religioſæ vitæ formula ſine ulla interpretatione atque additamento ſervaretur, condere in animum induxit, ac perficiendæ rei auctoritatem oblato hoc libello ſupplice (*c*) a Pontifice flagitavit.

Philipp. regia, ſtirpe Baleari ſatus Franciſcanis ſe addicit.

(*c*) *Ext. apud Vuad. in annal. hoc ann. n.* 29.

*Supplicatio Philippi de Majoricis.*

*Supplicat ſanctitati veſtræ (qui eſtis vicarius Jeſu Chriſti in terris, qui de domus ſuæ divitiis deſcendit in uterum pauperis Virginis, ut paupertate noſtræ carnis indutus pœnitentiæ viam arctam ſumeret, & per crucis ignominiam glorioſus ad Patris aſcenderet dexteram) Philippus de Majoricis theſaurarius B. Martini Turonenſis pro ſe & ſui propoſiti ſociis præſentibus & futuris, quod cum ipſe, licet peccator, fide Chriſtianus ſit, fidei opera habere deſiderans; & ideo non ſolum præcepta, ſed & evangelica Chriſti conſilia a juventute ſervare affectans, ex omnibus viis ſalutis illam ſolam præelegit & præeligit, ad quam præeligendam eſt & eſſe vult voto aſtrictus, ſcilicet regulam beatiſſimi Franciſci, quæ B. Franciſco per Spiritum ſanctum inſpirata eſt, & paſſionis Chriſti ſignis ſolemniter confirmata; de qua idem ſanctus in ſuo teſtamento dicit ſic: Ipſe Altiſſimus revelavit mihi, quod deberem vivere ſecundum formam ſancti evangelii, & ego paucis verbis ſimpliciter feci ſcribi, & dominus Papa confirmavit mihi. Et iterum circa finem teſtamenti ſui, loquens fratribus, ait: Dominus dedit mihi ſimpliciter & pure dicere & ſcribere regulam, & iſta verba ſimpliciter & pure ſine gloſſa intelligatis, & cum ſancta operatione obſervetis uſque in finem.*

Novam condere familiam relig. meditatur.

*Huic igitur tanti Patris admonitioni toto deſiderio cordis adhæreo; eos tamen, qui ſummorum Pontificum expoſitiones & declarationes receperunt, in nullo tango, quia in via Dei alius ſic ambulat, alius ſic; ſed ego ipſam B. Franciſci regulam, ſimpliciter & pure intellectam & ſine gloſſa, in qua promittitur evangelii Chriſti obſervantia, cujus evangelii vita a Chriſto exemplata & tradita eſt fidem evangelii tenentibus; ſicut ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ filius veſtris, pater ſanctiſſime, pedibus ſubditus & ſubjectus a vobis regulam ipſam & vitam tamdiu deſideratam libenter & libere obſervandam, cujuſpiam contradictione ceſſante, mihi & mei propoſiti ſociis præſentibus & futuris concedi proſtratus & genibus flexis expoſco: non tamen in ſocietate fratrum Minorum, qui hodie ſunt, nec ſub obedientia ordinis prælatorum propter diſſonantiam voluntatum inter ipſos & nos; ſed ſicut illi, qui Ciſtercienſium ordinem inchoaverunt, a nigris monachis ſe ſequeſtraſſe dicuntur ad regulam S. Benedicti perfectius obſervandum, ſic & ego pro me & mihi adhærentibus peto humiliter ſupplicans, me & ſocios, qui inſpirante Deo*

Puram S. Franciſci regulam ſervandam depoſcit.

Petit e Ciſtercienſibus exemplum.

*Deo una mecum præfatam regulam & vitam ſervare deſiderant, veſtræ ſanctitatis auctoritate ad ipſam ſæculo dimiſſo recipi, & ex ſpeciali gratia ſtatim ad profeſſionem admitti; maxime cum omnes, quos nunc mecum aſſociabo, probationis annum vel annos, quantum ad notitiam & exercitium vitæ religioſæ, exiſtentes in ſæculari habitu tenuiſſe poſſint dici: qua profeſſione facta, liceat nobis regulam prædictam Domino juvante ſervare, eleemoſynas pro Chriſto mendicare, eleemoſyniſque & laboritio manuum ſuſtentari, &c.* Sub finem modeſtiæ metas egreſſus, minas, ni votorum compos fieret, adjecit, quæ ipſum haud ſancto adductum ſpiritu indicant. *Pater*, inquit, *ſanctiſſime, quam peto pro me & propoſiti mei ſociis, licet ea indignus ſim peccatis exigentibus, indignius tamen eſt eam mihi denegari: & ſicut a Spiritu ſancto eſt via perfectionis Chriſtianæ, quam poſtulo, ſic a ſpiritu maligno eſſe denegationem ejus non dubitant fidei catholicæ vitam & genera æſtimantes. Si denegetur ergo, quid reſtat? Audient certe cœli quæ loquor, audiet & terra verba oris mei.* Repulſam imprudenti homini objecit Pontifex e Cardinalium conſilio, ne ordo Franciſcanus multis concuſſus factionibus magis labefactaretur.

Dat ſigna pervicaciæ.

Ob juſtiſſimas cauſas repulſam patitur.

LXXXIV. Ordo Eremitarum S. Pauli.

Contra Caroli Ungariæ Regis adductus precibus efflorescentem in ipſius regno Eremitarum S. Pauli primi religioſam familiam, ac magnis virtutibus, præcipueque cœleſtium rerum tractatione conſpicuam, apoſtolica auctoritate confirmavit (*a*).

(*a*) *An.* 13. *p.* 1. *ep. com.* 473.

In Ungaria effloreſcit.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Ad noſtri apoſtolatus auditum relatio fide digna perduxit, quod dilecti filii fratres S. Pauli primi Eremitæ in Ungaria & aliis partibus conſtituti, per auſteritatem piæ vitæ, bonorumque operum actiones adeo ſe reddunt in conſpectu Dei & hominum gratioſos, quod eorum exemplo plurimi ad pietatis opera perducuntur; quodque ipſi ſecundum B. Auguſtini regulam deſiderant virtutum Domino perpetuum impendere famulatum. Nos igitur hujuſmodi pium, laudabile, ac meritorium propoſitum & obſequium eorundem fratrum, Dei & ſanctorum ſuorum proſequentium laudem & gloriam, digne in Domino commendantes: & attendentes illa ſalubria & efficacia fore ad perennis ſalutis bravium impetrandum, ut eo libentius dicti fratres divinis beneplacitis ſe coaptare, ſeque diligentius exercere operibus ſanctitatis, quo inveniſſe gaudebant nos & dictam ſedem ſibi gratioſos, propitios, & benignos, chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli regis Ungariæ illuſtris, quem ad fratres ipſos ſpecialis devotionis affectum habere percepimus, apoſtolicam pro fratribus præfatis in hac parte gratiam humiliter implorantis, & eorundem fratrum devotis ſupplicationibus annuentes, prælibatis fratribus auctoritate apoſtolica regulam concedimus antedictam, per eos & ſucceſſores ipſorum in locis ſuis, quæ habent, & præſtante Domino habebunt in poſterum, perpetuis futuris temporibus obſervandam: memoratis inſuper fratribus eorumque ſucceſſoribus, qui in capitulo ipſorum, quoties expedierit, celebrando aliquem ex eis idoneum in eorum priorem generalem eligere, ac electum recipere valeant, & habere: idemque prior ſic electus, receptus, & habitus in dictos fratres & ſucceſſores viſitationis & correctionis debitæ officium valeat exercere, ac ipſos ab excommunicationis ſententia, ſi quam eos propter violentam manuum injectionem in ſe ipſos, vel propter ſtatuta dictæ regulæ violanda incurrere contigerit, juxta formam eccleſiæ abſolvere conſuetam, &c. Dat. Avin.* X. *kal. decemb. anno* XIII.

Ad Caroli Regis preces confirmatus.

Antea vero, querente eodem Ungariæ Rege, nonnullorum præſulum & clericorum acerbitate nimia in exigendis decumis a neophytis, qui ad eccleſiæ gremium ſe conferebant, barbaros a fide catholica amplexanda deterreri, Joannes clerum Ungaricum nimiam illam acerbitatem temperare, ac potius animarum quam rerum caducarum compendio ſtudere juſſit (*b*):

Accuſatus Ungaricus clerus.

(*b*) *An.* 2. *p.* 1. *ep. cur.* 4.

*Venerabilibus fratribus archiepiſcopis & epiſcopis, nec non dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, & aliis eccleſiarum prælatis in regno Ungariæ conſtitutis.*

*Significavit nobis chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Rex Ungariæ illuſtris, quod vos, cum contingit aliquos ex Cumanis, Blachis, & Sclavis & aliis infidelibus ad fidem catholicam divina gratia & dicti Regis inductione converti, ab hujuſmodi taliter converſis & in fide catholica prædicta novis decimas integras nimis rigoroſe exigitis, ac etiam extorquetis; propter quod neophiti & converſi hujuſmodi ex eo, quod ſolvere decimas ante converſionem eorum non conſueverunt, interdum aſſerunt, quod ad fidem catholicam prædictam aſſumendam ex eo invitantur, ut dent clericis bona ſua; & multi, qui ad fidem ipſam libenter converterentur, a converſione hujuſmodi propterea retrahuntur: quare dictus Rex nobis humiliter ſupplicavit, per nos ſuper hoc de opportuno remedio provideri. Nos igitur nolentes, quod prædicti infideles ab hujuſmodi converſione ipſorum ad fidem catholicam propterea retrahantur, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus in exigendo decimas prædictas ab hujuſmodi de novo converſis vos ſic benigne & curia-*

Injuſtæ in neophytos vexationis.

Retardatæ barbarorum converſionis.

Decumæ a neophytis ſine acerbitate peti juſſæ.





*liter, quouſque converſi ipſi in fide prædicta perfecti & in ea plenarie roborati fuerint, vos geratis, quod converſi ipſi ſe gravatos non reputent: quinimmo benignius pertractati alios infideles ad prædictam fidem catholicam aſſumendam inducant, & ipſi in fide prædicta devotius perſeverent. Dat. Avin.* VIII. *id. maii anno* XIII.

LXXXV. Pontificis zelus in religione propaganda.

Eodem anno Pontifex, propagandæ inter infideles religionis ex apoſtolico munere ſolicitus plures religioſos viros ad excolendas fide barbaras nationes tranſmiſit; ac Prædicatoribus comitia ordinis Toloſæ celebraturis imperia dedit (*a*), ut quinquaginta ex ſacra ipſorum familia virtutibus & ſcientia inſtructos, forteſque ad ferendos labores mitterent: *Inexplicabili*, inquit, *deſiderantes affectu, & ſummo ſtudio proſequentes quod divini cultus officium, jam in pleriſque gentilium partibus actore Domino, propagatum eo indeſinentius frequentetur & vigeat, quo miniſtris potioribus invaleſcat, ſolicita deliberatione providimus, ut in hac veſtra congregatione ſalubri, in qua dominus Deus noſter, de cujus dilatatione nominis agitur, medius noſcitur conſtitutus, per vos filii ordinetur, provideatur, & fiat, quod de ordine veſtro, qui inſpirante Deo velut cœlum micat ſtellis, ſic perſonarum numero & virtute coruſcat, ad minus quinquaginta fratres ad hoc voluntarii, nimis tamen nec juvenes nec antiqui, ſed bene religioſi alias & diſcreti, ac ſufficientes clerici competenter mittantur ad partes dictorum gentilium per ſingulos ordinis prædicti conventus ad exercenda ibi divina myſteria, prout expeditius fuerit, dividendi, &c. Dat. Avin.* VI. *kal. maii anno* XIII. Plures etiam e Minoritarum ordine in Perſidem, in Indias, in Turcheſtani, ad imperium Elchigaday, ad terras Chorazam, ut gentibus evangelium inferrent, miſſos refert Wadingus (*b*).

(*a*) *To.* 6. *p.* 3. *ep. ſecr. p.* 187.

Quinquaginta ex ordine Præd. mitti in orientem jubet.

Plures Minoritæ profecti ad gentes.

(*b*) *Vvad. hoc ann. n.* 23.

LXXXVI. Ex ſoldani aula reverſus orator Chriſtianus.

Quod ad res orientales ſpectat; Joannes e Janvilla ad ſoldanum Babylonium miſſus pro Syriacis rebus promovendis, reverſus ex Aſia nonnulla ſoldani reſponſa attulit, de quibus Joannes Papa Philippum Regem Francorum IV. kal. novembris deliberare juſſit (*c*): ſed ut omnia illius conſilia aliorum Regum exemplo evanuerint ob Anglorum bella, ſuis locis dicetur. Imminebat Cypro haud leve periculum, niſi Pontifex apoſtolica ſolicitudine illud diſcuſſiſſet: Genuenſes enim ulturi veteres injurias claſſem adverſus Hugonem Regem inſtruebant, cum quibus Robertus Siciliæ Rex arma conjungere meditabatur: ſed Joannes ut rei Chriſtianæ conſuleret, admonuit Hugonem (*d*) ut illata Genuenſibus damna ſarciret, Regem vero Robertum, ut bellicum illum apparatum intermitteret. Miſſus vero eſt a Genuenſibus pro componenda controverſia Nicolinus Fliſcus, cui Cardinalis nomen inditum, quem Hugoni, ut perhonorifice exciperetur, commendavit Pontifex (*e*), eundemque Regem ut paci animum accommodaret eſt adhortatus. Interceſſerant etiam Hugonem ipſum inter ac Rhodios equites nonnullæ controverſiæ, quæ ſolicitudine pontificia ſopitæ ſunt (*f*): regii enim oratores, habito cum Heliono Villanova ſummo Hoſpitalariorum equitum magiſtro & Rhodii conventus oratoribus colloquio, poſt contentiones aliquas demum in concordiam cum iis venere.

Agitata a Pont. & Gallo de Syria recuperanda conſilia.

(*c*) *Tom.* 7. *p* 1. *ep. ſecr. pag.* 114.

Imminens Cypro bellum diſcutere Pont. nititur.

(*d*) *To.* 6. *p.* 3. *ep. ſecr. pag.* 222.

Monitus Hugo, ut Genuenſibus injurias ſarciret.

(*e*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 63.

(*f*) *Ead. pag.*

Et ſane par erat, ut mutuo fœdere Chriſtiani conjungerentur, cum infideles viribus invaleſcerent, adverſum quos Pontifex Robertum Regem Siciliæ cum Venetis armorum ſocietatem coire, V. id. decembris juſſit (*g*). Alliciebantur ad idem fœdus Philippus Tarentinus & Joannes Achajæ principes, cujus tractandi provincia Iſnardo archiepiſcopo Thebano a Pontifice demandata eſt (*h*), ut ſchiſmaticorum & Turcarum impetus frangerentur. Initam vero magna Franciſci Danduli ducis Venetorum gloria, qui Joanni Superantio exeunte anno ſuperiori extincto ſucceſſerat, refert appendicis ad chronicon Andreæ Danduli auctor his verbis: *Iſte dux zelo fidei catholicæ cum Joanne XXII. ſummo Pontifice, Rege Franciæ, & Imperatore Conſtantinopolitano ligam contra Turcas & unionem compoſuit: qua durante ſecuritas maxima Chriſticolis in Romaniæ partibus reſidentibus, & damna Turcis data fuerunt.*

Componit ſuas cum Rhodiis contentiones.

Principum Chriſtianorum fœdus in Turcas.

(*g*) *Ib. pag.* 145.

(*h*) *Ib. pag.* 65.

I. Divina providentia in debilitando eccleſiæ hoſte.

EMicuit inſigne divinæ in eccleſiam providentiæ exemplum anno redempti orbis milleſimo treceteſimo vigeſimo nono indictione duodecima, quamque infelices rerum exitus excipiant eos principes, qui rerum ſuarum augendarum ſpe religionem contemnunt. Ludovicus Bavarus, antequam ſchiſma in Dei eccleſia conflaret, ad ſummam efflorurerat potentiam, adverſaſque Italiæ vires ſolo pene terrore obtriverat: at mox atque pſeudopontificem creavit, ſuperiori inclinatæ, atque hoc anno adeo collapſæ ſunt res ejus, ut ab omnibus deſertus pudoreque oppletus, fugam in Germaniam carpere coactus, Italicum regnum amiſerit. Quæ ſingula antequam recenſeamus, atrox ab illo ineunte anno patratum facinus in medium adducemus. Excepit ipſe Piſis tertio januarii die Petrum Corbariam pſeudopontificem ſuis anticardinalibus ſtipatum, omneſque vero Chriſti vicario exhiberi conſuetos honores more hiſtrionico illi detulit (*a*); quæ res *Piſanis* omnibus prudentibus horrori *fuit*: ac ſcenicus pontifex octavo januarii concionem habere ad populum non erubuit, atque indulgentiarum præmia iis, qui Joannis XXII. nomen execrarentur polliceri. Et quidem in Petri Corbariæ nefario regeſto extant literæ (*b*) idibus januarii Piſis exaratæ maledictis in Chriſti vicarium refertæ: idemque ſathanæ emiſſarius iterum decimonono februarii die, ſchiſma propagare enitente Ludovico, anathema in verum Pontificem, ac Robertum Siciliæ Regem & Florentinos, præcipuos illius in Italia defenſores, cæteroſque catholicos vibravit (*c*), & aliis pœnis eos ſubjecit.

(*a*) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 116.

Nefaria concio ab eo habita. Antipapæ furor.

(*b*) *Regeſt. Nicol.* V. *antip. pag.* 181.

(*c*) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 123.

II. Præfecti, qui Piſanos ad eam coegerat mors infelix.

Accidit vero, ut quo tempore ſolemnes illi conventus celebrandi erant, tanta repente inhorruerit procella, tantaque effuſa ſit nubibus pluvia, quantam nullus unquam meminiſſet: ut nemini dubium eſſet tanto ſceleri cœlum iraſci. Cumque Piſani eam occaſionem, ne criminis participes eſſent, captarent, immiſſus eſt a Ludovico militum præfectus, qui opibus & auctoritate conſpicuos cives ad profanam concionem compelleret. Sed divina ab eo vindicta non abfuit; ex aura enim frigidiore obrigeſcens, ut morbum depelleret, veſpere balneum ſtillatitii vini ingreſſus, inopino caſu ignem corripiente aqua ardenti, flammis præfocatus interiit (*d*): verſumque id ab omnibus prodigio eſt, ac Ludovici & antipapæ geſta inviſa Deo eſſe communi Piſanorum exiſtimatione pervulgatum. Cæterum adverſum ſacrilegos, contra cœlum & Chriſti in terris vicarium blaſphemas voces evomentes, Pontifex ſacro cœnæ dominicæ die eccleſiaſticum fulmen jecit (*e*), ac Ludovicum Bavarum & Petrum Corbariam, novis flagitiis vetera cumulantes apoſt. ſententia damnavit, quam præſulibus eccleſiæ, atque inter cæteros archiepiſcopo Cæſarauguſtano ſignificavit (*f*).

(*d*) *Eod. c.* 123.

(*e*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 174.

Petrus e Corbaria damnatur.

(*f*) *Ead. pag.* 174.

Apoſtatæ ab antipapa in epiſcopatus intruſi.

Auſus etiam eſt perfidus Corbaria ad ſchiſma amplificandum, ac plures in exitium trahendos pſeudoepiſcopos eccleſiis ut Thomam & Conradum Auguſtinianos Senogallienſi & Auximanæ, Vitalem Minoritam Firmanæ intrudere: quos a Piceni (*g*) præſide & epiſcopis (*h*) pelli ac plecti juſſit Joannes Papa. Tum pſeudopontifex antilegatos in provincias miſit. In Corſica quidem vir improbus ejus ac Bavari nomine legationem gerens, plures hæreſes ſerere ſtuduit, & indulgentias transfretaturis in terram ſanctam propoſitas, ad turpem quæſtum aucupandum pollicebatur: cujus plectendi provincia Nebienſi epiſcopo impoſita eſt (*i*). Miſerat etiam in Græciam aliaſque orientis oras Corbaria ſcelerum ſuorum adminiſtros, quos epiſcopali dignitate inſigniverat, ut pontificia vectigalia occuparent. Ad quorum evertendos conatus Joannes Conſtantinopolitano patriarchæ aliiſque archiepiſcopis catholicis ſignificavit (*k*), ut antipapa matrimonio junctus eſſet, ac repugnante conjuge ordinem Minorum ingreſſus, graviores pœnas in eo ordine ob infamem vitam contraxiſſet, quarum ſeveritate eluſa, demum ſe ſchiſmatis principem conſtituiſſet; præcepitque ut illius partibus inquinatos ac nefandos præcurſores vinculis manciparent.

(*g*) *Ead. p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 34.

(*h*) *Ib. pag.* 32.

(*i*) *To.* 7. *p.* 2. *pag.* 46.

Miſſi in orientem pſeudolegati.

(*k*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. p.* 66.

Pontifex eorum nefaria conſilia occupat.

*Patriarchæ Conſtantinopolitano ac Patracenſi, Circenſi, Thebano, Corinthienſi, & Athenienſi archiepiſcopis.*

III. Docentur præſules quis ſit Petrus e Corbaria antipapa. Ut ſit nuptus. Scelere ſe adjunxerit Minoritis.

*Ad noſtri apoſtolatus auditum nuper infeſtæ relationis aſſertione pervenit, quod ille filius ſathanæ Petrus de Corbaria hæreſiarcha & ſchiſmaticus, homo utique reprobus, qui dudum uxore ſua legitima, quam in facie eccleſiæ deſponſarat, cuique pluribus annis cohabitarat publice in ſæculo, abſque ipſius uxoris voluntate dimiſſa, ordinem fratrum Minorum intravit* (uxorem Petri Corbariæ viro, ut ad thorum rediret judicium intendiſſe, & coram Joanne epiſcopo Reatino auctoritate ordinaria cauſam cognitam, latamque a Joanne Auſune cantore Conſtantienſi ſententiam, ut uxori adhæreſceret, teſtatur Pontifex in aliis literis ad Philippum Regem & Joannam Reginam



nam Francorum, cujus formam ſuis conceptam verbis tranſmiſit (*a*). Addit Pontifex quam turpiter Petrus contra leges ſuſceptum Minoritarum habitum conſpurcarit.) *In quo vitam ducens, ſicut habet aſſertio multorum veridica, inhoneſtam, propter horrendos & deteſtandos exceſſus per ipſum commiſſos pœnis gravibus per eundem ordinem fuit ſubjectus: quas velut rebellis & inobediens ordini prædicto deduxit damnabiliter in contemptum: & tandem tanquam in profundum malorum demerſus, ſuſcitando in eccleſia Dei ſchiſma nefandiſſimum, ſe fecit & facit Nicolaum Papa V. in divinæ majeſtatis contumeliam, totiuſque fidelium cœtus opprobrium & ſcandalum abuſive ac deriſorie per ſuos ſequaces damnatos & complices nominari.*

(*a*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 118.

Patrarit in eo ordine gravia ſcelera.

Nitatur orientem ſuis hæreſibus inficere.

*Ad partes Romaniæ, in quibus catholicæ fidei viget cultus, quoſdam ſuarum nequitiarum complices & fautores, quos epiſcopos nominat, ad ſeducendos fideles earundem partium, ipſoſque in ſuorum errorum hæreſim & ſchiſmatum trahendos præcipitium, occupandoſque ibidem proventus eccleſiaſticos, molitur auſibus nefandiſſimis deſtinare. Nos autem hujuſmodi damnatis conatibus & fidelium partium prædictarum periculis obviari ſalubriter cupientes, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſi quos tales per eundem Petrum hæreſiarcham & ſchiſmaticum deſtinatos, vel ipſius fautores, ſequaces, & complices, aut contra conſtitutiones & declarationes noſtras dogmatizantes hæreſim damnatam per eas, in veſtris civitatibus, diœceſibus, & provinciis repereritis; ſuper quo adhibere curetis, ſicut ad veſtrum paſtorale pertinet officium, diligentiam ſtudioſam; cujuſcumque ſint conditionis, ordinis, dignitatis, aut ſtatus, etiam ſi pontificali, aut quavis alia præemineant dignitate, capiatis, & ad ſedem Apoſtolicam ſub fida cuſtodia, ſi commode fieri valeat, tranſmittatis, &c. Dat. non. maii anno* XIII.

Juſſi præſules in ejus ſequaces animadvertere.

IV. Joannes Vicecomes pſeudocardinalis & legatus in Inſubria creatus.

Creatum in Inſubria ab eodem pſeudopontifice legatum ad pervertendam fidem & laniandam catholicam eccleſiam, refert Joannes Villanus (*b*); idque muneris Joanni Matthæi Vicecomitis ſceleſtiſſimi viri damnatique crimine hæreſeos filio impoſitum, adjuncta illi cardinalitia purpura: quam rem vigeſimo nono januarii die geſtam ait. Quo accepto Pontifex Bertrando Apoſtolicæ ſedis in Inſubria legato provinciam injunxit; (*c*) ut Joannem pſeudocardinalem ac Luchinum fratrem hæreſeos & ſchiſmatis crimine contaminatos, ac damnatos ab Apoſtolica ſede ſolemni ritu divulgaret: *Fraternitati*, inquit, *tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictos Luchinum & Joannem filios dicti Matthæi hæreticos, qui Ludovico de Bavaria & Petro de Corvaria hæreticis & ſchiſmaticis manifeſtis, eorumque fautoribus, & ſequacibus adhærendo & præſtando auxilia, conſilia, & favores contra Deum & eccleſiam ſanctam ſuam, fidemque catholicam, errores erroribus, hæreſes hæreſibus, & exceſſus exceſſibus tanquam in profundum malorum demerſi cumulare damnabiliter hactenus ſtuduerunt, & continue in ſuæ damnationis cumulum non deſiſtunt; dictuſque Joannes velut averſus a Deo totaliter, & deſperationis laqueo involutus, ſe ſub dicto Petro de Corvaria hæreſiarcha & manifeſto ſchiſmatico Cardinalem per hæreticos & ſchiſmaticos rebelleſque alios ſatagit ſicut habet multorum relatio, in divinæ majeſtatis opprobrium, eccleſiæ Romanæ contemptum, ac fidei & fidelium deriſionem & ſcandalum; nominare, eſſe manifeſtos hæreticos, & de hæreſi ſententialiter condemnatos ac ſchiſmaticos; in eccleſiis & locis tuæ legationis & aliis, de quibus & quoties tibi expedire videbitur, per te vel alium ſeu alios publice nuntiare procures, &c.* Addit ut fideles ab improborum illorum ſchiſmaticorum ſocietate ac ſtudio, intentatis pœnis graviſſimis & cenſuris, deterreat. *Dat. Avin. id. martii anno* XIII.

(*b*) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 119.

(*c*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 10.

Hæreſ. & ſchiſmatis crimine devinctus.

Juſſus Bertrandus Card. in eum cenſuras promulgare.

Creandi Joannis anticardinalis Ludovicus auctor extiterat (*d*), cum ea ratione res ſuas confirmare arbitraretur, qui etiam parum memor illatæ Galeatio injuriæ Azonem illius filium & Joannis nepotem ad principatum Mediolanenſem evexit (*e*), promiſſis ſibi centum viginti quinque aureorum millibus, ut militi ſtipendia perſolveret. Adjunxit vero Azoni Porcarium virum principem, ut promiſſam auri vim reportaret, ſed Porcarius parte recepta in Germaniam abiit: qua ſpe deluſi Ludovicus & antipapa, cum res in dies anguſtiores fierent, haud parum conſternati. Decrevit itaque Ludovicus exercitum in Inſubriam traducere. De cujus conſiliis certior factus Pontifex, XVI. kal. april. ſignificavit Philippo Francorum Regi (*f*), Bavarum Piſis diſceſſum ornare, ut cum Scaligero colloquia iniret, reditumque in Germaniam compararet.

(*d*) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 119.

Azo Vicecom. præfectus Mediolano a Bavaro.

(*e*) *Eod. cap.*

Bavarus fugam ex Italia cogitat.

(*f*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 118.

V. Pontificius legatus Piſanum agrum populatur.

Dum Piſis agebat Ludovicus, nonnulli conjurati Florentiæ ſubornati, qui Urbem dedere moliebantur: ſed patefactæ inſidiæ, ſumptumque de ſontibus ſupplicium. Bertrandus vero Roberti Regis dux inſtructo egregie exercitu ſuccinctus in comitatum Piſanum plurimam agris cladem intulit (*g*): ac Ludovici res tam in Inſubria, quam Etruria nutarunt; quas cum fulcire niteretur, impelli magis ac labare viſæ, de quibus hæc

(*g*) *Cap.* 117.

S. An-

(a) Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 11. Ex Leonar. Aret. l. 6.

Antipapa Piſis relictus.

S. Antoninus (a) affert; *Ludovicus, quoniam Germani equites, qui ab eo transfugerant, omnibus cœptis cogitatiſque obſiſtere videbantur, nec promiſſæ ab Actio pecuniæ comparebant, quo his proſpiceret incommodis, tranſire in Galliam citeriorem ſtatuit. Relicto itaque Piſis falſo pontifice, cum omni hæreticorum apoſtatarumque ſentina, ſcilicet antequam captus duceretur ille antipapa Avenionem, ut dictum eſt; cum per agrum Parmenſem deveniſſet in Galliam, exiſtimaretque ſubito Piſas reverti, majora quàm putabat in Gallia impedimenta offendit.* Et infra: *In Etruria vero poſt ejus diſceſſum varios caſus varioſque eventus res ſuſceperunt.*

Mox inde pulſus.

Corruit quidem primo Petrus e Corbaria: Piſani enim, in quibus catholicæ religionis amor hæſerat, ut urbem immani portento liberarent, antipapam ac ſequaces expulerunt. Qua de re Pontifex his verbis Francorum Regem fecit certiorem (b): *Synagogam malignantium & operantium deteſtabilia & iniqua, Petri videlicet de Corvaria & miniſtrorum ipſius, etiam Dominus diſſipavit: præcepto quidem Petro & ſuis ſequacibus per Piſanos, quod civitatem illam exirent, furtive feſtinarunt recedere quaſi nullo eorum alio expectato; quo autem dictus Petrus ierit, communiter ignoratur.* Non injeciſſe in eum manus Piſanos ob præfecti Ludovici, qui multo milite præſidiario inſtructus erat, conteſtati ſunt (c) in pontificia aula eorum oratores. De ejecto Tarlatino Ludovici vicario dicetur inferius, ubi prius quæ tempore præceſſere, adduxerimus.

(b) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 121.

Captat latebras.

(c) To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 54.

(d) Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 11. 12.

Afflictæ (d) itaque admodum ea rerum converſione Ludovici res in Etruria non pontificiis viribus, ne parti de hoſte eccleſiæ triumphi laus mortalibus aſcriberetur; ſed divino Numine Bavari ſequaces mutuis diſſenſionibus diſſipante, ut Pontifex Francorum Regi ſubjectis literis ſignificavit (e): *Ut ea, quæ ad Dei honorem & ejuſdem exaltationem fidei eſt in partibus Italiæ Salvatoris noſtri clementia his diebus præteritis operata & operatur continue, ſublimitas regia non ignoret; ad ejus notitiam pro animi conſolatione ac regni deducimus quæ ſequuntur. In primis ſiquidem inter partem gentis Bavari ac Lucanam & Piſtorienſem civitates ex una parte, ipſumque Bavarum ex altera vertiginis immiſit Dominus ſpiritum; ita quod gens illa Bavari una cum parte civium civitatum prædictarum contra eundem Bavarum rebellarunt: & capto illo, quem ipſe pro rectore dimiſerat in civitate Lucana, civitatem occupaverunt eandem, & contra ipſum Bavarum detinent occupatam. Cives autem Piſtorienſes, ejecta gente dicti Bavari, per ſe regunt civitatem prædictam, &c. Dat. Avin.* III. *non. junii* XIII.

(e) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 121.

Ludovici res collapſæ in Etruria.

(f) Jo. Vill. l. 10. c. 131. 144.

Cum igitur in Inſubriam, uti dictum eſt, traduxiſſet exercitum Ludovicus, mox Etruria jugum ejus excuſſit (f). Primi omnium equites, qui ob non ſoluta ſtipendia defecerant, ac loca imminentia Lucæ inſederant, Ludovici res labefactarunt: inita enim cum veterano milite præſidiario conjuratione, arcem duce Marco vicecomite ingreſſi Lucam occuparunt. Gherardinus vero Spinola Genuenſis Lucenſem principatum ab equeſtribus copiis triginta aureorum millibus coemit, quarum partem magnis conductam ſtipendiis ſecum retinuit: paucique poſt menſibus Caſtrucii (g) filii Lucam proditione ingreſſi, urbem ſibi ſubjicere pertentarunt; ſed demum non ſine clade a Gherardino ex arce cum ſuis erumpente propulſati ſunt. Cæterum Piſtorienſes ea rerum commutatione exterriti, potentiæ Florentinorum impares pulſis Germanis militibus, ſe in libertatem aſſeruere (h), ac fœdera cum Florentinis percuſſere. Tranſmiſere (i) vero ad aulam pontificiam oratores veniam ob ſecutas Ludovici Bavari & antipapæ partes poſtulaturos, qui in Cardinalium conſiſtorium producti expoſuere, ſe quidem Ludovico ut Imperatori paruiſſe, nunquam tamen, cum a Romano Pontifice confirmatus non eſſet, juſtum Imperatorem exiſtimaſſe: intruſum a Petro Corbaria epiſcopum excepiſſe; Caſtrucio, ejus tyrannide oppreſſos, obtemperaſſe. Quæ flagitia execrati ſe orthodoxam ſemper fidem, quam Romanus Pontifex docet, profeſſuros ſunt polliciti. Extant de eo munere ipſis demandato hæ publicæ tabulæ.

Luca Ludovico erepta.

(g) Cap. 151.

Piſtorium priſtinæ reſtitutum libertati.

(h) Cap. 131.

(i) To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 58.

Piſtorienſes ad Pontificem oratores mittunt.

VI.

*In Chriſti nomine. Amen. Anno nativitatis ejuſdem milleſimo trecenteſimo vigeſimo nono indictione* XIII. *die duodecimo menſis ſeptembris.* Nonnulliſque interjectis, quibus Hugonem epiſcopum Juſtinopolitanum & Albizanum equitem decernunt oratores, ipſos hiſce mandatis inſtruunt: *Ad comparendum & ſe præſentandum conſpectui ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini domini Joannis divina providentia Papæ XXII. ſicut coram ipſorum patre & domino & Chriſti in terris vicario, & coram ſacro collegio reverendorum patrum dominorum Cardinalium ad recognoſcendum & confitendum ſe deliquiſſe ſuper eo & pro eo peccaſſe, quod damnatum Ludovicum de Bavaria, qui ſe Romanum Imperatorem nominat coadjuvaverunt, eique conſilium & auxilium præſtiterunt & præſtari ab aliis fecerunt, & permiſerunt: dominia* * *quod, officia, & rectorias ab ipſo Bavaro ſicut Imperatore receperunt; licet ipſum nunquam crediderint, nec credant fuiſſe, vel eſſe Imperatorem, poſtquam non erat per ſanctam matrem eccleſiam & dominum Papam ſupradictum approbatus; ſed potius improbatus. Inſuper ſuper eo & pro eo, quod fratrem I. de Sedegiis in epiſcopum in dicta civitate Piſtorienſi aſſumptum, & electum a Petro de Corvaria ſchiſmatico & apoſtatico, & nunc damnato per ſanctam matrem eccleſiam receperunt, & ipſi epiſcopo indebite electo dictæ civitatis epiſcopatum regenti ſibi conſenſerunt & obediverunt, & conſilium & auxilium præbuerunt. Et inſuper pro eo, quia Caſtrucium Caſtrucini de Interminellis tyrannum peſſimum & iniquum, ac damnatum hæreticum & ſchiſmaticum per dictum ſummum Pontificem contra juſtitiam receperunt, & ei per tempus plurimum obediverunt, & auxilium & conſilium præſtiterunt, committendo temere & non ex certa ſcientia plura delicta contra ſanctam Romanam eccleſiam & ſanctiſſimum Papam dominum Joannem præfatum. Hæc autem effectui mandaverunt quouſque reſpirare potuerunt, & gratiam & miſericordiam ſanctæ matris eccleſiæ procurare quam rehabere ſperantes ſanctæ matris eccleſiæ & domini Papæ præſidio invocato, ſe ſupradictis Bavaro & eccleſiæ inimicis oppoſuerunt & opponere intendunt, &c.* Impoſuere etiam oratoribus provinciam, ut ob violatum ſacrorum interdictum, divina profanata, aliaque ſcelera in pontificiam auctoritatem patrata veniam poſcerent, ſeque ad ea rite expianda ſubmitterent: tum ad ſolvenda ærario pontificio duo marcharum millia totius populi bona obligarent, ſi a promiſſis unquam deficerent. Quæ cum ſumma animi demiſſione, productis magno doloris ſenſu omnibus flagitiis in ſacro Cardinalium ſenatu expoſuiſſent, donati ſunt ampliſſima venia, confirmata publico diplomate III. kal. novembris pontificatus anno XIV. conſignato.

* quoquo



Profitentur Imperatorem niſi confirmatum a ſede Apo. eſſe non poſſe.

Veniam petunt de recepto pſeudoepiſc.

Et tolerata Caſtrucii tyrannide.

Illatam ſibi vim excuſant.

VII.

Præſidium Germani cum Piſis ejectum.

(a) Jo. Vil. l. 10. c. 135.

(b) To. 7. p. 1. ep. ſecr. p. 27.

Interea Piſani ad res novas priſtinamque recuperandam libertatem excitati, (a) cum comite Bonifacio e Donoratico de Tarlatino e Petramala Aretino Bavari præfecto eiiciendo conſilia ineunt: ac Marco Vicecomite nonnullis equeſtribus copiis ſuccincto Luca excito Germanos præſidiarios ejecere. Cum Pontifex archiepiſcopo Piſano XIII. kalen. junii munus injunxit (b), ut interdictum eccleſiaſticum, quo Piſæ ob atrocia in ea urbe patrata facinora in pontificiam majeſtatem devinctæ erant, ad feſtum omnium ſanctorum remitteret: diſſolutum vero poſtea eſt penitus, cum Piſanorum oratores ad pontificiam ſedem hoc eodem anno acceſſere, ut flagitii in Bavaro & antipapa excipiendis commiſſi veniam poſcerent: ac publice coram Cardinalibus ſunt conteſtati, ſe Joannem verum Pontificem ſemper ab eo tempore, quo apoſtolicum ſolium conſcenderat, crediſiſſe; fidemque orthodoxam, quam ille prædicaret, tenere. Pluribus vero verbis ad captandam miſericordiam expoſuere, ut terrore armorum compulſi Ludovici ſervituti ſe ſubjeciſſent, & ſchiſmatis laqueis fuiſſent irretiti; quos tum demum feliciter abrupiſſent, cum meliorum rerum ſpes ipſis affulſiſſet. Quibus permotus Pontifex eoſdem Piſanos cenſuris ſolutos priſtinis juribus reſtituit (c).

Piſani ad Pontificis gratiam redeunt.

Joannem verum Pontificem agnoſcunt.

(c) To. 7. p. 2. ep. ſecr. p. 54. & MS. var. bull. Jo. 22. p. 103. Ext. in rotulo perg. ſig. n. 328. ex arc. Avin. Rom. arg. delato.

*Communi, univerſitati, & populo civitatis Piſanæ.*

VIII.

Miſſi ab iis oratores ad veniam poſtulan.

*Nuper ad noſtram præſentiam venientes dilecti filii nobiles viri Guillelmus de Seximundis, Nicolaus Gualandis, & Guido Maſca veſtri ambaxiatores & nuncii, ad infraſcripta omnia ſufficiens a vobis mandatum habentes, coram nobis & fratribus noſtris in conſiſtorio, præſente ibidem prælatorum & aliorum fidelium multitudine copioſa, proponere curaverunt, quod cum Ludovicus olim dux Bavariæ excommunicatus, hæreticus, & ſchiſmaticus vobis dudum velle ad civitatem veſtram accedere intimaſſet, vos tanquam devoti & fideles ſanctæ matris eccleſiæ filii eum recipere minime intendentes, ut ad eandem civitatem venire niſi de voluntate & aſſenſu, ac cum concordia eccleſiæ nullatenus præſumeret, eidem per veſtros ambaxiatores & nuncios miſſos ad ejus præſentiam diverſis vicibus propter hoc intimare curaſtis: ac poſtmodum eodem Ludovico ad civitatem eandem accedere, iis non obſtantibus, ſatagente vos eidem realiter & viriliter opponentes, per menſem, & ultra reſtitiſtis eidem, donec per potentiam ſuam portu aquæ & maris perdito, & omni deſtituti ſuccurſu, vos contra eundem defendere ulterius nequiviſtis. Tunc vero Ludovicus prædictus vobis coactis & violentatis, ac omni auxilio & ſpe auxilii deſtitutis; nec non caſtris, villis, & locis comitatus & diſtrictus veſtrorum per gentes & ſequaces ipſius Ludovici occupatis & expoſitis vaſtitati, ſtipatus magna multitudine armatorum, equitum, & peditum civitatem intravit eandem, quondam Caſtrucium hoſtem veſtrum & æmulum, ac Guidonem, qui ſe intitulabat epiſcopum Aretinum, alioſque multos rebelles ſanctæ matris eccleſiæ ſecum ducens. Qui civitatis jam dictæ, ac comitatus & diſtrictus ejuſdem regimen per aliqua tempora tenuit uſurpatum, multaque deteſtanda & execranda verbo, ſcripto, & facto fecit ibidem & exercuit, & per alios fieri & exerceri, vobis reſiſtere ſeu prohibere nequeuntibus, fecit, voluit, & permiſit. Subſequenter vero Ludovicus præfatus inde rece-*

Toleratæ obſidionis incommoda exponunt.

Ingreſſo hoſti ſuccincto exercitu reſiſti non potuiſſe.

[Acceptos ab eo in receſſu obſides.]

recedens, & verſus urbem infelices dirigens greſſus ſuos, nonnullos de civitate prædicta Piſana clericos & laicos, ne aliquid poſſet interim immutari circa ipſius civitatis regimen, ſecum duxit ſub manu potenti civitatem eandem munitam dimittendo; nihilominus & eandem dicto Caſtrucio commendando, & a vobis invitis magnas pecuniarum ſummas exigendo, & etiam per ſuam tyrannidem extorquendo.

[Præfectum Piſis Caſtrucium.] [Roma reverſum Lud. induxiſſe antipapam.]

Rurſus poſt certi temporis ſpatium, memoratus Ludovicus, de dicta urbe ad præfatam civitatem rediens & exiſtens in ea cum magna potentia gentis ſuæ, virum perfidum Petrum de Corbario apoſtaticum & ſchiſmaticum cum ſuis nequam officialibus & miniſtris in civitatem introduxit præfatam, eique fecit tanquam Papæ honorem, in divinæ majeſtatis contumeliam, & cunctorum jacturam fidelium exhiberi. Quem honorem tam regimina, quæ ibi erant, quam nonnulli ex vobis & Forenſes Petro exhibuerunt eidem: & aliqui tam de civitate, quam comitatu prædictis ab eo beneficia & officia receperunt, ipſiſque Ludovico & Petro, eorumdem damnatis ſequacibus, in eadem civitate manentibus, homines dictæ civitatis ejuſque comitatus & diſtrictus tam clerici, quam laici, interdictum ſeu interdicta, cui vel quibus propter præmiſſa civitas ipſa cum eiſdem comitatu & diſtrictu ſubjacebat, minime ſervaverunt: quinimmo potius violarunt coacti ſic, quod ibidem divina celebrata, ſeu potius profanata fuerunt: quamvis vos prædicta per eoſdem Ludovicum & Petrum, eorumque ſequaces, miniſtros, & complices præſumpta, facta, & attentata eſſe & fuiſſe, abominabilia & horrenda catholicis, & inania & nulla de jure; noſque verum Papam, & ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummum Pontificem eſſe, & fuiſſe a tempore promotionis noſtræ ad apoſtolicæ dignitatis apicem, crederetis & teneretis firmiter, ſicut adhuc creditis indubitabiliter & tenetis; nec a fide catholica, quam nos & ipſa eccleſia prædicamus & docemus, recedere, nec alicui contra ipſam favere intenderitis quoquo modo: quamquam non fueritis auſi præmiſſis deteſtandis reſiſtere, ut præfertur.

[Paritum illi vi incuſſa fuiſſe.] [Cultum tantum externa ſpecie.]

IX. [Egreſſo Ludovico pulſum.]

Poſtmodum autem dicto Ludovico de civitate, comitatu, & diſtrictu prædictis recedente, vos memoratum Petrum de Corbario, ſuoſque damnatos officiales & miniſtros cum ſua licentiantes ignominia, de dicta civitate veſtra expellere curaviſtis, eundem Petrum de Corbario arreſtare tunc præ timore vicarii dicti Ludovici & gentis armigeræ, quos ibidem dimiſerat, non audentes; licet poſtea, reſumptis tractu temporis viribus, eoſdem vicarium & gentem & quoſcumque dicti Ludovici officiales, ac eccleſiæ veſtroſque rebelles & hoſtes, inibi exiſtentes, potenter & viriliter ejeciſtis de civitate prædicta: & ad obſervationem interdicti & interdictorum prædictorum inviolabilem humiliter rediiſtis, ac parere reverenter vicario & officialibus venerabilis fratris noſtri Simonis archiepiſcopi Piſani, & ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Robertum Regem Siciliæ illuſtrem pro ipſius gratia & pace habenda veſtros nuncios tranſmittere curaviſtis: & inſuper cum dilectis filiis communi & civibus Florentinis, eccleſiæ Romanæ devotis, pacem, unitatem, & concordiam, adactis in concordia ipſa certis articulis, devotionem, reverentiam, & honorem noſtrum, & ſanctæ matris eccleſiæ tangentibus, reformaſtis. Quare præfati ambaxiatores & nuncii nobis in eodem conſiſtorio ſupplicarunt humiliter & devote, ut veſtris non attentis exceſſibus; ſed ſequentes potius divinæ miſerationis exemplum, vobis aperire dignaremur ſinum pietatis & miſericordiæ, vos ad noſtram & ejuſdem eccleſiæ gratiam admittendo, ac interdictum ſeu interdicta prædicta tollendo de civitate, comitatu, & diſtrictu prædictis; vobiſque, nec non perſonis ſingularibus civitatis, comitatus, & diſtrictus prædictorum, clericis & laicis, religioſis & ſæcularibus ab interdicti, ſuſpenſionis, excommunicationis, & aliis pœnis & ſententiis, quas propter prædicta vel aliquod prædictorum quomodolibet incurriſtis, de abſolutionis & relaxationis beneficio providendo, ac diſpenſando miſericorditer cum perſonis eccleſiaſticis, religioſis, & ſæcularibus civitatis, comitatus, & diſtrictus prædictorum, quæ occaſione præmiſſorum fuerunt irregularitatis macula irretitæ; ac abolendo a vobis & ipſis omnem infamiæ maculam ſive notam ex præmiſſis obortam, & in eo ſtatu reſtituendo, quo eratis ante adventum dicti Ludovici de Bavaria ad civitatem jam dictam; offerentes prædicti ambaxiatores & nuncii veſtro nomine, vos noſtris & eccleſiæ in omnibus ſtare ac parere mandatis, omnemque ſubire pœnitentiam, & emendam complere, quas vobis injungendas ſeu imponendas duxerimus pro præmiſſis.

[Lodovici præfectum dejectum.] [Servatum eccleſiaſticum interdictum. Robertum Regem exoratum de pace.] [Redintegratum cum Florentinis fœdus.] [Cenſuris Piſani ſolvi flagitant.] [Omnibus pœnis ad expiandum facinus ſe ſubiiciunt.]

Nos autem, qui licet inſufficientibus meritis vices illius in terris gerimus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere; quique non venit judicare populum, ſed ſalvare, cupientes ipſius, quantum poſſumus, veſtigiis inhærere; & attendentes quod excuſationes hujuſmodi, etſi non tollant delictum totaliter, diminuunt tamen peccatum; & inſuper puram devotionem, quam vos & prædeceſſores veſtri retroactis temporibus ad Romanam geſſiſtis ec-





cleſiam, ad memoriam revocantes; excuſationes eaſdem admiſimus, ac vos ipſoſque ambaxiatores veſtro nomine ad noſtram & ejuſdem Romanæ eccleſiæ gratiam, per eoſdem ambaxiatores & nuncios veſtro nomine factis & promiſſis primitus quæ ſequuntur, duximus admittendos. Ipſi namque ambaxiatores & nuncii nomine veſtro ad ſancta Dei evangelia tacta corporaliter promiſerunt, ac etiam juraverunt, vos ſtare, parere mandatis eccleſiæ ac noſtris ſuper & de prædictis & prædictorum quolibet, & ab eiſdem dependentibus, ſeu aliquo eorundem; quodque dictos Ludovicum & Petrum, eorumque officiales & miniſtros, aut alterius eorundem, ſeu ipſius Ludovici ſtipendiarios, vel aliquos alios, qui venirent contra mandatum eccleſiæ ſeu noſtrum, vel aliorum ſummorum Pontificum canonice intrantium, nunquam admittetis ad civitatem ipſam, comitatum, vel diſtrictum ipſius, nec iis vel eorum alicui præſtabitis per vos vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, conſilium, vel favorem: ſed ſtabitis potius & perſeverabitis in noſtra, ac ſucceſſorum prædictorum, ac eccleſiæ devotione, obedientia, & reverentia debitis, & reſiſtentia contra illos, qui ad civitatem, comitatum, & diſtrictum prædictos venire taliter attentarent. Promiſeruntque inſuper prælibati ambaxiatores & nuncii, & etiam juraverunt, ſe facturos & curaturos quod vos omnia & ſingula prædicta ratificabitis, approbabitis, promittetis, jurabitis, & vos ad ea obſervanda, & complenda efficaciter obligabitis, inde confectis ſcripturis publicis, ſeriem præſentium continentibus, veſtro communitis ſigillo; quæ nobis ad noſtram & ejuſdem Romanæ eccleſiæ cautelam celeriter tranſmittentur.

[Admiſſi a Pontifice in priſtinam gratiam.] [Exactum ab ipſis ſacramentum.]

Quibus juramento & promiſſionibus per nos eidem receptis, vos, communem, univerſitatem, & populum ab omnibus & ſingulis pœnis & ſententiis, juris vel hominis, nec non proceſſibus quibuſcunque, quos & quas incurreritis propter prædicta, ſeu aliquod prædictorum, de fratrum eorundem conſilio abſolvimus; omnemque infamiæ maculam ſive notam, quam contraxiſsetis propter hoc, tollimus totaliter, & etiam abolemus: voſque ad omnia privilegia, honores, bona, ſtatum, & famam in integrum reſtituimus de plenitudine poteſtatis; & nihilominus interdictum ſeu interdicta quæcunque, quibus prædicti civitas, comitatus, & diſtrictus qualitercunque propter præmiſſa, vel aliquod eorundem ſubjacent, relaxamus omnino, &c. Dat. XVII. kal. octobris anno XIV.

[Priſtinis juribus reſtituti.]

XI. [Florentini ad concordiam cum Piſanis ſolicitati.]

Cæterum ut publicæ Etruriæ quieti conſuleret Pontifex, Florentinos ad pacem cum Piſanis ineundam excitavit; (a) quam feliciter conciliatam Joannes Villanus refert (b): quamvis nonnulla ante emerſiſſent odia, cum Piſani Lucam a Germanicis copiis, quæ a Ludovico defecerant, pretio emere tentaſſent. Solicitavit quoque Pontifex (c) Robertum Siciliæ Regem, ut acceptas injurias Piſanis remitteret, veteraque cum ipſis fœdera redintegraret: dignos videri venia, qui non niſi armorum vi multiſque damnis affecti ſub Ludovici potentia ſuccubuiſſent: admitteret oblata ab iis mulctæ nomine quindecim aureorum millia: quamquam ſatius foret ipſorum benevolentiam quam opes ſibi comparare. Explicuerat egregiam in revocandis ad obſequium eccleſiæ Piſanis operam Bonifacius e Donoratico, quem Pontifex multis laudibus ob editum tam præclarum facinus extulit (d). Ut vero illius opera Petrus Corbaria cuſtodiæ traditus, atque Avenionem adductus, crimen coram Cardinalium ſenatu execratus ſit, ſequenti anno videbimus. Addimus nunc pontificias literas, quibus Joannes Piſanis de re bene geſta gratulatus eſt (e).

[Rogatus Robertus ut Piſanis ignoſcat.]

(a) To. 7. p. 3. ep. ſecr. pag. 29.

(b) Io. Vil. l. 10. c. 138.

(c) To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 56.

(d) Ib. pag. 55.

(e) To. 14. p. 2. ep. ſecr. pag. 57.

Joannes, &c. antianis, populo, & communi Piſanis.

Quoties geſta veſtra, Deo nuper grata ſanctæque matri eccleſiæ admodum opportuna, ad memoriam revocamus, profecto toties non indigne jucunditate replemur & gaudio, & ad gratias referendum ei, de cujus nobis conceſſum eſt munere, ut ad talia veſtros converteretis animos, incitamus. Hæc ſunt utique fidelia conſolationis & honoris ſervitia, quæ pia compaſſione Chriſti ſponſæ in tempore malo & in die afflictionis ejus, ſtuduiſtis, ſpretis periculis variis, laudabiliter exhibere. Veſtro ſiquidem laudabili ſtudio civitas veſtra, quæ tyrannica poteſtate hæretici ac ſchiſmatici Bavari, ab eccleſiæ unitate receſſerat, ab errore liberata noſcitur, & relicto ſchiſmate, rediiſſe ad eccleſiæ unitatem: dum enim tempus affuit illud, Domino miniſtrante, ejecto de dicta civitate vicario hæretici ſupradicti, ac poſt Petro de Corbario antipapa, qui ſolium ſuum in dicta civitate poſuerat, licentiato de civitate eadem & ejecto, dimiſſis prorſus erroribus & ſchiſmate prædictorum, redire veſtro miniſterio feſtinavit, & rediit dicta civitas ad eccleſiæ unitatem. Et ne dictus Petrus antipapa, ſe transferendo ad partes alias poſſet Dei eccleſiam cum ſuis ſequacibus ulterius perturbare; ſuſcitavit Deus ſpiritum Danielis in dilecto filio nobili viro Bonifacio comite de Donoratico, ut ipſum Petrum reciperet & cuſtodiret, ne poſſet proficiſci alibi, ut ſic malis, quæ inde poſſent ſubſequi, obviaret, &c. Dat. Avin. III. non. ſeptembris anno XIV.

[Piſani ob Ludovici abjectas partes, traditumque antipapam commendati.]

Rediere ad obſequium eccleſiæ una cum ſuperioribus inſignibus populis præ-

cipui nobilitate viri Etruriæ Gibellinarum partium ; inter quos Gerinus, Franciſcus, & Ugolinus Ubaldini, aliique perduelles a Joanne Urſino S. Theodori diacono Cardinale A. S. L. pontificio juſſu eccleſiæ conciliati (*a*). Hactenus de Etruriæ rebus : jam alia proſequamur.

(*a*) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 5.

XII. Conventus habiti a Lud. in Inſubria.

Traducto in Inſubriam exercitu, Ludovicum menſe aprili celebres conventus, ut eam provinciam fluctuantem in ſuis partibus contineret, habuiſſe ſcribit Joannes Villanus (*b*), quibus Scaliger Veronenſis, Mantuæ, Cremonæ, aliique tyranni interfuere. Incenderat enim in ſe omnium odia ob creatum antipapam Ludovicus, & eo flagitio res ſuas maxime evertit. Depulere itaque a ſuis cervicibus ſchiſmaticæ ſervitutis jugum plures inſignes urbes ac populi : quos eccleſiæ conciliari, ac ſacrorum uſum ad proximas kalendas auguſti illis reſtitui juſſit Pontifex (*c*), donec cum de ipſorum fide penitus conſtaret, cenſuræ inflictæ diſſolverentur. Quo argumento hæc Benevenuto Bononienſi II. id. maii reſcripſit (*d*) : *Lætanter percepto, quod Papienſis, Novarienſis, Vercellenſis, Pargamenſis, & Laudenſis civitates cum ſuis communitatibus, relicto erroris invio, pedes ſuos in viam veritatis, ſicut jam cœpiſſe dicitur, convertere intendentes, illis viris reprobis Ludovico de Bavaria & Petro de Corvaria, hæreticis & ſchiſmaticis, conſtanter & viriliter ſe opponunt ; nos more paterno eiſdem ſuper his congaudentes & ſperantes, quod ſi divina in eiſdem civitatibus & communitatibus licite celebrentur, preces & ſacrificia, quæ Deo in ipſis offerri ſunt ſolita, ipſos in cœptis firmabunt, ac ut ipſi perficere valeant impetrabunt, & ut perficiant obtinebunt ; ad Dei honorem, ipſorumque conſolationem interdicta omnia in eiſdem civitatibus & communitatibus appoſita uſque ad inſtantis kal. auguſti duximus ſuſpendenda.* Addit ſibi ingratum admodum rumorem accidiſſe, Mediolanenſes ad committendas cum Ludovico Bavaro acies ſe comparare, cum ea res periculo non careat ; viderique ſatius cunctari, dum ad eum delendum excidendumque omnium vires conflari poſſent ; ac præcipit, ut ſi nondum in eum exercitum eduxerint, ipſos ab eo conſilio revocet : cæterum ſe legato ac Placentinis ſcribere, ut auxiliares copias cum Mediolanenſibus adverſus hoſtem conjungant : quæ quidem literæ ad Bertrandum legatum, Placentinos, & alios idibus maii datæ extant in regeſto pontificio (*e*) : quibus eoſdem Mediolanenſes ſe ad eccleſiam traduxiſſe ſignificat, utque vires cum ipſis in Ludovicum convertat, perſuadet.

(*b*) Jo. Vill. l. 10. c. 130.

Plures Inſubriæ urbes ab eo deficiunt. Eccleſiæ eos conciliari jubet Pont.

(*c*) To. 7. p. 1. pag. 26.

(*d*) Ib. pag. 12. & 20.

(*e*) Ead. pag. 18.

XIII. Mediolanenſes Ludovici impetus retundunt.

Perſtitere conſtantes in obſequio eccleſiæ Mediolanenſes (*f*), nec Ludovici minis, quamvis Montiam caſtra promoviſſet, atque ad urbem excurreret, frangi potuerunt. De quibus ſecundis nuntiis hæc Pontifex ad Philippum Francorum Regem ſcripſit (*g*) : *Mediolanum fere cum omnibus civitatibus aliis Lombardiæ, quæ conſueverunt obedire dicto Bavaro, contra eum etiam rebellarunt, ſic quod in campis eum oportet perſiſtere ; civitatibus eum recipere, ſibique renuentibus obedire : jamque ut habet fide digna multorum relatio, uſque ad burgos Mediolani perveniens, obſidionem ibidem poſuit : civibus Mediolanenſibus cum ſuo exfortio civitatem potenter defendentibus, & ſe viriliter opponentibus contra eum, &c. Dat. III non. junii anno XIII.* Cur vero Azo Vicecomes in principatu Mediolanenſi a Ludovico confirmatus defecerit, exponit S. Antoninus his verbis : (*h*) *Actius illius perfidiam in paterna,* nimirum Galeatii, *dudum everſione expertus, parere noluit adventanti, ſed Mediolano cæteriſque oppidis excluſit ; quare bello in his locis neceſſario eſt implicatus.*

(*f*) Jo. Vill. l. 10. c. 130.

(*g*) To. 7. p. 1. ep. ſec. pag. 121.

(*h*) Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 11.

Cauſæ ob quas Vicecom.

XIV. Azo a Bavaro deſcivit.

Ut ſuas adverſus Ludovicum partes Azo confirmaret, ad caſtra eccleſiæ clam transfugit. Cujus oratoribus humaniſſime receptis, eſt ei gratulatus pium reditum Pontifex (*i*) : *Profecto,* inquit, *vox tua dulcis, immo ſancti Spiritus potius, in noſtri cordis inſonuit auribus ; quæ utique non indigne ingenti gaudio nos replevit : etenim cum peccatoris converſio Dei angelos, paſtoremque gregis unius ovis errantis inventio gaudio repleat, quanto magis filii revictio mortui, ejuſque qui perierat reinventio exultatione implere debet & gaudio patrem pium ? Illi itaque gratias referentes, qui te de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum, tuam prudentiam exhortamur, ut ſpiritum tam benignum, qui miſericorditer te reſpexit, nutrire ſtudeas, eique reverentiam exhibere, eidem humiliter ſupplicando, ut quod in te cœpit perficiat, & perfectum cuſtodiat & conſervet.* Et infra : *Age igitur, fili, virtuoſe in cœptis & perſevera conſtanter : ac contra tuum, Dei, & eccleſiæ ſuæ hoſtem peſtiferum, Bavarum videlicet, hæreticum & ſchiſmaticum, ejuſque fautores & ſequaces viriliter arma ſumens, procedere procures provide ac potenter, ad hoc ipſum Mediolanum & alios tibi adhærentes nobiles ac populos nihilominus excitans & inducens, &c. Dat. Avin. x. kal. julii an. XIII.*

(*i*) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 20.

XV. Marcus Vicecom. gratia florens ob res geſtas.

Commiſſum eſt per hæc tempora ab Azone in patruum Marcum crudele facinus :





cum enim ille, ut narrat Joannes Villanus (*a*) [1], poſt occupatam Lucam, & reſtitutas priſtinæ libertati Piſas magnis muneribus decoratus ad Florentinos ſe contuliſſet, exceptuſque honorificentiſſime coram magiſtratibus & epiſcopis Florentino, Feſulano, & Spoletano fidem devinxiſſet, partes eccleſiæ ſe amplexurum, atque a Bertrando Card. A. S. L. præteriti in oppugnanda eccleſia criminis veniam flagitaturum ; Mediolanum reverſus a civibus maximis honoribus cohoneſtatus, poſt infauſtas epulas ad arcana excitus conſilia nepotis juſſu laqueo præfocatus eſt, ejuſque cadaver in publicum vicum e feneſtris projectum, ſtupentibus ad tantum facinus Mediolanenſibus, nec tamen mutire audentibus. Acceſſiſſe vero menſe ſeptembri ad pontificiam aulam Mediolanenſium & Azonis oratores, ac Joannem cardinalatu a Petro Corbaria accepto ceſſiſſe, creatumque a Pontifice Novarienſem epiſcopum, atque ſacrorum, & templorum uſum Mediolano reſtitutum, refert idem Villanus (*b*). Extant Pontificis ad Joannem & Azonem literæ, (*c*) quibus ad fidei conſtantiam ipſos excitat, propoſitoque ob oculos infelici exitio, e quo emerſerant, admonet ne ſe dæmonum laqueis irretiri patiantur.

(*a*) Jo. Vil. l. 10. c. 136. Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 12.

Laqueo ab Azone præfocatus.

Jo. Pſeudocardinalis falſos honores abiicit.

(*b*) Jo. Vil. l. 10. c. 146.

(*c*) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 45.

*Joannes, &c. Azoni de Vicecomitibus rectori Mediolani.*

*Profecto, niſi Spiritus ille, a quo te motum credimus, ut derelicto devio, in quo currendo ad inferos properabas, ad regalem viam, quæ ad regnum ducit perpetuum, greſſus tuos dirigeres, ſpem nobis firmiorem, quam tua opera tribuiſſent, ſpes de ſalute tua concepta a noſtro prorſus animo excidiſſet. Sed Spiritus ille, cujus perfecta ſunt opera, in ſpe illa nos firmos tenuit, quod in cœptis debeas perſiſtere, ac ea perducere ad effectum. Cogita igitur, fili, & recogita diligenter in quo ſtatu fueris, & ad quem te converteris : & attende, quod nemo ponens manum ad aratrum, & retro reſpiciens aptus eſt regno Dei. Memorare inſuper quales ſucceſſus habuerint hæretico Bavaro adhærentes, & quod facis fac citius, in luceque ſtude conceptus tuos deducere, qui diu latuerunt in tenebris. Ne locum des dæmonibus, eorumque membris, ne concepta valeant impedire. Quod ſi feceris, aſſiſtet tibi Altiſſimus,*

Azo excitatus ad conſtantiam.



NOTÆ

[1] QUæ hic narrat annaliſta de nece Marci Vicecomitis ab Azone fratre ſuo laqueo præfocati, vereor ne ſimul cum Joanne Villano, unde ille accepit, ex vulgi rumore captaverit. Nam oppoſita plane omnia narrat Bonincontrus Morigia, qui tunc Modoetiæ agens rerum ejus regionis chronicon ſcribebat. Narrat ille lib. III. cap. XLII. Marcum, qui in fratrem Azonem iniqua meditabatur, *die quadam octava menſis ſeptembris* anni hujus, ſanum corpore, aulam principis Mediolanenſis intraſſe, *& ſubito,* ait, *mors, quæ nulli parcit, violenter eum oppreſſit, & cum magno honore, is cujus vita multis fuit ponderoſa, in eccleſia S. Mariæ majoris Mediolani humatus fuit.* Nihil etiam de illo Marci ſupplicio tradit rerum Mediolanenſium ſcriptor æqualis Galvaneus Flamma in opuſculo rerum ab Azone, Luchino &c. Vicecomitibus geſtarum, vulgato rer. Ital. to. XII. ſcribit enim ibidem col. 1002. *Marcus die XV. auguſti Mediolanum venit, & die V.* (lege VIII. ex Morigia) *ſeptembris diem clauſit extremum &c.* Forte tamen ſcriptores iſti Vicecomitibus addicti rem in Azonis invidiam convertendam, & clam præſtitam ſtudioſo ſilentio preſſerunt. Sed vix credo defuncti cadaver tanto ludibrio, quanto ex Villano narrat annaliſta, traductum publice ; is enim error teſtimonio auctoris Modoetienſis plane evertitur.

Cæterum chronotaxis rerum a Ludovico geſtarum paulo diligentius quam hic inſtituerit annaliſta dirigenda eſt. Azo titulo Vicarii imperialis per Inſubriam a Ludovico ornatus Mediolanum menſe februario, ait Morigia in chronico Modoetienſi, remeavit. Aprili menſe ejuſdem anni defectionem jam ſtatuerat ; nam Modoetienſes die ejuſdem menſis XVII. eodem teſte ſollicitabat. His compertis Ludovicus actutum accurrit cum exercitu, qui primo applicuit Modoetiæ majo menſe. Dein pago illo relicto, cujus arcem, non vero oppidum, tenebat, Mediolanum contendit, & die XI. junii obſidione tentare cœpit, ait Flamma in opuſculo de rebus Vicecomitum. Egregie repulſus ab Azone, tandem acceptis ab illo pecuniis copias reduxit, raptimque Papiam die XIX. junii, ait Flamma, venit. Ibi paucis diebus, ex Morigia in chronico Modoetienſi, moratus, Tridentum, tum in Germaniam remeavit. Si vera tamen narrat auctor chronici Mutinenſis, vulgatus rer. Ital. to. XV. poſt brevem Papienſem moram Parmæ tempus longius extraxit Ludovicus ; cum ex eo ſcriptore nonniſi die Veneris ante Natale Domini Tridentum pervenerit, *ad parlamentum, ut dicebatur, & fuit ibi multo tempore. Poſtea ivit in Alemanniam,* adeoque nonniſi anno ſequenti. Deſinit annaliſta hic cum anno 1363. Iter vero Ludovici in Germaniam relegit Joannes Vitoduranus, qui tunc chronicon ſuum in Germania ſcribebat, aſſerens tranſiſſe illum in Sveviam ſuperiorem, & inde per Ulnam ad Rhenum deſcendendo tenuiſſe Coloniam, tum Moguntiam, Wormatiam, & Spiram ; *ſed,* ait ſcriptor, *fere omnes Religioſi & ſeculares clerici ſervabant interdictum in civitatibus ſibi juratis. Quod videns poſuit in eis clericos alios, ut ibi cantarent.*

Animadvertere hic etiam juvat interdictum ſacrorum uſuum nonniſi ſequenti anno die XIV. februarii Mediolani reſtitutum fuiſſe, teſte Flamma in opuſculo de rebus Vicecomitum. Nec prætereundum, annum emortualem Friderici Auſtriaci non præſentem at ſequentem ab eodem Vitodurano aſſignari. Quin & in continuatione Martini Poloni ab Eccardo vulgata Friderici mors cum die V. januarii anni 1330. componitur. MANSI.

*& proſperabuntur, ipſo faciente, qui peccatorum converſionem expectat miſericorditer & ſalutem deſiderat, ut firmiter credimus facta tua: aliter expectare non abſque formidine convenit finem illum, quem non converſi fuerunt his diebus præteritis (a quo tamen te præſervet Dominus) aſſecuti. De illis autem tuis operibus, quæ ſpei noſtræ de tua converſione videbantur prima facie obvia, nuntii tui prædicti præſentium bajuli referre tibi poterunt aliqua oraculo vivæ vocis. Gratia Dei ad ea, quæ ſibi ſunt placita, in his & aliis dirigat mentem tuam. Amen. Datum Avin.* VI. *id. novembris anno* XIV.

Triſtes eccleſiæ hoſtium exitus illi propoſiti.

Conceptas eodem argumento (*a*) literas ad Joannem Azonis patruum dedit Pontifex. Haud levis poſtea ſequenti anno oborta ſuſpicio, ne uterque fidem infringeret, atque exaratis pridie nonas auguſti Pontificatus anno XIV. literis (*b*), objectum eſt ipſos Caravatium clientelæ eccleſiæ commendatum in ſuam poteſtatem redigere molitos: Joannem vectigalia Mediolanenſis archiepiſcopatus Aycardo eripere, eccleſiaſticos a ſede Apoſtolica & legato ſacerdotii donatos, ne bonis potirentur, prohibere; tres ſchiſmaticos a pſeudopontifice promotos in conſortium & menſam admittere, pſeudominoritas ſchiſmaticos adverſus ejus ordinis catholicos tueri: a quibus Joannem atque Azonem juſſit abſiſtere, utque promiſſam fidem religioſe colerent, admonuit.

(*a*) Reg. *poſt eand. ep.*

(*b*) *To. 7. p. 2. ep. ſecr. p. 45.*

Correptus a Pont.

XVI. Ticinenſes a Ludovico oppreſſi.

Quod ad res in eo bello geſtas attinet; cum Mediolanum ſibi ſubiicere non potuiſſet Ludovicus, iras in circumjacentes agros, quos late eſt populatus, convertit (*c*), ac Ticinum armorum terrore ad deditionem certis legibus compulit; cum interim Bertrandus legatus Cardinalis valido ſuccinctus exercitu Parmam, Rhegium, Mutinam, ac Faventiam ad obſequium eccleſiæ traxiſſet (*d*). Sed parum diu ob injecta Rubeo prænobili Parmenſi vincula tres priores urbes in fide perſtitere (*e*). Quem caſum, ut in rem ſuam verteret Ludovicus, Cremonam reverſus periculoſiſſima conjurationem Bononiæ in legatum conflavit (*f*): ſed ea patefacta atque excitis ob proditorum multitudinem, ut refert Joannes Villanus (*g*), qui tum Bononiæ Florentinorum orator erat, novis auxiliis a legato, ſumptum eſt de conjuratis, quorum Alberghettinus Manfredus Faventino principatu depulſus princeps erat, ſupplicium. Ita Ludovicus ſpe deluſus Tridentum iter intendit, ut novas e Germania vires evocaret. De quibus Pontifex hæc ad Francorum Regem ſcripſit (*h*): *Ut regalis circumſpectio noria, quæ hic narrantur ad præſens, de partibus Italiæ non ignoret; ea ſibi providimus, ut ſequitur intimare. Fertur ſiquidem, quod Bavarus die quarta hujus menſis octobris diſceſſit de Papia verſus civitatem Cremonenſem, quam die* x. *menſis ejuſdem intraſſe dicitur, infelices dirigens greſſus ſuos, quibuſdam quod inde Parmam, & aliis quinimmo prius Tridentum diſponit accedere referentibus, habiturus ibidem colloquium cum Auſtrali, &c. Dat. Avin.* v. *kal. novembr. anno* XIV.

(*c*) *Jo. Vil. l. 10. c.* 130. & 142.

(*d*) Eod. *l. 10. cap.* 133.

(*e*) *Cap.* 143.

Conjuratio Bononiæ conflata diſcuſſaque.

(*f*) *Cap.* 148.

(*g*) *Cap.* 149.

Ludovicus Tridentum abit.

(*h*) *To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag.* 111.

Ejus itinera.

De Ludovici ex Italia receſſu hæc tradit Bernardus (*i*): *Ludovicus Bavarus ſub anno dominicæ incarnationis inchoante MCCCXXIX. paulo ante paſcha inefficax diſceſſit de Parma civitate Italiæ & de tota Italia. Ibi parum profuit, nec profecit, multumque obfuit ſibi & eccleſiæ catholicæ & paci patriæ & reipublicæ, & rediit in Theutoniam.* Pervenit Tridentum Ludovicus inclinante anno: cum Friderici Auſtriaci Romanorum olim Regis deſignati, cum quo ſolemnes conventus, ut e ſuperioribus literis colligitur, erat initurus, obitus fama percrebuit: ac tum meliorum rerum deſperatione, ne uti regnum Italicum amiſerat, paucis exceptis urbibus, quæ ancipites ſuſpenſa ex incerto rerum exitu fide fluctuabant, ita abſentia ſua Germanico deturbaretur; ſuperatis Alpibus, nec repetita poſtea unquam Italia, in Germaniam ſe contulit (*k*): maxime cum Robertus dux Bavariæ idemque comes Palatinus Rheni, ipſum execratus, ſentiret cum eccleſia, ac nuntios ſedis Apoſtolicæ operam ſuam commendaret: quem Joannes pridie nonas aprilis excitavit, (*l*) ut in fide perſtaret.

(*i*) Ber. *libell. de Rom. Imp. MS. Vat. bibl. ſig. n.* 2043.

Friderici Auſtriaci obitus.

(*k*) *Jo. Vil. l. 10. c.* 148.

Robertus dux Bavariæ ſenſit cum eccleſia.

(*l*) *To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag.* 95.

XVII.

Ad elidendas Ludovici vires, fœderatos illius principes Pontifex ab ejuſdem partibus divellere anniſus eſt: atque in primis ut præcipuum dignitate & potentia Fridericum Regem Trinacriæ ad ſinum eccleſiæ adduceret, ſolicitavit (*m*) menſe martio, ac Robertum Siciliæ Regem, ut pacem vel inducias cum ipſo iniret; Reginamque Siciliæ promovendæ rei juſſit incumbere. Coire inter eos principes concordia non potuit, ac res Friderici non parum a Roberto depreſſæ ſunt, ut ex literis pontificiis ad archiepiſcopum Neapolitanum VIII. kal. ſeptembris ſcriptis (*n*) colligitur: quibus ipſi partes impoſitæ, ut cum plures inſulani Trinacrii antea perduelles ad Roberti Regis obſequium redire, atque in illius fide conſtantes eſſe in animum induxiſſent, cenſuris quibus erant irretiti, exolveret. Studuerat etiam Joannes conciliare Roberto Regi Montisferrati ac Salutiarum marchiones (*o*), & Philippum Sabaudum (*p*); cum ea concordia Pedemontio ac Genuæ, in maxima diſcrimina adductis, & regno Siculo conduceret; indictæque ſunt a Pontifice induciæ inter

(*m*) *Ib. pag.* 145.

Fruſtra tentata inter Robertum & Frider. Reges concordia.

(*n*) *Ib. ep. pag.* 143.

(*o*) *Sup. pag.* 145. 146. & *p.* 2. *pag.* 30.

(*p*) *To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag.* 13.



inter eos principes, inclinante menſe martio, atque Aſtenſi & Albenſi epiſcopis datæ partes, ut adverſantes ad inducias ſervandas inducerent. Sed Roberti Regis hoſtes dictis pontificiis audientes non fuere, ac Pedemontium in diſcrimen conjecere: cui Pontifex copias, ut laboranti ſuccurreret, ſubmiſit (*a*): cum viciſſim Rex agmina regia pro continenda in officio Marchia tranſmiſiſſet.

Imperatæ in Pedemontio induciæ.

(*a*) *Ib. pag.* 148.

Roberti copiæ in eum licentiam exercent.

In Urbe Roberti Regis copiæ ad illam in Pontificis obſequio confirmandam adverſus Gibellinorum conatus, cum in militari diſciplina non continerentur, nonnullas turbas peperere; indeque factiones haud leves ſecutæ. Quo accepto Pontifex Guillelmum Ebulum Roberti copiarum ducem IV. non. januarii admonuit (*b*), ut ſuorum impetus reprimeret, imminentiaque inde pericula anteverteret. Neque ita multo poſt concitata (*c*) eſt a populo Romano adverſus Guillelmum conjuratio, qua exauctoratus eſt, & Stephanus Columnenſis ac Poncellus Urſinus ſenatores creati. Cum vero Romanus populus in fidei erga eccleſiam conſtantia perſtaret, tempus reſtituti jam ſacrorum uſus Pontifex Joannem S. Theodori Cardinalem A. S. L. extrahere juſſit (*d*): ſeque in contrariis Urbis factionibus æquum adverſis partibus præbere (*e*). Cæterum Romani, publico celebrato concilio, coram Joanne legato fidem Pontifici adverſus Ludovicum & antipapam devinxere, ac ſuperiora ſentiendo cum iis execrati facinora omnia temere ab iiſdem perperam tentata reſcidere; de quibus Joannes Philippum Francorum Regem ſubjectis verbis certiorem fecit (*f*): *Populus Rom. his diebus proxime præteritis in manu legati noſtri Tuſciæ, in Urbe præſentis, publice populo congregato per ſuos ſindicos; nec non & nobiles, qui tunc in eadem urbe aderant, per ſeipſos juramentum fidelitatis, reverentiæ, & obedientiæ, præcipue contra Petrum & Bavarum prædictos eorumque ſequaces corporaliter præſtiterunt, recognoſcentes ſe circa ea, quæ fecerant erga eoſdem Petrum & Bavarum erraſſe graviter, ea quatenus de facto proceſſerant, quantum ad ipſos pertinere poterat, nihilominus revocando, &c. Dat.* III. *non. junii anno* XIII.

(*b*) *Ib. pag.* 2.

(*c*) *Jo. Vil. l. 10. c.* 121.

(*d*) *To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag.* 3.

(*e*) *Ib. pag.* 5.

(*f*) *Ib. pag.* 121.

Romani ſe ſuaque contra Lud. & antipapam devovent.

Præcipui etiam Romani patritii, qui Ludovicum in Urbem exciverant, atque ut imperiale inſigne corriperet auctores fuerant, Jacobus e Sabella ſtirpe, & Theobaldus e S. Euſtachio Ildebrandini epiſcopi Patavini opera criminis veniam flagitarunt; atque antipapam execrati, in Joannis ut juſti Chriſti in terris vicarii obſequium, concepta ſubjectis verbis formula (*g*), procubuere: *Coram vobis ſanctiſſimo in Chriſto patre & domino meo, domino Joanne, divina providentia, Papa XXII. & ſacro collegio dominorum Cardinalium dominorum meorum conſtitutus ego Ildebrandinus epiſcopus Paduanus, procurator nobilium virorum Jacobi de Sabello & Theobaldi de ſancto Euſtachio civium Romanorum, habens ad infra ſcripta ſpeciale mandatum, prout apparet per inſtrumenta publica confecta manu Franciſci de Aringiano publici auctoritate apoſtolica notarii; in primis nomine & vice prædictorum Jacobi & Theobaldi confiteor & recognoſco, vos ſanctiſſimum patrem & dominum Joannem prædictum eſſe & fuiſſe verum & ſummum Pontificem ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ, ac verum & unicum Chriſti vicarium & beati Petri ſucceſſorem. Item confiteor nomine, quo ſupra, &c.* Fatetur Ildebrandinus eorumdem nomine, ipſos gravi flagitio ſe obſtrinxiſſe, cum Joannem Achaiæ principem & Joannem S. Theodori diaconum Cardinalem mœnibus propulſarunt, non obſtitere ne Petrus e Corbario pontificatum latrocinio invaderet, dedere operam ut Ludovicus diademate cingeretur, inunctioneque imperiali liniretur; aſſenſere ſenatorem Urbis renuntiari, denique Romanæ rei adminiſtrationem ab eo ſuſcepere. Profeſſus etiam eſt Ildebrandinus Petrum Corbariam nullo jure, ſed ſacrilegio ſedem Petri conſcendiſſe, ac demiſſe tot flagitia apoſtolica clementia deleri expetiit: quam Joannes ipſis impertiit, ac diplomate III. id. octobris pontificatus anno XIV. exarato confirmavit. Simili ſucceſſu cæteri in ditione eccleſiaſtica rebelles ad officium, damnatis Ludovici partibus, rediere.

(*g*) Ext. *apud Jo. Pap. to. 7. p. 2. ep. ſecr. p.* 3.

Joannem verum Chriſti vicarium agnoſcunt.

Ditionis eccleſiaſticæ rebelles ad officium redeunt.

XIX.

Immiſerat ille (*h*) ad turbandum Picenum comitem Clarimontis Trinacrium: ſed ad reprimendos illius conatus, cum initio aliquos ſecundos progreſſus feciſſet, atque Æſio proditione capto (*i*), Tanum armis ſtrenuiſſimum ducem capite plecti juſſiſſet, Pontifex Robertum Siciliæ Regem, ut Piceni præſidi copias auxilio ſubmitteret, rogavit datis x. kal. aprilis literis: cumque fidiſſimus eccleſiæ cliens & defenſor Robertus exercitum traduxiſſet (*k*) in provinciam, univerſi Picentes ad Pontificis obſequium revocati ſunt (*l*), pariterque Ravenna & alia loca ad officium rediere (*m*). Cujus felicis nuncii Francorum Regem Pontifex participem fecit (*n*): *Præterea*, inquit, *de partibus Romanis narratur, quod Sciarra de Columna obiit his diebus: & eſt certum quendam tyrannum peſſimum Silveſtrum nomine, qui civitatem Viterbienſem ſua detinebat tyrannide ſæva contra eccleſiam occupatam, interfectum fuiſſe per quendam alium Gibellinum; quodque civitas poſtmodum ad obedientiam eccle-*

(*h*) *To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag.* 145.

(*i*) *Jo. Vil. l. 10. c.* 124.

(*k*) *Jo. to. 7. p. 1. pag.* 148.

(*l*) *Jo. Vil. l. 10. c.* 147.

(*m*) *Cap.* 128.

(*n*) *To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag.* 111.

Sciarræ Columnæ & Silveſtri Gattæ exitus.

*cleſiæ, receptis ejus gentibus, cum honore notabili eſt reverſa. Rurſus narratur & creditur etiam ex veriſimilibus conjecturis, quod Tudertina civitas ad ejuſdem obedientiam eccleſiæ, niſi jam redierit, breviter revertatur: qua reducta nulla civitas rebellis eccleſiæ in eis partibus proculdubio remanebit. Dat. Avin. v. kal. novembris anno* XIV. Eluxit quidem in tyrannis Italiæ e medio tollendis divina juſtitia: ut enim ea, quæ de Galeacio, Caſtrucio, Paſſarino, Guidone Aretino, Marco Vicecomite, Alberghettino, ac poſtremo de Sciarra Columna, & Silveſtro Gatta dicta ſunt, mittamus; Canis Scaliger (*a*), cum ſperatæ felicitatis apicem videretur conſcendiſſe, ac Tarviſinos, quos eccleſiæ clientelæ ſe commiſiſſe ſuperiori anno vidimus, quindecim dierum obſidione menſe julio ad deditionem compuliſſet; mox a cœna, in qua opipare & ſplendide delitiis indulſerat, ægritudine implicitus die ſanctæ Mariæ Magdalenæ ſacro extinctus eſt: moxque Albertus & Maſtinus principatum, pulſis Canis Scaligeri ſpuriis, ſuſcepere.

Canis Scaliger in medio triumpho moritur.

(*a*) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 141.

XX.

His tyrannis feliciores, ac ſanius amplexi conſilium marchiones Ateſtini Raynaldus, Opizo, & Nicolaus, qui initam cum Ludovico Bavaro armorum ſocietatem abruperunt. Receperat eos in gratiam Pontifex ſuperiori anno (*b*), utque arctiori eos nexu eccleſiæ devinciret, ac beneficiis ad majorum, qui optime de eccleſia fuerant meriti, ſectanda veſtigia provocaret, Ferrariæ toparchatum ad decennium certo impoſito cenſu tradidit (*c*), ſoluta contraria Clementis V. ſanctione: *Conſtitutione*, inquit Joannes (*d*), *quæ per felicis recordationis Clementem Papam V. prædeceſſorem noſtrum, ne dicti marchiones in eiſdem civitate, comitatu, & diſtrictu vicariatum, dominium, vel officium, aut regimen aliquod habere, obtinere, vel exercere valerent, facta fuiſſe dicitur, non obſtante: ita tamen, quod ipſi communiter & heredes ſui quolibet anno dicti decennii decem millia Florenorum boni & puri auri, & legalis ponderis in duobus terminis, qui ſequuntur, videlicet medietatem in inſtanti feſto nativitatis dominicæ, & aliam medietatem dictorum decem millium in ſubſequenti feſtivitate beatorum Petri & Pauli menſis junii nobis & eidem eccleſiæ in Romana curia, ubicumque ipſum eſſe contigerit, ſuis periculis & expenſis abſque aliqua diminutione cenſus nomine perſolvere integraliter teneantur, &c.* Præcipit Bertrando Cardinali legato, ut abſciſſa omni mora Ateſtinis Ferrarienſis urbis agrique præfecturam, Pontificis vice gerendam, committat. *Dat. Avin.* II. *kal. junii an.* XIII.

(*b*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 19.

Ateſtini marchiones Ferrariæ imperium ad decennium accipiunt.

(*c*) *Ib. p.* 23.

(*d*) *Ead. pag.* 23.

Impoſitum decem millium aureorum vectigal.

Redituris a ſchiſmate propoſita venia.

XXI.

Explicuit etiam Pontifex in omnes apoſtolicam clementiam, qui a ſchiſmate Ludovici & Petri Corbariæ ad ſinum eccleſiæ rediere: ac ne ſuperiora exempla repetamus, Joanni S. Theodori diacono Cardinali (*e*), Colonienſi archiepiſcopo (*f*) in Germania, Benedicto Novocomi epiſcopo (*g*) in Inſubria, Nebienſique (*h*) in Sardinia, ac pluribus aliis (*i*) provinciam dedit, ut eos qui ſchiſmatis laqueis ſe irretiiſſent, in fidelium communionem reſtituerent: parteſque eaſdem ſummo Minoritarum præfecto (*k*) & aliis, qui in ſingulis provinciis ſacri illius ordinis viris præpoſiti eſſent, impoſuit, ut ſodales, qui cum Ludovico & antipapa ſenſiſſent, expiato crimine, piorum conſortio aggregarent. Injecerat his pernicioſum ſcandalum Michael Cæſenas, qui antea Minoritis præfuerat, atque ob hæreſim, quam ſuperiori anno venenato commentario in Piſanæ eccleſiæ foribus affixo promulgarat, hac decretoria ſententia eſt damnatus (*l*).

(*e*) *To.* 6. *p.* 3. *ep. ſecr. pag.* 14.

(*f*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 84.

(*g*) *Ib. pag.* 25.

(*h*) *To.* 7. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 46.

(*i*) *Tom.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 34.

(*k*) *P.* 2. *ep. ſecr. pag.* 98.

(*l*) *P.* 1. *pag.* 3.

*Joannes &c, ad perpetuam rei memoriam.*

Sententia in Michaelem Cæſenatem lata.

*Quia præfatus Michael venenum, quod corde occultum diu tenuerat, evomere publice, velut in ſenſum datus reprobum, non formidans, ad civitatem Piſanam (quæ per eundem Ludovicum de Bavaria, jure ſi quod ſibi ex electione diſcordi, quæ de ipſo in Regem Romanorum facta dicebatur fuiſſe, quomodolibet competebat, juſtitia exigente privatum, tyrannice tenebatur) non expavit dirigere greſſus ſuos, ubi cum eiſdem Ludovico & Petro de Corbario hæreticis, ſchiſmaticis, & rebellibus converſans continue; ipſoſque in ſuis hæreſibus, erroribus, & damnatis ſchiſmatibus fulciens, ac præſtans eiſdem adverſus Deum & eccleſiam ipſam veritatemque catholicam auxilia, conſilia, & favores, nonnulla erronea & hæreticalia contra conſtitutiones, & declarationes ſedis Apoſtolicæ, præſertim contra illam, quæ incipit, Cum inter, ſcribere* (*m*) *ac dogmatizare in diverſis locis publice, ſicut fama ſeu potius infamia publica notoria, ac per eadem ſcripta & quorumdam etiam depoſitiones teſtium receptorum ſuper hoc nobis & eiſdem fratribus conſtitit evidenter, præſumpſit; pertinaciter aſſerendo catholica quæ dicta conſtitutio hæretica, & hæretica quæ conſtitutio eadem catholica declaravit; per quæ utique ſe reddidit de dictis hæreſis & ſchiſmatis, aliiſque diverſis criminibus reſperſum, immo etiam ut hæreſiarcham manifeſte convictum, ſatagens per ſuas falſas, erroneas, & hæreticales doctrinas & dogmatizationes hujuſmodi, quas verbis & ſcriptis inculcare ſuis damnandis molitur conatibus, fideles a ſua fidelitate pervertere, ac animas decipere ſimplicium, ſecumque*

Utdamnatam hæreſim promulgare niſus ſit.

(*m*) *Ext. impia illius comment. apud Nic. Min. MS. bibl. Vat. ſignat. n.* 4008. *pag.* 29. *&c. & pag.* 75.



*que deducere in præcipitium damnationis & mortis, nos ne vir tam reprobus glorietur ulterius, ſuæ pravitatis opera abſque condignis demeritorum ſtipendiis præteriri; ac ne deinceps in ſui erroris devium, ad quod tota ſua ferri videtur intentio, plures trahat, tantis malis & periculis occurrere ſalubriter cupientes, cum præmiſſa adeo ſint notoria, tam per facti evidentiam, quam per plures ipſius literas ad partes diverſas directas, quarum aliquæ ad noſtras & fratrum noſtrorum prædictorum manus etiam pervenerant, quod non poteſt tergiverſatione aliqua occultari: de fratrum eorundem conſilio; auctoritate Dei omnipotentis, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus & noſtra, præfatum Michaelem fautorem hæreticorum & manifeſtum hæreticum & hæreſiarcham & ſchiſmaticum declaramus, ipſumque ut hæreticorum fautorem & manifeſtum hæreticum & hæreſiarcham ac ſchiſmaticum ſententialiter condemnamus, privantes eundem officiis, dignitatibus, & honoribus quibuſcunque, vel privatum potius declarantes: ipſumque ab omni gradu deponimus & privilegio nudamus eccleſiaſtico, ac eum inhabilem ad præmiſſa reddimus & quodlibet prædictorum, pœnis omnibus & ſententiis ſpiritualibus & temporalibus, quibus divino & eccleſiaſtico jure hæreticorum fautores & hæretici & hæreſiarchæ ac ſchiſmatici exiſtunt obnoxii, plectentes eundem, & velut talem eum fore obnoxium eadem ſententia declarantes, &c. Dat. Avin.* II. *kal. maii pontificatus noſtri anno* XIII.

Pronuntiatur hæreſiarcha.

XXII.

Perſtat in pervicacia & ordinem Min. turbat.

Non perhorruit Michael exauctoratus priſtinum munus attrectare, ac ſuas vices Azolino committere (*a*): nactuſque eſt facinoris ſocios, in Dalmatia Franciſcum Tergeſtinum (*b*), Franciſcum Æſculanum, & Gerardum Roſtagni (*c*) in Galliis: in Anglia Petrum & Joannem; (*d*) Stephanum (*e*) Salmantinum in Hiſpania, Franciſcum (*f*) & Guarinum ac Saonenſis conventus ſchiſmaticos (*g*) in Italia: quos omnes Pontifex meritis pœnis affici juſſit. Ipſe vero Michael in Germaniam, ut eam inficeret, profecturus, cum Bona immo verius cum Malagratia, ut ait Pontifex in literis ad Francorum Regem ſcriptis (*h*), Ludovico Bavaro ſocium ſe adjunxit, quos ſecutus eſt Guillelmus Ocham. Eminebant hi tres ſcelere in reliqua hæreticorum & ſchiſmaticorum colluvie; ac ſcientiæ laude, qua florebant, ad fidem labefactandam abuſi ſunt. Cæterum Pontifex, ut contra Michaelis Cæſenatis commentarios antidotum pararet, libellum edidit in quo ſingulas viri perfidi hæreſes confutavit: quem veluti hujus hiſtoriæ clariſſimum lumen ad diſcutiendas errorum tenebras, quas homines impii adverſus Joannis de paupertate conſtitutiones, ſolvendaſque difficultates, quas etiam nonnulli catholici in conciliandis ejus dictis cum Nicolai Papæ decretali, *Exiit*, ſunt experti, etſi prolixiorem, ob doctrinæ tamen in eo contentæ dignitatem e MSS. Vaticanis (*i*) decerptum publici juris faciemus: cum maxime auctor gloſſematis in conſtitutionem, *Cum inter nonnullos*, & Pegna (*k*) in commentario in Eymericum, aliique typis excudendam expetierint.

(*a*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 6.

(*b*) *Ead. p. pag.* 9.

(*c*) *Ib. pag.* 123.

(*d*) *Ib. pag.* 135.

(*e*) *Ead. p. pag.* 150.

In ejus ſequaces animadverti jubet Pont.

(*f*) *To.* 7. *p.* 2. *pag.* 46.

(*g*) *P.* 1. *pag.* 8.

Libellus a Pont. contra Michaelem hæreſiarcham editus.

(*h*) *Ib. pag.* 21.

(*i*) *MS. bib. Vat. Nic. Min. ſign. n.* 4008. *pag.* 94. *& MS. ſign. n.* 40 0. *pag.* 119.

(*k*) *Peg. apud Eym.* 2. *p. direct. inquiſ. q.* 17. *com.* 42.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Quia vir reprobus fr. Michael de Cæſena, dudum magiſter generalis ordinis fratrum Minorum, qui ſuis exceſſibus exigentibus de miniſteriatus officio per nos de fratrum noſtrorum conſilio privatus, & inhabilis redditus ad quæcumque dignitates & officia obtinenda fuerat, juſtitia exigente; converſus in vaniloquium, non intelligens quæ loquitur, nec de quibus affirmat, in illam prorupit inſaniam, quod tres conſtitutiones noſtras videlicet, Ad conditorem canonum, Cum inter nonnullos, & Quia quorundam, niſus eſt multipliciter impugnare, aſſerendo inter alia hæreticum, quod dicta conſtitutio, Cum inter, catholicum aſſerit, & catholicum quod conſtitutio eadem hæreticum declarat, & ut ſua inſania pluribus eſſet nota, libellos ſuos continentes impugnationes prædictas ad diverſas mundi partes & ſtudia deſtinare, & ipſos affigi in portis eccleſiarum & locis aliis publicis temeritate plectibili attentavit; propter quæ & plures ipſius exceſſus alios de eorundem fratrum conſilio fautor hæreticorum & hæreticus, exigente juſtitia, declaratur, prout in noſtris ſententiis latius continetur, licet impugnationes prædictæ adeo ſint invalidæ notorie, quod ſint reſponſione indignæ; quia tamen in ipſis impugnationibus arma ſumit contra legem ex lege, ac evangelium impugnat ex evangelio, & de veris fingens mendacia, provocat ad mendacium; veritatem, ne ſimplicium corda poſſint inficere erronea ac hæretica ſua dicta, ſuccincte duximus ſuis opinionibus, ut ſequitur, reſpondendum.*

Quæ decreta a Michaele oppugnata.

XXIII.

*In primis itaque iſte hæreticus conſtitutionem, Ad conditorem canonum, in eo conatur impugnare, quod dicta conſtitutio probare intendens, quod fratres Minores, ſine proprio vivere profitentes, in rebus, quæ uſu conſumuntur, non ſunt cenſendi ſimplices uſuarii, aſſerit quæ ſequuntur: dicens ſiquidem, quod in talibus rebus: ſcilicet quæ uſu conſumuntur, uſus juris vel facti ſeparatus a proprietate rei, ſeu dominio poſſit conſtitui, repugnat juri & obviat rationi.* Et infra: *In rebus uſu conſumptilibus nec jus utendi, nec uſus facti ſeparata a proprietate, ſeu dominio poſſunt conſtitui vel haberi. Hæc verba conſtitu-*

Quæſtio legalis de uſus rei & dominii diſtinctione.

ſtitutionis, prædictæ ut dicit iſte hæreticus, ſacræ ſcripturæ, & ſacris canonibus, & diffinitionibus ſanctorum doctorum, ac etiam determinationi ſanctæ Romanæ eccleſiæ obviat manifeſte. Quod autem ſacræ ſcripturæ repugnet, per illud quod legitur in actibus Apoſtolorum II. & IIII. cap. aperte probatur, ut dicit. In ſecundo enim capite dicitur ſic: Omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia: poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa ſingulis, prout cuique opus erat. In IV. vero capitulo ſcribitur ſic: Multitudinis credentium erat cor unum & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat. Et paulo poſt ſequitur. Nec quiſquam egens erat inter eos, quotquot enim erant poſſeſſores agrorum & domorum vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum: dividebant autem ſingulis, prout cuique opus erat, & panes frangebant circa domos, ſumentes cibum cum exultatione. Hæc ibi. Hoc autem vocabulum, ſuum: ſancti exponunt ſic: ſuum, id eſt, proprium, ut patet XII. q. I. cap. ſcimus. Et cap. nobis & cap. non dicatis §. Sic ergo, & per Auguſtinum circa principium regulæ ſuæ. Et glo. ord. ſuper verbo, habebant omnia communia, dicit ſic: Indicium fratrum Minorum eſt omnia poſſidere & nihil proprium habere; ex quibus verbis, dicit iſte hæreticus, inſinuatur aperte, quod nullius rei temporalis, nec uſu conſumptibilis, nec non conſumptibilis uſu habebant credentes proprietatem: quia res non conſumptibiles uſu, ſcilicet poſſeſſiones, agrôs, domos, & ſubſtantias, glo. id eſt pecora, vendebant, & ipſa nec in ſpeciali, nec in eorum communitate eorum retinebant: illas autem res, quas lex inſtituta de uſufructu §. Conſtituitur uſu conſumptibiles eſſe teſtatur, ſcilicet pecunias pro pretio venditarum rerum acceptas & panes, de quibus habetur ibi mentio ſpecialis, in communi habebant & dividebant ſingulis, prout cuique opus erat: & nullus ex eis aliquid ſuum, id eſt proprium, eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia, & ſic quilibet eorum habebat uſum rerum uſu conſumptibilium abſque proprietate & dominio, id eſt proprietate & dominio ſeparatum. Ex quibus concludit, quod dicta aſſeveratio & doctrina in dicta conſtitutione contenta ſcripturæ divinæ obviat, & omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis omnium rerum temporalium deſtruit & confundit, quia ſecundum hoc quilibet religioſus quando uteretur rebus uſu conſumptibilibus, proprietarius cenſeretur.

Contendit inepte Michael ad fidem ſpectare.

Delira ejuſdem concluſio.

XXIV. Hæc ſunt verba iſtius hæretici, in quibus includit proculdubio multa falſa, ad quæ ut ſequitur reſpondemus. Dicimus enim, quod verum eſt, quod dicta conſtitutio docet & aſſerit, quod in rebus uſu conſumptibilibus nec jus utendi, nec ipſum uti poteſt conſtitui vel haberi: ſed licet nec jus utendi, nec ipſum uti in rebus illis haberi poſſit vel conſtitui, ipſis tamen poteſt, ſicut dicit dicta conſtitutio, quis abuti; abuti autem ſecundum dictam conſtitutionem, dum tractatur de rebus uſu conſumptibilibus, ſumitur pro conſumptione rei. Et quod jus utendi in talibus rebus non poſſit conſtitui, probat dicta conſtitutio ex diffinitione uſus, quæ talis eſt: Uſus eſt jus utendi rebus alienis ſalva rei ſubſtantia: id eſt, jus percipiendi fructus, ſeu utilitatem aliam in totum vel per partem ſuo nomine, qui poſſunt ex re, in qua uſus conſtituitur, provenire. Conſtat autem quod in rebus uſu conſumptibilibus, quamdiu earum ſubſtantia ſalva & integra permanet, nulla poteſt utilitas provenire, ut patet in pane & vino, ex quibus nullus fructus vel utilitas poteſt colligi ſeu haberi, ſubſtantia ſalva rei. Quare evidenter relinquitur, quod in rebus talibus, videlicet uſu conſumptibilibus, jus utendi ſeparatum a proprietate, ſeu dominio nequeat conſtitui ſeu haberi. Et per hoc beatus Joannes Chryſoſtomus rationem reddit, quare pro pecunia mutuata uſura, ſicut merces pro domo vel re alia uſu non conſumptibili locata a licite recipi nequaquam poſſit, dicens quod in re uſu non conſumptibili, ut in domo vel agro, habens illa non ſolum habet proprietatem ſeu dominium, ſed ex illis ſubſtantia ſalva rei, ac proprietate rei & dominio, fructus ſeu utilitatem aliam percipit: ut patet in domo, in qua inhabitat, & ſic ex ea commodum inhabitationis habet ſibi domus, ſalvo dominio, remanente ſalva rei ſubſtantia, & domo remanente. Ex agro quoque fructus recipit agri ſalva rei ſubſtantia, & dominio remanente. Et ideo, quia locans fructus rei ſeu utilitatem aliquam provenientem ex ea, retento ſibi dominio, conductori concedit, nec illa ſcilicet fructus, ſeu utilitatem domus vel agri finita locatione repetit, non eſt mirum ſi pro his pretium recipere poſſit: mutuans autem pecuniam in ejus, cui mutuatæ pecuniæ transfert dominium, non fructum aliquem nec utilitatem aliam, quæ ex ea ſalva rei ſubſtantia valeat provenire, & tantumdem ab eo, cui mutuat, poſtea repetit: quare ultra illud, quod mutuat, a recipiente mutuum licite recipere nequit, ut legitur XXXVIII. di. cap. Eiiciens. Quod autem ipſum uti ab aliquo haberi nequeat, dicta conſtitutio ſequens Auguſtini ſententiam poſitam in libro confeſſionum clare probat, quia quod non eſt, haberi nequaquam poteſt: actus autem utendi in rerum natura non eſt, nec antequam quis utatur, nec poſt-

Refellitur.

Definitio vocum uti & abuti.

Ratio ob quam uſura vetita.



poſtquam uſus eſt, nec dum eſt, nempe integer in actu utendi, id eſt ſucceſſivo, prout latius proſequitur dicta conſtitutio: quare relinquitur quod haberi non poſſit.

XXV. Ad illud autem quod dicit, quod ex prædictis ſcripturis ſacris inſinuatur aperte: quod nullius rei temporalis nec uſu conſumptibilis nec non conſumptibilis uſu, proprietatem credentes habebant: dicimus, ſi intelligat quod in ſpeciali proprietate nullus credentium habebat, verum eſſe quod dicit, pro tempore illo quo dicta ſcriptura loquitur: quia hoc dicit expreſſe ſcriptura prædicta act. IV. c. cum dicit. Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat. Si autem intelligat, ſicut intelligit, ut per ea quæ proponit inferius clare patet, quod credentes nullius rei proprietatem habebant etiam in communi, ſcripturis prædictis etiam contradicit expreſſe, cum dicat, quod illis, ſcilicet credentibus, omnia quæ poſſidebant, erant communia inter eos: & quod illa communione quod prius ante converſionem Judæorum ipſis fuerat proprium, poſtquam credentes effecti ſunt, fuit inter eos communicatum: conſtat autem quod illa, quæ poſſidebant ante converſionem, erant illis quantum ad dominium propria, alias enim illa communicare non poterant: quare ſequitur, quod fuerunt quoad proprietatem ſeu dominium inter eos communicata, quod de rebus non conſumptibilibus uſu ſcriptura prædicta actor. IV. dicit aperte, niſi violentia ſibi fiat. Cum enim dixiſſet: Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, parum poſt ſequitur: Nec quiſquam egens erat inter eos; & cauſam hujuſmodi volens reddere ſubdit; Quotquot enim erant poſſeſſores agrorum & domorum vendentes pretia portabant ante pedes Apoſtolorum, &c. Cum igitur prius dicat, quod inter credentes omnia erant communia: & poſt ſubjungat, quod agri vendebantur & domus, evidenter apparet, quod illa communia, antequam venderentur, erant effecta: alias enim ſequeretur, quod remanſiſſent illorum, quorum prius fuerant propria, & per conſequens, quod ipſi ante illorum venditionem remanſiſſent proprietarii: cujus tamen contrarium dicit ſcriptura prædicta, cum dicit: Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebant aliquid ſuum eſſe dicebat.

Probatur contra Mich. veteres fideles habuiſſe rerum proprietatem.

XXVI. Ad illud autem, quod volens probare, quod rerum uſu non conſumptibilium credentes non habuerunt dominium etiam in communi; ſubjungit, ſcilicet: Quia res non conſumptibiles uſu vendebant, & ipſas nec in ſpeciali, nec in eorum communitate retinebant; dicimus, quod ex hoc non ſequitur, quod ante venditionem illarum rerum non habuerunt dominium: ſed bene ſequitur, quod poſt venditionem illud non retinuerunt, & hoc eſt verum; per venditionem enim perfectam in ementes tranſtulerunt dominium, quare illud ſibi non retinuerunt. Et ſi quæratur, quare Apoſtoli agros & domos non retinebant in Judæa, ſed potius illis venditis habebant eorum pretia in communi; reſpondet Melchiades Papa dicens: Futuram, id eſt tranſituram eccleſiam in gentibus, id eſt ad gentes, Apoſtoli prævidebant, idcirco prædia in Judæa minime ſunt adepti. Et ſi dicatur, quod Melchiades videtur ſupponere, quod credentes etiam ante venditionem prædiorum illa nequaquam habuerunt in communi, cum dicat quod illa in Judæa minime ſunt adepti: dicimus, quod Melchiades pro tanto dixit Apoſtolos in Judæa non fuiſſe adeptos prædia, quia non ſic adepti fuerunt ea, quod illa ſibi intenderent retinere; & ideo non videbantur ea fuiſſe adepti, cum qui ſic rem adipiſcitur, ut eam in continenti a ſe abdicare debeat, adeptus proprie non dicatur. Ex prædictis patet, quod Apoſtolis fuit licitum in Judæa, ſi voluiſſent, retinere prædia; nec voto compulſi ſunt, quod illa non retinuerunt; ſed voluntate propria, quia ſe non contracturos moram ibi, ſed tranſituros prævidebant ad gentes.

Cur Judæi fideles bona ſua vendiderint.

Ad illud autem quod ſubſequenter dicit, quod res uſu conſumptibiles in communi credentes habebant, & ſic quilibet eorum habebat rerum uſu conſumptibilium uſum facti; dicimus, quod ſi intelligat, quod erant eis communia quoad proprietatem ſeu dominium, verum dicit: ſi vero intelligat, quod non fuerint communia quoad proprietatem ſeu dominium, ſed tantum quoad ſimplicem uſum facti, eum errare dicimus, & ſacræ ſcripturæ contradicere ſupradictæ. Et quod ſcriptura illa demonſtrative ſupponat, res uſu conſumptibiles quoad proprietatem ſeu dominium credentibus fuiſſe communia, patet: dicit enim omnia illis, ſcilicet credentibus, fuiſſe communia; & quia qui omnia dicit, nihil excludit, ſequitur quod dictum illud etiam res uſu conſumptibiles comprehendat. Quæro ergo, quoad quid erant illis communia illa bona? Aut dicet iſte hæreticus, quod erant communia quoad uſum facti, aut quoad jus utendi, ſeu uſumfructum, ſeu poſſeſſionem; aut quoad dominium, ſeu proprietatem: hæc enim ſecundum decretalem illam, Exiit, in rebus temporalibus reperiri conſueverunt, quod tantum verum eſt in rebus non conſumptibilibus uſu: quantum autem ad ſimplicem uſum facti, quod res illæ, ſcilicet uſu conſumptibiles communes fuerint, dici nequaquam poteſt, primo quidem quia in rebus talibus, ſcilicet uſu conſumptibilibus, uſu facti ſumendo uſum proprie, locum habere non poteſt: uſus enim ſumptus proprie requi-

XXVII.

Diſtinctio ad Mich. inſtantiam.

requirit, quod cum ipſo uſu ſubſtantia rei ſalva maneat, ut ex prædictis patet, quod in rebus uſu conſumptibilibus nequit

Michaelis fundamentum de ſimplici uſu facti convellitur.

eſſe. Item quia uſus facti ſic eſt utentis proprius, quod non poteſt alterius dici, nec communicabilis ſibi: patet enim, quod actus comedendi ſic erat ſibi proprius, quod non poterat dici aliis eſſe communis; quare & communio prædicta non poteſt intelligi quoad ſimplicem facti uſum.

XXVIII. Rurſus quia uſus facti communitati non convenit, cum talis uſus perſonam veram requirat & exigat, quam non gerit communitas, ſed potius imaginariam, ſeu etiam repræſentatam, adhuc dici non poteſt, quod reſpectu juris utendi ſeu uſusfructus dicta communio poſſit dici, cum in rebus talibus, ſcilicet uſu conſumptibilibus, jura prædicta, ſcilicet jus utendi ſeu uſusfructus conſtitui nequeant, ut ex eorum diffinitionibus, quas ponit dicta conſtitutio, Ad conditorem, patet. Item nec quoad poſſeſſionem dicta communio poteſt dici, quia ſi loquamur de poſſeſſione quæ jus eſt, illa communis inter credentes ſecundum eum eſſe non potuit, cum ipſe aſſerat, Apoſtolos nullum jus habuiſſe in iſtis temporalibus, ſed tantum ſimplicem facti uſum. Si autem loquamur de poſſeſſione, quæ facti eſt, illa ſic eſt cujuſlibet poſſidentis propria, quod non eſt communis alicui, nec etiam communicabilis, ſicut de uſu facti dictum eſt ſupra: quare ſequitur, quod res illæ uſu conſumptibiles, quæ inter ipſos erant effectæ communes quoad proprietatem & dominium, ſint communes inter ipſos effectæ. Quantum autem ad illud, quod poſtea iſte hæreticus dicit, videlicet: Et ſic quilibet eorum habebat uſum rerum uſu conſumptibilium abſque dominio & proprietate, ſive a proprietate & dominio ſeparatum; dicimus quod iſtud infert ex falſa ſuppoſitione, quam fecerat prius: dixerat enim ſuperius, quod res uſu conſumptibiles inter credentes erant communes tantum quoad ſimplicem facti uſum; & ex hoc concludit, quod quilibet eorum abſque dominio & proprietate habebat rerum uſu conſumptibilium uſum facti: unde cum primum ſit falſum, ſcilicet quod res uſu conſumptibiles eſſent communes inter credentes tantum quoad ſimplicem facti uſum, immo erant communes quoad dominium ſeu proprietatem, ut ſuperius eſt probatum; patet illud, quod ex eo concluditur, eſſe falſum, ſcilicet quod quilibet haberet in rebus talibus ſimplicem uſum facti. Primum patet falſum alia ratione, quia uſus facti nequit haberi ab aliquo, ut ſuperius eſt oſtenſum.

XXIX. Ejuſdem concluſio evertitur.

Ad illud vero, quod dicit iſte hæreticus, quod dicta doctrina, ſcilicet quod in rebus uſu conſumptibilibus uſus juris vel facti, a proprietate ſeu dominio ſeparatus, non poteſt conſtitui nec haberi, omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis rerum temporalium deſtruit & confundit, quia ſecundum hoc quilibet religioſus, quando uteretur rebus uſu conſumptibilibus, proprietarius cenſeretur; dicimus quod mentitur aperte. Omnes enim religiones, præterquam beati Franciſci, quarum profeſſores ad vivendum ſine proprio aſtringuntur, confitentur ſe habere poſſe ſecundum ſuas regulas, & habere etiam tam res uſu conſumptibiles, quam non conſumptibiles quoad proprietatem & dominium in communi, licet aliqua ſtatuta ſuperaddita regulis quantum ad aliqua immobilia ſuas regulas duxerint reſtringendas; quarum profeſſores dici non poſſunt uti rebus conſumptibilibus uſu, ſi uſus proprie ſumatur, ut ſuperius eſt probatum; poſſunt tamen res hujuſmodi conſumere, utpote vinum bibendo, & panem comedendo, & ſic de aliis: ſed per actum conſumendi talia, non ſunt cenſendi proprietarii, cum ipſa non ut propria conſumere, ſed ut communia ſunt dicendi, actuſque conſumendi res hujuſmodi nequaquam a communi dominio ſeparantur: ſicut ſi duo habentes panem communem illum indiviſum comederent, neuter propter hoc, panis, quem comederit, proprietarius fieret; nec diceretur comediſſe proprium, ſed communem.

Oſtenditur non fieri proprietarium monachum ex rei uſu qui jure juſto fit.

XXX. Videtur etiam, quod probabiliter poſſit dici, quod poſt diſtributionem bonorum uſu conſumptibilium, quæ fiebat inter Apoſtolos & credentes alios, ut dicitur actor. II. & IIII. quilibet portionis ſibi aſſignatæ proprietarius & dominus poſſet dici. Et hoc ſcriptura prædicta actorum IV. videtur expreſſe ſupponere, cum dicit; Nec enim quiſquam egens erat inter ipſos; & quare hoc? reddit rationem ſubjungens: Quotquot enim poſſeſſores agrorum & domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum, dividebant autem ſingulis, prout unicuique opus erat. Cum ergo dicat quod nullus egens erat pro eo, quod unicuique dividebatur, prout opus erat, ſupponit aperte, quod id, quod unicuique datur diviſum, cujuſlibet erat proprium: dividere enim eſt diviſim aliquibus diverſas partes rei alicujus dare. Cum ergo daretur ab illis, qui dare poterant, ſcilicet Apoſtolis, & illis qui recipere poterant ea quæ ad vitæ humanæ ſuſtentationem pertinebant, videtur quod dominus quilibet fuerit ejus portionis, quæ ſibi fuerat aſſignata: alias non videretur verum, quod dicitur, quod egentes non erant, niſi plus poſt diviſionem haberent in aſſignata ſibi portione, quam ante.

Poſt diviſionem quiſque rei diviſæ fit dominus.

Apoſtoli veſtium ſuarum veri fuere domini.

Præterea conſtat quod veſtimenta quotidiana inter res uſu conſumptibiles computantur, poſt communionem autem prædictam, de qua ſit mentio in præallegato c. act.



c. act. IV. in actis legitur, quod angelus Petro dixit: Præcingere & calcea te caligas tuas. Item dixit ei: Circumda tibi veſtimentum tuum, &c. ubi clare ſupponit angelus, quod caligæ & veſtimenta aſſignata Petro, propria quoad dominium erant Petri: quare videtur quod pecunia, panis, vinum, & veſtimentum, & res aliæ uſu conſumptibiles ſibi diviſim pro vitæ ſuſtentatione aſſignatæ ſimiliter ejus erant: nec votum vivendi ſine proprio videtur, quod ſe extendat ad talia, quibus neceſſario eget vita humana. Præterea ex illo c. actor. IV. probari non poteſt, quin credentes de bonis illis communibus ex diviſione Apoſtolorum licite recipere potuerint, & ut proprium obtinere: ſcriptura enim prædicta quantum ad hoc nihil aliud dicit, niſi quod ſequitur: Multitudinis credentium erat cor unum & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia. Per verba autem iſta videntur iſti omnium, quæ poſſidebant, a ſe dominium abdicaſſe, & illud tranſtuliſſe in communitatem: non autem videntur ſe aſtrinxiſſe, quin ſi detur eis de bonis illis communibus quoad ſuſtentationem vitæ ſuæ, poſſint licite recipere, & ut propria retinere: immo hoc ſcriptura prædicta ſatis ſupponit aperte, cum dicit: Dividebatur autem cuique prout opus erat: dividere autem eſt, ſicut prædictum eſt, alicujus rei diverſas partes aliquibus dare.

Vera text. actor. interpretatio.

XXXI. Inepta Michaelis objectio contra definitionem de dominio non ſeparabili ab uſu rei actu conſumptæ.

Item ad probandum, quod aſſerere quod in rebus, quæ uſu conſumuntur, non poſſit haberi uſus a dominio ſeparatus, obviat ſacræ ſcripturæ, adducit, quod Petrus Domino dixit, Matth. XIX. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quod ſecundum eum non poteſt intelligi, quod Apoſtoli reliquerint omnia quantum ad uſum, quia conſtat ex ſcriptura ſacra, quod poſtea rebus uſu conſumptibilibus utebantur. Ergo reliquerunt omnia tam conſumptibilia, quam non conſumptibilia uſu quantum ad dominium & proprietatem, ut probatur, ut ipſe dicit, XII. q. I. c. Dilectiſſimis: quia qui omnia dicit nihil excipit; & S. Gregorius ſuper illo verbo: Relictis retibus: dicit: Multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit, & qui quantumlibet parum, totum deſeruit. Ergo dicere quod uſus rerum uſu conſumptibilium non poſſit ſeparari a proprietate & dominio, ſacræ ſcripturæ obviat & repugnat. Et confirmatur hoc, ſicut dicit, quia Apoſtoli abdicationem omnium rerum voverunt ſecundum Auguſtinum, XVII. de civ. Dei: ad quorum exemplum religioſi, qui figuram tenent Apoſtolorum ut dicitur XVI. q. I. c. Ex auctoritate, vovent abdicationem omnium rerum temporalium, non tamen quantum ad uſum; quare ſequitur ſecundum eum, quod Apoſtoli voverunt & religioſi vovent abdicationem dominii & proprietatis omnium rerum uſu conſumptibilium & non conſumptibilium uſu. Hæc dicta ejus.

Ad eum reſpondetur.

Ad hoc dicendum, quod per verba: Ecce nos reliquimus omnia, &c. non poteſt concludi, quod quoad dominium ſeu proprietatem reliquerunt ea: reperimus enim hæc verba dicta de Petro, Jacobo, & Joanne: Luc. V. ubi dicitur, quod ſubductis ad terram navibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum: & tamen poſt illa verba legitur Matth. IV. quod Jeſus, ambulans juxta mare Galilææ vidit Petrum & Andream mittentes retia in mare, quibus ait; Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Qui continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum: & quod dictum Luc. V. præceſſerit illud, quod dictum eſt Matth. IV. dicit Auguſtinus in libro de concordia Evangeliſtarum expreſſe. Item poſt id, quod legitur Matth. IV. habetur Matth. VIII. quod venit Jeſus in domum Petri. Ergo domus adhuc remanſerat Petri. Item Matth. XXVI. legitur, quod unus ex his, qui erant cum Jeſu (videlicet Petrus, ut dicitur Joann. XVIII.) exemit gladium ſuum, & percutiens ſervum principis amputavit auriculam ejus. Cui Jeſus ait: Converte gladium tuum in locum ſuum. Ergo gladius erat Petri. Item Luc. XXII. dictum eſt Petro & aliis Apoſtolis: Qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: & qui non habet, ſcilicet gladium, vendat tunicam ſuam & emat gladium. Item actor. XII, dixit Angelus Petro: Præcingere & calcea te caligas tuas: item dixit ei; Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. In quibus verbis ſacra ſcriptura evidenter ſupponit, quod poſt illa verba poſita Luc. V. de Petro, Jacobo, & Joanne relictis omnibus ſecuti ſunt eum; ſcripturæ ſacræ prædictæ ſupponunt, eum & retia & domum, & poſt illa Petri, Ecce nos reliquimus omnia: etiam gladium & veſtes habuiſſe ut ſua: quare relinquitur, quod per illa verba, relictis omnibus ſecuti ſunt eum, non poteſt concludi Apoſtolos a ſe dominium omnium temporalium abdicaſſe.

Vera explanatio text. Reliquimus omnia.

Habuiſſe poſtea Apoſtolos aliqua, demonſtratur.

XXXII. Item de Matthæo legitur Luc. V. quod cum Jeſus dixiſſet Matthæo: Sequere me; quod ipſe ſurgens relictis omnibus ſecutus eſt eum, ſtatim ſequitur, quod Matthæus, qui & Levi dicebatur, magnum convivium fecit ei in domo ſua: unde patet, quod quantumcumque de eo dicat ſcriptura, quod relictis omnibus ſecutus eſt eum, non ſequitur quod quoad dominium reliquerit ea, cum ſtatim ſubditur, quod in domo ſua fecerit magnum convivium. Et propter hoc Petrus Matth. XIX. cum Dominus dixiſſet uni, qui non erat de diſcipulis: Si vis perfectus eſſe, vende omnia,

Intelligendum relicta omnia quoad curas.

quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me; Petrus dixit: Ecce nos reliquimus omnia, &c. non dixit, nos vendidimus omnia, & dedimus pauperibus; ſed dixit: Nos reliquimus omnia; poſſunt enim res temporales relinqui quoad curam & affectionem illarum, ſine dominii abdicatione; vel reliquimus omnia, ſcilicet præter illa, ſine quibus non poteſt hæc vita tranſiri, ſicut ſunt alimenta, vel pro alimentis neceſſaria, quibus non eſt veriſimile, quod ipſis renuntiaverint, ut probant ſcripturæ prædictæ, & aliæ multæ, de quibus dicetur latius infra in objectionibus, quas iſte hæreticus facit contra conſtitutionem, Cum inter. De Jacobo autem & Joanne dicitur Marc. I. quod relicto patre ſuo Zebedæo in navi cum mercenariis, ſecuti ſunt eum. Certe patrem non reliquerunt, ut ei renunciaverint, & pro patre poſtea non habuerint eum; immo ejus filii remanſerunt: quare illa verba non concludunt, quod per illa verba, Nos reliquimus omnia, intelligatur a ſe abdicaſſe omnia temporalia, ſaltem illa, de quibus ſacra ſcriptura dicit contrarium quoad proprietatem & dominium.

XXXIII. Objectio Mich. petita e can. confutatur.

Item non obſtat cap. Dilectiſſimis XII. q. I. quod pro ſe dictus hæreticus adducit, in quo B. Clemens ſcribit condiſcipulis ſuis Jeroſolymis habitantibus, cum B. Jacobo epiſcopo Jeroſolymitano æquiparat ſtatum Apoſtolorum & ipſorum diſcipulorum ac Judæorum Jeroſolymis, poſt miſſionem ſancti Spiritus converſorum, quantum ad modum habendi iſta temporalia, ſtatui primorum parentum in ſtatu innocentiæ conſtitutorum: & dicit ibi quantum ad ſtatum prædictum primorum parentum, quod communis uſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus hominibus eſſe debuit; ſed per iniquitatem alius dixit hoc eſſe ſuum, & alius illud, & ſic inter mortales facta eſt diviſio; proculdubio iſta ſcriptura ſupponit, quod ſi primi parentes non peccaſſent, omnia communia fuiſſent quoad dominium, ſeu proprietatem: quod patet in eo, quod dicit, quod per iniquitatem, id eſt per peccatum primorum parentum, alius dixit hoc eſſe ſuum, & alius illud, & ſic inter mortales facta eſt diviſio. Hæc autem diviſio facta fuit ejus rei, cujus prius erat communio: diviſio autem facta eſt rerum, & non uſus ſimplicis facti, ut patet, quia alius dicebat hoc eſſe ſuum, & alius illud: & non dicit, quod unus diceret uſum hujus rei ſuum eſſe, & alius alterius; ſed dicebat unus rem aliquam, & alius aliam eſſe ſuam: ſicque patet, quod rerum, quoad dominium non quoad uſum, diviſio facta fuit; & per conſequens ſequitur, quod ante diviſionem quoad rerum dominia communio erat. Et hoc clarius per ſequentia in eodem cap. patet, ubi ſequitur: Et ſicut non poteſt dividi aer, neque ſplendor ſolis, ita nec reliqua, quæ communiter data ſunt omnibus hominibus ad habendum; ubi manifeſte dicit omnia temporalia communiter data fuiſſe omnibus hominibus ad habendum: non dicit quoad facti uſum, ſed dicit ad habendum, quia uſus facti haberi nullatenus poteſt, ut ſuperius eſt probatum. Ergo ſi data fuerunt eis, ab illo, ſcilicet a Deo, qui dare potuit, dicendum eſt, quod domini fuerunt effecti, quia dare eſt accipientis facere. Deinde ſubjungit B. Clemens ſic: Iſtius enim conſuetudinis more retento, Apoſtoli eorumque diſcipuli una nobiſcum & vobiſcum, communem vitam duxerunt: ut enim bene noſtis, erat multitudinis eorum, ſcilicet credentium, cor unum & anima una: nec quiſquam eorum aut noſtrum de his, quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed omnia nobis & illis erant communia. In quibus verbis beatus Clemens ſupponit aperte, quod ante converſionem illorum Judæorum, de qua habetur act. II & IV. mentio, Apoſtoli & eorum diſcipuli aliqua poſſidebant, ibi cum dicit: Apoſtoli eorumque diſcipuli una nobiſcum & vobiſcum; & loquitur Judæis converſis, communem vitam duxerunt. Et in quo erat iſta communis vita? Declarat, dicens: Erat enim multitudinis credentium cor unum & anima una: nec quiſquam eorum, ſcilicet Apoſtolorum & ipſorum diſcipulorum, de quibus locutus eſt ſupra, aut noſtrum, ſcilicet Judæorum converſorum, de iis quæ poſſidebant, ecce aperte dicit, quod Apoſtoli & diſcipuli aliqua poſſidebant ante; ſequitur, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed omnia nobis, ſcilicet converſis, & illis, ſcilicet Apoſtolis & eorum diſcipulis, erant communia. Sicque per dictum cap. clare patet, quod ante converſionem Judæorum prædictam Apoſtoli & eorum diſcipuli aliqua habebant, & quod illa communicaverunt converſis Judæis; & Judæi converſi communicaverunt Apoſtolis & eorum diſcipulis ſimiliter quæ habebant. Itaque quiſquam eorum, ſcilicet Apoſtolorum & diſcipulorum ac Judæorum converſorum, eorum quæ poſſidebat, nihil ſuum eſſe dicebat; ſed omnia erant communia inter ipſos.

Qui verus epiſt. Clementis ſenſus.

Item in eo, quod dicit, quod Apoſtoli poſt verba illa, Ecce nos reliquimus omnia, &c. uſi ſunt rebus conſumptibilibus uſu; dicimus eſſe falſum, quia in rebus uſu conſumptibilibus, uſus proprie ſumptus haberi nequit, nec illis aliquis poteſt uti, ut ſuperius clare eſt oſtenſum. Item in eo, quod dicit, beatum Auguſtinum dixiſſe, Apoſtolos voviſſe rerum omnium abdicationem, dicit falſum; hoc enim B. Auguſtinus non dixit: ſed cum recitaſſet Apoſtolos dixiſſe: Ecce nos reliquimus om- XXXIV.

nia,



Apoſtoli non vovere abdicationem rerum, ſed Chriſti ſequelam.

nia, & ſecuti ſumus te; ſubjunxit: Hoc votum potentiſſime voverant. Dic mihi hæretice, quod eſt illud votum, quod voverunt? Certe dici non poteſt, quod votum illud eſſet abdicationis dominii, ſeu proprietatis omnium rerum temporalium, cum de hoc in præcedentibus ſeu ſubſequentibus nullam fecerit mentionem. Quod eſt ergo illud votum? Certe videtur, quod voverunt ſe Dominum ſecuturos, de quo immediate mentio erat ibi: Secuti ſumus te. Et ſi dicatur, quod immo voverant, ſe relicturos omnia & Dominum ſecuturos, quia iſta verba præceſſerant verba illa, cum dixiſſet: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; dicimus, quod non eſt veriſimile, quod B. Auguſtinus intellexerit, quod in voto hujuſmodi, ſcilicet quod reliquimus omnia, intelligantur illa comprehenſa, quæ ſcriptura ſacra eos poſtea aſſerit habuiſſe, ſicut ſunt quæ ipſos habuiße ſuperius eſt probatum.

Quod non voverint non habere in communi.

Item non eſt intelligendum, quod beatus Auguſtinus intellexerit, quod ipſi Apoſtoli voverunt non habere aliquid in communi, cum intendens circa vitam apoſtolicam ſuam religionem fundare, loquens ſuis fratribus ſic dixerit in regula ſua: Sit vobis anima una & cor unum, & non dicatis aliquid proprium: ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur unicuique veſtrum, prout opus erit. Et ſequitur: Sic enim legiſtis in actibus Apoſtolorum, quia erant eis omnia communia, & diſtribuebatur unicuique, prout opus erat. Cum igitur B. Auguſtinus & ejus fratres res habuerint & habeant in communi, non eſt revocandum in dubium, quin beatus Auguſtinus Apoſtolos habuiſſe ſuppoſuerit in communi: quare per auctoritatem prædictam Auguſtini iſte hæreticus nequaquam poteſt concludere, quod Apoſtoli voto abdicaverint omnium rerum dominium; nec quod illud abdicaverunt in proprio & in communi.

Item non obſtat c. illud. XVI. q. I. c. ex auctoritate per ipſum ſuperius allegatum; immo facit potius contra ipſum: loquitur enim, de monachis, qui ut ibi dicitur, figuram tenent Apoſtolorum: conſtat autem, quod monachi habent mobilia & immobilia quoad proprietatem & dominium in communi, ut probatur XVIII. q. II. c. In nullo; quare videtur quod & Apoſtoli habuerint, ſeu habere potuerint talia in communi. Verum eſt tamen quod in Judæa non retinuerunt immobilia; ſed potius ea vendiderunt, quia prævidebant ad gentes eccleſiam tranſituram, ut probatur actor. II. & III. cap. & XII. q. I. c. Futuram.

XXXV. Objectio Mich. petita ex depravato textu ſcripturæ.

Adhuc iſte veritatis & fidei inimicus ad probandum, quod in rebus, quæ uſu conſumuntur, poſſit haberi uſus a dominio ſeparatus, arguit ſic: Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus ſive de pomis arborum, Domini ſunt, ut habetur levit. ult. uſus autem decimarum tantum eſt levitarum, ut numer. XVIII. Conſtat autem, quod illæ decimæ ſunt de frugibus & pomis, quæ ſunt res uſu conſumptibiles; quare cum dominium decimarum ſit Domini, & uſus earum ſit levitarum, ſequitur quod in rebus uſu conſumptibilibus haberi poteſt uſus a dominio ſeparatus. Ad hoc dicendum eſt, quod iſte hæreticus arguit evidenter ex falſis: quod enim dicit, levitas habuiſſe uſum tantum decimarum, falſum dicit, ut probatur numeror. XVIII. cap. per eum in contrarium allegato, ubi Dominus ſic dicit: Filiis Levi dedi omnes decimas Iſrael in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſervivit mihi in tabernaculo fœderis. Ex quibus patet, quod levitæ non tantum uſum in decimis, ſed & dominium habuerunt. Nec obſtat, quod in eo c. dicitur, quod in uſus levitarum & neceſſaria Dominus decimas ſeparavit: aliud eſt enim alicui in uſum rem aliquam dare, & aliud dare alicui uſum alicujus rei; ubi enim uſus alicujus rei uſibilis conceditur alicui, uſus tantum rei & non dominium ſibi intelligitur eße datum: ſed ubi alicui res datur in uſum, nedum uſus rei, ſed & dominium intelligitur eſſe datum; unde cum dicitur in præallegato cap. quod in uſus levitarum & neceſſaria Dominus ſeparavit, declaravit Dominus ad quid, vel propter quid levitis decimas dedit: quia enim de frugibus & fructibus dupliciter nos vivimus, uno modo comedendo, ad quod primo & principaliter ſunt conceſſi, juxta illud gen. I. Ecce dedi vobis omnem herbam, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam; verum quia nonnunquam qui abundat in talibus, deficit in aliis neceßariis ad vitam humanam, voluit Dominus quod levitæ poſſent non ſolum de frugibus illis comedere, ſed etiam de illis quoad alia vitæ neceſſaria, vendendo vel permutando, ſibi providere: & ideo dixit, In uſus & neceßaria. Et idem dicendum eſt de verbis illis in eodem cap. contentis ad Aaron prolatis, ubi Dominus ſic dixit: Univerſa frugum initia, quæ gignit humus & Domino deportantur, cedent in uſus tuos; illarum autem rerum dominium conceſſit illis Dominus, ut in eodem cap. patet; in quo Dominus ad Aaron loquens ſic dixit: Omnis oblatio & ſacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cedit in ſancta ſanctorum, tuum erit & filiorum tuorum; ſequitur: Primitias autem, quas voverunt & obtulerunt filii Iſrael, dedi tibi & filiis & filiabus tuis jure perpetuo. Ex quibus patet, quod non ſolum in decimis,

Refellitur.

nec

*nec in rebus prædictis aliis Aaron & levitæ uſum, ſed & dominium habuerunt.*

XXXVI. Inſana Mich. conſequentia.

*Rurſus nititur oſtendere, quod dicere, quod uſus ſimplex facti non poſſit haberi in rebus uſus conſumptibilibus a dominio ſeparatus, eſt vitam Chriſti & Apoſtolorum ejus impugnare, quia perfectio paupertatis, ſicut & aliæ perfectiones conſiliorum evangelicorum fuerunt in Chriſto & Apoſtolis perfectiſſime; & conſtat ſecundum eum, quod paupertas evangelica excludit ſolicitudinem, quam requirit proprietas ſeu dominium rerum temporalium: ex quo ſequitur, ſecundum eum, quod uſus rerum uſu conſumptibilium poteſt a proprietate & earum dominio ſeparari. Ad hoc dicendum, quod concedimus, quod perfectio paupertatis in Chriſto & Apoſtolis perfectiſſime fuit; perfectio ſiquidem evangelicæ paupertatis magis conſiſtit in animo, ut ſcilicet animus amore iſtis temporalibus non adhæreat, quam in carentia temporalium rerum: hanc autem paupertatem perfectiſſime Chriſtus habuit & poſt eum Apoſtoli ejus, & per conſequens perfectionem paupertatis evangelicæ habuerunt. Ad illud autem quod dicit, quod paupertas evangelica rerum uſu conſumptibilium dominium & proprietatem excludit; dicimus quod falſum eſt: immo illarum rerum ſupponit ſacra ſcriptura ipſos Apoſtolos ad minus in communi habuiſſe proprietatem & dominium. Probatur act.* IV. *ut ſuperius eſt oſtenſum. Ad illud autem, quod dicit, quod abdicatio proprietatis & dominii ſolicitudinem excludit; dicimus ſimiliter, quod eſt falſum. Et quod talis abdicatio non excludat ſolicitudinem patet, conſtat enim, quod ſi dominus ſervo concedat peculium, quamquam proprietas ſeu dominium peculii in ſervum non cadat, nec propterea ſervus a ſolicitudine eſt immunis; alias injuſte reprehendiſſet Dominus ſervum negligentem, de quo agitur Luc.* XIX. *quia pecuniam a domino ſibi traditam non tradiderat ad uſuras. Et hoc videmus ad ſenſum, quod ille, ad quem rei utilitas pertinet ſine dominio, magis eſt circa rem illam ſolicitus, quam ſit nudus dominus ejus; ut ad ſenſum videri poteſt in fratribus Minoribus, qui nudum uſum facti ſe habere in talibus aſſerant, qui circa illa magis ſunt ſoliciti quam Romana eccleſia, ad quam illarum rerum dominium aſſerunt pertinere.*

Paupertas evangelica non in carentia, ſed in animi affectu conſiſtit.

Abdicatio proprietatis ſolicitudinem non excludit.

Arguitur Mich. ab evidenti exemplo.

XXXVII. Diſtortum Michaelis argumentum.

*Præterea dicit iſte hæreticus, quod vitæ Apoſtolorum repugnat doctrina prædicta; quia ſecundum eum quantum ad abdicationem proprietatis rerum temporalium fuerunt Apoſtoli ſecundum beatum Remigium ad dignitatem primi hominis revocati: ſed primus homo & ejus poſteri, ſi ſtetiſſent in originali juſtitia, habuiſſent uſum rerum uſu conſumptibilium ſine proprietate & dominio eorumdem ſecundum beatum Clementem, ut dicit: ad quod probandum inducit* XII. *q.* I. *c. Dilectiſſimis; quare dicere, quod in rebus uſu conſumptibilibus non poteſt uſus a proprietate & dominio ſeparari eſt, ut dicit vitam Apoſtolorum & religioſorum, Apoſtolos in abdicatione proprietatis omnium rerum imitantium, impugnare. Ad quod dicendum, quod illud, quod ipſe dicit, quod primi parentes in ſtatu innocentiæ in nullo habuerunt dominium, ſed tantum ſimplicem facti uſum, ad minus poſt illam benedictionem: Creſcite & multiplicamini, &c. ſcripturæ ſacræ contradicit expreſſe: legitur enim geneſ.* I. *quod Dominus primis parentibus dixit: Creſcite & multiplicamini & replete terram, & ſubiicite eam; alia litera loco ejus, quod ſupra dicitur, & ſubiicite eam, habet: Et dominamini ei, & illam proſequitur Auguſtinus in lib. ſuper geneſim ad literam, & in lib. de civ. Dei l.* XIIII. *c.* XXI. *& ſequitur: Et dominamini piſcibus maris & volatilibus cœli & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram. Ex quibus evidenter apparet, primos parentes poſt benedictionem prædictam & terræ & piſcium maris ac volatilium cœli & univerſorum animantium, quæ moventur ſuper terram, dominium in ſtatu innocentiæ habuiſſe. Et ſi quæritur, utrum illud dominium proprium fuerit, vel commune, videtur dicendum, quod ſi tempore benedictionis prædictæ ſolus Adam formatus erat & non Eva, ſicut ordo ſcripturæ ſacræ evidenter innuit, cum illa benedictio fuerit data Adam extra paradiſum exiſtente, Eva vero formata fuerit ipſo Adam in paradiſum tranſlato, ut patet geneſ.* I. *&* II. *c. videtur quod ante formationem Evæ dominium temporalium Adæ proprium fuit non commune. Commune quidem eſſe non potuit, cum ſolus pro tempore illo fuerit, & reſpectu unius, qui nunquam alios habuit, nihil dici commune poſſit. Et hoc videtur expreſſe dici eccleſ.* XVII. *cap. ubi dicitur ſic: Deus creavit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum; Et ſequitur: Dedit ei poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram, & poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & volatiliam. Ex quibus patet, quod ſolus dominatus fuit: ex quo ſequitur ipſum ſolum pro illo tempore dominium habuiſſe, quia ſecundum Dionyſium de divinis nominibus cap.* XII. *a dominio dicitur dominus, dominans, & dominator: unde cum de ſolo Adam dicitur, quod dominatus eſt beſtiarum & volatilium, ſequitur quod & ſolus dominus fuit, & quod Eva tunc formata non eſſet. Patet quia ſtatim poſt illa verba: Et dominatus eſt beſtiarum & volatilium; ſequitur: Creavit ex ipſo adjutorium ſimile*

Primos parentes non ſimplicem uſum facti, ſed dominium habuiſſe oſtenditur.



*mile ſibi. Hoc idem videtur ſentire Damaſcenus lib.* I. *cap. fin. ubi loquens de primo parente, ſic dicit: Hunc igitur hominem Conditor maſculum conſtruxit, ſtatuit, & tribuit ei ſui ipſius dominationis gratiam, & in communione ejus præter hanc ipſum fecit, unde & animalium nominatorem prophetice & ſuorum donorum dominatorem effecit; alia litera habet: Et ſuorum ſervorum dominatorem fecit, & ſequitur: Fecit ex ipſo auxiliatricem ipſius.*

XXXVIII. Si non proprium, ſaltem commune.

*Nec obſtat cap. Dilectiſſimis, in contrarium allegatum: per illud enim concludi non poteſt, quod primi parentes temporalium dominium non habuerint; ſed quod illud non habuerint diviſum: immo ex auctoritate philoſophi, quam beatus Clemens in eodem cap. adducit, concluditur evidenter, ipſos habuiſſe dominium in communi: ipſe enim dicit, quod ſicut non poteſt dividi aer, nec ſplendor ſolis, ita nec reliqua, quæ communiter data ſunt ad habendum dividi debere: ex quibus verbis clare patet philoſophum dixiſſe ita temporalia fuiſſe data communiter omnibus ad habendum: & ſi data fuerunt ab illo, qui dare potuit, ſcilicet Deo, & ei qui capax fuit, ſcilicet homini, ſequitur quod eorum dominus factus fuit. Nec philoſophus inducit comparationem aeris & ſplendoris ſolis ad temporalia reſpectu dominii, ut ſicut non habebant dominium aeris & ſplendoris ſolis, ſic nec haberent dominium temporalium rerum; ſed reſpectu indiviſionis tantum illam comparationem induxit, ſic enim dixit: Et ſicut non poteſt dividi aer, nec ſplendor ſolis: ita nec reliqua, quæ communiter data ſunt hominibus ad habendum, dividi debere, ſed communia ſunt habenda. De aere tamen D. Auguſtinus* II. *lib. De libero arbitrio ſic dicit: Si aliquid aeris, quod ego reddidero, poſſis tu ducere: illud tamen non poteris, quod in meum ceſſit alimentum: nam & a naribus alimenta nos capere medici docent, quod alimentum aſpirando ſolus ſentire poſſum, & reflando non poſſum reſtituere, ut a te ductum naribus cenſeatur.*

Alia Michaelis objectio ex parab. evang.

*Adhuc ad oſtendendum, quod in rebus uſu conſumptibilibus uſus facti poſſit a dominio ſeparari, adducit quod legitur Luc.* XIX. *ubi Dominus ſervo, cui pecuniam ad negotiandum tradiderat & eam tenuerat otioſam, dixit: Serve nequam, quare non dediſti pecuniam, & ego veniens uſuris exegiſſem illam? ex qua auctoritate patet, ut dicit, quod in pecunia prædicta ſervus uſum habebat actualiter, & dominus proprietatem ejuſdem: quare cum pecuniam eſſe de rebus uſu conſumptibilibus lex præallegata ſuperius teſtetur expreſſe, ſecundum eum prædicta doctrina, ſancto evangelio contradicit. Ad hoc dicendum quod, ſicut probatum eſt ſupra, impoſſibile eſt in rebus uſu conſumptibilibus quemquam uſum habere vel ſimplicem facti uſum. Nec obſtat ſcriptura prædicta: uſus enim pecuniæ, immo potius abuſus, non eſt ipſam ſimpliciter alicui tradere, ſed taliter tradere quod conſumpta quoad dominium cenſetur. Unde licet ſervus actualiter pecuniam mutuanti traderet per traditionem ſolam ſine tranſlatione dominii, nequaquam uſum, ſed abuſum potius fuiſſe pecunia poteſt dici: ſed per tranſlationem dominii habetur pro conſumpta pecunia, quam quidem tranſlationem non ſervus, ſed dominus, cujus nomine fiebat mutuum, facit: unde cum ſervus nomine domini mutuaſſet, ipſe dominus videtur uſus, immo abuſus potius fuiſſe pecunia, & non ſervus. Præterea ſervus, qui juſſu domini pecuniam mutuat, non debet dici habere uſum, ſeu abuſum ſimplicem facti, cum jus habuerit pro conceſſione hujuſmodi mutuandi.*

Diſſolvitur a Pont.

XXXIX. Alia ex decretali Nic. PP.

*Rurſus dicit, quod prædicta aſſertio determinationi ſanctæ Romanæ eccleſiæ obviat & repugnat, quia in decret. quæ incipit, Exiit, per univerſalem eccleſiam, ut dicit, approbata & in Viennenſi concilio confirmata diffinitur, quod fratres Minores habent uſum facti omnium rerum, quibus utuntur abſque omni dominio & proprietate; de quo uſu ſic dicit, quod uſus non juris, ſed facti tantummodo nomen habens, quod facti eſt tantum in utendo, præbet utentibus nihil juris; manifeſtum eſt autem, ut dicit, quod fratres Minores habent tantum uſum facti rerum uſu conſumptibilium; ergo in rebus uſu conſumptibilibus poteſt uſus facti a proprietate & dominio ſeparari. Ad hoc dicendum, quod ſicut dicit dicta conſtitutio, Ad conditorem, verba prædicta intellexit conditor illius canonis, Exiit, de rebus quæ non conſumuntur uſu, quod per præcedentia & ſubſequentia probatur ſatis clare, ante enim propoſuerat quæ ſequuntur: Cum in rebus temporalibus ſit conſiderare præcipuum, proprietatem, poſſeſſionem, uſumfructum, jus utendi, & ſimplicem facti uſum, &c. poſtea ſequitur, condecens fuit ei profeſſioni, quæ ſponte devovit, Chriſtum pauperem in tanta paupertate ſectari, neceſſario uſu facti fore contentam. Cum autem prædicta, ſcilicet proprietas, uſusfructus, jus utendi, & uſus facti ſumptus proprie nequant in rebus uſu conſumptibilibus reperiri, ſed proprietas tantum, ut patet ex definitionibus uſusfructus & uſus; apparet, quod de rebus uſu conſumptibilibus, in quibus præmiſſa nequeunt reperiri, non intellexit conditor canonis verba illa: Hoc etiam apparet per ea, quæ in eadem conſtitutione poſtea ſubſequuntur: ſequitur enim: Quod prædicti, ſcilicet fratres, ſint uſu facti contenti, non obviat, quod civilis*

Reſpondetur Nicol. de uſu conſumptibilibus non loquutum.

Declaratur verus decretalis ſenſus.

*vilis providentia in humanis rebus conſtituit, videlicet non poſſe uſum vel uſumfructum a dominio perpetuo ſeparari, ne dominium ſemper, abſcedente ab eo uſufructu, dominis inutile redderetur. Quæ quidem lex de rebus illis intelligitur, quarum penes unum uſus rei, & penes alium dominium poſſit, licet inutile, remanere: quod nequaquam in rebus uſu conſumptibilibus poteſt eſſe, cum in illis per uſum ſeu abuſum uſuarii ſubſtantia talis rei eſſe deſinat, & per conſequens proprietas etiam inutilis non ſubſiſtat; ſicut dicitur in conſtitutione, Ad conditorem, ſupradicta. Si autem velit iſte hæreticus, quod dicta conſtitutio, Exiit, definierit quod fratres Minores in rebus uſu conſumptibilibus habeant ſimplicem facti uſum, dicimus quod diffinivit impoſſibile, & per conſequens de jure diffinitio non teneret: cum enim ſit impoſſibile in rebus uſu conſumptibilibus uſum juris vel facti habere a dominio ſeparatum, cum hoc rationi obviet & juri repugnet, ſtatutum a quocumque factum in contrarium non teneret. Item in hoc quod dicit, quod dicta conſtitutio, Exiit, fuit per univerſalem eccleſiam approbata; dicimus quod quantum ad hoc, ſcilicet quod fratres Minores in rebus uſu conſumptibilibus habeant uſum facti, nunquam fuit per univerſalem eccleſiam approbata; dicimus etiam, quod non fuit in Viennenſi concilio confirmata, nec hoc poterit per conſtitutionem aliquam vel aliquas apparere, immo nec de fratrum conſilio promulgata.*

Oſtenditur ſenſum qui a Michaele affingitur, ſtare non poſſe.

Non eſſe confirmatam a Concilio quantum ad id quod ſpectat uſum ſimplicis facti.

XL. *Adhuc dicit iſte hæreticus, conſtitutionem prædictam, Ad conditorem, errorem alium continere in eo, quod continet quæ ſequuntur: Rurſus nec ſimplex uſus facti, qui nec eſt ſervitus, nec pro illo competit jus utendi in talibus rebus, ſcilicet uſu conſumptibilibus, poteſt conſtitui vel haberi: cum enim uti re aliqua nihil aliud ſit proprie, quam fructus rei ſeu utilitatem aliam in ſolidum vel pro parte recipere, quæ ex ea poſſunt ſalva rei ſubſtantia provenire, reſtat quod re illa uti quis nequeat, ex qua ejus ſalva ſubſtantia nulla poteſt ſibi provenire utilitas, quales res uſu conſumptibiles eſſe conſtat. Ex quibus patet quod nec uſus, qui eſt ſervitus perſonalis, nec jus utendi, quod non eſt ſervitus, ſed mere jus perſonale, nec actus ipſe utendi ſine jure aliquo poſſunt in rebus uſu conſumptibilibus conſtitui vel haberi; cum quodlibet præmiſſorum exigat, quod ex re ipſa ſalva rei ſubſtantia, poſſit habenti jus utendi, ſeu utenti ex re ipſa utilitas aliqua provenire: quod utique nequit in rebus uſu conſumptibilibus reperiri.* Et infra: *Licet autem in rebus uſu conſumptibilibus, nec jus utendi, nec ipſum uti poſſit conſtitui vel haberi; ipſis tamen poterit quis abuti: abuti autem dum tractatur de rebus uſu conſumptibilibus, pro rei conſumptione ſumitur, quod ei opponitur quod eſt uti. Uti quidem præſupponit quod cum uſu ſalva rei ſubſtantia, maneat: ſed abuti exigit, quod cum actu hujuſmodi rei ſubſtantia conſumatur, cum abuti nihil aliud, quam contra naturam uſus uti, in hac materia proprie dici poſſit. Hæc verba dictæ conſtitutionis: ex quibus apparere dicit hæreticus ſupradictus, quod dicta conſtitutio in eo quod dogmatizat, quod nec uſus facti nec actus utendi haberi poteſt in rebus uſu conſumptibilibus; quodque rebus hujuſmodi uſu conſumptibilibus nullus uti poteſt, quamvis eis poſſit abuti abuſu, qui contra naturam uſus exiſtit, ſacræ ſcripturæ obviat manifeſte. Ad quod probandum inducit Levit. cap. fin. ubi dicitur, quod omnes decimæ terræ ſive de frugibus, ſive de pomis arborum Domini ſunt: & numerorum XVIII. dicitur de levitis, quod nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in uſus eorum & neceſſaria ſeparavi. Ex quibus liquere dicit, quod uſus in rebus uſu conſumptibilibus ex Dei ſtatuto habetur.*

Quid ſit proprie uti, in quo cardo difficultatis conſiſtit.

*Ad hoc dicendum, quod iſte in prædictis manifeſte ſe fundat in falſis: quod enim levitæ in decimis tantum habuerint ſimplicem uſum facti, falſum eſt, & contradicit expreſſe illi cap. numerorum* XVIII. *per ipſum allegato, ubi ſic Dominus dicit: Filiis Levi dedi omnes decimas Iſrael in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſervivit mihi in tabernaculo fœderis. Ex quo patet, quod levitæ non tantum uſum in decimis, ſed & dominium habuerunt. Nec obſtat, quod in eodem cap. dicitur, quod in uſus levitarum & neceſſaria Dominus ſeparavit decimas: aliud enim eſt alicui dare in re aliqua uſum facti, & aliud rem alicui in uſus ejus neceſſariam dare, ut ſuperius eſt oſtenſum. Ad illud autem quod dicit, quod uſus in rebus uſu conſumptibilibus ex Dei ſtatuto habetur; dicimus, quod eſt falſum, quia in tota ſcriptura ſacra non habetur mentio de ſimplici uſu facti.*

Levitas in decimis non habuiſſe facti ſimplicem uſum oſtenditur.

In ſcriptura ſacra non habetur mentio ſimplicis uſus facti

*Adhuc dicit hæreticus prædictus, quod ubicumque ſcriptura ſacra de uſu rerum conſumptibilium uſu loquitur, ſemper manifeſtat, quod quis rebus uſu conſumptibilibus poteſt uti, & quod proprie contingit & veraciter eis uti, ſicut patet ad Timotheum* V. *ibi: Utere modico vino &* II. *Regum* XIII. *ubi cap. Filiæ Regis virgines veſtimentis hujuſmodi utebantur; & numer.* XVIII. *cap. ibi: Univerſa frugum initia, quæ gignit humus & Domino deportantur, cedent in uſus tuos; & parum poſt: Carnes vero in uſum tuum cedent; & judic.* XIX. *ibi: Habentes panem & vinum in tuos & ancillæ tuæ uſus; & deuter.* XXIV. *cap. in* XLI.





*ſine, & Joſue* V. *ibi: Nec uſi ſunt ultra, &c. & Levit.* VIII. *ibi: In uſus varios, &c. & Eſther.* II. *& exod.* XXVIII. *Item etiam patet ſecundum eum per auctoritates ſanctorum, ſcilicet S. Clementis* XII. *q.* I. *c. Dilectiſſimis, & S. Auguſtini* XII. *di. Ad hoc dicendum, quod conſtitutio prædicta, Ad conditorem, loquitur de uſu & de uti ſecundum quod dividitur uſus contra dominium & proprietatem, & contra uſumfructum & jus utendi ſecundum decretalem illam, Exiit, quæ dicit ſicut iſta, ſcilicet proprietatem, uſumfructum, & jus utendi, ac ſimplicem uſum facti in temporalibus reperiri, cujus gratia dicta conſtitutio, Ad conditorem, facta fuit.*

Conſtitutio Pont. de uſu tantum loquitur, ut a dominio diſtinguitur.

XLII. *Iſte etiam hæreticus ad oſtendendum, quod pecunia inter res uſu conſumptibiles numeretur, allegat leges, ut ex prædictis patet: conſtat autem, quod ſecundum leges in rebus uſu conſumptibilibus nec uſusfructus, nec jus utendi, quod eſt ſervitus, nec etiam jus utendi, quod non eſt ſervitus, ſed mere jus perſonale poteſt conſtitui vel haberi, ut probatur ff. de uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur l.* I. *&* II. *ff. de jurejurando, l. Sed & ſi poſſeſſori §. Sed ſi rerum ff. commodati. l.* III. *§. fi. cum multis ſimilibus. Item nec quiſquam uti talibus rebus poteſt, ſumendo proprie uti: uſus enim ſeu uti, ſi ſumatur proprie ſecundum leges, requirit quod ex re illa, in qua uſum habere ſe aſſerit vel ea vult uti, poſſit fructus, vel utilitatem aliam aſſequi, ſalva ſubſtantia rei: quod non poteſt in rebus uſu conſumptibilibus reperiri; & ex hoc beatus Joannes Chryſoſtomus rationem reddit, quare mutuans pecuniam pro mercede pecuniam recipere nequeat licite, cum locans agrum vel domum, hanc licite recipere poſſit, ut dictum eſt ſupra. Ex quibus patet, quod in rebus conſumptibilibus uſu uſus haberi nequeat, nec quis ipſis etiam uti poſſit: cum hoc juri repugnet & obviet rationi. Licet autem in rebus talibus, ſcilicet uſu conſumptibilibus, uſus vel uti locum ſibi proprie non vendicent: conſumptio tamen & actus conſumendi locum habet, ut dicit conſtitutio prædicta: quæ tamen non poſſunt dici ſimplicia, nec a rei, quæ conſumitur, dominio ſeparata, cum ipſa rei conſumptione ejus dominium pereat & prorſus eſſe deſinat, ut probat dicta conſtitutio, Ad conditorem, quæ ſic dicit: Præterea ſi in rebus uſu conſumptibilibus poſſit uſus conſtitui vel haberi, nequaquam ſimplex, nec a rei ſubſtantia proprietate, ſeu dominio ſeparatus uſus hujuſmodi poteſt dici; cum per talem uſum, id eſt utendi actum, & in ipſo actu & cum ipſo actu res hujuſmodi conſumatur, ac ſine ipſius rei conſumptione eſſe valeat uſus talis. Ex quo patet, quod uſus talis nec ſimplex, nec ſeparatus a dominio dici poſſit; & hoc patet, cum per talem facti uſum proprietas & dominium ipſius rei perire noſcatur. Dicimus ergo, quod decretalis, Ad conditorem, de uſu & uti loquitur, ſicut decretalis, Exiit, loquebatur: quæ de ipſis loquitur ſecundum quod leges loquuntur, ſecundum quas impoſſibile eſt, loquendo de illis proprie, ſicut dicta decretalis, Ad conditorem, loquitur, & dicit expreſſe in §. Rurſus nec ſimplex uſus facti, ibi cum dicit: Cum enim uti re aliqua nihil aliud ſit proprie, &c. locum habeant in rebus conſumptibilibus uſu, ſed in ipſis conſumptio & conſumendi actus locum habent, ut probatur ff. de uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur l. Hoc ſenatus §.* I. *& §. fi. ff. de jurejurando. l. ſed & ſi poſſeſſori §. Sed ſi rerum. Licet autem, ut prædictum eſt, in rebus uſu conſumptibilibus uſus, proprie loquendo, locum non habeat: tamen frequenter dicitur, quod quis in illis uſum habeat, vel eis utitur: ſed quoties hoc contingit, uſus vel uti pro rei conſumptione debent ſumi. Sic dicimus, quod quoties ſacra ſcriptura uſum in talibus rebus uſu conſumptibilibus attribuit, pro rei conſumptione ipſum ſumit, ut patet in illa auctoritate: Utere modico vino; ſumitur enim Utere ibi pro conſumere, id eſt pro bibere: conſtat autem vinum bibendo conſumi. Et per hoc patet reſponſio ad illas auctoritates inductas, hoc ſalvo, quod numerorum* XVIII. *ubi dicitur: Univerſa frugum initia, quæ Domino deportantur, cedent in uſus tuos; falſo modo inducitur, ut ſuperius eſt oſtenſum.*

Argumentum Michael petitum ex legibus confutatum.

Uſus juſtus in re, quæ conſumitur a dominio non ſeparatur.

*Adhuc iſte hæreticus dicit, quod dicere, quod ſint aliquæ res uſu conſumptibiles, & tamen non contingit illis uti, contradictionem implicat manifeſtam. Profecto per hoc ut ignarus & inſcius legiſlatorem arguit, qui rubricam poſuit, De uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur: unde conſtitutio loquitur ſecundum quod legiſlator & leges plerumque loquuntur, ſumendo uſum pro abuſu, id eſt pro conſumptione rei: quia nec alius uſus, videlicet niſi conſumptio in rebus uſu conſumptibilibus poteſt eſſe; & ideo dici ff. de jurejurando l. Sed & ſi poſſeſſori §. Sed ſi rerum, ſic: Si rerum, in quibus uſusfructus conſtitui non poteſt, propter abuſum, id eſt propter rei conſumptionem, &c. Et glo. ſuper rubricam illam ff. de uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur, ſuper illo verbo, uſu, dicit, id eſt quaſi uſu; expreſſe ibi innuit, quod uſus ibi ponitur improprie.* XLIII.

Arguta Michaelis nugacitas exploditur.

*Adhuc dicit iſte hæreticus, quod cum ſecundum Auguſtinum lib.* I. *de doctrina Chriſtiana, abuſus ſit illicitus uſus, ex prædictis ſequi videtur, quod Chriſtus & Apoſtoli & alii ſancti viri, quoties*

Abuſus pro rei conſumptione acceptus oſtenditur.

actus comedendi & bibendi & induendi exercuerunt, toties rebus hujuſmodi ſunt abuſi; quod ſentire vel dicere eſt impium & blaſphemum. Ad quod dicimus, quod Chriſtus & Apoſtoli & alii ſancti viri panem comedendo & vinum bibendo abuſi ſunt rebus illis, ſicut abuſus in conſtitutione prædicta ſumitur, in qua pro rei conſumptione ſumitur, ſicut patet ex ejus ſerie manifeſte. Sed contra hoc dicit hæreticus ſupradictus, quod hoc, videlicet quod abuti ſumitur pro conſumptione rei, non valet, tum quia quod ſic debeat accipi, nec ratione nec auctoritate probatur, tum quia abuti re non voce ſemper in mala ſignificatione ſumitur, ſicut patet geneſ. XXXIV. cap. & Eſther. ult. & I. ad Corinth. IX. & aliis pluribus locis. Ad hoc dicimus, quod illud quod dicit, nec ratione nec auctoritate probari, quod verbum abuti pro rei conſumptione ſumitur,

Tum in legibus.

evidenter eſt falſum: in lege enim ff. de uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur l. Hoc ſenatus §. Si pecuniæ, dicitur ſic: Si pecuniæ ſit uſusfructus legatus, vel earum rerum, quæ in abuſu conſiſtunt, nec cautio interveniat, videndum finito uſufructu an pecunia, quæ data ſit, vel cæteræ res, quæ in conſumptione conſiſtunt, condici poſſunt. Ubi patet, quod legiſlator in rebus, quæ uſu conſumuntur promiſcue utitur verbis iſtis, abuſu videlicet & conſumptione. Et eadem l. §. fi. dicitur ſic: Quæ in uſufructu pecuniæ diximus vel cæterarum rerum, quæ ſunt in abuſu, eadem & in uſu dicenda ſunt. Item ff. de jurejuran. l. Sed & poſſeſſori §. Sed ſi rerum, dicitur ſic: Sed ſi rerum in quibus uſusfructus propter abuſum, id eſt propter rei conſumptionem, conſtitui non poteſt, &c. ubi aperte abuſum pro conſumptione recipit legiſlator. Ex quibus patet, quod legiſlatores loquentes proprie de rebus, quæ uſu conſumuntur, negant uſum in illis locum habere, & abuſum locum habere concedunt: qui quidem abuſus, id eſt rei conſumptio, ſi fiat ab eo, cui jus abutendi, id eſt conſumendi competit, erit licitus; ſi vero ab eo, cui jus non competit, illicitus eſt cenſendus. Item quod abuſus pro conſumptione ponatur, congruit rationi; præpoſitio enim ſenſum dictionis, cui per compoſitionem apponitur, augere vel diminuere conſuevit: unde patet quod rationi congruit, quod per illam præpoſitionem, ab, ſenſus dictionis, uſus, cui per compoſitionem apponitur, augeatur. Falſum inſuper dicit in eo, quod dicit, quod abuſus quoties re non voce dicitur, accipitur in mala ſignificatione: in legibus enim Imperatorum abuſus, cum de rebus uſu conſumptibilibus agitur, in bona parte communiter ſumitur, ut ſuperius eſt probatum. Adhuc reperimus, quod in ſcriptura ſacra abuſus in bona ſignificatione ſumitur; unde Jeremiæ XVIII. propheta Deo loquens dicebat ſic: Fiant corruentes in conſpectu tuo: in tempore furoris tui abutere eis; ubi abutere non pro actu illicito, ſed pro licito debet ſumi, cum in Deo abuſus in mala ſignificatione ſumptus non cadat: tantum autem videtur dicere, abutere eis, ac ſi diceret, conſume eos; ſicque patet quod abuſus etiam in ſacra ſcriptura pro conſumptione ſumitur, & in bona ſignificatione.

Tum in ſcriptura ſacra.

XLIV. Definitio vocis uti.

Adhuc dicit iſte maledictus hæreticus, quod iſta definitio, quam dat de uti dicta conſtitutio, non eſt vera definitio nec conſona definitionibus, quas dant ſancti. Ad hoc dicimus, quod illa definitio, deſcriptio, ſeu notificatio, quam dat dicta conſtitutio de uti, conveniens eſt & vera: dicit enim, quod uti re aliqua nihil aliud eſt proprie, quam fructus rei ſeu utilitatem aliam in ſolidum vel pro parte recipere, qui ex ea poſſunt, ſalva rei ſubſtantia, provenire. Et quod ſit conveniens patet, uſus enim definitur ſic: Uſus eſt jus utendi rebus alienis ſalva rei ſubſtantia; ex quo ſequitur, quod uti proprie loquendo, requirit quod cum ipſo uſu remaneat ſubſtantia ſalva rei, & quod ex ea poſſit utenti utilitas aliqua provenire. Ad illud autem quod dicit, quod dicta definitio non eſt conſona definitionibus, quas dant ſancti; dicimus quod non eſt inconveniens, quod ejuſdem rei diverſimode conſideratæ dentur definitiones diverſæ: ſancti autem, qui ipſum uti definiunt, ipſum uti ſumunt aliter, quam ſumat conſtitutio antedicta, reſpectu enim finis ipſum uti accipiunt, videlicet ad quem finem res, quibus utimur, ordinentur, & ſecundum hoc dicit Auguſtinus, quod uti eſt res, quæ in uſum veniunt referre ad ea, quibus eſt fruendum: decretalis autem, Exiit, cujus occaſione conſtitutio, Ad conditorem, facta fuit, de uſu loquitur non prout res ad finem eſt ordinabilis, ſed prout contra dominium, ſeu contra proprietatem ac uſumfructum, ſive jus utendi dividitur: & ideo non eſt mirum, ſi per ſanctos aliæ definitiones de uſu datæ fuerunt, cum ipſum uti aliter ſumpſerint, quam ſumat conſtitutio antedicta.

XLV. Uſus ſimplicis facti recentiorum figmentum eſt.

Præterea iſte hæreticus loquendo de uſu & de uti extra modum, loquendi ſcripturæ ſacræ & ſanctorum ſe opponit, dicit enim in rebus uſu conſumptibilibus locum habere abſque jure aliquo ſimplicem uſum facti, profecto modus iſte loquendi nec in novo teſtamento, nec in veteri, nec in ſcripturis ſanctorum aliquibus, ſicut credimus, poterit reperiri. Præterea advertat iſte hæreticus, ſi Auguſtini definitio conveniat dictis ſuis. Item dicit, quod in rebus uſu conſumptibilibus poteſt haberi uſus



uſus ſimplex facti a dominio ſeparatus; Auguſtinus autem dicit, quod uti eſt res, quæ in uſum conveniunt, referre ad ea, quibus eſt fruendum; proculdubio dicta definitio ejus dictis non convenit, cum de rebus loquitur dicta definitio, & ipſe de ſimplici uſu facti dicendo: Uti eſt res, quæ in uſum, &c.

Conciliatur Nicolai conſtitutio cum decreto Joannis.

Adhuc dicit iſte hæreticus, quod prædicta aſſertio determinationi ſanctæ Romanæ eccleſiæ obviat in ſupradicta decretali, Exiit, ſic dicente: In his, quæ ad victum & veſtitum, & divinum cultum, ac ſapientiale ſtudium pertinent, neceſſariarum uſum rerum fratribus eſſe conceſſum. Ex quibus verbis colligitur evidenter, quod contingit in rebus pertinentibus ad victum & veſtitum, quatenus conſtat eſſe res uſu conſumptibiles, fore uſum. Dicimus quod per verba illa non conceſſit fratribus ſimplicem facti uſum; immo hoc ipſo, quod ipſis uſum conceſſit, ſi conceſſio valuit, ipſis jus utendi conceſſit: & ſic in illis non habent ſimplicem uſum facti. Et ſi dicat, quod immo nullum jus eis conceſſit; dicimus, quod quantum ad res uſu conſumptibiles poſuit uſum improprie pro rei conſumptione: nec eſt novum, quod idem verbum ponatur proprie & improprie reſpectu diverſorum. Præterea decretalis prædicta dixit, neceſſariarum uſum rerum in his, quæ ad victum & veſtitum pertinent, fratribus eſſe conceſſum; non dixit uſum facti: & ſic nihil facit pro eo. Et ſi omnino dicat, quod conditor canonis intellexit de uſufacti, ſumendo uſum proprie; dicimus, quod cum in talibus rebus uſus conſtitui nequeat neque haberi, ut probat dicta conſtitutio & eſt probatum ſupra in primo articulo, dicta conſtitutio contineret quantum ad hoc impoſſibile; & per conſequens cum conſtitutio poſſibilis eſſe debeat, non valeret: non tamen fuit illa conditoris intentio, ut probat conſtitutio, Ad conditorem, antedicta.

XLVI. Juſtus uſus rei conſumptibilis ſine jure non ſtat.

Rurſus dictus hæreticus dicit, dictam conſtitutionem, Ad conditorem, errorem alium continere in eo, quod continet quæ ſequuntur: Præterea, inquit, ſi ſimplex facti uſus abſque jure utendi haberi poſſet ab aliquo, conſtat quod non juſtus eſſet actus utendi hujuſmodi reputandus, cum ille uſus fuerit, cui jus non competebat utendi; talis autem uſus, ſcilicet non juſtus, ad perfectionis ſtatum nequaquam pertinet, nec perfectionem adiicit; ſed potius ſibi repugnare & detrahere noſcitur manifeſte. Et infra loquens de uſu facti conceſſo fratribus, ſecundum quod in

Falſum quod illud jus non aliud ſit, quam civile & mundanum.

decretali, Exiit, continetur, ſic dicit: Ex quo ſequitur, quod uſus facti de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui juſtus ſit, id eſt pro quo competat jus utendi. Item iſte hæreticus, volens imponere conſtitutioni quod non dicit, dicit quod dicta conſtitutio intelligit loqui de jure utendi civili & mundano, quod eſt jus proprium, pro quo datur actio in judicio: ſic patet ut dicit, in hac conſtitutione, Ad conditorem, & in conſtitutione, quæ incipit, Quia quorumdam, in qua, ut dicit, hoc manifeſtat aperte, de quo aſſerit ſe inferius dicturum: hoc autem aſſerit obviare ſacræ ſcripturæ, dicenti Mat. XIX. in perſona Apoſtolorum: Ecce nos reliquimus omnia, &c. ex qua, ut dicit, per doctores catholicos patet, quod reliquerunt jus agendi in judicio, quod non ſtat cum tali perfectione ſupererogationis, quæ implicat ad peccatum, ſicut probat Apoſtolus I. ad Cor. VI. dicens: Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quia judicia habetis inter vos; & ideo, ut dicit, Chriſtus injunxit perfectis, ut non litigent, neque contendant in judicio, Matth. V. & Luc. VI. Ad hoc dicimus, quod dicta conſtitutio aperte & expreſſe loquitur de uſu, pro quo competit jus utendi, quod eſt aliud a jure agendi: poteſt enim alicui competere jus utendi, cui tamen non competit jus agendi: quare dicimus, quod imponit conſtitutioni, quod non intellexit, nec dicit. Utrum autem tale jus ſit mundanum & civile, & an pro illo Apoſtolis competierit jus agendi, dicetur inferius in his, quæ opponit iſte hæreticus contra conſtitutionem, Cum inter. Item in hoc quod dicit, quod conſtitutio, Quia quorumdam, continet manifeſte, quod intelligitur de jure civili & mundano, quod eſt proprium, mentitur aperte; immo dicta conſtitutio dicit clare, quod jus utendi communitatis fratrum extitit; cum enim Innocentius & Alexander in ſuis declarationibus regulæ fratrum Minorum dixerint, quod locorum, domorum, & utenſilium & librorum, quæ licet habere ordini, habeat ordo uſum; dicta conſtitutio, Quia quorumdam, volens probare, quod illud de uſu juris intelligi debeat, ſic ſubjungit; Cum enim dicatur in declarationibus ſupradictis, quod ordo uſum rerum habeat permiſſarum, ad uſum juris neceſſe eſt hoc referri. Facta quidem, quæ ſingulorum ſunt, perſonam veram exigunt & requirunt: ordo autem vera perſona non eſt, ſed repræſentata, & imaginaria potius eſt cenſenda; quare quæ facti ſunt, ſibi vere convenire nequeunt, licet ei poſſint congruere, quæ ſunt juris. Ex quibus patet, quod dicta conſtitutio jus utendi non dicit eſſe proprium, ſed toti univerſitati convenire.

Jus utendi non eſt jus agendi.

Impoſuit Michael conſtitutioni Pont. alienum ſenſum.

XLVII. Michaelis delira diſtinctio inter jus utendi & licentiam.

Item dicit hæreticus iſte, quod ſi uſus poſſet ſeparari a jure utendi, uſus a jure utendi ſeparatus non eſſet injuſtus; quia aliud eſt habere jus utendi, & aliud licentiam utendi: & ideo, quamvis uſus abſque omni jure & licentia utendi eſſet illi-

*illicitus, uſus tamen abſque jure utendi, cum licentia tamen utendi, nequaquam illicitus eſſet cenſendus. Secundum hoc iſte hæreticus inter jus & licentiam videtur facere differentiam, ſupponens quod aliquis habeat utendi licentiam ab eo, qui eam poteſt concedere, & quod non habeat jus utendi, quod tamen evidenter eſt falſum: ſi enim aliquis licentiam concedat alicui utendi re ſua uſibili, ita quod licentia teneat, conſtat quod iſte habet jus utendi re illa, cui licentia eſt conceſſa.*

Oſtenditur licentiam ſi juſta ſit, non eſſe ſine jure.

*Hinc eſt, quod licet religioſus in concordia extra ſuum monaſterium electus ſine ſui ſuperioris licentia jus conſentiendi non habet; obtenta tamen licentia, jus habebit conſentiendi, extr. de electione c. Quare ſit li. VI. & c. Si religioſus cum ſimilibus multis. Præterea aut iſte hæreticus dicit, quod iſte, cui utendi re aliqua licentia eſt conceſſa, juſte re illa utitur, aut quod injuſte, aut quod nec juſte re illa utitur nec injuſte. Si dicat, quod injuſte, concordat utique cum conſtitutione prædicta, quæ vult, quod qui ſine jure utitur, utatur injuſte: ſi dicat quod juſte utitur, ſequitur per conſequens, quod & jure, quia quod juſte ſit & jure ſit, extr. de verborum ſignificatione c. Jus dictum eſt XIIII. q. IV. c. Quid dicam. Si dicat autem quod ille, cui eſt licentia utendi conceſſa, nec juſte utatur nec injuſte, hoc eſt falſum:*

Non datur uſus, qui nec juſtus nec injuſtus ſit.

*impoſſibile eſt enim actum humanum individualem indifferentem eſſe, id eſt nec bonum nec malum, nec juſtum nec injuſtum: cum enim actus humanus dicatur qui ex deliberata voluntate procedit, & per conſequens qui fit propter aliquem finem, qui quidem objectum noſcitur voluntatis; oportet, quod ſi finis actus ſit bonus; & ipſe actus ſit bonus; ſi vero finis ſit malus, oportet quod actus ſit malus, quia ſicut Auguſtinus in lib. de moribus eccleſiæ dicit, ſecundum quod finis eſt culpabilis vel laudabilis, ſecundum hoc laudabilia & culpabilia ſunt opera noſtra. Nec obſtat ſi dicatur, quod immo Iſidorus inter juſtum & injuſtum ponere medium fas videtur, dicens, quod ire per agrum alienum fas eſt, jus non eſt: Iſidorus enim diviſerat legem inter divinam & humanam, & impoſuerat nomina iſtis legibus dicens, quod fas lex divina eſt, jus lex humana; unde volens de iis exemplum dare ſubjunxit: Ire per agrum alienum fas eſt, id eſt de jure divino licitum eſt, jus non eſt, id eſt de jure humano non licet, ut patet diſt. I. c. Omnes leges.*

Fas non eſt medium inter juſtum & injuſtum.

*Non ergo voluit Iſidorus inter juſtum & injuſtum fas pro medio ponere, ſed declarare, quod aliquid de jure divino licet, quod de jure humano non licet.*

Nugaces Michaelis argutiæ.

*Adhuc iſte hæreticus dictam conſtitutionem ſatagit impugnare in eo, quod probare intendens, quod ſimplex uſus, id eſt ſine jure utendi a proprietate ſeu dominio ſeparatus in re uſu conſumptibili haberi non poſſit, ſic dicit: Præterea quod ſimplex uſus ſine jure utendi a proprietate ſeu dominio ſeparatus in re uſu conſumptibili haberi nequeat, ſic probatur; ſi enim haberi poſſet uſus talis aut ante ipſum actum, aut in ipſo actu, aut poſt actum completum hujuſmodi haberetur: quod autem hoc fieri nequeat ex hoc patet, quia quod non eſt nequaquam haberi poteſt: patet autem, quod actus ipſe antequam exerceatur, aut etiam dum exercetur, aut poſtquam perfectus eſt in rerum natura non eſt. Ex quo ſequitur, quòd haberi minime poteſt: licet enim ante actum ipſum quis facultatem habeat ipſum exercendi; per hoc tamen actus ipſe in rerum natura niſi in primo non exiſtit: cum autem actus eſt in fieri, nec adhuc eſt in rerum natura, cum eſſe rem perfectam ſignificet, quod quandiu eſt in fieri non poteſt actui convenire: quod enim de actu, qui eſt in fieri, præteriit jam non eſt: quod autem fit inſtantaneum eſt, ſeu momentaneum eſt, & tale, quod magis intellectu percipi poteſt, quam ſenſu. Adhuc poſt completum actum, licet ſi ex ipſo facto producta res aliqua fuerit, res ipſa haberi non valeat; factum tamen ipſum, quod jam tranſiit, non habetur. Hæc verba ipſius conſtitutionis, ex quibus concludere nititur hæreticus ſupradictus, quod prædicta probatio geſta Chriſti & Apoſtolorum deſtruit, quæ ſacra ſcriptura eos feciſſe teſtatur,*

Diſſolvuntur a Joanne.

*ſcilicet quod ſi actus utendi haberi non poſſit, quia in rerum natura non eſt, nec antequam fiat in rerum natura non ſit, nec dum fit, niſi pro inſtanti, nec poſtquam perfectus fuit; per conſequens ſequitur, quod nec aliquid fieri poſſit, cum factum antequam fiat in rerum natura non ſit, nec dum fit, niſi pro inſtanti; nec poſtquam fuerit perfectum. Proculdubio iſta conſequentia eſt falſa, & eſt potius totum contrarium concludendum, videlicet quod ſi actus utendi, quia in rerum natura non eſt, haberi non poteſt, concludi debeat quod, quia factum in rerum natura non eſt, fieri non poſſit: ſicut enim quod non eſt haberi non poteſt, ſic quod eſt factum fieri nequit: unde ſi actus utendi haberi non poſſit, quia in rerum natura non eſt, ſequitur quod non factum, quia in rerum natura non eſt, fieri poſſit. Rurſus dicit iſte hæreticus, quod per rationem prædictam ſequeretur, quod nec uſus rerum uſu conſumptibilium etiam conjunctus cum proprietate ſeu dominio haberi poſſit: quod de uſu facti utique nos fatemur, & idem dicimus de rebus non conſumptibilibus uſu, licet enim illis quis de facto uti valeat, habere tamen nequit in talibus uſum facti, ut ex prædictis patet.*

XLVIII.

*Præterea dicit iſte hæreticus, quod di-*



Aliæ ineptiæ Mich. circa actum conſumptionis.

*cta conſtitutio falſum includit in eo quod dicit, quod ſi in rebus uſu conſumptibilibus poſſit uſus conſtitui vel haberi, nequaquam ſimplex nec ſeparatus a proprietate ſeu dominio uſus hujuſmodi poſſit dici, cum per talem uſum, id eſt utendi actum & in ipſo actu & cum ipſo actu res hujuſmodi conſumatur, in ipſiuſque rei exerceatur ſubſtantia, nec ſine ipſius rei conſumptione eſſe valeat talis uſus: dicit enim quod prædicta conſtitutio intelligit, quod ſtatim & ultimate in actu utendi res hujuſmodi conſumatur, cum manifeſtum ſit, quod veſtes non ſtatim in primo actu utendi ultimate & omnino conſumuntur; ſicut etiam panis non ſtatim in principio actus conſumitur: & ſicut non eſt inconveniens, quod dominus habeat dominium ſervi comedentis, ita non eſt inconveniens, quod dominus habeat dominium cibi vel potus exiſtentium in ore ſervi. Ad quod dicendum, quod iſte hæreticus manifeſte imponit conſtitutioni quod non intellexit*

Reſpondetur uſum perfectum conſumptionem ultimatam tantum inferre.

*nec dixit, videlicet quod in primo actu utendi ultimate & omnino res uſu conſumptibiles conſumantur: ſed intellexit & evidenter expreſſit, quod per uſum perfectum, per quem res dicuntur uſu conſumptibiles, conſumantur: dixit enim, quod per talem uſum, id eſt utendi actum & in ipſo actu res hujuſmodi conſumuntur: poſuit enim copulative utendi actum & in ipſo actu & cum ipſo actu; unde ſatis expreſſit, quod non per ipſius actus principium conſumantur res hujuſmodi, ſed per actum perfectum. Item ſubjunxit, quod actus utendi, in ipſius rei, ſcilicet conſumptibilis uſu, exerceatur ſubſtantia, nec ſine ipſius conſumptione eſſe valeat uſus talis: unde cum dicat, quod ſine rei conſumptione eſſe valeat uſus talis, ſatis evidenter expreſſit, quod de uſu illo, per quem res conſumitur, non de ejus principio intellexit.*

XLIX.
Refellitur conquerens, Michael dimiſſum a Pont. rerum ad Min. ſpectantium dominium.

*Rurſus dictus hæreticus dictam conſtitutionem impugnare nititur in eo quod dicit, quod retentio dominii, quam ſummus Pontifex fecit in rebus, quæ ad fratres Minores obvenerant, vel in poſterum obvenirent dictis fratribus, quantum ad ſtatum perfectionis nequaquam profuit, quantum ad hoc, quod propter carentiam talis dominii ſe pauperiores dicere valeant, quam ſi res illas cum dominio illo, quo carere ſe dicunt, obtinerent,* & infra: *Talis enim carentia dominii re in præſenti & in ſpe in futurum, omni commodo denudati, pauperiorem non efficit non habentem.* Et infra: *Nolentes in poſterum, quod ſub prætextu ſeu pallio talis dominii verbalis, nudi, & ænigmatici fomentum tantis malis, quanta procedunt ex ſimulatione hujuſmodi, miniſtretur, ſancimus, &c. Prædicta verba ſecundum iſtum hæreticum ſacræ ſcripturæ, ac doctrinæ evangelicæ & Apoſtolicæ & ſanctæ matris eccleſiæ obviant & repugnant: nam ex ſcriptura divina ſuperius, ut aſſerit, eſt oſtenſum, quod Apoſtoli & eos ſequentes viri perfecti ex conſilio Chriſti proprietatem & dominium rerum temporalium omnium reliquerunt, uſu rerum neceſſariarum ad vitæ humanæ ſuſtentationem, cui non eſt licitum renuntiare, contenti: conſtat autem ſecundum ipſum, quod dominium, quod Apoſtoli in omnibus rebus temporalibus, quarum uſum habebant, ex Chriſti conſilio reliquerunt, fuit omni temporali commodo, uſu ſcilicet utili denudatum;*

Falſa ejus aſſumptio, quod Apoſtoli dominium rerum, quibus utebantur, non habuerint.

*ſicut manifeſte patet in rebus, quarum proprietatem & dominium, uſu retento, prout evangelica teſtatur hiſtoria, reliquerunt; cum in conſilio a Chriſto dato de rebus temporalibus abdicandis abdicatio proprietatis & dominii earum rerum & non uſus, ut ſuperius oſtenditur, includatur. Si ergo carentia talis dominii ad perfectionem non pertinet, nec pauperiorem efficit non habentem, ſicut dicta conſtitutio dogmatizat; ſequitur quod Chriſtus ſimulatam & falſam doctrinam tribuerit volentibus perfectionem attingere, quod omnia temporalia quoad proprietatem & dominium relinquerent conſulendo; & quod Auguſtinus & Hieronymus doctores eccleſiæ & alii ſancti patres religionum inſtitutores erraverunt, qui dictum Chriſti conſilium ſequi volentes, abdicationem proprietatis & dominii omnium rerum ſunt profeſſi.*

L.
Ejus perfidia in truncandis verbis pontificii decreti.

*Profecto iſte hæreticus, ut prævaricator legis notorie verba conſtitutionis prædictæ truncate recitat, illa quæ ejus defectum manifeſte inſinuant, omittendo: intendit enim probare dicta conſtitutio, quod retentio dominii prædicta, facta per ſummum Pontificem, quantum ad ſtatum perfectionis nequaquam prædictis fratribus profuit: quam probationem omittit dictus hæreticus, quæ talis eſt, ut ex dictæ conſtitutionis tenore manifeſtius liquet. Quod enim, inquit, quantum ad ſtatum perfectionis nequaquam eis profuerit retentio dominii ſupradicta, patet: cum enim perfectio vitæ Chriſtianæ principaliter & eſſentialiter in charitate conſiſtat, quæ ab Apoſtolo vinculum perfectionis dicitur, & quæ unit ſeu jungit aliqualiter hominem ſuo fini,*

Non conſtat perfectio in abdicatione juris vel dominii.

*ad quam per contemptum bonorum temporalium & ipſorum expropriationem via diſponatur, per hoc præcipue quod ſolicitudo, quam ipſa temporalia in acquirendo, conſervando, & diſponendo exigunt, quæ plerumque ab actu charitatis retrahit, amputetur: reſtat, quod ſi ſolicitudo eadem poſt expropriationem hujuſmodi, quæ ante ipſam inerat perſeveret, ad perfectionem hujuſmodi ta-*

*lis*

*lis expropriatio valeat nil conferre. Conſtat autem, quod poſt ordinationem prædictam non fuerunt in acquirendis, aut conſervandis bonis prædictis in judicio, & extra judicium minus ſoliciti, quam ante illam fuerant fratres ipſi: quamquam ſint religioſi mendicantes alii, habentes aliqua in communi. Credimus itaque, quod nullus ſapiens probationem hujuſmodi reprobabit, propter quod ipſam hæreticus non expreſſit. Item intendit probare dicta conſtitutio, quod quantum ad hoc, quod propter carentiam talis dominii ſe pauperiores fratres ipſi dicere valeant, quam ſi res ipſas cum illo, quo carere ſe dicunt dominio obtinerent, non profuit retentio dominii ſupradicta, quod ut ſequitur probat: Licet enim prædeceſſor noſter prædictus dominium illarum rerum, quæ ipſis fratribus offerri, ſeu conferri, aut alias obvenire contingerent, quarum tamen uſum facti habere licet ordini vel fratribus antedictis, uſu ſimplicis facti prædictis fratribus reſervato, in ſe & Rom. eccleſiam recipiendum duxerit, ac libere pertinere decreverit, ut ſuperius eſt expreſſum; attento tamen ipſorum fratrum utendi modo & ejus effectu, & patientia circa modum Romanæ eccleſiæ ſubſecuta, non ipſe uſus fratrum dici debet; ſed potius Romanæ eccleſiæ dominium eſſe ſimplex.*

Qualis uſus Minoritarum in rebus, & quale dominium Pont. circa ipſas.

*Quis enim ſimplicem uſuarium dicere poterit, cui rem uſuariam licet permutare, vendere, aut donare? Proculdubio hæc naturæ repugnant uſuarii, nec ad uſuarium pertinent: quæ tamen de rebus mobilibus antedictis faciunt fratres ipſi. Quod autem dominium Romanæ eccleſiæ reſervatum ſimplex cenſeri debeat, ex hoc patet, quod ex illo nullum eccleſiæ eidem temporale obvenerit hactenus commodum, nec ſperatur quod obvenire debeat in futurum; cum nec intentio reſervantis, nec fratrum ipſorum fuerit, quod ad quemcumque alium, quam ad fratres dictarum rerum perveniret compendium, quod proculdubio modus ipſorum fratrum & Romanæ eccleſiæ ſubſecuta patientia evidenter declaravit. Et quod talis fuerit intentio ordinantis, etiam ex hoc patet, quod illarum rerum ſibi & eccleſiæ Rom. dominium dumtaxat retinuit, quarum uſum facti liceret habere ordini & fratribus antedictis: talis autem dominii carentia re in præſenti & ſpe in futurum, omni commodo denudati quoad paupertatem temporalem, quam altiorem præ mendicantibus aliis, in communi habentibus, ſibi vendicant fratres antedicti, pauperiorem non efficit non habentem.*

Ob illud Pont. dominium non fuere pauperiores Minoritæ.

*Ex prædictis probatum evidenter credimus, quod attento uſu dictorum fratrum rerum, in quibus uſum facti ſimplicem aſſerunt ſe habere, & patientia Apoſtolicæ ſedis, eos pauperiores carentia talis dominii non efficit*

LI.

*Ad hoc autem quod ipſe dicit, quod ex hoc ſequitur, quod Chriſtus ſimulatam & fallacem doctrinam tribuit volentibus ad perfectionem attingere, quod omnia temporalia quoad proprietatem & dominium relinquerent conſulendo; dicimus falſum eſſe, quod conſuluerit Apoſtolis & diſcipulis ſuis ad minus, quod non haberent in communi: & de hoc dicetur latius in objectionibus contra conſtitutionem, Cum inter, per iſtum hæreticum factis. Ad illud autem quod dicit, quod etiam ex prædictis ſequitur, quod Auguſtinus, Hieronymus, & alii ſancti patres religionum inſtitutores erraverunt, qui dictum Chriſtii conſilium ſequi volentes, abdicationem proprietatis & dominii rerum omnium ſunt profeſſi; dicimus quod mentitur aperte, quia nullus eorum, exceptis fratribus Minoribus, abdicarunt a ſe nec ſuis fratribus res quantum ad proprietatem & dominium in communi: immo eis ſecundum ſuas regulas licet, & licuit habere etiam res immobiles in communi.*

Sancti conditores ordinum non excluſere jus & dominium ab alumnis.

*Ad illud autem, quod inducit levitici ultimo, ubi dicitur, quod omnes decimæ terræ ſive de frugibus, ſive de pomis, arborum Domini, ſunt & illi ſanctificantur; & quod numerorum* XVIII. *loquens de perfectione levitarum Dominus dicit: Nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in uſus eorum & neceſſaria ſeparavi. In uſum, inquit iſte hæreticus, non in dominium dixit, profecto per hoc ſe prævaricatorem legis manifeſte oſtendit: in illo enim cap. numeror.* XVIII. *expreſſe dicitur, quod Dominus dedit levitis dominium decimarum: & ad quid daret eis declaravit, dicens, quod in uſus eorum & neceſſaria decimas hujuſmodi ſeparabat; non autem dixit, quod uſu facti levitæ eſſent contenti: multum autem refert utrum res aliqua aliquibus detur in uſum & neceſſaria, an uſus in re aliqua, ſeu rei alicujus alicui concedatur, ſicut plenius & latius eſt ſuperius, ubi induxit eadem capitula, declaratum. Ad id autem quod dicit, quod hoc eſt contra determinationem eccleſiæ factam in cap. Exiit, ſuperius ſæpius eſt reſponſum.*

LII. Objectiones Mich. contra conſt. *Cum inter nonnullos.*

*Rurſus dictus hæreticus conſtitutionem, Cum inter nonnullos, ſatagit impugnare dicens, quod dicta conſtitutio declarat fore cenſendum hæreticum affirmare deinceps dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ejuſque Apoſtolos non habuiſſe aliquid in ſpeciali nec etiam iu communi, & inſuper hæreticum dicit fore cenſendum affirmare Chriſto & ejus Apoſtolis in his, quæ eos habuiſſe ſacra ſcriptura teſtatur, non competiiſſe jus utendi, nec illa vendendi ſeu donandi jus habuiſſe, aut ex ipſis alia acquirendi; dicimus quod hæreticus iſte conſtitutionem imperfecte recitat quantum ad ultimam partem ejus; quia poſt illud verbum: Nequaquam ipſis jus utendi, omittit, ſeu conſumendi, quod immediate ſequitur ibi. Item poſt verbum illud, aut ex ipſis alia acquirendi, omittit quæ ſequuntur, ſcilicet, quæ tamen ipſos de præmiſſis feciſſe ſcriptura ſacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere ſupponit aperte. Unde ut melius ejus fraus & malitia detegatur, textus dictæ conſtitutionis partis ultimæ noſcitur eſſe talis: Rurſus in poſterum pertinaciter affirmare, quod Redemptori noſtro prædicto ejuſque Apoſtolis in his, quæ eos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi ſeu conſumendi competierit, nec illa vendendi ſeu donandi jus habuerint, aut ex ipſis alia acquirendi, quæ tamen ipſos de præmiſſis feciſſe ſcriptura ſacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere, ſupponit aperte; cum talis aſſeveratio ipſorum uſum & geſta evidenter includat in præmiſſis non juſta, quod utique de uſu & geſtis ſeu factis Redemptoris noſtri Dei Filii ſentire nefas eſt, ſcripturæ ſacræ contrarium, ac doctrinæ catholicæ inimicum, aſſeverationem ipſam pertinacem de fratrum eorundem conſilio deinceps erroneam fore cenſendam merito, hæreticamque declaramus, &c.*

Ejus impoſtura, dum fingit de jure civili & mundano Pontificem locutum.

*Dicit ergo hæreticus iſte, quod dicta conſtitutio, cum de habere & competere loquitur, intelligit de habere ſeu competere jure proprietatis ſeu dominii civilis ſeu mundani, per quod contenditur ſeu in judicio litigatur: & quod de tali intellexerit, patet ut dicit, quia dicta conſtitutio evidenter includit, quod Chriſtus & Apoſtoli in his rebus, quas ipſos habuiſſe ſacra ſcriptura teſtatur, jus vendendi & donandi, ſeu alia ex ipſis acquirendi habuerunt; quod jus a jure humano fuiſſe introductum manifeſtum exiſtit. Profecto iſte hæreticus imponit conſtitutioni, quod ipſa non dicit: conſtitutio enim dicit, quod pertinaciter affirmare Chriſtum & Apoſtolos in his, quæ eos habuiſſe ſacra ſcriptura teſtatur, jus ipſis utendi ſeu conſumendi non competierit, vel illa vendendi ſeu donandi jus non habuerint, aut ex ipſis alia acquirendi; quæ tamen ipſos de præmiſſis feciſſe ſcriptura ſacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere ſupponit aperte, hæreticum eſt cenſendum: & tamen licet de jure dominii ſeu propietatis nullam faciat mentionem, ipſe tamen imponit ei, quod intellexerit loqui de jure proprietatis & dominii civilis & mundani, per quod contenditur & in judicio litigatur; & hoc ex eo, quia jus emendi, vendendi, & donandi, quod dicta conſtitutio Chriſtum & Apoſtolos aſſerit habuiſſe, ab humano jure introductum fuiſſe manifeſtum exiſtit: & idem dicta conſtitutio intellexit, quod Chriſtus & Apoſtoli non ſolum in communi, ſed etiam in ſpeciali proprietatem & dominium rerum temporalium habuerunt: quod dictum, ſecundum eum omnem religionem, quæ volens vitam & doctrinam Apoſtolorum ſequi, vovet vivere ſine proprio, deſtruit & confundit, & omnes religioſos facit proprietarios etiam in ſpeciali, & voti ſui per conſequens tranſgreſſores; & doctrinæ evangelicæ & Apoſtolicæ ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ & omnium doctorum eccleſiæ & ſanctorum patrum, inſtitutorum religionum obviat manifeſte. Proculdubio dicta ipſius hæretici poſſent uno verbo repelli, videlicet quod falſum imponit conſtitutioni, imponendo ei quod non dicit, quod ſcilicet intellexerit loqui de jure dominii ſeu proprietatis, cum nulla in ea habeatur mentio de dominio, ut patere poteſt cuilibet intuenti.*

Elicitæ ab eodem fallaces conſequentiæ.

LIII. Aſſertio hæretica Michaelis.

*Sed quia iſte hæreticus pertinaciter aſſerit, Chriſtum & Apoſtolos nullius rei temporalis proprietatem ſeu dominium in communi vel proprio habuiſſe, videndum eſt utrum ejus aſſertio poſſit ſtare: & quia ipſe dicit in præcedentibus, & hic etiam ſupponit, quod dominium proprium a jure humano eſt introductum, primo quæritur quo jure ſit jus proprietatis ſeu dominii ſic introductum. Ad hoc dicit iſte hæreticus, quod a jure humano & civili: ad quod probandum inducit* VIII. *di. c. Quo jure, ubi dicitur quod jure humano dicitur, hæc villa mea eſt, hæc domus mea eſt, & hic ſervus meus eſt. Item inducit dictum Clementis, quod recitatur* XII. *q.* I. *c. Dilectiſſimis, ubi dicitur ſic: Communis uſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus hominibus eſſe debuit: ſed per iniquitatem alius dixit hoc eſſe ſuum, & alius illud, & ſic inter mortales facta eſt diviſio; & intelligit illud quod dicit, per iniquitatem, debere intelligi jus humanum.*

Ejus fundamentum falſum.

*Scriptura ſacra dicit contrarium evidenter, ſcilicet quod immo jure divino, non humano, fuerit dominium introductum: jus enim divinum eſt, quod in ſcripturis divinis habemus, ut legitur* VIII. *di. c. Quo jure in principio; ubi dicitur, quod jus divinum eſt, quod in ſcripturis divinis habemus; humanum vero jus, quod in legibus Regum. In ſcripturis autem divinis habemus, quod antequam leges Regum, immo etiam antequam Reges eſſent, res aliquæ alicujus erant. Ergo jure divino aliquis dicere poterat aliquid ſuum eſſe. Major patet per c. Quo jure, præallegatum. Minor autem probatur etiam pro innocentiæ ſtatu: videtur enim, quod Adam in ſtatu innocentiæ, antequam Eva formaretur, ſolus dominium habuerit rerum temporalium: commune dominium, cum ſolus eſſet, pro illo tempore habere non potuit, cum communio plures requirere dignoſcitur. Et quod dominus fuerit antequam Eva formaretur, eccl.* XVII. *cap. probari videtur expreſſe; ibi enim dicitur*

Jus non peccato, ſed jure divino inductum.

*dicitur ſic: Deus creavit de terra hominem; & ſequitur: Poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & volatilium. Dicit ergo quod dominatus fuerit, ex quo ſequitur, quod dominium habuit: a dominio enim ſecundum Dionyſium de divinis nominibus cap.* XII. *dicitur dominus, dominator, & dominans; ex quo ſequitur, quod ex quo dominatus eſt, quod dominium habuerit. Quod autem tunc formata Eva non eſſet, patet quia ſtatim poſt verba illa, Et dominatus eſt beſtiarum & volatilium; ſequitur: Creavit ex eo, ſcilicet Adam, adjutorium ſimile ſibi, ſcilicet Evam. Ad idem facit illud ſapientiæ* IX. *cap. ubi dicitur ſic: Deus patrum noſtrorum & domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo, & ſapientia tua conſtituiſti hominem, ut dominaretur creaturæ tuæ, quæ a te facta eſt, &c. Et hoc expreſſe dicit Damaſcenus lib.* II. *cap. ſi. ut dictum eſt ſupra. Item quod poſt lapſum primorum parentum ante diluvium, & antequam eſſent Reges, potuerit aliquis dicere, hoc eſt meum, probatur geneſ.* III. *ubi Dominus ad Adam dixit: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Ergo patet, quod Adam tunc potuit dicere panem ſuum; & tamen tunc non erant Reges nec homines alii, niſi ſoli primi parentes. De Abel quoque, qui fuit ſecundogenitus primorum parentum, dicitur geneſ.* IV. *quod Abel obtulit de primogenitis gregis ſui; ex quo patet, quod Abel potuit tunc dicere iſte grex eſt meus. Item quod poſt diluvium ſine jure Regum potuerit dicere aliquis aliquid ſuum, patet: legitur enim geneſ.* IX. *quod Noe vineam plantavit, & vinum productum ex ea bibit: puto quod nullus ſapiens negabit, quin vineæ dominus fuerit & etiam vini, & tamen tunc non legimus Regem aliquem extitiſſe. Item illud geneſ.* XII. *dixit Dominus ad Abraham exiſtentem in terra Chanaam: Semini tuo dabo terram hanc; quod & fecit: conſtat autem, quod illi de ſemine ſuo potuerunt dicere, terra iſta eſt noſtra, & non per jura Regum, quia eam ex collatione Dei habuerunt, non Regum. Item geneſis* XXVI. *cum deſcendiſſet Iſaac in Geraris, dixit Dominus ei: Tibi & ſemini tuo dabo univerſas regiones has; quarum regionum dominium ſemen ejus non ex jure Regum, ſed ex collatione Dei habuerunt. Præterea numerorum* XXXI. *dicitur, quod uniuſcujuſque quod in præda rapuerit, ſuum erit: quod non erat per jura Regum, cum ille populus Iſraeliticus tunc Regem aliquem non haberet, ſed dux ejus Moyſes tantum eſſet. Item numerorum* XXXIII. *Dominus ad Moyſen dixit: Præcipe filiis Iſrael, & dic ad eos: Quando tranſieritis Jordanem, intrantes terram Chanaam, diſpergite cunctos habitatores illius. Ego dedi vobis illam in poſſeſſionem, quam dividatis vobis ſorte; quod & fecerunt, ut legitur Joſue* XIII. *Quilibet ergo iſtorum poſt diviſionem terræ illius illam, quæ ad eum obvenit, potuit dicere ſuam eſſe; & hoc non jure Regum, ſed divino, cum tunc temporis, ut dictum eſt, Regibus non regeretur populus ille. Item numerorum* XXXV. *Dominus ad Moyſem dixit: Præcipe filiis Iſrael, ut dent levitis de poſſeſſionibus ſuis urbes ad habitandum, & ſuburbana per circuitum, ut ipſi in urbibus maneant, & ſuburbana ſint pro pecoribus & jumentis; quod & fecerunt, ut legitur Joſue* XIV. *Ex quibus patet, quod cum Dominus præcepit filiis Iſrael dare levitis de poſſeſſionibus ſuis, quod filii Iſrael antequam darent poſſeſſiones illas, poterant dicere ſuas eſſe, & levitæ poſtquam ſibi fuerunt datæ: & hoc non per jura Regum, cum Reges non haberent; ſed per ordinationem divinam. Ex quibus omnibus patet, quod in ſcripturis ſacris habemus, quod aliquis & in ſtatu innocentiæ & poſt lapſum primorum parentum, & ante diluvium & poſt diluvium, dicere poterat ſine jure Regum aliquid eſſe ſuum: & quod jure divino ſint dominia aliqua, probatur* XXIII. *q.* III. *c.* I.

Probatur ſacris oraculis.

Non jure Regum inductum jus humanum, quod ante Reges erat.

LIV. Confirmatur a jure divino jus humanum manaſſe.

*Adhuc quod nullo jure humano, ſed ſolum divino dominium rerum temporalium potuit dari hominibus, patet; conſtat enim, quod rem aliquam aliquis dare non poteſt niſi cujus eſt, vel alias ejus voluntate: nec dubium quin Deus omnium temporalium vel jure creationis, quia illa de nihilo creaverat, vel jure factionis, quia de ſua materia illa fecerat, dominus eſſet. Ergo nullus Rex de illarum dominio, niſi de voluntate Dei potuit ordinare. Unde patet, quod nec jure naturali primævo, ſi ponatur pro illo jure, quod omnibus animantibus eſt commune; cum illud jus nihil ſtatuat, ſed inclinat, ſeu dirigit ad aliqua omnibus animantibus communia facienda. Nec jure gentium, nec jure Regum, ſeu Imperatorum fuit dominium rerum temporalium introductum; ſed per Deum, qui eſt & erat earum rerum dominus, fuit collatum primis parentibus, ut patet geneſ.* I. *quarum rerum Adam, quandiu ſolus fuit, id eſt antequam Eva formaretur, ſolus ut videtur dominus extitit, ut ſuperius eſt oſtenſum. Verum eſt tamen, quod de jure gentium multi modi acquirendi dominium, & nonnulli per jura civilia, ſeu imperialia fuerunt inducti. Item modus agendi pro iſtis rebus temporalibus in judicio, id eſt circa formam proponendi jus ſuum in judicio fuit per jura civilia introducta.*

Non jus, ſed formulæ juris in judicio inductæ a Regibus.

*Ex prædictis itaque patet, quod non obſtat cap. Quo jure, in contrarium allegatum, loquitur enim de jure agendi in judicio, cujus formulas civile jus & non aliud introduxit. Et hoc voluit dicere Auguſtinus in illo cap. Quo jure, quando dixit: Tolle jura Imperatoris & quis audet dicere, hæc villa mea eſt, meus eſt iſte ſervus, mea eſt iſta domus? Quaſi dicat, nullus poteſt in judicio proponere hoc, niſi per imperatoria jura: quod jus actorum formulas introduxit. Vel poteſt dici, quod Auguſtinus hoc dicebat cum hæreticis diſputando, non quod hoc pro veritate teneret, ſcilicet quod dominium de jure divino non eſſet: & quod ita ſit patet, quia* XXII. *q.* V. II. *c.* I. *ipſe idem Auguſtinus contrarium dixit expreſſe, ubi ſic dicit: Quamvis res quæcumque terrena non recte a quoquam poſſideri poſſit niſi vel jure divino, quo cuncta juſtorum ſunt; vel jure humano, quod in poteſtate eſt Regum terræ, &c. Item non obſtat,* XII. *q.* I. *c. Dilectiſſimis, ubi dicitur ſic: Communis uſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus hominibus eſſe debuit, ſed per iniquitatem alius dixit hoc eſſe ſuum, alius illud; & ſic inter mortales facta eſt diviſio. Et hoc dicit ipſe quia diviſio temporalium eſt facta per jus humanum, quod dicitur iniquum, & contra æquitatem juris naturalis. Dicimus quod hoc eſt factum, quia per iniquitatem non intelligitur jus gentium, cum ſit æquum, ſed intelligitur peccatum primorum parentum, per quod natura corrupta fuit, & poſt non fuit contenta communibus, ſed ſibi propria voluit poſſidere.*

Quo pacto jus humanum dicatur iniquum, vel inductum per iniquitatem.

LV. Quæſtio an Chriſtus alicujus rei temporalis habuerit dominium.

*Secundo quæritur, utrum Chriſtus alicujus rei temporalis dominium habuerit, & quale. Quod autem dominium rerum temporalium habuerit, ſacra ſcriptura tam in teſtamento veteri, quam in novo in multis locis teſtatur. Multi quidem prophetæ eum Regem futurum populi Iſraelitici, & per conſequens habere regni dominium prophetarunt. Iſaias quidem de eo prophetavit Iſaiæ* XXXIII. *ſic dicens: Ecce Dominus legifer noſter, Dominus judex noſter, Dominus Rex noſter, ipſe veniet & ſalvabit nos. Item per os Jeremiæ prophetæ Deus Jer.* XXIII. *ſic dixit: Suſcitabo David germen juſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in terra. Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum Dominus juſtus noſter. Iſte enim eſt lapis abſciſſus de monte ſine manibus, cui Deus cœli dedit regnum, quod in æternum non diſſipabitur, ut habetur Daniel.* II. *Item; Zachar.* IX. *de eodem dicitur ſic: Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & ſalvator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinum, & ſuper pullum filium aſinæ. De hoc David in multis locis prophetavit; unde in quodam loco in perſona ejus ſic dixit: Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus prædicans præceptum ejus. Eumque futurum Regem in multis aliis locis prophetavit. Unde totus ille pſalmus, Eructavit, loquitur de iſto Rege & ſponſa ejus, ſcilicet eccleſia; & alii multi pſalmi loquuntur de Rege hujuſmodi ſatis clare. De hoc etiam Salomon canticorum* III. *ſic dixit: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, &c. De hoc etiam antequam conciperetur, Gabriel archangelus, ut legitur Lucæ* II. *dixit: Dabit ei dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum. Item & eo nato angelus ad paſtores Lucæ* II. *dixit: Natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus dominus; id eſt Rex & dominus. Huic etiam nato illi tres magi Matth.* II. *perhibuerunt teſtimonium, ſic dicentes: Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? Item ille Nathanael verus Iſraelita, in quo dolus non erat, dixit ei Joan.* I. *Tu es filius Dei: tu es Rex Iſrael. Pilatus quoque in ſuperſcriptione crucis ſcripſit: Jeſus Nazarenus Rex Judæorum, quam quidem ſuperſcriptionem non ſine divino inſtinctu, Judæis inſtantibus quod non ſcriberet, Rex Judæorum, ſed quia dixit ſe Regem Judæorum; ipſos audire noluit, ſed reſpondit: Quod ſcripſi, ſcripſi. Hoc etiam Salvator noſter confeſſus fuit Joan.* XVIII. *cum enim Pilatus interrogaret eum, utrum eſſet Rex Judæorum, reſpondit ei: Regnum meum non eſt de hoc mundo; ex quo Pilatus concludens dixit: Ergo Rex es tu? Jeſus reſpondit Regnum meum non eſt hinc; non dixit, non eſt hic, ſed dixit: Non eſt hinc; quaſi diceret, regnum meum a mundo non habeo, ſicut nec habebat, immo a Deo, ſicut angelus ejus genitrici prædixerat, dicens Lucæ* I. *Dabit illi dominus Deus ſedem David patris ejus, &c. Et hoc beatus Petrus Act.* II. *expreſſe teſtatur dicens: Certiſſime ergo ſciat omnis domus Iſrael, quia & dominum & chriſtum fecit Deus hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis; in quibus verbis Petrus ſatis clare concludit duo de Jeſu domino noſtro, videlicet quod regnum ſuum a mundo non habuerit, ſed a Deo, videlicet in eo, quod dicit, quod Jeſum fecit Deus chriſtum, id eſt Regem: per chriſtum enim Regem intelligimus, quia Chriſtus interpretatur unctus; & quia Reges inungi conſueverunt, per chriſtum intelligimus Regem; unde Rabanus ibi: Manifeſte Petrus ex hoc pſalmo regnum Chriſti non terrenum, ſed cœleſte oſtendit eſſe. Item concludit Petrus ex verbis prædictis, quod Chriſtus, in quantum homo ſubſiſtens in divino ſuppoſito, fuerit dominus & Rex factus: conſtat enim, quod in quantum erat Deus crucifixus non fuit, ſed in quantum homo. Et ideo cum dominus & Rex fuerit factus in quantum crucifixus, & cru-*

Probatur ſacris oraculis Regem fuiſſe Iſrael.

Chriſtus regnum ſuum de mundo non habuit, ſed a Deo.

Habuit in quantum homo.

& crucifixus fuerit in quantum homo, ſequitur quod regnum & dominium tanquam homini Deus ſibi conceſſit. Hoc etiam ſupponit angelus loquens, eo nato, paſtoribus dicens: Hodie natus eſt vobis ſalvator, qui eſt Chriſtus dominus, id eſt Rex & dominus: ubi advertendum, quod illud quod Gabriel angelus Chriſto nondum nato dixerat de futuro, dicens Mariæ: Dabit ei Dominus ſedem David patris ejus, &c. angelus iſte eo nato dixit paſtoribus per verba de præſenti dicens: Hodie natus eſt vobis ſalvator, qui eſt Chriſtus dominus. Hoc Auguſtinus libro de concordia evangeliſtarum in proœmio expreſſe teſtatur, dicens: Dominus Jeſus Chriſtus unus verus Rex & unus verus ſacerdos eſt; & paulo poſt dicit ſic: Secundum hominem quippe Chriſtus & Rex & ſacerdos effectus, cui dedit Deus ſedem David patris ſui, & regni ejus non erit finis.

LVI.
Non Iſraelitarum modo, ſed omnium dominus fuit.

Item quod ſalvator fuerit dominus omnium temporalium videtur: de eo enim dicitur Iſaiæ XVI. Emitte agnum Domine dominatorem terræ. Item Micheæ V. de eo dicitur ſic: Et tu Bethleem Effrata, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim egredietur qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio dierum æternitatis. Malachiæ vero III. de eo dicitur ſic: Statim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominus dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. Item Jo. XIII. ipſa veritas dicit: Vos vocatis me magiſter & domine, & bene dicitis, ſum etenim. Item Matth. XXI. dixit diſcipulis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam & pullum cum ea: ſolvite & adducite mihi. Et ſi quis aliquid vobis dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittent eos. Hoc quoque B. Joannes in apoc. XIX. teſtatur dicens. Habet ſcriptum in veſtimento, Rex Regum & dominus dominantium. Hoc etiam Apoſtoli in ſuo ſymbolo confitentur, dicentes: Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum dominum noſtrum. Hoc etiam ſancti Patres in ſymbolo, quod cantatur in miſſa, proteſtantur expreſſe ibi: Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum dominum noſtrum.

Multiplices modi quibus habuit Chriſtus.

Præmiſſa autem, ſcilicet regnum & univerſale dominium habuit Chriſtus in quantum Deus ab æterno eo ipſo, quod Deus Pater genuit eum; & in quantum homo ex tempore, ſcilicet ab inſtanti conceptionis ſuæ ex Dei datione, ut patet ex prædictis: & nihilominus habuit dominium rerum aliquarum temporalium non ab inſtanti ſuæ conceptionis, ſed poſtea ſucceſſive modis aliis, utpote ex collatione fidelium, vel emptione acquiſitas, & quæ ſint illa videamus: nullus autem poteſt de his melius teſtimonium perhibere, quam Apoſtoli & diſcipuli ejus. Videamus ergo quid ſuper hoc ipſi dicant, ſpecialiter a tempore, quo cœpit miracula facere & prædicare. Certe narrant, ipſum aliqua habuiſſe, ſed pauca: habuit itaque veſtimenta; unde legitur Matth. XVII. in transfiguratione ſua veſtimenta ejus facta eſſe alba ſicut nix. Item Joan. XIII. dicitur de eo ſic. Surgit a cœna, & ponit veſtimenta ſua, &c. Item Joan. XIX. in perſona ejus legitur: Partiti ſunt veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem; & ad idem facit Matth. XXVII. Item beatus Joannes Baptiſta videtur ſupponere, quod habuerit calceamenta; legitur enim Matth. III. quod B. Joann. Baptiſta loquens de eo dixit: Cujus non ſum dignus calceamenta ſolvere. Marci I. recitatur ipſum dixiſſe: Cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamenti ejus. Joannis vero I. recitatur dixiſſe: Cujus non ſum dignus, ut ſolvam corrigiam calceamenti. Item Joannes ſupponit, ipſum loculos habuiſſe, in quibus Judas quæ mittebantur portabat; unde Jo. XIII. cum dixiſſet Judæ Jeſus: Quod facis, fac citius; quidam putaverunt, quia loculos habebat Judas, quod dixiſſet ei Jeſus: Eme ea, quæ nobis opus ſunt ad diem feſtum; aut ut egenis aliquid daret. Et quod loculi eſſent Jeſu, patet per Auguſtinum dicentem; Habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, aliiſque indigentibus tribuebat, ut habetur XII. q. I. c. Habebat, & patet per id, quod in ejus perſona propheta dixit: Qui manducat meum panem, levabit calcaneum ſuum contra me; & recitatur Jo. XIII. Quod autem vinum interdum habuerit patet, quod ad minus in cœna illa habuit, in qua Euchariſtiæ inſtituit ſacramentum, de quo habetur Mat. XXVI. Marc. XIV. & Luc. XXII. Iſte ergo hæreticus dicendo, Jeſum Chriſtum dominum noſtrum non habuiſſe dominium aliquod temporalium, ſcripturis prædictis veteris & novi teſtamenti contradicit expreſſe. Et ſi velit dicere, quod illi regno & dominio renuntiavit expreſſe, oſtendat illud, ſi ſciat; quod tamen, ut credimus per ſacram ſcripturam non poterit; immo contrarium ſacra ſcriptura ſupponit expreſſe, quæ ſupponit eum non longe a paſſione ſua dixiſſe: Vos vocatis me magiſter & domine, & bene dicitis, ſum etenim. Item illud Matth. XXI. ubi Dominus duobus diſcipulis dixit: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam & pullum cum ea: ſolvite & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet. Item tempore paſſionis ſe Regem recognovit, ut probatum eſt ſupra. Item David in perſona ejus legitur dixiſſe etiam pro tempore paſſionis: Diviſerunt ſibi veſti-

Omnium dominium habuit, ſed paucorum quantum ad uſum.

Figmentum eſt, Chriſtum renuntiaſſe dominio rerum, quas habuit.



menta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem: & recitatur Matth. XXVII. Ex quibus evidenter apparet, ipſum regno & dominio non renunciaſſe prædictis: immo videtur, quod nec potuerit renunciare, & ſi feciſſet, contra ordinationem Patris feciſſet; dicitur enim Danielis II. ubi de ejus regno fit mentio, ſic: Suſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur: & regnum ejus alteri non tradetur. Item Danielis VII. dicitur ſic: Dedit ei poteſtatem & honorem & regnum & omnes populi, tribus, & linguæ ſervient ei: poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur; & regnum ejus quod non corrumpetur.

Danielis de Chriſti regno inſigne teſtimonium.

LVII.
Objectio Michaelis falſa.

Sed dicit iſte hæreticus, quod hoc eſt contra ſacram ſcripturam, quæ in pleriſque locis dicit, Chriſtum fuiſſe pauperem & egenum. Ad quod dicendum, quod dici non debet eſſe contra ſacram ſcripturam, quod in tot locis ſcriptura ſacra teſtatur aperte: ſed & contra merito poteſt dici, quod dicere contrarium, eſt contra ſacram ſcripturam, & mendaces reddere tot prophetas, angelum, & Apoſtolos, ac ipſum Dominum noſtrum; qui tamen veritas eſt & vita. Ad illud autem, quod dicitur, quod ſcriptura eum fuiſſe pauperem & egenum in pluribus teſtatur; eſt dicendum, quod non carentia dominii fecit eum pauperem & egenum, ſed potius carentia perceptionis fructus & obventionis rerum, quarum dominus erat: nudum enim dominium ſeparatum in perpetuum ab omni perceptione commodi rei, habentem non facit divitem, cum ſit inutile reputandum; unde habens tale dominium poteſt egenus & pauper merito reputari, quod patet ad ſenſum: ſi enim Rex Franciæ, non renuntiando regno, ſe abſentaret a regno, & poſt lapſum alicujus temporis incognitus rediret ad illud, ſi ſe pro Rege non gereret, nec aliqua emolumenta perciperet dicti regni, ſed in domo regia reciperet ut unus alius ex gratia neceſſaria vitæ ſuæ, talis utique licet Rex eſſet & dominus, poſſet mendicus & pauper merito reputari. Hinc eſt, quod Apoſtolus ad Galatas IV. dicit, quod heres, quamdiu eſt parvulus, non differt a ſervo, cum tamen ſit omnium dominus: ſic Chriſtus Rex Regum, & dominus dominantium, quoad perceptionem fructuum regni & rerum temporalium, niſi in valde paucis, pro Rege vel domino ſe non geſſit: propter quod merito pauper dici potuit voluntarius & egenus; non propter dominii carentiam ſive regni, ſed propterea quia ſe eorum fructibus & proventibus non juvabat.

Chriſtus non carentia dominii pauper fuit, ſed quia dominio non eſt uſus.

Confirmatur exemplo inſigni.

LVIII.
An Apoſtoli aliquod rerum dominium habuerint.

Nunc autem de Apoſtolis eſt videndum utrum habuerint dominium aliquorum temporalium in proprio vel in communi. In quæſtione iſta videtur diſtinguendum inter tempus, quo Apoſtoli fuerunt cum Redemptore noſtro dum viveret, & tempus poſt ejus mortem. Si quæratur utrum tempore, quo cum Redemptore noſtro fuerunt, habuerint aliqua; videtur adhuc diſtinguendum inter tempus antequam ad prædicandum mitterentur, & tempus miſſionis, & quo in prædicatione fuerunt, & tempus poſtquam ſunt a prædicatione reverſi. Si conſideretur primum tempus, videlicet tempus antequam ad prædicandum mitterentur, non videtur quod eis habere aliqua, præſertim ad vitæ ſuſtentationem pertinentia, fuerint interdicta: quod apparet ex forma vocationis eorum, cum enim ad diſcipulatum vocati fuerunt, forma vocationis Petri & Andreæ, ut patet Matth. IV. fuit hæc: Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum; & ſequitur: At illi, relictis retibus, continuo ſecuti ſunt eum. De Jacobo autem & Joanne in eodem cap. non dicitur aliud, niſi quod vocavit eos, & ſequitur: Illi autem ſtatim, relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum. Forma autem Matthæi fuit hæc: Sequere me; & ſequitur quod relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum. Forma autem vocationis Philippi noſcitur fuiſſe talis: Sequere me; ut habetur Joann. I. Ex forma autem vocationum prædictorum, nec ex his, quæ ipſi feciſſe tunc leguntur, non apparet quod ipſi renuntiaverint omnibus bonis ſuis. De Petro autem & Andrea non legitur, quod tunc reliquerint, niſi retia ſua; & tamen legitur Marc. I. & Matt. VIII. quod poſt prædicta Jeſus exiens de ſynagoga, venit in domum Simonis & Andreæ cum Jacobo & Joanne, ubi curavit ſocrum Petri de febre. De Jacobo autem & Joanne non legitur, quod tunc reliquerint niſi retia & patrem, quæ quidem retia videntur fuiſſe patris, qui vivebat, potius quam ipſorum. De Philippo autem non legitur, quod tunc reliquerit aliquid. De Matthæo autem legitur, quod relictis omnibus ſecutus eſt eum; & tamen ſtatim ſequitur poſtquam dictum eſt, quod reliquit omnia & ſecutus eſt eum, quod fecit ſibi Levi, id eſt Matthæus magnum convivium in domo ſua: ergo per illam generalitatem non deſierat domus illa eſſe ſua. Præterea cum Jeſus miſit duodecim, quos & Apoſtolos vocaverat, legimus eis interdixiſſe aliqua, videlicet ut non poſſiderent aurum, neque argentum, neque æs in zonis ſuis, & nonnulla alia: ex quibus patet, quod ante miſſionem illa eis interdicta non erant, alias fruſtra in miſſione fuiſſent eis talia interdicta, ut patet Matth. X. & Marc. III. & Luc. IX. eodem modo LXX. diſcipulis, dum eos miſit, aliqua interdixit, ut patet Luc. X. ex quo ſequitur, quod ante illa non fuerant ipſis interdicta.

Diſtinguuntur varia eorum tempora.

Probatur eos habuiſſe ante miſſionem ad populos.

De diſcipulis autem conſtat, quod aliqui habuerunt multa. De Joſeph ab Arima- LIX.

*Probatur diſcipulos habuiſſe aliquarum rerum dominium.*

mathia legitur Jo. XIX. quod erat diſcipulus Jeſu: Matth. autem XXVII. dicitur, quod erat dives homo & diſcipulus Jeſu. Item conſtat quod Simon leproſus erat diſcipulus Jeſu: & tamen legitur Matth. XXVI. quod Jeſus in Bethania erat in domo ejus. Item Lazarus, Martha, & Maria Magdalena, qui erant ejus diſcipuli, erant multa bona habentes; unde legitur de eis Jo. XI. quod caſtrum dictum Bethania erat Mariæ Magdalenæ & Marthæ, & quod in Bethania fecerunt ei cœnam magnam, in qua Martha miniſtrabat, Lazarus autem erat unus de diſcumbentibus cum Jeſu: Maria vero accepta libra unguenti nardi piſtici pretioſi unxit pedes Jeſu, & exterſit capillis ſuis pedes ejus. De Tabitha quoque, quæ interpretatur Dorchas, quam Petrus ſuſcitavit a mortuis, ut legitur Act. IX. quod erat diſcipula & plena operibus bonis & eleemoſynis, quas faciebat; & quod omnes viduæ flentes oſtenderunt Petro tunicas & veſtes, quas faciebat eis Dorchas: ex quibus patet, quod & iſta, non obſtante diſcipulatu, temporalia habebat, de quibus faciebat eleemoſynas prædictas. Nec reperimus, quod Jeſus dominus noſter aliam legem vivendi diſcipulis dederit, & aliam Apoſtolis ſuis: immo B. Clemens in quadam epiſtola ſua, cujus pars recitatur XII. q. I. c. Dilectiſſimis, expreſſe ſupponit, quod eadem erat Apoſtolorum & diſcipulorum vita, dicens: Communis vita omnibus eſt neceſſaria, & maxime iis, qui vitam Apoſtolorum & diſcipulorum imitari volunt. Item nec cum ipſos Apoſtolos ex diſcipulis fecit, videtur eis indixiſſe aliam vitam, quam prius habuerunt, ſed poteſt item eis aliquam tribuiſſe; unde cum eos Apoſtolos ordinavit, legitur Matth. X. ſic dixiſſe: Et convocatis duodecim Apoſtolis ſuis dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.

LX. *An fuerit præceptum Apoſtolis, ne haberent miſſionis tempore.*

Si vero conſideretur tempus, quo miſſi fuerunt ad prædicandum, videtur quod illo tempore aliqua fuerint eis habere interdicta, legitur enim Matth. X. quod illos duodecim Apoſtolos miſit, præcipiens & dicens: Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Matth. vero VI. legitur ſic dixiſſe: Et vocavit duodecim & cœpit eos mittere binos, & præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zona æs; ſed calceatos ſandaliis, & ne induerent duabus tunicis. Luc. vero IX. legitur ſic dixiſſe: Miſit illos, ſcilicet duodecim Apoſtolos, prædicare regnum Dei & ſanare infirmos, & ait ad illos: Nihil tuleritis in via: neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Ex quibus videtur, quod pro tempore viæ prædictæ tantum prædicta eis fuerint interdicta. Auguſtinus tamen dicit expreſſe in libro de concordia evangeliſtarum, quod illud non fuit præceptum, ſed poteſtas data recipiendi neceſſaria ab iis, quibus evangelium prædicabant, quam ſervare Apoſtolis licuit, vel etiam non ſervare: alias autem Apoſtolus Paulus tranſgreſſor præcepti hujuſmodi extitiſſet, quia plerumque ab illis, quibus prædicabat non recipiebat neceſſaria; ſed illa vel recipiebat ab aliis, vel ea ſuis manibus acquirebat, ſicut patet I. ad Corinth. IX. & ad Philippen. IV. I. ad Theſſalonicen. I. & actor. XX. ubi dicitur: Argentum autem & aurum, aut veſtes nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis; quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & iis, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ: Præterea quod illud præceptum fuerit temporale, ſatis innuitur: Luc. XXII. ubi Dominus Apoſtolis dixit: Quando miſi vos ſine ſacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Præterea diſcipulis * LXX. quando miſit eos, dixit: Nolite portare ſacculum, in quo pecunia conſuevit portari, neque peram, in qua conſueverunt alimenta portari, neque calceamenta; & tamen de illis certum eſt, quod multi ex diſcipulis erant multa bona habentes, ut patet ex prædictis.

*Senſit Auguſtinus, non fuiſſe præceptum, ſed licentiam accipiendi neceſſaria.*

*Item præceptum illud fuit temporale.*

* LXXII.

LXI.

Si autem conſideretur tempus poſt reverſionem, tunc videtur quod eis licuerit habere præmiſſa in communi ſaltem; habuerunt enim Apoſtoli, poſtquam fuerunt reverſi de prædicatione, panes & piſces, ut patet in miraculis panum & piſcium, quæ facta fuerunt poſtquam de prædicatione ad Jeſum redierunt, ut patet Marc. VI. ubi de Apoſtolis poſtquam a prædicatione redierant, dicitur ſic: Et convenientes Apoſtoli ad Jeſum, renunciaverunt ei omnia, quæ egerant & docuerant, ſcilicet in prædicatione. Ecce quod de prædicatione, ad quam miſſi fuerant, reverſi erant & rationem Domino reddiderant de ea; & poſt, eodem cap. ſequitur miraculum quinque panum & duorum piſcium, ubi Apoſtoli, cum Dominus dixiſſet eis, quod darent turbæ manducare, dixerunt: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. Illi dixerunt, non ſunt nobis pluſquam quinque panes, &c. Luc. vero IX. dicitur ſic: Et reverſi Apoſtoli narraverunt illi quæcumque fecerant; & poſt ſequitur eodem cap. miraculum prædictum quinque panum, ubi dicitur, quod cum Dominus Apoſtolis dixiſſet: Vos date illis manducare; illi dixerunt: Non ſunt nobis plus quam quinque panes & duo piſces; niſi forte nos eamus & emamus in omnem hanc turbam eſcas. Ex

*Probatur ex hiſtoria evangelica.*



Ex quibus patet, quod poſtquam reverſi ſunt a prædicatione Apoſtoli, habuerunt panes, piſces, & pecuniam, de qua tantæ turbæ, quanta erat ibi, poterant emere cibos.

Item quod poſtquam redierunt a prædicatione habuerint pecuniam, patet: nam legitur Jo. IV. quod Jeſu ſedente ſuper fontem Jacob, diſcipuli ejus abierunt in civitatem, ut cibos emerent: ſicque patet, quod pecuniam habebant, cum emptio mediante pecunia fiat: deuteronomii II. cap. & tamen tunc temporis Apoſtoli de prædicatione fuerant, ut videtur, reverſi, cum in cap. præallegato Jeſus diſcipulis dixerit: Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis. Supponit quoque evidenter ſcriptura evangelica, ipſos poſt reverſionem prædictam, ſacculos, in quibus portabatur pecunia, & plures tunicas habuiſſe; legitur enim Luc. XXII. dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Apoſtolis dixiſſe: Qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: & qui non habet gladium, vendat tunicam ſuam, & emat gladium; & ſequitur, quod Apoſtoli dixerunt ei: Domine ecce gladii duo hic. Ex quo patet, quod duos gladios habebant. Petrus quoque legitur Joan. XVIII. gladium habuiſſe, ubi dicitur, quod Simon Petrus habens gladium eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſervum cui Dominus dixit: Mitte gladium tuum in vaginam.

LXII. *An habuerint poſt Chriſti paſſionem.*

Si autem quæratur de tempore poſt mortem Chriſti; videtur adhuc diſtinguendum inter tempus ante miſſionem Spiritus ſancti, & tempus poſt miſſionem ipſius. Si quæratur de tempore ante miſſionem Spiritus ſancti, non legitur quod quoad præmiſſa circa eos aliquid fuerit immutatum; ſed quod juxta præceptum Domini, dicentis Luc. ultimo: Vos autem ſedete in civitate, quoaduſque induamini virtute ex alto; expectaverunt in civitate adventum Spiritus ſancti. Si autem quæratur de tempore poſt miſſionem Spiritus ſancti, videtur adhuc diſtinguendum inter illos, qui ex Judæis converſi fuerunt in primitiva eccleſia Jeroſolymitana, & inter gentiles. Quoad converſos ex Judæis, videtur quod Apoſtoli & diſcipuli Chriſti ex una parte, & illi qui poſtea ad prædicationem Petri & miracula ſunt converſi omnia, quæ habebant, ſibi invicem communicaverunt; ita quod nullus ipſorum proprium ſibi retinuerit, ſed communia fuerunt effecta: & intellige, quod quoad dominium illa fuerunt communicata, ut probatur actor. II. & IV. ut ſuperius eſt oſtenſum. Et quia iſte hæreticus dicit, quod illa communio intelligitur de turba diſcipulorum, inter quos erant omnia communia quæ habebant; non de Apoſtolis, quia nihil habebant in temporalibus nec in proprio nec in communi, niſi tantum in rebus uſu comſumptibilibus ſimplicem facti uſum; dicimus quod hoc dicendo, Apoſtolos a credentium numero evidenter excludit: dicitur enim actor. II. quod omnes, qui credebant, erant pariter & habebant omnia communia: ſi ergo omnibus credentibus erant omnia communia, ſequitur quod ſi Apoſtolis non erant communia, quod credentes non erant, quod eſt falſum: immo ſicut ipſi inter credentes principaliores erant, ſic eis omnia communia principaliter exiſtebant: unde ſicut principalioribus pecuniæ agrorum & domorum venditorum ante pedes Apoſtolorum ponebantur, ut legitur actor. IV. & hoc expreſſe probatur per epiſtolam Clementis recitatam pro parte XII. q. I. c. Dilectiſſimis, in qua B. Clemens, ſcribens condiſcipulis ſuis, Jeroſolymis habitantibus cum B. Jacobo epiſcopo Hieroſolymitano, ſic dicit: Apoſtoli eorumque diſcipuli una nobiſcum & vobiſcum communem vitam duxerunt: ut enim bene noſtis, erat multitudinis cor eorum unum, & anima una: nec quiſquam eorum aut noſtrum de iis, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed omnia nobiſcum erant communia; unde ſatis clare moſtratur, quod Apoſtoli & eorum diſcipuli illa, quæ habebant cnmmunicaverunt Judæis Jeroſolymitanis converſis, & e contra, unde Hieronymus ibi: Talem fuiſſe eccleſiam credentium primo in Chriſtum, qualem nunc monachi etiam imitantur & cupiunt, ut nil cuiquam ſit proprium, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonium dividatur, orationi vacetur & pſalmis, doctrinæ quoque & continentiæ inſiſtatur; Lucas manifeſte refert cum dicit: quotquot erant poſſeſſores agrorum aut domorum, &c. Expreſſe quoque innuit & ſupponit, quod ante illam communionem habere potuerunt Apoſtoli & diſcipuli eorum aliqua in proprio & in communi.

*Probatur habuiſſe in communi inter Judæos.*

Quantum autem ad converſos ex gentibus non videtur, quod ipſi invicem & aliis credentibus communicaverint ſua: immo videtur, quod ipſa retinuerint ſibi propria ſicut prius, ut probatur de Corinthiis I. ad Corinthios c. ſi. in principio ubi dicitur ſic: De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi in eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam ſabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe reponat recondens quod ei placuerit. Item ad Philippenſes IV. Apoſtolus Philippenſibus ſic dixit: Scitis autem & vos Philippenſes: quod in principio evangelii, quando profectus ſum a Macedonia, nulla mihi eccleſia communicavit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli: quia & Theſſalonicam ſemel & bis in uſum mihi miſiſtis; ſequitur: Repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis odorem ſuavitatis. Item actor. XI. legitur, quod cum Agabus pro-

*Converſi ex gentibus ſuarum rerum dominium retinuere.*

*propheta in Antiochia in præſentia Barnabæ & Sauli ſignificaſſet per ſpiritum famem futuram magnam in univerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio; diſcipuli, prout quiſque habebat, propoſuerunt ſinguli miniſtrum mittere habitantibus in Judæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Sauli. Et hoc eſt, quod Auguſtinus* III. *de doctrina Chriſtiana dicit expreſſe, ſic dicens: Tam extiterunt capaces Spiritus ſancti qui primo ex Judæis crediderunt, ex quibus facta eſt prima eccleſia Jeroſolymitana, ut omnia ſua venderent, eorumque pretium indigentibus diſtribuenda ante pedes Apoſtolorum ponerent, ſeque totos dedicarent Deo, tanquam centuplum novum, in orationibus & fractione panis ſpiritualis & corporalis, qui prius veteri templo ſerviebant: quod nullas eccleſias gentium feciſſe ſcriptum eſt, qui non tam prope erant, qui ſimulacra manu facta deos habebant: ex quo intelligimus, magnam utilitatem fuiſſe Judæos ſub lege tanquam ſub pædagoga cuſtoditos, ut ſigna quæ temporaliter eis carnaliter ſervientibus erant impoſita unius Dei cultum, qui fecit cœlum & terram, opinione obſervatum religarent.*

Fideles Judæi præ omnibus ferventiſſimi.

LXIII. An licuerit Apoſtolis litigare.

*Tertio videndum eſt, utrum pro rebus, quas habuerunt Apoſtoli, licet non legantur litigaſſe pro ipſis, eis licuerit litigare. Et quod non licuerit dicit hæreticus iſte, ad quod probandum inducit Matt.* XIX. *ubi Petrus pro ſe & aliis Apoſtolis Domino dixit: Ecce nos reliquimus omnia, &c. ex quo patet ſecundum catholicos doctores, ut dicit, quod Apoſtoli reliquerunt jus agendi in judicio, quod non ſtat cum tali perfectione ſupererogationis, quæ implicat ad peccatum, ſicut probat, ſecundum eum, Apoſtolus* I. *ad Cor.* VI. *dicens: Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos; & ideo Chriſtus, ut dicit, injunxit perfectis, ut non litigarent in judicio Matth.* V. *& Luc.* VI. *dicens, quod illa tantum intelliguntur perfectis injuncta: & ſimiliter illud Apoſtoli* I. *ad Cor.* VI. *In quibus iſte hæreticus mentitur aperte, quia quod in evangeliis prædictis dicitur, non poteſt intelligi de perfectis, prout ipſe ſumit perfectos: illos enim ſolos perfectos aſſerit, qui a ſe temporalium omnium proprietatem abdicarunt, & dominium ſibi dumtaxat retento ſimplici uſu facti; conſtat autem quod illa verba: Et qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, poſita Matth.* VI. *& Luc.* V. *intelliguntur de iis, qui in proprio temporalia obtinebant: loquitur enim Dominus illi qui tunicam habebat & pallium, dicit enim: Qui voluerit tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; ſicque patet, quod tunicam habebat & pallium is, cui loquebatur. Præterea illi ſtatim, cui prædicta injunxerat, ſic præcepit ibidem: Qui petit a te, da ei; & volenti mutuare a te, ne avertaris. Ex quibus etiam patet, quod habentibus temporalia hactenus eſt locutus, cum dixerit, quod det ei, qui a ſe petit: quod non poſſet facere, cum dare ſit accipientis facere, niſi dominium etiam quoad temporalia obtineret: nec mutuare poſſet, niſi ejus, quod mutuaret eſſet dominus, cum in mutuo a mutuante in eum, qui mutuum recepit, rei mutuatæ ſit dominium transferendum. Item ipſe intelligit Apoſtolis datum prædictum fuiſſe mandatum, quod eſt falſum: tempore enim illius ſermonis in monte facti, in quo injuncta ſunt prædicta, nullus adhuc erat Apoſtolus, ut patet, quia ſermo ille recitatur Matth.* V. *& Apoſtoli fuerunt facti poſt, ut patet Matth.* X. *Unde dici non poteſt, niſi mendaciter, quod illa præcepta, contenta in illo ſermone Domini in monte, ſolis Apoſtolis facta fuerint, cum nondum eſſent Apoſtoli.*

Perfectorum definitio male ſumpta a Michaele.

LXIV.

*Item attendat iſte hæreticus, quod Dominus præcepit Matth.* XVIII. *diſcipulis ſuis dicens: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum; & ſequitur: Si autem te non audierit, dic eccleſiæ: ſi autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Voluit ergo Salvator noſter, quod ejus diſcipuli, inter quos erat Petrus, ut patet, quia ſtatim ſequitur ibi: Tunc accedens ad eum Petrus, &c. conquererentur eccleſiæ de injuriantibus ſibi. Et quod verba prædicta Matth.* V. *non ſolum perfectis, ſed generaliter intelligantur omnibus eſſe data, ex eo patet, quod illa verba ſunt dicta in illo magno ſermone Domini in monte, quod continetur Matt.* V. VI. *&* VII. *cap. in fine autem* VII. *cap. Dominus concludens, ſic dixit: Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & faciet ea, aſſimilabitur viro prudenti, qui ædificavit domum ſuam ſuper petram, &c. & ſequitur quod omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam, &c. Cum ergo non dixerit omnis qui audit verba mea, ſed dixerit: Verba mea hæc, & facit, ea aſſimilabitur viro prudenti, &c. qui vero audit & non facit, ſimilis erit viro ſtulto; apparet, quod non ſolum perfectis ſunt dicta verba prædicta, ſed & imperfectis, cum omnibus illa ſervantibus promittatur præmium, & omnibus non ſervantibus pœna. Pro hoc etiam facit quod Chriſtus Apoſtolis Matthæi ultimo dixit: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. Ex quibus clare etiam patet, quod mandata data diſcipulis, ſicut illa fuerunt*

*runt*



*runt data cum nondum eſſent Apoſtoli, ut patet ex prædictis, intelliguntur omnibus data. Et hoc tenet Auguſtinus in lib. de ſermone Domini in monte. Item idem Apoſt.* I. *ad Cor.* VI. *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quia judicia habetis inter vos. Quare non magis accipitis? Quare non magis patimini fraudem? Sed vos injuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus; non intelligitur dictum talibus perſonis, de quibus loquitur iſte hæreticus, ſcilicet qui a ſe dominium omnium temporalium abdicaverunt, contenti ſolo ſimplici uſu facti: loquebatur enim Apoſtolus Corinthiis converſis ad fidem, qui quidem non renuntiaverunt bonis ſuis, nec ad invicem communicaverunt ſibi, ut patet* I. *ad Cor. ultimo in principio, ubi Apoſtolus hortatur eos, ut collectas inter ſe facerent, deferendas Jeruſalem ſanctis, ſic dicens: De collectis, quæ fiunt in ſanctis, ſicut ordinavi in eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam ſabbati unuſquiſque autem veſtrum apud ſe reponat, recondens quod ei placuerit. Hæc autem non facerent, ſi nihil haberent, & patet ſicut in articulo proximo latius continetur. Auguſtinus quoque dixit, quod non legitur, quod converſi ad fidem ex gentibus communicaverint ſua. Quare patet, quod dictum Apoſtoli nihil pro ipſo hæretico facit, quia non loquitur de perfectis, ſicut ipſe perfectos accipit, ſcilicet qui abdicaverunt omnium temporalium dominium, ſolo ſimplici uſu facti contenti: ſed loquitur de omnibus Corinthiis ad fidem converſis, qui dominium temporale retinuerunt ſibi. Sane ſecundum hoc videtur, quod fidelibus non liceat litigare ſine peccato, quod eſſet nimis durum.*

Pauli textus ab eodem in alienum ſenſum detortus.

Licet fidelibus litigare.

LXV.

*Et ideo eſt dicendum, quod præceptu illa Matth.* V. *data: Si quis te percuſſerit in unam maxillam, præbe ei & alteram: & qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum eo alia duo; ſecundum quod dicit Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte: Non ſunt ſemper ſervanda in executione operis, ſed ſemper in præparatione animi ſunt habenda; ſcilicet ut ſemper ſimus parati hoc facere & ſuſtinere, quando charitas hoc requireret: & recitatur* XXIII. *q.* I. *cap. Paratus. Et propter hoc Apoſtolus non ſimpliciter dixit* I. *ad Corinthios* VI. *quare non injuriam accipitis; ſed dixit: Quare non magis injuriam accipitis. Et quod hoc eis ſimpliciter non interdixerit, ex eo apparet, quia in præcedenti cap. ſcilicet* I. *ad Corinth.* VI. *Apoſtolus reprehenderat Corinthios, quia erant negligentes in judicio faciendo, dicens eis: Nonne de his, quæ intus ſunt judicatis? Item in præallegato cap.* I. *ad Cor.* VI. *Apoſtolus Corinthios reprehenderat, quia coram infidelibus litigabant, & judicium ſubibant, dicens: Audet, id eſt præſumit, aliquis veſtrum, habens negotium adverſus alterum judicare, id eſt judicium ſubire, apud iniquos, & non apud ſanctos; id eſt fideles. Item oſtendebat, quod hoc ad fideles pertinebat, dicens: Et ſi in vobis, id eſt per vos, judicabitur mundus, id eſt mundani, indigni eſtis qui de minimis, ſcilicet temporalibus, judicetis, quaſi dicat, quia qui majoribus, multo fortius minoribus eſt dignus. Et ſequitur: Sæcularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in eccleſia, illos conſtituite ad judicandum. Hoc autem dicebat ſibi ironice, unde ſubdit: Ad verecundiam veſtram dico; ſubaudi, quia curritis ad judicia infidelium. Non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem & fratrem ſuum? Sed frater cum fratre in judicio contendit: & hoc apud infideles? Deinde reprehendit eos, quia injuſte & fraudulenter fratres ſuos ad judicium trahebant, dicens: Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quia judicia habetis inter vos; ſcilicet fraudulenta & injurioſa, unde ſequitur: Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. Et quod de talibus, qui fraudulenter trahebant fratres ad judicium Apoſtolus intellexerit; patet quia ſtatim ſubjunxit: An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? eos agere inique ſupponens: unde patet quod Apoſtolus non interdixit ſimpliciter Corinthiis converſis ad fidem litigare; immo quod eis liceret, ex multis, ut patet ex prædictis, oſtendit, & ideo ſubjungit: Omnia mihi licent; glo. omnia mea licet repetere mihi. Nec per ſacram ſcripturam patet, quod Chriſtus, ſeu Apoſtoli ſecundum intellectum hiſtoricum ſemper ſervaverint præcepta prædicta: de Chriſto enim domino noſtro legitur Jo.* XIII. *quod cum unus ex miniſtris Pontificis dediſſet ei alapam, non ſibi præbuit aliam, ſed dixit ei: Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, cur me cædis? Item de B. Paulo legitur actor.* XXII. *quod cum tribunus juſſiſſet eum flagellis cædi & torqueri, & eum aſtrinxiſſet loris, dixit aſtanti concioni Paulus: Hominem Romanum indemnatum licet vobis cædere? Quo audito tortus non fuit. Item act.* XXIII. *cum princeps ſacerdotum præcepiſſet percuti os Pauli, Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu ſedens judicans me ſecundum legem, & contra legem jubes me percuti? Item eodem capite legitur, quod Paulus, cum audiſſet a filio ſororis ſuæ, quod plures ex Judæis devoverant; ſe non manducaturos neque bibituros, donec occiderent ipſum; miſit nepotem ſuum ad tribunum ad nunciandum*

Vera interpretatio aliquorum textuum difficilium.

Oſtenditur ex Apoſtolo non vetita litigia quæ fraude non fiant.

Agere judicio cum ſanctitate non pugnat.

*ſibi*

ſibi prædicta, & ſic evaſit, ut legitur XXIII. q. III. cap. Maximus. Item cum Jeroſolymis in manus Romanorum traditus fuiſſet, & Judæis contradicentibus ipſum non expedirent, ad Cæſarem appellavit, ut legitur actor. ult. Ex quibus ſatis liquet, quod non fuit intentio Salvatoris noſtri prohibere fideles ſe defendere in judicio & res ſuas; niſi quando hoc charitas ſuaderet: quare patet, quod prædictus hæreticus ut prævaricator legis divinæ allegaverat ſupradicta capitula, quæ non tangunt in aliquo noſtras conſtitutiones prædictas.

LXVI.
Habentibus commune pro communi licet litigare.

Cum ergo, quæritur, utrum Apoſtolis & diſcipulis & eorum ſequacibus pro rebus, quas habebant, licuerit & liceat litigare; videtur dicendum, quod illis, qui propria non habebant, pro rebus aliquibus tanquam propriis non licuit litigare: illis autem, qui habebant communia pro illis ut pro communibus animo ipſa bona communia defendendi, vel repetendi ſine fraude & alicujus injuria licuit litigare, præſertim illis, qui curam habebant illius communitatis, vel ſaltem alii eorum mandato: niſi forſan ex hoc grave ſcandalum ſequi poſſet, quo caſu eſſet judicium differendum, vel omittendum. Et ſi diceretur, ut dicit iſte hæreticus, quod viris perfectis pro rebus religionum ſuarum eſſet prohibitum litigare, omnes religioſi,

Refellitur Michaelis delirium, quod perfectis non liceat.

qui renuntiaverunt propriis & habent in communi, ut ſunt illi qui vivunt ſecundum regulam beati Auguſtini & Benedicti, & quaſi omnium aliorum ſanctorum patrum, diverſarum religionum fundatorum, qui habent in communi, in via damnationis exiſterent, bona communia in judicio defendendo: qui tamen tenentur ſervare, tueri, & defendere bona illa, quod ex eo patet, quia B. Auguſtinus ad Bonifacium dixit: Maximus epiſcopus Vagienſis auxilium petit ab Imperatore Chriſtiano contra hoſtes, non tam ſui ulciſcendi cauſa, quam tuendæ eccleſiæ ſibi creditæ; quod ſi prætermiſiſſet, non ejus fuiſſet laudanda patientia, ſed negligentia merito culpanda.

Licere epiſcopis demonſtratur.

Item quod prælatis quorum ſtatus reputatur præſtantior aliis, & qui locum tenent Apoſtolorum pro rebus ſuarum eccleſiarum litigare liceat, patet: Nicolaus enim Papa præcepit archiepiſcopo Trevirenſi & ejus eccleſiæ filiis, ut ſpirituali ſimul & materiali gladio tamdiu occupatores poſſeſſionum & rerum eccleſiæ ipſius inſequerentur, eorumque fautores, quouſque cum integritate poſſeſſiones & res aliæ occupatæ fuerint revocatæ XVI. q. I. c. Auctoritate; quod non feciſſet, ſi hoc licitum non fuiſſet. Ad quod facit extra. de ſententia excommunicationis c. Dilecto li. VI. de reſtitutione ſpoliatorum c. Cum olim. Item in concilio Gangrenſi ſtatutum fuit, quod ſi quis oblata Deo dederit vel acceperit præter epiſcopi aſſenſum, qui ab eo inſtitutus eſt, & qui dat & qui accipit, anathema ſit, & ſequitur: Iniquum enim eſſe cenſemus, ut potius cuſtodes chartarum quam defenſores rerum creditarum, ut præceptum eſt, judicemur, XVI. q. I. c. In canonibus. Innocentius quoque in hoc, quod renunciantibus propriis & habentibus in communi pro communi licet litigare, expreſſe determinaſſe videtur extra de judiciis c. Cum deputati.

LXVII.

Adhuc iſte hæreticus conſtitutionem, Quia quorumdam, impugnare nititur dicens, quod de clavibus eccleſiæ male ſentire videtur; quia in dubium revocat ſive negat clavem ſcientiæ eccleſiæ catholicæ fore clavem: cum enim in dubium revocet, utrum ſcientia clavis eccleſiæ ſit cenſenda, & ſuper hoc opiniones contrarias & diverſas recitet in partem illam, quod ſcientia non ſit clavis in eccleſia, declinare videtur; cum dicit quod Salvator noſter in promiſſione clavium facta beato Petro hoc ſenſiſſe videatur expreſſe, cum immediate poſt illam promiſſionem ſubjunxerit: Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &c. nulla de ſcientia habita mentione: quæ ſacræ ſcripturæ & ſanctorum ſententiis & doctrinæ eccleſiæ catholicæ, ut dicit iſte hæreticus, contradicunt.

Objectio Michaelis contra ſanctionem, Quia quorundam.

Ad quod probandum inducit, quod legitur Luc. XI. ubi Salvator noſter ſic dicit; Væ vobis legis peritis, qui tuliſtis clavem ſcientiæ, & ipſi non introiſtis, & illos qui introibant prohibuiſtis; ex quo patet, ut dicit, quod clavis ſcientiæ eſt una clavis eccleſiæ a clave potentiæ ſeparata.

Scientia an ſit clavis.

Profecto patet, quod ejus malitia adeo iſtum hæreticum excæcavit, quod ad veritatem aliquam nequit erigere intellectum. Dicat nobis iſte hæreticus, quibus loquebatur Salvator in verbis prædictis? Profecto negare non poteſt quin loqueretur phariſæis & ſcribis, quia ſic ille textus dicit expreſſe; quibus tamen claves eccleſiæ traditæ quovis tempore non fuerunt: unde patet, quod non intellexit loqui de clavibus eccleſiæ Dominus in verbis prædictis. Attendat adhuc iſte hæreticus verba Salvatoris noſtri, dixit enim; Væ vobis legis peritis, qui tuliſtis clavem ſcientiæ; clavem dixit ſcientiæ, non dixit clavem regni cœlorum, de quibus clavibus, cum de clavibus eccleſiæ loqueretur, eſt intelligendus: illas vero Petro a Chriſto promiſſas legimus, & non ſcientiæ clavem, ut patet Matth. XVI. ubi Dominus Petro ſic dixit: Ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum. De clavibus autem iſtis regni cœlorum Auguſtinus de doctrina Chriſtiana ſic dicit: Has claves dedit eccleſiæ ſuæ, ut quæ ſolveret

Quæ ſint claves eccleſiæ.



ret in terra, ſoluta eſſent in cœlis; & quæ ligaret in terra, ligata eſſent in cœlis; Hoc etiam Salvator noſter dixiſſe videtur expreſſe, ſicut conſtitutio prædicta, Quia quorumdam, dicit; quia immediate poſt verba illa, Tibi dabo claves regni cœlorum, ſubjunxit. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Et ſi quæratur, quæ ſit clavis ſcientiæ, de qua Dominus loquitur Luc. XI. reſpondet gloſſa, quod clavis ſcientiæ dominicæ eſt Chriſti humilitas, quam qui habet, habet apertum oſtium ad intelligendum ſcripturas. Hanc Phariſæi & legiſperiti contempſerunt, nec ipſi eam in lege & prophetis noluerunt intelligere, nec ab aliis intelligi permiſerunt. Item clavis ſcientiæ poteſt dici fides ſecundum illud Iſaiæ VII. Niſi credideritis, non intelligetis. Hanc clavem ſcientiæ, ſcilicet Chriſti fidem, Phariſæi & legiſperiti ſuis pravis expoſitionibus de legis & prophetarum dictis abſtulerunt, quantum in eis fuit, ſicut iſte hæreticus, ut patet, nititur auferre. Hanc clavem, ſcilicet fidem habebat Petrus antequam ſibi Dominus promitteret regni cœlorum claves, ut patet in præallegato cap. Matth. XVI. cum Dominus Apoſtolos interrogaſſet, quem dicebant homines eſſe filium hominis, & poſtmodum diceret eis; Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Petrus dixit; Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Et ſic patet, quod hanc clavem, ſcilicet fidei, Petrus habebat ante promiſſionem prædictam. Habebat etiam & humilitatem, alias Deus pater hoc non revelaſſet ei, qui talia revelare parvulis, id eſt humilibus conſuevit, juxta illud Matth. XI. Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis: & juxta illud Pſalmiſtæ: Scientiam dat parvulis. Et quod Pater Petro revelaverit reſponſionem prædictam, hoc immediate ſubjunxit Dominus noſter, qui immediate poſt reſponſionem Petri eidem Petro ſic dixit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis.

Clavis ſcientiæ, nomen metaphorice humilitati & fidei attributum interdum.

LXVIII.
Michael falſo attribuit Pontifici ea, quæ non dixit.

Item impugnat adhuc iſte hæreticus conſtitutionem prædictam, falſo imponens ei, quod dicit, quod ſummus Pontifex in his, quæ ad fidem & mores pertinent, poteſt ſuorum prædeceſſorum definitiones & dicta revocare, & contrarium ſtatuere, prout decreverit ſtatuendum; aperte juxta morem ſuum mentitur hæreticus ſupradictus: conſtitutio enim illa hoc non dicit, nec de hoc facit aliquam mentionem, ut patere poteſt cuilibet intuenti: immo expreſſe negat, quod dicere Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe in iis, quæ habuerunt niſi ſimplicem uſum facti, profecto hoc directe, nec ad fidem pertinet, nec ad mores, ut in §. Præterea patet, in quo ſic dicit: Præterea dicant nobis aſſertores hujuſmodi ubi legunt, quod ad fidem vel ad mores pertineat Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe in iis, quæ habuerunt, niſi ſimplicem facti uſum. Profecto directe hoc ad fidem non pertinet cum de hoc articulus non ſit aliquis, nec ſub quo valeat comprehendi, ut patet ex ſymbolis, in quibus articuli fidei continentur; nec etiam reductive, quaſi hoc ſacra ſcriptura contineat, quo negato, tota ſcriptura ſacra redditur dubia, & per conſequens articuli fidei, qui habent per ſcripturam ſacram probari, redderentur dubii & incerti; hoc enim in ſcriptura ſacra non poterit, ſed contrarium reperiri. Ex quibus concludit dicens: Unde non poſſunt ex prædictis concludere, niſi falſo, quin contra ordinata per ſummos Pontifices circa talia liceat ſucceſſoribus aliud ordinare, quod prædictus Nicolaus expreſſe in ſua declaratione inſeruit, ut ſuperius plenius continetur. Præmiſſa quoque, ut ad plurium poſſent pervenire notitiam, eorumque memoria conſervari valeret diutius, ſcripturæ præſenti decrevimus committenda: quam quidem bulla noſtra munitam majoris eccleſiæ Avinionenſis oſtiis affigi fecimus ſeu appendi, ut ſic juxta noſtrum deſiderium ad communem deducta notitiam hæreticorum doctrina prædicta peſtifera ſic ſuo præſocetur in ortu, quod nequaquam ejuſdem virus nequiter ad inficiendum ſimplices ulterius diffundatur. Dat. Avin. XIV. kalend. decembris pontificatus noſtri anno XIV. anno Domini MCCCXXIX.

Refellitur ejus impoſtura.

LXIX.

Tranſmiſit hunc commentarium Pontifex ad præſules, ut hæreticorum ora obſtruerent, interque alios ad Hugonem epiſcopum Pariſienſem (a), ut divulgandum curaret: qui quidem una cum Pariſienſi academia egregiam laudem in propugnanda apoſtolica doctrina & Michaelis erroribus refellendis tulit (b). Pari gloria in Anglia Icherius e Concorero Apoſtolicæ ſedis nuntius adverſus nonnullos Michaelis ſequaces pſeudominoritas, qui fœdiſſimos errores ſpargebant, ſuſceptis impigre multis laboribus enituit (c). Willelmus etiam Juliaci comes, cum pium inſectandi hæreticos ardorem concepiſſet, a Pontifice eſt collaudatus (d). Quamvis vero nonnulli Minoritæ, impietatis ſigniferis Petro e Corbaria, Michaele & Ochamo, qui per univerſum orbem Chriſtianum publice in eccleſiis defixi anathemate & hæreſcos nota inuſti fuere, ut docent publica ea de re documenta (e); ſchiſmatis & hæreſeos laqueis ſe implicuiſſent; tamen ſacer ordo pene univerſus in fide Romani Pontificis conſtans perſtitit, ipſo Pontifice in literis datis (f) ad Reginam Fran-

Paucis exceptis, univerſus Minoritarum ordo in fide Rom. Pont. perſtat.

(a) To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 113.
(b) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 123.
(c) Ead. p. pag. 135.
(d) Ib. pag. 99.
(e) Ext. inter alia in Avin. arch. reperta n. 161.
(f) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 124.

Francorum teſte : qui ſuam in eundem ordinem benevolentiam non ob prævaricatorum perfidiam imminutam, ſed ob aliorum zelum in comitiis ſolemnibus adeundis, magniſque ſuſceptis impigre laboribus explicitum, auctam profitetur.

*Joannes epiſcopus, &c. Joannæ Reginæ Franciæ illuſtri.*

Pontifex priſtinum in illum amorem non mutat, ſed auget.

*Ut de affectione, quam ad eundem ordinem gerimus, ſolicitudini regiæ ſatisfiat indubie, volumus excellentiam regiam iſtud ſcire, quod ex tunc affectus noſter ad eundem ordinem auctus eſt merito, non mutatus. Ex tunc enim, non obſtante quod ille Petrus de Corbario, reputatione frater ejuſdem ordinis, cathedram B. Petri præſumptuoſe nimium tentaverit occupare, ſeque ſummum Pontificem a ſuis ſequacibus fecerit nominari : Michael quoque olim eorum miniſter, cum nonnullis ſuis ſequacibus a noſtra & ſedis Apoſtolicæ obedientia ſe velut ſchiſmaticus & hæreticus, duxerit ſubtrahendum ; miniſtriſque dicti ordinis & aliis fratribus Petrus & Michael ſupradicti ſub pœnis gravibus per ſuas literas duxerint injungendum, ne venerabili fratri noſtro Bertrando epiſcopo Tuſculano, quem dicto ordini quouſque de miniſtro ordinatum foret, vicarium dedimus, in aliquo non parerent ; nec noſtras, ſeu ejuſdem vicarii ſententias excommunicationis, vel alias, nullatenus obſervarent, ſed interdicta per nos poſita violarent ; ordo tamen prædictus generaliter ubique (paucis exceptis perſonis vilibus, quæ fere omnes propter eorum delicta dudum carceri adjudicati fuerant, vel erant præſentialiter judicandi) adeo prompte & plene noſtris & dicti vicarii paruere mandatis, ſicut unquam ſummo Pontifici vel ſuo vero miniſtro paruit dictus ordo.*

Laudat conſtantiæ in rebus aſperrimis Minoritas.

Tutatos eccleſiæ dignitatem.

*Interdicta quoque noſtra ſervaverunt, ubi potuerunt, fratres dicti ordinis : ubi vero non potuerant, fugientes de locis illis, ſe ad loca, ubi ſervare poterunt, tranſtulerunt. Contra fautores quoque Petri & Michaelis tam inquiſitores hæreticæ pravitatis ejuſdem ordinis, quam miniſtri & alii, ad quos poterat pertinere, diverſos proceſſus fecerunt & ſententias protulerunt : ac in præſenti omnes miniſtri & fratres alii pro generali miniſtro opportune, ſpretis mortis periculis, quod erat incredibile, properant verſus Pariſios greſſus ſuos. Nonne per hæc, filia chariſſima, meruit dictus ordo, ſed & promeruit merito gratiæ & favoris augmentum? &c.* Roganti Reginæ, ut ea comitia ordinis in longius tempus extraherentur, reſpondet Pontifex id conſilium ejuſdem ordinis utilitati non conducere. Quibus literis adjecta dies eſt, III. *non. maii pontificatus anno* XIII.

Minoritas vero aliis literis paterni amoris notis inſignibus refertis hortatus eſt (a), ut virum virtutibus conſpicuum ſibi præficerent ; ex rectoris enim improba adminiſtratione graviſſima mala emerſiſſe : pietati propagandæ ac moribus ad ſanctitatem perpoliendis ſtuderent. De ſervando vero diſciplinæ rigore hoc illos præcepto imbuit : *Sic diſcretionis moderetur æqualitas, ne vel nimia remiſſio nutritiva ſit vitiorum, vel impia diſtrictio parricida virtutum.* Ad ſervandam præterea mutuam animorum conjunctionem, conciliandam ſibi præſulum benevolentiam ipſis admodum neceſſariam impulit, ipſoſque illorum famam carpere ac traducere vetuit. Excitavit denique ad preces Numini divino fundendas, ut tranquillitatem in eccleſiam, hæreſeos & ſchiſmatis fluctibus agitatam, adduceret : pariterque ſolicitati Ciſtercienſes (b), ac Prædicatores (c), qui ordinis comitia celebrabant, ut piis orationibus Deum ad molliendas iras reſtituendamque eccleſiæ quietem flecterent. Nec vanas Pontificis de religioſorum virorum precibus conceptas ſpes fuiſſe ſequenti anno viſuri ſumus, quo antipapa ſchiſma execratus eſt.

(a) *Ead. p. 1. pag.* 125.

Datum Minoritis monitum.

Religioſæ familiæ ad fundendas pro eccleſia preces excitatæ.

(b) *Ead. p. pag.* 122.

(c) *Ib. pag.* 58.

LXX. Echardus hæreſiarcha.

Emerſit e Prædicatorum, quam paulo ante memoravi familia, blaſphemus Echardus, vir apud eos ſacræ paginæ doctoratus laurea donatus : qui cum errores fœdiſſimos diſſeminaret, primum a Colonienſi archiepiſcopo in ipſum fidei quæſtio habita eſt : eaque ad ſedem Apoſtolicam revocata, cum iterum exerceri cœpiſſet, conſtitit tum utroque examine, tum Echardi ipſius confeſſione, ipſum prædicaſſe, ſcripſiſſe, ac docuiſſe nonnulla, quæ cum fide catholica pugnabant, & alia quæ hæreſeos ſuſpicione laborabant : ac propterea ex ſacri Cardinalium ſenatus conſilio damnata fuere. Tum etiam Pontifex in eos omnes, qui pertinaciter eos errores tuerentur, quæſtionem haberi juſſit : injunxitque partes archiepiſcopo Colonienſi (d), ut literas pontificias, quibus ii errores confutati erant, in provincia ſua promulgaret, ne inficerentur ſimplicium animi, iique maxime, apud quos Echardus, dum vivebat, errores fuderat.

Damnati ejus errores.

(d) *An. 13. p. 1. ep. cur.* 5.

*Joannes, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Dolenter referimus, quod quidam his temporibus, de partibus Theutoniæ Ekardus nomine, doctorque, ut fertur, ſacræ paginæ, ac profeſſor ordinis fratrum Prædicatorum plura voluit ſapere quam oportuit, & non ad ſobrietatem, neque ſecundum menſuram fidei, quia a veritate auditum avertens, ad fabulas ſe convertit. Per illum enim patrem mendacii, qui ſe frequenter in lucis angelum transfigurat, ut obſcuram & tetram caliginem ſenſuum pro lumine veritatis effundat, homo iſte*

ſe



*ſeductus, contra luciſſimam veritatem fidei in agro eccleſiæ ſpinas & tribulos germinans, ac nocivos cardos & venenoſos paliuros producere ſatagens, dogmatizavit multa, fidem veram in cordibus multorum obnubilantia, quæ docuit quam maxime coram vulgo ſimplici in ſuis prædicationibus, quæ etiam redegit in ſcriptis. Ex inquiſitione ſiquidem contra eum ſuper his auctoritate venerabilis fratris noſtri Henrici Colonienſis archiepiſcopi prius facta, & tandem auctoritate noſtra in Romana curia renovata comperimus, evidenter conſtare per confeſſionem ejuſdem Ekardi, quod ipſe prædicavit, dogmatizavit, & ſcripſit viginti ſex articulos, tenorem, qui ſequitur continentes.*

LXXI. Primus Echardi articulus.

*Primus articulus. Interrogatus quandoque, quare Deus mundum non prius produxerit, reſpondit tunc ſicut nunc, quod Deus non potuit primo producere mundum, quia res non poteſt agere antequam ſit ; unde quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit.*

Secundus.

*II. articulus. Item concedi poteſt mundum fuiſſe ab æterno.*

Tertius.

*III. articulus. Item ſimul & ſemel quando Deus fuit, quando Filium ſibi coæternum per omnia coæqualem Deum genuit, etiam mundum creavit.*

Quartus.

*IV. articulus. Item in omni opere, etiam malo, malo in quam tam pœnæ, quam culpæ, manifeſtatur & relucet æqualiter gloria Dei.*

Quintus.

*V. articulus. Item vituperans quempiam vituperio, ipſo peccato vituperii laudat Deum ; & quo plus vituperat & gravius peccat, amplius Deum laudat.*

Sextus.

*VI. articulus. Item Deum ipſum quis blaſphemando, Deum laudat.*

Septimus.

*VII. articulus. Item quod petens hoc aut hoc, malum petit & male, quia negationem boni & negationem Dei petit, & orat Deum ſibi negari.*

Octavus.

*VIII. articulus. Qui non intendunt res, nec honores, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec ſanctitatem, nec proœmium, nec regnum cœlorum, ſed omnibus iis renunciaverunt, etiam quod ſuum eſt, in illis hominibus honoratur Deus.*

Nonus.

*IX. articulus. Ego nuper cogitavi, utrum ego vellem aliquid recipere a Deo vel deſiderare : ego volo de hoc valde bene deliberare, quia ubi ego eſſem accipiens a Deo, ibi eſſem ego ſub eo, vel infra eum, ſicut unus famulus, vel ſervus ; & ipſe ſicut Dominus in dando : & ſic non debemus eſſe in æterna vita.*

Decimus.

*X. articulus. Nos transformamur totaliter in Deum, & convertimur in eum ſimili modo, ſicut in ſacramento panis convertitur in corpus Chriſti : ſic ego convertor in eum, quod ipſe operatur me ſuum eſſe. Unum non ſimile per viventem Deum verum eſt, quod nulla ibi eſt diſtinctio.*

Undecimus.

*XI. articulus. Quicquid Deus Pater dedit Filio ſuo unigenito in humana natura, hoc totum dedit mihi : hic nihil excipio nec unionem, nec ſanctitatem, ſed totum dedit mihi, ſicut ſibi.*

Duodecimus.

*XII. articulus. Quicquid dicit ſacra ſcriptura de Chriſto, hoc etiam totum verificatur de omni bono & divino homine.*

Decimus tertius.

*XIII. articulus. Quicquid proprium eſt divinæ naturæ, hoc totum proprium eſt homini juſto & divino : propter hoc iſte homo operatur quicquid Deus operatur, & creavit una cum Deo cœlum & terram, & eſt generator Verbi æterni, & Deus ſine tali homine neſciret quicquam facere.*

Decimus quartus.

*XIV. articulus. Bonus homo debet ſic conformare voluntatem ſuam voluntati divinæ, quod ipſe velit quicquid Deus vult : quia Deus vult aliquo modo me peccaſſe nollem ego, quod ego peccata non commiſiſſem ; & hæc eſt vera pœnitentia.*

Decimus quintus.

*XV. articulus. Si homo commiſiſſet mille peccata mortalia, ſi talis homo eſſet recte diſpoſitus, non deberet velle ſe ea non commiſiſſe.*

Decimus ſextus.

*XVI. articulus. Deus proprie non præcepit actum exteriorem.*

Decimus ſeptimus.

*XVII. articulus. Actus exterior non eſt proprie bonus, nec divinus : nec operatur ipſum Deus proprie, neque parit.*

Decimus octavus.

*XVIII. articulus. Afferamus fructum actuum non exteriorum, qui nos bonos non faciunt ; ſed actuum interiorum, quos Pater in nobis manens facit & operatur.*

Decimus nonus.

*XIX. articulus. Deus animas amat, non opus extra.*

Vigeſimus.

*XX. articulus. Quod bonus homo eſt unigenitus Filius Dei.*

Vigeſimus primus.

*XXI. articulus. Homo nobilis eſt ille unigenitus Filius Dei, quem Pater æternaliter genuit.*

Vigeſimus ſecundus.

*XXII. articulus. Pater generat me ſuum filium & eundem Filium, quicquid Deus operatur, hoc eſt unum, propter hoc generat ipſe me ſuum filium ſine omni diſtinctione.*

Vigeſimus tertius.

*XXIII. articulus. Deus eſt unus omnibus modis, & ſecundum omnem rationem ; ita ut in ipſo non ſit invenire aliquam multitudinem in intellectu, vel extra intellectum : qui enim duo videt, vel diſtinctionem videt, Deum non videt : Deus enim unus eſt extra numerum & ſupra numerum, nec ponitur unum cum aliquo : ſequitur, nulla igitur in ipſo Deo diſtinctio eſſe poteſt, aut intelligi.*

Vigeſimus quartus.

*XXIV. articulus. Omnis diſtinctio eſt a Deo aliena, neque in natura neque in perſonis probatur, quia natura ipſa eſt una & hoc unum, & quælibet perſona eſt una, & ad ipſum unum quod natura.*

Vigeſimus quintus.

*XXV. articulus. Dum dicitur : Simon diligis me plus his? ſenſus eſt, id eſt plus quam iſtos, & bene quidem, ſed non perfecte ; in primo enim & ſecundo & plus & minus & gradus eſt, & ordo : in uno autem nec gradus eſt, nec ordo. Qui igitur diligit Deum pluſquam proximum, bene quidem, ſed nondum perfecte.*

Vigeſimus ſextus.

*XXVI. articulus. Omnes creaturæ ſunt unum purum nihil : non dico, quod ſint quid modicum, vel aliquid ; ſed quod ſint unum purum nihil.*

*Objectum præterea extitit dicto Ekardo, quod prædicaverat, alios duos ar-*

*ticulos ſub his verbis. Primus articulus.*

Vigeſimus ſeptimus. *Aliquid eſt in anima, quod eſt increatum & increabile: ſi tota anima eſſet talis, eſſet increata & increabilis, & hoc eſt intellectus. Secundus articulus.*

Vigeſimus octavus. *Quod Deus non eſt bonus, neque melior, neque optimus; ita male dico, quandocumque voco Deum bonum, ac ſi ego album vocarem nigrum. Verum nos omnes ſupraſcriptos articulos, per multos ſacræ Theologiæ doctores examinari fecimus, & nos ipſi cum fratribus noſtris illos examinavimus diligenter, & demum quia tam per relationem doctorum ipſorum, quam per examinationem noſtram invenimus primos quindecim memoratos articulos, & duos etiam alios ultimos tam ex ſuorum ſono verborum, quam ex ſuarum connexione ſententiarum errorem, ſeu labem hæreſis continere, alios vero undecim, quorum primus incipit, Deus non præcipit, &c. reperimus nimis male ſonare, & multum eſſe temerarios, de hæreſique ſuſpectos, licet cum multis expoſitionibus, & ſuppletionibus, ſenſum catholicum formare valeant, vel habere; ne articuli hujuſmodi ſeu contenta in eis, corda ſimplicium, apud quos prædicati fuerunt, ultra inficere valeant, neve apud illos, vel alios quomodolibet invaleſcant: nos de dictorum fratrum noſtrorum conſilio præfatos quindecim primos articulos, & duos alios ultimos tanquam hæreticos, dictos vero alios undecim, tanquam male ſonantes, temerarios, & ſuſpectos de hæreſi, ac nihilominus libros quoſlibet, ſeu opuſcula ejuſdem Ekardi, præfatos articulos, ſeu eorum aliquem continentes damnamus, & reprobamus expreſſe: ſi qui vero eoſdem articulos pertinaciter defendere, vel approbare præſumpſerint, contra illos, qui prædictos quindecim articulos & duos alios ultimos, ſeu eorum aliquem ſic defenderint, aut approbaverint, tanquam contra hæreticos; adverſus vero eos, qui alios dictos undecim articulos prout ſonant verba eorum defenderint, aut approbaverint, velut contra ſuſpectos de hæreſi, procedi volumus & mandamus.*

LXXII. *Porro tam illis, apud quos præfati articuli prædicati ſeu dogmatizati fuerint, quam quibuſlibet aliis, ad quorum devenere notitiam, volumus notum eſſe, quod prout conſtat per publicum inſtrumentum inde confectum, præfatus Ekardus in fine vitæ ſuæ fidem catholicam profitens, prædictos viginti ſex articulos, quos ſe prædicaſſe confeſſus extitit: necnon quæcumque alia per eum ſcripta & docta ſive in ſcholis, ſive in prædicationibus, quæ poſſent generare in mentibus fidelium ſenſum hæreticum vel erroneum, ac veræ fidei inimicum; quantum ad illum ſenſum revocavit, ac etiam reprobavit, & haberi voluit pro ſimpliciter & totaliter revocatis, ac ſi illos & illa ſigillatim & ſingulariter revocaſſet; determinationi Apoſtolicæ ſedis & noſtræ tam ſe, quam ſcripta ſua & dicta omnia ſubmittendo. Dat. Avin.* VI. *kal. aprilis pontificatus noſtri anno* XIII.

LXXIII. Ignoravit plane infandas hujus hominis hæreſes Taulerus (*a*), qui meminit in opuſculis ſuis Echardi tanquam egregii alicujus theologi pietate conſpicui: cujus errorem ſecuti alii, non diſcuſſa re, hæreſiarcham tanquam virum inſignem ordinis Prædicatorum ſuis annalibus commendarunt. Certe inter mellita verba pietatem ſpirantia ſuſpectam doctrinam interiicit: quippe, cum præcipiti volubilitate garriret ad inanis gloriolæ aucupium, blaſphemias horridas, & contradictorias ſententias tanquam arcana, quibus doctrinam excellentem tegeret, obtrudebat.

*(a) Taul. in opuſc. de convivio in Echard. & ex eo Bzov. in annal. ad an. Chr. 1337. n. 14.*

Nec ſolum munus injunxit Colonienſi archiep. Joannes, ut peſtiferos errores ab Echardo diſſeminatos e ſuo grege evelleret; verum ut decanum quoque & canonicos Moguntinos novo archiepiſcopo infenſos reprimeret (*b*). Obierat enim anno ſuperiori Matthias archiepiſcopus, vir magni in defendenda ſedis Apoſt. dignitate zeli, ingentiumque virtutum, de quo præclarum caſtimoniæ exemplum, ex Wione refert his verbis Serarius (*c*): *Vitam, inquit lib.* 2. *Uvion, duxit caſtiſſimam: dum enim quadam vice, eo ignorante, a camerariis ſuis pulcherrima quædam virgo in cubiculum fuiſſet intromiſſa, ut ejus ſanitati conſilio, ut ajebant medicorum continentiam ei obeſſe affirmantium, conſulerent, virginem quidem blande a ſe intactam dimiſit: ſed camerariis ne talem rem amplius tentarent, ſub interminatione præcepit, &c.* Peperit Moguntino principatui ingentes motus Matthiæ archiepiſcopi mors, cum Joannes (*d*) Papa jam ante ſedi Apoſtolicæ ob Germanica bella præficiendi illi eccleſiæ archiepiſcopi reſervaſſet auctoritatem, & Henricum (de Virnberg cognominat eum Serarius) (*e*) ex Cardinalium ſententia creaſſet archiepiſcopum, quem idibus martii literis ad clerum & populum Moguntinum datis commendavit: Balduinus vero Trevirenſis archiepiſcopus a Moguntino clero poſtulatus in archiepiſcopum, canonicis violatis juribus, ſedis ejuſdem adminiſtrationem arripuiſſet, ac vi tentata temere tuetur. Acceſſit porro in gratiam patrui deprecator apud Pontificem Joannes Boemiæ Rex: cui ab illo reſponſum (*f*), id jura pati non poſſe, cum Moguntinus clerus, qui ſuis votis ipſum ad archiepiſcopatum vocabat, rem conſtitutio tempore & legum ritu non promoviſſet.

*(b) To. 7. p. 1. ep. ſecr. p. 84.*
Matthiæ archiep. Mogunt. mors & elogium.
*(c) Serar. Mogunt. rer. l. 5. in Matthia.*
Caſtitatis exemplum ab eo editum.
Motus in principatu Moguntino.
*(d) To. 7. p. 1. ep. ſecr. p. 94.*
*(e) Ser. Mog. rer. l. 5 in Henr.*
*(f) To. 7. p. 1. ep. ſecr. p. 93.*

Pari



LXXIV. Pari oppreſſos præſules contra potentiorum audaciam tuendi zelo permotus Pontifex eundem Joannem Boemiæ, ac Waldiſlaum Poloniæ, & Carolum Ungariæ Reges, ut contra Bolconem ducem Sileſiæ Nankero Wratiſlavienſi epiſcopo opera & conſilio adeſſent, eſt adhortatus (*a*). Traductum illum ſuperiori anno e Cracovienſi ſede Uvratiſlaviam, refert Chromerus (*b*) magniſque mox involutum calamitatibus bellicis, cum Prutheni equites ſocietate Regis Boemiæ fulti adverſus Polonum, cui auxilia ferebat Ungarus, de Pomerania certarent: in ejus belli ardore Wratiſlavia a Pruſſis capta impetu & adempta Polonis, & mox flammis deleta. Illatum poſtea viciſſim a Polonio in Pruſſiam bellum, ſociantibus cum eo arma Ungaris & Lithuanis, & regio late devaſtata. Pactæ poſt induciæ, & a Wernero cruciferorum equitum principe Joannes Rex Boemiæ, & ab Waldiſlao Poloniæ Rege Carolus Ungarus Rex controverſiæ delecti arbitri; de quibus Michovias (*c*), & Chromerus (*d*) fuſius agunt.

Oppreſſus ep. Wratiſl.
*(a) Ead. p. pag. 95. & 98.*
Wratiſlavia flammis vaſtata.
*(b) Chrom. hiſt. Pol. l. 11.*
Certatum de Pomerania inter Pruten. & Polon.
*(c) Mich. l. 4. c. 10.*
*(d) Chrom. ſup. l. 11.*

LXXV. In Galliis Petrus Cunerius in Pariſienſi ſenatu procurator regius gravem controverſiam adverſus eccleſiaſticam libertatem movit (*e*), contendebatque lites ad eccleſiaſticum forum non avertendas, ſed cum divina & humana diſcreta ſint, divina jura a ſacerdotibus, humana a Regibus ejuſque adminiſtris tractanda: tum omnem illorum in dirimendis controverſiis auctoritatem convellebat. Propugnavit eccleſiaſticorum cauſam Bertrandus epiſcopus Æduenſis, cujus opuſculum inſigne in bibliotheca patrum extat (*f*), in quo ubi pluribus epiſcoporum dignitatem & eos Reges, qui ipſos ſingulari ſunt veneratione proſecuti, victoriis & felicitate cumulatos demonſtravit, divini humanique juris dicundi auctoritatem diſcretam, ſed non inter ſe pugnantem oſtendit, ut apud unum eundemque conſiſtere non poſſit: verteres ſacerdotes in naturali & Moſaica lege utraque uſos, Chriſtum dominum & Apoſtolos in evangelica; ac Petri Cunerii argumentum egregie in his verbis retorquet (*g*): *Dicebat, & in hoc bene, quod per duos gladios intelligebantur duæ poteſtates, videlicet temporalis & ſpiritualis. Sed penes quos voluit eſſe iſtos duos gladios? Certum eſt quod penes Petrum & alios Apoſtolos: Petro autem ſucceſſit dominus Papa, Apoſtolis vero ſuccedunt alii epiſcopi, ſicut diſcipulis curati, ut apparet in gloſ. Luc.* 10. *Ex quo arguo ſic: Per duos gladios intelliguntur prædictæ duæ poteſtates. Sed Chriſtus voluit eſſe illos duos penes eccleſiam. Ergo & utramque poteſtatem. Sed dices, quod Chriſtus reprehendit Petrum, quia percuſſit gladio temporali, amputando auriculam, dicens ei: Converte gladium tuum, &c. Sed hoc non valet: Chriſtus enim non dixit Petro, quod expelleret a ſe talem gladium, ſed reponeret in vaginam, penes ſe ſervandum in vagina, ut daret intelligi, quod talis poteſtas, etſi ſit penes eccleſiam; tamen ejus exercitium quantum ad cauſam ſanguinis in nova lege vult eſſe in manu judicis laicalis, ſecundum nutum vero & imperium penes ſacerdotem.*

PetrusCunerius ſenator Pariſien. juris eccleſ. oppugnator.
*(e) Paul. Æmil. in Phil. IV.*
*(f) Ext. in bib. patr. to. 4. pag. 1182.*
Illum confutat Bertrandus ep. Eduen.
*(g) Luc. 22.*
Quomodo utriuſque gladii poteſtas ſit penes eccleſiam.

LXXVI. *Tertio (b), probo ex intentione Pauli Apoſtoli, ubi dicit, quod habens negotium etiam ſæculare adverſus alterum debet judicari apud ſanctos, unde fecit tale argumentum: An neſcitis quomodo ſancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, ut de minimis judicetis; quaſi dicat:* Non *neſcitis quoniam Angelos judicabitis? Quanto magis ergo ſæcularia? Et ſequitur: Sæcularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles, ſi qui ſunt in eccleſia, illos conſtituite ad judicandum. Nec obſtat quod ſubdit Apoſtolus ibidem: Ad verecundiam veſtram dico; quia illud referri debet ad hoc quod dicit, contemptibiles conſtituite. Unde quaſi ironice in hoc loquitur Apoſtolus, ac ſi diceret, quod citius deberent recurrere ad judicium contemptibilium, qui ſunt in eccleſia, quam ad judicium aliorum, qui ſunt extra eccleſiam. Ergo multo fortius deberent recurrere ad judicium ſapientum, qui ſunt in eccleſia multi. Unde ſtatim poſtquam Apoſtolus dixerat: Ad verecundiam veſtram dico; ſubjungit: Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem & fratrem ſuum; quaſi dicat, immo eſt. Patet ergo ex iſtis & multis aliis, quæ cauſa brevitatis omitto, quod utraque poteſtas poteſt cadere in perſonam eccleſiaſticam.* Et infra.

*(b) Sup. to. 3. pag. 1199.*

*Nec obſtat ſi dicitur, quod Petrus & alii Apoſtoli, immo etiam Chriſtus parum uſi ſunt iſta poteſtate temporali; & quod in eis non fuit alia ratio, quam nunc ſit in nobis, ſicut probatur* 12. *q.* 1. *cap. Futuram, & in multis aliis cap. Apoſtoli a * ſinito non recipiebant agros nec prædia, ſed pretia eorum: quæ tamen eccleſia valde rationabiliter recipit etiam cum magno merito dantium & offerentium, ſicut patet de Conſtantino & aliis. Et ratio diverſitatis tangitur in dicto capite pro eo, quod Apoſtoli futuram eccleſiam in gentibus prævidebant non apud Judæam remanſuram, &c. Conſimiliter quia Chriſtus & Apoſtoli ab initio totaliter noſtræ ſaluti & converſioni ac eruditioni intenti, parum circa cujuſcumque juriſdictionis exercitium inſiſtebant, attendentes illud primæ ad Cor. (i) Omnia mihi licent, ſed non expediunt. Et illud eccleſ. (k) Omni nego-*

Objectio quod Petrus ea poteſtate non ſit uſus.
* *fidelibus.*
Reſpondetur diſparem temporum conditionem.
*(i) 1. Cor. 6.*
*(k) Eccl. 8.*

*negotio tempus eſt & opportunitas. Sed nunc per Dei gratiam totus populus Gallicanus colla Chriſtianæ fidei ſubmiſit. Merito igitur eccleſia inſiſtit circa delictorum punitionem, & juſtorum judiciorum redditionem, &c.* Ubi divino jure fultam eccleſiaſticorum jurisdictionis cauſam aperuit, naturali quoque niti, ac demum civili probat.

LXXVII. Ut epiſcopi exercuerint judicia.

*Dicit*, inquit, *lex*, *quod ſi judex laicus fuerit ſuſpectus, adjungatur ei epiſcopus civitatis: ſi autem fuerit negligens, totum judicium ad epiſcopum refertur, ut probatur in corpore autenticorum, &c. Præterea Theodoſius Imperator talem legem condidit: Quicumque litem habens, ſive petitor fuerit, ſive actor, ſive ab initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſive cum pejoratur, ſive cum incœperit * perimi ſententia, ſi judicium elegerit ſacroſanctæ ſedis antiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione ceſſet: ſi alia pars refragatur, ad epiſcoporum judicium cum ſermone litigantium dirigatur. Quam legem poſtea Carolus magnus, qui erat Rex Franciæ, ita confirmavit: Volumus, &c.* Hæc ex nobili de hac controverſia tractatu delibare placuit, cui alter elegans ab eodem auctore adjunctus: *De origine & uſu juriſdictionum: ſive de ſpirituali & temporali poteſtate.*

* *promi*

Quem vero exitum controverſia ſortita ſit, deſcribit Paulus Æmilius (a): *Prima actione nihil conſtitutum. Cum ampliatur die D. Thomæ Cantuarienſi feſto cum patrum frequenti globo Bertrandus Regem adiit, admonuitque illum illuxiſſe diem, quem pro libertate eccleſiæ Thomas ſanguine ſuo conſecraſſet. Reſpondit Rex, omnia ſibi curæ futura. Anceps vox. Bertrandus ut certius lætiuſque eliceret reſponſum, oravit ut qui divinitus vocatus fuiſſet ad ſceptrum, ambiguo reſponſo non dimitteret triſtes ab ſe ſacerdotes, qui quotidie rem divinam pro eo facerent. Tunc Rex: Jura, inquit, eccleſiarum auxerim potius, quam imminuta velim. Gratias univerſi egere. Rex catholici cognomen promeruit.* Retulit etiam Bertrandus epiſcopus juſta defenſæ eccleſiaſticæ dignitatis præmia: illum enim creatum a Joanne Cardinalem, urgente Philippo Rege, viſuri ſumus. Petrus vero Cunerius tanto laboravit odio, ut pueri illius imaginem ſtylis configerent, ejuſque infamia in proverbium abierit.

(a) *Paul. Æmil. in Phil. IV.*

Lata a Philippo Rege pro jure eccleſiaſtico ſententia.

Inuſta Cunerio infamia.

LXXVIII. De lata porro a ſe in eccleſiaſticorum gratiam ſententia, ac repreſſis eorum conatibus, qui ſacerdotum auctoritatem labefactare moliebantur, Philippus Rex Pontificem certiorem feciſſe videtur; cum viciſſim Pontifex illi, ut catholicum principem ſe geſſiſſe gratuletur (b): *Literas*, inquit, *regias fervorem magnæ devotionis & fidei, quibus erga Deum & eccleſiam ſanctam ſuam, fidemque protegendam & dilatandam catholicam præfulgere regalis ſerenitas noſcitur, recenſentes delectabiliter, & reſponſionem perverſis detractoribus lædere ſynceritatem regiam circa præmiſſa molientibus factam, ſicut catholicum & orthodoxum decebat principem, deſcribentes recepimus læta manu; & præmiſſa etiam nonnullorum gratis Deo & nobis relatibus audivimus exultantes, inde regiam prudentiam cum gratiarum actionibus uberibus laudis & commendationis præconiis in Domino plurimum attollentes, eamque rogantes attentius & hortantes, quatenus in hujuſmodi ſalutari propoſito, ut mereatur ſemper uberius divinam & Apoſtolicæ ſedis benedictionem & gratiam, ſtabiliter perſeveret, &c. Dat.* XII. *non. junii anno* XIII. [1]

(b) *To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 121.*

Actæ a Pont. Regi gratiæ.

Hoc anno trajecit in Gallias Eduardus III. Angliæ Rex (c), ſolemniiſque ritu acceptam beneficio auctoritateque aulæ Gallicæ Aquitaniam profeſſus, fidem Philippo Regi devinxit. Qui tamen converſis rebus datæ fidei immemor Francorum Rex vocari voluit, ac regnum Gallicum magno rerum Chriſtianarum damno ferro flammaque invaſit. Hoc vero tempore domeſticæ turbæ ſuis contentum eſſe coegerunt: diſſenſere enim ab eo Angliæ principes, quos ipſi con-

Eduardus Gallo adiicit fidem.

(c) *Vvalſin. in Eduard. III. ſub hoc ann. Paul. Æmil. in Phil. IV.*

Violata dein perjurio fides.

NOTÆ [1] MIror Annaliſtam noſtrum oſcitanter adeo exſcripſiſſe ea, quæ hic exhibet de controverſia jurium Eccleſiaſticorum cum laicis, ut crederet in literis Joannis ad Philippum Regem hoc anno datis die III. Non. Junii referri eidem Regi gratias pro lite Eccleſiaſticis adjudicata. Id profecto pugnat cum epocha cœptæ, & abſolutæ, hujus controverſiæ; nam, ut ex Paulo Emilio narrat Annaliſta, Philippus die S. Thomæ Cantuarienſis feſta; ideſt die XXIX. decembris hujus anni, ut conſtat ex actis ejus judicii legendis apud Labbeum Concil. to. XV. col. 391. edit. Venet. in quibus dies illa cum feria VI. illigatur, ut reipſa incidit anno 1329. die, inquam, illa. Eccleſiaſtici apud Regem convenerunt, rogantes ne quid ſibi de juribus ſuis detraheretur. Rex vero, proſequuntur Acta illa, in ſequentem diem Veneris reſponſionem extraxit; adeoque ne iſto quidem anno 1329. tota cauſa peracta; ſed anni ſequentis exordio, die ſcilicet V. Januarii anni 1330. adhuc pendebat. Quomodo ergo Pontifex die III. Non. Junii pro felici ejus exitu dare literas potuit? Sed nec ſatis in Annalibus ejus cauſæ acta explicantur. Igitur die XXIX. Decembris Eccleſiaſtici pro concione refutarunt ea quæ patronus cauſarum regis pro juribus eorum evertendis in oppoſitum attulerat; id vero ita præſtiterunt, ut non quidem ſententiam a rege expectare viderentur, ſed ut conſilium æquum tutumque ſuggererent. Rex ſcripto tradi ea quæ repoſuerant Eccleſiaſtici rogavit. Illi chartam porrexerunt, in qua ſingula jura



conciliandos Pontifex ſuſcepit (a), litteraſque dedit ad Eduardum, ad patruum illius Edmundum Cantiæ & Thomam Mareſchallum & Henricum Lancaſtriæ comites, nec non ad Cantuarienſem archiepiſcopum, cui diſcordiæ cauſas ſibi aperire juſſit, ad Joannem (b) epiſcopum Wintonienſem, quem ob diſſenſionis auctæ ſuſpicionem corripuit; denique ab Iſabellam (c) Reginam, ut pacandis rebus operam daret.

(a) *To. 7. p. 1. ep. ſecr. p. 133. & 134.*

(b) *Pag. 134.*

(c) *Sup. pag. 133.*

LXXIX. In Scotia Robertus Rex, qui regiam dignitatem adverſus Anglorum conatus tot geſtis præliis ſuæ genti aſſeruerat, ad eam divino conſtabiliendam præſidio, jam ante accepta regia inſignia, totque annorum flexu vi & armis defenſa, apoſtolica auctoritate novo ritu induere peroptavit; tum ut ejus ſucceſſores ex novo Pontificis decreto ab epiſcopo S. Andreæ, inſtaurato veteri more, regia inunctione linirentur: cujus votis Joannes ſubjecto diplomate aſſenſit (d).

(d) *An. 13. p. 3. ep. com. 2106.*

*Chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Scotiæ illuſtri.*

*A ſummo cœleſtis regni Rege perpetuo, per quem ſinguli Reges regnant & principes principantur, temporalis gladii ad vindictam malorum laudemque bonorum eſt ipſis attributa poteſtas, ut judicent in æquitate populos & in terris dirigant ſubjectas ſibi gentium nationes; ſitque voluntas eorum in executione juſtitiæ, ac meditatio in lege rectitudinis & obſervantia bonæ pacis. Ad quæ utique perfectius exercenda iidem Reges unctionis ſacræ virtute, quam per venerabiles Dei miniſtros antiquo more ſuſcipiunt, donum gratiæ recipiunt potiores, ut & in proſecutione juſti regiminis fortius convaleſcant, & tam in ſe quam in eorum ſubditos prudentiori & ſanctiori ſpiritu dirigantur. Vehemens namque eſt in eiſdem Regibus hujuſmodi efficacia unctionis, nam inuncto Saule inſiliit Spiritus Domini ſuper eum, & in virum alterum eſt mutatus: & David, unctione ſuſcepta, Spiritu Domini eſt directus. Ad inſinuandum quoque, quod in Regibus eſſe debeat plenitudo virtutum & integra dominii temporalis auctoritas, capiti principis ſub circulari forma honorabile imponitur diadema, ut ab eo, qui talibus fuerit decoratus inſigniis, & titulis præſignitus, tanquam a capite ſubditis, velut membris recte vivendi modus & modeſtiæ regula indicatur.*

Cur Reges inunctione & diademate inſigniantur.

*Sane tu, velut devotiſſimus eccleſiæ filius princepſque catholicus, devote conſiderans rorem ſpiritualis gratiæ, qui per hujuſmodi infunditur unctionem ferventi deſiderio duceris, ut Romana eccleſia, tua cunctorumque mater fidelium & magiſtra, quod tibi & catholicis principibus, qui legitime tibi in regno prædicto ſucceſſerint, hujuſmodi inunctio & coronatio poſſint manu ſacra pontificis exhiberi, ſuæ robur auctoritatis exibeat, & præſidium apoſtolicæ firmitatis impendat; maxime cum, ſicut ex tenore tuæ petitionis accepimus, tam tu quam prædeceſſores tui Reges Scotiæ conſueveritis ab epiſcopis S. Andreæ, qui fuerunt pro tempore, ab antiquis retroactis temporibus inſignia recipere regiæ dignitatis: quare tu per tuos ſolemnes nuntios, quos propter hoc ad ſedem Apoſtolicam ſpecialiter deſtinaſti, nobis humiliter ſupplicaſti, ut tibi, quod coronationem & inunctionem cum cæteris regalibus inſigniis ab epiſcopo S. Andreæ, qui erit pro tempore, volente & valente, alioquin ab alio regni Scotiæ antiſtite tu & ſucceſſores tui Reges Scotiæ valeatis recipere, auctoritate apoſtolica concedere de ſpeciali gatia dignaremur.*

Robertus Scotiæ Rex apoſtol. auctoritate ſacrari poſtulat.

*Nos igitur ſinceritatis tuæ devotionem multimode attendentes, ac conſiderantes, quod erga Apoſtolicæ ſedis obſequia tanto te ſtudebis reddere promptiorem, quanto eam tibi ſenſeris magis propitiam & benignam, tuis ſupplicationibus grato concurrentes aſſenſu, ut tam tu quam ſucceſſores tui, qui tibi legitime in regno prædicto ſuccedent, in devotione Romanæ eccleſiæ perſiſtentes, a S. Andreæ, aut ipſo forſan ea exequi nolente ſine cauſa rationabili vel etiam nequeunte, a Glaſguenſibus epiſcopis, qui ſunt vel erunt pro tempore, gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis habentibus, poſſitis unctionem & regium ſuſcipere diadema: idemque ſancti Andreæ, vel eo illa, ut præfertur, nolente exequi vel etiam nequeunte, dictus Glaſguenſis*

Piis ejus votis obſecundat Pontifex.

Collatum epiſcopo S. Andreæ jus inungendi Reges Scotiæ.

NOTÆ ra ſua, quæ ſervari ſibi poſcebant, longo ordine deduxerant. Qua accepta rex ad feriam VI. ſequentem, ideſt V. Januarii anni ſuccedentis 1330. colloquium extraxit. Stata die rex per cauſarum ſuarum patronum profeſſus eſt rata, & integra habiturum ſe *jura eccleſiæ, & prælatorum quæ habebant tam de jure, quam de conſuetudine bona, & rationabili.* Adjecit tamen, & probare adniſus fuit regius ille miniſter, *cauſarum civilium cognitionem ad eccleſiam pertinere non poſſe.* Verborum illorum ambiguitate hærentes eccleſiaſtici planius ſibi regis mentem exponi rogarunt. Statimque Miniſter nomine regis pollicitus eſt conſuetudines eccleſiæ, de quibus ſibi conſtaret, ſe minime oppugnaturum. Cum nec ita ſatis proviſum rebus ſuis eccleſiaſtici cenſerent, die dominica, ſcilicet VII. Januarii apud regem inſtarunt eadem poſtulantes, quibus Regis nomine repoſuit Miniſter emendanda viciſſim ab eccleſiaſticis contendit nonnulla quæ præter fas & jus a ſuis agebantur, quam in rem terminum illis conſtituere ſe dixit uſque ad feſtum Nativitatis Domini proximæ venturum. Atque ita re infecta dimiſſi ſunt. Nec deinceps quidquam de controverſia illa diſceptatum. MANSI

*guenſis epiſcopus auctoritate apoſtolica, adhibito ſecum decenti epiſcoporum numero tum propter regiam honorificentiam, tum propter ſacræ reverentiam unctionis, more debito te & ſucceſſores prædictos inungere, tuoque & illorum verticibus auctoritate prædicta regium imponere valeant diadema, jure tamen Romanæ eccleſiæ & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, de fratrum noſtrorum conſilio tenore præſentium indulgemus. Volumus autem, quod idem epiſcopus, qui præmiſſa exercuerit, ut præfertur, ab eiſdem Regibus tempore unctionis & coronationis hujuſmodi noſtro & ejuſdem eccleſiæ Romanæ nomine corporale recipiat juramentum, quod de præfato regno & aliis terris ſuis ſuæque ditioni ſubjectis univerſos hæreticos, ab ecleſia denotatos, bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt; quodque libertates & immunitates eccleſiaſticas lædere, vel minuere per ſe vel alios non præſument: quinimmo eas defendent & conſervabunt illæſas, ipſaſque facient a ſuis ſubditis integraliter obſervari. Nulli ergo, &c. Datum Avin. idib. junii anno* XIII.

LXXX. (a) Ib. ep. 2107.

Conceptæ ſunt eadem fere formula verborum literæ (*a*) ad epiſcopum S. Andreæ, cui auctoritas collata, ut Scotiæ Reges ſacra inunctione liniret, eoque id muneris obire nequeunte, in Glaſguenſem epiſcopum ea provincia transfuſa eſt: *Ut*, inquit, *tam chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Scotiæ illuſtris, quam ſucceſſores Scotiæ Reges, in devotione Romanæ eccleſiæ perſiſtentes a te & ſucceſſoribus tuis epiſcopis S. Andreæ, aut vobis forſan ea exequi nolentibus ſine cauſa rationabili vel etiam nequeuntibus, a Glaſguenſi epiſcopo, qui erit pro tempore, gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis habentibus, poſſint unctionem & regium ſuſcipere diadema, tuque & dicti ſucceſſores tui vel, vobis illa nolentibus vel nequeuntibus exequi, ut præfertur, dictus Glaſguenſis epiſcopus auctoritate apoſtolica, adhibito vobiſcum decenti epiſcoporum numero tum propter regiam honorificentiam, tum propter ſacræ reverentiam unctionis more debito ipſum Robertum Regem & ſucceſſores prædictos Reges inungere, & illorum verticibus auctoritate prædicta regium valeatis imponere diadema*, & infra, *indulgemus, &c.* Addita imperia, ut ab eodem Rege & ſucceſſoribus ſacramentum de tuenda immunitate ordinis eccleſiaſtici, excindendiſque hæreticis, exigerent.

Eo impedito ſuffectus Glaſguenſis.

LXXXI. Robertus moritur. (b) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 135.

Non diu poſt expetitum hoc beneficium vitæ ſuperfuit Robertus, hujus enim anni æſtate ipſum obiiſſe ex afferendis inferius aliis pontificiis literis (*b* e quibus Walſinghamus, qui ejus obitum ad alium annum refert, corrigendus) conſtat. Illum porro in ancipiti mortis diſcrimine pro caduco potius regno cum finitimis, quam pro æterno comparando adverſus infideles bella geſſiſſe pœnituit, ſuumque cor Jeroſolymas deferri atque ad ſepulcrum dominicum condi juſſiſſe refert Hector Boethius (*c*): *Obnixe*, inquit, *omnes oravit, ut dum ipſe fatis conceſſiſſet, unum eligerent ex præſtantiſſimis regni ducibus, qui cor ſuum Jeroſolymam ad Chriſti ſepulcrum deferret, id enim ſibi vivo maxime ſemper fuiſſe in votis, ut eo profectus hoſtes Chriſtiani nominis oppugnaret: ſed quoniam per frequentia bella, fatumque ſuum non licuiſſet, id ſaltem modo optare, ut quod eſt præſtantiſſimum corporis humani, & quo jam ſæpe illuc evolaverat, id ſepeliendum in templo dominici ſepulcri, quod in Golgotha ædificatum eſt, illuc deferretur. Eo itaque defuncto, ex conſilio magnatum Jacobus Duglas haudquaquam aliena ſua voluntate, etſi præſentia illius regno etiam magnopere uſui futura erat, ad id electus eſt.* Hæc Boethius. Ex pontificiis vero literis biennio poſt exaratis (*d*) exploratum eſt, Jacobum Duglaſſium Roberti Regis cor ſecum deportaſſe in Hiſpanias, atque illud in Granatenſi expeditione contra Saracenos, a quibus cæſus occubuit, circumtuliſſe (*e*) ut pio deſiderio Roberti, qui id teſtamento ſanxerat, obſequeretur: *Petitio*, Joannis verba ſunt, *dilecti filii Thomæ comitis Moraviæ nobis exhibita continebat, quod dudum claræ memoriæ Robertus Rex Scotorum, dum adhuc rebus ſupereſſet humanis, zelo fidei & piæ devotionis accenſus, propoſuerat ad partes tranſmarinas contra perfidos Saracenos cum decenti hominum armatorum comitiva perſonaliter ſe conferre, ſed morte præventus non potuit hujuſmodi ſuum propoſitum adimplere; quodque cum idem Rex ſuum ultimum conderet teſtamentum, voluit & mandavit expreſſe, quod ſi eum mori contingeret, cor ſum ab ejus corpore extraheretur, & in bello contra Saracenos etiam portaretur; quodque poſtmodum, cum ipſe Rex naturæ debitum perſolviſſet, corpus ipſius exenteratum extitit, ipſiuſque cor a dicti Regis corpore extitit ſeparatum, & per quondam Jacobum de Duglas militem Glaſguenſis diœceſis in Hiſpaniam in bello contra dictos Saracenos juxta voluntatem ipſius Regis deportatum, &c.* At licet pium id Roberti Regis conſilium fuerit, tamen ſine pontificia venia fieri non debuerat, cum Bonifaciana conſtitutio cadavera truculenter dilacerari, intentata cenſurarum religione, vetet. Ad expiandum itaque facinus ad Moraviæ comitis preces epiſcopo Moravienſi partes dedit Pontifex, ut omnes, qui truculentæ extenterationi dederant operam vel aſſenſerant, ſuſceptæ religionis ne-

(c) Hect. Boet. l. 14. Buchan. rer. Scot. l. 8.

Cor in ſepulcro dominico condi flagitat.

(d) An. 15. p. 3. ep. com. 2607.

(e) Boeth. & Buchanam ubi ſupr.

Illud in prælio adverſus Mauros defert Duglaſſius.

Exenterationis auctores & participes cenſuris canonicis ſoluti.



nexu ſolveret: quæ literæ VIII. id. auguſti pontificatus anno XV. conſignatæ, evoluto nimirum a morte Roberti biennio.

LXXXII. Succedit Scotico ſceptro David. filius.

Reliquit ille Davidem Scotici ſceptri heredem, qui mox Pontificem adulta hujus anni æſtate de recenti parentis interitu fecit certiorem, ut ab eo ſolatium dolori quæreret, apoſtolicoque patrocinio in ſuſcepri regni auſpiciis tegeretur: quem Joannes ad Chriſtianam conſtantiam ſtuduit erigere, ac præceptis ſaluberrimis informavit (*a*), ut divinum amorem ac timorem altiſſime animo defigeret, eccleſiam veneraretur, tueretur, jura eccleſiaſtica prudentiſſimos quoſque in conſilium aſciſceret, in miſeros clementiam & miſericordiam explicaret.

(a) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 135.

*David Regi Scotorum.*

Solatur mœrentem Pontifex.

*Præſentatas nuper apoſtolatui noſtro regalis excellentiæ literas, per quas inclytæ memoriæ Roberti Regis Scotorum genitoris tui tranſitum, teque fili chariſſime inde turbatum & anxium nunciaſti, benigne non abſque magna compaſſione recepimus, & earum ſeriem intelleximus diligenter. Sane, fili dilectiſſime, quia decet principem fortitudo, ut nec elevetur in proſperis, nec concidat etiam in adverſis; ſed ſic animum ſuum temperet, ut in omnibus divinis beneplacitis ſe conformans, bona de manu Domini, ſi dare dignetur, cum lætitia ſpiritualiter ſuſcipiat; & adverſa, ſi evenire quandoque permiſerit, ſufferre cum humili patientia ſit paratus; ſublimitatem regiam in Domino exhortamur, quatenus te talem in omnibas ſicut princeps magnanimus exhibens; & conſiderans nihilominus diligenter, quod eundem genitorem tuum ſic divina clementia oculo pietatis reſpexit, quod poſt anxietates & pericula varia, quæ ſicut novit tua prudentia, in hac valle miſeriæ diutius fuit perpeſſus, pacem vidit ſuo tempore, ac unitati eccleſiæ ſanctæ Dei, extra quam aliquibus fuerat temporibus ante ſuum de hoc mundo exitum reconciliari meruit; ita quod tanquam princeps catholicus de præſenti ſæculo nequam ereptus poſt multorum laborum inquietudinem tranſiſſe ad patriam felicius credi poſſit; conſolationem aſſumas in Domino & ei, qui te dictumque genitorem tuum tot & tantis dignatus eſt beneficiis prævenire, ſuppliciter ad gratiarum actiones aſſurgens, & habens in tuis actibus ipſius timorem & amorem ante oculos mentis tuæ, non ceſſes operari quæ ſibi placita fuerunt, & quæ ſuæ majeſtatis poſſent oculos offendere, ſummopere ſtudeas devitare: Romanam eccleſiam, tuam & cunctorum matrem fidelium, reverearis in omnibus, regni tui eccleſias earumque prælatos & perſonas alias eccleſiaſticas honorando pro divina reverentia, & nihilominus in ſuis juribus & libertatibus confovendo.*

Præceptis informat.

*Et ut regni gubernacula, quæ diſponente Domino ſuſcepiſti, ad Dei laudem & gloriam tuique honoris & ſalutis augmentum, a ſubditorum pacem & commodum dirigas ſalubriter & diſponas, prudentium virorum, qui tuam & eorumdem ſubditorum ſalutem & quietem zelentur, utaris conſiliis; taleſque conſiliarios, juſtitiarios, & officiales habere ſatagas, qui Deum timeant, juſtitiam diligant, & lucra propria in tuum & ſubditorum prædictorum diſpendium non venentur: ita quod in regno eodem ceſſent oppreſſiones pauperum, adſit pupillorum, viduarum, aliarumque miſerabilium perſonarum defenſio; regnetque in omnibus cum pace juſtitia oleo miſericordiæ, ſicut opportunum extiterit, temperata. Hæc, fili amantiſſime, ſi feceris, & dirigere continue per viam rectitudinis juxta divinæ voluntatis beneplacitum curaveris greſſus tuos, corroborabit Dominus regnum tuum, adaugebit tibi dies vitæ, ac tandem de regno temporali, quod obtines, ad regni gloriam provehet ſempiternam; noſque ac eandem Romanam eccleſiam propitios in tuis opportunitatibus reperies & benignos. Dat. Avin x. kal. ſeptembris anno* XIII. Cæterum cum pax, ut vidimus, Scotos inter & Eduardum III. firmata eſſet, ex qua libera ab omni Anglorum imperio Scotia pronuntiata fuerat, Pontifex Davidis precibus flexus interdictum eccleſiaſticum omnino diſſolvit (*b*), cum ante ad biennium tantum ſacrorum uſus reſtitutus eſſet: jactum vero a ſede apoſtolica & legatis Cardinalibus diximus, cum Robertus Scotiam ab Anglico imperio divulſit. Data etiam eſt Bertrando Chariti archidiacono Vaurenſi & Raimundo e Quercu apoſtolicis nuntiis provincia (*c*), ut cenſuris eos exolverent, qui Roberti Regis partes, dum anathemate devinctus eſſet, fuerant ſecuti; vel ob non ſolutas decimas conſortio fidelium depulſi (*d*): ne vero jura ſedis Apoſtolicæ obſoleſcerent, cenſum Romanæ eccleſiæ pendi ſolitum, dictum denarium S. Petri, a Scotis exigere juſſit (*e*).

De ſenatu prudenti ad legendo conſulit.

Sacrorum uſus Scotis reſtitutus.

(b) An. 14. p. 1. ep. com. 278.

(c) To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 127.

(d) Ead. p. pag. 126.

Denarius vectigalis a Scotis exactus.

(e) Par. 1. pag. 132.

LXXXII. Alfonſus Rex Sardiniam eccleſiæ beneficiariam agnoſcit.

Profeſſus eſt ſolemni ritu hoc anno Alfonſus Rex Aragonius (*f*), ſe beneficio auctoritateque ſedis Apoſtolicæ Sardiniæ & Corſicæ regnum accepiſſe, ac Joanni fratri ſuo, cui Joannes in ea celebritate partes pontificias demandarat, fidem ſacramento devinxit, ſeque dictas a Bonifacio VIII. leges fiduciariis Sardiniæ Regibus ſancte & religioſe ſervaturum, eſt profeſſus: eblanditus enim erat Alfonſus, miſſo Petro comite Ripacurtiæ, ſummis precibus a ſede Apoſtolica, ut licet ad aulam pontificiam pro exhibendis clientis officiis ſe confer-

(f) Par. 2. pag. 192.

re obſtrictus eſſet; ea tamen in Aragonia pontificias vices gerenti præſtare liceret, ne ex ipſius abſentia bellorum motus concitarentur. Qua de re extant ad Joannem Toletanum olim archiepiſcopum, eundemque patriarcham Alexandrinum deſignatum literæ (*a*), quibus exigendi a fratre Romanæ eccleſiæ nomine ſacramenti provincia, additis ſubjectis legibus, impoſita eſt. [1]

(*a*) *An.* 13. *p.* 1. *ep. com.* 1413.

*Joannes, &c. Joanni olim archiepiſcopo Toletano in patriarcham Alexandrinum electo.*

Datæ patriarchæ Alex. illius in verba Pont. ſacramento adigendi partes.

*Tibi de magna & ſpeciali gratia, quam hac vice perſonæ Alfonſi Regis facere intendimus in hac parte, ita quod in poſterum ad conſequentiam non trahatur, ſuper infraſcriptis committimus vices noſtras; fraternitati tuæ tenore præſentium injungentes, quatenus infra menſem computandum a receptione præſentium, quas tibi per dilectum filium magiſtrum Hugonem de Mirabello præpoſitum eccleſiæ Mimatenſis capellanum noſtrum & ejuſdem ſedis nuntium mittimus, certam diem ſolemnem, dummodo dies ipſa eundem menſem ab hujuſmodi receptione præſentium, ut præmittitur, computandum nequaquam excedat, & locum aliquem inſignem, quos ad hoc duxeris deputandos, eidem Alfonſo Regi aſſignare procures. Qua ſiquidem die in majori eccleſia dicti loci, exiſtente inibi nuntio ſupradicto, totum tenorem literarum prædeceſſoris ejuſdem, quem tibi ſub bulla noſtra tranſmittimus, in ejuſdem Regis ac cleri & populi dicti loci præſentia perſonaliter, nomine noſtro & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, ac ejuſdem Romanæ eccleſiæ fidelitatem, plenum vaſſallagium, homagium ligium, & juramentum in forma curabis recipere infraſcripta, videlicet: Ego Alfonſus, &c. plene ac serioſe legi fideliter facias & exponi: quibus ſic lectis & expoſitis, illico ab eodem Alfonſo Rege, &c.* Afferetur ea inferius a nobis in regiis literis, qua ab Alfonſo nuncupata, hæc fieri jubet.

*Deinde in tui præſentia, repræſentantis perſonam noſtram, & fungentis vice noſtra, ac ejuſdem Romanæ eccleſiæ in hac parte, ac recipientis nomine noſtro & ſucceſſorum noſtrorum & Romanæ eccleſiæ prædictorum confeſſionem, recognitionem, promiſſionem per ſtipulationem ſolemnem & juramentum; nec non obligationes & promiſ-* LXXXIV.

NOTÆ [1] JOannes electus patriarcha Alexandrinus, cujus mentio hic ab Annaliſta ingeritur, adminiſtrationem epiſcopatus Tarraconenſis ſimul gerebat, eoque nomine concilium provinciale Tarraconæ celebravit, quod PP. Martene & Durand Anecdot. t. IV. vulgarunt, idemque cum præſenti anno illigandum ideo cenſuerunt, quod in adſcriptione Actorum hujus concilii legatur: *Quarto Kal. martii anno Domini milleſimo treceenteſimo vigeſimo nono.* Cum tamen Joannes patriarcham Alexandrinum ſe ibidem appellet, & ex iis, quæ in Annalibus hic leguntur, conſtet hoc ipſo anno die prid. Id. Octobris non patriarchæ ſed electi tantummodo ad patriarchatum titulum obtinuiſſe; in ea concilii adſcriptione ſtilum veterem ſervari; adeoque ex præſenti in ſequentem annum transferendum ſuſpicor. Hanc meam conjecturam certam demonſtrat ſubſcriptio in fine adjecta, quam inferius dabo. In eo concilio præcedentium conciliorum collectio edita eſt, ex qua plures conciliorum illorum canones, qui adhuc deſiderabantur, in lucem extracti ſunt. Quæ tamen collectio Tarraconenſium canonum concilio huic a Martenio tribuitur, ab aliis poſterioribus ſive epiſcopis ſive conciliis interpolata eſt, ut plane demonſtrat canon LXXIII. in hæc verba conceptus: *Conſtitutionem olim editam in provinciali concilio Terraconæ per beatæ memoriæ dominum Joannem patriarcham Alexandriæ, & adminiſtratorem eccleſiæ Terraconæ &c.* tum ſubditur ex eodem Joannis concilio canon qui in eadem collectione inter canones Joannis nomine præfixos non legitur. Collectionem igitur canonum provinciæ Tarraconenſis primus dedit Joannes, quam dein poſt ejus obitum concilium ſeu archiepiſcopus alius iterum promulgavit, adjectis ex duplici, imo ex triplici concilio Tarraconenſi ſub Joanne habitis, & a Martene ibidem vulgatis, ſelectis canonibus. Duplex concilium ſub Joanne indicant ſubſcriptiones epiſcoporum, quæ in fine collectionis hujus leguntur. Apparent enim nomina epiſcoporum Valentini, Dertuſenſis, Ilerdenſis, Barchinonenſis, Oſcenſis, & Gerundenſis, qui omnes adfuiſſe ſcribuntur Tarraconæ die lunæ IV. cal. martii anno MCCCXXIX. (ideſt anno 1330. quo dies lunæ in eam diem incidit, unde aliud argumentum elucet ad probandam ſententiam noſtram de anno, cui concilium iſtud aſſignandum eſt.) Poſt ſubſcriptiones iſtas canon alter in ea collectione ſuccedit abſque temporis quidem adſcriptione; cui ſubſcribunt epiſcopi Joannes Alexandrinus, Valentinus, Gerundenſis, ut Dertuſenſis Benignus, cum in ſuperiori concilio ſubſcripſerit non Benignus, ſed Berengarius Dertuſenſis, Urgellenſis (qui non apparet in ſuperioribus) & Ilerdenſis Bernardus, cum in ſuperiori concilio extet Arnaldus Ilerdenſis. Duo ergo plane diverſa ſunt concilia Tarraconenſia ſub Joanne patriarcha Alexandrino in eadem collectione comprehenſa.

Inter canones collectionis hujus prætereundum minime cenſeo canonem LXXX. in quo patres morbo congruam medelam afferentes edicunt, ne quis in jejuniis ab eccleſia indictis, *& præcipue in quadrageſima* carnes comedat, niſi neceſſitate cogente. Tangi his cenſeo opinionem, quæ tunc apud multos obtinuiſſe potuit, ut jejunii tota ratio in unica comeſtione, nullo habito ciborum diſcrimine, conſiſteret. Quæ ſane opinio demonſtrat fidelium de jejuniis ideam tunc plane diverſam obtinuiſſe ab ea, quæ modo a nonnullis concipitur, ratis in jejunio rationem præcipuam habendam de ciborum diſcrimine, quo ſublato jejunium conſiſtere nequaquam poſſe. MANSI



Propoſitæ Alfonſo rei gerendæ leges.

*ſiones & cætera infraſcripta, nuntio inibi exiſtente præfato, idem Alfonſus Rex, clero & populo etiam præſentibus antedictis, confitebitur & recognoſcet expreſſe ex gratia & liberalitate prædeceſſoris ejuſdem & Romanæ eccleſiæ, dictum regnum Sardiniæ & Corſicæ eidem genitori ſuo ac ſibi ſuiſque heredibus fuiſſe conceſſum in feudum; & ſic dictum genitorem ſuum illud recepiſſe, ſeque illud tenere ſub conditionibus, conventionibus, ſive pactis, modo, tenore, ac forma quæ in dictis ejuſdem prædeceſſoris literis continentur: quos per ſtipulationem ſolemnem promittet & jurabit, ſe inviolabiliter ſervaturum. Pro quibus etiam ſervandis dictum regnum Sardiniæ & Corſicæ, juraque ſibi in eo competentia & competitura & bona ſua, quæ ibidem conſiſtunt & conſiſtent, nobis & ipſi eccleſiæ obligabit; & promittet nihilominus, quod ſucceſſores ſui heredes in dicto regno Sardiniæ & Corſicæ eo tempore, quo facient & præſtabunt vaſſallagium, homagium, & fidelitatis juramentum ſub forma prædicta, ſimilia confeſſiones, recognitiones, promiſſiones, juramentum, & obligationes facient & præſtabunt Romano Pontifici, qui erit pro tempore & eccleſiæ ſæpedictæ.* Addita imperia, ut ex veteri pactione ab Alfonſo diploma regium bulla aurea obſignatum eliceret, quo is Sardiniam & Corſicam Romano Pontifici, ad quem ſupremum earum ſpectet imperium, acceptas referret, initaque conventa confirmaret: quæ literæ pridie idus octobris pontificatus Joannis anno XIII. conſignatæ ſunt. Ejuſdemque diei nota appoſita eſt aliis literis (*a*) ad Regem Alfonſum datis, quibus labore itineris ad ſedem Apoſtolicam pro nuncupanda clientelari ſponſione liberatus eſt, juſſuſque Joanni patriarchæ ſolemni ritu fidem addicere.

(*a*) *Ead. p.* 2. *ep. com.* 1414.

LXXXV. Accepit Alfonſus grati animi ſignificatione beneficium; cumque publice Sardiniam & Corſicam jure beneficiario accepiſſe profeſſus eſſet, & pacta vetera corroboraſſet, ſubjectas literas, uti fuerat conſtitutum, ut rei geſtæ memoria ad ſecuturas ætates propagaretur, his conceptas verbis exaravit (*b*).

(*b*) *Ext. in lib. privil. Rom. Eccl. to.* 3. *pag.* 153. *& MS. bibl. Vall. ſig. lit. B. n.* 12. *p.* 387.

Publica documenta de fide ab Alf. Pontifici devincta.

*Sanctiſſimo ac beatiſſimo in Chriſto patri & domino, domino divina providentia ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Alfonſus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ, & Corſicæ, ac comes Barchinonenſis pedum oſcula beatorum.*

*Sanctitati veſtræ literarum noſtrarum præſentium ſerie pateſiat, quod nos viſo ac plenarie intellecto papali reſcripto ſuper conceſſione & donatione confecto, quam felicis recordationis dominus Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor veſter fecit illuſtriſſimo domino Jacobo recordationis eximiæ Regi Aragonum patri noſtro, ſuiſque heredibus in feudum perpetuum de regno Sardiniæ & Corſicæ cum juribus omnibus & pertinentiis ſuis, ſub certo ſervitio, certiſque conditionibus conſcriptis largius in prædicto reſcripto continentiæ ſubſequentis: Bonifacius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, &c.* Subiiciuntur Bonifacii literæ eadem verborum forma conceptæ, quas nos antea ſuo loco ita conſignatas inſeruimus (*c*). *Dat. Romæ apud S. Petrum* II. *non. aprilis pontificatus noſtri anno* III. His ſubjungit Alfonſus Rex.

(*c*) *To.* 14. *an. Ch.* 1297. *n.* 2.

*Conſiderantes, quod nuper poſt deceſſum prædicti domini Regis claræ memoriæ genitoris noſtri, nos qui tanquam ejus legitimus & univerſalis heres in dicto Sardiniæ & Corſicæ regno ſuccedimus, juxta formam & conditiones contentas in reſcripto donationis jam dictæ fidelitatem, vaſſallagium, & homagium ligium, ac ſecundum formam in eodem reſcripto expreſſam ſanctitati veſtræ & S. Rom. eccleſiæ facere & præſtare perſonaliter tenebamur; providimus per inclytum & legitimum fratrem noſtrum infantem Petrum Ripacurtiæ & Impur. comitem nuncium noſtrum, propter hoc ad ſedem Apoſtolicam deſtinatum, a ſanctitate apoſtolica ſupplicando facere humiliter poſtulari, ut cum nobis his diebus propter occupationes varias, quas novi ſuſcepti regiminis regnorum noſtrorum auſpicia præparabant, ad apoſtolicam præſentiam perſonaliter accedere grave foret, dictam fidelitatem & juramentum ſecundum prædictam formam in præfato infante nomine noſtro recipere dignaremini; quodque licet apoſtolica ſanctitas hoc poſſet rationabiliter denegare; de magna tamen & ſpeciali gratia, quam perſonæ noſtræ facere voluit in hac parte, quam in poſterum ad conſequentiam trahi nequaquam intendimus: reverendo in Chriſto patri domino Joanni nunc patriarchæ Alexandrino, germano noſtro, tunc vero in patriarcham electo Alexandrinum commiſit, injungendo eidem, ut infra menſem computandum a receptione literarum commiſſionis hujuſmodi, quas ſibi per venerabilem Hugonem de Mirabello præpoſitum eccleſiæ Mimatenſis capellanum veſtrum & ſedis Apoſtolicæ nuncium tranſmiſiſtis, certam diem ſolemnem, dummodo dies ipſa eundem menſem non excederet, & locum inſignem nobis aſſignare curaret, ad infraſcripta in præſentia dicti Hugonis a nobis recipienda, ſub modo & ſolemnitate contentis in noſtris literis prædictis, quæ datæ ſunt Avinione pridie idus octobris pontificatus veſtri anno* XIII.

Ut Aragonius id officium præſtiterit.

*Nos igitur, pater beatiſſime, gratiam apoſtolicam ſuper hoc nobis factam cum filiali reverentia & devotis gratiarum actionibus admittentes, tenore præſentium fatemur, & recognoſcimus, quod cum ipſe*

*pſe reverendus patriarcha ſecundum tenorem dictæ commiſſionis aſſignaſſet nobis diem ſolemnem, videlicet diem feſti beatorum Simonis & Judæ Apoſtolorum, & locum inſignem, ſcilicet civitatem Valentiæ; conſtat & eſt verum, quod conſtitutis nobis & ipſo in eccleſia majori beatæ Mariæ ſedis Valentinæ, ubi dictus infans Petrus & epiſcoporum, prælatorum, baronum, clericorum, militum, & populi copioſa multitudo convenerat; lectiſque in noſtra & ipſorum, ac dicti Hugonis de Mirabello præſentia dicto papali reſcripto donationis dicti regni ſupra inſerto, & reſcripto etiam commiſſionis prætactæ, ipſiſque clare nobis & eis expoſitis in vulgari fecimus, & præſtitimus tanquam Rex Sardiniæ & Corſicæ in manibus memorati reverendi patriarchæ, repræſentantis perſonam veſtram, fungentis vice apoſtolica & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, fidelitatem, plenum vaſſallagium, & homagium ligium in forma ſequenti.*

LXXXVI. Sacramenti formula.

*Ego Alfonſus, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia, Rex Sardiniæ & Corſicæ plenum vaſſallagium, fidelitatem, & ligium homagium faciens, & juramentum præſtans pro dicto regno Sardiniæ & Corſicæ, ab hac hora in antea fideles & obediens ero beato Petro, domino noſtro, domino Joanni divina providentia Papæ* XXII. *ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus, ſanctæque apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ. Non ero in conſilio, aut conſenſu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium, quod mihi credituri ſunt per ſe, aut per nuncios ſuos, ſive per literas, ad eorum damnum, me ſciente, nemini pandam: & ſi ſcivero fieri, vel procurari, ſive tractari aliquid, quod ſit in eorum damnum, illud pro poſſe impediam, & ſi impedire non poſſem, illud eis ſignificare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri, tam in regno prædicto, quam alibi exiſtentia, adjutor eis ero ad retinendum & defendendum, ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Univerſas & ſingulas conditiones, modos, ſeu formas & tenores contentos in literis conceſſionis dicti regni Sardiniæ & Corſicæ, ac omnia & ſingula quæ continentur in eiſdem literis, plenarie adimplebo & inviolabiliter obſervabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.*

LXXXVII *Ac deinde in ejuſdem reverendi patriarchæ præſentia, repræſentantis perſonam veſtram apoſtolicam, & fungentis vice veſtra & ejuſdem Romanæ eccleſiæ; in præſentia etiam omnium aliorum prædictorum confeſſi fuimus, & recognovimus expreſſe ex gratia & liberalitate dicti domini Bonifacii felicis recordationis Papæ* VIII. *& ſanctæ Romanæ eccleſiæ dictum regnum Sardiniæ & Corſicæ, eidem domino genitori noſtro, ac nobis noſtriſque ſucceſſoribus heredibus fuiſſe conceſſum in feudum; & ſic dictum dominum genitorem noſtrum illud recepiſſe, noſque illud retinere ſub conditionibus, conventionibus ſive pactis, modo, tenore, forma, quæ in dictis ejuſdem domini Papæ Bonifacii prædeceſſoris veſtri literis continentur. Quos tenorem, modum, conventiones, conditiones, & formam per ſtipulationem ſolemnem promiſimus & juravimus nos inviolabiliter ſervaturos: pro quibus etiam ſervandis nos & dictum regnum Sardiniæ & Corſicæ, juraque nobis in eo competentia & competitura, & bona noſtra, quæ inibi conſiſtunt, & conſiſtent, vobis & ipſi eccleſiæ obligavimus. Promiſimus etiam, quod ſucceſſores noſtri heredes in regnum Sardiniæ & Corſicæ eo tempore, quo facient & præſtabunt vaſſallagium, homagium, & fidelitatis juramentum ſub forma prædicta ſimilia confeſſiones, recognitiones, promiſſiones, juramentum & obligationes facient & præſtabunt Romano Pontifici, qui erit pro tempore, & eccleſiæ ſupradictæ. Et nihilominus prædicta omnia in manu & præſentia dicti reverendi patriarchæ, fungentis in hoc vice apoſtolica, per nos, ut præmittitur, confeſſa, recognita, & promiſſa fatemur iterum & recognoſcimus, ac promittimus per præſentes noſtras literas, aurea bulla noſtra bullatas, quas fieri fecimus, dictoque reverendo patriarchæ, tanquam repræſentanti perſonam apoſtolicam, tradidimus infra menſem ad hoc ſtatutum, ut per eum eidem ſanctitati apoſtolicæ poterit notum fieri. Humani generis Redemptor veſtram beatiſſimam perſonam dignetur per tempora longiora cuſtodire. Dat Valentiæ* V. *kal. novemb. anno Domini* MCCCXXIX.

Confirmatæ veteres pactiones.

Acceptis hiſce literis Joannes Papa, ſequenti anno hæc Alfonſo reſcripſit (*a*): *Super homagio per te, fili, nobis & eccleſiæ Romanæ in eis partibus pro regno Sardiniæ præſtito patentes literas tuas, aurea tua bulla munitas, nobis per dilectum filium Bertrandum de Fonte canonicum Toletanum, venerabilis fratris noſtri Joannis patriarchæ Alexandrini germani tui nuncium, exhibitorem præſentium præſentatas gratanter accepimus, promptitudinem ſuper hoc & diligentiam regiam in Domino commendantes. Dat. Avin.* VI. *id. februarii anno* XIV.

(*a*) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 192.

Alfonſi ſacramentum admiſſum a Pont.

LXXXVIII. Quod attinet ad Petrum Ripacurtiæ comitem Regis Aragonum fratrem, de quo in Alfonſi lileris injecta mentio, flagitarat (*b*) Rex a Joanne ut leges de gradibus conſanguinitatis ad illius gratiam ſolveret, ut Elionoram Reginam Cypri Friderici Regis Trinacriæ, patrui ſui filiam, uxorem duceret: cumque petita reſpueret Pontifex, ne Fridericus ho-

(*b*) Ib. pag. 172.



De nuptiis in vetito gradu contrahendis.

hoſtis eccleſiæ ea nova affinitate Aragonios ſibi arctius devinciret, Alfonſi orator in ea prorumpere verba auſus eſt, ut ſi Pontifex non aſſentiretur, eas tamen inceſtas nuptias perfectum iri. Quo audito, principe Chriſtiano indigno reſponſo, Joannes Alfonſum graviſſimis literis certiorem fecit (*a*), ob quas juſtas cauſas legem canonicam ad fratris gratiam non remitteret: tum quanto piaculo ſe devincirent, qui vetitas nuptias celebrarent, adductis imperialibus & pontificiis decretis demonſtravit.

(*a*) Ead. pag.

*Joannes, &c. Regi Aragonum illuſtri.*

*Sane, fili chariſſime, quamquam libenter tam Regis præfati*, nempe Philippi Regis Franciæ, *quam tuis affectibus, quantum cum Deo poſſumus, annuamus, ſicut de tuis, docente magiſtra rerum experientia, circumſpectionem regiam credimus non latere; ſuper diſpenſationis tamen poſtulatæ negotio ſine Dei offenſa, proximi, & eccleſiæ præjudicio impræſentiarum, quod moleſte ferimus, annuere non valemus. Cum enim ſtatuta ſacrorum canonum non ſint niſi pro neceſſitate vel utilitate eccleſiæ mutilanda, & hanc diſpenſationem, ut clare patet, neceſſitas aliqua eccleſiæ non requirat, nec ex ea ſperatur utilitas aliqua probabiliter ſubſequi (cum nec inter dictum comitem & Reginam prædictos, ſeu inter ipſum comitem & ejuſdem Reginæ progenitores diſſenſio vigeat, nec ſubſit materia, ex qua in poſterum debeat probabiliter excitari) patet quod ob bonum pacis, propter quod plerumque conſuevit eccleſia ad diſpenſationis beneficium inclinari, non poteſt ſine tranſgreſſione canonum, tale beneficium ſuper hoc impertiri. Rurſus nedum non expectatur utilitas ex copula ſupradicta, immo quod ſubſequi debeant pericula gravia, probabiliter formidatur. Novit enim providentia regia, Regem Trinacriæ fore dictæ genitorem Reginæ, nec ignorat Regem ipſum Trinacriæ cum Ludovico dudum duce Bavariæ, hoſte Dei & eccleſiæ, ac de fautoria hæreticorum & crimine hæreſis condemnato, chariſſimique in Chriſto filii noſtri Roberti Regis Siciliæ illuſtris perſecutore atrociſſimo; colligatum exiſtere ac actualiter una cum dicto Ludovico dictum Regem & regnum, quod ad eccleſiam Romanam jure recti dominii pertinet, & pro quo idem Rex ejuſdem eccleſiæ vaſſallus exiſtit, perſecutus eſt æſtate præterita, & ut in futuro perſequi valeat, ſicut dicitur, ſe diſponit. Numquid igitur, durante ſtatu hujuſmodi, ſi Regis talis filia jungeretur cum domo ſic fideli, ſicut eſt domus Aragonum, poſſent tam eccleſiæ, quam Regi Siciliæ prædicto, quam fidelibus aliis Tuſciæ & Lombardiæ partium pericula varia probabiliter formidari? Profecto, fili chariſſime, ſi poteſtatem, quam uxores in viros vendicant, attente conſideres, non poteris, ut credimus, aliud quam dicimus opinari.*

Negata Aragoni facultas.

Propoſitæ cur non ſolvatur lex canonica, rationes.

LXXXIX. *Attende, fili, ad quid virum illum ſapientem, cui nullus purus homo in ſapientia præceſſit ſimilis, nec ſequetur, uxores ejus traxerint, & a quo revocarint eum: utique a Dei veri dilectione ipſum ſeparaverunt & ſervitio, & ad deorum ſuorum falſorum cultum & obſequium, non abſque idololatriæ vitio, pertraxerunt. Si igitur in tam ſapiente talia potuerunt, quid putas in minus ſapientibus poſſunt? Et ſi dicatur, ſicut & dicitur, quod facta diſpenſatione hujuſmodi, ſuper pace reformanda inter dictos Reges & eccleſiam curabis tunc cum fratribus & aliis amicis tuis pro pace hujuſmodi reformanda curam ſedulam adhibere; proculdubio medicus prudens ad adminiſtrandum medicinam infirmo tempus opportunum eligit, in quo medicina ſalutem poſſit efficacius operari. Attendat ergo providentia regia, ſi ad procurandam pacem prædictam tua diligentia poſt diſpenſationem eſſet adeo efficax ſicut ante: & ſupponimus indubie, quod ipſam poſt adeo non reperies efficacem. Primo quidem, quia Rex Siciliæ ſupradictus nec de nobis, nec de te ſperare poterit, ſicut ante ſperaret. Secundo, quia dictus Rex Trinacriæ, ex quo intentum ſuum per dictam diſpenſationem fuerit aſſecutus, non erit ſic obediens votis tuis. Adhuc præfatus Rex Trinacriæ nobis & eccleſiæ in multis aliis injurioſus exiſtit. Primo quidem quia, licet juramento corporali præſtito idem Rex ſingulis ſummis Pontificibus homagium facere, & ligium juramentum fidelitatis infra certum terminum ſit aſtrictus præſtare; nobis tamen hoc facere prætermiſit. Secundo quia, licet certum cenſum pro regno prædicto, juramento corporali præſtito, certo termino ſolvere nobis & eccleſiæ teneatur; in ſolutione tamen hujuſmodi annis pluribus jam ceſſavit. Tertio, quia inaudita gravamina inferre eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis non formidat. Attendat ergo circumſpectio Regia ſi, eo in injuriis hujuſmodi perſiſtente, ſit æquum, quod eccleſia ſibi gratiam faciat, per quam poſſit in tanta malitia pertinacius perdurare.*

Non carere periculo eam conjunctionem.

Propoſitum a Friderico non præſtitam clientelarem ſponſionem.

Non ſolutum cenſum.

Ab eodem vexatum jus eccleſiaſticum.

XC. *Sane quia ſalutem ejuſdem Regis paterno more intenſis deſideriis affectamus, benevolentiam regiam hortamur & rogamus attente, ut ſicut jam te cœpiſſe novimus, de ſtatu tam periculoſo, tam ignominioſo Regem ipſum eripere ſuadeas, & ad pacem reformandam inter Reges prædictos, ipſumque Regem Trinacriæ ad devotionem eccleſiæ reducendum & gratiam interponas efficaciter ſolicitudinis tuæ partes. Ex hoc quidem & divinam uberio-*

rem

*rem promereberis gratiam, ac nos & Reges ipſos tibi conſtitues ad tua beneplacita promptiores. Poſtremo autem præfatus miles nuncius regius extra ſcripturas oblatas nobis ex parte expoſuit regia oraculo vivæ vocis, quod ſi nos diſpenſationem hujuſmodi negaremus, quod præfatum matrimonium nihilominus compleretur. Nos autem, hoc admiranter audito, vix potuimus credere, quod de mente Regis tam catholici proceſſerit dictum tale: præſertim quia, ſicut audivimus, cum diebus præteritis per nonnullos conſuleretur tibi, ut inter te, fili, & Reginam prædictam etiam ſine diſpenſatione, ſi diſpenſatio negaretur, deberet matrimonium celebrari; tu velut princeps catholicus, & devotus eccleſiæ filius, timens Deum offendere, indignanter talem conſiliarium repuliſti. Unde credendum non eſt probabiliter, quod tu, id quod in tua perſona illicitum & inconveniens reputaſti, in cujuſvis perſona alia procurares vel etiam, quantum eſſet in te, cum patientias ſuſtineres.*

Reſpondetur ad temerariam Aragonis vocem.

*Et ut celſitudo non ignoret regia quam deteſtabile apud catholicos principes fuerit crimen iſtud, quantiſque pœnis perſecuti fuerint committentes, pauca tibi duximus præſentibus inſerenda. Ecce quid unus ſtatuit catholicus Imperator: Si quis, inquit, illicitas & contra jus naturæ, quas lex inceſtas & nefandas & damnandas vocat, contraxerit nuptias, ſi quidem non habuit filios ex prioribus legitimis, & inculpabilibus ſibi contractis nuptiis, mox ei ſuarum rerum caſum imminere: ſimul autem & eis, quæ nomine dotis data ſunt ei, in nullo potiri, ſed omnia ærario aſſignari, eo quod dum licuerit facere nuptias legitimas, contra leges amaverit, & confundere quidem ſobolem, nocuerit autem & generi, egerit vero quæ impia ſunt & ſcelerata: ſitque ei plena non confiſcatio ſolum, ſed & cinguli privatio & exilium; & ſi vilis fuerit, corporis verberatio, quatenus diſcat caſte vivere, & intra naturam ſe continere; non autem delectari & amare ultra terminum & tradita nobis a natura etiam, & legibus repugnare. Mulier quoque ſi legem, ſciens, hanc quidem neglexerit, inceſtiſque ſemetipſam tradiderit nuptiis, ſub eadem pœna conſtituenda. De his autem unus canon ſic dicit: Omnis pollutus inceſti macula, eſt infamis. Alius autem ſic dicit: Nos ſequentes patres noſtros, illos ſcilicet inceſtuoſos, notamus infamia, & infames eſſe cenſemus; quia infamiæ macula ſunt aſperſi.*

Expoſitæ pœnæ adverſus contrahentes vetitas nuptias.

XCI. Viennenſis concilii decretum.

*Audi, fili chariſſime, quid contra tales ſtatuerit concilium Viennenſe: Eos, inquit, qui temeritate præſumpta in ſuarum periculum animarum, ſcienter in gradibus conſanguinitatis vel affinitatis, conſtitutione canonica interdictis, matrimonialiter contrahere non verentur, refrænare metu pœnæ ab hujuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes, excommunicationis ſententiæ decrevimus ſubjacere; præcipientes eccleſiarum prælatis, ne illos, quos eis conſtiterit taliter contraxiſſe, excommunicatos publice tandiu nuncient, ſeu a ſuis faciant ſubditis nunciari, donec ſuum humiliter recognoſcentes errorem, ſeparentur ab invicem, & abſolutionis mereantur beneficium obtinere. Ad hæc, chariſſime fili, quia excellentiam regiam, ſucceſſibus abundare proſperis, intenſis deſideriis affectamus, eandem rogamus attentius & hortamur, quatenus ſic in cunctis te prudenter & provide dirigas, ſic laudabiliter actus tuos & opera, velut princeps catholicus & ex devota proſapia genitus modereris, ut Regi Regum, per quem regnas & regeris jugiter occurras acceptior, magiſque reddaris in ejus oculis gratioſus, ac in orbe terrarum nominis tui fama clarioribus titulis augeatur: quod utique aſſequeris, ſi declinare vetita ſtudueris, teque in præceptis divinis ſedule exercere, &c. Dat. x. kal. martii anno* XIII. Paruit monenti Pontifici Alfonſus Rex, cum referat Surita (*a*), Petrum Riparcurtiæ comitem Joannam Gaſtonis Fuxenſis comitis ſororem thoro ſibi junxiſſe, cum Pontificem ad dandam poteſtatem ut Conſtantiam Reginam Cypri Friderici Regis Trinacriæ filiam uxorem duceret, flectere non potuiſſet: illam vero Regi Armeniæ nupſiſſe.

(*a*) *Sur. l.7. c.14.*

XCII. Caſtellæ Regis nuptiæ ob publicam pacem confirmatæ.

Contraxerat vetitas nuptias cum Maria Regis Alfonſi Luſitaniæ filia Caſtellæ Rex: cumque veniam ſupplex poſceret a Pontifice, utque initum matrimonium confirmaret deprecaretur, Joannes explicandam in eum miſericordiam cenſuit, (*b*) cum ille non in eccleſiaſticæ auctoritatis contemptum, ſed ad publicam pacem aſſerendam, ac potentiam in Saracenos confirmandam id pertentaſſet; tum ut ex longiore in copula differenda mora pericula anteverteret, legemque de conjugiis ad ſui gratiam ab Apoſtolica ſede ſolvendam ſperaret. Ad expiandum vero crimen Pontifex Bracharenſi archiepiſopo ac Burgenſi & Ægitanienſi ac Palæſtino epiſcopis munus impoſuit, ut conjuges conſtituto tempore thoro abſtinere juberent, ac fidem jurejurando devincirent, nunquam ſimile quid ipſos molituros.

(*b*) *An.13. p.1. ep. com.916.*

Irrogata illi ad crimen expiandum pœna.

*Fraternitati*, inquit, *veſtræ mandamus, quatenus eos ſeparetis ad tempus, injuncto eis inter alia ſub virtute juramenti præſtandi, quod ſimilia non committant vel facientibus præbeant conſilium, auxilium, vel favorem; dictoque Regi pro ſalutari pœnitentia injungentes, ut ad placandam divinam offenſam, & quod exceſſus hujuſmodi tam graves tamque deteſtabiles ipſis divina pietas non debeat imputare, unam eccleſiam collegiatam erigat in loco, quem in regno ſuo duxerit eligendum, &c. Dat. Avin.* XVI. *kalend. anno* XIII. Cum etiam Joannem Ovetenſem epiſcopum ea de re certiorem factum cauſam, ob quam Regi non reſcriberet, ipſi ſignificare juſſit (*a*): *Quod*, inquit, *præfato Regi ad præſens reſcribere omittimus, non miretur cum, ſicut tua prudentia non ignorat, contrahentes matrimonium in gradibus conſanguinitatis vel affinitatis, conſtitutione canonica interdictis, excommunicationis ſubjaceant ſententiæ auctoritate concilii Viennenſis. Nos * præfato Regi non dirigeremus libenter niſi tanquam devoto & in gratia exiſtenti eccleſiæ, quod minime valemus facere, donec abſolutus a ſententia hujuſmodi fuerit (ſuper quo nos apud ipſum excuſare ſtudeas) ſcripta noſtra. Dat. Avin.* III. *non. martii anno* XIII. Rege vero ac Regina cenſurarum religione, quibus ſe irretierant, ſolutis, Pontifex Mariam Reginam graviſſimis ſententiis ad ſectandam pietatem informavit (*b*).



(*a*) *To.7. p.2. ep. ſecr. p. 156.*

Vetus mos, ut Pontifex anathematis reis non ſcribat.

* *enim*

(*b*) *Ead. pag.*

Alfonſo vero petita ab illo ab Apoſtolica ſede pro conficienda Granatenſi expeditione ſubſidia conceſſit, de quibus ſuperiori anno, adductis Alfonſi Regis ad Pontificem ſupplicibus literis, ipſum egiſſe vidimus; utque adjectas leges religioſe ſervaret, eſt adhortatus (*c*).

(*c*) *Ead. par pag. 152.*

XCIII.

Pellexit Alfonſus Caſtellæ Rex in ſacri belli ſocietatem Alfonſum Aragonum & Alfonſum Luſitaniæ Reges, quos quidem novis affinitatibus ſibi devinxerat: neque enim modo Mariam Luſitani filiam ſibi junxerat, verum Blancam Petri principis, qui ad Granatam occubuerat, filiam Petro Luſitani Regis filio deſpondit, Regique Aragonum Alfonſo Eleonoram ſororem uxorem tradidit. Porro de ſacro illo inter tres Reges fœdere hæc ſcribit Mariana (*d*): *Inter tres Reges fœdus adverſus Mauros ſancitum, ſi gentis impiæ reliquias viribus ſocietatis delere poſſent: cautum præterea ne perfugas inter ſe reciperent, in quo tranquillitatis publicæ ſpes continebatur.* Acceſſiſſe in illius belli ſacri ſocietatem Philippum Navarræ Regem, ſequenti anno viſuri ſumus: quem quidem hoc anno una cum conjuge Joanna Regina tertio nonas martii ſolemni ritu ſacro oleo perunctos coronatoſque Pompejopoli, refert idem Mariana (*e*); novos vero Reges his legibus ante eam celebritatem ſancitis aſſenſiſſe: *Regni vendendi, permutandi, regiive patrimonii alienandi facultas ſublata: ſi proles maſcula nata eſſet, cum primum vigeſimum ætatis annum explеſſet, Vaſconum Regem fore: reipublicæ moderatorem, datis Philippo patri centum aureorum millibus, ſi nullam ex ſe prolem reliquiſſent, novi Regis inſtituendi liberam poteſtatem penes tres ordines futuram.*

(*d*) *Marian. de reb. Hiſp. l.15. c.20.*

Hiſpani Reges in Mauros fœdus jungunt.

(*e*) *Ead. cap.*

De Philippo Rege Navarræ.

XCIV. Armeni a Saracenis oppugnati. Subſidiario auro a Pont. adjuti. Petrus e Palude creatus Patriarcha Hieroſol.

Dum ea apud occidentales principes gerebantur, oppugnabant Armenos in oriente Saraceni: cum Pontifex eorum tuendorum zelo, ne ſub impiorum tyrannide ſuccumberent, Petro e Manſo & Arnaldo e Fabricis Apoſtolicæ ſedis nuntiis partes dedit, ut plurimam auri vim in belli ſacri ſumptus convertendam erogarent; ea tamen lege, ſi Armeni in fide & conjunctione eccleſiæ conſtantes perſtarent: acceperat enim nonnulla in eo regno contra traditam a patribus incorruptam religionem novata. Conſultum etiam lapſæ in Syria religioni, præfectuſque eſt patriarchatui (*f*) Hieroſolymitano Petrus e Plaude * ordinis Prædicatorum theologicæ ſcientiæ laude florens, & Raimundo, qui in Cypro objerat, ſubrogatus: cui etiam ad dignitatem ſuſtentandam eccleſiæ Nimocienſis in Cypro adminiſtratio tradita. Ad paſcendos præterea divino verbo Georgianos inſtituta eſt Tephelicæ ſedes cathedralis, & Joannes Dominicanæ familiæ alumnus Georgiæ datus epiſcopus, ut ex ſubjecto diplomate patebit.

(*f*) *An.13. p.2. ep. com.1827. & poſt eand. ep.*

* Palude

*Joannes, &c. dilecto filio Joanni de Florentia electo Tephelicenſi.*

In Georgia Tephelicæ conditus epiſcopatus.

*Nuper ad dilationem fidei Chriſtianæ cultumque divini nominis ampliandum, ſuadentibus etiam aliis rationabilibus cauſis, locum inſignem Tephelicenſem nuncupatum, in regno Jorgianorum conſtitutum, de fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis in civitatem ereximus, ipſamque vocabulo inſignivimus civitatis & civitatem Tephelicenſem volumus perpetuis futuris temporibus nuncupari; ac de conſilio & plenitudine antedictis decrevimus & conſtituimus in civitate ipſa fore conſtituendam eccleſiam cathedralem, eamque dignitatis epiſcopalis titulo decorandam.* Et infra: *In te ordinis fratrum Prædicatorum profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum, in ſacra pagina eruditum, qui conditiones & qualitates illarum partium præſentialiter & palpabiliter expertus, & per tuam ſationem verbi divini multorum jam fidelium lucrifeciſſe animas diceris domino Jeſu Chriſto; cuique ſacræ religionis zelus, vitæ munditia, morum gravitas, diſcreptionis maturitas, aliaque dona virtutum, prout etiam teſtimonia fide digna perhibent, commendabiliter ſuffragantur, oculos convertimus noſtræ mentis: quibus omnibus debita meditatione diſcuſſis, de perſona tua eccleſiæ præfatæ de dictorum fratrum conſilio auctoritate apoſtolica providemus, &c. Dat. Avin.* XIV. *kal. novemb. anno* XIV.

Jo. Flor. ord. Præd. inſtitutus epiſcop. ejus eccl.

Ad

XCV. Trapezuntinus Imp. ad eccl. Rom. conjunctionem ſolicitatus.

(a) An. 14. p. 1. ep. com. 335.

Ad revocandos etiam ad ſinum eccleſiæ a diuturno ſchiſmate Aſiaticos Græcos, Joannes religioſos viros zelo ac ſcientia præditos tranſmiſit in Galatiam & Cappadociam, qui populos vera religione excolerent; tum Imperatorem Trapezuntinum ad redintegrandam eccleſiæ Aſiaticæ cum Romana conjunctionem excitavit (a).

*Magnifico viro Trapeſundarum Imperatori, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

Pontificiæ ad illum hac de re lit.

*Licet votis zelemur ardentibus, ut cunctis mortalibus, quos Dei Filius Jeſus Chriſtus ſuo ſanguine pretioſo redemit, cœleſtis gratiæ radius illuceſcat, & ſalus votiva proveniat animarum, ut hoſtis antiqui, ſemper quærentis ut noceat, eluſa nequitia, ſupernæ beatitudinis gloria, quam non ſufficit capere intellectus humanus, quamque Salvator noſter, a quo univerſorum chariſmatum dona manant, ſe diligentibus repromittit, in ſuavitatis fœcundæ dulcedine perfruatur; hoc tamen profundius perpeti cura revolvimus, hoc ſitimus ardentius, hoc in ſolidæ charitatis ardore crebris orationibus poſtulamus, ut inter omnes, quos regeneravit unda baptiſmatis, ceſſet ſciſſuræ diviſio, ceſſent errorum nebulæ, fidei charitas jubilet, & mentales oculos in Chriſto credentium temeratæ fidei perfidia non obducat; unaque ſancta catholica & univerſalis eccleſia in unitate veræ fidei, ſub uno paſtore, & unius ovilis intemerata & ſolida unione, ad conquirendam ejuſdem beatitudinis gloriam gratis ſucceſſibus fœcundetur. Ideoque excellentiam tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, te in domino Jeſu Chriſto, per aſperſionem ſui pretioſi ſanguinis obſecrantes, quatenus diligenter attendens, quod tibi creſcet ad meritum, accedet ad gloriam atque famam, ſi datum tibi deſuper fuerit ut tu & populus, tuæ ditioni commiſſus directionis tuæ ſtudio, ad unitatem ejuſdem catholicæ & univerſalis eccleſiæ revertamini, extra quam non eſt gratia, neque ſalus; te & prædictum populum habilitare & reducere ſtudeas ad ejuſdem catholicæ & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ perpetuam & inviolabilem unionem, &c. Dat. Avin. kalend. decembris anno* XIV. Conceptæ ſunt eadem formula literæ (b) hortatoriæ ad Raſſiorum, Tephelicenſium in Georgia & Choracicenſium Reges, atque ad Solagay, Miſſerquis, Tephelicenſes principes, tum Carpi & Aliquis regulos, quos omnes ad repetendum Romanæ eccleſiæ ſinum excitavit; tum Prædicatores & Minoritas, qui iis in oris circumferebant evangelium; tum Bernardum e Gardiola epiſcopum Diagorganenſem enixe commendavit.

(b) Id. reg. poſt eand. ep.

XCVI. (c) Ib. ep. com. 65.

Retulere (c) magnam pietatis & conſtantiæ gloriam, Ungari Aſiatici, Malchaytæ, & Alani, qui licet impiis ſuperſtitionum erroribus irretitis populis circumfuſi eſſent, incorruptam tamen fidei puritatem ſervaverunt. Eminebant inter eos dignitate Jeretanny Ungarorum Regum ſtirpe ſatus, qui cum præſulem catholicum a ſede Apoſtolica flagitaſſet, Pontifex epiſcopum Gemiſcatenſem ad eos tranſmiſit; ſubjectiſque literis ad fidem tuendam, ac religioſorum virorum pia monita excipienda ipſos inſtruxit.

Ungari Aſiatici, Malchaytæ, & Alani fidem Chriſtianam colunt.

*Dilectis filiis Jeretanny & univerſis Chriſtianis Ungaris, Malchaytis & Alanis ſalutem.*

*Ingentem, nec mirum, materiam gaudiorum ſuſcepimus, quod ſummus ille cœleſtis agricola, qui omnes quos diligit ad cognitionem ſui miſericordi ſemper beneficio evocat atque trahit, quodque per inenarrabilem gratiam unigeniti ſui toto orbe diffuſam auget continue familiam Chriſtianam, vos veræ fidei luce perfuſos, & ſacri baptiſmatis fonte renatos & imbutos, doctrina evangelicæ & apoſtolicæ veritatis in orientalibus partibus in eorum medio, qui nondum gratiam recepere baptiſmatis, collocavit. In immenſum inſuper nobis ceſſit ad gaudium intellecto, quod tu, fili Jeretanny de ſtirpe catholicorum principum Regum Ungariæ deſcendiſti; quodque tu & alii Chriſtiani in dictis partibus commorantes, zelo fidei & devotionis fervore ſuccenſi, doctorem catholicum deſideratis habere, qui vos in fide catholica verbis ſalutaribus inſtruat; & ſanctis exemplis informet: propter quod a nobis humiliter veſtris ſupplicationibus poſtulaſtis, ut aliquem catholicum antiſtitem, ſacrarum ſcripturarum ſcientia præditum, vitæ ſanctitate decorum, verbo utilem & exemplo mirabilem, ad partes ipſas pro inſtitutione veſtra in eadem fide catholica mittere dignaremur.*

Ad religionem tuendam excitati.

Antiſtes ſacrorum ad eos miſſus a Pont.

*Cupientes igitur, ut Chriſti familia ubique locorum incrementa ſuſcipiat, ſed maxime in ipſis partibus dilatetur, venerabilem fratrem noſtrum Gemiſcatenſem epiſcopum, vobis notum, ad partes ipſas cum noſtræ benedictionis gratia providimus deſtinandum: Quocirca devotionem veſtram monemus & hortamur in domino Jeſu Chriſto, quatenus ſacris inſtructionibus, quas idem Thomas & alii epiſcopi catholici, nec non dilecti filii fratres Prædicatorum & Minorum ordinum, in ipſis partibus commorantes, in doctrina catholicæ fidei vobis fecerint, mentales aures devotius adhibentes, animos veſtros veritati ejuſdem fidei & ſanctorum patrum auctoritatibus coaptetis. Benedictionem noſtram inſuper vobis impendimus, & rogamus humani generis piiſſimum Redemptorem, ut ipſe vos benedictionis ſuæ rore perfundat, ut in veræ fidei unitate conſtantes vod de bono perficiatis in melius, & alios ad familiam gregis dominici fructuoſis exemplis & operibus evocetis. Dat. Avin.* III. *kal. octobris anno* XIV.

Commendati Prædicatores & Minoritæ.



XCVII. (a) Eod. an. 14. p. 1. ep. com. 70.

Inter Tartaros aucta religio.

(b) Ib. ep. 69.

Excitati etiam literis apoſtolicis omnes Chriſtiani, qui in Perſide verſabantur, (a) ut in divino amore ac religione conſtantes perſtarent: tum Zacharias archiepiſcopus S. Thadæi Apoſtoli e Corateſia jn Perſide ad zelum in fide proferenda inflammatus (b). Incumbebant vero magna laude ad traducendos ad Chriſtum eos populos Dominicanæ ac Franciſcanæ familiarum religioſi viri, qui plures Perſas ab errorum tenebris in altiſſimam evangelii lucem eduxere. Denique Pontifex apoſtolico impulſus zelo, ut omnes barbaros ad cultum divini Numinis converteret, Tartarorum Imperatorem, propoſita orthodoxæ fidei formula, ad eam amplectendam hiſce literis ſolicitavit (c). Miſerat enim oratores Imperator ad Apoſtolicam ſedem, ut ſacerdotes & epiſcopos ad ipſum ac Tartaros fide Chriſtiana excolendos depoſcerent.

(c) Ib. ep. com. 280.

*Magnifico viro Elchigadan Imperatori Tartarorum Coraſſan, & Turqueſtam ac Indoſtan, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

*Paſtoralis officii commiſſi nobis a Domino debitum exigit, ut excellentiam tuam ad ea, quæ tuæ ſalutis profectus reſpiciunt, tibique titulos laudum adſcribunt, ſolicitis inducamus ſtudiis, & affectuoſis exhortationibus excitemus. Licet igitur verbum crucis, ac univerſalis redemptionis humanæ ſalutiferum venerandumque præconium per apoſtolicam tubam in ſalutem univerſitatis exiverit, & ad univerſos orbis fines ſonus doctrinæ pervenerit ſalutaris; tamen perſonam tuam eo ſpecialius lucrifacere Domino cupimus, mentiſque tuæ oculos cognitione veræ & catholicæ fidei illuſtrare, quo propter beneficia & multa ſolamina, quæ in terris dominio tuo ſubjectis exhibes Chriſtianis te magis præcipua affectione proſequimur, tuoſque ſpirituales proventus ardentius affectamus; quove etiam ſpes certa nobis impenditur, quod ad fidem catholicam, faciente illo, in cujus manu corda ſunt hominum omnium, facilius convertaris. Non enim procedit niſi ex ſuperni luminis gratia, quæ ſicut credimus, oculos tuæ mentis aperuit ad exercendum erga renatos fonte baptiſmatis pietatem, quod tu dilectos filios fratres Prædicatorum & Minorum ordinum, fideles operarios Jeſu Chriſti, in partibus orientis evangelizantes in fervore ſpiritus verbum Dei, benigne ſuſcipis, devote pertractas, & officium eis hilaris hoſpitalitatis impendis. Colligimus etiam ex aliis tuorum laudabilium operum floribus tuæ devotionis inſignia, qui nuper duos fratres ejuſdem ordinis Prædicatorum, venerabilem fratrem noſtrum Thomam nunc epiſcopum Seniſcantenſem cum uno ſocio ejuſdem ordinis ſpeciales nuncios tuos ad Apoſtolicam ſedem devote & humiliter deſtinaſti, petens & cupiens tibi per literas apoſtolicas benedici, ac etiam de fide catholica informari. Laudabilia igitur vota tua gratis affectibus complectentes, eundem Thomam ad ſtatum proveximus paſtoralem, curam animarum, quas ad gregem ſuum in civitate Seniſcantenſi cœleſtis pietas jam vocavit, vel vocabit in poſterum, eidem Thomæ epiſcopo auctoritate apoſtolica committentes. Et ut catholicæ fidei ſeries tibi plenius innoteſcat, eam tibi annotatam præſentibus deſtinamus, quæ talis eſt.*

Imperator Tart. favet Chriſtianis. Actæ illi a Pont. gratiæ.

XCVIII. Fidei catholicæ deſcripta formula. (d) Ext. an. 1318. n. 10. & ſeq.

*Et quidem credimus ſanctam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, &c.* Eadem (*d*) eſt fidei formula quæ ad Armenos antea tranſmiſſa eſt, uſque ad hæc verba: *Sua tamen prærogativa tam in generalibus conciliis, quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalva. Ideoque magnificentiam tuam rogamus & hortamur attente, quatenus ſedula meditatione recogitans, quod fragilis eſt & caduca humanæ naturæ conditio, plena periculis, expoſita caſibus, inſtabilis ſtatus ejus; conſiderans etiam, quod a lege mortis, mordentis omnia, nullus excluditur, promptus aſſurgas, præſto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Chriſtianæ fidei, & ſuſcipiendum baptiſmatis ſacramentum ad laudem divini nominis, tuæ ſalutis profectum, & augmentum fidei ſupradictæ, ut lucis ſuæ radio illuſtratus, te ſolerter exerceas ad ejus fines laudabiliter ampliandos, ut poſt vitæ præſentis excurſum a porta inferi libereris, & ejus diris cruciatibus, pœniſque graviſſimis evitatis, æternæ beatitudinis præmia perpetuis duratura temporibus conſequaris. Ad hæc multæ benignitatis affectum, quem, ſicut prædiximus, Latinis Chriſtianis, in partibus illis morantibus & illuc accedentibus, favorabiliter exhibes, uberibus gratiis proſequentes petimus, ut affectum hujuſmodi tua nobilitas continuet circa illos & cæteros alios, qui fide imbuti fuerint orthodoxa. Cæterum inſtanter rogamus, ut eundem Thomam epiſcopum, & omnes catholicos antiſtites, in dictis partibus commorantes, & qui illuc accedent in poſterum; nec non præfatos Prædicatorum & Minorum ordinum profeſſores, ad dictas partes non alicujus commodi temporalis obtentu, ſed ſolum pro lucrifaciendis Domino animabus non abſque gravibus laboribus & periculis accedentes, benigne pertractes, jucunde recipias, prædicationes ipſorum aure cordis efficaciter audias, ipſoſque per tuos ſubditos ſimiliter facias benigne ſuſcipi & tractari; ut bonorum omnium retributor men-*

Propoſitum felicis immortalitatis præmium.

*mentem tuam aperiat, te beneplacitis ſuis coaptet, tuoſque labores in ejus obſequium præſtitos non ſolum temporalibus, ſed etiam ſpiritualibus præmiis recompenſet. Datum Avin.* IV. *nonas novembris anno* XIV.

Profecti etiam ſunt in Æthiopiam præcones evangelici; miſſiſque literis præfixa hac ſalutatione, *Gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro*, Æthiopum imperatorem Pontifex ad veram religionem allicere ſtuduit (*a*): cum vero illæ eadem pene verborum formula conceptæ ſint, qua tranſmiſſæ ad Trapezuntinum Imperatorem, repetendæ non viſæ ſunt.

*(a) An. 14. p. 1. ep. com. 273.*

Afful-



I. Schiſmatis abolitio.

Affulſit eccleſiæ felix annus a partu Virginis milleſimus trecenteſimus trigeſimus, indictione decima tertia, quo peſtiferum ſchiſma, Petro Corbario ſcelus damnante, ac Joannem, quem antea ut hæreticum immani veſania damnaverat, verum Chriſti vicarium ſolemni ritu ac ingenti demiſſione agnoſcente, ſedatum eſt. Cujus hiſtoriæ longam adducturi ſeriem, temporum ordinem ſervandum putavimus. Subduxerat (*a*) ſe anno ſuperiori Petrus fuga præcipiti cum reliqua ſchiſmaticorum & hæreticorum colluvie; quæ mox piorum metu diſſipata (*b*) eſt, e Piſana urbe: auxitque fugitivi antipapæ pavorem, Piſas in veri Chriſti vicarii obſequium procubuiſſe, ac tum fugam ad Bavarum eſt molitus; urgenteque terrore, ne caperetur a catholicis, latebras quæſivit. Rem accurate narrat ex Bernardo Boſquetus (*c*) his verbis: *Poſt receſſum Bavari de civitate Piſana, callide cogitans*, nimirum Tarlatus nobilis Gibellinus Piſarum præfectus, *ſibi appropriare dominium civitatis, de voluntate civium Piſanorum, qui erant de tyrannide Bavari gravati multipliciter & afflicti, cœpit tractare de pace cum poteſtate, eccleſia, & civibus Florentinis. Et tunc dederunt commeatum prædicto Petro antipapæ, ut inde recederet & abiret: cumque peteret a prædicto Tarlato, ut ſibi provideret de ſecuro conductu, donec perveniſſet ad Bavarum, qui adhuc erat in partibus Lombardiæ, negavit Tarlatus: & tunc prædictus antipapa ſecretius dedit ſeipſum in manibus Bonifacii comitis Novelli de Donoratico Piſani; & ipſe Bonifacius fecit eum de nocte occulte duci cum quodam ſuo anticardinali fratre Paulo de ordine fratrum Minorum ad unum caſtrum ſuum in maritima, quod vocatur caſtrum de Urgari, quod diſtat a civitate Piſana per* XXXV. *milliaria: ubi cum prædicto Paulo anticardinale occultus latuit circiter per tres menſes. Verum cum cives Florentini quacumque ex cauſa duxiſſent exercitum gentis ſuæ verſus partes illas, dubitans & timens dictus Bonifacius comes, ne hoc facerent, ut prædictum antipapam ſcirent ibi latere, & quærerent ipſum antipapam habere; fecit eum quanto potuit occultius reduci ad domum ſuam in civitate Piſana, ubi tenuit eum abſconditum & occultum, &c.*

*(a) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 121.*
*(b) To. 7. p. 2. ep. ſecr. p. 49.*
Antipapæ latebræ.
*(c) Boſq. in Jo. 22.*
Ut antipapa ad Bavarum ſe conferre niſus ſit.
Bonifacio comiti ſe crediderit.
Aliquandiu latitarit.

II. Interim Pontifex extinguendi ſchiſmatis cupidus, ac reſtituendæ eccleſiæ priſtinæ tranquillitatis, omnem operam defixit, ut abditiores receſſus, in quos ſe condidiſſet antipapa, ſcrutaretur: & omnes, qui illum occultatum tenerent, vel ut capeſſeret fugam præſidio eſſent, bonorum privationis terrore & cenſurarum religione perculit: tum illius comprehendendi Simoni archiepiſcopo Piſano, epiſcopo Florentino, & electo Lucano kal. martii provinciam dedit. Excurrente breviſſimo a datis hiſce imperiis tempore, eductus eſt ex impuro latibulo ſuo coluber: dum enim Piſanorum oratores in pontificia aula verſabantur, percrebuit Petrum Corbarium in comitis Bonifacii e Donoratico poteſtate eſſe. Quem mox, accepta certiſſima rei fama, Joannes literis eſt adhortatus (*d*), ut illum, ut loquitur, *gehennæ filium atque alumnum maledictionis*, ad ſedem Apoſtolicam adducendum traderet: tum graviſſima pericula propoſuit, in quæ ſe ſuoſque coniiceret, ni apoſtolica juſſa faceret. Quæ literæ hac nota loci ac temporis ſunt conſignatæ. *Dat. Avin.* VI. *id. maii pontificatus noſtri anno* XIV. Pontificis parendum decrevit Bonifacius comes, quem detinuiſſe antipapam arcana divini Numinis providentia perpendit Joannes (*e*): *Ne*, inquit, *dictus Petrus antipapa, ſe transferendo ad partes alias, poſſet Dei eccleſiam cum ſuis ſequacibus ulterius perturbare, ſuſcitavit Deus ſpiritum Danielis in dilectum filium nobilem virum Bonifacium comitem de Donoratico, ut ipſum Petrum reciperet & cuſtodiret, ne poſſet proficiſci alibi, ut ſic malis, quæ inde poſſent ſubſequi, obviaret.*

Veſtigandi illius Florentino & Lucano epiſcopis data Provincia.
Bonifacius e Donoratico, monitus ut illum tradat.
Detectæ latebræ antipapæ.
*(d) Ead. p. 2. ep. ſecr. pag. 6.*
Divina in retinendo antipapa providentia.
*(e) Ep. ſecr. pag. 57.*

III. Antipapa pœnitens.

Tentus vero in liberali cuſtodia Corbarius pſeudopontifex, cum diffugia aucupari non poſſet, pontificiam miſericordiam tentandam putavit: atque ad eam conciliandam demiſſas haſce literas (*f*) tranſmiſit, quibus antipapatus correpti crimen execratus eſt, ac Joannem verum Chriſti in terris vicarium agnovit.

*(f) Ext. inſerta in pontif. lit. to. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 8.*

*Reverendiſſimo ac ſanctiſſimo patri & domino, domino Joanni Papæ ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, frater Petrus de Corbario, dignus omni pœna, ſeipſum ad pedes cum reverentia veræ ſubjectionis.*

*Licet, ſecundum canonem evangelicæ veritatis, qui non intrat per oſtium in ovile gregis dominici fur appelletur & latro rapacitatis lupinæ, audiens & conſiderans diligenter tanta enormia ſcelera pravitatis hæreticæ ſtylo ferreo exarata in ungue adamantino, quanta dicebantur a multis de veſtra ſolida fide, ſicut præſumptuoſus, temerarius, & ſuperbus aſcendi ſuper aſtra cœli eccleſiaſtici, ubi mihi meis peccatis exigentibus parata fuit ſedes iniquæ prælationis; ſed poſtquam deveni ad territorium Piſanum, & quæſivi diligentiſſime de prædictis, & inveni quod obliqua erant & falſa, & deficiebant in pondere*

Ejurat hæreſim.





ve-

Et pſeudopontificatum.

Spondet ubique locorum profeſſurum ſe deliquiſſe.

* id eſt abjurare ſcelus

Veniam flagitii implorat.

*veritatis, dolui & doleo vehementer, & pœnitet me feciſſe quæ feci contra jura & leges veſtri ſacratiſſimi nominis de conſilio perverſorum. In cujus rei teſtimonium jam eſt annus completus, quod adverſarium veſtrum dimiſi ſponte, & ſedem mei præſumptuoſi culminis dereliqui: & propono firmiter in civitate Piſana & etiam in Urbe, atque ubique locorum renuere *, ſecundum quod veſtra benigniſſima ſanctitas decreverit ordinandum. Et quia graviſſime peccavi & erravi patenter in invio & non in via, ſupplico veſtræ clementiſſimæ pietati quatenus mihi maximo peccatori dignemini parcere ſecundum multitudinem magnam miſericordiæ Dei vivi, ut rediens ex totis viſceribus reliquias deleam & annihilem ſupradictorum de cordibus univerſorum fidelium, & ora claudam omnium obloquentium de veſtra ſereniſſima ſanctitate; & eccleſiæ Dei de cætero ſit unus paſtor & unum ovile pro pace totius populi Chriſtiani. Datum in confinibus Lucanorum.* [1]

IV. Hæc Petrus e Corbaria in clientum eccleſiæ poteſtatem lapſus demiſſe ſcribebat, qui dum Ludovici Bavari potentia nitebatur, Pontificem Joannem e Caturco, hæreticum & exauctoratum appellabat, atque inanibus anathematum ſuorum fulminibus percutere nitebatur; illum tamen ſeu vere ſive in ſpeciem reſipiſcentem paterno ſinu excipere decrevit Pontifex, ut ſubjecto diplomate ipſemet teſtatur (a).

(a) To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 8.

*Joannes, &c. Petro de Corbario ordinis fratrum Minorum, quod cœpiſti laudabiliter feliciter adimplere.*

Pontificis ad pœnitentem antipapam reſponſum.

*Profecto, fili, ex dictarum ſerie literarum percepimus tibi immenſam exultationis & gaudii materiam miniſtratam. Nunquid non ingens materia gaudii, quod tibi ambulanti in tenebris, & quaſi in profundum malorum prolapſo, lux illa vera, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, illuxiſſe videtur, manumque ſuam tibi, ut de profundo malorum exeas, miſericorditer porrexiſſe? Sane quia affectum paternum non prætereunt commoda filiorum, nos expertes non ſumus illo gaudio, quod utique inane exiſteret, ſi quod cœpiſti laudabiliter Spiritus ſancti gratia, feliciter non compleres. Et quoniam nemo ponens manum ad aratrum, retro reſpiciens, aptus eſt regno Dei; hortamur in Domino & rogamus, ut attente provideas, ne ſpiritum tam benignum extinguas: ſed ipſum in te nutriens, ejus inſpirationes exequi cum omni promptitudine & reverentia ſtudeas.*

Hortatur eum, ut Spiritus ſancti afflatibus pareat.

*Et quia ſæpe nocuit differre paratis, ſæpeque vidimus tempus a mane uſque ad veſperam immutari; ſano tibi ſuademus conſilio, ut more cujuſvis vinculis interruptis & laqueis, de tenebris ad lucem, ac de morte ad vitam exire ac pervenire feſtines, nihil hæſitans quin nos ſi compenſaveris facta dictis, reperies patrem pium, benignum, & propitium, & omnium tuarum immemorem offenſarum, &c.* Subjungit ut cum ſe ad geſta damnanda Piſis, Romæ, vel in aliis locis paratum obtulerit, plurimum rei catholicæ conducere, ut Piſis ea omnia, quæ Pontificis in morem peregerit, abjuret; ſeque ad Apoſtolicam ſedem conferat, ut apud eam injurias eccleſiæ illatas ſarciat, gratiamque pontificiam ineat. *Dat. Avin.* III. *id. julii anno* XIV.

Pollicetur veniam.

V. Cur Pontifex miſericordia potius quam ſeveritate uti maluerit.

Mollioribus hiſce verbis Petrum Corbarium ad ſchiſma ejurandum pellicere maluit, cum ex ea facilius reliquos ſchiſmaticos veritatis luce colluſtrandos, redituroſque ad ſinum eccleſiæ ſpes affulgeret, quam ſi cum ipſo verbis durioribus egiſſet, iiſque laceſſitus in pervicacia obriguiſſet. Quamvis enim, ſi obfirmatus in ſcelere fuiſſet, certa manerent illum

NOTÆ

1] EX literis Petri de Corvaria, hic ab annaliſta recitatis, lux affunditur hiſtoriæ, alioqui obſcuræ, de fuga, detectione, & reſipiſcentia antipapæ. In literis enim illis teſtatur ſe anno jam evoluto ſpontaneam uſurpatæ dignitatis abdicationem feciſſe; quod an vere ſcripſerit, ambigendi juſta cauſa ſubeſt. Facile enim contigiſſe potuit, ut deſtitutum ſe Bavari præſidio intelligens, a quo Piſis cum modica militum cuſtodia relictus fuerat, & in Piſanis ſpei ſibi parum fore conſiderans, non ſponte ſed coacte ſeſe ſubduxerit. Sed continuator Nangii affirmat miſerum hunc monachum cum primo Avenioni coram pontifice, & frequenti populo errores ſuos ejuravit, aſſeruiſſe, ipſomet pontifice veritatem dictorum comprobante, ſe ante annum & menſes quatuor, adeoque anno præcedenti aprili, vel majo menſe, ſpontaneas literas dediſſe ad pontificem, quibus paratum ſe ad obſequium profitebatur; nec niſi a Gibellinis, quorum cuſtodiæ traditus erat, ne reverteretur prohibitum. Utcumque tamen ſit, anni illius partem aliquam tranſegit latens in oppido, quod Bernardus Guidonis ex editione Martenii appellat Urgari, in editione vero Baluzii eſt *Burgari*, in altera Muratorii rer. Ital. to. III. part. II. *Bargari*; omnes mendoſe, nam verum & genuinum ejus nomen eſt *Bulgarium*, ſeu *Bulgari* qui locus eſt in paludibus intra amnem Cocinam, & promontorium Plumbini non longe a Donnoratico, cujus oppidi comiti ſeſe tradiderat. Inde Piſas tranſlatum teſtatur Bernardus, ſed forte in alio ignoto loco ad Lucenſium fines prius abditus fuit, nam ex eo loco ad pontificem literas dedit, quas junio menſe hujus anni ſcriptas judico, cum pontifex literis datis III. id. julii illis reſponderit. Ex his etiam literis falſi arguuntur veteres illi ſcriptores, qui antipapam per ſcelus proditum traditumque in manus pontificis a comite Donnoratici affirmant; ſponte enim ſe illi commiſiſſe credi non immerito poteſt. MANSI



illum ſupplicia: ſequaces tamen in ſchiſmate non parum confirmaſſet: quam ob cauſam Pontifex ab aliis literis, in quibus atrociſſima ejus flagitia recenſebat, ut ad crimina lacrymis expianda ipſum adduceret; mittendis ſuperſedit. Extant eæ in pontificio regeſto (a), in cujus pagina marginali hæc verba appoſita: *Iſta non proceſſit*. Eam tamen literarum partem afferre operæpretium ducimus, in qua ſcelera exprobrat, plurimaque hiſtoriæ lux afferenda videtur.

(a) Ead. p. 2. pag. 9.

Prætermiſſæ literæ objurgatoriæ.

*Joannes, &c. Petro de Corbario ordinis fratrum Minorum, quod cœptum eſt laudabiliter feliciter conſummare.*

Circumſtantiæ Corbarii crimen augentes.

*Tuæ quidem perſonæ conditio reddit offenſam hujuſmodi utique multipliciter graviorem: eras enim vir religionem profeſſus ſubditam ſingulariter Apoſtolicæ ſedi: vir ætatis provectæ, ſcripturæ divinæ nequaquam inſcius, & qui diu moram traxeras in religione prædicta. Gravitatem offenſæ te non credimus ignorare: tunicam quippe Chriſti inconſutilem tentaſti ſcindere, quod tamen gentiles milites facere vitaverunt, ipſumque pontificatu ſuo, qui in æternum permanet, voluiſti privare, vicariatum ſuum ab excommunicato recipiens & privato omni jure, ſi quod competebat ſibi ex electione in Imperatorem de ipſo celebrata in diſcordia & de hæreſi condemnato; dogmatizans & aſſerens publice, quod ad illum pertinebat Papam deponere, & ordinare alium, per hoc incidens in hæreſim jam damnatam. Dignitates quoque tam cardinales quam pontificales, & alias inferiores, tam ſæculares quam regulares; necnon & alia inferiora beneficia eccleſiaſtica cum cura & ſine cura, amotis interdum ab eis de facto fidelibus, hæreticis de facto ſeu hæreticorum fautoribus & ſchiſmaticis in animarum ſuarum periculum providiſti. Officiales inſuper juxta morem ſummorum verorum Pontificum ad indulgentias & diſpenſationes reſervatas ſedi Apoſtolicæ, immo etiam quæ non conſueverunt per ſedem eandem fieri; timore Dei poſtpoſito, facere ac concedere auſu nefando & temerario nimium præſumpſiſti. Hæreticos quoque & ſchiſmaticos, ac hæreticorum & ſchiſmaticorum fautores non erubuiſti per te, vel alium, ſeu alios promovere.*

Ludovici hæreſis confirmata.

Schiſmatici & hæretici ad epiſcopatus promoti.

VI. *Nunquid per hæc Chriſti tunica ſcindebatur? Nunquid ſponſa Chriſti ſancta Dei eccleſia quantum in te erat, tradebatur ſtupratoribus ad ſtuprandum? Nunquid per hæc via ad ſubvertendam ſanctam Dei eccleſiam fidemque catholicam parabatur? Nunquid per hoc erat via parata hæreticis ad ſuas hæreſes prædicandas publice, & ſimplices a viritate fidei revocandum? Nunquid negabas Chriſtum Pontificem? Nunquid ſponſam ſuam, quantum in te fuit, exponere proſtibulo attentaſti? Nunquid ſchiſmaticum & hæreticum, immo hæreſiarcham & hæreticorum patronum publice te feciſti? Nunquid in locis interdicto ſuppoſitis tam in Urbe quam in tota Italia, quantum in te fuit, coegiſti profanare divina? Nunquid tentaſti fideles ſuis privare prælationibus & dignitatibus & beneficiis eccleſiaſticis, & ad illos fautores hæreticorum, ſeu hæreticos promovere?*

Catholici vexati.

*Profecto, fili, graves & atroces offenſæ ſunt iſtæ: & tamen hæc omnia bonitatem Dei non retrahunt, quin de tua ſalute ſit ſolicita, & quin cor tuum, ut defectus tuos recognoſcat, illuminet; ut ſic pedes tuos ad viam veritatis convertere non omittas. Si enim a corde tuo puro proceſſerint quæ continet epiſtola ſupradicta, tenemus indubie, ſuppoſito quod a corde tuo puro proceſſerint ſupradicta, quod Spiritus ſanctus in ejus confectione affuerit; quinimmo quod non a te, quæ in ea ſcripta ſunt, ſed ab eodem in te loquente Spiritu emanarint, &c. Dat.* III. *id. julii pontificatus noſtri anno* XIV.

Adhortatio ad execrationem flagitii.

VII. Cautum antipapæ vitæ.

Acturus porro interpretem Bonifacius comes pro reſtituendo in gratiam Pontificis pſeudopapa, primum illius vitæ ac ſaluti cavere ſtuduit, obtinuitque facile ex innata eccleſiæ manſuetudine, quæ tunc majorem explicuit clementiam, quo atrocius laceſſita ac læſa fuerat; hæc enim eidem comiti Pontifex reſcripſit (b): *Volumus indubie te tenere, quod ſi deputatis a nobis ipſum ſpontaneum duxeris aſſignandum, eidem vitam ſervabimus; & ſi in prædictis perſtiterit, ipſum gratiis & favoribus prompto animo proſequemur: ſi autem ipſum invitum duxeris eidem aſſignandum, adhuc ſibi vitam, ut tuis ſatisfiat deſideriis, ſervabimus; & ſi a deviis reſipuerit, ipſum gratiis noſtris & favoribus non relinquemus expertem. Dat.* III. *id. julii anno* XIV.

(b) Ead. p. 2. pag. 10.

Commendavit aliis literis (c) Bonifacii ac Timucii illius præfecti præclarum in eccleſiam ſtudium, flagitantique comiti nonnulla in Petri gratiam, ac primum ut omnium criminum nexibus tam occultis quam manifeſtis abſolveretur; Joannes hæc reſpondit (d): *Attendentes quod ad talem miſericordiam ſine peccatorum confeſſione poteſtas noſtra, etiam ut miniſtri, ſe nequaquam extendit, quod poſtulaſti nequivimus adimplere. Sed ecce quod volentes ejus providere ſaluti, tuæque annuere voluntati, ſibi per noſtras patentes literas*, extant eæ in eodem regeſto pontificio, *indulgemus, quod poſtquam errores ſuos recognoverit, ſecundum formam contentam in noſtris literis aliis eligere poſſit confeſſorem idoneum, qui audita ejus confeſſione ſibi poſſit abſolutionis beneficium juxta formam (e) eccleſiæ impertiri*. Adjecerat alia petita, ut nullius quam

(c) Ead. pag.

(d) Ib. pag. 11.

Cenſuris poſt ejuratum ſcelus liberandus.

(e) Ext. ib. pag. 12.

*Tria aureorum millia eidem annua promiſſa.*

quam Romani Pontificis auctoritati obnoxium illum fore decerneret; tum etiam aliqua ſtipendia ad tolerandam vitam attribueret, quibus ampliſſime annuit Pontifex: tria enim aureorum millia ex ærario pontificio illi annis ſingulis pendenda conſtituit: ex quibus illi attribuendis data Piſano archiepiſcopo & electo Lucano imperia, donec ipſi uberius conſultum eſſet.

*(a) To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 11. Alias pactiones poſtulat, ſed repellitur.*

VIII. Porrexerat etiam alias in ejuſdem Corbarii gratiam preces Bonifacius, quas Joannes non admiſit, reſponditque (a): *Ad id quod in calce tuæ literæ continetur, ſcilicet quod niſi ea, quæ pro eo poſtulabas, ſibi primo faceremus, & ſuper ipſis apoſtolicum mitteremus privilegium, vehementius dubitabas ne a tali facto dictus Petrus reſiliret propoſito, & in pertinacia longanimi perduraret; reſpondemus, quod ſi de puro corde ſuo proceſſerant quæ nobis per ſuas literas nunciavit, de hoc non eſt in aliquo hæſitandum: ſi vero non de puro corde proceſſerint, ſed de facto, vide fili quantum eſſet eccleſiæ ſanctæ Dei periculum ſibi concedere poſtulata: jam enim ſi præmiſſa poſtulet, quæ pro eo per tuas literas poſtulaſti, cor ſuum nequaquam detegit, & quantum perverſe ſe facturum diſpoſuerit, pandit. Unde, fili, in hoc nec tu, nec fidelis aliquis debes annuere, nec impertiri ſibi favorem aliquem, ſed ipſum illis, quos ad hoc deputavimus per noſtras alias literas, debes invitum etiam aſſignare.* Tum reſcindit omnia ſacramenta, quibus ſe Petro in rei catholicæ injuriam devinxiſſet. *Dat. Avin.* III. *id. julii anno* XIV.

*Monitus Bonifacius, ut invitum etiam tradat.*

Urſit aliis literis eodem die exaratis Bonifacium, ut invitum traderet: *Cum non ſit*, inquit, *cum tanto diſcrimine ejus pertinaciæ indulgendum, venerabilibus fratribus noſtris archiep. Piſano & epiſcopo Lucano, vel eorum alteri, ubi ambo vel nollent vel non poſſent his intendere, noſtro & eccleſiæ Romanæ nomine debeas aſſignare.* Et infra: *Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tecum, quæ tibi gratiam tribuat, ut quæ juſte petuntur & ſuadentur fideliter, ſublato ulterioris moræ diſpendio, exequaris.* Tum omnia promiſſa, ſi quæ feciſſet, etiam jurejurando firmata, quæ in eccleſiæ detrimentum vergerent, diſſolvit, infregitque. *Dat.* III. *id. julii anno* XIV.

*(b) Ib. pag. 7.*

IX. Geſſit morem pontificiis imperiis Bonifacius. Præſcripſit vero Joannes Simoni Piſano archiepiſcopo (b) modum, quem in Petro e Corbaria ad eccleſiæ gremium revocando tenere deberet.

*Joannes, &c. Simoni archiepiſcopo Piſano.*

*Præſcriptus modus admittendæ ab eo ſchiſmatis ejurationis.*

*Primo in tua præſentia & venerabilis fratris noſtri Lucani epiſcopi, vel alterius veſtrum, ſi forſan amborum præſentiam abhorret; nec non & illorum, in quorum præſentia frequenter eſſe ac fuiſſe noſcitur, recognitis erroribus & etiam abjuratis, per vos ſibi abſolutionis beneficium impendatur: deinde in præſentia multorum prælatorum, religioſorum & clericorum, nobilium & ignobilium uſque ad numerum, de quo vobis & dilectis filiis nobilibus viris Bonifacio comiti de Donoratico ac Timucio ejus bajulo expediens videretur, repetat & faciat iterum ſupradicta; ſibique poſtmodum abſolutionis beneficium impendatis, ac ſub virtute juramenti præſtiti injungatis, ut infra certum competentem terminum eidem præfigendum, cum illis, quos eidem vos vel alter veſtrum, ubi ambo circa hoc intendere non poſſetis, aſſignandos duxeritis, ſe noſtro conſpectui perſonaliter repræſentet: alioquin in eaſdem ipſo facto pœnas & ſententias relabatur, & proin infecta præmiſſa abſolutio habeatur.*

*Juſſus Petrus e Corbaria publice acta ſua damnare.*

*Hoc autem fraternitatem tuam volumus non latere, quod literam dicti Petri nobis miſſam ad Dei laudem & gloriam fratribus noſtris in conſiſtorio legimus, quam utique, ut apparebat, audiverunt cum gaudio, & Deo de tanta miſericordia, quam circa eundem Petrum exercebat, gratias retulerunt, devotionem mittentium plurimum in Domino commendantes. Ad hæc quia inter alia tenor continet literæ ſupradictæ, quod idem Petrus proponit firmiter in civitate Piſana & in Urbe etiam, ac ubique locorum, ut ejus verbis utamur, renuere**, *ſicut nos decreverimus ordinandum, videtur nobis, ſibi & eccleſiæ catholicæ plurimum expedire, ut ſuis recognitis Piſis erroribus & etiam abjuratis, quæcumque ut Papa præſumpſit facere, eſſe nulla, ſicut & ſunt, publice recognoſcens juxta modum, quem tu & dictus epiſcopus, vel alter veſtrum, ut prædicitur, ordinandum duxeritis, ad noſtram non tardet præſentiam ſe conferre: nullibi ſiquidem de injuria illata Deo & eccleſiæ melius poteſt ſatisfacere idem Petrus, quam ubi Chriſti vicarius noſcitur & eccleſiæ caput eſſe: nec alibi ſic noſtrum favorem percipere poterit, nec ſecurius, ſi recte conſideret, immorari. Dat. Avinion.* III. *id. julii anno* XIV.

* id eſt abjurare antipapatum & hæreſim.

*(c) Eod. l. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 10. & pag. 12.*

Extant quoque apoſtolicæ literæ (c), quibus eidem Simoni archiepiſcopo & Guillelmo deſignato epiſcopo Lucano eſt provincia data, ut Petrum e Corbaria, damnatis rite ab eo erroribus, cenſuris exolverent: tum a quorumcumque præſulum auctoritate liberum pronuntiarent: (d) reſtituerent (e) piorum cœtui omnes, qui ipſum jam ante excepiſſent, redeunteſque ad eccleſiæ ſinum pœnis ac ſententiis, quibus eſſent irretiti, liberarent. Corbario autem ſacerdotis, apud quem conſcientiæ maculas expiaret, eligendi poteſtatem fecit (f).

*(d) Ead. pag. 12. (e) Pag. 8. (f) Pag. 11.*

Ip-



*Piſis antipapatum publice ponit. (a) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 23. Traditur pontificiis nuntiis. (b) Jo. Vil. l. 10 c. 164. Niciam navigat. (c) To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 12.*

X. Ipſum porro ejuraſſe Piſis ſolemni ritu antipapatum, atque omnia in Chriſti vicarium a ſe geſta damnaſſe, edita ea de re publica acta ac literæ pontificiæ (a) teſtantur: utque apud ſubſellia apoſtolica commiſſa ſcelera expiaret, quarto auguſti die a Piſanis & comite Bonifacio, ut refert Joannes Villanus, (b) firmatis nonnullis conventis, quæ antea a nobis indicata ſunt, pontificiis adminiſtris, qui duas triremes ad iter inſtruxerant, traditus eſt: ac ſecundis auris afflantibus ſecundo die Niciam in Provincia applicuit. Quo accepto nuntio Pontifex, patris evangelici prodigum filium excipientis inſtar, magno ſe ex illius adventu delibutum gaudio ſignificavit (c), atque ad conſtantiam in ſuſcepto optimo conſilio ipſum excitavit, cum ea magno uſui in extinguendo ſchiſmate, atque innumeris animabus e laqueis demonum eripiendis, traducendiſque ad Chriſtum futura eſſet.

*Petro de Corbario ordinis fratrum Minorum.*

*Pontificiæ ad illum lit. paterni amoris ſignificatione plenæ. In ſuſcepta pia mente confirmatur. Saluti futuram pluribus illius converſionem.*

*Læti percepimus hodie te, iter ſpontanee proſequentem, ad noſtram veniendi præſentiam lætum & incolumem Nicæam perveniſſe. Profecto, fili, talis adventus cor noſtrum exultatione replevit & gaudio non indigne: ſi enim patri cedat ad gaudium videre filium inventum fuiſſe, qui perierat, vel qui fuerat mortuus revixiſſe, cujus tamen inventio vel revictio paucis, aut forſan nulli fuerat profutura; quantum putas tua inventio & a morte ſpirituali reſuſcitatio in nobis poſſit & debeat peperiſſe gaudium, de cujus inventione & reſuſcitatione multorum ſalus probabiliter ſpectatur? Rurſus ſi angelis eſt gaudium ſuper uno peccatore agente pœnitentiam, cujus forſan pœnitentia futura non eſſet utilis niſi ſibi, quantum nobis immo toti eccleſiæ catholicæ ſuper tua converſione poſſit exiſtere gaudium, quæ nedum tibi prodeſt ad meritum, ſed & Deo ad gloriam, angelis ad gaudium, cunctiſque cedit hominibus ad exemplum? Procul dubio tantum eſt & eſſe debet hujuſmodi gaudium, quod lingua non poſſet illud de facili explicare.*

*Nec tu, fili, expers a gaudio debes eſſe: ſi enim eſt gaudium ad lucem venire de tenebris, & de crudeliſſimo liberari carcere, ac de jugo gravi ad ſuave tranſire; utique tibi, in quo ſpiritualiter concurrunt præmiſſa omnia, ingens in Domino gaudium debet eſſe: nec quoad nos, nec quoad te gratiarum debet ceſſare actio, nec vox laudis, immo debent illi, qui tam clementer tamque miſericorditer nobiſcum dignatus eſt agere, in corde & ore jugiter reſonare; ac etiam ipſum ſuppliciter exorare, ut qui præmiſſa faciendi virtutem tibi tribuit, in ipſis quoque perſeverandi uſque in finem virtutem miſericorditer largiatur. Gaude ergo, fili, in Domino, qui de tantis malis te liberavit & periculis, & gratiarum actiones non ceſſes agere; læteque ad nos venire feſtina, ſciturus indubie, quod nos pium patrem & clementem reperies, præterita in memoria non tenentem; ſed te tractantem ſicut chariſſimum filium & ſpecialem amicum. Dat. Avin.* V. *id. aug. anno* XIV.

*Ejuratum ab eo Niciæ pſeudopontificium. (d) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 23. & p. pag. 57. Pendente e collo laqueo ad Pont. pedes ſe abiicit. (e) Jo. Vil. l. 10. c. 164. Sur. l. 7. c. 13. (f) Ext. in arc. S. Aug. & in MS. arch. Vat. ſign. lit. C. Nic. Card. de Arag. pag. 141. & in alio MS. pag. 248. Apud Boſq. in vit. Jo. XXII. & apud Contel. in elench. Cardd.*

XI. Dum ille Niciæ ſubſiſtebat, imperiaque apoſtolica expectabat, ut Piſis egerat, in celebri præſulum ac virorum nobilium corona ſacrilegio Petri ſedem invaſiſſe faſſus eſt (d), iterque cœptum proſecutus, & in omnibus inſignibus locis publice damnato crimine vigeſimaquarta auguſti die Avenionem ingreſſus, proxime inſequenti in medio Cardinalium ſenatu, laqueo collo injecto, ut narrat Joannes Villanus (e), magna animi demiſſione ad pontificios pedes proſtratus, ſeque hæreſi contaminatum faſſus, condemnatoque Bavaro, qui illum pſeudopontificem crearat, admiſſa a ſe flagitia injectumque orbi Chriſtiano impietatis exemplum execratus, miſericordiam imploravit. Conſcriptæ ſunt ea de re publicæ tabulæ in privato ſecundo conſiſtorio editæ (f), cum in primo eoque publico ob adſtantium multitudinem, ac ſtrepitum Petrus ſcriptam de antipapatu ejurato formulam integram repetere non potuiſſet, ac pudore perfuſus obmutuiſſet.

*Publicæ tabulæ de ejurato in publico conſiſtorio pſeudopontificio.*

*In nomine domini. Amen. Cunctis & ſingulis pateat evidenter, quod anno a nativitate Domini MCCCXXX. indictione* XIII. *Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Joannis, digna Dei providentia Papæ* XXII. *anno* XV. *die ſexta menſis ſeptembris, conſtitutus perſonaliter coram ipſo domino noſtro Papa in privato conſiſtorio, præſentibus & aſſiſtentibus ejus reverendis in Chriſto patribus dominis Cardinalibus ejuſdem ſacri collegii, nec non aliis teſtibus, & nobis clericis cameræ ſuæ publicis tabellionibus infraſcriptis; frater Petrus de Corbario ordinis fratrum Minorum ex ſua certa ſcientia, gratis, & ſpontanea voluntate, ac motu ſuo proprio libere facta & exhibita reverentia humili & devota, ſæpius genibus flexis, eidem domino noſtro Papæ, ac dominis Cardinalibus in eodem conſiſtorio præſentibus, teſtibus dominis Gasberto Arelatenſe, Bertrando Ebredunenſe archiepiſcopis; Bertrando Stephani electo Regenſi, Bindo Lemiardo, Manuele domini Papæ notariis, Gaufrido Cavallicenſi, Petro Carcaſſonenſi, Ildebrandino Paduano epiſcopis; Helione magiſtro majore hoſpitalis Jeroſolymitani, Guidone dalphino Viennenſi, Joanne comite Forenſi, Geraldo de Lalo, &*

*Ber-*

*Bernardo Graverii capellanis apoſtolicis; in effectu propoſuit & legit per ordinem ſicut denotantur inferius omnia & ſingula, quæ ſequuntur.*

XII. *Pater ſanctiſſime, ſicut veſtra tenet memoria, nec excidit a mea, die vigeſima quinta menſis auguſti proxime præteriti ego frater Petrus de Corbario ordinis fratrum Minorum, in veſtri, ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Joannis, ſuperna providente clementia, ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummi Pontificis, veri & unici vicarii Jeſu Chriſti, ſacrique collegii veſtri RR. in Chriſto patrum dominorum Card. præſentia; nec non præſente fidelium tam prælatorum & religioſorum, quam aliorum clericorum & ſæcularium multitudine copioſa in conſiſtorio publico, quantum ad ſententiam, & effectum recognovi, & confeſſus fui, reprobavi, anathematizavi, refutavi, & renui omnes & ſingulos errores & hæreſes, in quibus incideram hactenus ex aſſumptione damnati & hæretici ac ſchiſmatici ſtatus antipapatus, per me erronee & inique dudum aſſumpti ab hæretico & ſchiſmatico Ludovico de Bavaria, & nonnullis fautoribus ſuis ejus complicibus in hac parte ſchiſmaticis & hæreticis condemnatis; nec non ex damnabilibus fautoriis & adhæſionibus ipſorum & plurium aliorum hæreticorum, & ſpecialiter Ludovici prædicti & Michaelis de Cæſena olim generalis miniſtri ordinis antedicti, peſſimorum hæreticorum & ſchiſmaticorum reprobatorum per eccleſiam ſanctam Dei, multorumque ſequacium, complicium, & fautorum ſuorum, quibus in eorum factis perverſis, ac falſis opinionibus & damnatis favi ſæpius damnabiliter & adhæſi; illoſque ac quoſcumque alios errores & hæreſes abjuravi, jurando ad ſancta Dei evangelia, mentaliter & corporaliter per me tacta, præmiſſa omnia & ſingula inviolabiliter obſervare, ac mandatis ſanctæ matris eccleſiæ & apoſtolicis per omnia obedire.*

Ludovici & Michaelis errores ſe ſuſcepiſſe plangit.

XIII. Ut in primo conſiſtorio obmutuerit, & quibus de cauſis.

*Sane cum tunc fatigatus ex labore, debilitatus in vigore, anguſtiatus in dolore, & confuſus ex rubore, confractuſque ex itinere ac timore, impeditus in clamore, extinctus in devotione, mortuus tandem in amore, eo quod dilexi dudum malitiam ſuper benignitatem, & iniquitatem magis quam loqui æquitatem, juſto Dei judicio obmutuerim evidenter, & ſicut volui non potuerim omnia exprimere ſupradicta, nec vos etiam forſan, beatiſſime pater, una cum dicto ſacro veſtro collegio dominorum Cardinalium prædictorum ea plene propter tumultum aſſiſtentium, & dicta impedimenta mea, intelligere potuiſtis; ideo latius in præſenti privato conſiſtorio reſumptis confortativis viribus, poſtquam de benignitate & humilitate clementiæ ſanctitatis veſtræ apparuit, quoniam non ex operibus juſtitiæ, quæ nunquam feci actualiter; ſed ſecundum magnam Dei & veſtram miſericordiam me ſalvaſtis: & operuiſtis omnia mea ſcelera & peccata, laborem meum oppreſſivum ſedando pacifice, & vigorem perditum mihi reſtituendo integre, & dolorem afflictivum dulcificando conſolative, ruboremque confuſivum laudabiliter removendo, ac timorem meum confortando viriliter, & clamorem meum raucum ſanando celeriter: extinctamque devotionem meam ſuaviter inflammando, & amorem meum mortuum vivificando; cum confidentia ſecuritatis pacifice & benigne prædictos errores & hæreſes, ac omnia & ſingula ſcelera & delicta mea iniquiſſima & nefanda proponere confidi, publicare & legere volo in ſcriptis, ut certius pateant univerſis, & vos, beatiſſime pater, una cum dictis dominis Cardinalibus poſſitis ea intellectu ſuſcipere pleniori. Quare hujuſmodi hæreſes & errores, ac ſcelera & delicta mea coram vobis & dictis dominis Cardinalibus ac teſtibus aliis, & clericis cameræ apoſtolicæ publicis tabellionibus infraſcriptis, ad laudem & gloriam altiſſimi Dei patris, beatiſſimæ ſemperque virginis Mariæ, beatorum angelorum & ſanctorum omnium, & veſtri ſanctiſſimi patris præſentis, veri & unici in terris vicarii Jeſu Chriſti pro ſalute & pace perfecta totius populi Chriſtiani propono, confiteor, recognoſco, publico, & lego per ordinem, ut inferius deſcribuntur.*

Pontificia in eum clementia.

Renovata priſtina ſchiſmatis ejuratio.

XIV. *In (a) nomine Dei Patris omnipotentis, ac Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Quoniam, juxta ſapientis doctrinam, occultanti ſcelera ſua denegatur directio, pure autem confitenti & ea penitus deſerenti, eſt miſericordia repromiſſa; idcirco ego frater Petrus de Corbario ordinis fratrum Minorum minimiſſimus & ſceleratiſſimus peccator hoc conſideranter attendens, nolens ulterius cum impiis commiſceri, ſed cupiens toto corde in viam veritatis, quam inique deſerui, dirigi & miſericordiam & gratiam Jeſu Chriſti, & veſtri beatiſſimi in Chriſto patris ac domini, noſtri domini Joannis, ſuperna providente clementia, ſummi Pontificis, veri & unici ejus in terris vicarii, ac eccleſiæ ſacroſanctæ catholicæ, quibus meis iniquiſſimis & nefandis me privavi ſceleribus, valeam promptius & efficacius obtinere; quamquam nuper Piſis exiſtens coram patribus reverendis dominis, Simone archiepiſcopo Piſano & Guillelmo Lucano epiſcopo, ac diſcreto viro magiſtro Raynaldo Stephani clerico papalis cameræ & apoſtolico nuncio præſentibus, quam multis prælatis aliis, religioſis, & nobilibus, ac popularibus civitatis prædictæ, errores meos &*

(a) *Extat etiam apud Bern. in Jo. XXII. ex editione Boſq.*

Graviſſime ſeipſum accuſat Corbarius.

Joannem unicum & verum Pontificem agnoſcit.

*ſce-*



*ſcelera ſpontanee cum ingenti cordis amaritudine confeſſus fuerim, & dominis archiepiſcopis & epiſcopo, ad hoc per vos pater ſanctiſſime deputatis, ſupplicaverim humiliter & devote, ut mihi parato præfatos errores & quoſcumque alios abjurare, ac mandatis ſtare veſtris apoſtolicis: & inſuper mihi recognoſcenti, quod ea, quæ ut Papa, immo verius antipapa tam circa perſonam hæretici Bavari, quam circa creationem, quam de facto præſumpſi Cardinalium & aliorum officialium, quos veri ſummi Pontifices ſoliti ſunt habere, quam circa diſpoſitionem, & ordinationem patrimonii beati Petri Apoſtoli; nec non circa privationem nonnullorum prælatorum a ſuis prælationibus, & aliorum clericorum a ſuis dignitatibus & beneficiis aliis eccleſiaſticis, quocunque nomine cenſeantur, & proviſionem attentatam de facto de præmiſſis prælaturis, dignitatibus, & beneficiis aliis eccleſiaſticis quibuſcumque; nec non & quæcunque alia, quæ ut Papa quocunque modo præſumpſeram ſeu feceram, nulla præſumpta, ac temeraria fuiſſe & eſſe, & ab omni effectu juris vacua, & nullius penitus exiſtere firmitatis, velut attentata ab illo, cui nullum jus talia facere competebat, & illi, in quorum perſonas illa attentata fuerint, cum eſſent ſchiſmatici & hæretici ſeu hæreticorum fautores notorii, eſſent penitus non capaces, necnon & ea, quatenus de facto proceſſerant, quantum erat mihi poſſibile revocanti, & nulla fore & inania declaranti, abſolutionis mihi impenderent beneficium ab omnibus ſententiis juris & hominis, quas ob præmiſſa incurreram, vel aliquid præmiſſorum, meque incorporarent & reſtituerent ſacroſanctæ eccleſiæ catholicæ unitati, quod utique præfati archiepiſcopus & epiſcopus auctoritate veſtra apoſtolica ipſis per literas veſtras patentes apoſtolicas in hac parte conceſſi, recognitionibus & revocationibus ſupradictis receptis, ac juramento de ſtando mandatis veſtris apoſtolicis prompte & liberaliter exequi curaverint; hoc adjecto, quod ſi ad priſtinos errores, ſeu actus ſchiſmaticos ſceleratos redirem, in eaſdem pœnas & ſententias reincidam ipſo facto; ac nihilominus illa nuper in diverſis civitatibus provinciæ Provinciæ confeſſus fuerim & abjuraverim, & nulla fore per me attentata recognoverim, & ea quatenus de facto proceſſerant, quantum poteram & ad me pertinere poterat, revocaverim & declaraverim eſſe nulla; nihilominus tamen ad fortius abolendas maculas hæreſum & infamiæ, quas contraxi & incurri ex præmiſſis & pluribus aliis damnabilibus fautoriis, adhæſionibus, & conſiliis per me dudum exhibitis hæretico & ſchiſmatico Ludovico de Bavaria, principali ſtatus mei damnati hujuſmodi patratori, ac ejus ſequacibus, fautoribus, & complicibus; & ſpecialiter hæretico & ſchiſmatico Michaeli de Cæſena, olim ordinis fratrum Minorum generali miniſtro, de hæreſibus & ſchiſmate, ac pluribus hæreticorum fautoriis & adhæſionibus per vos præfate ſanctiſſime pater, legitime condemnato; adhuc tamen errores meos & ſcelera in præſentia veſtri, ſacrique veſtri collegii dominorum Cardinalium conſtitutus, intendo & volo recognoſcere & abjurare, ac alia facere, quæ veſtra ſanctitas duxerit ordinanda.*

Male a ſe præſumpta damnat.

Pontificiæ ſe ſubmittit voluntati.

XV. *In primis itaque confiteor, & cum ingenti amaritudine animi recognoſco, quod cum ſeductor ille ſchiſmaticus & hæreticus manifeſtus Ludovicus de Bavaria, dudum jure, ſi quod ſibi quæſitum fuerat ex electione diſcordi de ipſo in Regem Romanorum celebrata, juſte privatus fuiſſet per ſedem Apoſtolicam & eandem ſanctitatem veſtram, ac ut hæreticus & fautor hæreticorum notorius de multis hæreſibus & fautoriis hæreticorum ac ſchiſmatibus condemnatus, ad Urbem Romanam imbutus diabolico ſpiritu perveniſſet, & religioſus vir frater Joannes de Meliano miniſter Romanæ provinciæ dicti ordinis fratrum Minorum, ac reverendus in Chriſto pater dominus Joannes Dei gratia S. Theodori diaconus Cardinalis, ſedis Apoſtolicæ & ejuſdem veſtræ ſanctitatis legatus pro majori obſervatione interdicti, cui tunc erat per vos, ſanctiſſime pater, ſuppoſita Urbs prædicta, ejuſdem Ludovici adventu percepto, mihi & aliis fratribus in eadem Urbe morantibus ſub virtute obedientiæ & excommunicationis pœnis, quas non parentes ipſo facto incurrerent, publice injunxiſſent, ut dictam Urbem omnes & ſinguli exiremus: ego tamen infelix peccator, præceptis hujuſmodi non obſtantibus, licet omnes alii fratres, paucis exceptis, eidem legato & miniſtro promptius obedirent; in eadem Urbe, præſente dicto peſſimo hæretico & ſchiſmatico Ludovico, & aſſiſtentibus ei pluribus aliis ſchiſmaticis & hæreticis condemnatis & reprobatis per ſanctitatem veſtram, & eccleſiam ſanctam Dei, pertinaciter remanere præſumpſi: & in ea, licet eſſet juſte & ſancte per vos eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita, celebravi ſæpius, immo quantum in me fuit, verius profanavi.*

Dolet ſe ad legati imperium ex Urbe non exiſſe cum Bavarus eſſet ingreſſus.

Divina contra fas celebraſſe.

XVI. *Deinde cum idem perfidus Ludovicus datus in ſenſum reprobum ſe de facto feciſſet Imperatorem a dictis Romanis perfidis coronari, & contra vos, beatiſſime pater, diabolicam & iniquiſſimam depoſitionis, immo verius abuſionis, promulgaſſet ſententiam, & proceſſus diverſos temerarios, falſos nimium & injuſtos; meque ad quorundam perfidorum principalium Romanorum, clericorum, & laicorum inſtan-*

ſtantiam ejus ſequacium una cum certis de clero & populo perfidis ejus complicibus & fautoribus ad hoc ſecum vocatis, in Papam & ſummum Pontificem, immo verius antipapam damnatum & peſtiferum elegiſſet; ego miſer inductus, immo ſeductus ſuis, & multorum tam clericorum quam laicorum ejus fautorum & ſequacium dictæ Urbis precibus importunis, & pernicioſis inſtantiis ac infeſtis falſo & erronee aſſerentium, quod Papam Imperator deponere poterat, & loco depoſiti alium ordinare; & quod per conſequens eidem hæretico & ſchiſmatico Ludovico, qui tunc in fictum & falſum Imperatorem denuo ſe coronari de facto fecerat, & vos, pater beatiſſime, abuſive depoſuerat, hoc licebat; mea ſuperbiſſima damnatione, more luciferi, ambitioneque damnabili nihilominus excœcatus, hujuſmodi clamationi tam nefandæ quam reprobæ, immo nulli, malitioſe conſenſum meum temerarium, & excœcatum, ſicut præmittitur, omni pœna digniſſimum non erubui adhibere; & ſubſequenter conſecrari, immo execrari ab hæretico & ſchiſmatico Jacobo dudum epiſcopo Caſtellano excommunicato & depoſito, & coronari a dicto hæretico Ludovico de Bavaria me permiſi: licet ad eum, etiam ſi verus Imperator exiſteret, ſicut revera non erat, nec eſt, ſed hæreticus manifeſtus & reprobus; egoque verus eſſem Papa, ſicut in veritate non eram, ſed antipapa potius ſchiſmaticus, hæreticus, & iniquus, nequaquam talis coronatio pertineret. Item quod Cardinales, immo verius anticardinales, & omnes officiales, quos verus Papa eſt habere ſolitus, ordinare de facto præſumpſi, bullamque more Papæ, licet eſſem reprobus & damnatus, fieri feci hujuſmodi, eaque falſo uſus fui temere & inique.

Aſſenſiſſe ſuadentibus, ut antipapatum corriperet.

XVII. Et ut ſtatum meum perverſiſſimum & Ludovici prædicti damnati, ac falſas opiniones hæretici & ſchiſmatici Michaelis de Cæſena, dudum miniſtri generalis ordinis antedicti fratrum Minorum, ſcilicet quod Chriſtus & ejus Apoſtoli in his, quæ habuiſſe leguntur, non habuerint niſi tantum uſum facti ſimplicem, poſſem fortius, ac promptius ſtabilire; Dei timore poſtpoſito, extendens ad omnia illicita manus meas, proceſſus & depoſitionis ſententiam Ludovici manifeſti prædicti hæretici & de pluribus hæreſibus condemnati, contra vos, ſanctiſſime pater, habitam & etiam fulminatam, ſupplens omnem defectum, ſi quis eſſet in ipſis, ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis non ſolum illos confirmare & mei ſcripti communire patrocinio non erubui; ſed etiam de novo ſententiare, prædicare, pronunciare, declarare, & prædicta publice omnia & ſingula in dictis proceſſibus promulgata præſumpſi. In quibus quidem proceſſibus, Ludovicus prædictus pronunciabat & declarabat, fore hæreticum & ſcripturæ ſacræ contrarium dicere, quod Chriſtus & Apoſtoli in his, quæ habuiſſe leguntur, habuerint aliud, quam ſimplicem uſum facti: ex qua quidem pronunciatione evidenter concluditur, ipſum & me etiam ex confirmatione & pronunciatione & prædicatione prædictis in damnatam hæreſim per conſtitutionem veſtram apoſtolicam, de fratrum veſtrorum promulgatam conſilio, incidiſſe. Et nihilominus ad diverſos Reges & principes meas literas deſtinavi, per quas ad eorum notitiam deducebam, quomodo vos, pater beatiſſime, cui multa falſa, hæretica, & erronea in eiſdem literis imponebam, ſuggerentibus dictis hæreticis ſceleratis Ludovico & Michaele, ac juxta votum ſuum ordinantibus, per eundem Ludovicum ac per me eratis depoſitus, & ſententialiter condemnatus; eoſdem Reges & principes exhortando nihilominus & rogando, quod vobis, ſanctiſſime pater, tanquam Papæ non parerent in aliquo, nec favores aliquos exhiberent; ſed contra vos potius mihi & dicto Ludovico præberent auxilium, conſilium, & favorem.

Impiam Ludovici in Pont. ſententiam confirmaſſe.

Contaminaſſe ſe hæreſi.

Reges ad defectionem ſollicitaſſe.

XVIII. Nec his contentus tam in Urbe, quam in pluribus civitatibus & locis aliis clericos ſæculares & regulares compuli, ut non obſtante interdicto, cui per vos, beatiſſime pater, erant ſuppoſita loca ipſa, in eiſdem celebrarent, immo verius, quantum erat in me, profanarent divina. Tallias quoque eccleſiis impoſui tam in Urbe, quam alibi, pro quibus, calicibus, ornamentis, & nonnullis rebus aliis ipſas eccleſias ſpoliavi. Fideles inſuper prælatos nonnullos & alios clericos in dignitatibus & beneficiis aliis eccleſiaſticis, in illis præficiendo vel hæreticos vel ſchiſmaticos vel eorum fautores, & plerumque non abſque ſimoniaca pravitate quibus etiam, illis ſcilicet, quorum hujuſmodi prælatio requirebat, de facto, cum de jure non poſſem, per me vel alium munus conſecrationis, immo verius execrationis impendi. Contra fratres quoque Minores, non parentes Michaeli prædicto tanquam generali miniſtro, qui tamen depoſitus erat juſte & condemnatus de hæreſi, & hæreticus & ſchiſmaticus declaratus, & alius per generale capitulum ordinis Minorum concorditer in generalem aſſumptus; & contra ſervantes interdicta per vos, ſanctiſſime pater, vel legatos ſeu officiales veſtros alias promulgata, utroque ſpirituali videlicet & temporali gladio procedere non expavi, eidem Michaeli & ſuis ſequacibus hæreticis & ſchiſmaticis inique impertiendo, injuſte ac temere auxilium & favorem. Indulgentias inſuper & diſpenſationes ſedi reſervatas Apoſtolicæ concedendo de facto, & etiam faciendo. Nonnullis

Expilaſſe templor. calices.

Violari eccleſiaſtica interdicta juſſiſſe.





nullis quoque pontificibus commiſi, ut ſacros ordines celebrarent, in quibus ordinibus plures, ut credo, ad ſacros ordines promoverunt temere, cum eis virtute præfatæ licentiæ non liceret. De patrimonio quoque S. Petri in nonnullis locis ad tempus, & interdum in perpetuum diſponero non expavi. Hæc omnia & plura alia contra Deum, ſanctamque catholicam eccleſiam ac vos, beatiſſime pater, verum & unicum Jeſu Chriſti vicarium, recognoſco & confiteor, me de facto inique nimirum & temere perpetraſſe. Quæ omnia & ſingula recognoſco & confiteor nulla fore, ac caſſa & inania, velut ab illo, cui ea faciendi non competebat jus aliquod attentata, eaque quantum ad me ſpectare poteſt, quatenus proceſſere de facto, revoco & nulla fore & fuiſſe pronuncio & declaro.

Ditionem eccleſiaſticam occupare præſumpſiſſe.

XIX. Confiteor inſuper, & ore ac omnino recognoſco, me credere & tenere fidem illam, quam ſancta Romana eccleſia, ac vos, pater ſanctiſſime, tenetis, prædicatis, atque docetis: & ſpecialiter recognoſco me tenere & credere, quod ad Imperatorem non pertinet deponere nec inſtituere Papam; immo hoc tenere hæreticum reputo, prout per proceſſum contra hæreticos Marſilium de Padua & Joannem de Janduno, per vos, beatiſſime pater, ſuper hoc & nonnullis aliis erroribus habitum, quem diligenter ſtudui, continetur. Item fateor, & recognoſco hæreticum eſſe dicere, Chriſtum & ejus Apoſtolos non habuiſſe in his, quæ eos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, niſi ſimplicem uſum facti; licet dudum contrarium tenuerim, & hæc tenentibus impenderim indebite auxilium & favorem: & fateor & recognoſco, quod hoc aſſerentes ſunt cenſendi hæretici manifeſti, ſecundum quod in conſtitutionibus veſtris, pater ſanctiſſime, quarum una incipit, Cum inter, &c. alia vero, Quia quorundam, &c. plenius continetur. Et ſuper materia proprii & communis, ac juris & dominii, quod Jeſus Chriſtus & ejus Apoſtoli in rebus temporalibus habuerint, credo, profiteor, & teneo in omnibus & per omnia firmiter id, quod in dictis conſtitutionibus & reſponſionibus per vos factis objectionibus, quas dictus Michael ejuſque ſequaces contra conſtitutiones prædictas fecerant, de quibus ſum informatus, plenius continetur; ac omnia & ſingula ſcripta, dicta, & publicata contra conſtitutiones & reſponſiones prædictas, & tangentia ea, per hæreticos & ſchiſmaticos Ludovicum & Michaelem prædictos, ſeu quoſcumque alios aſſero, recognoſco, & dico fuiſſe & eſſe nulla, erronea, ſchiſmatica, hæretica, atque falſa, eaque omnia refuto, renuo, anathematizo, reprobo, & deteſtor. Item confiteor, & recognoſco in veritate, quod vos, ſanctiſſime pater, & domine domine Joannes Papa XXII. & nullus alius, eſtis verus ſummus Pontifex, & unicus in terris vicarius Jeſu Chriſti: & contrarium, quod tenui & dicta quorumcumque idem mecum dicentium refuto, anathematizo, renuo, reprobo, & deteſtor.

Profitetur tenere ſe quod fides orthodoxa tenet.

Imperatoris non eſſe creare vel deponere Pontificem.

Hæreticum eſſe affirmare Chriſtum & Apoſtolos niſi ſimplicem uſum facti non habuiſſe.

Neque aliquid in communi aut ſpeciali poſſediſſe.

Ludovici, & Michaelis ſcripta eſſe erronea.

Anathemate damnat omnes ſchiſmaticos.

XX. Item recognoſco, & fateor in veritate ut ſupra, quod ego male, falſo, temere, & erronee & inique aſſumpſi, & exercui de facto ſtatum ſummi pontificatus, immo verius antipapatus damnabilem antedictum; & adhæſi ac favi hæreticis ſupraſcriptis & pluribus aliis: ideoque ſtatum, adhæſionem, & fautoriam hujuſmodi in omnibus & per omnia refuto, renuo, anathematizo, reprobo, & deteſtor. Item recognoſco & fateor in veritate, quod male, temere, & inique de facto promovi & conſecrari feci, ſeu potius execrari nonnullos prælatos, ſchiſmaticos, & hæreticos, ſeu fautores hæreticorum, & aliquos devotos catholicos & fideles depoſui, & beneficia eccleſiaſtica pluribus infidelibus, ſchiſmaticis, & rebellibus, ſeu eorum fautoribus contuli; & ſæpius per ſimoniacam pravitatem, quam exercere per me & dictos hæreticos & alios perfidos non expavi, & cætera, quæ verus Papa gerere conſuevit, malitioſe de facto exercui. Quæ omnia & ſingula ſcelera tam horribilia & nefanda refuto, renuo, anathematizo, reprobo, & deteſtor.

Falſo & impie jus pontificium ſe exercuiſſe agnoſcit.

Peccaſſe in promovendis ſchiſmaticis. Perſequendis catholicis.

XXI. Item fateor, & recognoſco in veritate, quod anticardinales & antiepiſcopos per me, ut prædicitur, promotos, quos feci conſecrari, immo verius execrari de facto, non reputo eſſe Cardinales, nec epiſcopos; immo confiteor ipſos fuiſſe, ſi non fuerint abſoluti & reconciliati per vos, beatiſſime pater, ſchiſmaticos, hæreticos, atque nullos; & omnes actus, quos circa ipſos, vel quoſcumque alios, & ſpecialiter circa Ludovicum prædictum ac ejus fautores, complices, & ſequaces, & cui de facto, cum de jure non poſſem, dico quantum in me eſt, fore & fuiſſe de jure tanquam hæreticos & ſchiſmaticos, invalidos, ac nullius roboris vel momenti; eoſque ut tales, quatenus proceſſere de facto, in quantum poſſum, infringo, irrito, & denuntio nullos eſſe, ac expreſſe refuto, renuo, anathematizo, reprobo, & deteſtor. Quæ omnia & ſingula hæretica, & ſchiſmatica, ſcelera & delicta graviſſima, ac omnes hæreſes ſupraſcriptas, & quaſcunque alias mentaliter & corporaliter ſponte abjuro, petens humiliter a vobis, beatiſſime pater, mihi veniam & miſericordiam impertiri.

Profitetur Cardinales non eſſe quibus purpuram contulit. Omnia ab ipſo geſta irrita eſſe, & a ſe revocari.

XXII. Item promitto, & juro ut ſupra, quod nunquam præſcripta, nec infraſcripta, ſeu aliqua eorundem, per me retractata & abjurata tenebo nec exercebo, nec pro tali, ſcilicet Papa, me habebo, nec quantum in me etiam erit, permittam quoquo modo

Juratus ſpondet, non paſſurum ſibi deferri pontificios honores.

Non ſenſurum cum Ludovico & Michaele.

*modo ab aliis me haberi. Item promitto, & juro ad ſancta Dei evangelia, corporaliter & mentaliter per me tacta, quod nunquam dictis hæreticis & ſchiſmaticis Ludovico & Michaeli, nec eorum fautoribus complicibus & ſequacibus, aut aliis per vos, beatiſſime pater, & eandem eccleſiam denotatis vel denotandis, ſcienter quamdiu in rebellione, & extra devotionem & gratiam fuerint ſanctæ matris eccleſiæ atque veſtram, adhærebo, nec eis præſtabo auxilium, conſilium, vel favorem: nec cum eis, vel eorum aliquibus ligam, conjurationem, pacta, conventiones, ſeu conſpirationes faciam, aut contraham quoquo modo. Item quod cum hæreticis, & ſchiſmaticis antedictis, ſeu fautoribus, ſequacibus, & complicibus eorundem, ſeu cum aliquibus a me promotis, immo verius execratis, ut præmittitur, converſationem aliquam non habebo, nec eis præſtabo aliquod conſilium, auxilium, vel favorem. De quibus omnibus & ſingulis ſupraſcriptis ad æternam rei memoriam pro ſalute mea & publica peto, quod unum & plura, quotquot erunt expedientia, fieri publica inſtrumenta per vos magiſtrum Guillelmum de Petrilia & Bernardum Stephani cameræ domini Papæ clericos ac notarios publicos.*

XXIII. *Quæ quidem omnia & ſingula, per me ſupra aſſertive propoſita & prolata, juro per hæc ſancta Dei evangelia, a me tacta mentaliter & corporaliter, vera eſſe, ac præſcripta vitanda vitare, & obſervanda inviolabiliter obſervare. Ea vero, quæ me aſſerui credere, juro ut ſupra, me illa credere fore vera. Item omnes errores & hæreſes ſupradictos & eorum ſingulos, & ſpecialiter dicere, credere, & tenere quod ad Imperatorem pertineat deponere ac inſtituere Papam; item quod Chriſtus & ejus Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, non habuerint niſi ſimplicem uſum facti; & quoſcumque errores & hæreſes alias abjuro, anathematizo, renuo, reprobo, & refuto. Et inſuper promitto & juro, tectis mentaliter & corporaliter per me evangeliis ſacroſanctis, ſuper omnibus & ſingulis ſupraſcriptis ſtare mandatis eccleſiæ ſanctæ Dei, & veſtris apoſtolicis, & fidem tenere, quam ſancta Romana eccleſia catholica & vos, pater beatiſſime, creditis, tenetis, & prædicatis; nec non & veſtras conſtitutiones & declarationes factas ſuper materia proprii & communis, ac juris & dominii, quod Jeſus Chriſtus & ejus Apoſtoli in rebus temporalibus habuerunt, perpetuo & inviolabiliter obſervare; ac ſtare & parere in omnibus & per omnia mandatis ſacroſanctæ Romanæ Dei eccleſiæ, & veſtri præfati domini noſtri Papæ: petens humiliter & devote, me per vos, pater ſanctiſſime, non attentis meis exceſſibus & ſceleribus gravibus; ſed ſola Dei miſericordia, cujus eſtis unicus in terris vicarius, ab omnibus pœnis & ſententiis juris & hominis, quas propter præmiſſa vel eorum ſingula, ſeu aliquod eorundem miſericorditer abſolvi, & unitati redintegrari, & reincorporari eccleſiæ ſanctæ Dei; paratum me offerens omnem pœnam ſive pœnitentiam, quas mihi pro præmiſſis injungendas vel imponendas veſtra ſanctitas duxerit, cum omni obedientia ſuſtinere, & etiam adimplere.*

Conſtitutiones papales de Chriſti proprio admittit.

Poſcit cœtui fidelium reſtitui.

XXIV. *Quibus omnibus & ſingulis ſupraſcriptis a dicto fratre Petro de Corbario & ſua certa ſcientia gratis, & ſpontanea voluntate propoſitis, confeſſatis, lectis, recognitis, publicatis, anathematizatis, reprobatis, refutatis, & abjuratis, factiſque per eum promiſſionibus & juramentis ſuperius expreſſatis, tandem præfatus dominus noſter ſummus Pontifex poſt præmiſſa omnia & ſingula, ad ejuſdem fratris Petri inſtantis petitiones humiles & devotas circa ipſius abſolutionem & reincorporationem per ipſum a domino noſtro Papa ſæpius & cum inſtantia humiliter poſtulata, egit ſecum more pii patris; & illius vice & imitatione præcipue, cujus eſt dignus ac unicus in terris vicarius, miſericorditer & benigne attente conſiderans, quod ipſum Petrum ad confuſionem hujuſmodi non induxit violentia aliqua, ſed timor Dei ſpontaneaque voluntas; nec non quod ejus contritio vera videtur, tam ex eo quod illa Piſis, & ad ipſum dominum noſtrum veniendo in multis civitatibus & locis provinciæ Provinciæ publice, & hic etiam in curia tam in publico conſiſtorio, quam privato non erubuit confiteri, nec ad ſuam prætermiſit venire præſentiam voluntarius & congaudens humiliter & devote pro gratia & miſericordia impetrandis; tum etiam quod paratum ſe obtulit, atque offert quæcumque ei præfatus dominus noſter injungenda duxerit, adimplere; & ut partes ſui officii exequatur, ejuſque actibus, prout eſt ſibi poſſibile, conformetur, qui mortem peccatorum non deſiderat, ſed ut convertantur & vivant, de fratrum ſuorum conſilio abſolutionem & reincorporationem prædictorum archiepiſcopi Piſani & Lucani epiſcopi ratas habuit, & etiam confirmavit; ipſum fratrem Petrum nihilominus abſolvit, & duxit reincorporandum unitati eccleſiæ ſanctæ Dei, ſuper irregularitate, quam contraxit propter præmiſſa, ſeu aliqua præmiſſorum, ſecum miſericorditer diſpenſando; ordinationem & declarationem pœnitentiæ dicto Petro pro præmiſſis & eorum ſingulis, prout, quando, & quoties expedire videbitur imponendæ, ſibi ſpecialiter, & expreſſe nihilominus reſervans. Actum & datum Avinione anno, indictione, die, menſe, loco, & pontificatu quibus ſupra; præſentibus teſtibus venerabilibus patribus dominiſque Giſberto Arelatenſe archiepiſcopo domini Papæ camerario, & Bernardo Stephani electo Regenſe, ac nobili Guillelmo de Patilia & Raydo Stephani cameræ domini Papæ clericis, auctoritate apoſtolica publicis notariis, ad hæc vocatis, quibus mandatum fuit per præfatum dominum noſtrum, ut inde conficeremus unum vel plura publica inſtrumenta, idem frater Petrus promiſit ſe ſubſcribere, eaque ſui ſigilli munimine roborare.*

Cenſuris omnibus a Pontifice ſolvitur.



XXV. Pontificia in eum clementia.

Peperciſſe Pontificem Petro e Corbaria cum multa paterni amoris ſignificatione, confirmat Joannes Villanus (a); & manantibus fletu oculis e terra illum erexiſſe, porrexiſſeque oſculum, inſtar evangelici patris prodigum filium e remotioribus terrarum oris redeuntem, amplexantis. Extant etiam literæ, quibus exolvit (b) cum omnibus pœnis atque eccleſiaſticis cenſuris, quibus ob affectatum pontificatum contraxerat, ac datam a Simone Piſano archiepiſcopo criminum veniam confirmavit: tum ab aliorum prælatorum auctoritate liberum & immunem, ſedique tantum Apoſtolicæ obnoxium pronuntiavit: *Exemptionem*, inquit, *per præfatos archiepiſcopum*, nimirum Piſanum, *& epiſcopum*, ſcilicet Lucenſem, *auctoritate literarum noſtrarum ſicut præfertur conceſſam, ratam & gratam habentes, & nihilominus ex ſuprabundanti ab omni juriſdictione, ſubjectione, ac poteſtate cujuſcumque, ſeu quorumcumque præterquam Romani Pontificis & ſedis prædictæ totaliter eximimus auctoritate prædicta; volentes, ac etiam ſtatuentes quod amodo eidem ſummo Pontifici & ſedi præfatæ tantummodo ſis ſubjectus; non obſtantibus ordinis fratrum Minorum, quem fuiſti profeſſus, ſtatutis contrariis, ſeu privilegiis, indulgentiis, & literis apoſtolicis quibuſcumque eidem ordini, vel quibuſvis aliis ſub quacumque forma vel expreſſione verborum conceſſis, etiamſi de illis in præſentibus ſpecialis & expreſſa eſſet de verbo ad verbum mentio facienda. Nulli ergo, &c. Datum Avin. kal. decembr. pontificatus noſtri anno* XV.

Ipſum Joannes ab omni Minoritarum imperio liberat.

(a) Jo. Vil. l. 10. c. 164. Bern. in chr. Rom. Pont.

(b) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 176. & MS. bib. Vall. ſign. lit. B. n. 12. pag. 435.

XXVI. Fideles de illius reditu ad ſinum eccleſiæ facti certiores.

Scripſit encyclicas Pontifex ad fideles literas de Petro ad catholicæ eccleſiæ ſinum reverſo, quas ab Hugone epiſcopo Pariſienſi in celeberrima Pariſienſi academia divulgari juſſit (c): extantque aliæ eo argumento ad Chriſtianos Reges datæ (d), e quibus hiſtoriæ veritas magis elucet.

*Joannes, &c. Philippo Regi Franciæ.*

*Quia juſtum eſt, ut qui paſſionum fuerunt ſocii, non ſint a conſolatione & gaudio alieni, ad gaudium excellentiæ regiæ nunciamus, quod Petrus de Corvaria, qui caput ſchiſmatis fuerat, in feſto B. Jacobi Piſis in noſtrorum nunciorum, & aliorum tam prælatorum quam clericorum ſæcularium, & regularium, nec non & multorum nobilium & popularium civitatis ejuſdem præſentia conſtitutus, cum cordis amaritudine ſicut intelleximus, erroribus ſuis recognitis & etiam abjuratis, ac beneficio abſolutionis & redintegrationis a præfatis noſtris nunciis humiliter poſtulatis, abſolutus extitit & reincorporatus unitati eccleſiæ; prius tamen, quod noſtris parere mandatis debeat, corporali præſtito juramento. Qui ſponte die* IV. *auguſti una cum noſtro nuncio & certis perſonis nobilibus intravit mare, illoque greſſus ipſorum dirigente qui novit, & inter proſperum faciente qui poteſt die* VI. *menſis ejuſdem Niciam incolumes pervenerunt: ubi errores ſuos recognovit ſimiliter publice, & etiam abjuravit: ſimilia faciens in locis ſolemnibus uſque Avinionem.*

(c) T. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 22. & 25.

(d) Ib. pag. 23.

Datæ eo argumento ad Reges literæ.

Quacumque ducebatur antipapa, crimen publice execrabatur.

*Qui proſequens iter ſuum die* XXIV. *ipſius menſis Avinionem intravit: & in craſtinum in conſiſtorio publico, propoſito themate primo: Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus; & eo proſecuto, errores ſuos recognovit cum cordis amaritudine, prout ſigna certiora indicabant: illiſque abjuratis, & quod ſuper prædictis noſtris ſtaret mandatis, corporali præſtito juramento, humiliter petiit, ſe ad noſtram, & eccleſiæ reſtitui gratiam, qua ſuis nefandis exceſſibus merito ſe indignum reddiderat, & unitatem eccleſiæ, qua ſimiliter ſe fecerat alienum. Nos autem, qui vicem ejus in terris, licet inſufficientes gerimus, cui proprium eſt miſereri, quo commiſſæ vicis exequeremur officium, eum pie & benigne ad eccleſiæ & noſtram recepimus gratiam, & reſtituimus eccleſiæ unitati, prout in aliis patentibus literis noſtris continetur plenius, quas in diverſis aliis partibus deſtinamus.* Eodem exemplo ad Siciliæ, Aragoniæ (e), Caſtellæ, Luſitaniæ, Balearium, Ungariæ, & Poloniæ Reges ſcripſit (f), deque læto adeo nuntio alios etiam plures viros principes ac præſules, ut Joannem patriarcham Alexandrinum (g), & Simonem archiepiſcopum Piſanum (h), qui præclaram in tanto opere navarat operam, ac ſenatum populumque Piſanum certiores fecit.

De antipapæ reſipiſcentia moniti alii Reges.

(e) Reg. poſt eand. ep. & to. 7. p. 2. pag. 195.

Piſani promiſſa ſuperiore anno confirmant.

(f) Eod. pag. 195.

(g) Ib. p. 57.

(h) Rotul. pergam. arch. Vat. ſign. n. 328. ex Arch. Avi. Romam delatus.

XXVII. Confirmarunt hi ineunte anno in publicis civium comitiis ſolemni ſacramento ea omnia, quæ Piſani oratores Pontifici de execrando Petro Corbario pſeudopontifice, de pellenda Ludovici Bavari ſervitute, neque eo colendo ut Cæſare, neque ejus præſidio militari vel oratoribus excipiendis ſpoponderant; de quo edita ſunt publica documenta (i), & ad Pontificem tranſmiſſa, quæ vetuſtas

(i) Ib.

ſtas ex parte arroſit, & ab his verbis ducunt exordium: *In nomine Domini Amen. Anno ejus a nativitate* MCCCXXX. *indict.* XIII. *die* XIX. *januarii pont. ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domin. Joannis Papæ XXII. anno* XIV. Subditur (*a*) ut Piſanorum ſcriba Guillelmo Cabirolo canonico & Dulcino ordinis Prædicatorum Apoſtolicæ ſedis nuntiis literas pontificias exaratas XVII. kal. octobris pontificatus anno XIV. conſignatas de abſolvendis Piſanis allatas ab oratoribus tradiderit, quarum formula inſeritur. Ducunt exordium ab his verbis: *Nuper ad noſtram præſentiam, &c.* atque a nobis ſuperiori anno allatæ fuerunt. Addunt vero publica illa documenta, Piſanos omnia ab oratoribus geſta confirmaſſe, & quæ a Pontifice data erant de ejurando ſchiſmate, & ſpernenda Ludovici Bavari ſervitute imperia compleviſſe.

(*a*) *An. Ch.* 1329. *n.*8.

Bonifacius caſtro Peretano donatus.

Bonifacio autem comiti, de quo ſupra memoravi, egregiam operam in evertendo ſchiſmate explicuiſſe, eſt gratulatus (*b*), eundemque magnis affectum muneribus a Pontifice, refert Joan. Villanus (*c*). Proximo certe anno illum caſtro Peretano ditionis pontificiæ in Suanenſi agro maritimo donatum jure fiduciario, quod in prolem maſculam legitimo procreatam thoro, unius aurei quotannis recurrente feſto Apoſtolorum Petri & Pauli perſolvendi cenſu impoſito, teſtatur diploma (*d*) proximo anno XI. kal. jun. datum.

(*b*) *To.* 7. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 58.

(*c*) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 164.

(*d*) *An.* 15. *p.* 3. *ep. com.* 1464.

Petrus e Corbario cuſtodiæ traditus.

Cæterum ne Petrus Corbarius ad vomitum redire facile poſſet, ac novum in eccleſia ſchiſma conflare, Pontifex & publicæ quieti & Petri ipſius ſaluti conſulturus, ſub honeſta eum cuſtodia in pontificio palatio tenuit (*e*); ac nemine cum eo colloqui permiſſo, plurimos illi libros, ut ſtudio & orationi vacaret, & cibos opipare ſuppeditari juſſit. De quo hæc refert Bernardus (*f*). *Præfatus Petrus fuit clementer & miſericorditer ſuſceptus ad pœnitentiam, poſitus in decenti cuſtodia ad cautelam, ut probaretur an ambularet in tenebris vel in luce; ibique hodie, quo hæc ſcripſimus, tractatur ut familiaris, ſed cuſtoditur ut hoſtis.* Exactis in eo honeſto carcere tribus annis & menſe uno, morbo & ſenio confectus obiit; ſepultuſque eſt in Minoritarum eccleſia cultu Franciſcano indutus.

(*e*) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 164.

(*f*) *Bern. in vit. Jo.* XXII. *apud. Boſq.*

Aliquot poſt annis in ea moritur.

Fideles ad agendas Deo pro ſedato ſchiſmate grates excitati.

Ut vero indictas pontificio juſſu publicas preces exoriente ſchiſmate vidimus, ita eo collabente fideles ad ſolvendas divino Numini grates, ac preces ingeminandas Joannes eſt adhortatus, ut priſtina pax eccleſiæ reſtitueretur; quo argumento Joanni S. Theodori diacono Cardinali A. S. L. hæc imperia dedit: *Tuam providentiam excitamus, quatenus conſideranter attendens, quod miſericorditer Salvator noſter eandem eccleſiam ſponſam ſuam reſpexit in hac parte, corde humiliato eidem cures gratiarum actionis exhibere; ſedule clerum & populum Urbis ac aliarum civitatum & locorum, de quibus tibi videbitur, ad idipſum efficaciter, juxta datam tibi a Deo prudentiam, commonendo: nihilominus & eis ſalubriter ſuadendo, ipſoſque ut efficacius poteris inducendo, ut preces ſuas Altiſſimo ſtudeant humiliter fundere, quod pacem & unitatem, quam cœpit eidem ſponſæ ſuæ ſic mirabiliter reſtituere in hac parte, ipſe cui cum voluerit ſubeſt poſſe, dignetur miſericorditer confirmare. Dat.* X. *kal. octob. anno* XV. Præterea eidem Cardinali legato munus injunctum (*g*), ut ad Reges & principes ſcribendum a Romanis curaret, geſta ab ipſis in pſeudopontifice deſignando coronandoque Bavaro pro ea, quæ pollebant poteſtate, revocata.

(*g*) *To.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 146.

Solicitati Romani, ut Regibus ſcriberent præterita a ſe revocata.

*Joanni S. Theodori diacono Cardinali.*

*Cum certis ex cauſis expediens reputemus, quod populus Urbis juxta morem ſuum ſcribendi univerſis Chriſti fidelibus generaliter & ſpecialiter certis Regibus & principibus, quorum nomina continet cedula præſentibus interclusa, per ſuas patentes ſcribant literas, quod ea, quæ fecerunt nonnulli ex civibus Romanis de mandato populi prædictorum ſeu illorum, qui tunc præerant regimini dictæ Urbis, quantum ad coronationem illius infelicis hominis Ludovici de Bavaria, dudum in Regem diſcorditer Romanorum electi; nec non & circa electionem Petri de Corbario ordinis fratrum Minorum in Papam, immo verius antipapam aſſumpti, tantum proceſſerunt de facto, non de jure aliquo cum nullum eis competeret nec competat faciendi præmiſſa; quæ prædicti populus diligentius attendentes, poſt receſſum dictorum Petri & Ludovici de Urbe prædicta, quod ad eos non pertinebant præmiſſa nec aliquod præmiſſorum, publice recognoverunt, eaque quatenus de facto proceſſerant: quantum ad eos pertinere poterat, revocarunt: & idem de omnibus, quæ dicti Petrus & Ludovicus in Urbe attentarant prædicta recognoſcere & facere curaverunt, certum terminum peremptorium præfigentes nihilominus, ut omnes illi, qui aliquas literas bulla qua dictus Petrus, ſeu ſigillo quo dictus Ludovicus utebantur, immo verius abutebantur, de facto munitas habebant, exhibere deberent, quarum nonnullas, a diverſis perſonis exhibitas combuſſerunt; tuam prudentiam exhortamur, quatenus prædictas literas per populum prædictos viis & modis, quibus expedire cognoveris, fieri & dirigi ſtudeas, adhibita ſedula diligentia, nobis reſcripturus fideliter quicquid factum exti-*

Geſta a Lud. & antipapa non valere.





*extiterit in hac parte. Dat.* X. *kal. octobris, anno* XV.

Ludovicus Imperatorem ſe eſſe contendit.

Præſumpta illa inique a nonnullis Romanis Pontifex abolita, ſervata juris forma, divulgari voluit; cum aliqui contenderent, Ludovicum ob correpta in Urbe conſenſu & auctoritate Romanorum imperialia ornamenta juſtum eſſe Imperatorem: quorum inania argumenta literis ad Regem Boemiæ datis diſſolvit (*a*).

(*a*) *Ib. pag.* 85.

*Joanni Regi Boemiæ.*

*In reſponſione, quam tibi, fili chariſſime, & venerabili fratri noſtro Balduino archiepiſcopo Trevirenſi ſuper facto Bavari miſimus, fuit per errorem inſertum, quod idem Bavarus per Petrum de Corvaria, dudum antipapam coronatus in Imperatorem fuerat & inunctus: cum ſecundum veritatem ab eo nec inunctus fuerit, nec etiam coronatus; ſed inunctus fuit, ſeu verius execratus a Jacobo dudum epiſcopo Caſtellano, tunc ſuis demeritis exigentibus depoſito, excommunicato, & ut hæreticorum fautore condemnato. Coronatus autem de facto extitit, cum de jure poſſet a nemine coronari (cum privatus fuiſſet omni jure, ſi quod ſibi competierat ex electione in diſcordia celebrata de ipſo) a quibuſdam Romanis, ad quos non pertinebat Imperatoris coronatio, etiam ſi eſſet coronandus de jure: quod utique ipſi Romani poſt diſceſſum Bavari de Urbe publice in Urbe, & coram nobis per literas & nuncios ſunt confeſſi. Ex quibus unctione & coronatione omnino nihil juris ſibi quæri potuit, quam ſi a Petro tunc antipapa attentata fuiſſent. Dat.* VI. *kal. octobris anno* XV. Conceptæ (*b*) ſunt iiſdem verbis ad Balduinum archiepiſcopum Trevirenſem & ad ducem Auſtriæ Joannis literæ. Quam vero juſte negarit Pontifex, Ludovicum adeptum imperialem dignitatem ex acceptis perduellium Romanorum ſtudio imperii inſignibus, agnoſcet qui perpenderit eodem conferendæ imperialis dignitatis auctoritatem jure ad Pontificem pertinere, quo ad principes electores deſignandi Regis jus ſpectet, cum hæc utraque Romanorum Pontificum auctoritate ſint conſtituta.

A quo fuerit inunctus.

A quibus corona redimitus.

Geſta res non jure ſed vitio.

Nil juris ipſi inde comparatum.

(*b*) *Reg. poſt eand. ep.*

XXVIII. Cum vero Ludovicus (*c*) arreptos titulos inanes armis ſibi aſſerere affectaret, traheretque ſecum Jacobum exauctoratum Venetiarum epiſcopum, qui ſe Petri Corbarii Cardinalem & legatum in Germania jactabat, ac Michaelem Cæſenatem hæreſiarcham, qui Minoritis præfuerat; Pontifex omnes Germanos principes, eccleſiaſticos & ſæculares ad ſchiſmaticorum dolos diſcutiendos, ac vires Ludovici elidendas excitavit: interque cæteros Robertum (*d*) & Henricum (*e*) comites palatinos Rheni & duces Bavariæ, qui a Ludovici impietate abhorrebant.

(*c*) *To.* 7. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 155. & 159.

Germani in Ludovicum ſolicitati.

(*d*) *Ead. p.* 2. *pag.* 160.

(*e*) *Ib. pag.* 164.

Cum etiam Rodulphum Saxoniæ ducem objecta cenſurarum eccleſiaſticarum religione, deterrere ſtuduit (*f*), ne in partes Ludovici concederet; ſed potius ad creandum novum Romanorum Regem cum cæteris principibus electoribus ſe compararet: atque Othonem (*g*) Auſtriæ ducem confirmare in ſuſcepto adverſus Ludovicum bello eſt niſus; & Argentinenſem, Baſilienſem, & Auguſtenſem epiſcopos (*h*) fœdere armorum connectere.

(*f*) *Ib. p.* 166.

(*g*) *Ib. pag.* 162.

Saxo monitus, ut a Ludovico abſcederet.

(*h*) *Ib. pag.* 164. & *pag.* 169.

At brevi ampliſſima Othonis ducis promiſſa evanuere, cum fidem erga ſedem Apoſtolicam commodorum ſuorum ratione metiretur: Roberti enim comitis Palatini Rheni & Bavariæ ducis exemplo, quem Pontifex ob amplexas in Ludovicum eccleſiæ partes ineunte anno commendarat, haud diu poſt ad Ludovicum defecerat, (*i*) de confirmando illi imperio agitare cœpit (*k*), initaque cum Joanne Boemiæ Rege & Balduino archiepiſcopo Trevirenſi coitione, pro conciliando Pontifici Ludovico literas & oratores miſit, quibus etiam ſuos adjunxit Boemiæ Rex. Ii vero præcipuas pactionum, ad quas Bavarum obſtrinxerant, leges attulere, nimirum ut antipapam exauctoraret, editam provocationem ad concilium revocaret, geſta in eccleſiam reſcinderet, agnoſceret ſe anathemate devinctum juſte fuiſſe; ea tamen lege ut imperium teneret. Hæc moliebatur Ludovicus, ut firmaret ſolium, lapſaſque res inſtauraret, cum tamen ad nullas pro expiandis criminibus ſuſcipiendas pœnas paratum ſe exhiberet: ſed auguſtalis juris, quo ob hæreſim & ſchiſma exciderat, commoda aucuparetur, ut Pontifex Boemo Regi expoſuit (*l*).

Otho Auſtriæ dux ſua commoda in his turbis ſectatur.

(*i*) *Ib. p.* 170.

Robertus Bav. dux ad Ludovicum deficit.

(*k*) *To.* 7. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 171. & *to.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 74.

Actum de Cæſareo apice aſſerendo Ludovico.

(*l*) *An.* 14. *p.* 1. *ep.* 4.

XXIX. *Joannes, &c. Joanni Regi Boemiæ.*

*Profecto, fili, quin intentio tua aliorumque principum circa præmiſſa recta fuerit, nequaquam in dubium revocamus: ſed fuiſſet admodum nobis gratum, quod tu, fili chariſſime, & præfati principes conditionem præfati Bavari & ingreſſum ejus ad imperium & in eodem progreſſum examinaſſetis attentius in conſiſtorio rationis: profecto ipſum reperiſſetis privatum jure, ſi quod ſibi ex electione illa in diſcordia celebrata quæſitum fuerat, juſtitia exigente. Et quia his non contentus, Marſilium de Padua & Joannem de Janduno, qui quendam librum compoſuerant plures hæreſes continentem, & ad eum velut hæreticorum patronum fugerant, prompte recepit; & ut illos errores prædicarent publice, non erubuit impartiri favorem. Hinc fuit declaratus hæreticorum fautor publicus & notorius, & ut hæreticorum fautor, exigente juſtitia, condemnatus. Sane quia diutius expectatus ab his non reſipuit, ſed velut venundatus*

Reſponſum Boemo & aliis a Pont.

Propoſitum hæreſiarchas a Ludovico defenſos.

Ob id decretoria percuſſum ſententia.

Monitum non reſipuiſſe. Hæreſeos judicio damnatum.

datus, ut faciat malum, nedum favorem impendere curavit hæreticis, ſed ipſis hæreſibus facto & verbo non eſt veritus ſe immiſcere, fuit merito pronuntiatus hæreticus, & ut hæreticus, exigente juſtitia, condemnatus, prout hæc in proceſſibus apoſtolicis plenius continentur. Ex prædictis ſatis poteſt ejus inhabilis conditio ad imperiale faſtigium apparere.

Creaſſe antipapam. Hæreſim opere profeſſum.

Qualis autem ingreſſus ejus ad imperium fuerit, ex ſequentibus patet, quod Deo odibilis, injurioſus ſanctæ Dei eccleſiæ, & de facto dumtaxat nimium temerarie attentatus. Sicut enim ex prædictis jam liquet, electus fuerat in diſcordia, privatuſque, exigente juſtitia, jure, ſi quod ſibi ex electione eadem fuerat acquiſitum; & nihilominus fautor hæreticorum declaratus & hæreticus, & ut fautor & hæreticus condemnatus. Quibus non obſtantibus, ut ad ea, quæ requirit imperialis dignitas, videlicet inunctionem, conſecrationem, & coronationem, poſſet ſaltem pervenire de facto, cum de jure non poſſet, Petrum de Corbario in Chriſti opprobrium, ſubverſionem catholicæ fidei, & injuriam totius cœtus catholici in antipapam aſſumere non expavit. In quo quidem facto confeſſus ipſo facto illam damnatam hæreſim, quam incurrerat antea, ſcilicet quod ad Imperatorem Papam pertineat ordinare. A quo quidem Petro ſe pati inungi, ſeu fœdari potius non erubuit, ac etiam coronari. Poſtremis hiſce verbis ſecutus eſt Joannes vulgi errorem, quem aliis literis a nobis paulo ante allatis correxit (a). Ex quibus patet, qualis ingreſſus fuerit ad imperialis faſtigium dignitatis. Progreſſus autem ejus qualis fuerit, eſt lippis & tonſoribus ſatis notum, quia ubicumque fuerit, eccleſiam catholicam & fideles eſt manifeſte & immaniſſime, ut membrum ſatanæ, perſecutus; eccleſias ipſas vaſis & ornamentis ſpoliando eccleſiaſticis, ac fideles compellendo violare interdictum eccleſiaſticum, & profanare divina: ſpoliando inſuper viros catholicos ſuis prælationibus & beneficiis, ac eis de facto hæreticos & ſchiſmaticos ſubrogando, ipſiſque hæreticis & ſchiſmaticis contra catholicos impartiendo favorem & conſilium, ac fideles ipſos immaniter perſequendo.

(a) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 57.

Perſecutum eccleſiam catholicam

XXX. Profecto, fili, probabiliter arbitramur, & credimus, quod ſi ad memoriam tu & dicti principes revocaſſetis prædicta, nullatenus dixiſſetis, ipſum remanere in regno & imperii ad utilitatem & honorem noſtros & eccleſiæ, veſtro judicio pertinere. Quomodo enim poſſet ad utilitatem & honorem eccleſiæ pertinere, quod vir tam reprobus, de fautoria hæreticorum & hæreſi juſto condemnatus judicio, regno & imperio præſideret? Qui etiam hæreticos in ſuo habet conſortio, & quantum ad clericos hæreticorum & ſchiſmaticorum conſilio gubernatur. Tenet enim in ſuo conſortio Jacobum epiſcopum dudum Caſtellanenſem epiſcopatu Caſtellanenſi privatum: item Michaelem de Cæſena olim ordinis fratrum Minorum generalem miniſtrum, qui ſuis exigentibus demeritis eſt pronunciatus hæreticus, & de hæreſi condemnatus. Guillelmum quoque Okam Anglicum ordinis fratrum Minorum hæreſiarcham, qui hæreſes varias dogmatizabat publice, & ſcripta fecerat hæreſibus & erroribus plena: propter quæ fuerat vocatus ad curiam, ejuſque ſcripta fuerant pluribus doctoribus aſſignata (ut ea deberent examinare cum diligentia, & quæ invenirent hæretica ſeu erronea declarare) qui jam multos articulos declaraverunt hæreticales, qui quidem male ſibi conſcius, fugæ præſidio vitare voluit canonicam ultionem; Bonamgratiam inſuper de Bergamo ordinis fratrum Minorum, qui ſuis demeritis exigentibus in curia fuerat arreſtatus, & juramento præſtito, quod de curia non recederet abſque licentia ſedis Apoſtolicæ obligatus, qui male ſimiliter ſibi conſcius de curia ad ipſum Bavarum & Petrum de Corbario una cum Michaele & Guillelmo prædictis greſſus ſuos infelices dirigere procuravit; Marſilium quoque de Padua condemnatum de hæreſi in ſua familiaritate detinere præſumpſit. Talibus eſt ſtipatus conſiliariis: talium conſilio, ne dicamus, dolo, decipitur & gubernatur. Qualem itaque poſſet de tali homine habere eccleſia defenſorem? Si enim in arido, id eſt ſine ſtatu niſi uſurpato, tam crudelis ſibi perſecutor extiterit, qualis idem putas exiſteret, ſi in viridi, hoc eſt in ſtatu ſolido ſe videret? Rurſus quomodo ſub regimine talis hominis degere poſſet Chriſtianus populus, quem ſic afflixit immaniter?

Michaelem hæreſiarcham in conſortio tenere.

Et Ochamum hæreticum & alios.

Regi hæticorum conſiliis.

Periclitaturam eo Cæſare fidem.

Profecto, fili, talem hominem dimittere in regali & imperiali regimine, non eſſet conſulere populo, ſed nocere, non præſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Si enim integritas præſidentium ſalus eſt ſubditorum, ſequitur quod inſtabilitas & infidelitas ipſorum ſic præſidentium perditio ſit eorum ſubditorum. Qualem putas, fili, ex principatu hujuſmodi, quem extorſit ſeditio & ambitus occupavit, ſubſequi poſſe finem? Profecto ſperari non poteſt probabiliter, quod bono peragi poſſint exitu, quæ tam malo & perverſo ſunt principio inchoata. Audi quid de talibus principibus Sapiens dicat: Regnantibus, inquit, impiis, ruinæ hominum ſcilicet, ſubſequuntur. Et alibi: Gemet, inquit, populus, cum impii ſumpſerint principatum. Attende, fili, quam eſſet gregi dominico ſub tam infideli principe vivere formidandum: teſte enim ſapiente, qua-

Suſpectam ejus adminiſtrationem.



lis eſt rector civitatis, tales ſunt vel fiunt habitantes in ea. Eſſet itaque nimium formidandum, quod ſi remaneret in præfato regimine, multos a fide retraheret catholica, ſuæque perfidiæ, quod abſit, plurimos aggregaret. Adhuc, fili, quantum in principe quolibet veritas requiratur, tua non ignorat prudentia, & quantum in eo vigeat, te audivimus non latere. Sane ſi quæ offeruntur pro parte Bavari, fili chariſſime, cogites diligenter, reperies utique, quod de tot & tantis exceſſibus per eum commiſſis emendam Deo & eccleſiæ nullam offert.

Oblata a Bavaro vana.

XXXI. In primis enim offertur pro parte ſua, quod ipſe Bavarus deponet ſuum hæreticum antipapam: hoc autem non eſt offerre emendam aliquam de commiſſis, primo quia etiam ſi verus Imperator exiſteret, quod tamen conſtat eum non eſſe, depoſitio talis ad eum nunc non pertineret; ſecundo quia ipſemet Petrus de Corbario reatum ſuum humiliter recognoſcens, a ſtatu illo, quem de facto receperat, illi renunciando ſe de facto depoſuit, & ab ipſo diſceſſit Bavaro, ſicut nobis idem Petrus his diebus præteritis per ſuas literas manuſcriptas propria, quarum tenorem infra reperies, nunciavit. Secundo dicitur quod recedet ab appellatione ſua: certe nec emendam aliquam propter hoc offert, cum nec appellationi ſuæ, ſi quæ fuit, renunciare niſi de facto valeat, cum de jure non tenuerit, velut ab hæretico interjecta, & ab eo, a quo non licet, cum ſuperiorem non habeat, appellare. Tertio offertur quod omnia, quæ fecit ſeu attentavit contra nos & ſanctam Romanam eccleſiam, cum effectu debeat revocare: in hoc etiam clare patet quod, emenda aliqua non offertur, contra nos enim ſeu contra Romanam eccleſiam non potuit niſi de facto aliquid facere; unde ſi quid de facto fecit, de facto revocet: nulla in hoc Deo, nobis, vel eccleſiæ præſtatur emenda. Quarto pro parte ejus offertur, quod recognoſcet ſe exceſſiſſe, & ſententiam excommunicationis ipſum ligaſſe: per hoc patet etiam, quod nec Deo, nec nobis, nec eccleſiæ aliqua offertur emenda. Quinto offertur pro parte ejus, quod gratiæ noſtræ ſe offerat ad miſericordiam: per hoc quippe aſſerit, quod a nobis petet miſericordiam, non quod aliquam præſtet emendam. Ultimo concluditur pro parte Bavari ſupradicti, quod omnes oblationes ſupradictæ intelligerentur ita, quod Bavarus in honore & ſtatu ſuo permaneat, ſcilicet in imperio & regno. Ex quo proculdubio evidenter concluditur, quod de his quæ commiſit, eſt impœnitens homo iſte, & ideo reddit ſe de abſolutione qualibet, quæ nulli niſi pœnitenti conceditur, merito quantum in eo eſt indignum.

De antipapæ exauctoratione.

Ut non pendeat a Bavaro.

Impœnitentiæ illum reum eſſe.

XXXII. Sed juxta hoc quærimus, fili, quomodo intelligat ille Bavarus in regno vel imperio remanere? Aut enim intendit remanere in ſtatu & regno ſine jure in eis de novo quærendo: aut per jus novum, quod intendat acquirere in prædictis. Si enim ille ſine novo jure intelligat retinere, ſequitur quod regnum & imperium ſine jure & honore imperiali & regio detineret; in regno ſiquidem nullum jus obtinet in præſenti, cum jure, ſi quod per electionem ſibi in eodem quæſitum fuerat, juſto judicio ſit privatus. Quantum ad imperium autem; quia nomen Imperatoris per inunctionem, conſecrationem, & coronationem quis nanciſcitur, factas quidem a Romano Pontifice, ſeu alio ejus auctoritate. Patet igitur ipſum Bavarum jus aliquod non habere, quia non a vero ſummo Pontifice, ſed ab antipapa recepiſſe dicitur & noſcitur ſupradicta, ſcilicet inunctionem, conſecrationem, & coronationem: quare ſequitur, quod hoc caſu imperium ſine jure aliquo obtineret, & per conſequens quod niſi de novo jus, ſibi in regno & imperio quæreret, nec Rex, nec imperator debet dici a fideli aliquo; ſed fur & latro, juxta noſtri ſalvatoris ſententiam, dicentis: Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde; ille fur eſt & latro. Et quod nullum jus in regno vel imperio habeat in præſenti, palam eſt conſiderandum. Conſtat enim ipſum multa notorie commiſiſſe, ex quo illa diſcors electio celebrata extitit, propter quæ & quodlibet eorum ſe prorſus fecit ab honore regni & imperii alienum. Si vero intelligat, quod ſibi de novo in regno vel imperio jus acquiret, conſtat quod, cum ſit ſacrilegus, excommunicatus, & tyrannus, nec a quovis poſſet eligi, nec ſibi etiam ab aliquo, cum tales ſint ineligibiles, de regno & imperio provideri.

Quæritur quo jure Cæſar eſſe velit Bavarus.

Vetere non poſſe.

Non etiam novo ob atrocia flagitia.

XXXIII. Cum igitur Bavarus petit, quod in honore ſuo & ſtatu remaneat, ſcilicet in imperio & regno, poſſumus ſibi dicere quod Dominus dixit filiis Zebedæi: Neſcitis quid petatis. Vere ipſe, hoc petendo, ignorat quid petat: rem ſiquidem impoſſibilem petit: impoſſibile enim eſt ipſum remanere in honore imperiali & regio ſine novi juris acquiſitione, cum honorem & dignitatem non habeat; ſed ipſum regnum & imperium, ſive ipſorum honorem niſus eſt uſurpare tyrannice, & adhuc nititur retinere. Rogamus itaque providentiam regiam & in Domino exhortamur, quatenus præmiſſa attente conſiderans, & nihilominus pericula varia & inconvenientia innumera, quæ ejus præfata præſidentia univerſali gregi dominico comminatur, conſideranter attendens; & ad ea quæ ad honorem Dei, ſtatum eccleſiæ, & imperii reſpiciunt proſperum, te convertens, partes tui conſilii, & auxilii ſedule interpo-

Rogatus Boem. ut de novo Caſare creando cogitet.

*nas, quomodo de perſona digna tanto regimine provideri debeat, ſub qua fides ſtabiliatur catholica, augeatur fidelium numerus, & a noxiis præſervetur: ad quod quidem nos promptos, dante Domino, reperies & omnino paratos. Licet autem offenſæ prædicti Bavari excedant omnes alias, quæ leguntur a patrum noſtrorum temporibus hactenus perpetratæ; quia tamen, licet immeriti, vices illius in terris gerimus, qui cum iratus fuerit, non obliviſcitur miſereri, more pii patris converſionem ejus & ſalutem intentis deſideriis affectamus ad Dei honorem, tuique & aliorum principum prædictorum intuitu, & ut ſalus ipſius Bavari & multorum aliorum nobis mediantibus procuretur; offerimus, ſi ad gremium eccleſiæ redire voluerit idem Bavarus, ſicut debet, ipſum benigne recipere nos paratos, eique tantam, & talem impartiri gratiam, quod tu & principes ſupradicti poteritis merito contentari. Dat. Avin. II. kal. auguſti pontificatus noſtri anno XIV.*

XXXIV. Boemus in partibus Lud. obfirmatus.

Non hiſce argumentis victus eſt Boemus, ut eccleſiæ cauſam adverſus Ludovicum, quo patrata ſcelera admiſſa juſta pœna expiaret, propugnandam ſuſciperet: quippe objecta a Bavaro Italici regni adminiſtrationis illecebra illum titillabat: quare ſuperioris fœderis conventa obtrudere iterum Pontifici, & Gibellinæ factionis duces ſolicitare, ut ipſius partes ſequerentur, non deſtitit. Ad quem Pontifex iterum ſcripſit, læſæ eccleſiæ eo tractatu non fieri ſatis, neque illius honori conſuli; tum ingrati in ſedem Apoſtolicam, a qua Lucemburgica familia ad regium apicem fuerat excitata, animi crimine perſtrinxit (a).

(a) To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 72.

*Joanni Regi Boemiæ.*

*De regia, fili chariſſime, non credimus memoria excidiſſe, ſuas nobis ſub data vigilia pentecoſtes direxiſſe literas, continentes quomodo tu & venerabilis frater noſter Trevirenſis archiepiſcopus cum Bavaro ſuper quibuſdam tractatibus perſonaliter conveniſtis: quos quidem tractatus ſecundum tuum judicium & dicti archiepiſcopi, nec non & inclyti principis Othonis ducis Auſtriæ ſuper hoc plenius informati, utilitatem in omnibus & honorem ſanctæ Rom. eccleſiæ, atque noſtrum reſpicere in eiſdem aſſerebat literis, prout tu & ipſi nos intendebatis per ſolemnes nuncios plenius informare. Hujuſmodi autem tractatus forma, prout miſſi per te & archiepiſcopum & ducem prædictos verbo & ſcripto nobis expoſuerant nuncii, noſcitur eſſe talis.*

Principum Germ. in gratiam Lud. tractatus.

XXXV. Quæ fuerit illius formula ad Pont. tranſmiſſa.

*Iſta eſt intentio dominorum, ſcilicet Regis Boemiæ, archiepiſcopi Trevirenſis, & ducis Auſtriæ, quod per eos tractetur & ordinetur concordia & compoſitio inter dominum noſtrum Papam ſanctamque Romanam eccleſiam ex una parte, & Bavarum ex altera: & ſi hujuſmodi tractatus & ordinatio concordiæ ſint accepti domino noſtro Papæ ipſique Romanæ eccleſiæ, virtute poteſtatis eis a dicto Bavaro conceſſæ inter alia facient iſta fieri per Bavarum. Primo quod cum effectu deponet ſuum hæreticum antipapam. Secundo quod penitus recedet ab appellatione. Tertio quod omnia, quæ fecit ſeu attentavit contra ſanctam perſonam domini noſtri Papæ eccleſiamque Romanam, revocabit cum effectu. Quarto quod recognoſcet ſe exceſſiſſe & ſententias excommunicationis ipſum ligaſſe. Quinto quod gratiæ domini noſtri Papæ ſe offeret ad miſericordiam. Et ſi Bavarus dicta, facta, tractata, & ordinata facere non vellet, ſciat ſedes Apoſt. quod dictus Bavarus antedictos dominos non modicum commovebit, & a conſiliis eorum recedet, & poteſtatem eis conceſſam infringet intantum, quod hujuſmodi factum præordinatum per Bavarum, tamen non adimpletum, poſſit reſultare in magnum honorem & utilitatem eccleſiæ Romanæ. Hæc omnia ſic intelligantur, quod Bavarus in honore & ſuo ſtatu remaneat, ſcilicet in regno & imperio.*

XXXVI. Repulſam iterum iis obiicit Pont.

*Profecto, fili, quod dictus tractatus utilitatem ac honorem eccleſiæ non reſpiciat neque noſtrum; immo, ſi fieret quod præfatus concludebat tractatus, ſcilicet quod Bavarus in regio & imperiali remaneret honore, in Dei offenſam, eccleſiæ catholicæ, & fidei cederet, ex noſtra reſponſione miſſa tibi præfatiſque principibus ſatis, ut credimus, potuit regiæ prudentiæ dictiſque principibus apparere. De aliis autem, quæ acta tractataque ac ordinata in parlamento fuere prædicto, ſcimus multa ex eis nec ad Dei, nec eccleſiæ, nec rei publicæ utilitatem cedere: ſed in magnum eorum contemptum, depreſſionemque ipſius eccleſiæ & præjudicium, ac hæreticorum favorem.* Interjectis nonnullis, quibus queritur a Boemo ſolicitatum Azonem Mediolani regulum, ut una cum Gibellinis ſociis in Ludovici Bavari obſequium traheret imperialis nominis tuendi ſpecie, productis etiam ejuſdem ad Azonem literis datis Lucemburgi IV. julii, addit.

Queritur de Boemo.

Azonem Mediol. ad partes Bavari pellicere molitum.

Ducem Auſtriæ ab eccl. fœdere divulſiſſe.

*Ac inſuper præfatum ducem Auſtriæ, qui obedientes præfato Bavaro ut vir catholicus impugnabat, revocaſti ab iſto propoſito, ejuſque Bavari privati jure, ſi quod ſibi ex dicta electione quæſitum fuerat, ac de diverſis hæreſibus condemnati, ſtipendiarium & ſubditum effeciſti. Nec his contentus, quaſi curſorem ſeu præcurſorem & mediatorem inter dictum Bavarum, & civitates obedientes eccleſiæ ac alios devotos eccleſiæ te conſtituens, devotos ipſæ eccleſiæ a devotione retrahere,*

ac



Plura egiſſe temere pro Bavaro.

*ac ut ipſum hæreticum in ſuum Regem & Imperatorem reciperent, non abſque gravi Dei offenſa contemptuque ſanctæ eccleſiæ, ac tuo & ipſorum grandi periculo, procurare nimium temere præſumpſiſti. Et non ſolum hæc in Theutonia attentaſti, ſed etiam tuos nuncios, videlicet Thomam de Septemfontibus & Simonem Philippi & magiſtrum G. Pichon.* & infra, *ad partes Italiæ tranſmiſiſti, qui pervenientes Mediolanum Azoni expoſuere prædicto, quod tu poteſtatem habebas ipſum Azonem & ſuos concordandi cum Bavaro, & quod libenter ſuper hoc eſſes in colloquio cum eodem, quodque ipſos nuncios miſeras de ipſa concordia tractaturos: quibus fuit pro parte dicti Azonis reſponſum, quod ipſe Azo te non rogaverat de concordia prædicta tractanda, quia cum Bavaro ipſe & ſui nullam volebant concordiam, cum de ipſo confidere in perpetuum non intendant. Cumque præfati nuncii ulterius procedentes dicerent, quod concordia taliter fieret, quod Bavarus nec terram intraret, nec ad eam aliquem mitteret, ſed quod ſibi daretur aliquid annuatim; fuit pro parte Azonis reſponſum, quod nec in hoc modo aliquo conſentirent. Cumque ſubjungerent nuncii antedicti, quod ipſi bene ſciebant, quod hoc facere recuſabat, quia tractatum pacis nobiſcum habebat; fuit pro parte Azonis reſponſum, quod nobiſcum ſuper pace non habebat tractatum, ſed pacem, quia tractatus pacis inter nos & ipſum jam fuerat conſummatus.*

Confirmantur Azonis dicta de ſua cum eccleſia conjunctione pontificiis literis (a), quibus Bertrandus Cardinalis Apoſtolicæ ſedis legatus VII. Kal. decembris certior factus eſt, Azonem ad eccleſiæ obſequium revocatum auctoritate ſedis Apoſtolicæ, Romano Imperio principe ſuo viduato, Mediolani ac provinciæ creatum vicarium ſacramento ſe oratorum opera eccleſiæ devinxiſſe illius partes adverſus Ludovicum tutaturum: poſcere auxiliares copias viciſſimque auxilio non defuturum polliceri. Denique juſſus Cardinalis ut cum Azone firmiſſimum armorum fœdus coiret. Exeunte porro anno Azo, Joannes & Luchinus fratres omnibus pœnis ac ſententiis ſolvi juſſi ſunt miſſique ab iis oratores publice profeſſi ſunt, ipſos ſemper fidei catholicæ addictos fuiſſe, omniaque divinitatis & humanitatis Chriſti myſteria coluiſſe, atque excitandos in corporibus ſuis ad vitam mortuos, contrariæ enim hæreſis infamia Matthæus Vicecomes laborarat, credidiſſe. Revocatos itaque ad obſequium eccleſiæ Azonem ac Mediolanenſes, cum Joannes Rex Boemiæ ad Ludovici hoſtis eccleſiæ partes traducere niteretur, Pontifex illi ob collata a ſede Apoſtolica in Lucemburgenſem familiam beneficia ingrati animi labem objecit. Pergit enim.

(a) To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 134.



XXXVII. Objecta Boemo ingrati animi labes.

*Profecto, fili chariſſime, non ſufficimus admirari, quis te adeo faſcinaverit, quis te moverit, quod ſic matrem tuam ſanctam Dei eccleſiam undique perſequaris, ſic intendas ſedule devotos ſuos a devotione retrahere & ditioni iſtius hæretici ſubjugare. Si enim conſideranter attenderes, quam pie erga genitorem tuum *.. prædeceſſor noſter ſe geſſerit, reperies utique, quod ejus favore & ſuffragio ad faſtigium imperialis conſcenderit dignitatis. Ipſe quidem fratrem ſuum tuumque patruum, cui ætas, & defectus ſcientiæ repugnabant, in Trevirenſem promovit archiepiſcopum, qui unus eſt de his, ad quos Regis Romanorum electio aſſumendi in Imperatorem noſcitur pertinere, qui quidem electioni ſuæ favorem non modicum & ſuffragium præſtitit. Quam prompte autem ejus electionem admiſerit & approbaverit prædeceſſor noſter prædictus, te non credimus ignorare: ſi enim electionem unius epiſcopi ſic prompte ſic faciliter expediſſet, utique ſatis eſſet: & ſicut a magnis viris audivimus, qui hoc ſcire poterant, ſi per paucos dies admiſſionem & approbationem electionis hujuſmodi diſtuliſſet, erant parati qui ſe volebant opponere; qui forſan electionem ipſam annis pluribus impediſſent. Quinque quoque in ſuum favorem Cardinales ad eum uſque Romam aſſociandum, ejuſque vice inungendum & coronandum tranſmittere non omiſit. Civitatibus quoque Lombardiæ ac Tuſciæ pro eo ſua efficacia ſcripta tranſmiſit, ex quibus quanta tibi domuique tuæ nedum quoad regnum Boemiæ, ſed quoad alia non facile numeranda provenerint honores & commoda, ſi diligenter attenderes, profecto tu & præfatus archiepiſcopus, eam non perſequi, ſed proſequi, ſibique aſſiſtere vigilanti ſtudio curaretis. De nobis autem quam benigne, quamque favorabiliter erga tuam magnificentiam nos habuerimus, oblivionem ingratitudinis matrem non credimus de memoria regia deleviſſe. Scimus autem quod inter alios mundi principes precibus tuis benigne conſuevimus exauditionis januam aperire.*

* Clemens V.

Ejus patrem Clementis opera creatum Cæſarem. Patruum creaſſe principem electorem.

Coercitos ab eod. Clem. Henrici æmulos.

XXXVIII. Arguitur Boemus damnati hæretici fautorem eſſe.

*Adhuc non ſufficimus admirari, quomodo, fili chariſſime, ſic famæ tuæ effectus ſis prodigus, ut homini de diverſis hæreſibus notoriis publice condemnato ſic te poſſis fautorem oſtendere, ſtatuſque ſui reprobi & damnati ſpretis periculis & pœnis variis, quibus periculoſe nimium te involvis, publice te exhibes promotorem. Hæc, fili chariſſime, pro tanto ante tuæ providentiæ oculos curavimus ponere, ne nobis, qui tuæ curam habemus animæ, ſilentium ad culpam in diſtricto examine valeat imputari: nec non & quia inten-*

Ppp 2 ſis

Expoſita pericula in quæ incurrat.

*ſis deſideriis affectamus, ut vias tuas periculoſas conſiderans, ad inſtar prophetæ dicere debeas: Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua. Proculdubio pericoloſum intraſti devium, a quo niſi reſipiens ad viam te reduxeris veritatis, ad mortem & pœnas æternas inferi te deducet. Attende, fili chariſſime, quod licet humanum ſit peccare, perſeverari tamen in malitia debet diabolicum reputari. Noli ergo, quæſumus, hominis conditionem exuere, diabolicamque veſtire; quod proculdubio facies, ſi in cœptis improvide, quod abſit, te contigerit perdurare. Etſi te, fili chariſſime, in tali devio perdurante, ſancta mater eccleſia superſedeat quo ad diſpenſationes & alia in te ſuas effluere gratias, non mireris quia non decet eam in tali ſtatu perſeverantibus gratias, per quas in eo firmari pertinacius valeat, elargiri; ſed cura, fili chariſſime, quæſumus, exhibere te ſibi devotum filium, & proculdubio ipſa ſe tibi piam matrem & benevolam cum omni promptitudine non differet exhibere, Dat. XI. kal. octob. anno quintodecimo.*

XXXIX. Joannis Regis in Italiam expeditio.

Reſpuit pontificia monita Boemus, cum decorum utili metiretur, utque cum Ludovico Bavaro convenerat, corripiendæ Italici regni adminiſtrationis aviditate, quemadmodum ex ejus ad Azonem & Inſubres magnates literis colligitur; irrumpere in Italiam decrevit, arcaniſque nuntiis Gibellinos & alios cœpit commovere: cum interim, quaſi rem aliam ageret, in Carinthia nimirum controverſiam cum duce de ſucceſſione principatus componeret, repente in Inſubriam, a Brixianis excitus, ſigna convertit (a). Parum vero penetrarunt auctores Joannis Regis conſilia, qui illius in Italiam irruptionem inopino Brixianorum caſui attribuunt: e pontificiis enim & Regis ipſius literis (b) vidimus, jam ante ipſum Bavari partium ſtudio ſubornare Inſubres niſum, ut ad illius gratiam redirent, ſibique obſequerentur, atque ad ſolemnes etiam conventus pellicere meditatum. Facile vero fuit Brixianos illius perſuaſionibus & promiſſis ſuccumbere (c) cum, ut refert Joannes Villanus (d), a Scaligeris Veronenſibus bello appetiti graviora damna pertuliſſent, ac plures in Brixiano agro arces ab iis fuiſſent expugnatæ. Bergomenſes (e) inteſtinis diſcordiis laniati eandem mox fortunam ſecuti: Coleones enim prænobiles Bergomates Joannis Regis copias intra urbem partium ſtudio evocarunt. Hæc geſta inclinante anno: ut vero ejuſmodi Boemi Regis in Italiam excurſio plures urbium defectiones magnaſque rerum converſiones pepererit, ſequenti dicetur. Reliquas jam Italicas res proſequamur.

(a) Dub. hiſt. Boem. l. 22. Jo. Vill. l. 10. c. 170. Ant. 3. p. tit. 21. c. 6. §. 13.

(b) Ext. in ep. Jo. to. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 72.

Brixia ad eum deficit.

(c) Jo. Vil. ſup. c. 170.

Et Bergomum.

(d) Ib. c. 163.

(e) Ib. c. 170. Ant. §. 13. & Dubr. l. 12.

Lauda ſe Pontifici dedit.

Subjecere (f) ſe eccleſiæ dominatui Laudenſes in Inſubria, quamdiu nimirum interregnum eſſet, ac plures populi ad depellendum ſchiſmaticæ ſervitutis jugum excitati: cum impiarum partium ducibus infelici morte abſumptis, divina providentia in eccleſia ſua in priſtinum ſplendorem vindicanda enituit; de quibus hæc pontifex ad Berengarium Compoſtellanum archiepiſcopum ſcribebat (g).

(f) To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 198.

(g) Ead. pag. 198.

*Præterea*, inquit, *civitas Laudenſis, ſuis ambaſciatoribus miſſis ad noſtram præſentiam, noviter fidelitatem nobis & eccleſiæ obſervare promiſit firmiter & juravit nobis ipſius civitatis dominium nihilominus concedendo: ſicque ſperatur de nonnullis aliis terris & civitatibus partium Italiæ fieri breviter, cum ejuſdem Ludovici hæretici tyrannidem crudelem abhorrere dicantur plus ſolito, & reincorporari cupiant unitati & gratiæ eccleſiæ ſanctæ Dei.*

*Audiviße inſuper te, frater, credimus qualiter virtute diſponente divina, quæ tot & tanta miracula pro ſua eccleſia operatur, quaſi omnes tyranni & perſecutores eccleſiæ in partibus ſupradictis brevi ſpatio temporis mortis perſolverunt occaſum. Hæc autem, quamvis multa ſint, alia quæ divinæ bonitatis providentia pro eadem eccleſia ſua operata miſericorditer & clementer eſt hactenus, & operari continue non deſiſtit (pro quibus eidem, quantum valemus, labiorum vitulum exolvimus) tibi ad conſolationem tuam & aliorum fidelium nunciamus, ut inde laudare Deum & devotis inſiſtere precibus ſtudeas apud eum, qui eſt paſtor æternus, quod ſic clementer & benigne cœpit erga ipſam eccleſiam ſponſam ſuam, ad laudem & gloriam nominis ſui dignetur perficere, cuncta ſubmovendo noxia, & futura omnia concedendo. Dat. Avin. II. id. januarii anno* XIV.

Reſpondere pontificiæ ſpei felices exitus, Æſculani enim in fidei conſtantia confirmati (h), Tudertini Joannem Sciarram Columnium Jacobi illius Sciarræ, qui Ludovicum corona cinxerat, filium depellere (i). Piſtorienſes, Viterbienſes, ac Romani, miſſis ampliſſimis oratoribus, præteritæ defectionis veniam a ſede Apoſtolica flagitarunt (k), cenſuriſque ſunt ſoluti. Execrati crimen ſingulari demiſſione ac pio doloris ſenſu præ cæteris Romani, qui majori flagitio in conflando ſchiſmate ſe contaminarant; & coram Pontifice ac ſacro purpuratorum ſenatu ſolemni ritu profeſſi ſunt Urbis imperium ad Chriſti vicarium ſpectare, eandemque ſe pontificio nomine adverſus Ludovici conatus ſtrenue defenſuros, ac Regi Roberto ſenatori parituros ſpopondere, omnia privilegia indultave a Bavaro & antipapa conceſſa repudiarunt, ac præſumpta a ſe impie reſciderunt: quæ ab oratoribus Avenione geſta, hiſce literis Pontifex Romanis ipſis ſignificavit (a).

(h) To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 70.

Tudertum ad Pontificis obſequium redit.

(i) Ib. pag. 53.

Piſtorium, Viterbium, Roma, defectionis veniam poſcunt.

(k) Ead. p. 2. pag. 75. 76. 77.



(a) Ead. 2. ep. ſecr. pag. 1.

*Joannes, &c. communi & univerſitati ac populo Urbis.*

Sponſio a Romanis præſtita.

*In noſtra & eorundem fratrum præſentia conſtituti, veſtro & ſenatus Urbis prædictæ ſindicario nomine ſua mera ſpontanea & libera voluntate recognoverunt, dixerunt, & aſſeruerunt, quod vos & Urbs prædicta, tanquam Romanæ peculiares filii eccleſiæ, quæ aliarum eccleſiarum caput & magiſtra eſſe dignoſcitur, eo amplius & ſpetialius eſtis & eſſe debetis ad tuitionem & defenſionem, nec non devotionem, reverentiam, obedientiam & mandata noſtra & ipſius eccleſiæ ſucceſſorumque noſtrorum parati & prompti, quam aliæ urbes & civitates, cæterique populi hujus mundi, quo per eandem eccleſiam ac nos noſtroſque prædeceſſores Romanos Pontifices exiſtere noſcimini majoribus honoribus, excellentiis, & beneficiis inſigniti, quodque ad nos, quamdiu vixerimus, & nullum alium, niſi de mandato & voluntate noſtris, ſpectat dominium dictæ Urbis: adiicientes præfati ſindici, quod quanto magis nobis, qui Urbem præfatam in promotionibus perſonarum ipſius & aliis munificentiis ſpecialiter honoravimus, ac eidem Romanæ eccleſiæ fore noſcimini fortius obligati, tanto gravius contra nos & ipſum eccleſiam errando & delinquendo peccaſtis, cum illum damnatum hæreticum Ludovicum de Bavaria, noſtrum & eccleſiæ ſupradictæ fideique catholicæ atrocem perſecutorem & hoſtem, ſuoſque ſequaces & complices in Urbe recepiſtis prædicta; ipſumque Ludovicum tanquam Imperatorem coronari, ac Petrum de Corbario hæreſiarcham & ſchiſmaticum, in antipapam eligi permiſiſtis ibidem; & quamplures ex vobis eundem Petrum de Corbario, qui ſe faciebat Nicolaum Papam auſu neſandiſſimo nominari, honorare ſibique ut Papæ exhibere reverentiam præſumpſiſtis; præfatis Ludovico & Petro hæreticis & ſchiſmaticis, ac ſuorum & cujuſlibet ipſorum ſequacibus, complicibus, & fautoribus adhærendo nihilominus, ac conſilium, auxilium, & favorem præſtando. Qui quidem Ludovicus & Petrus, eorumque complices & ſequaces, vobis patientibus, in eadem Urbe diverſos horrendos exceſſus, & enormes contra nos & ſanctam Dei eccleſiam fidemque catholicam commiſerunt.*

XLI. Revocata ab iis geſta cum Ludovico.

*Adhæc recognoverunt dicti ambaſciatores & ſindici veſtro quo ſupra nomine, & confeſſi fuerunt ulterius, quod vos dicto Ludovico hæretico de facto, cum de jure non poſſetis, ſenatum & dominium Urbis ad certum tempus conceſſiſtis; nec dictum Petrum de Corbario Papam eſſe, quinimmo potius apoſtaticum, ſchiſmaticum, & damnatum crediditis, ſed per quondam Jacobum dictum Sciarram de Columna, qui tunc ſua tyrannide vos premebat, ac ſequaces ſuos, expulſis tunc de Urbe præfata quaſi omnibus noſtris & memorati Regis fidelibus, & juramento per dictum Jacobum Sciarram præſtito, quod nullo modo prædictum Ludovicum Urbem præfatam intrare permitteret, in præmiſſis & circa ea decepti & circumventi multipliciter extitiſtis. Clerus etiam dictæ Urbis per Joannem dicti Jacobi Sciarræ filium, & Marſilium de Padua hæreticum ad eligendum certos clericos Urbis ejuſdem pro bono ſtatu, ſicut fingebant, ipſius fraudulenter & deceptorie fuit inductus: quos quidem clericos præfati Joannes & Marſilius procurarunt electioni dicti Petri de Corbario in antipapam & apoſtaticum conſentire.*

Geſta ab hæreſiarcha Marſil. præſidem cleri Rom. agente reſciſſa.

*Deinde vero præfati ſindici quibuſdam clauſis nobis directis literis, nec non certis capitulis præmiſſa tangentibus præſentatis, & lectis ibidem etiam coram nobis, aſſerentes veſtro nomine vos de prædictis & aliis commiſſis in Urbe præfata contra nos & eandem eccleſiam dolere plurimum ac etiam pœnitere; nobis humiliter ſupplicarunt, ut nos, non attendentes delictorum veſtrorum enormitatem & magnitudinem, ſed ſequentes potius divinæ miſerationis exemplum, vobis aperire ſinum pietatis & miſericordiæ dignaremur, vos ad noſtram & ejuſdem eccleſiæ gratiam admittendo, ac providendo vobis ac perſonis ſingularibus dictæ Urbis & diſtrictus ejuſdem de abſolutionis beneficio ab omnibus pœnis & ſententiis, quas propter præmiſſos exceſſus & dependentia ab ipſis quomodolibet incurriſtis, ac abolendo a vobis omnem infamiæ maculam, ſive notam ex præmiſſis obortam, voſque reſtituendo in integrum ad ſtatus, privilegia, honores, bona, & famam, & interdictum, cui Urbs cum ſuo diſtrictu ſubjaceret propterea, relaxando; offerentes nobis prædicti ſindici ſindicario veſtro nomine, ac etiam promittentes, quod vos ac Urbem prædictam ejuſque diſtrictum ſub obedientia, ſervitio, & honore noſtris & ejuſdem eccleſiæ Romanæ, dictique Regis Siciliæ, cui per nos prædictæ Urbis regimen eſt commiſſum, tenebitis & cuſtodietis tam contra præfatum Ludovicum de Bavaria, ſuoſque complices, ſequaces, & fautores, quam quoſvis alios noſtros & ejuſdem eccleſiæ Romanæ, dictique Regis infideles, adverſarios, rebelles, & hoſtes, quodque recipietis humiliter, & complere curabitis efficaciter omnem pœnitentiam, ſive pœnam perſonalem, pecuniariam, & realem, quam vobis & veſtrum ſingulis pro præmiſſis & ea tangentibus imponendam*

Execrantur crimen ſchiſmatici Romani.

*dam duxerimus, vel etiam inſligendam.*

XLII. *Et ne videamini geſtis & factis dictorum hæreticorum & ſchiſmaticorum ex propoſito conſenſiſſe, nec modo aliquo conſentire; mox ibidem præfati ſindici veſtro ſindicario nomine privilegiis, conceſſionibus, gratiis, dominiis, geſtis omnibus, & ſingulis factis, habitis, & conceſſis quomodocumque & qualitercumque per dictos Ludovicum & Petrum hæreticos & ſchiſmaticos, vel alterum eorundem (licet nulla ſint, utpote ab hæreticis & ſchiſmaticis & illis, qui non habebant poteſtatem præmiſſa concedendi) præſumptis, renunciaverunt expreſſe: nec non promiſſiones, obligationes, confœderationes, conceſſiones & pacta, & quaſvis colligationes, pactiones, ſocietates, & ligas, per vos cum memoratis Ludovico & Petro vel altero eorundem quoquo modo facta & inita, revocaverunt nomine veſtro & ſenatus prædictorum, caſſaverunt, annullaverunt, & irritaverunt, quantum in eis erat, ac ea pro caſſis, nullis, & irritis habuerunt; quæ nos etiam ſub quibuſcumque modis, formis, conditionibus facta & inita, etiamſi juramentorum præſtatione, pœnarum adjectione, vel aliis quibuſcumque firmitatibus vallata fuiſſent, nulla, caſſa, irrita, & vacua fuiſſe ac eſſe decernimus; & quatenus proceſſerunt de facto, utpote cum hæreticis, & ſchiſmaticis in ſummi Regis offenſam temere præſumpta, caſſamus, irritamus, annullamus, & omnino viribus vacuamus; decernentes ad eorum obſervationem vos & quoſvis alios aliquatenus non teneri.*

Donantur venia.

*Subſequenter autem nos præmiſſis propoſitis, recognitis, factis, & ſupplicatis per ſupradictos ambaſciatores & ſindicos veſtro nomine coram nobis & eiſdem fratribus, ſicut ſuperius exprimitur, plenius intellectis; vobiſcum (quos velut noſtros & memoratæ Romanæ eccleſiæ peculiares filios in noſtra & ipſius eccleſiæ ſincera devotione & obedientia conſtanter & immobiliter de cætero permanſuros confidimus) volentes ſuper prædictis agere gratioſe, vos & Urbem ipſam cum ſuo diſtrictu ad noſtram & ipſius eccleſiæ gratiam & reconciliationem ſub forma, quæ ſequitur, duximus admittendos, &c. Dat. xv. kal. martii anno* XIV. Prætermittendam reliquam pontificii diplomatis partem brevitatis ſtudio cenſuimus, ex qua illi cenſuris, quibus ſe irretierant, ac pœnis ſoluti, priſtiniſque juribus & amplitudini reſtituti.

At in pertinaces repetitæ cenſuræ: in primis enim Joannes graviſſimis pœnis eos devinxit (*a*), qui Jacobo antilegato, illiuſque pſeudoprophetis & cucullatis impoſtoribus obſequentes eſſent; ac præſules, proceresque Germaniæ & religioſi viri, ut Prædicatores (*b*), & Carmelitæ (*c*) ad induenda arma lucis adverſus ſchiſmaticos inflammati. Utque cætera ad reprimendos hæreticos Michaelis ſequaces geſta conjungamus, Berengarium (*d*) e Mari pſeudominoritam qui Genuenſis archiepiſcopatus titulos ab antipapa acceperat, ſolemni ritu defixum anathemate pronuntiari juſſit Pontifex: Manſuetus pariter pſeudominorita in Aretinum epiſcopatum intruſus ad pœnitentiam invitatus: Petrus, Joannes, Henricus, & Thomas Minoritæ, qui adverſus dogmata apoſtolicis conſtitutionibus definita obloquebantur, in Anglia judicio poſtulati: Gallias, *ubi*, inquit Pontifex (*e*), *inter cætera regna mundi clarere religio Chriſtiana noſcitur*, quam laudem corruptam a poſteris lugebitur ſuo loco, inficere moliebatur novis erroribus Franciſcus Tudertinus: ſed in eum Ambianenſi epiſcopo & fidei cenſori legibus agere demandata provincia eſt (*f*): Conradus Minorita, qui Pariſiis dogma catholicum apoſtolicis diplomatibus fidelibus propoſitum damnarat hæreſeos, cum criminis illum pœniteret, ad Joannæ Reginæ preces (*g*) mitiori pœna juſſu pontificio affectus (*h*). In Fraticellis denique in Sicilia, in qua perverſa inſtituebant ſodalitia, inſectandis revocandiſque ad fidei puritatem a præſulibus navata (*i*) pontificio juſſu opera eſt, ac Rex Robertus & Regina Sancia admoniti (*k*) ut cenſores fidei regia auctoritate fulcirent.

XLIII.

(*a*) *To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag.* 155.
(*b*) *Pag.* 119. 166. 167.
(*c*) *Ead. pag.* 166.
Prædicatores & Carmelitæ in pſeudominoritas excitati.
(*d*) *Pag.* 21.
In impoſtores actum legibus.
(*e*) *Pag.* 126.
(*f*) *Pag.* 100.
(*g*) *To.* 8. *p.* 1. *pag.* 25.
(*h*) *Ead. pag.*
Et in Fraticellos.
(*i*) *Ead. p. pag.* 91.
(*k*) *Ead. pag.*

Affluxit hoc tempore infeſtus rumor ad ſedem Apoſtolicam, Leonem Armeniæ Regem ſentire cum ſchiſmaticis, atque eccleſias & loca religioſa ab Henrico e Curto olim excitata evertiſſe, ac titulos eccleſiarum locorumque deleviſſe. Qua re permotus Pontifex nuntios apoſtolicos Petrum e Manſo & Arnaldum e Fabricis, quos triginta aureorum millia in Armeniæ auxilium convertere juſſerat, eam vim auri ſervare, ſeque de Leonis Regis fide vel perfidia certiorem facere juſſit (*l*). Cæterum eum rumorem a veritate alienum fuiſſe colligitur, cum poſtea Pontifex ad firmanda Armeniæ propugnacula non exiguas opes contulerit [1].

(*l*) *To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag.* 198.

In-

NOTÆ [1] DE Armenorum orthodoxia ambigens Joannes pontifex omnem poſtmodum dubitationem ſuam excuſſiſſe, comperta demum veritate, ſcribit hic annaliſta. Utrum vero hæc ſcriptoris conjectura veritati cohæreat, ambigo; nam poſt non multos annos ea pariter ſuſpicio de Armenis ſollicitos adhuc agebat pontifices, ut conſtat ex iis quæ Benedictus XII. reſcripſit



XLIV. Interea in Hiſpaniis Alfonſus (*a*) Caſtellæ & Legionis, Alfonſus (*b*) Luſitaniæ, Alfonſus (*c*) Aragoniæ, Philippus (*d*) Navarræ Reges, Chriſtianæ religionis propagandæ ac veteris infamiæ Mahumeticæ ſuperſtitionis ex Hiſpania abolendæ ſtudio ſacrum in Granatenſes Mauros bellum ſunt meditati: quorum primi duo Reges Caſtellæ & Luſitaniæ conceptum hiſce verbis libellum ſupplicem (*e*) Pontifici obtulere.

Suſcepta ab Hiſpanis expeditio in Granatenſes.
(*a*) *Ead. p. 2. ep. ſecr. pag.* 190.
(*b*) *Ibid.*
(*c*) *Ib. pag.* 180.
(*d*) *Ib. pag.* 176.
(*e*) *Ext. apud. Jo. ib. pag.* 199.

*Significant ſanctitati veſtræ humiles & devoti filii veſtri Alfonſus Caſtellæ, Alfonſus Portugalliæ Reges illuſtres, quod cum ipſi Dei & eccleſiæ ſuæ intenti ſervitio proponant, eo propitio, tanquam zelatores fidei orthodoxæ perfidos invadere Agarenos; huicque propoſito tam per ſe, quam per eorum milites & vaſſallos, aliaſque gentes regnorum ſuorum, inceſſanter dare operam ad exaltationem nominis Chriſtiani, certis nihilominus confœderationibus & pactis ad hoc inter eoſdem initis; & cum reditus & proventus regnorum ſuorum ad onera regiminis eorundem ſupportanda, & ad ſuſtentationem ipſorum Regum eorumque ſequacium, nec non ad faciendum ſumptus neceſſarios ad manutenendum guerram prædictam commode ſufficere non poſſint, nec ſufficiant; eo præſertim, quod in aliis incumbentibus oneribus hucuſque ex cauſis juſtis & neceſſariis, quas ſanctitati veſtræ jam expoſuerunt, redditus & proventus expendere oportuit memoratos, & juxta doctrinam Apoſtoli, qui altari ſervit, vivere debeat de altari; & qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede; ſupplicant humiliter iidem Reges ſanctitati eidem, quatenus in ſubſidium manutenendi guerram, & faciendum ſumptus pro ea neceſſarios gratioſe dignetur concedere per decennium Regibus memoratis decimas fructuum, reddituum, & proventuum omnium eccleſiarum etiam cathedralium, monaſteriorum, ordinum, dignitatum, perſonatuum, aliorumque beneficiorum in ſuis regnis conſiſtentium, quocumque cenſeantur nomine, percipiendas infra quinquennium proximum nihilominus & habendas: quodque etiam, eodem durante quinquennio, percipere & habere poſſint primi anni fructus, redditus, & proventus eccleſiarum, monaſteriorum, ordinum, dignitatum, perſonatuum, beneficiorum prædictorum, quos vacare contigerit eodem quinquennio in dominiis Regum prædictorum.*

Decumæ ſubſidiariæ expoſitæ in belli ſacri ſumptus.

*Et quia quantitas, quæ ex prædictis haberi poteſt, licet voce magna appareat, re vera tamen modica exiſtit, & minimum facere poſſet ſubſidium ad præmiſſa; ſupplicant iidem Reges quatenus ſanctitas veſtra gratioſe concedere dignetur eiſdem & prædicto durante quinquennio tertiam partem fructuum & reddituum eccleſiarum, monaſteriorum, ordinum, dignitatum, perſonatuum, beneficiorum eodem quinquennio vacantium, primo anno excepto, percipere poſſint nihilominus & habere, debitis in ſpiritualibus & temporalibus ipſorum oneribus dumtaxat exceptis.*

*Item ſignificant iidem Reges, quod cum, prout jam ſanctitati veſtræ expoſuerunt, indigenæ qui in illis partibus prælatiis, eccleſiis, monaſteriis, perſonatibus, aliiſque beneficiis eccleſiaſticis præferri conſueverunt, zelo fidei ſuccenſi, & effuſi ſanguinis progenitorum ſuorum memores, perſonaliter ad guerram ibant prædictam; ibique milites aliaſque plures gentes manutenebant, & multipliciter eiſdem Regibus magna faciebant ſervitia; nunc iſtis excluſis pariter & contemptis alienigenæ, qui nec zelo fidei, nec devotione aliqua ad præmiſſa invitantur, ſed de imburſanda pecunia, quam de ipſis beneficiis percipere poſſunt, ad alias transferendi partes continuam gerunt ſolicitudinem, eiſdem eccleſiis, monaſteriis, perſonatibus, dignitatibus ſunt prælati; quare ſupplicant iidem Reges humiliter & inſtanter, quatenus præmiſſis alienigenis ad alia beneficia in aliis partibus tranſlatis, de prælatiis, perſonatibus, dignitatibus, beneficiis per eos detentis indigenis regnorum prædictorum dignetur eadem ſanctitas providere.*

Fuſæ querelæ de exteris ad ſacerdotia promotis.

XLV. Auditis oratoribus primum in pontificia camera, deinde in Cardinalium conſiſtorium productis, cum de iis deliberatum eſſet, ſacro ſenatui Cardinalium viſum eſt graviora illa poſtulata temperanda. Pontifex itaque hæc Alfonſo Caſtellæ Regi ſignificavit.

*Joannes, &c. Alfonſo Regi Caſtellæ illuſtri.*

*Nos cum eiſdem fratribus ſuper ea deliberatione præhabita diligenti, petitiones quas dicta ſcriptura continet, inſolitas invenimus, cum nec noſtro, nec prædeceſſorum noſtrorum tempore audiverimus ſimiles etiam pro terræ ſanctæ generali paſſagio ſedi Apoſt. fore factas: & inſuper graves & importabiles ipſas fore eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis dicti regni, qui ſicut regia providentia non ignorat, ex* 

Quid reſponſum a Pont.

*cau-*

NOTÆ cripſit ad Leonem Armeniæ regem auxilia adverſus Saracenos implorantem. Literas illas legas in annalibus ad A. 1341. anno pariter 1346. Clemens XII. viros doctos in Armeniam miſit, ut de fide ejuſdem gentis inquirerent; qui non inanem fuiſſe vulgatam in illos ſuſpicionem compererunt. Vide Notas ad A. 1341. 6. MANSI

*cauſis ſimilibus & nonnullis aliis hoc in tempore plurimum ſunt gravati. Propter quod, fili chariſſime, licet tuis petitionibus prompte annuendum, ſicut noſti, duxerimus hactenus, ac intendamus, quantum cum Deo poterimus, in futurum; petitiones tamen prædictas noſtro fratrumque eorundem judicio nequivimus admittere, abſque Dei offenſa, magnoque eccleſiarum gravamine, ac diminutione notabili cultus Dei: & præſertim cum, prout a tua non credimus memoria excidiſſe, decimam eccleſiaſticorum redditum, præterquam militarium ordinum, & duas partes tertiæ decimarum reſervari ſolitæ pro eccleſiarum fabricis in prælibatis regnis & terris tuis conſiſtentium, non eſt diu ſub certis modis, pactis, & conditionibus tibi uſque ad quadriennium concedendas duximus in ſubſidium negotii memorati, &c.* Addit debuiſſe potius eos, qui hujuſmodi conſilia ſuggeſſerant, majorum præclara facinora, qui eccleſias ampliſſimis locupletaſſent opibus, imitanda proponere ob oculos, quam ad eccleſias ſpoliandas incumbere, ac juſtam de Hiſpaniarum ſacerdotiis ad exteros transfuſis querelam defuiſſe. *Dat. non. februarii anno* XIV. Miſſi alii oratores ab Alfonſo Caſtellæ Rege fuere affecto jam anno ad Pontificem & ſenatum Cardinalium, nimirum Fernandus Rodericus de Vallebona & Joannes Furcadus de Mendoza, ampliſſimis freti mandatis, ut de ſubſidiis belli Maurici a ſede Apoſtolica eliciendis paciſcerentur; qua de re literæ regiæ VIII. idus octobris exaratæ (a): proximoque anno piis Regis votis obſecundatum eſt.

(a) *An.* 14. *p.* 3. *ep. com.* 3004.

XLVI.
Alfonſus Aragon. Rex arma ſociat in Mauros.

Non diſparia fuere petita Regis Aragonum, qui ad bellum adverſus Granatenſes gerendum ſe comparabat, cogitabatque regni limitem proferre latius: miſſis enim oratoribus flagitabat, ut decumæ eccleſiaſticæ attribuerentur, ſacrum in Mauros bellum dato arma correpturis crucis ſymbolo, propoſitiſque indulgentiis pro concione ſacra in Aragonia, Valentia, Catalonia, Sardinia, & Corſica denuntiaretur. Aſſenſit Pontifex (b) piis votis, ac Joanni patriarchæ Alexandrino Regis fratri ſacrarum indulgentiarum proponendarum fidelibus provinciam impoſuit (c), utque illi, quos vellet, muneri præficeret. Quod ad petitas decimas attinet, biennales conceſſit: Regem vero Alfonſum obſtrinxit, ut excurrente eo biennio, quo bellum ſacrum gerendum erat, trimeſtri integro ipſe exercitum in hoſtem duceret: in terris, quas ex hoſtium tyrannide eriperet, templa Chriſto poneret ac vectigalibus neceſſariis ad divinum cultum ditaret: elapſo etiam biennio quingentos equites armis egregie inſtructos limiti tuendo præficeret, ad barbarorum, qui fideles abripiebant in vincula, & Chriſtianum nomen ejurare cogebant, excurſiones reprimendas. De quibus extant VI. non. maii literæ (d) pontificiæ.

(b) *To.* 7. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 186.
(c) *Ib. pag.* 189.

Paciſcitur cum Pont. de belli ſumptu.

(d) *Ib. pag.* 180.

Aragonii elogium.

*Alfonſo Regi Aragonum.*

*Gratias agimus domino Deo noſtro, a quo fluenta gratiarum emanant, quod te natura benignum virtutibus imbuit, mentemque tuam, ætatis tempus maturo ſuperante conſilio, ad exaltationem & defenſionem catholicæ fidei præparavit, ut pro divini nominis gloria & ejuſdem fidei palmitibus dilatandis tuas laudabiles convertas & dirigas actiones. Sane dudum dilecti filii nobiles viri procuratores & nuncii tui, ad ſedem Apoſtolicam accedentes, nobis & fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus reverenter exponere curaverunt, quod tu zelo fidei ac devotionis accenſus ad propulſandas impugnationes, contumelias, & offenſas, quos perfidi Saraceni regnis & terris tuis vicini in Chriſtianos dictorum regnorum & terrarum tuarum perpetrare & committere in gravem noſtri Redemptoris injuriam jugiter non verentur; nec non pro exaltatione ejuſdem fidei & ſanctæ matris eccleſiæ ac univerſorum Chriſti fidelium ad impugnandum & expugnandum eoſdem Saracenos, dextera divina tibi aſſiſtente propitia, conflatis undique viribus, viriliter intendebas. Et quia ad proſecutionem tanti negotii & continuationem proſecutionis ipſius neceſſario tibi noſcebantur incumbere magna profluvia expenſarum, ad quarum ſupportationem tu non poteras ſufficere commode per te ipſum, iidem procuratores & nuncii nomine tuo ſubſidium decimæ omnium proventuum eccleſiaſticorum regnorum & terrarum ac dominii tuorum tibi uſque ad certum tempus concedi cum prædicatione crucis in Aragoniæ & Valentiæ, ac Sardiniæ & Corſicæ regnis & comitatu Barchinoniæ, ac cum indulgentiis concedi ſolitis transfretantibus in ſubſidium terræ ſanctæ contra hoſtes fidei ſupradictos, a nobis ſuppliciter poſtularunt.*

De illius oratoribus.

Propoſitæ ab iis Saracenorum excurſiones.

Petitum in bellicos ſumptus ſubſidium.

*Nos igitur, tuum pium & laudabile propoſitum in hac parte diligentius attendentes, hujuſmodi ſupplicationibus eo libentius annuendum fore providimus, quo hujuſmodi cauſam, quam ad laudem Dei in præmiſſis te aſſumpſiſſe & promovere confidimus, apoſtolici favoris fulciendam, & juvandam præſidiis utile & expediens extimamus.* Et infra. *Prædicationem ſiquidem crucis in dictis regnis & terris tuis per venerabilem fratrem noſtrum Joannem patriarcham Alexandrinum, adminiſtratorem eccleſiæ Terraconenſis in ſpiritualibus & temporalibus per ſedem Apoſtolicam deputatum, & alias perſonas eccleſiaſticas ſæculares & regulares ad id idoneas ab eo deputandas contra Saracenos regni Granatæ, & alios Saracenos tam vicinos quam quoſcumque alios, dum in eorum auxilium veniunt, pro certo tempore fieri conceſſimus per noſtras literas ſpeciales; ita quod proponeretur in dictis regnis & terris ac dominio tuis ſolemniter verbum crucis: & tam tuis & aliorum fidelium regnorum & terrarum ac dominii prædictorum, quam cæterorum undecumque illuc confluentium & illam ibidem devote ſuſcipere volentium per eos, qui ibidem proponerent dictum verbum, affigeretur humeris venerabile ſignum ejus; ut tali ſigno crucis vivificæ communiti prædictum negotium contra Saracenos præfatos ferventer aſſumerent, illud viriliter proſequendo, cum indulgentiis ſolitis in ſimilibus caſibus indulgeri expreſſis in literis ſupradictis. Decimam inſuper omnium redditum & proventuum eccleſiaſticorum ab omnibus archiepiſcopis & epiſcopis cæteriſque perſonis eccleſiaſticis quibuſcunque, exemptis & non exemptis regnorum & terrarum ac dominii prædictorum &* infra, *uſque ad biennium a kal. proxime inſtantis menſis junii incboandum de ipſorum fratrum noſtrorum conſilio tibi auctoritate præſentium duximus concedendam; expendendam tamen per te ſeu de mandato tuo in ejuſdem proſecutione negotii, ipſa proſecutione durante, ac recipiendam juxta modum & formam annotatos.* Quæ ſequuntur, conſonant cum aliis Joannis literis pridie kal. aprilis exaratis (a), quibus eæ pactiones inter Aragonem & Pontificem temperatæ confirmatæque ſunt.

Aſſenſum Regis Aragonum precibus.





Fideles crucis ſymbolo inſigniri juſſi.

Veniæ ſpes oſtenſa.

Conceſſæ biennales decumæ.

(a) *An.* 14. *p.* 3. *ep. com.* 3446.

*Joannes, &c. Alfonſo Regi Aragonum illuſtri.*

*Volumus inter alia, quod tu ad exaltationem & dilatationem catholicæ fidei in hujuſmodi tertio anno vel omnimode per teipſum perſonaliter per tres menſes integros ad minus continue vel interpolatim, poſtquam perveneris ad terras Saracenorum, præter tempus quod poſueris in eundo ad terras prædictas & redeundo ab eis, quod in dictis tribus menſibus nolumus computari, hujuſmodi negotium proſequaris; vel ubi dictum negotium non proſequeris perſonaliter per te ipſum, ordinabis in capitaneum guerræ contra Saracenos prædictos aliquem virum catholicum, aptum, ſtrenuum, & fidelem, quem duxeris eligendum; ipſumque tranſmittes ad dictas terras cum quingentis armatis equitibus ad minus, equis & armis bene munitis ad proſecutionem dicti negotii loco tui in tertio anno prædicto contra Saracenos eoſdem; hoc diligentius obſervando, ut ſi aliquis vel aliqui de dicto numero quingentorum equitum armatorum morte, vel caſu, vel ex aliqua rationabili cauſa deficerent, idem numerus abſque reprehenſibili mora per tuæ ſolicitudinis ſtudium celeriter reſtauretur, & per eos per tres menſes integros, ex quo pervenerint ad terras prædictas, præter tempus acceſſus ad eas & reditus eorundem in dictis tribus menſibus nullatenus computandum, proſecutioni dicti negotii inſiſtatur; ita quod, cum per totum tempus trimeſtre prædictum per te vel per dictum capitaneum cum dictis quingentis equitibus armatis, ut prædicitur, inſtabis proſecutioni dicti negotii, hujuſmodi decimæ omnium redditum & proventuum eccleſiaſticorum regnorum & terrarum & dominii prædictorum ſubſidia pro dicto tertio anno tibi integraliter miniſtrentur.* Et infra.

Quæ pactiones initæ.

*Ad proſecutionem autem hujuſmodi negotii contra hoſtes prædictos debes intendere diligenter, cum ipſi fidem catholicam & terras fidelium, potiſſime in ipſorum frontariis conſtitutas, ac perſonas Chriſtianorum non deſinant impugnare, Chriſtianos ipſos capiendo, ſuæque ditioni ſubdendo, ipſoſque tam mares quam feminas, & parvulos filios & filias eorundem cogendo fidem catholicam abnegare, & nonnulla alia nefanda in eoſdem catholicos committendo.* Additæ ſunt plures aliæ pactiones initæ de epiſcopalibus eccleſiis condendis in urbibus de Granatenſibus comparandis, reprimendis Mahumeticæ ſuperſtitionis ſacerdotibus, ne publice profanum Mahometis nomen implorent, prohibendis ad Mecham nefariis peregrinationibus, decumis pendendis eccleſiis, ſervanda eccleſiaſtici ordinis immunitate: quæ conventa iiſdem concepta verbis, atque ea, quæ cum Rege Caſtellæ jam ante firmata retulimus. Quæ literæ his verbis conſignatæ. *Datum Avin.* II. *kal. junii anno* XIV. Inſertæ etiam iiſdem literis aliæ Alfonſi Regis Aragonum exaratæ Barcinone IV. kal. aprilis hujus anni, quibus Garſias Biſcare & P. Cima ampliſſimis mandatis ad paciſcendum cum Pontifice de bello in Granatenſes gerendo inſtructi ſunt.

XLVII.
Navarræ Rex ſocius aliis Regibus in Maur. accedere meditatur.

Conjungere cum aliis Regibus Chriſtianis Hiſpaniarum arma adverſus Granatenſes decrevit Philippus Navarræ Rex, & licet par cauſa eum non urgeret, cum a Barbarorum excurſionibus procul ipſius regnum abeſſet; incitatus tamen zelo adverſus infideles ob graviſſimas injurias, quas nominis Chriſtiani ingenti opprobrio finitimis fidelibus inferebant, ducere cruceſignatas adverſum illos copias in animum induxit: cui Pontifex eximium zelum eſt gratulatus (b).

(b) *Ib. pag.* 176.

*Joannes, &c. Philippo Regi Navarræ illuſtri.*

*Gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod ipſe, qui arcani conſilii im-*

Laudatur ejus conſilium a Pont.

*perſcrutabili majeſtate tangit, cum vult, corda Regum & principum, eos ad obſequia ſua zelo promptæ devotionis accedens, tibi florentibus juventutis tuæ annis, ſicut grata tua inſinuatione percepimus, ſic maturæ virtutis gratiam miniſtravit, ut velut ſummi Redemptoris athleta magnificus delectabile tibi reputes velle propriam exponere in obſequiorum fidei Chriſtianæ proſecutione perſonam, & laborum ſubire multiplicium gravitatem; tangeris enim dolore cordis intrinſecus, dum impugnationes atroces, perſecutiones infeſtas, & crudelitates infandas, quas perfidi Agareni Granatæ & Almariæ fidelibus Chriſtianis regnorum & terrarum eis vicinarum intulerunt hactenus, & continue inferre non ceſſant, doloroſis, quinimmo opprobrioſis relatibus percipis, & mentalibus oculis intueris.*

De cladibus illatis a Granaten.

*Dicti namque Agareni hoſtes perfidi crucis Chriſti, ſicut habet fide digna relatio, fidem catholicam & terras fidelium in ipſorum frontariis conſtitutas, & Chriſtianorum perſonas frequenter impugnant; Chriſtianos capiunt, ſuæque ſubiiciunt ditioni, ipſoſque tam mares quam feminas, & parvulos filios & filias eorundem, fidem catholicam abnegare compellunt, nonnulla alia ſceleratiſſima & nefanda in eoſdem catholicos committendo, quæ ad auditum communem fidelium frequenter ingrata fama deducit.*

*Ex quibus ad vindicandas noſtri Redemptoris injurias divino, ut ſperamus, ſpiritu excitatus, non parcendo laboribus, nec formidando pericula, nec expenſarum oneribus indulgendo, pro divini nominis gloria, & catholicæ fidei palmitibus dilatandis in propria perſona ad reprimendum impugnationes nefarias eorundem ad partes illas cum decenti comitiva gentis armigeræ dirigere greſſus tuos ſub ſpe cæleſtis auxilii potenter te præparas, & ferventer accingis. Quod profecto propoſitum de puræ mentis tabernaculo prodiens, domino Deo noſtro, ſicut credimus, in augmentum jucundæ laudationis accreſcit; noſque in illo plenis gaudiis exultamus, ſibique plenitudinem exſolvimus gratiarum, quod præcordia regia cæleſtis benedictionis rore perfundens, ſic tibi gratum præbuerit animum ad ſua beneplacita proſequenda, quod ea, quæ ſunt in oculis ſuæ majeſtatis accepta, inſtantia diligentis indagationis exquiris, & efficere niteris ſtudioſius; per hoc divinæ gratiæ te conſtituens amatorem, & ad promerenda divinæ gloriæ præmia tanquam benedictionis filius aptiorem, &c. Datum Avin.* VI. *kal. martii anno* XIV.

XLVIII. Hannoniæ comes in Mauros ſe accingit.

Nec Hiſpani modo Reges ad ſubiiciendos Chriſto Granatenſes flagrabant zelo, verum etiam nonnulli alii principes, e quibus Joannes Hannoniæ comes octingentis equitibus ſuccinctus Hiſpanias petiit. Cæterum Avinionem erat aditurus, ut Pontificem ſalutaret, indulgentiarumque præmia pro ſe ac ſuis depoſceret: (a) ſed cum Ludovici Bavari hoſtis pontificii ſocer eſſet, trepidatum ibi admodum eſt, ne quas inſidias conflaret Joanni Papæ; habitique mox ingentes militum equitumque delectus ad vim vi repellendam, ſi quid fraudis moliretur, ac præmiſſi ad eum oratores, qui intentato anathemate verſus Avinionem progredi vetarent, atque in Granatenſes eunti indulgentias tribuerent. Paruit comes juſſis apoſtolicis, & criminis ſuſpicionem omnem amovit.

(a) *Jo. Vil. l. 10. c. 157.*

Timet ab eo Pont. ne appetatur inſidiis.

Conſecutam e tanto armorum adverſus Mahomadem Regem Granatæ apparatu clariſſimam victoriam, refert Joannes Villanus (b) Granatenſes ad quindecim millia ab Alfonſo Rege cæſos, cum arcis, quam oppugnabat, obſidionem ſolvere tentarent, arcemque obſeſſam in Chriſtianorum redactam poteſtatem. Deſcribunt fuſius hoc bellum ſacrum Hiſpanici auctores (c) Alfonſum Regem contractis omnibus copiis in Granatæ fines penetraſſe, atque hoc anno Thebam munitiſſimum oppidum caſtris cinxiſſe: Ozminium cum ſex equitum millibus & peditum graviſſima multitudine a Mahomade Rege Granatæ miſſum eſſe: cumque partem exercitus noſtros ad pugnam allicere juſſiſſet, ut ipſe cum reliqua a compoſitis inſidiis incautos opprimeret, deluſas ejus artes contrariis artibus, vimque vi magna infidelium ſtrage repreſſam; eo tempore Prunam a Chriſtianis expugnatam, ac Thebam, amiſſa auxilii ſpe, pacta incolarum incolumitate, ad deditionem compulſam; oppreſſa metu victoris Cagnetum Prieghumque, tum alias etiam arces Alfonſo portas aperuiſſe.

(b) *Lib. 20. c. 165.*

Parta de Mauris victoria.

(c) *Jo. Mar. l. 15. c. 21. Sur. l. 7. c. 11.*

Aliqua municipia illis erepta.

Quod attinet ad alios Hiſpaniarum Reges, qui in Granatenſes vertere armorum molem erant polliciti; ſi verbis opera conſenſiſſent, excindi tum potuiſſet ex Hiſpaniis ſuperſtitio: at Alfonſus Rex Luſitaniæ Caſtellani ſocer quingentos tantum equites tranſmiſit, qui non perfecto bello abſceſſere: Rex Aragonum (d), uti convenerat, ob novos in Sardinia a Liguribus præcipueque a Saonenſibus concitatos motus exercitum in hoſtem non duxit: Emmanuel Murciæ limiti præfectus, qui irrumpere in Granatenſium fines debebat, parum ſincere fidem reddidit: Navarræus domi ſe continuit (e), ne in regno ſeditiones oborirentur. Cum itaque cæteri Reges paribus ſtudiis cum Alfonſo Caſtellano non concurrerent, nec leves factiones in regno eſſent, ille partis contentus inducias, pactis annuis duodecim aureorum millibus, cum Mahomade iniit. Verum præcipua quæ ad id ipſum flexit cauſa, im-

Cur non amplificati progreſſus.

(d) *Marian. & Surit. ubi ſup.*

(e) *To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 116.*



impuri Guſmaniæ pellicis amores extitere, cujus lenociniis enervatus a bellicis ſudoribus abductus eſt, cum latius circumferre victorias ac regnum Granatenſe in extremam ruinam impellere poſſet: ſed converſas ſecuturis annis rerum vices, attritaſque Alfonſi palmas a barbaro viſuri ſumus, cum ille furens ira Abohacenum ex Merinorum familia novum Marrochitanum Regem in Chriſtianos Hiſpanos concitavit.

Oborti in Sardinia novi motus.

Quod ad Sardiniæ motus ſpectat; defeciſſe in ea inſula nonnullos proceres Genuenſes, qui ampliſſima prædia obtinebant, & cum aliis fœderatis conjuraſſe in Aragonios, refert Surita (a): tum Aytonem Oriam cum novendecim triremibus & navibus ſexdecim circumſediſſe inſulam, ne auxilia ab Aragoniis inferrentur: Alfonſum vero Regem inſtructa valida claſſe fluctuantem inſulam in ſuo obſequio confirmaſſe.

(a) *Sur. l. 7. c. 13.*

XLIX.

Hoc interim ſpatio in Galliis Philippus Rex (b) peregrinationem ad S. Mariam vallis viridis, deinde ad ſepulcrum S. Ludovici epiſcopi, cujus reliquiæ colebantur Maſſiliæ, obiit; demum Avenionem ad Pontificem profectus, cum eo octo diebus arcana conſilia habuit, ac tulit rumor de Aſiatica vel Italica expeditione agitaſſe: ſed de Aſiatica egiſſe ſequens hiſtoria oſtendet. His præclaris conſiliis contraria hoc anno, etſi leviora, diſcordiarum jacta ſunt ſemina, quæ progreſſu temporum atrociſſima bella accendere.

(b) *Jo. Vil. l. 10. c. 162.*

Certarat judicio Robertus (c) Atrebatenſis comes Bellimontis Philippi comitis filius de Atrebatenſi comitatu adverſus Mathildem amitam, victuſque in Pariſienſi ſenatu judicio eſt, & comitatus Atrebatium Mathildi adjudicatus [1]. Concepit inde Atrebas adverſus Philippum Regem atroces iras, atque in hoſtem implacabilem converſus; quem ajunt furentem ira uſurpaſſe eas voces, ſe Philippum ad ſolium extuliſſe, eundemque dejecturum: de quo ut magno Anglorum in Galliæ regnum irruptionis auctore, ſuo loco dicetur. Interea cum Pontifex Roberti in Regem irarum certior eſſet factus, illum ut in Regis gratiam rediret ſolicitavit (d), ne Philippus in Robertum ſuſciperet odia, indeque civile bellum erumperet: Philippum vero rogavit (e) ut regiam clementiam explicaret in Robertum, neque ira aſperari ejus animum pateretur.

(c) *Meyer. hiſt. Flan. l. 12. Paul. Æmil. in Phil. VI. Maſſon. in eod.*

Atrebas in Philippum conjurat.

Iniicit atroci bello facem.

(d) *To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 25.*

(e) *Ead. pag. 25.*

*Decet*, inquit, *fili chariſſime, magnificentiam regiam ſedule intendere, ut geſta tua tuo nomini conveniant & dignitati. Rex quidem diceris, Rex autem dicitur a regendo. Si ergo vis eſſe quod diceris, rege te primum: tunc autem te reges laudabiliter, ſi nulla in te dominata fuerit paſſio, quæ non ratione regatur. Sane circa aliorum regimen decet te manſuetudine uti potius quam rigore, & errantes benigne ab erroris devio revocare: ſic quod diceris, ſcilicet Rex, utique eris. Hoc pro tanto dicimus, ut diſceſſum dilecti filii nobilis viri Roberti de Atrebato comitis Bellimontis improvide factum nil in mente germinet regiæ odii vel rancoris, &c. Dat.* VIII. *kal. decembris anno* XV.

Pontificia ad Gallum monita.

Neque hoc loco prætereundum eſt, expoſtulanti eidem Regi biennales ſacerdotiorum Angliæ decimas Eduardo Regi eſſe attributas (f), ex quibus vires colligeret, ac potentiam Galliis formidabilem confirmaret, cum nondum ita inter Reges pax coaluiſſet, ut belli metus abeſſet; reſpondit Pontifex, ſe quidem exhauſto opibus Anglo decumas expoſcenti antequam fiduciarium ſe aulæ Gallicæ eſſet profeſſus, repulſam dediſſe; cum vero fidem ei ſacramento devinxiſſet, deque inter ipſius filium & Regis Angliæ ſororem matrimonio ineundo agitatum eſſet, ſine Francorum injuria decimas conceſſiſſe, ſuique eſſe conſilii ſtudium in ſedandis utriuſque diſcordiis collocare. Et ſane Joannes antea Philippum Regem ac Reginam fuerat adhortatus (g), ut ad pacem cum Eduardo firmandam animos accommodarent: viciſſimque Eduardum Regem ac matrem Iſabellam nonis ſeptembris deterruit (h), ne agitatam cum Philippo Rege Francorum pacem abrumperent.

(f) *To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 118.*

De affinitate inter Gallum & Anglum agitata.

(g) *Ib. pag. 115.*

(h) *To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 41.*

L.

Recruduere interea in Anglia graviſſimæ



NOTÆ [1] SEntentia in comitem Atrebatenſem, qua ejus provinciæ poſſeſſio duci Burgundiæ adjudicatur, ad ſequentem, non vero ad præſentem annum pertinet. Sequentis enim anni geſta ita exorditur eorum temporum ſcriptor, qui Nangium continuavit: *Hoc anno lata eſt ſententia in parlamento regis Franciæ pro duce Burgundiæ pro comitatu Atrebatenſi, contra dominum Robertum dictum de Atrebato comitem Bellimontis in Normannia.* Roberti igitur ſeceſſio ex urbe Lutetia, cujus meminit pontifex in literis exeunte hoc anno datis, de quibus annaliſta, ante latam ſententiam accidit cum forte intelligeret Robertus judicum favorem in adverſarium ſuum inclinare. Vel forte ideo fugit, quod literas, quas pro ſe produxerat, per dolum fabricatas judices deprehenderant. Qua de re idem Nangii continuator ad A. 1331. Fateor quidem continuatorem illum Nangii aſſerere Robertum ſententia judiciali victum abiiſſe; ſed diſceſſus ille alius eſt ab eo cujus pontifex meminit, cum poſt ſententiam comes a Philippo dimiſſus fuerit, teſte eodem; diſceſſus vero, de quo pontifex, fuit *incongrue factus*, adeoque invito rege. Forte igitur diſceſſit, & poſtea rediit. MANSI

Cantiæ comes damnatus capitali ſententia.

(a) Jo. Vil. l. 10. c. 153. Polyd. V. l. 19. an. 1329.

ſimæ diſſenſiones, atque Eduardi Regis patruus Edmundus comes Cantii læſæ majeſtatis lege poſtulatus capitis ſententia damnatus eſt, cæſuſque hoc anno, ut refert Joannes Villanus (a) ejus temporis ſcriptor, cum Angliam ad ſcrutandum fratrem, quem luci ſuperſtitem acceperat, commoviſſet: inſinuatum vero id ipſi a præſtigiatore qui rem a magiſtro dæmone hauſerat, refert Walſinghamus (b): atque hi ineptæ ſimplicitatis fidem patri mendacii adhibentis, artiumque magicarum fructus triſtes extitere. Errat vero in chronologia auctor dum rem duobus ante annis collocat, cum ſuperiori anno ſcriptæ ad Edmundum literæ extent necato (c) Edmundo quadrageſimæ tempore S. Cutberti pervigilio. Præterea affectum ſupplicio inſequenti menſe octobri Rogerium e Mortuo mari, qui antea regnum Angliæ adminiſtrarat, cum in ſuſpicionem turpis cum Iſabella Regina familiaritatis vocaretur, addit idem auctor (d). Antea vero Eduardum Pontifex monuerat (e), ne intempeſtiva ſeveritate proceres a ſe abalienaret.

Magicæ artis triſtes exitus.

(b) Vvalſing. in Eduar. III.

(c) Id. ib.

(d) Eod. c. 153.

(e) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 39.

Turbæ in Anglica aula exortæ.

*Joannes, &c. Eduardo Regi Angliæ.*

*Ad aures noſtras, fili chariſſime, relatio plurimum infauſta perduxit, quod certis ex cauſis, quas tamen relatio ſubticebat, die* XIX. *menſis octobris circa mediam noctem cum gente cœpiſti armigera ſubito nonnullos principes & alios regni tui nobiles, & in carcerem retruſiſti*. Et infra ubi ſe magno dolore affectum expoſuit, auctos honoribus atque opibus prænobiles viros in ipſum moliri aliquid auſos, præmonuitque ne ab æquitate inferendo judicio deflecteret, caveretque, ne eorum teſtimonia acciperentur, quos invidia aut odium adverſus inſontes efferaret, ac ſi nil gravius ab iis conſultum reperiret, priſtinæ mox reſtitueret libertati, ſubdit: *Si vero contra ipſos (quod abſit) gravia reperiri contingat, adhuc, fili chariſſime, tuam prudentiam exhortamur in Domino & rogamus attente, quatenus recogitans diligenter, quod miſericordibus eſt ab illo, qui non mentitur miſericordia repromiſſa; quodque tu, qui Regi regum es ſubditus, cujus miſericordia egere noſceris, cum omnes offendimus in multis, tutiuſque ſit tibi de miſericordia quam de rigoroſa juſtitia reddere rationem, digneris ipſis miſericordiæ viſcera aperire, ſicque juxta promiſſionem dominicam in illo horrendo judicio miſericordiam aſſequi merearis. Speramus equidem, chariſſime fili, quod nedum in præmiſſis miſericordiam tibi accommodam poteris reperire, immo iſtos tibi ad fidelitatem & devotionem obligabis inſolubiliter, multoſque alios ad tuam fidelitatem & amorem ſincerum pertrahere poteris per exemplum. Hoc poſtremo rogamus, & ſano conſilio ſuademus, quatenus in iis & quibuſvis aliis gravibus ira, odium, & appetitus vindictæ prorſus a regio animo exulent; ſed omnia in charitate, mature, & cum ſano conſilio & ſecundum debitum ordinem peragantur: quod tibi dignetur concedere, cui cum voluerit, ſubeſt poſſe. Dat. Avin.* VII. *id. novembris anno* XV.

Solicitatus Eduardus ad clementiam in ſuos.

Acceperat etiam Pontifex, Eduardum abalienatum animo a Regina matre Iſabella impudica priſtini in ipſam amoris ſigna ac vultus ſerenitatem non explicare; ad quem matri conciliandum preces porrexit (f), ut matris famam ſervaret, parceret ejus pudori, lapſuſque occuleret: *Excellentiam*, inquit, *regiam exhortamur in Domino, & toto cordis rogamus affectu, quatenus ad tuam reducens memoriam quæ & quanta in utero ſuo ſit propter te pericula paſſa, quantaque cura te nutriverit, & quam ſedulam adhibere diligentiam curaverit circa tua negotia, quantiſque propter te exponere ſe periculis non expaverit; nec non quam ſit filiorum erga parentes reverentia Deo grata, quamque ſit erga eos irreverentia odibilis & infeſta, non faciliter movearis ad credenda de ipſa ſiniſtra aliqua, nec ad ſubtrahendum ſibi filialem benevolentiam accendaris: ſed potius, ſi (quod abſit) ipſam excellentiæ regiæ deferat aliquis, diligenter attendat circumſpectio regia conditionem deferentium & deferendi modum: ſcimus enim, nec credimus te latere, quod propter tua negotia multos ſibi procuravit exoſos ac malevolos contra ſe provocavit. Item quantum ſint, quæ proponuntur tibi, veriſimilia; & qualiter, & per quos ſint probanda: ſicque his & aliis, quæ tibi Deus circa hæc miniſtrabit, in conſideratione deductis, ea repellere & matri famam conſervare non ommittas*. Et infra: *Obſecramus te, fili, per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, ut matris pudori, quantum ſecundum Deum poteris, velis parcere, & ejus lapſum, ſi quis (quod abſit) fuerit non publicare, ſed quantum bono modo poteris, ipſum potius ſtudeas occultare. Dat.* VII. *id. nov. anno* XV. Adhibuit etiam apud Eduardum Philippæ Reginæ preces, ut ſocrum in gratiam cum Eduardo reſtitueret.

(f) Ib. pag. 40.

Commendata illi Regina.

Rogatur ut illius maculas tegat.

Ne vero recrudeſcerent in Anglia diſcordiæ veteres, atque in apertum bellum erumperent, ad eas ſopiendas ad Henricum (g) comitem Lancaſtriæ, Guillelmum e Monteacuto, atque archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripſit, ut ſuam induſtriam adhiberent, & pericula imminentia, & quem ex his conciperet metum, expoſuit: *Si*, inquit, *ab his, quæ ipſis ſunt impoſita, ſunt inſontes, compatimur eis admodum quia taliter ſine cauſa*

(g) Ib. pag. 40.

*ſa*



*ſa moleſtiam ſunt perpeſſi, & inſuper compatimur dicto Regi, qui juſte credens procedere, ſic dure deceptus proceſſit contra eos: ipſi quoque regno compatimur, ſuper quod maledictionem ſuam ille, cujus maledictio maledictos reddit quibus maledixerit, effudiſſe videtur: nempe ſi conſiderentur mortes & ſtrages perpetratæ in eodem regno: a brevi enim tempore videtur ad antiquum ſtatum infidelium regnum hujuſmodi jam rediiſſe, nec adhuc finis imponitur, ſed ad deteriora via continue præparatur. Unde conſiderantes, quod vigor juris in talibus ſtatui regni non proficit, ſed ipſum nudat perſonis egregiis, multiplicatque odia & rancores: videretur expediens, quod via alia tentaretur, videlicet quod juris mitigato rigore pœnæ infligerentur delinquentibus mitiores, non quod ſtatim tanti viri, ubi ipſos deliquiſſe conſtaret, deberent, tam ignominioſe puniri; viæ nihilominus conſiderarentur aliæ, per quas poſſent induci ad fidelitatem regiam regii ſubditi, & invicem ſubditi in ſeipſis: alias formidandum videtur, quod brevi tempore regnum illud remanebit nobilibus vacuum ſine quibus non conſueverunt regna defendi ab extrinſecis, nec intrinſecis juſtitiæ miniſtrari. Dat.* VII. *id. novembris anno* XV.

Propoſitum quam miſere ſuorum ſanguine ſit fœdata Anglia.

In Scotia, cum Jacobus S. Andreæ epiſcopus ejuſque eccleſia opprimerentur, Pontifex illum ad conſtantiam, utque in Deo ſpem collocaret erexit (a). Tum etiam Thomam Moraviæ comitem rogavit (b), ut jura dignitatemque eccleſiarum, ſed præcipue S. Andreæ, quæ ſplendore inter cæteras conſpicua erat, tueretur: *Ut eccleſias*, inquit, *& perſonas eaſdem in terris tibi ſubditis præſertim, ſed & omnes alias, quantum in te fuerit, attenta ſolicitudine venereris, ac ſpecialiter S. Andreæ eccleſiam inter cæteras regni Scotiæ prærogativis multimodis inſignitam, ipſiuſque ac aliarum præſules & rectores, nobilitatem tuam rogamus & in Domino attentius exhortamur: per hoc enim præter humanæ laudis præconium, divinæ retributionis meritum tibi non indigne acquires, noſtram quoque & Apoſtolicæ ſedis benedictionem & gratiam propterea uberius vendicabis, &c. Dat.* X. *kal. novembris anno* XV. Si David Scotiæ
LI. Rex ab oppreſſionis eccleſiarum regni culpa non abfuit, diu crimen impune non tulit: ſequenti enim anno Eduardus Baliolus, conciliatis ſibi proceribus Anglis, bellum illi intulit, ac demum tertio poſt anno regno depulit, uti ſuis locis videbitur.

(a) Ib. pag. 42.

(b) Ead. pag.

Eccleſia S. Andreæ inſignis in Scotia.

Moguntini cenſuris ſoluti.

Hæc inter Moguntini cives in gratiam cum Henrico archiepiſcopo rediere (c), ſolutique (d) omnium cenſurarum pœnis, quas in ejus belli civilis ardore ob ſacerdotes affectos gravibus injuriis, eaque præſertim pœna, quæ in ſynodo Moguntina conſtitura fuerat, ut eorum, qui canonicos ſacerdotio initiatos atroci vulnere aut percuſſione læſiſſent, poſteri ad quartam progeniem neque ad ordines ſacros, neque ad ſacerdotia admitterentur. Quod vero ad Balduinum Trevirenſem archiepiſcopum Moguntini auctorem belli attinet; is graviorem injuriam a Loreta comitiſſa de Spanheyem domina oppidi Scarkemberg in Trevirenſi diœceſi acceperat, conjectuſque cum plurima religioſorum virorum & presbyterorum turba in cuſtodiam fuerat, qua demum reſtitutus libertati, rogatuſque ut crimini veniam daret, ac pro recuperando ſacrorum uſu apud ſedem Apoſtolicam intercederet, literas ſuperiori anno ad Pontificem ea de re dederat. Clementiam vero ſeveritate temperandam Joannes ratus, Loretam ac flagitii patrati in Balduinum ſocios fidelium conſortio reſtituit: juſtas vero pœnas ad illud rite expiandum in ſubjectis literis ad epiſcopum Leodienſem miſſis deſcriptas inflixit (e).

(c) To. 7. p. 2. ep. ſecr. pag. 34. Serar. Mog. rer. l. 5. in Henr.

(d) Super. ep. pag. 74.

Balduinus Trevir. archiep. interceptus a comitiſſa Spanheimenſi.

*Joannes, &c. epiſcopo Leodienſi.*

*Ipſi, & eorum ſinguli quam cito poterunt, ad civitatem, ſeu locum ſolemnem propinquiorem civitati Trevirenſi, cum ad eandem civitatem Trevirenſem pro peragenda pœnitentia hujuſmodi abſque perſonarum periculis non auderent, ſicut in eorum aſſeruerunt conſcientiis, accedere perſonaliter ſe offerant; & in aliquo feſto ſolemni, ſicut in feſto pentecoſtes venturo proximo, ſi fieri commode poterit, alias in inſtanti feſtivitate B. Joannis Baptiſtæ vel alia ſolemni ab ingreſſu civitatis vel loci nudis pedibus, & nihilominus præfati milites, domicelli, & Beltramus in tunicis ſine corrigiis abſque caputiis & infulis, & totaliter diſcoopertis capitibus, portantes ipſorum ſinguli unum tortitium cereum ponderis quatuor librarum ad minus accenſum in manibus gradiatur: & cum ad eccleſiam ipſam pervenerint in majori altari dictæ eccleſiæ prædicta tortitia ſic accenſa devote & humiliter offerant, ſuumque reatum prædictum ibidem confiteantur publice, cum major ibidem aderit populi multitudo. Et ſi forſan præfata comitiſſa tortitium tanti ponderis portare non poſſit, illud per alium coram ſe deferri faciat, & ipſa aliud minoris deferat ponderis, prout conſcientia ſibi dictaverit & viderit expedire.*

(e) An. 14. p. 1. ep. com. 993.

Pœna publica ad expiandum crimen reis impoſita.

LII. *Præterea comitiſſa præfata, quam cito commode poterit, ad civitatem Trevirenſem quinquaginta tranſmittat homines, qui tute accedere valeant ad eandem; qui quidem homines, in aliqua prædictarum feſtivitatum vel alia ſolemni ab ingreſſu dictæ civitatis uſque ad majorem eccleſiam Trevirenſem pedibus nudis incedentes,*

Sarciendæ injuriæ Trevirenſis eccleſiæ illatæ modus.

*ac-*

*accenſa tortitia cerea in manibus portent illa in majori altari ejuſdem eccleſiæ offerendo, ipſiuſque comitiſſæ nomine, cum major ibidem aderit multitudo populi, reatum prædictum ibidem publice confitendo. Rurſus fabricari faciat comitiſſa prædicta quatuor lampadas argenteas ponderis duodecim marcharum, quas tunc mittat eidem eccleſiæ per homines ſupradictos ante majus altare prædictæ Trevirenſis eccleſiæ permanſuras, pro quibus tenendis perpetuis temporibus ibidem ſufficienter accenſis certos acquirat de ſuo proprio redditus, quos aſſignare propter hoc memoratæ Trevirenſi eccleſiæ in perpetuum teneatur. Super quibus omnibus & ſingulis confici volumus literas autenticas, ſeu publica inſtrumenta ſeriem continentia præſentium, nobis fideliter poſtmodum deſtinanda: & ultra hoc quod tam prædicta comitiſſa, quam milites, domicelli & Beltramus prædicti jejunare per duos annos continuos in ferculis quadrageſimalibus, ſextis feriis teneantur; eademque comitiſſa in honorem quinque plagarum domini noſtri Jeſu Chriſti, quinque & quilibet aliorum prædictorum unum pauperes reficiant per duos annos ſextis feriis, quibus jejunabunt, ut ſuperius eſt expreſſum. Quocirca fraternitati tuæ per apoſt. ſcripta committimus & mandamus, quatenus per te, vel alium, ſeu alios comitiſſam milites, domicellos, & Beltramum prædictos denuntians ab eadem excommunicationis ſententia, cum per eos requiſitus fueris, abſolutos, quibuſcumque aliis ejuſdem comitiſſæ ſuper prædictis captione & detentione complicibus & fautoribus, qui ab eadem ſententia petierunt humiliter ſe abſolvi, auctoritate noſtra beneficium abſolutionis juxta eccleſiæ formam impendas, &c. Dat. Avin.* IV. *nonas maii anno* XIV.

Documenta publica de his confici juſſa.

LIII. Hoc anno inventam tradunt (*a*) in Judæorum ſynagoga, quæ in Guſtrovvenſi urbe Wandaliæ erat, divinam hoſtiam quatuor cruentam locis, quam Judæi a Chriſtiana muliere coemptam ad exercendam in Chriſtum crudelitatem pugionibus confoderant: dumque eam pungerent, auditus eſt velut infantis vagitus, neque eo miraculo ad fidem converſi. Sola ex iis Judæa mulier ſacro baptiſmo luſtrata eſt, illiuſque opera rectum poſtea facinus ac ſumptum de Judæis ſupplicium a Joanne Wandaliæ principe. Ut vero comperta ſit tincta cruore hoſtia narrat his verbis Crantzius: *Præmiſſo jejunio, ac ſacra communione cum precibus, & aſſumptis viris gravibus ex oppidi conſularibus, foderunt diu: demum cum jam obrepiſſet deſperatio, invenerunt vitro tectam peplo involutam hoſtiam quatuor locis cruentam. Advocatur clerus, pulſantur campanæ, in laudes Chriſti ora laxantur. Capella in loco inventionis de oblationibus accurrentium erigitur, eccleſiaſtica ſtipendia fundantur ad concinendas Deo laudes. Permanſit capella in annum tertium poſt quingentos ac mille: tum enim conflagrante oppido ab igne fulguris cum eccleſia parochiali, deperiit in vigilia Apoſtolorum Petri ac Pauli.*

(*a*) *Crantz. l.* 8. *Vand. c.* 8.

Auditus ex Euch. perfoſſa a Judæis pueri vagitus.

Affert idem auctor in ejuſdem provincia Magnopolenſis Cracone oppido haud diu ante commiſſum a Judæis piaculare crimen in tremendum Chriſti ſacramentum: pyxidem enim multis hoſtiis refertam furati torſerunt alias, alias laniarunt, alias conculcarunt, ſparſeruntque publico itinere, ut a fidelibus calcarentur: *Res*, inquit, *perlata eſt ad Guſtrovenſe capitulum. Clerus indicto jejunio poſtulavit a Deo revelari, quid factum eſſet de venerabili ſacramento, furem ne ſacramentum, an argentum invitaſſet. Cum deferretur res ad dominum Joannem præſidem, cœpit ſtatim ſuſpicari quod erat, juſſitque rapi Judæos in quæſtiones. Statim fatentur crimen, detegunt conſcios, corripiuntur omnes noxii in provincia, ſacratæ hoſtiæ quæruntur in ſabulo, crebreſcunt miracula, fit populorum concurſus, ex votis piorum inſtruitur capella, Chriſto laudes perſonant, Judæi exquiſitis ſupplicíis fracti rotis necantur.*

Patratum a Judæis ſacrilegium.

Miracula a ſacra Euchariſtia edita.

Hoc circiter anno creatum Conſtantinopoli ſchiſmaticorum patriarcham Joannem Theſſalonicenſem, cum Eſaias e vivis abiiſſet indicant Pachimerius (*b*) & Cantacuzenus. Exercuiſſe vero Numen in ſchiſmaticos iras ob eorum perfidiam, refert Joannes Villanus (*c*), Conſtantinopolitanum nimirum Imperatorem trajecto Helleſponto in Græcos, qui Tartaros exciverant, expeditionem duxiſſe; ſed magna clade ab iis profligatum: Turcas vero auctos viribus & audacia mare Ægæum & inſulas infeſtaſſe, indeque labare Græcorum res admodum cœpiſſe, cum annis conſequentibus conflata numeroſiſſima claſſe pecora homineſque crudeliter raperent, ac plures inſulas vectigales efficerent. Sed quæ ille paucis perſtringit, fuſius narrant Græci auctores, e quibus hæc decerpimus. Verterat Orchanes Turcarum Rex in ſuam rem Græcorum diſſenſiones, ac Nicæam Bithyniæ urbem principem, concilio in ea habito celebrem, ac Regiam Imperatorum Græcorum, dum Conſtantinopoli Latini potiti ſunt, ſedem obſidione cinxerat; cum Andronicus junior ad ſolvendam obſidionem provolavit, alteroque pede ſagitta ſauciatus, cum ſe reciperet Philocrenem, ut vulnus curaret, exorta in Græcorum caſtris ſubita trepidatione, a trecentis equitibus ad ſpeculandum magis quam pugnandum immiſſis Græcus exercitus fœdiſſime eſt diſſipatus; eaque parta victoria, reverſus

(*b*) *Pachym. l.* 9. *p.* 62. *col.* 1. *Cantac. l.* 2. *c.* 21. (*c*) *Jo. Vill. l.* 10. *c.* 152.

Græci a Turcis divexati.



ſus Nicæam barbarus (*a*) urbem infelicem ad deditionem & in ſervitutem compulit; de qua expugnatione hæc in Card. Baronii notis (*b*) reperio: *Nicæa Bithyniæ expugnatur a Turcis, a quibus codices, ſacræ imagines, ac reliquiæ ſanctorum venduntur Conſtantinopolitanis*. Inde latius victoriam circumtulit Orchanes, Græcorumque in Aſia potentia obſolevit.

(*a*) *Laonic. Chalcond. de reb. Turc. l.* 1. (*b*) *Baron. innot. MS.*

Græcorum imperium extinctum in Aſia.

LIV. Meditatus eſt expeditionem in Achajam Gualterus dux, ut Athenienſem principatum e Catalanæ ſocietatis, quæ juncta erat fœdere cum ſchiſmaticis, manibus eriperet. Cui apoſtolica præſidia impenſurus Joannes, fideles propoſitis indulgentiarum præmiis allicere conatus eſt (*c*), ut Gualterus in ſchiſmaticos ſigna cruceata attollentem ſequerentur: *Dilecti*, inquit, *filii nobilis viri Vualteri ducis Athenarum Brennæ & Licii comitis gravi conqueſtione percepimus, quod nonnulli ſchiſmatici perditionis filii & iniquitatis alumni, omnis rationis expertes & deteſtabiles, ſolum proprii proſecutores arbitrii, ducatum Athenarum, qui eſt antiqua & patrimonialis hereditas dicti ducis, expulſis inde gentibus pro dicto duce morantibus in eodem, hoſtiliter occuparunt, & detinent occupatum, eccleſiaſticos & perſonas eccleſiaſticas, cæteroſque fideles indigenas & habitatores ducatus ejuſdem graviſſimis oppreſſionibus affligentes in divinæ majeſtatis injuriam & contemptum, grave fidelium ſcandalum, & ejuſdem ducis enorme & importabile detrimentum: propter quod præfatus dux ejuſdem ducatus patrimonio ſpoliatus ad eripiendum dictum ducatum de manibus ſchiſmaticorum occupatorum & detentorum prædictorum & recuperationem ipſius, ac liberandum eccleſias & perſonas eccleſiaſticas, ac fideles indigenas & habitatores ducatus ejuſdem de dictorum ſchiſmaticorum manibus & rabie tyrannidis eorundem, & reducendum eoſdem in ſtatum priſtinæ libertatis ferventer aſpirans, deſiderat conflatis undique viribus ad partes illas, Deo propitio proficiſci, &c.* Data eſt a Pontifice auctoritas Conſtantinopolitano patriarchæ Latino Corinthienſi, Patracenſi & Hydruntino archiepiſcopis, ut militiam religioſam profeſſuros crucis ſymbolo diſtinguerent, quæ literæ datæ *Avin.* XVIII. *kal. julii anno* XIV. Solviſſe Gualterum Brunduſino portu proximo anno, atque expeditionem in Achajam duxiſſe irrito exitu, viſuri ſumus ex Joanne Villano (*d*).

(*c*) *An.* 14. *p.* 2. *ep. com.* 721.

Inducta expeditio in Achajam.

Gualterus dux Athenas recuperare nititur.

(*d*) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 192.

LV. Revocandorum ad eccleſiæ Romanæ ſinum omnium ſchiſmaticorum, ac veræ fidei propagandæ zelo ex apoſtolica ſpecula Joannes Papa in extremas orientis oras, in quibus Naſcarini Chriſtianas leges colebant, oculos extulit: utque eos ad ſalutem adduceret, cum nonnulla inter ipſos ſchiſmata erroreſque pullulaſſent, Jordanum ex ſacra Dominicana familia epiſcopum Columbenſem tranſmiſit; tum paternis literis ad colendam fidei puritatem, fugiendum ſchiſma, religioſos viros, qua par eſt, obſervantia proſequendos, eſt adhortatus (*e*).

Naſcarini ad fidem traducti.

(*e*) *An.* 14. *p.* 1. *ep. com.* 816.

*Joannes, &c. nobili viro domino Naſcarinorum & univerſis ſub eo Chriſtianis Naſcarinis de Columbo gratiam in præſenti, quæ ducat ad gloriam in futuro.*

*Votis zelamus ardentibus & ſummis deſideriis affectamus, ut cunctis mortalibus, quos Dei Filius Jeſus Chriſtus ſuo ſanguine pretioſo redemit, cœleſtis gratiæ radius illuceſcat, & ſalus votiva proveniat animarum; ut hoſtis antiqui, ſemper quærentis ut noceat, eluſa nequitia, ſupernæ beatitudinis gloria, quam non ſufficit capere intellectus humanus, quamque Salvator noſter ſe diligentibus repromittit, in ſuavitatis fœcundæ dulcedine perfruantur. Hoc etiam profundius perpeti cura revolvimus, hoc ſitimus ardentius, hoc in ſolidæ charitatis ardore crebris orationibus poſtulamus, ut inter omnes, quos regeneravit unda baptiſmatis, ceſſet ſciſſuræ diviſio, errorum nebulæ fidei claritatem non maculent, & mentales oculos in Chriſto credentium & colentium nomen ejus deteſtabilis ſchiſmatis imitatio & temerariæ fidei perfidia non obducat; ſed una ſancta catholica & univerſalis eccleſia Romana, nulla ſchiſmatum ſciſſura diviſa, in unitate fidei orthodoxæ ſub uno paſtore, & unius ovilis intemerata & ſolida unione ad conquirendam ejuſdem beatitudinis gloriam felicibus proſperetur eventibus, & gratis ſucceſſibus fœcundetur.*

De ſuſcepta fide gratulatur iis Pontifex.

*Ideoque univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente in domino Jeſu Chriſto, per ipſius pretioſi aſperſionem ſanguinis obſecrantes, quatenus venerabilem fratrem noſtrum Jordanum Catalani epiſcopum Columbenſem Prædicatorum ordinis profeſſorem, quem nuper ad epiſcopalis dignitatis apicem auctoritate apoſtolica duximus promovendum; quemque ad partes ipſas velut fructuoſum futurum & utilem, ut ſperamus, ad meſſem nationum ipſarum partium in horrea dominica inferendam, ad dictas partes providimus perſonaliter deſtinandum; nec non dilectos filios fratres Prædicatorum & Minorum ordinum in dictis partibus commorantes, vel illuc venientes ob reverentiam noſtram & ſedis Apoſtolicæ habere velitis propenſius commendantos: attendentes quod per tam longas maris terræque diſtantias præfatus epiſcopus & fratres, non abſque magnis laboribus & periculis, pro ſola cooperatione divinorum obſequiorum ad partes illas accedunt: quos beni-*

Miſſi ad eos epiſcopi.

*benigne recipientes & charitative tractantes, ſacris inſtructionibus, quas in doctrina catholicæ fidei vobis facient, veſtrarum mentium aures præbeatis devotius, animoſque veſtros, quorumlibet ſchiſmatum pulſis erroribus, unitati catholicæ fidei & ſanctorum patrum auctoritatibus in omnibus coaptetis; quoniam id eſt ſummæ & immenſæ univerſali gregi fidelium profuturum, ſi ubique locorum in cunctis fidelibus, qui gaudent nomine Chriſtiano, unus Deus, una fides, unum baptiſma, una totius mundi confeſſione votis concordibus teneatur, &c. Dat. Avin.* VI. *idus aprilis anno* XIV. Conceptæ ſunt eadem verborum formula (*a*) ad Molephatanos literæ, præfixo hoc titulo: *Univerſis Chriſtianis commorantibus in Molephatam gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.* Excitati etiam ad ſervandam incorruptam fidei puritatem confirmandoſque ad conſtantiam animos felicis immortalitatis ſpe Chriſtiani, qui in Usbechi & Elchigaday Imperatorum Tartarorum regnis verſabantur (*b*).

(*a*) *Regeſt. ib.*

Molephatani ad fidem colendam excitati.

(*b*) *Eod. an. 14. p. 1. ep. com. 659.*

*Univerſis converſis ad fidem catholicam, & catholicis Chriſtianis habitantibus inter infideles & ſchiſmaticas nationes in partibus Aquilonis & etiam orientis, & ſpecialiter in imperio Usbech & Elchigaday ſalutem, &c.*

Præceptis eruditi Chriſtiani Tartari.

*Gratias agimus Deo noſtro quia, ſicut grata & exultabili relatione percepimus, gratia Dei illuminati eſtis, divites facti in revelatione domini noſtri Jeſu Chriſti, qui & confirmabit vos uſque in finem ambulare in ſemitis mandatorum ipſius: fecit enim Dominus in cordibus veſtris lucem ſplendere ad illuminationem ſcientiæ claritatis ſuæ, ut habeatis theſaurum ſpiritualem in vaſis fictilibus, ut ſciatis quod licet is, qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renovatur de die in diem; quoniam id, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis humanæ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus temporalia quæ videntur, ſed quæ non videntur æterna. Amplexantes igitur tempus acceptabile vocationis veſtræ ad catholicam veritatem, nemini dantes ullam offenſionem in omnibus exhibeatis voſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in caſtitate, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma juſtitiæ a dextris & a ſiniſtris, non ducentes jugum cum infidelibus, eorum imitantes errores; ſed impietates de ipſorum cordibus evellere ſtudeatis, illuminantes eos in agnitionem catholicæ veritatis: quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? aut quæ conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? Studeatis ergo vos eſſe templum Dei vivi, mundantes vos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei, perſeverantes in bono uſque in finem, &c.* Commendat iiſdem fidelibus Thomam Mancaſolam epiſcopum Semiſcatenſem ac Prædicatorii ordinis religioſos viros, qui in eas oras ad evangelium diſſeminandum excurrunt. *Dat. Avin.* XI. *kal. februarii anno* XIV.

Spe immortalitatis ferenda adverſa.

LVI. Penetrarunt evangelici præcones ad montes Albors, atque in iis innumeram hominum multitudinem e ſuperſtitionis tenebris eductam ad ſacra baptiſmalia pellexere: Aggregati itaque ii filiorum Dei numero, a ſupremo in terris Chriſti vicario veram fidei puritatem haurire cupidi, ſacerdotes peritos ad ſe ab Apoſtolica ſede mitti popoſcerunt. Annuit piis eorum votis Joannes & Guillelmum de Cigiis epiſcopum Tauriſienſem alioſque plures ex memorato Prædicatorum ordine religioſos viros, qui ipſos evangelica lege imbuerent, tum orthodoxæ fidei formam, quam Romana eccleſia profitetur, tranſmiſit (*c*).

Montis Albors accolæ ſacra Chriſtiana amplexi.

(*c*) *Eod. an. 14. p. 1. ep. com. 734.*

*Univerſis Chriſtianis habitantibus in montibus de Albors gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

*Patri luminum & perennis gloriæ largitori corde devoto gratiarum referimus, quantas poſſumus, actiones, qui ſicut cum ingenti mentis exultatione percepimus, vobis dudum in tenebris ambulantibus revelavit veræ catholicæ fidei lucem magnam, & nebula gentilis erroris eductos ad veritatem catholicam miſericorditer evocavit, & traxit in agnitionem filii ſui domini noſtri Jeſu Chriſti, qui per lavacrum regenerationis abluti, & mundati ab inquinamento priſtinæ vetuſtatis, in novitate vitæ domino complacetis parati, ſicut lætanter audivimus, doctrina veræ catholicæ fidei, quam tenet, docet, & prædicat ſancta Romana eccleſia, doceri & inſtrui, ſi vobis magiſtri & directores in fide ab eadem ſacroſancta Romana eccleſia deſtinentur.*

*Ecce igitur veſtris in hac parte deſideriis annuentes, voſque gerentes in viſceribus charitatis, ac confidentes, quod qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem domini noſtri Jeſu Chriſti, venerabilem fratrem noſtrum Guillelmum de Cigiis epiſcopum Tauriſienſem & dilectos filios fratres ordinis Prædicatorum, viros utique magnæ religionis, & vitæ & in lege Domini eruditos, ad vos providimus deſtinandos; rogantes & obſecrantes vos in eodem domino noſtro Jeſu Chriſto, quatenus attendentes, quod per tam longas maris terræque diſtantias præfatus epiſcopus & fratres, non abſque magnis laboribus & periculis, pro ſola cooperatione & promotione divinorum obſequiorum ad partes ipſas accedunt, eos ob divinam & Apoſtolicæ ſedis reverentiam benigne recipere, gratanter amplecti, inſtructionem eorum in fide & evangelicæ eruditionis doctrinam aure mentis audire, eorumque prædicationibus firmam credulitatem impendere, fidem auditam & creditam veſtris operibus comprobare, gratia Dei ad vos præveniente & ſubſequente efficaciter ſtudeatis. Ut autem ipſius fidei ſeries vobis plenius innoteſcat, eam vobis annotatam præſentibus deſtinamus, quæ talis eſt. Et quidem credimus ſanctam Trinitatem Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, &c.* Concepta eſt iiſdem verbis hæc fidei formula, atque illa quam antea a Clemente (*a*) IV. ad Palæologum, & a Joanne (*b*) ad Leonem Regem Armeniæ, tranſmiſſam vidimus: ea porro repetita, addit has preces Pontifex.

Guillelmus e Cigiis epiſcopus ad eos miſſus.





Propoſita fidei formula.

(*a*) *Annal. to. 14. an. Chr. 1267. n. 75.*

(*b*) *To. 15. An. 1318. n. 10. & ſeq.*

*Ideoque univerſitatem veſtram rogamus & hortamur attente, quatenus meditatione ſedula cogitantes, quod fragilis eſt & caduca humanæ naturæ conditio, plena periculis, expoſita caſibus, inſtabilis ſtatus ejus; conſiderantes etiam, quod a lege mortis mordentis omnia nullus excluditur, prompti aſſurgite, præſto vos offerte, & parati accedite ad agnitionem Chriſtianæ fidei & ſalutis, quæ provenit ex baptiſmatis ſacramento, ad laudem divini nominis, veſtræque ſalutis profectum, & augmentum fidei ſupradictæ, ut lucis ſuæ radio illuſtrati vos ſolerter exerceatis ad ejus fines laudabiliter ampliandos; ut poſt vitæ præſentis excurſum a porta inferi liberati ejus diros cruciatus pœnaſque graviſſimas evitetis, æternæ beatitudinis præmia perpetuis duratura temporibus adepturi. Dat. Avin.* X. *kal. februarii anno* XIV.

LVII. Hortatus etiam eſt Pontifex Marforianum Jacobitarum patriarcham (*c*), ut creditos ipſius paſtorali curæ populos ad conjunctionem cum Romana eccleſia revocaret, & Prædicatores ac Minoritas ad gentes miſſos ſtudiis ſuis complecteretur.

(*c*) *An. 14. p. 2. ep. com. 64.*

*Joannes, &c. Marforiano Jacobitarum gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

*Circumſpectionem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, te in domino Jeſu Chriſto per aſperſionem ſui pretioſi ſanguinis obſecrantes, quatenus diligenter attendens, quod tibi creſcet ad meritum, accedet ad gloriam atque famam, ſi datum tibi deſuper fuerit, ut tu & populus tibi ſubditus directionis tuæ ſtudio ad unitatem ejuſdem catholicæ & univerſalis eccleſiæ revertamini, extra quam non eſt gratia neque ſalus, te & prædictum populum habilitare & reducere ſtudeas ad ejuſdem catholicæ & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ perpetuam & inviolabilem unionem, ac dilectos filios fratres Prædicatorum & Minorum ordinum ad partes ipſas venientes, vel morantes in eis, vel per illas tranſitum facientes charitative recipias, & benigne pertractes; & maxime venerabilem fratrem noſtrum Guillelmum de Cigiis epiſcopum Tauriſienſem, quem ad Dei laudem & gloriam, & paſcendum gregem fidelium in partibus illis prædicationis verbo pariter & exemplo eccleſiæ Tauriſienſi præfecimus in paſtorem, &c. Dat. Avin.* X. *kal. febr. anno* XIV. Conſulturus etiam Pontifex aliis orientalibus eccleſiis, Soltanienſi archiepiſcopatui in Perſico imperio præfecit Joannem Core ordinis Prædicatorum dato ad eum ſubjecto diplomate (*d*).

Jacobitæ ad dogma chathol. ſolicitati.

(*d*) *An. 14. p. 2. ep. com. 41.*

*Joannes, &c. dilecto filio Joanni de Core electo Soltanienſi.*

*Te de fratrum noſtrorum conſilio Soltanienſi eccleſiæ in imperio Imperatoris Perſidis conſtitutæ, tunc vacanti, providimus, præficientes te illi in archiepiſcopum & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius & ſolicitudinem animarum, quæ ſubduntur eidem, tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committentes, prout in noſtris literis inde confectis plenius continetur. Ut igitur poſtquam munus conſecrationis Deo auctore ſuſceperis, pallio in quo pontificalis officii plenitudo, quod archiepiſcopalis nominis appellatione confertur, etiam decoreris, hujuſmodi pallium inſigne, plenitudinis videlicet ejuſdem officii de corpore B. Petri ſumptum, per venerabiles fratres noſtros Thomam Semiſcatenſem & Jordanum Columbenſem epiſcopos ſuffraganeos tuos ejuſdem ordinis profeſſores tibi tuiſque ſucceſſoribus archiepiſcopis Soltanienſibus, qui erunt pro tempore, per aliquem ipſorum, qui principaliter tibi & eiſdem ſucceſſoribus munus conſecrationis impendet ſecundum formam in aliis noſtris literis annototam, duximus deſtinandum, &c. Dat. Avin.* XVI. *kal. martii anno* XIV.

Joannes Core creatus archiepiſcopus Soltanienſis.

Cum in eodem Soltanienſi archiepiſcopatu in Perſico imperio accepiſſet nonnullos præſules eccleſiarum adminiſtrationem ritu canonico non ſuſcepiſſe, alios vero ſacris ordinibus non rite initiatos, ut his mederetur malis, Soltanienſi archiepiſcopo & ſuffraganeis epiſcopis partes dedit (*e*), ut apoſtolica auctoritate non admotos canonice eccleſiis orthodoxæ fidei, nuncupata profeſſione e formula præſcripta, iiſdem vel aliis eccleſiis præficerent; alios ſacris ordinibus non rite initiatos ſacrarent. Demandata etiam eſt Sevaſtopolenſis eccleſia Petro Geraldo epiſcopo deſignato (*f*), ut evangelium propagaret: atque Galipolitana Miletio (*g*), qui tum Philippo principi Tarentino ejuſque filio Philippo Ro-

Non promoti rite ſub conditione ſacrandi.

(*e*) *Jo. an. 14. p. 1. ep. 660.*

(*f*) *Ib. ep. 663.*

(*g*) *Ib. p. 664.*

maniæ deſpoto commendatus eſt (a).

(a) *Poſt. cand. ep.* LVIII.

B. Ivo miraculis coruſcat.

Efflorefcente in dies editarum a divino Numine ad B. Jvonis Britanni ſacerdotis preces cœleſtium virtutum gloria, excitatus hoc anno eſt a Gallo Rege, duceque & clero Britannico Joannes Papa, ut patrata viri ſancti meritis miracula in religioſum examen adduci juberet, qua de re jam ante Clementi V. porrectæ preces fuerant, atque apud Joannem parto ab eo recenter pontificatu repetitæ. Ab ipſo itaque ea provincia hiſce præſulibus demandata eſt (b).

(b) Ext. Jo. *liter. apud Bene.* XII. *an.* 3. *p.* 2. *ep. com.* 227.

*Venerabilibus fratribus Lemovicenſi & Engoliſmenſi epiſcopis, ac dilecto filio abbati monaſterii S. Martini de Troartio Bajocenſis diœceſis ſalutem, &c.*

*Exultant & gaudent in cœlis animæ beatorum, qui Chriſti veſtigia imitando, in aſperitate vitæ carnis vitia debellarunt. Exultat profecto Creator æternus, cum ſuam humani generis creaturam poſt triumphum de carnis nexibus habitum conſpicit palmam gloriæ meruiſſe. Exultat, nec immerito, angelica turba cœlorum, cum terrenorum incolam, terræ tenebris cultu fidei & devotionis ſplendore fugatis, cœleſtis patriæ civem factum, & compatriotam ſupernorum civium intuetur. Decet igitur ut exultent ingentibus gaudiis cuncti Chriſticolæ, dum quis, pro Chriſti nomine mundanis ſpretis illecebris, ſe pennis virtutis erigens ſic profecit, quod accepit poſt præſentium curſum dierum bravium & habitaculum in excelſis. Sane dudum, quod non ſine laudis jubilo digne læti referimus, dilectus filius nobilis vir Joannes dux Britanniæ, & quamplures aliæ magnæ reputationis perſonæ illarum partium tam felicis recordationis Clementi Papæ V. prædeceſſori noſtro, tunc viventi, quam poſt ejuſdem prædeceſſoris obitum nobis, diſpoſitione divina ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumptis, de meritis ſanctitatis & vitæ, quibus recolendæ memoriæ Ivo Haclory presbyter Trecorenſis diœceſis, dum in humanis ageret, reſplenduiſſe dicitur, ac de miraculis, quæ ad ſepulcrum ipſius, cujus corpus in Trecorenſi eccleſia requieſcit, virtutum Dominus fertur jugiter operari, per literas ſuas laudabile teſtimonium perbibentes; per ſpeciales nuntios & literas nobis humiliter ſupplicarunt, ut de hujuſmodi vita & miraculis auctoritate apoſtolica mandaremus inquiri. Ac ſubſequenter idem dux & nonnullæ aliæ magnæ exiſtimationis perſonæ partium earundem poſt præmiſſarum ſupplicationum inſtantiam iteratis vicibus, per ſuas literas ſimiles preces ſuper præmiſſis nobis duxerunt humiliter porrigendas, ut de vita & miraculis ſupradictis, quæ non ſolum continuabantur, ſed magnificabantur aſſidue per diligentem indaginem certitudine habita decerneremus eum honorandum in terris, quem in cœlis Dominus honorabat. Ac nuper chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippus Rex & Joanna Regina Franciæ illuſtres, nec non multi archiepiſcopi & epiſcopi ac abbates, & alii prælati regni Franciæ, univerſitas quoque doctorum & ſcholarium ſtudii Pariſienſis, idemque dux per alias eorum literas: ac inſuper venerabilis frater Ivo epiſcopus Trecorenſis & dilectus filius nobilis vir Guido de Britannia, eximiæ devotionis zelo ad ſedem Apoſtolicam perſonaliter accedentes, ad noſtri apoſtolatus auditum devotis inſinuationibus deduxerunt, quod idem Ivo presbyter ſic, dum vixit, proprium mandatis divinis ſubjecit arbitrium, ſicque contemptis mundi delitiis & mundanis omnino affectibus relegatis ſe Deo gratam & acceptabilem hoſtiam immolarat, quod per ipſius grandia præcelſaque merita, & multa & evidentia miracula Dominus operatur.*

Rogatus Clem. V. ut de iis inquiri juberet.

Repetitæ apud Joannem XXII. ex preces.

Qui deprecatores acceſſerint.

*Licet igitur dignum exiſtat, ut humanis laudibus reverenter extollatur in terris, quem providentiæ divinæ ſublimitas propter ejus vitæ merita clementer honorari voluit in excelſis, noſque per hujuſmodi grandia teſtimonia non modicam informationem receperimus de præmiſſis; volentes tamen ſuper his cum omni, qua poſſumus, cautela procedere, & omni in hac parte maturitate ſervata inveſtigare ſolicite veritatem, diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo veſtrum in loco vel locis, ubi expedire videritis, de vita & converſatione ac miraculis ejuſdem Ivonis presbyteri cæteriſque circumſtantiis, hujuſmodi negotium tangentibus, juxta formam, quam vobis ſub bulla noſtra mittimus interclusam, inquiratis diligentius veritatem, & quæ ſuper præmiſſis inveneritis, fideliter in ſcriptis redacta ſub ſigillis veſtris per viros idoneos ad ſedem Apoſtolicam deſtinetis, ut per inquiſitionem veſtram fideliter inſtructi, ſicut res exigit & expediens viſum fuerit, ſecurius in ipſo negotio procedere valeamus. Dat. Avin.* IV. *kal. martii pontificatus noſtri anno* XIV. Cum hoc diploma ad memoratos præſules tranſmiſſum periiſſet, a Benedicto poſtea ex autographo exſcriptum ac promulgatum eſt, idemque munus iis præſulibus impoſitum (c). Extant porro ejus vitæ acta fide digniſſima apud Surium (d), ut is ab ineunte ætate ſe totum Deo addixerit, ſcientiiſque excultus ab epiſcopo Trecorenſi adhibitus ad eccleſiaſticas cauſas dirimendas in eo munere integerrime jus dixerit: & quoties adverſus aliquem ſententiam graviorem promeret, lacrymis manare viſus ſit; deinde a rerum forenſium uſu ac ſtrepitu ſe ſubducere meditatus, parochiæ adminiſtrationem ſuſceperit, in qua ſingularem animarum ſibi commiſſarum curam geſſit; ac pupillorum & viduarum clientelam capeſſivit adeo, ut ad eos ab injuriis lites moventium vindicandos, cum juxta eorum cauſa eſſet, ipſam ſuis urgeret ſumptibus ſine ulla præmii ſpe, adiret judicum tribunalia, ac patronum ageret. Tanto vero pauperes amore complectebatur, ut ſua in iis paſcendis exhauriret, atque in ſumma annonæ inopia pauculos panes, qui ſupererant, cum ipſis partiretur: cui tamen divina providentia multiplicatis panibus non defuit. Carnem caſtiſſimam aſſiduis jejuniis duriſſimo lecto pœniſque voluntariis macerabat; mentem vero cœleſtium rerum contemplatione reficiebat: quibus virtutibus adeo divini Numinis gratiam eſt promeritus, ut ad ejus preces maximas cœleſtes virtutes ediderit. Denique inſtructa pro illo in ſanctorum numerum referendo actione judiciaria, Clemens VI. cœlitum honores Ivoni decrevit, ut ſuo loco dicetur.

Quæ maturitas conſilii adhibita.

(c) *Bened. ſup. ep.* 227.

(d) *Sur. to.* 3. *die* 19. *maii.*

S. Ivonis vitæ acta præcipua. Illius integritas in jure dicundo.

Ut in parochi obeundo munere ſe geſſerit.

Pupillorum & viduarum cauſas egerit.

Pauperes aluerit.

Illius vitæ auſteritas.

Claruit miraculis.

I. Pontificiæ in excindendis hæreſibus curæ.

PRoſtrato feliciter ſchiſmate in Petro Corbario ad veri Pontificis obſequia, ut vidimus, reverſo Joannes revocandis ad eccleſiæ ſinum aberrantibus atque hæreſum, quæ una cum ſchiſmate propagatæ fuerant, reliquiis excindendis, anno a redemptione humani generis milleſimo trecenteſimo trigeſimo primo indictione decimaquarta operam dedit: Marſilius enim & Jandunus hæreſiarchæ Ludovici Bavari aſſentatores, ut Romani Pontificis & epiſcoporum majeſtatem labefactarent, omnibuſque bonis exutos in eum ſtatum redigerent, in quo ſub perſecutoribus Chriſtiani nominis fuerant jam diu conſtituti, fœdiſſimos errores ſparſerant, quos licet Apoſtolica ſedes ex ſacris oraculis confutaſſet, & Petrus Corbarius ſchiſmatis ſignifer ejuraſſet; nonnulli tamen ea venena adeo imbiberant animis, ut ad extinguendum nefas cenſoribus fidei in ejuſmodi hæreſibus contaminatos animadvertendum fuerit; quare hæ ad Aquenſem archiepiſcopum & ſuffraganeos epiſcopos datæ literæ (a), quas fuiſſe encyclicas ad alios præſules miſſas maximo argumento eſt.

Cenſores fidei decreti.

(a) *To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 161. & bullar. ſelect. Jo. XXII. MS. arch. Vat. ſign. lit. A. pag. 132.*

*Joannes, &c. archiepiſcopo & ſuffraganeis & inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in provincia deputatis.*

*Dudum ad audientiam noſtri apoſtolatus multorum inſinuatione perducto, quod nonnulli homines in reprobum ſenſum dati, præſertim religioſi habitu, ſed revera hæretici, & ab unitate catholicæ eccleſiæ ſeparati, hæreſim per nos olim, deliberatione cum fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, ac multis archiepiſcopis & epiſcopis, aliiſque eccleſiarum prælatis, nec non & compluribus ſacræ theologiæ magiſtris & utriuſque juris profeſſoribus præhabita diligenti, ac de conſilio fratrum ipſorum damnatam, videlicet quod Chriſto & ejus Apoſtolis in iis, quæ ipſos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, habuerunt tantummodo abſque jure aliquo ſimplicem uſum facti, approbare, dogmatizare, ac defendere temerariis ac periculoſis auſibus præſumebant; nos ne tales homines perfidi divino & humano timore vacui gloriarentur, ſuæ pravitatis opera ſine condignis meritorum ſtipendiis præteriti, omnes & ſingulos, qui poſtquam conſtitutiones noſtræ ſuper prædictis editæ ad eorum perveniſſent notitiam, vel per eos quominus poſſent perveniſſe ſtetiſſet, hæreſim condemnatam hujuſmodi auſi eſſent defendere, approbare, ſeu etiam dogmatizare, aut tenere publice vel occulte, hæreticos declaravimus, ſicut per conſtitutionem noſtram, quæ incipit, Quia quorumdam, duximus alias declarandos; &*

Pſeudominoritarum hæreſis de ſimplice uſu facti abſque jure conficto in Chriſto & Apoſtolis.

*arbitrantes dignum exiſtere, quod tales perverſi homines ejuſmodi non fruerentur privilegiis * a cujus ſe ſubtrahebant obedientia, quamque impugnare nequiter ſatagebant, ipſos omnibus & ſingulis tam exemptionis, quam aliis quibuſcumque privilegiis & gratiis, libertatibus & immunitatibus, tam ordinibus ſuis quam locis & perſonis eorum ſub quacumque forma vel expreſſione verborum ab Apoſtolica ſede conceſſis, auctoritate apoſtolica omnino privavimus: & præter pœnas alias, contra talia præſumentes inflictas, quibus ipſos ſubjacere volumus, privatos perpetuo, & ordinariæ juriſdictioni ordinariorum locorum quoad cauſas & alia omnia decrevimus eſſe ſubjectos.*

* conceſſis per ſedem Apoſtol.

II. Marſilii & Janduni hæreſes hauſtæ a pſeudominoritis.

*Sane quia, ſicut fide digna, licet infeſta, plurimum relatione percepimus, adhuc nonnulli eorum*, fuiſſe in eo numero Michaelem, Ochamum, Bonamgratiam, ex lata a Minoritis in ipſos judiciaria ſententia inferius afferenda conſtat, *auſu damnabili & nefando tam prædictam damnatam hæreſim, nec non & quoſdam erroneos & hæreticales articulos, periculoſos errores & hæreſes deteſtabiles continentes: videlicet quod illud, quod de Chriſto legitur in evangelio B. Matthæi, quod ipſe ſolvit tributum Cæſari, quando ſtaterem ſumptum ex ore piſcis iis, qui petebant didrachma juſſit dari, hoc fecit non condeſcenſive & liberalitate ſuæ pietatis, ſed neceſſitate coactus; item quod B. Petrus Apoſtolus non fuit plus caput eccleſiæ, quam quilibet aliorum Apoſtolorum, nec habuit plus auctoritatis quam habuerunt alii Apoſtoli; & quod Chriſtus nullum caput dimiſit eccleſiæ, nec aliquem vicarium ſuum fecit, quodque Papam corrigere & punire, ac inſtituere & deſtituere ad Imperatorem aſſerunt pertinere; & adhuc quod omnes ſacerdotes ſive ſit Papa, ſive ſit archiepiſcopus, ſive ſacerdos ſimplex quicumque, ſunt æqualis auctoritatis & juriſdictionis ex inſtitutione Chriſti, ſed quod unus habeat plus alio, hoc eſt ſecundum, quod Imperator conceſſit plus vel minus, & ſicut conceſſit; poteſt etiam revocare; præterea quod Papa vel tota eccleſia ſimul ſumpta nullum hominem, quantumcumque ſceleratum, poteſt punire punitione coactiva niſi eis Imperator tribuerit poteſtatem; quos quidem articulos & quamcumque ſcripturam continentem eoſdem, velut ſacræ ſcripturæ contrarios, & fidei catholicæ inimicos hæreticos, ſeu hæreticales & erroneos; ac omnes & ſingulos cujuſcumque dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus exiſterent, qui prædictos articulos, aut ſcripturam eos continentem, quoad præmiſſa præſumerent defendere vel*

Cæſareorum politicorum impietas.

Oppugnata hierarchia eccleſiaſtica.

Figmentum pro danda Cæſaribus ſcelerum licentia. Ubi hi errores damnati ſint a Pontifice.



*etiam approbare; ab omnibus confutandos velut hæreticos olim duximus de dictorum fratrum conſilio declarandos & nihilominus dilectus filius Petrus de Corbario ordinis fratrum Minorum, olim hæreſiarcha & ſchiſmaticus, qui errores & hæreſes prædictos approbaverat & tenuerat diabolica ſuggeſtione deceptus, eos poſtmodum ad lucem veritatis reductus in noſtra & eorundem fratrum noſtrorum, nec non magnæ cleri & populi multitudinis præſentia ſponte abjuravit, anathematizavit, reprobavit, & fuit deteſtatus expreſſe in diverſis mundi partibus defendere, dogmatizare, ac approbare præſumunt, fideles ſecum in eoſdem errores & hæreſes trahere, non abſque divinæ majeſtatis contumelia, fidei læſione catholicæ, ac multorum periculis velut miniſtri ſathanæ molientes; nos tales, quos timor Dei a malo non revocat, pœnæ ſaltem formidine ſeveritateque diſciplinæ a ſuis hujuſmodi nequiſſimis exceſſibus retrahere cupientes, diſcretioni veſtræ in virtute ſanctæ obedientiæ per apoſtolica ſcripta diſtrictius injungendo mandamus, quatenus contra omnes & ſingulos cujuſcumque dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus exiſtant, prædictas damnatas hæreſes vel earum aliquam approbantes, defendentes, aut dogmatizantes, publice vel occulte, quos omnibus & ſingulis tam exemptionis quam aliis quibuſcumque privilegiis apoſtolicis eis, vel eorum ordinibus, aut locis communiter vel diviſim, ſub quacumque forma vel expreſſione verborum conceſſis, privavimus auctoritate apoſtolica, & adhuc etiam tenore præſentium eadem auctoritate privamus: nec non & contra ſuſpectos de prædictis, ſeu eorum aliquos ſummarie ſimpliciter, & de plano, tanquam adverſus hæreticos, ſeu fautores & defenſores hæreſum ſolerter & fideliter vos, fratres archiepiſcope & ſuffraganei, veſtrique vicarii & officiales veſtri ordinarii, voſque filii inquiſitores auctoritate apoſtolica juxta ſtatuta canonum & privilegia conceſſa inquiſitionis negotio tam a captione perſonarum, quam ad ſententiam procedatis, invocato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, indulgentiis, & literis apoſtolicis, per quæ veſtra vel alicujus veſtrum juriſdictio poſſet circa præmiſſa, vel ea quomodolibet tangentia impediri, etiamſi de illis eſſet in præſentibus ſpecialis & expreſſe de verbo ad verbum mentio facienda, quæ quoad hoc nulli volumus ſuffragari; ſic vos ſuper prædictis ſolerter & fideliter habituri, quod præter plenius mercedis præmium, quod inde merebimini, noſtram & ejuſdem ſedis gratiam uberius aſſequi valeatis. Dat. XII. kal. februarii anno XV.*

Ejurati etiam antipapa.

Exertæ adverſus novatores leges.

Inter alios, qui diſruptis ſchiſmatis laqueis ad eccleſiam ſupplices confugere, Thomaſius, qui Petri e Corbaria capellanum ſe geſſerat, commiſſum piaculum deflevit: cumque ſenio morboque affectus curiam non poſſet adire, & miſericordiam imploraret, data eſt a Pontifice Joanni Card. Urſino A. S. L. provincia, ut eum rite abſolveret, ea pœna injuncta, quæ in ſubjecto diplomate deſcribitur. (a)

III. Thomaſius antipapæ capellanus.

Ejurat ſchiſma & hæreſim.

(a) *An. 15. p. 4. ep. com. 778.*

*Joannes, &c. Joanni S. Theodori diacono Cardinali.*

*Diſcretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſi eſt ita, eundem Thomaſium recepto prius ab eo corporaliter tacto libro, ad ſancta Dei evangelia juramento, quod non credit nec credidit quod creatio vel depoſitio ſummi Pontificis ſpectet vel ſpectare debeat ad Imperatorem: ſed hoc hæreticum reputavit & reputat, & hæreſim damnatam per eccleſiam, quam & ipſe quantum in eo fuit & eſt damnat; & quod prædictam hæreſim vel aliquam aliam nunquam tenebit, docebit, aut ſcienter dogmatizabit, & vitabit conſortium & familiaritatem Ludovici de Bavaria hæretici & ſchiſmatici, aliorumque hæreticorum & ſchiſmaticorum & ſequacium ipſorum, denotatorum & denotandorum ab eccleſia, dum in hæreſi, ſchiſmate, fautoria, & ſequela hujuſmodi perdurabunt; & quod nobis ac ſucceſſoribus noſtris canonice intrantibus fidelis & obediens erit; & quod hujuſmodi crimina, quæ confeſſus*

Formula ad id concepta.

NOTÆ [1] CUm Marſilii de Padua, & Joannis de Janduno nomina hic in Annalibus recurrant, admonendos lectores cenſeo, Jandunum jam inde ab anno ſuperiori ſive obiiſſe ſive a Bavaro receſſiſſe. Id mihi ex conjectura potius ſuggeritur, quam certo aliquo argumento conſtat. Hanc vero conjecturam ſuppeditant literæ Joannis papæ ad Joannem Bohemiæ Regem datæ die II. *Kal. Auguſti Pontificatus ſui anno* XIV. *ideſt anno* 1330. In illis enim Ludovico in crimen vertitur, quod apud ſe detineat *Jacobum Caſtellanum* Epiſcopum; item *Michaelem de Caſena*, & *Guillelmum Kam Anglicum*, *Bonagratiam de Pergamo* (Bergomenſem, quem in aliis literis apud Martene *converſum*, ideſt nullo clericatu initiatum, appellat) ac denique *Marſilium de Padua*. Janduni non meminit, cujus omiſſionis nulla aptior ſuccurrit ratio, quam quod objerit, vel ab illo ſeceſſerit. Seceſſiſſe tamen potius, quam obiiſſe puto, cum in literis ad Benedictum XII. legendis in Annalibus ad an. 1336. ſpondeat Ludovicus ſe pro viribus inſectaturum Joannem de Janduno & Marſilium de Padua, niſi ad Eccleſiæ obſequium redierint. MANSI

*ſus eſt, & iis ſimilia non committet, nec Ludovico prædicto, dum in hæreſi ſeu ſchiſmate vel eccleſiæ rebellione durabit, vel aliis hæreticis & ſchiſmaticis per eccleſiam denotatis, ſeu denotandis, ſeu quibuſcumque aliis ipſius Ludovici ſequacibus denotatis vel denotandis nullo unquam tempore adhærebit*, & infra, *juxta formam eccleſiæ abſolvas: & ſuper irregularitate per eum contracta ex eo, quod ſe non tamen, in contemptum clavium divinis immiſcuit miſericorditer diſpenſes, eumque reſtituas ad famam & bona; non tamen ad beneficia eccleſiaſtica, quæ antea obtinebat: ſed eum dumtaxat habilites ad obtinendam beneficia eccleſiaſtica conſimilia illis, quæ obtinere antea noſcebatur, dummodo in illis eccleſiis non exiſtant, in quibus prima beneficia, quibus per proceſſus noſtros contra tales habitos propterea privatus exiſtit, antea obtinebat: eum nihilominus uſque ad annum, a die abſolutionis, diſpenſationis, & habilitationis hujuſmodi computandum, ab officio divino ſuſpendas, injungens eidem, ut infra dictum annum in quatuor locis ſolemnibus, videlicet in baſilica principis Apoſtolorum de Urbe, & monaſterii S. Pauli prope Urbem, ac S. Joannis Lateranenſis, & S. Mariæ majoris de dicta Urbe eccleſiis, in ſingulis earum videlicet ſingulariter, quamprimum in eis ſolemnitatum feſtivitates occurrent, & fidelium inibi aderit multitudo; reatus ſuos & culpas publice & alta voce confiteatur & dicat, &c. Dat. Avin.* IX. *kal. julii anno* XV.

Publice in principibus Urbis eccleſiis crimen execrari juſſus.

IV. Ut paterna pietate collecti eccleſiæ gremio qui redibant ad officium, ita animadverſum in alios, qui in pertinacia obdureſcebant. Irretiti erant privatis erroribus nonnulli hypocritæ, fratres de paupere vita vulgo nuncupati, qui a Pontifice alias ita deſcripti (*a*) fuerunt: *Fratres Minorum ordinis profeſſores ſacram religionem B. Franciſci confeſſoris egregii ſub deſpecto habitu parviſque caputiis oſtentantes, viri utique fugitivi, nec minus apoſtatæ, quærentes a jugo religionis colla ſubducere, & debitum regularis effugere diſciplinæ, columbinæ ſimplicitatis ſpeciem præ ſe ferentes exterius, & callidi hoſtis aſtutias interius proferentes.* Erant ex ea nimirum pſeudominoritarum illuvie, qui S. Franciſci pura & incorrupta inſtituta ex candida & literali vocum interpretatione obſervare gloriabantur, in quos vetera edicta inſtaurata fuerunt. (*b*)

Fraticellorum deſcriptio

(*a*) *Jo. an.* I. *ep.* 106. *ext. etiam apud Vvad. an.* 1317. *n.* 10.

*Joannes, &c. venerabilibus fratribus archiepiſcopo ejuſque ſuffraganeis & dilectis filiis inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in eis partibus auctoritate apoſtolica deputatis.*

(*b*) *Bull. Jo.* XXII. *MS. arch. Vat. ſign. lit. A. pag.* 129.

*Proceſſus contra Fraticellos.*

*Dudum ad audientiam Apoſtolicæ ſedis multorum inſinuatione perducto, quod nonnulli profanæ multitudinis, qui vulgariter Fraticelli, ſeu fratres de paupere vita, aut Bizochi, ſive Bighini, vel aliis nominibus nuncupantur, in partibus Italiæ, necnon in inſula Siciliæ, comitatu Provinciæ, Narbonenſi & Toloſana civitatibus & diœceſibus ac provinciis, aliiſque ciſmarinis partibus contra ſacros canones habitum novæ religionis aſſumere, congregationes & conventicula facere, & ſuperiores ſibi ipſis eligere, quos miniſtros, ſeu cuſtodes, vel guardianos, aut nominibus appellant aliis, plurimos ad eorum ſectam recipere, in quibus habitant in communi, publice mendicare, quaſi eorum ſecta una de religionibus per ſedem Apoſtolicam approbatis, temeritate damnabili præſumpſerant & præſumebant etiam inceſſanter; & ut ipſorum error veritas, & impietas religio putaretur, plurimi eorum regulam ordinis fratrum Minorum, quam ſanctus Franciſcus inſtituit, ſe profiteri ad literam obſervare fingebant, quamquam ſub obedientia generalis vel provincialium miniſtrorum ipſius ordinis minime morarentur, prætendentes ſe a ſanctæ memoriæ Cæleſtino V. prædeceſſore noſtro hujuſmodi ſtatus, ſeu vitæ privilegium habuiſſe* (confirmatam a Cæleſtino monaſticam eorum diſciplinam, & vocatos pauperes eremitas domini Cæleſtini, contendunt nonnulli, & Clarenorum congregationem fuiſſe hujuſmodi; at illi advertant quid ſubiiciat Pontifex) *quod tamen, etiamſi oſtenderent, non valeret, cum felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter ex certis cauſis rationabilibus omnia privilegia ab ipſo Cæleſtino conceſſa, quæ per ipſum Bonifacium non contingeret approbari, vacuaſſet viribus, nec dictum privilegium inveniretur per eundem Bonifacium approbatum; nos attendentes, quod in errorum barathrum faciliter ruunt, qui conceptus proprios patrum diffinitionibus anteponunt, ipſorumque quamplurimi, ſicut nobis fide digna innotuerat relatio, a veritate catholicæ fidei deviabant; contra ſectam, ritum & ſtatum hujuſmodi auctoritate apoſtolica de fratrum Minorum conſilio proceſſimus ſub hac forma: Joannes &c. ad perpetuam rei memoriam. Sancta Romana atque univerſalis eccleſia, &c.* (*c*) Extat hæc ſanctio inter extravagantes, hac temporis nota conſignata. *Dat. Avin.* III. *kal. januar. pont. noſtri an.* II. Tum ſubiicit.

In quibus locis fuerint graſſati.

Ut profeſſi ſint Franciſcana inſtituta pura ſervare. Prætexuerint a Cæleſtino V. fuiſſe confirmatos.

Non valuerit prætextus ob contrarium Bonifacii decretum. Quam juſte Joannes damnarit Fraticellos. Adhibuerit in conſilium ipſos Minoritas.

(*c*) *Extravag. ſancta Romana de relig.*

V. *Sane quia ſectam præfatam non reſurgere, ſed abolitam remanere perpetuo, prædictamque inviolabiliter obſervari ſententiam plenis deſideriis affectamus, ad quod expedire plurimum credimus, proceſſum & ſententiam hujuſmodi ſæpius præſente fidelium multitudine publicari; diſ-*

Vetus decretum in Fraticellos inſtauratum.

cre-



*cretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictius injungendo mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcopi & ſuffraganei per vos veſtroſque ſubditos & alios viros religioſos & ſæculares, exemptos & non exemptos, de quibus vobis videbitur (quos ad hæc non obſtantibus exemptionis & quibuſvis aliis privilegiis eis, vel eorum ordinibus, aut locis ſub quacumque forma vel expreſſione verborum conceſſis, compellere per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita valeatis) ſingulis diebus dominicis ac feſtivis in eccleſiis & locis veſtrarum civitatis & diœceſis, ac in ſermonibus publicis, de quibus expedire cognoveritis, eoſdem proceſſum & ſententiam, dum clerus & populus ad divina vel ſermones audiendos convenerint, publicantes, omnes & ſingulos ſectam hujuſmodi obſervantes generaliter, nec non nominatim illos, de quibus vobis ſummarie, ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii conſtiterit in præmiſſam incidiſſe ſententiam excommunicatos denuntiare ſingulis diebus dominicis & feſtivis in eiſdem eccleſiis, locis, & ſermonibus publice procuretis. Et quia ſine fautoribus & receptatoribus diu peſtilentes homines hujuſmodi latere non poterunt, nec durare, diebus dominicis & aliis ſolemnibus, præſente fidelium multitudine copioſa, ſub excommunicationis pœna & aliis, quas fautoribus & receptatoribus talium per jura canonica ſunt inflicta, ut a fautoria, receptatione, ac defenſione illorum publica & occulta debeant abſtinere moneatis & efficaciter inducatis, contra non parentes monitioni hujuſmodi ad denunciationem inflictarum comminatarum pœnarum hujuſmodi & alias, prout expedire videritis, vos archiepiſcopi ſuffraganei veſtra ordinaria, voſque filii inquiſitores apoſt. auctoritate ſimpliciter & de plano, abſque ſtrepitu & figura judicii veſtri, ſecundum ſtatuta canonum & privilegia conceſſa inquiſitionis officio procedentes, invocato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Datum Avin.* XIV. *kal. martii anno* XV.

Juſſi a præſulibus publice anathemate defigi.

VI. Proruperat eo impietatis hujuſmodi hypocritarum fæx, ut licet ſacerdotio non eſſent initiati, ſimplices plebejos ad ſacram exhomologeſim admitterent, atque ad eos pelliciendos inanes indulgentias pollicerentur. Præerat hujuſmodi Fraticellis, qui diverſam longe ab aliis Hermanni, Dulcinique, vel Apoſtolicorum impuriſſimis fraterculorum factionibus ſectam adulterinæ ſanctitatis ſpecie ex literali eaque in ſenſum nefarium detorta Franciſcani inſtituti interpretatione deluſi, imbutique nefaria Petri Joannis Olivi, (qui licet a Minoritano ordine non ſe divulſerit, aliis tamen illius diſcindendi cauſam ſuis erroribus præbuit) doctrina conflarant, Angelus e valle Spoletana laicus, improbæ ſuſceptæ ſententiæ ad inſaniam addictus: in quem Pontifex Melphienſem epiſcopum legibus agere imperavit, commiſſaque ab illius nequitiæ ſociis flagitia ita expoſuit (*a*).

*Joannes, &c. epiſcopo Melphienſi & inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, in partibus regni Siciliæ & terris citra pharum auctoritate apoſtolica deputatis.*

(*a*) *To.* 8. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 281. *& lib. bull. Jo.* XXII. *MS. arch. Vat. ſign. lit. A. pag.* 139.

*Ad noſtri apoſtolatus auditum perduxit nuper inſinuatio diſplicibilis & infeſta, quod quidam miniſtri ſathan, perditionis filii, & maledictionis alumni, qui ſe fratres de paupere vita faciunt vulgariter appellari, quamvis eorum ſecta jamdudum per ſedem Apoſtolicam fuerit perpetuæ prohibitioni ſubjecta, ſe in illis partibus ſub ducatu cujuſdam nequam hominis, videlicet Angeli de valle Spoletana, idiotæ utique & quaſi literarum ignari, qui ſe caput ſeu magiſtrum ipſorum nominat, congregarunt & congregant inceſſanter; & gerentes ſub pelle ovilla rapacitatem lupinam, ut ſubtilius & facilius decipere ſimplicium animas valeant, varias hæreſes & errores, quibus ipſi reſperſi dicuntur, diſſeminare in divinæ majeſtatis offenſam periculoſe nimium moliuntur; falſas pronunciantes indulgentias & plures perſonas ad confeſſionem ſacramentalem, licet claves non habeant, animas decipiendo damnabiliter admittentes, & alia deteſtanda varia in ſuarum animarum periculum, & plurimorum ſcandalum committentes.*

Angelus e valle Spoletana eorum ſignifer.

*Cum autem talibus, ne creſcant hæreſes & errores hujuſmodi, ſed extirpentur potius antequam per intenſionem coaleſcant in ſegetem, ſit ocyus obviandum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus adverſus prædictum Angelum, & alios ejus complices in hac parte ſecundum ſanctiones canonicas & privilegia conceſſa inquiſitionis hæreticæ pravitatis officio, ſolerti adhibita diligentia, taliter providere, invocato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, brachii ſæcularis auxilio, ſtudeatis, quod hæreſes & errores prædicti extirpentur radicitus, & fides catholica conſervetur illæſa, &c. Dat. Avin.* X. *kalend. decembris anno* XIV.

VII. Meminere Minorum annales (*b*) cujuſdam Angeli nuncupati Clareni, ſectæ illius, quæ Cœleſtino V. Pontifice oborta eſt, & S. Franciſci inſtituta puriſſima colere jactabat, ſeque a ſociorum, tanquam apud eos pietas defloreſceret, conſortio divulſerat, promotoris: quique Liberato in ſecta condenda ſocio ſucceſſit in magiſtratu: & ſi ea, quæ refert Franciſcana hiſtoria cum iis, quæ ex Jor-

De Angelo Clareno.

(*b*) *Vvad. in annal. an.* 1317. *n.* 16. *& ann.* 1318 *n.* 23.

da-

(a) Annal. to. XIV. ann. 1294. nu. 26.

dano ſuo loco attulimus (a) de Liberato & Angelo factionis Fraticellorum ſeu fratrum de paupere vita, quam Bonifacius damnavit, conditoribus conferamus, non diſpar ſtudiis reperietur Angelus idiota & hæreticus, quem Pontifex ſuperiori diplomate exagitat: nam primo Angelum Clarenum in illa ipſius hiſtoria fertur (b) non fuiſſe ſacerdotem, & accuſatum de exceptis ſacris exhomologeſibus apud Joannem, tum Bonifacio VIII. & patriarchæ Conſtantinopolitano ſectam illius damnantibus non paruiſſe. Cum vero hunc Liberati ſocium Jordanus (c) rerum ſui temporis accuratus auctor in narrandis iis, quæ ad Minoritas ſpectant, referat antea Petrum e Foroſempronio dictum, & Angeli nomen ſibi aſciviſſe, *Quia*, inquit, *ſe fingebat revelationes angelicas habere*, pariter patriæ nomen commutaſſe ſuſpicio ſubeſſe forſitan poſſet, ne facile a cenſoribus fidei, qui in fraterculos in oriente tum in occidente juſſi (d) erant inquirere, comperiretur. Referunt (e) pariter Franciſcani annales, Clarenorum ſectam, quæ Cœleſtini Quinti Papæ indulgentia adoleverat, ac transfugas ordinis Minoritarum colligebat, damnatam a Joanne fuiſſe; tamen ejuſdem Cœleſtini propoſito diplomate acerrime ſe tutatam eſſe. Sed cum id reſciſſum fuerit adverſus Bonifacii & Joannis juſtiſſima decreta non valuit eorum excuſatio: atque ideo non veram pietatem coluiſſe conſtat, ut prætereamus infandam illam hæreſim, qua Liberati & Angeli ſequaces Pontifices exutos omni auctoritate, eamque in ipſos transfuſam ob ſtudium paupertatis effutiebant (f).

(b) Apud Vvading. an. 1318. n. 23.

(c) Jord. MS. Vat. ſign. n. 1960. & Annal. to. XIV. ann. Chr. 1294. n. 26.

(d) Id. ib.

(e) Marc. Olyſſip. l. 7. c. 34. ex chr. vet. & Marian.

Hypocriſis pro vera pietate culta.

(f) Jord. MS. Vat. ſign. n. 1960. Annal. to. XIV. ann. Chr. 1294. n. 26.

Nec putandum hæc crimina falſo Joanni cujus animum a Minoritis averſum perperam ajunt, nimium credulo inſuſurrata ab invidis; quo nomine ſacrum Minoritarum ordinem indigne traducunt: nam plures alii Pontifices non modo Bonifacius VIII. qui naſcentem ſectam elidere ſtuduit, ſed etiam Clemens VI. de blaſphemiis hujuſmodi a pſeudoreligioſis jactatis graviſſime eſt conqueſtus (g). Porro memorati Angeli ſequacium, qui in Neapolitano regno pullularant, cauſam Gerardus Otho ſupremus ordinis præpoſitus, atque Helionus Rhodiorum equitum magiſter, tum archiepiſcopus Neapolitanus cognoſcere juſſi ſunt (h). Neque ambigimus, quin plures viri ſimplices & pio puriſſimi Franciſcani inſtituti ſervandi zelo ſe Angelo aggregarint: qua illecebra plures allecti ſenſim hæreſim ab hypocritis, in angelos lucis transformatis, inſtillatam imbibebant.

(g) Cle. VI. ann. to. 3. ep. ſecr. 52.

(h) To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 242. & 315.

Quod ſi congregationis Clarenorum, qui ad Pii Quinti tempora perſtiterunt, atque a Sixto Quarto eremitæ ſancti Franciſci appellati reperiuntur, auctor Angelus de Cingulo Clarenus agnominatus a Clareno flumine inter Aſculum & Nurſiæ Alpes, prope quod extructo cœnobio diu cum ſuis diſcipulis vixiſſe ferunt, idemque auctor eccleſiaſticus vere pius extitiſſet, ut tradit Wadingus (i), illum non fuiſſe Liberati in condenda nefaria Fraticellorum ſecta ſocium, ſed ab eo diſcrepantem dicendum eſſet: cui opinioni favet patriæ diſtinctio, cum illum Foroſempronio oriundum ſcribat Jordanus (k), hunc Cinguli natum referat Wadingus (l); quin etiam Marcus Ulyſſipponenſis (m) ex chronico pervetuſto Joannem appellet.

(i) Vvad. an. 1317. n. 28. & de ſcriptor. ord. Min. in Ang. de Cing.

(k) Jord. MS. Vat. ſig. n. 1960.

(l) Vvad. de Script. ord. Min.

Clareni ſecta, ut ad pietatem revocata.

(m) Marc. Oyſ. l. 7. c. 23.

Si vero idem fuerit, qui varia nomina ſubdole commutarit, tum nefarium hypocritam fuiſſe & hæreticum non ambigendum eſt; & primos ſocios reſperſos impietate, flexuque temporum partim hæreſim expurgatam flammis, partim doctrinæ luce diſcuſſam, ut quæ initio ſecta fuerat impia, in piorum hominum ſocietatem præſtantem religione & ſanctitatis fragantia ſuaviſſimam efloreſceret, ac tum demum foveretur a Sixto IV. priſtinoque Minoritarum ſodalitio a Pio V. reſtitueretur. Quod vero Angelus apud ſectarios ſuos vel alios ſanctitatis exiſtimationem collegiſſet, non mirum eſt, cum ab imperitis a ſanctitate non facile diſcernatur hypocriſis, prorſuſque ſplendido illo primi collapſæ diſciplinæ Franciſcanæ reſtitutoris nomine indignus eſſet; licet enim defloruiſſe diſciplinæ ſplendorem ſtatuerimus cum Marco Ulyſſipponenſi (n), ac Liberatum & Angelum a Raimundo ordinis præpoſito, Corrado Offidano, Jacobo Tudertino, Petro e Monticulo, quorum aliquos ob egregias virtutes beatorum nomine inſigniunt, ad Cœleſtinum V. miſſos; id plane conſtat, ipſos ad ſodalium conſortium jubente Bonifacio redire debuiſſe, nec ſtare religioſam familiam poſſe, quæ apoſtolico anathemate perculſa ſit. Fuiſſe autem juſtum decretum Bonifacii (inferius a nobis repetendum) certum eſt, cum Liberatus & Angelus reſtituendi ordinis fuco illum diſſiparent, perſonatamque tantum religionem gererent. Infectus erat illius hypocriſis lue Bernardus Fuſcerius pſeudominorita, quem Guido Carmelita epiſcopus Majoricæ, proximo anno ad Elnenſem in Catalonia epiſcopatum traductus, ut ex pontificiis literis (o) conſtat, comprehendit atque una cum fidei cenſore ejuſdem hæreſes ex ipſius literis in triginta duos articulos digeſſit (p).

(n) Il. c. 27.

Bernardus Fuſcherius hæreticus.

(o) An. 16. p. 2. ep. com. 1353.

(p) An. 15. p. 2. ep. com. 956.

VIII.

Alebat inter Minoritas ſchiſma Michael Cæſenas hæreſiarcha, atque in Italia ſuas vices demandarat Thedino pſeudominoritæ, cujus comprimendi Fulconi Piceni præſidi provincia a Pontifice demanda-





(a) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 111.

data eſt (a). Cudebat varia idem Michael adverſus eccleſiam fidemque catholicam Monachii, ubi Ludovici Bavari clientela tectus erat, venenata commentaria (b), quæ encyclicis literis hoc anno XXIV. januarii datis ad Minoritas, ut eos perverteret, inferebat, & quærebatur (c) Geraldum in ſui locum fuiſſe ſubrogatum; ſuamque hæreſim & apoſtaſiam argumentis colorabat variis, quæ confutat Geraldus Otho in eo commentario, quem ex Perpinianenſibus comitiis conſcripſit, (d) in quo hypocriſis larvam ita perite detrahit, ut nuda ejus impietas pateat.

(b) Ext. in MS. bibl. Vat. ſign. n. 4010. pag. 106. & in MS. 4008. pag. 151.

(c) Eod. MS. 4010. pag 212.

(d) Ext. in eod. MS. bibl. Vat. ſign. n. 4010. pag. 215.

Minoritarum magiſter in Michaelem ſcribit.

*Nonne*, inquit, *cogitas, fili incredulitatis, exemplum quod frater Elias meus & tuus in officio, ſed tuus in ſchiſmatico ſcandalo prædeceſſor, apoſtata fuit, ſchiſmaticus, & hæreticus: qui ſub domino Innocentio IV. cum Friderico, ab imperatoria dignitate depoſito & ſententialiter per eccleſiam condemnato, ſe ſubtraxit ab obedientia domini Papæ & ab eccleſiaſtica unione? His tamen non obſtantibus noſtra religio, procurante Domino, non ſuper hoc Elia hæretico, nec ſuper te imitatore ſuo, ſed ſuper ſolidiſſimam petram Chriſtum mediante B. Franciſco fundata in fide & devotione & obedientia & reverentia ac unitate ſacroſanctæ matris eccleſiæ, inconcuſſa permanſit; ſicut hodie, te errante a catholicæ fidei tramite cum hominibus deviis deviante, noſtra religio per Dei gratiam in communione & gratia ſedis Apoſtolicæ perſeverat. Non igitur tu dominum Papam, ſed te dominus Papa velut vere reprehenſibilem reprehendit. Quare, miſer homo, non vides vel non intelligis quam inaniter & quam mendaciter de reſiſtentia gloriaris? Cæterum cum inducis exemplum cleri Romani, dicens ſcilicet: Ab ipſius domini Joannis obedientia & communione receſſi ad inſtar catholicorum & approbatorum virorum de clero Romano, qui ab obedientia & communione Anaſtaſii Papæ deviantis a veritate fidei, quam eccleſia determinaverat, receſſerunt prout in canone XIX. diſt. capit. Anaſtaſius legitur & habetur; iſtud quidem exemplum contra te militat in duobus.*

Suam excuſantem apoſtaſiam redarguit.

IX.

Convincit impoſturæ & mendacii.

*Primo namque quia, ſi exempla Romani cleri ſequi decreveras, cur Romani cleri principibus dominis S. R. E. Cardinalibus catholicis & fidelibus, in obedientia & communione domini Papæ manentibus, non manſiſti? & cur ipſis non recedentibus receſſiſti, niſi quia eos non ſequi ſed præcedere, ſi te voluiſſent ſequi, in apoſtatica fuga volebas? Si tamen dicat tua perfidia, quod non ipſos dominos Cardinales clericos domini Papæ, ſed anticardinales dudum clericos antipapæ habebas pro clero Romano ſeu pro principibus cleri Romani, reſponde. Si cum illis tunc perfidis a communione domini Papæ tunc recedentibus receſſiſti, cur cum illis redeuntibus, & pœnitentiam agentibus rediens pœnitentiam non egiſti, poſtquam eorum exempla ſequi volebas, niſi quia ſuperbia ſicut prior egreditur ad illicita opera, & poſterior revertitur ſeu frangitur ad pœnitentiam? ſic tu ſuperbus ſuperbiæ filius primus eſſe in apoſtaſia & noviſſimus in pœnitentia voluiſti? Si vero tua dicat inaudita temeritas, quia nec dominum Papam, nec adhuc antipapam habes pro Papa, nec clerum illius pro clero Romano, reſponde. Si ſecundum opinionem tuam Romana poſſit inveniri eccleſia, quia conſtat ſi non inveniatur Romanus clerus, quia nec Romana eccleſia invenitur: clerus autem, qui habitat in Avinione, qui habitat Romæ, qui habitat in toto orbe catholicorum & orthodoxorum obedit & communicat domino Papæ; clerus autem qui eſt Saonæ ſub tuo ſacrilego & blaſphemo vicario Berengario Bochuſſe Januenſi pſeudoarchiepiſcopo & Piſano in theologia magiſtro obedit vel antipapæ, vel ſathanæ, vel ſynagogæ Judaicæ, vel utrique. Ubi eſt igitur eccleſia Romana catholica, ad quam appellas? dic, ſi tu ſcis, ubi eſt tranſportata? Nonne verecundaris? nonne confunderis dicere & ſcriptitare per mundum ea, quæ omnes Chriſtianæ aures atque catholicæ horrent, quod tu nullius dignitatis, nullius nobilitatis, nullius auctoritatis, nullius potentiæ, nullius virtutis, licet multi criminis homo ſanctiſſimum Apoſtolicum Chriſti vicarium, univerſam eccleſiam, patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, principes, burgenſes, cives, laboratores, tot viros & feminas populos Chriſtianos ſub obedientia & communione domini Papæ ſervientes de hæreſi & fautoria hæreſis audes condemnare?*

Et infandæ arrogantiæ.

Michael provocans ad eccleſiam, eam lapſam contendit.

X.

Tum manifeſtis aliis hæreſiarchis ſe conſociat.

*Secundo præmiſſum exemplum contra te militat, quia tu, non dominus Papa, in duas incidiſti culpas.* Et infra: *Tu, ſicut tota novit eccleſia, manifeſtis hæreticis, puta Petro de Corbario, dudum ſacrilego & hæretico antipapæ, Marſilio de Padua, Joanni de Janduno, & quampluribus aliis etiam in criminibus & ſacrilegiis communicaſti, communicas, & communicare non ceſſas. Item occulte conaris per falſas ſuggeſtiones, ſcripturas, & ſuaſiones fratres olim tibi commiſſi ordinis non quidem ad gradus eccleſiaſticos, ſed a gradibus & cultibus, ab obedientia & reverentia eccleſiaſticis revocare.* Et infra. *Quare communitas noſtri ordinis propter eaſdem cauſas a tua communione & obedientia merito ſe abegit; tamen domino Papæ vere & fideliter, & ut vere fideli adhæſit, quia ipſe non communicat nec communicavit hæreticis, nec etiam occulte o-*

*peratus eſt quidquam: quinimo in revocatione damnatorum, redire cum pœnitentia volentium, & in editione ſuarum conſtitutionum, exempla nequaquam ſequens Anaſtaſii, de conſilio dominorum Cardinalium, epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum multiplici deliberatione proceſſit. Quapropter hoc ſolum exemplum, ſi bene cogitaſſes, te a tanta inſania retrahere debuiſſet.* Hæc Geraldus, qui Michaelem hæreſiarcham ejus argumentis urget & convincit. Verum hypotheſis quod Anaſtaſius II. a fide deflexerit, ac propterea a clero Romano abjectus & mox divinitus turpi morte oppreſſus ſit, falſa eſt. Ac primum obſervandum Michaelem hæreſiarcham contendiſſe (*a*), Romanum Pontificem ſine concilio œcumenico in ferendo fidei decreto erraſſe poſſe, ac Joannem in illo, contra quod ipſe Michael novæ hæreſeos ſigna extulerat, nempe, *Cum inter nonnullos*, erraſſe.

(*a*) Ext. ejus comm. eod. in MS. bibl. Vat. ſig. n. 4010. pag. 206. &c.

XI. Contendit Pontifices in ferendis fidei decretis errare poſſe.

Ut vero probaret errare poſſe pontificem in judicio fidei, calumnias jam ante confictas a ſchiſmaticis in nonnullos Pontifices repetiit, atque objecit de Anaſtaſio II. ſed falſo. Ac primum Anaſtaſii hoſtes ſchiſmatici nunquam finxere, ipſum in dirimenda e Petri cathedra fidei controverſia erraſſe: ex quo Michaelis objectio eliditur. Et ſi referat Gratianus *diſt.* XIX. c. *Ita Dominus*, erraſſe Anaſtaſium, quod rata eſſe voluerit ſacramenta baptiſmi & ordinis, quæ Acacius hæreticus contulerat: non in eo erravit Anaſtaſius, ſed Gratianus ſuam imperitiam prodidit, ut docent theologi (*b*). Quod ad alia vero objectionum capita in Anaſtaſium attinet, futilia ſunt: ſtatuamus enim quod voluerit ille Photinum, qui communicaverat Acacio, abſolvere ſine cleri conſenſu; non propterea a fide deflexit. Demonſtrant etiam Cardinales Baronius (*c*) & Bellarminus, falſum eſſe ipſum, voluiſſe revocare Acacium; & pariter confictum fuiſſe, illum divina vindicta percuſſum (*d*). Ac ſi quis omnino contenderet, Acacii nomen dypticis reſtituere voluiſſe, moxque divinitus oppreſſum; non ex eo auctoritas Pontificis exoleſceret, ſed magis divina in eccleſiam providentia illuſtraretur (*e*) ſtabitque Pontificem in proponendo univerſæ eccleſiæ fidei decreto a Spiritu ſancto ex Chriſti ſponſione regi. Objecit præterea Michael, erraſſe Liberium. Verum is nullum in controverſia judiciaria tulit adverſus fidem decretum; ſed prævaricatus eſt communicando cum Semiarianis, quapropter in ejus locum ſubrogatus eſt Felix, qui martyrii palmam damnato Conſtantio tulit, de quo pluribus Cardinales Baronius (*f*), & Bellarminus, (*g*) qui de Felicis ſucceſſione cauſam hanc affert: *Tametſi enim Liberius hæreticus non erat, tamen habebatur propter pacem cum Arianis factam hæreticus; & ex ea præſumptione merito potuit ei pontificatus abrogari. Non enim homines tenentur, aut poſſunt corda ſcrutari; ſed quem externis operibus hæreticum eſſe vident, ſimpliciter hæreticum judicant, ac ut hæreticum damnant.* Reſipiſcens vero Liberius Felici iterum ſucceſſit excitatuſque divinitus Imperatorem Conſtantium atque epiſcopos Urſatium & Valentem hæreticos damnavit; de quo memorati auctores.

Non erravit Anaſtaſius II. ut obiicit.

(*b*) Turre. ſum. de eccl. l. 2. c. 112. Bell. de Rom. Pont. l. 4. c. 10. & alii.

(*c*) Bar. an. Chr. 497. n. 27.

(*d*) Id. ib. & Bellar. ſup. cap.

(*e*) Bar. eod. n. 27. 28 Turre. & Bell. ubi ſup.

(*f*) Bar. an. Chr. 357. n. 25.

(*g*) Bell. l. 4. de Rom. Pont. c. 9.

Liberius erravit in externo actu, non in ferendo fidei decreto. Iterumque Pontificatum adeptus.

Inania ſimiliter ſunt, quæ de Leone obiiciuntur, cum ipſe pſeudopontifex eſſet; quare merito vim argumenti retorquet in Michaelem Geraldus (*b*): *Sed temporibus noſtris a communione & obedientia Petri de Corbario, in antipapam tyrannice & diabolice per hominem laicum, ſæcularem, & excommunicatum intruſi, quicumque fideles ſe ſubtrahere tenebantur. Videas igitur, ſi tu habes oculos quibus videre valeas, ſi fuiſti æqualiter occæcatus tam in facto quam in iſto dicto: quomodo enim & qua fronte iſta exempla pro te inducere potuiſti?* Et infra: *Tu in tuo receſſu acceſſiſti ad intruſum, & receſſiſti ab illo, qui canonice fuerat nullo dubitante ingreſſus. Receſſiſti a vicario Chriſti, & acceſſiſti ad vicarium antichriſti. Acceſſiſti ad eum, qui aliunde aſcendebat ut latro; & receſſiſti ab eo, qui per oſtium intravit ut paſtor. Acceſſiſti ad eum, qui in nomine proprio veniebat; & receſſiſti ab eo, qui venerat in nomine Chriſtiano. Acceſſiſti, ut tu ipſe dicis, ad civitatem Piſarum, ubi tunc erat ſedes ſathanæ, & ibi fratres, quorum animas in cura te habere dicebas, faciebas ab antipapa officia & dignitates eccleſiaſticas acceptare: quorum conſecrationi, ſeu potius execrationi, inunctioni, vel verius fœdationi ſicut impudicus leno fornicationum & fœditatum ſpiritualium aſſiſtebas.* Et infra.

(*b*) MS. bibl. Vat. ſign. n. 4010. pag. 215.

Ut Michael manifeſto antipapæ ſe conjunxerit.

XII. Appellatio Michaelis nomine Minoritarum edita a Minoritis repudiata eſt.

*Quod autem appellationis tuæ pallium, ſub quo rebellionem tuam ſchiſmaticam velare conaris, ſit inane & vacuum, patenter apparet conſideranti cuilibet eum qui appellat, & eum contra quem appellat, & judicem quem appellat. Tu autem appellaſti realiter non ut perſona publica, quia ordo appellationem tuam non approbat nec commendat, ſed potius improbat & condemnat; ſed ut perſona privata attentaſti facere quod feciſti: hoc autem modo feciſti te perſonam hæreticam, prout conſtat per literas tuas, ut in proceſſibus contra te habitis in noviſſimo noſtri ordinis generali capitulo declaratur: perſona autem hæretica ſecundum canonicas ſanctiones appellare non poteſt, nec admitti appellatio ejus debet: tu autem qui decretales & decreta frequenter allegas, iſta me-*



*lius noſſe deberes. Sed audi cauſam, quare omnis hæretici appellatio non debet admitti, quia ut Paulus ait, ſubverſus eſt qui hæreticus eſt, & deliquit proprio judicio condemnatus, ad Tit.* III. *cap. Perſona vero contra quem appellaſti eſt ille, qui non habet ſuperiorem in terris: propter quod de jure ab ipſo appellari non poteſt.* Et infra: *Appellaſti quoque ad illam eccleſiam, quam tu in tuis literis; quas ad diverſas partes ordinis direxiſti, pronunciaſti, aſſeruiſti, & denutiaſti eſſe hæreticam, & per conſequens omni poteſtate judicaria deſtitutam: quare appellatio tua nullum potuit nec debuit habere vigorem. Sicut ergo ſchiſmatica rebellio Dathan & Abiron, Chore ſuorumque complicum per appellationem excuſari non potuit; ſic & tua rebellio non eſt excuſabilis, ſed plectibilis ignibus ſempiternis.*

XIII. Redarguitur Michael de ficto zelo.

*Zelus autem tuæ fictæ fidei ad tuorum excuſationem errorum fore falſiſſimus evidenter declaratur, tum quia veræ fidei verus zelus in cauſa fidei non facit fugere, ſed pro defenſione fidei expectare; unde zelus tuus, qui te ad fugiendum induxit, demonſtrat aperte, quod opinionem tuam evangelicam eſſe ſententiam minime reputaſti: tum quia zelus fidei non quærit ſuper adinventione mendoſa fundari, ſicut tu viam tuam ſuper multis mendaciis & adinventionibus falſis ſæpe fundaſſe probaris: tum quia temeritate alias inaudita de libello per dominum Papam contra dicta tua & ſectam tuam edito te dicis duodecim collegiſſe errores, inter quos enumeras nonnullas evangelicas & propheticas ſententias, ſicut in illo libello in pluribus paſſibus demonſtratur aperte. Sed quia tu ad rationes & allegationes & ad auctoritates contra tuam inſaniam per dominum Papam inductas non reſpondes, nec reſpondere potes; nec contra ſophiſticarum tuarum rationum reſponſiones replicas, nec replicare attentas, non oportet quod nos, qui videmus, ſicut tu videre videris, tibi fore manifeſte concluſum contra rationes & reſpoſiones hujuſmodi præter neceſſariis diſputationibus laborare. Propter quod nequaquam a nobis petere debuiſti, ut oſtenderemus tibi, an dicta domini Papæ concordarent cum evanglica veritate, & an dicta tua ab ea in aliquo diſcordarent: hoc enim ſufficienter oſtenſum eſt tibi. Si tamen aliquam rationem pro tua fundata opinione proferres, vel rationum & auctoritatum contra tuas inſanias inductarum ſolutionem, vel apparentem reſpoſionem, parati ſumus juxta B. Petri conſilium ad ſatisfactionem faciendam tibi, & omni poſcenti nos in cauſa fidei rationem.*

Ejus ſcripta pugnare cum ſacra ſcriptura.

XIV.

*Sicut ergo nec fidei; ita nec religionis, nec regulæ zelum habuiſſe probaris: quomodo enim zelaſti pro regula, enormiter veniens contra primaria regulæ fundamenta? tu namque jugum obedientiæ ſicut bos indomitus impudentiſſime rejeciſti; cum tamen ſanctiſſimus inſtitutor noſtri ordinis B. Franciſcus dicat in principio regulæ: Frater Franciſcus promittit obedientiam & reverentiam domino Papæ Honorio, ac ſucceſſoribus ejus canonice intrantibus, & eccleſiæ Romanæ.* Et in fine: *Semper ſubditi & ſubjecti pedibus ejuſdem ſanctæ Romanæ eccleſiæ paupertatem & humilitatem & ſanctum evangelium domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus. Conſtat autem univerſitati fidelium, ſæpedictum ſanctiſſimum in Chriſto patrem dominum Joannem XXII. canonice quidem fuiſſe Apoſtolicam ſedem ingreſſum, & illam Romanam eccleſiam cui, Domino diſponente, noſcitur ipſe præeſſe. Tu vero infelix infeliciter contra regulam, quam profeſſus fueras, ab ejus obedientia receſſiſti, & vocem eccleſiaſticam atque evangelicam obedienter audire minime voluiſti.*

Inculcat Geraldus exemplum S. Franciſci in Pontificem obſervantiſſimi.

*Item contra votum paupertatis proprietarius fuiſti, & alios plurimos proprietarios feciſti: ſicut enim eorum, qui tui dudum fuerunt complices, concors relatio juramento firmata confirmat, quod tu pecuniam ad Monachum in camera tua tenes, & pecuniam immediate manibus fratrum, quos pro tuis mittis negotiis, exhibes vel interdum exhibere facis; non obſtante, quod regula noſtra clamat: Præcipio firmiter fratribus univerſis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per ſe vel interpoſitam perſonam; unde Franciſcus de Æſculo tuæ iniquitatis complex, pergens de Cumis verſus Monachum, inventus eſt ſuper ſe immediate portare octuaginta florenos ſed quia nequaquam de bono jure fuerunt, prædones eos divino judicio rapuerunt, ut expropriationem, quam non ſervabat voluntarius, ſervaret invitus. Contra caſtitatem quoque, cum juvenes, qui per te decepti tuis erroribus adhæſerunt, ſæpe mittis per mundum ſine habitu & ſine ſocio cum pecunia & gladio, in argumentum certiſſimum, quod nihil penitus curas de caſtitate eorum. Dicas ergo, inſenſate nunquid non erubeſcis? nonne confunderis dicens, te pro noſtri ordinis perfectione & puritate zelare, qui notorie contra obedientiam, contra paupertatem, contra caſtitatem, quas in profeſſione vovisti, jugiter cum tuorum ſcelerum complicibus operaris? &c. Dat. Perpiniani poſt definitionem generalis capituli anno Domini MCCCXXXI.*

Objurgat Michaelem proprietarium eſſe.

XV. In publicis comitiis damnat.

In iiſdem Perpinianenſibus comitiis ſacer Minoritarum ordo, firmiſſimæ eccleſiæ petræ innixus, eundem Michaelem, ſua figmenta decretis fidei a Pontifice editis præferentem, atque ex eo lapſu in alias proruentem hæreſes, quantumvis id Fran-

ciſcanæ familiæ zelo actum ementiretur, judiciario ordine una cum Guillelmo Ochamo, Henrico Chalemio, & aliis damnavit, omnemque labem ac ſuſpicionem, quæ de tacita cum eo conſenſione ſuboriri potuiſſet, a ſe penitus removit; cujus edicti (a) præcipua pars hæc eſt: *Dilectus in Chriſto frater Paſtor dudum miniſter in provincia Provinciæ in noſtra præſentia conſtitutus propoſuit, quod præfati Michael, Henricus, Franciſcus, Guillelmus, & Bonagratia in divinæ majeſtatis offenſam, & in ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quantum in eis eſt, detrimentum, & in non modicam noſtri ordinis jacturam tanquam hæreſiarchæ ſeminaverant hæreſes, & velut archiſchiſmatici diviſiones procuraverant & ſchiſmata; & ſicut crudeles homicidæ, fratricidæ, ac matricidæ proſcriptiones, captiones, & tormenta, contra prælibatos prælibati ordinis conſpirantes, ſuis procuraverant fratribus, & religionem noſtram, matrem ſuam, voluerant evertere. Quod enim ſeminant hæreſes, patentur apparet ex diverſis ſchedulis & literis, per præfatum Michaelem perſonis pluribus & communitatibus ad diverſas partes directis, quas vidimus, tenuimus, & legimus, ac legi audivimus, & examinari per quamplures ſacræ theologiæ doctores, & alios in theologia peritos fecimus: ex quibus evidentius colliguntur errores plurimi, qui noſtro & dictorum doctorum ſeu verius univerſalis eccleſiæ judicio hæreticales merito ſunt cenſendi.*

(a) Ext. in MS. bibl. Vat. ſign. n. 4008. pag. 163.

Michaeli, Ochamo, & aliis obiecta ſcelera in ordinem Franciſc.

Ipſorum errores.

Primus. *Primus eſt, quod Imperator poteſt Papam deponere & depoſitum declarare.* Secundus. *Secundus eſt, quod clerus & populus Urbis Romæ poteſt Papam deponere & depoſitum declarare.* Tertius. *Tertius, eſt, quod illud alias inauditum facinus, quod adverſus ſanctiſſimum patrem & dominum, dominum Joannem Papam XXII. in Urbe prædicta per aliquos perditionis & diffidentiæ filios de facto attentatum extitit, de jure ac legitime actum fuit.* Quartus. *Quartus eſt, quod conſtitutiones per Romanum Pontificem, canonice intrantem, editæ de conſilio ſacri ac fidelis collegii dominorum Cardinalium ſunt hæreticæ.* Quintus. *Quintus eſt, quod obedire illi, cui univerſalis eccleſia obedit, eſt animam damnare & ſe hæreticum confiteri.*

XVI. *Ex eorum quoque fructibus & artibus, ex quibus cognoſcuntur falſi prophetæ, declaratur ipſorum hæreſis: quoniam tempore, quo præfatus Petrus de Corbaria dudum ſacrilegus antipapa pro vero Papa damnabiliter ſe gerebat, prædicti Michael, Guillelmus, Franciſcus Bonagratia in civitate Piſana Petro tunc hæretico manifeſto adhæſerunt, ipſorum pro ſuæ confirmatione pravitatis hæreticæ informarunt, conſilium, auxilium, & favorem præſtantes eidem; in tantum, quod ipſe Michael, pro generali miniſtro ſe gerens, pluribus noſtri ordinis fratribus præcepit, quatenus a ſæpedicto Petro antipapa reciperent eccleſiaſticas dignitates: & cum conſecrarentur vel potius execrarentur, & dum pro clericalibus dignitatibus, ſeu verius indignitatibus inungerentur vel potius fœdarentur, dicti Michael, Guillelmus, Franciſcus, & Bonagratia cum damnatis hæreticis & eis, qui a ſæpius repetito antipapa eccleſiaſticas dignitates ſuſceperant, & cum noſtri ordinis apoſtatis converſantur & habitant, conſiliantur & tractant, ſeu verius machinantur, & ad everſionem ſtatus eccleſiaſticis & fidei orthodoxæ laborant. Quod autem diviſiones procurant ac ſchiſmata, veridica fama ſeu potius infamia univerſis pene fidelibus declaravit: nam & ipſi ab eccleſiaſtica unitate & a noſtri ordinis ſocietate diviſi ſciſſuram, quam temere incboarunt, damnabiliter totis viribus ampliare contendunt, ad diverſas partes perſonis religioſis & ſæcularibus ſcriptitantes: & ne Romano Pontifici vero & unico in terris Chriſti vicario vel præfato generali miniſtro pareant & obediant, vanis & falſis inductionibus ſuadentes, Judam Galilæum, qui olim in diebus profeſſionis avertebat populum poſt ſe, & ne obedirent Romano principi ſuadebat, totis conatibus imitantes. Quod autem conſpirationes ad fratrum proſcriptionem, captionem, & tormentorum afflictionem faciant; evidentia rei, quæ per eos in Bavaria & vicinis partibus agitur, manifeſtat: nam per gentes Ludovici de Bavaria jam fecerunt capi & torqueri fratrem Corradum de Monacho quondam cuſtodem Bavariæ, ipſumque per violentiam & anguſtiam tormentorum negare fidem ſedis Apoſtolicæ ſaltem ore compelli.*

Molitiones ad lacerandum ordinem.

*Nos ergo præmiſſa ſcelera diſſimulare oculis conniventibus non valentes, proteſtatione ſuperiori iterum repetita, videlicet proceſſibus ſanctiſſimi patris & domini Joannis divina providentia Papæ XXII. non intendimus per iſtos proceſſus in aliquo dorogare; ſed eos tanquam juſtos & ſanctos intendimus pro viribus imitari: ſed per iſtos proceſſus intendimus, quantum in nobis eſt, & quantum nobis competere poteſt, offenſam domini noſtri Jeſu Chriſti & ejus in terris vicarii, eccleſiæ ſacroſanctæ, & noſtri ordinis legitimis ultionibus vindicare: quapropter in die definitionis præſentis capituli generalis in domo materiali ante clauſtrum pro tribunali ſedentes, admiſſis quibuſlibet, qui volebant & poterant intereſſe, auctoritate privilegiorum noſtro ordini a ſede Apoſtolica indultorum, præfatos Michaelem, Henricum, Franciſcum, Guillelmum, & Bonamgratiam in præmiſſis erroribus erraſſe*





*& hæreſes contraxiſſe, velut hæreticorum fautores, hæreticos, & hæreſiarchas, & in præmiſſis eccleſiæ ſacroſanctæ & ordinis noſtri diviſionibus & rebellionibus ſchiſmatizaſſe, tanquam ſchiſmaticos & archiſchiſmaticos; in prædictiſque conſpirationibus proſcriptionum, captionum, & tormentalium afflictionum adverſus prælatos & alios noſtri ordinis fratres conjuraſſe, tanquam crudeles homicidas, fratricidas, & matricidas finaliter condemnamus, privantes eoſdem noſtri ordinis privilegiis, gratiis, & beneficiis, conſortio, & favore, & eoſdem ad perpetuum carcerem judicantes, & velut tales dignos & obnoxios præmiſſis pœnis proſecuti ſententia declarantes, &c.* Videant ex his recentiores, qui tanto ardore horum famam defendendam ſuſcipiunt, num in eo cum ordine conſentiant, cum idem ſacer ordo, fide & conſtantia eccleſiæ conjunctiſſimus eoſdem Michaelem, Ochamum, & ſocios veluti capitales divini Numinis, eccleſiæ, & ordinis ipſius hoſtes, lacerata hypocriſis, quam induebant, larva, fuerit inſectatus: nec vero horum lapſus ejuſdem ordinis ſanctorum & doctorum virorum numero florentiſſimi, ſplendori magis officit, quam luciferi & ſequacium lapſus nocuit angelorum beatorum dignitati.

Decretoria in eos Minoritarum ſententia.

Scriptæ perperam ad horum gratiam apologiæ.

XVII. Afflati fuerant Sanciæ Reginæ Siciliæ memorati Michaelis errores, quæ cum ſedem Apoſtolicam, ut puriore doctrina erudiretur, conſuluiſſet, Joannes ſcriptum a ſe contra hæreticorum errores, inter quos is erat, Romanum Pontificem leges a conciliis œcumenicis vel a prædeceſſoribus latas ad alicujus gratiam ſolvere non poſſe, commentarium tranſmiſit: quem fuiſſe putamus illum (a), quem ſuo loco inſeruimus (b); tum adjecit ex iis ſubjectas controverſias illuſtrari.

Reginæ Siciliæ eorum errores propoſiti.

(a) An. Chr. 1329. n. 22. &c.

Tranſmiſſus adverſus illos commentarius.

(b) Ead. p. pag. 96.

*Reginæ Siciliæ.*

*Ex contentis in ſcripturis præſentibus inter cluſis, ſi ea diligenter intellexeris, percipere poteris evidenter, quid ſecundum ſcripturam ſacram & dicta ſanctorum debeas credere, & tenere hæreticum eſſe pertinaciter dicere, Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe aliquid in communi vel proprio, ſed tantum ſimplicem uſum facti. Item quomodo contra ſtatuta conciliorum generalium & prædeceſſorum ſuorum diſpenſare valeat & etiam ordinare* (c). Qua ratione id intelligendum ſit, antea demonſtratum eſt & Joannes in conſtitutione: *Quia vir reprobus* contra Michaelis calumnias reſpondit (d). *Nec non quod per nullum univerſale concilium, nec per aliquem ſummum Pontificem ordinatum extitit, ſeu etiam declaratum, Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe aliquid in communi vel proprio, ſed tantum ſimplicem uſum facti. Item quod hoc, ſcilicet quod Chriſtus & Apoſtoli nihil habuerint in proprio vel communi niſi tantum ſimplicem uſum facti ad fidem non pertinet: ſed eſt contra fidem aperte. Ex quibus relinquitur evidenter, quod omnino quæ a veritatis æmulis ad probandum, quod Chriſtus & Apoſtoli nihil habuerint in communi vel proprio niſi uſum facti ſimplicem inducuntur, ſuper falſo fundantur, ſuntque ſcripturæ ſacræ contraria manifeſte. Aperiantur igitur, quæſo, ad præmiſſam veritatem intelligendam cordis tui oculi, eamque tenaciter ac inviolabiliter conſervare procura: quod tibi concedat, qui de ignorantiæ tenebris quos vult ad lumen veritatis adducit. Dat* IV. *id. auguſti anno* XV.

Pſeudominorit. fundamenta convelluntur.

(c) An. Chr. 1324. n. 32.

(d) An. 1329. n. 68.

Attulit Italiæ magnas rerum converſiones Joannis Boemiæ Regis adventus, ac populos Gibellinarum Guelpharumque partium qua ſpe qua metu commovit: tumque graves inter cæteros ſuſpiciones concepit Azo, qui Mediolanenſibus præerat, & a Joanne Papa expetiit, num ipſe Boemi in Italiam expeditionem promoverat; cui Pontifex hæc ſine ipſius aſſenſu geri reſpondit (e) [1]: *Quia fili,*

XVIII. Regis Boem. in Ital. adventus.

(e) To. 8. p. 1. ep. ſec. pag. 136.



NOTÆ. [1] JOannis Bohemiæ regis in Italiam expeditio exeunte anno ſuperiori cœpta, & hoc anno proſpere continuata rerum hoc anno geſtarum partem maximam implet. E Tridento venit Brixiam, die XXX. Decembris, ut Anonymus Ceſenatenſis ſcriptor coævus, & Hiſtoriæ Cortuſiorum auctor, & Malvecius in Chronic. Brixiano quod cum anno ſequenti claudit; cujus urbis dominum, deferentibus civibus, habuit; tum die XII. Januarii Bergomum, ac die XXVI. ejuſdem menſis Cremonam recepit in poteſtatem, quarum urbium exemplum mox ſecutæ ſunt Februario menſe Papia, Vercellæ, & Navaria. Quin & *Mediolanenſes* die VIII. Februarii urbis ſuæ principatum illi detuliſſe ſcribit Galvaneus Flamma in opuſc. de Vicecomit. Die II. martii Parmam intravit, ita Anonymus Regienſis. Die IX. fœdus Mutinenſium cum rege proclamatum fuit, teſte anonymo Mutinenſi ſubæquali. Die XIII. Aprilis venit Regium, ait Anonymus Regienſis; ſtatimque ſe Mutinam conferens, die ſequenti, urbem ingreſſus eſt, teſte anonymo Mutinenſi. Die XV. ejuſdem menſis rex cum legato pontificis in oppido Plumachii colloquium habuerunt, quod *fœdus* utrinque ſancitum conſequutum fuit. Die XVI. Aprilis Carolus ejuſdem Joannis filius Parmam venit, Chronic. Regien. Die VIII. Parmam rediit, eodemque menſe in Bohemiam reverſus eſt. Toto eo tempore Azonem Mediolanenſem non obſequentem tantummodo habuit, ſed & charum; a quo viciſſim multis tum officiis, tum largitionibus excultus fuit, ut Morigia in Chronico Modoetienſi, & ex Galvaneo Flamma tum in opuſculi de Vicecomit. cum in manipulo florum diſcimus. Cur igitur S. Antoninus Azonem inter Joannis adverſarios accenſeat, nihil eſt. Quamquam non diſſiteor hæc omnia ab Azone metu potius quam amore præſtita, quo metu ſeceſſione Joannis liberatus Azo, ejuſdem regis adverſarios fœdere ſibi ſociavit. MANSI

Ut amiſſas a Lud. Urbes recuperare niſus ſit.

Azonem alloquitur, *a te & a multarum civitatum fidelibus in dubium revocatur, utrum adventum Regis Boemiæ ad civitatem Tridentinam, convocatio rectorum civitatum Lombardiæ, ut ad ſuam præſentiam ſe conferrent, receptio dominii civitatis Brixienſis, & quod aliarum civitatum dominium habere procurat, de noſtra conſcientia, voluntate, & beneplacito proceſſerint ac procedant; indubie volumus te tenere, quod nec noſtra conſcientia, nec de noſtro beneplacito procedunt, nec proceſſere præmiſſa. Dat.* XIX. *kal. februarii anno* XV.

Præ ſe ferebat Boemus in Italiam a Pontifice excitum, ut populorum Guelphorum voluntates ſibi conciliaret. De cujus acceſſu Florentini ob patris Henrici Imperatoris veteres inimicitias apud Pontificem queſti, hoc ſimile reſponſum XI. kal. februarii retulere (*a*): *Quia inter cætera literæ hujuſmodi continebant, quod magnificus princeps Joannes Boemiæ illuſtris nuper ad civitatem veniens Tridentinam aſſeruit, quod ad partes Italiæ ſe de noſtro beneplacito conferebat; ſcire vos & quoſvis alios fideles volumus, quod nec de beneplacito, nec de conſcientia, vel licentia noſtra ad partes ſupradictas accedit, &c.* Ad confirmandas vero eorum vires Pontifex, conjungere ipſos cum Piſanis mutuo fœdere ſtuduit, atque ad illud coeundum utroſque eſt adhortatus (*b*).

(*a*) *Ib. pag.* 107.

Finxerit ſentire cum ipſo Pontificem. Refellit Pontifex ab eo jactata.

(*b*) *To.* 8. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 108.

XIX. Luca in Boemi poteſtatem redacta.

Neque ita multo poſt Florentinorum potentiam conceptus ante de Boemo terror attrivit; ac Luca, iiſdem obſidione depulſis, ad ejuſdem Regis obſequium procubuit (*c*). Pronæ ſimiliter eodem tempore ad Joannis Regis obſequium plures urbes fuere. Parmæ enim portas illi aperuit Orlandi Rubei factio legati apoſtolici copiarum pontificiarum ducis odio: nec multo poſt Rhegium ac Mutina certis legibus illius jugum accepere. Perturbatum vero Pontificem ex Boemi ſecundis proceſſibus, cum eas urbes, quæ jugum eccleſiæ excuſſerant, in ſuam clientelam recepiſſet, refert Joannes Villanus. (*d*) Cæterum ex pontificiis literis ad legatum datis (*e*) exploratum eſt, Joannem Papam inimicitias cum Rege Boemiæ haud facile ſuſcipiendas arbitratum cum is aſſerendæ Germanico nomini Italiæ, reſtituendæque publicæ pacis ſtudio ſigna extuliſſe præ ſe ferret, atque oratores ad ſedem Apoſtolicam ea de cauſa tranſmiſiſſet. Porro Bertrandus legatus cum Rege Joanne fœdus pepigit, (*f*) ac percrebuit Regem Boemum ſtudiis Francorum Regis elatum, diſſimulante Pontifice, Inſubriæ atque Etruriæ dominatum affectare: atque ex eo Gibellinorum Guelphorumque animi adeo concitati, ut qui antea pertinaciſſimis odiis ab invicem abhorrerent, in Regem & legatum conjurarint. Præcipuos armorum ſocios Robertum Siciliæ Regem, Mediolanenſem, & Mantuanum principes ac Florentinos recenſet S. Antoninus (*g*).

(*c*) *Jo. Vill. l.* 10. *c.* 173. *Ant.* 3. *p. tit.* 21. *c.* 6. §. 12. *Dubr. hiſt. Boem. l.* 21.

Parma, Rhegium, Mutina illi ſe ſubjiciunt.

(*d*) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 175.

(*e*) *To.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 139.

Diſſimulat acceptam a Boemo injuriam Pontifex. Initum inter Boemum & Ap. ſedis legatum fœdus.

(*f*) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 180.

In utrumque Guelphi & Gibellini conjurant.

(*g*) *Ant.* 3. *p. tit.* 21. *c.* 6. §. 13.

Ex hac vero fœderatorum conjunctione contra Joannem Regem ipſius res paulo poſt diſſolutæ (*h*), cum relicto Parmæ filio Carolo, qui tum ad ingentes ſpes pubeſcebat, in Germaniam, deinde in Gallias ſe contuliſſet (*i*). Concitarat enim in ſe Joannes ob partum novum in Inſubria atque Etruria principatum plurium principum invidiam, odiaque incurrerat (*k*): dumque in Germaniam tendebat, ut novas copias contra Italos fœdere junctos contraheret, novi in Germania adverſus eum hoſtes conſurrexere, Wladislaus nimirum Poloniæ Rex Joanni ob affectatum ab illo Poloniæ regnum, datamque injuria cruciferis equitibus Pomeraniam infenſiſſimus; Carolus Ungariæ ab Wladislao ſocero, tum a Roberto Rege Siciliæ provocatus; Fridericus Miſniæ & Otho Auſtriæ duces urgente Ludovico Bavaro a Joanne Rege abalienato, ac metuente ob initum ab eo cum Pontifice fœdus, ne imperium ſibi vel filio, uti accidit, pareret. Adducta itaque in diſcrimen Boemia, datum inſigni imprudentiæ eſt, Joannem Regem Italicis turbis ſe implicuiſſe: de quibus agit Dubravius, additque eum omiſſa Italica expeditione in Boemiam ſe contuliſſe, atque adverſus Fridericum duxiſſe, in Miſniam, antevertiſſe Othonem Auſtriacum magno ſuccinctum exercitu, cum Polonorum & Ungarorum copiis auxiliaribus, quæ ad quinquaginta millia militum aſcenderant, venientem; trajectuque Danubii arcuiſſe.

Everſæ inde Boem. res in Italia.

(*h*) *Jo. Vil. l.* 10 *c.* 180.

(*i*) *Ib. c.* 183. & 197.

(*k*) *Eod. c.* 197.

Conflata in illum nova bella in Germania.

XX. Auſtriacus in eundem concitatus a Lud.

Subornatum a Ludovico Bavaro Othonem, refert Albertus Argentinenſis (*l*), qua de re anno ſuperiori dictum eſt: eundemque Pontifex hoc anno Ludovici partibus ad ſuas traducere niſus eſt (*m*).

*Joannes, &c.*

*Eorum quæ dudum nobis una cum inclytæ memoriæ Luipoldo duce Auſtriæ germano tuo ſcripſeras, & quæ eorum virtute fuerunt ſubſecuta oblitus, homagium illi membro diaboli Bavaro, de diverſis hæreſibus condemnato, publice ac ſolemniter non erubuiſti facere, & fidelitatis juramentum præſtare, teque ſibi tuoſque liberos ad pacem cum eo obſervandam perpetuo obligare. Nos autem attendentes quam graviter Deum eccleſiamque ſanctam matrem tuam propter hoc offenderis, quantumque gloriam tuam maculaveris, quantiſque periculis animam, corpus, & ſubſtantiam expoſueris per prædicta, more pii patris tantis tuis compatientes jacturis & calamitatibus, deſideranter appetimus, ut oculos*

(*l*) *Argen. in chr. de reb. geſt. Bertold. epiſc. Argentinen.*

(*m*) *To.* 8. *p.* 1 *ep. ſecr. pag.* 76.

Admonitus ut ad partes eccleſiæ redeat.



*los aperias mentis tuæ, attenteque conſideres unde excideris per prædicta: & utique reperies, quod de Dei gratia, quæ ſola in via ſufficit homini, & ſine illa nihil aliud, excidiſti, te a corpore myſtico, cujus Chriſtus caput noſcitur, ſeparaſti, ac de Dei filio ſervum diaboli te feciſti, præter pœnas, quas tam per jura apoſtolica, quam imperialia inflictas hæreticorum fautoribus dicti Bavari incurriſti. Et hoc conſiderans feſtina pœnitentiam condignam agere, ac ad unitatem redire eccleſiæ abſque cunctatione aliqua non omittas, ut ſic gratiam Dei recuperes perditam, bonorumque ſanctæ eccleſiæ particeps fieri merearis. Et attende provide, quod neque homagium, neque fidelitatis juramentum eidem Bavaro præſtita, ut ea ſervare debeas in aliquo te aſtringunt, ſicut & nos his diebus in conſiſtorio declaravimus publico, ea quantum de facto proceſſerant irritantes, ac penitus annullantes. Et quia nil morte certius, nil incertius hora mortis, non pigriteris in his, quæ tibi tam ſalubriter conſulimus, exequendis. Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti cor tuum in præmiſſis dirigat, ut a præmiſſis periculis ſalvus fias. Dat* XV. *kal. februarii anno* XV.

Data Ludovico fide ipſum non teneri.

XXI. Saxo eccleſiæ conjunctiſſimus.

Vicit Othonem obſequii in ſedem Apoſtolicam gloria Rudolphus Saxoniæ dux, qui cum ſua intereſſe putaret, ut ad celebrem principum conventum a Ludovico Bavaro habendum ſe conferret, Pontificem conſuluit: cui Joannes hoc ſuggeſſit conſilium (*a*).

(*a*) *Ead. pag.* 76.

*Joannes, &c.*

Conſilium a Pont. illi datum.

*Nos ſapientis dictum conſiderantes attente dicentis: Qui picem tetigerit, coinquinabitur ab ea; quodque & qui ſuperbo communicaverit, ſuperbia induetur; veremur probabiliter, quod ſi illuc iveris nequaquam immunis ab eorum immundiciis reverteris. Quare neſcimus aliud dicere, quam quod de talibus dicit Dominus per prophetam, Exi,* inquit, *de illa, ſcilicet congregatione profana & ſordida, popule meus: & ne ejus ſitis particeps delictorum, & de plagis, id eſt pœnis illi congregationi reprobæ tam per jura canonica & civilia, quam noſtros proceſſus inflictis, non accipiatis, id eſt in eis non incidatis. Si ergo illis, qui illi nequam congregationi intererunt, dicatur: Exite; multo fortius antequam interſit eſt dicendum: Ne appropinquetis. Quæ enim, dicit Apoſtolus, ſocietas luci ad tenebras? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quaſi dicat, nulla. Rogamus igitur & conſulimus, fili, ut illam nequam Deo infeſtam multipliciter & exoſam congregationem fugias, nec ei aliquatenus appropinques. Datum* XIII. *kalend. februarii anno* XV.

XXII. Adverſus hæc Ludovici Bavari comitia, alios Pontifex indixit (*b*) conventus: tum Othonem & Barnym Stetinenſes duces hortatus eſt (*c*), ut ſtrenue adverſus Ludovicum pro tuenda eccleſiæ cauſa ſigna attollerent. Nova vero edicta in Ludovicum lata ob hæreſeos & ſchiſmatis crimina e ſubjectis ad eoſdem duces literis (*d*) patet.

Indicti adverſus Ludov. alii conventus.

(*b*) *Ib. pag.* 79.

(*c*) *Ib. pag.* 77.

(*d*) *Ext. inter bull. ſelectas lit. Jo.* XXII. *MS. arch. Vat. ſign. lit. A. pag.* 128.

*Othoni & Barnim ducibus Stetinenſibus eccleſiæ Romanæ fidelibus.*

*Literas apoſtolicas continentes recognitiones & abjurationes hæreſim & errores dilecti filii Petri de Corbario ordinis fratrum Minorum, olim hæreſiarchæ & ſchiſmatici, per eundem Petrum ad noſtram dudum venientem præſentiam ſponte factas; nec non proceſſus noviter contra Ludovicum Bavariæ ducem hæreticum & ſchiſmaticum, ac Ludovicum ejus filium dudum habitos, venerabili fratri noſtro epiſcopo Caminenſi per eum publicandos in eis partibus deſtinamus. Quocirca nobilitatem veſtram rogamus & hortamur attentius, quatenus in devotione ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matris veſtræ conſtanter & inviolabiliter una cum dilectis filiis nobilibus viris nepotibus veſtris, & aliis earum partium fidelibus perſiſtentes, eiſdem Ludovico de Bavaria, ejuſque filio & aliis rebellibus & hoſtibus Dei & eccleſiæ vos ad eorum conterendam ſuperbiam tamquam viri fideles & ſtrenui opponatis. Dat.* II. *id februar. anno* XV.

Nova in Ludovicum edicta ob crimina hæreſis & ſchiſmatis lata.

Stetinenſes duces in eum excitati.

XXIII. Explicuere porro Otho & Barnym ejus filius, ac Bucizlaus Barnym & Wartizlaus duces Stetinenſes præclarum officii & obſervantiæ in eccleſiam Romanam exemplum (*e*): principatum enim ampliſſimum illi dono obtulere. Quorum principum extant literæ ſubjecta verborum formula ſuperiori anno adulto exaratæ (*f*).

(*e*) *To.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 70.

(*f*) *Ext. apud Jo. an.* 15. *p.* 4. *ep. com.* 776.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino ſuo, domino Joanni Papæ* XXII. *ſacroſanctæ Romanæ univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici Otto & Barnym ejus filius Dei gratia Pomeraniæ, Slaviæ, Caſſubiæque duces atque domini in Stetin, tutoreſque filiorum inclyti principis ducis Vvartiſlai eorum patrui bonæ memoriæ, videlicet Butiſlai Barnym & Vvartiſlai cum debita reverentia devota pedum oſcula beatorum.*

*Noverit veſtra ſanctitas, quod nos nomine noſtro terræ noſtræ tutorio nomine dictorum filiorum ducis Vvartiſlai, & patruelium noſtrorum prædictorum, communiter & diviſim, honorabilem virum dominum Theodoricum Zathelnitzen canonicum Caminenſem dilectum noſtrum capellanum facimus, conſtituimus, & ordinamus noſtrum ac dictorum pupillorum verum & legitimum procuratorem, & nuntium ſpecialem, ad petendum ab eadem ſanctitate veſtra infeudationem noſtri ducatus, terræ noſtræ, & ducatus pupillorum patrue-*

Inſignis horum in eccleſiam pietas.

*lium*

*lium noſtrorum prædictorum omni modo & forma quibus melius fieri poteſt, & ea a veſtra ſanctitate in feudum nomine noſtro & prædictorum noſtrorum pupillorum & patruelium recipiendum, ac literas ſuper iis & alias quaſcumque ab eadem ſanctitate veſtra petendum & recipiendum; & eidem ſanctitati veſtræ & ſanctæ Romanæ eccleſiæ juramentum fidelitatis nomine noſtro in animas noſtras ſpecialiter præſtandum, ac omnia ſingula faciendum, quæ verus legitimus procurator facere poteſt, & etiam circa præmiſſa fuerint opportuna; & quæ nos faceremus, ſi præſentes eſſemus; ratum, & gratum habentes & habituri in perpetuum quidquid idem procurator noſter egerit in præmiſſis nomine noſtro, & quolibet præmiſſorum: & hoc ſanctitati veſtræ ſub ſigillis noſtris, & per hoc præſens publicum inſtrumentum duximus ſignificandum. Datum & actum in Stetyn anno Domini MCCCXXX indictione* XIII. XVIII. *die menſis ſeptembris, hoc eſt in craſtino S. Lamberti confeſſoris.* Addita ſunt plurium teſtium nomina.

XXIV. Mittunt oratorem pro addicendo eccleſiæ ſuo principatu.

Profectus ad ſedem Apoſtolicam orator Stetinenſium ducum nomine Romani Pontificis clientelæ addixit ipſorum principatum, ejuſdemque jura fiduciaria accepit a Joanne Papa, qui de re geſta ſubjectum diploma ad duces hoc anno tranſmiſit (*a*).

(*a*) An.15. p. 4. ep. com. 776.

*Joannes, &c. dilectis filiis nobilibus viris Othoni & Barnym ejus nato, ac Butizlao Barnym, & Vvartizlao ducibus Stetinenſibus ſalutem, &c.*

*Dilectus filius Theodoricus Zathelnitzen canonicus Caminenſis procurator veſter a vobis, fili Otto & Barnym, tam veſtris propriis, quam veſtro, filii, Butizlae Barnym & Vvartizlai, quorum vos dicti Otto & Barnym tutores eſſe noſcimini, nominibus conſtitutus in noſtra & quorumdam fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium præſentia proponere procuravit, quod vos zelum eximiæ devotionis, quam ad Romanam eccleſiam matrem veſtram habere noſcimini; nobis & eidem eccleſiæ, quantum vobis eſt ad præſens poſſibile, oſtendere cupientes veſtro, prædicti Otto & Barnym, & tutorio veſtro, præfati Butyzlae Barnym & Vvartyzlae, nominibus ducatus, comitatus, villas, oppida, & caſtra veſtra infraſcripta, ad vos totaliter & immediate pleno jure ſpectantia, quæ libere ac pacifice poſſidetis, vultis & intenditis a nobis & eadem eccleſia Romana tenere in feudum; & tam vos quam veſtri heredes, & ſucceſſores exinde nobis noſtriſque ſucceſſoribus & eccleſiæ memoratæ fideles vaſſalli exiſtere proponitis perpetuis temporibus & devoti, nobis humiliter ſupplicans procurator prædictus, ut vobis de ipſis ducatibus, comitatibus, & illis oppidis, & caſtris infeudationem facere, ac ea vobis pro vobis & veſtris ſucceſſoribus in feudum dare & concedere dignaremur; & offerens procurator præfatus nomine procuratorio, quo ſupra, pro vobis infeudationem prædictam a nobis & eccleſia memorata recipere, ac nobis & eidem eccleſiæ pro dictis ducatibus, comitatibus, villis, oppidis, & caſtris præſtare fidelitatis debitæ juramentum.* Et infra.

Fiunt eccleſiæ vectigales.

*Nos autem, audita & plenius intellecta ſupplicatione prædicta, viſoque tenore inſtrumenti procuratoris hujuſmodi, ac diliberatione ſuper præmiſſis præhabita diligenti; ducatus, comitatus, villas, oppida, & caſtra prædicta, quæ ſequuntur, videlicet in ducatu Stetinenſi Stetin, Gripeſvvolt, Tuntlym, Dymym cum caſtro antiquo Trepethovve, Vvolgaſt cum caſtro Ukerimunde cum caſtro Grifenhagen, Gaitze, Pyritze, Bave, Novaſtarganden, Goluovve, Vvellyn, Camayng civitatem Grifenlierghe, Novatrepethovve Belgarden cum caſtro Pontym, Uzenym, Doberen, Lobeſt cum caſtro Laſſan Vvarpe. Item comitatum Sutzekovve & comitatum Nougarden. Item Belgarden cum caſtro Boreuſten cum caſtro. Item principatum Ruyge, Syndis, caſtrum novum in inſula Ruyge Bart Grimme, Tribuſes, Loyze cum caſtro, caſtra Drymym, Cumerovve, Kikmedepone, Sacherigenmolen, Sanzekovve, Oſta, Vvolt, Broke, Cleponovve, Cumirovve, Lindeberch, Mugheuborch, Spantckovve, Cochele, Oldevvighe ſciguerg, Linde, Coſenove, Sarone, Vukimunde, Voghe ſſave, Clepenovve in terra Stetinen, de Verrade, de Tvverade, Bave, Brode, Lumbethovve, & Hildenborch; vobis in perſona procuratoris prædicti, pro vobis ac heredibus & ſucceſſoribus veſtris nomine procuratorio, quo ſupra, recipientis, infeudamus; ac pro vobis & eadem Romana eccleſia in feudum auctoritate apoſtolica damus & concedimus, ejuſdem Romanæ eccleſiæ & cujuſlibet alterius jure ſalvo. Quas quidem infeudationem, dationem, & conceſſionem in feudum præfatus procurator, nomine, quo ſupra, recipiens & acceptans, mox ibidem recognovit & ſponte confeſſus fuit vos dictos ducatus, comitatus, villas, oppida, & caſtra prædicta tenere, ac vos, heredes, & ſucceſſores veſtros debere tenere perpetuo in feudum a nobis & prædicta eccleſia Romana; & propter hoc in nova creatione cujuſlibet Romani Pontificis fidelitatis juramentum debere ac teneri eidem Romano Pontifici præſtare cum omnibus capitulis, quæ de jure ac conſuetudine partium illarum ad juramentum hujuſmodi ſe extendunt: dictumque juramentum præſtitit nobis ibidem nomine veſtro cum omnibus prædictis capitulis procurator prædictus, nobis*

Terrarum quas offerunt, nomina.

Traduntur iiſdem jure fiduciario.



*nobis ſupplicans humiliter & devote, ut vobis literas noſtras apoſtolicas dignaremur concedere in teſtimonium præmiſſorum, quod eidem duximus favorabiliter concedendum.* Additur ſuperior mandati procuratori dati formula. Nulli ergo, &c. noſtræ infeudationis, &c. *Dat. Avin.* III. *id. martii anno* XV.

XXV. Ungariæ Rex appetitus inſidiis.

Hoc anno ereptum e furentis hominis inſidiis Carolum Ungariæ Regem non ſine divina providentia, ſcribunt auctores. (*a*) Felicianum videlicet e Zachorum familia ſatum, arripiendæ tyrannidis ambitionis furiis inflammatum vel, ut alii ferunt, ſtuprum uxori vel Claræ ſorori a Caſimiro Reginæ fratre illatum ulturum, in Viſſegradi ſuburbio XV kal. maii, ut notat Bonſinius (*b*), in Carolum Regem, dum una cum uxore liberiſque accumberet, officii ſpecie ingreſſum, evaginato repente gladio irruiſſe, ac Regem levi vulnere perſtrinxiſſe, atque amputaſſe Agneti Reginæ quatuor dextræ digitos, *Quos*, inquit Bonſinius, *femineorum munium & profuſæ liberalitatis miniſtros vere poſſumus appellare, cum illa dies ac noctes ſacras his veſtes contexeret & pararet*. Et quidem pietati addictam; pontificiæ ad eam literæ VIII. kal. julii datæ indicant (*c*). Sauciata Regina, parricida in regios liberos furore amens regiæ omnis familiæ delendæ animo ferrum cruentum vibrabat, cum pædagogi objectu corporum crudeles ictus avertere. In eo flagranti facinore ille pugione a Parocio collo transfoſſus, atque a ſatellitibus ad ſublatos clamores concurrentibus, membratim diſſectus. Sævitum deinde in omnes, qui proxime ipſum ſanguine attingebant, niſi quos fuga pœnis eripuit. Contigit atrox ejuſmodi in Carolum Regem conjuratio, cum ipſe devictis Tartaris onuſtus ſpoliis bello rediret. Quibus lætis mixtis triſtibus nuntiis acceptis Pontifex, hæc ad Regem Carolum ſcripſit (*d*).

(*a*) Jo. Tur. chr. Ung. p. 2. c. 96. Chron. l. 11. in Vvl. ad. Lok.
(*b*) Bon. rer. Ung. dec. 2. l. 11.

Reginæ pius labor in texendis ſacris veſtibus.

(*c*) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 97.

Sumptum de ſicario ſupplicium.

(*d*) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 97.

Tartari ab Ungaro victi.

*Carolo Regi Ungariæ.*

*Ad noſtram nuper veniens præſentiam dilectus filius Joannes fratrum ordinis Minorum in Ungaria provincialis miniſter tuæ celſitudinis nuncius nobis regias literas, per quas progreſſum felicem regium, & triumphum glorioſum obtentum contra Tartaros fidei catholicæ inimicos, ac caſum ſiniſtrum, qui contigit proditoriis tibi & gentibus tuis paratis in regreſſu inſidiis, excellentia nunciavit regia, & ſuper eis ſerioſius referendis fidem petiit dicto nuncio credulam adhiberi noſtro apoſtolatui, præſentavit. Quibus quidem nuncio & literis ſolita benignitate receptis, ac iis, quæ in ipſis continebantur literis & idem nuncius verbo curavit exponere plenius, intellectis læti fuimus admodum de proſperis, & ſuper adverſis tibi, fili chariſſime, compaſſi fuimus & paterna compatimur charitate; illi, qui te a tantis liberare dignatus eſt periculis, exolventes nihilominus in humilitate ſpiritus vitulum labiorum, eique preces effundentes devotas, ut tua devotione, quam ad Deum & ejus eccleſiam ſacroſanctam, dilatationemque fidei orthodoxæ velut Chriſti pugil & ipſius athleta fidei ſtrenuus habere dignoſceris; (ex qua Deo acceptior efficeris, clarumque nomen tuum & famam mereris attolli) non diminuta, ſed aucta te regnum tuum proſperis faciat abundare ſucceſſibus, & ab adverſis ſua potenti virtute protegat jugiter & defendat. Dat. non auguſti anno* XV.

Ad cœpta urgenda ſolicitatur.

XXVI. Poſcit Ungarus paternum principatum a Rob. Rege.

Attulerat graves apud Pontificem querelas adverſus Robertum Siciliæ Regem patruum Carolus, ab eo nimirum repulſam paſſum, cum Salernitanum principatum & Honorem montis S. Angeli, quibus pater ſuus Carolus Martellus Caroli II. Regis major natu filius erat potitus, repoſceret. Cujus petita, cum æquitate niterentur, Joannes Roberto, ut iis aſſentiretur, ſuaſit (*e*).

(*e*) Ib. pag. 92.

*Joannes, &c. Regi Siciliæ.*

*Noverit regia celſitudo, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Rex Ungariæ nepos tuus nobis per literas & nuncium intimavit, quomodo a tua requiſiverat magnificentia, quatenus titulum olim magnifici principis Caroli patris ſui, principatum ſcilicet Salernitanum & Honoris montis S. Angeli dominium ad ipſum heredeſque ſuos jure ſucceſſionis hereditariæ pertinentia, in ſignum dilectionis tantæque unionis reſtitueres pleno jure; in qua quidem conceſſione ſibi appruiſti difficilis atque gravis: quare nobis humiliter ſupplicavit, ut tuam per noſtras literas excellentiam inducere curaremus pro petitione prædicta effectualiter admittenda. Nos autem petitionem prædictam, niſi obſiſtat aliud quod nos latet, rationi conſentaneam expedientemque tuæ ſaluti animæ & aliis etiam arbitrantes ſerenitatem regiam exhortamur,* & infra, *ut dignetur effectualiter petitionem admittere ſupradictam, ne illi ſua neges reſtituere, cujus filium in tuis credis omnibus, niſi de tuis lumbis exierint, anteferre. Dat.* VII. *kal. februarii anno* XV. Aliis vero literis (*f*) Sancitæ Reginæ inculcarat, ut cum maxime Siculæ Ungaricæque rei conjunctio ac fœdus intereſſet, illudque matrimonio neptis duciſſæ Calabriæ ac Regis Ungariæ filii ſanciendum eſſet, rem ſummo ſtudio & contentione urgeret. Perfectum illud Joannæ I. cum Andrea ad ſedandas controverſias lugubre & cruentum matrimonium viſuri ſumus, quod maxima deinde bella calamitateſque peperit.

Interpretem Pont. adhibet.

(*f*) Ead. pag.

XXVII. Ligures & Catalani mutuo bello impliciti.

Compoſita (*g*) etiam pontificio ſtudio con

(*g*) Ib. pag. 109.

controverſia, quæ inter Roberti & Venetæ reipublicæ clientes oborta erat. Verum haud ita facile alia ſopiri potuit, quæ inter Genuenſes & Catalanos erupera t. Infeſtarant (*a*) ſuperiori anno Sardiniam Ligures Saonenſes, ac de Catalanis prædas egerant: ac licet plurima a Pontifice pro concilianda pace navata ſit opera (*b*), Catalani tamen comparata auguſto, ut refert Joannes Villanus (*c*) quadraginta duarum triremium & triginta navium claſſe nullo civium exulumve Genuenſium, ſeu Guelforum Gibellinorumque Saonenſium habito diſcrimine, Liguriæ oram evaſtarunt.

(*a*) Sur. l. 7. c. 13.
(*b*) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 48.
Liguriæ ora a Catalanis vexata.
(*c*) Jo. Vill. l. 10. c. 190. Sur. l. 7. c. 16.

Qua perculſi clade Ligures, ad repellendum communem hoſtem vires conjungere, mutuaſque inimicitias, miſſis ad Robertum Regem oratoribus ut concordiæ leges ferret, voluntaria oblivione delere decreverunt. Conciliati itaque ſunt iis legibus, ut exules reſtituerentur patriæ, arces tamen reipublicæ poteſtati ſubiicerent, ac pontificias partes adverſus Ludovicum Bavarum & Joannem Regem Boemiæ tuerentur. In ea Catalanorum adverſus Genuenſes expeditione maritimas vires Jacobum Regem Balearium conjunxiſſe, narrat Surita (*d*).

Ligures inteſtina ponunt odia.
(*d*) Sur. l. 7. c. 13.

Intercedebat etiam Jacobo Baleari controverſia gravis cum Gaſtone Fuxi comite de nonnullis caſtris, quæ ipſe obtinebat: comes vero ad Rogerium Bernardi fratrem comitem Caſtri boni Sclarimundæ aviæ Reginæ Balearium jure hereditario ſpectare contendebat (*e*), & Jacobo bellum denuntiarat. Admovit apoſtolicas curas Joannes, ut exorientem diſcordiam pacaret, atque archiepiſcopum Aquenſem huic muneri præfecit, Balearemque Regem rogavit (*f*), ut ei obſequens eſſet, atque ab hoſtili graſſatione abſiſteret (*g*): pariterque Gaſtonem (*h*) flectere ad pacem ſtuduit, eumque, ut æquitate non armis experiretur, eſt adhortatus (*i*).

(*e*) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 37.
Diſſenſio inter Balearem & Fuxenſem.
(*f*) Ib. pag. 50.
(*g*) Pag. 38.
(*h*) Ead. pag.
(*i*) Pag. 37.

XXVIII.

Denique tanquam ſummus Chriſtianorum hierarcha ad compeſcendas inſontium ſtrages, & reprimenda mala, quæ in ſubditos populos, Chriſti emptos ſanguine, redundatura erant, tradita ſibi divinitus poteſtate uſus, annuas inducias imperavit, diſtrictoſque enſes a principibus poni juſſit, objecto iis anathemate, qui apoſtolica imperia infringerent, ac principum contra hæc tendentium ditionem ſacris interdixit: cujus edicti promulgandi archipræſuli legato provincia data eſt (*k*).

(*k*) Ann. 15. p. 2. ep. cur. 24.
Plura inde oborta mala.

*Venerabili fratri Armando archiepiſcopo Aquenſi.*

*Nuper non ſine cordis amaritudine intellecto, quod hoſtis humani generis inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Jacobum Regem Maioricarum illuſtrem ex parte una, & dilectos filios nobiles viros Gaſtonem comitem Fuxi & Rogerium Bernardi de Fuxo vicecomitem Caſtri boni germanum ejuſdem comitis ex parte altera adeo gravis diſſenſionis materiam ſuſcitavit, quod inter ſe non juribus, ſed viribus, non viis pacificis, ſed congreſſibus bellicis exortas inter ipſos diſponunt dirimere quæſtiones. Nos igitur conſiderantes attente ſtrages corporum, facultatum lapſus, & animarum pericula, ac eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum, orphanorum quoque ac viduarum & pauperum diſcrimina varia, quæ dicti congreſſus, ſi ſequerentur, quod abſit probabiliter, comminantur; ac ideo ad hujuſmodi ſedandam diſcordiam, & turbatæ pacis inter partes prædictas reformanda fœdera vigilantibus ſtudiis intendentes, & de circumſpectione tua gerentes in Domino fiduciam pleniorem; te ad partes illas ad impediendum eoſdem congreſſus, & reformandum pacis fœdera inter partes prædictas providimus deſtinandum, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur.*

*Verum quia frequenter expedit monitionum lenitati eccleſiaſticam adiici diſciplinam, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus partes eaſdem & ipſarum quamlibet ac valitores earum, ne ſe invicem aut terras ſuas uſque ad unum annum hoſtiliter quoquomodo invadant, nec aliquis ad hoc eis præbeat conſilium, auxilium, vel favorem, per excommunicationis in perſonas, & interdicti in terras eorum ſententias, a quibus abſolvi præterquam in caſu mortis niſi a ſede Apoſtolica minime valeant (non obſtante qualibet indulgentia cuilibet eorum vel eorum alteri, ſeu cuilibet alii ſub quacumque forma verborum, vel expreſſione ab ipſa ſede conceſſa) quando & prout ſecundum Deum expedire videris, per te vel alios ſeu alium compeſcere non omittas.*

Imperatæ a Pontifice induciæ.

*Si vero ad partium earundem vel aliorum, quorum intererit, provinciam pro præmiſſis exequendis nequires ſecure forſitan te conferre, volumus quod proceſſus tuos ſuper prædictis habendos, in locis circumvicinis, de quibus veriſimile exiſtat, quod ad eorum valeant pervenire notitiam, ſolemniter publicare procures: quibus quidem proceſſibus eos, quos ipſi contingent, adeo arctari, poſtquam ſic publicati fuerint, volumus ac ſi eis perſonaliter publicati & inſinuati fuiſſent. Dat. Avin.* IV. *id. junii anno* XV.

Reſcidit etiam Pontifex (*l*) omnes coitiones & armorum fœdera, quæ inter ſocios eorum principum inita fuerant, & ſacramenta ea de cauſa concepta irrita eſſe ſanxit; perfecitque ut ii principes ad dirimendam æquitate controverſiam inclinarint, ac delecti ſint viri periti & pru-

(*l*) Ib. ep. cur. 25.
Reſciſſæ adverſæ coitiones.



dentes, qui concordiæ rationes explorarent: ſi vero eorum diſcreparent ſententiæ, Pontifex ad dirimendam litem curas ſe adhibiturum eſt pollicitus. Poſcebat temporum neceſſitas, ut Chriſtianorum bella ſopirentur, cum barbari ad religionem evertendam imminerent.

XXIX.
Triennalis decuma Jac. Regi Balear. conceſſa.

Et quidem Afri Balearicum mare piratica graſſatione vexabant, expoſitiſque in inſulis nauticis copiis, maritimam oram diripiebant. Ad quorum coercendas excurſiones triennalis decuma Jacobo Regi conceſſa a Pontifice. *Cum*, inquit, (*a*) *ſicut ad notitiam noſtram & fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium tua ac quorumdam aliorum fide digna relatione pervenit, dictum regnum per incurſiones hoſtiles infidelium & aliorum hoſtium multiplicibus in mari & terra prædis, ſpoliis, & rapinis oppreſſum fuerit & afflictum, & quampluribus navibus, mercibus, & mercatoribus per eoſdem infideles & hoſtes fuerit ſpoliatum, & alias per incurſus eorum in perſonis habitatorum ſuorum graviſſima pertulerit detrimenta, &c.*

(*a*) An. 15. p. 4. ep. com. 476.

Permiſit eidem Regi inſtaurandæ rei mercatoriæ, quæ diſſipata excurſionibus piraticis erat, gratia ut tres naves Alexandriam mitteret, modo vetitas merces non inferrent Ægyptiis; tum etiam hanc adjecit exceptionem (*b*): *Exceptis quoque infantibus & pueris præcipue Chriſtianis, qui interdum per nonnullos falſos & impios Chriſtianos rapiuntur, & ad Saracenos in eorum navibus cum mercimoniis deferuntur, & venundantur eiſdem: ex quorum damnato commercio contingit dictos Chriſtianos pueros fidem catholicam abnegare, dictorum Saracenorum perfidia imbui, & multa alia nefanda committi in gravem divinæ majeſtatis offenſam, & fidei catholicæ detrimentum.*

(*b*) Ib. ep. 452.

Maurorum in Valent. irruptio.
(*c*) Sur. l. 7. c. 15.

Excurrere (*c*) in Valentinum regnum Mauri, ac ferro flammaque ſunt graſſati: ad quos reprimendos non ex Hiſpaniis modo, verum aliis quoque regnis fideles generoſo ardore accenſi provolarunt. Acceſſit inter cæteros triumphalibus crucis ſignis Willelmus Juliacenſis comes, qui arma Chriſto contra perfidos Granatenſes devoverat, & a Pontifice literis ad Alfonſum Aragonum Regem (*d*) Joannem patriarcham Alexandrinum, Petrum Ripacurtiæ comitem, tum Raymundum Berengarii comitem Montanorum de Prades, principes regia ſtirpe ſatos, datis (*e*) plurimum commendari meruit.

(*d*) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 48.
(*e*) Ead. pag.

Agitabat etiam Granatenſis expeditionis conſilia Philippus Francorum Rex (*f*), atque oratorem Ranulphum Rochafortium ad Alfonſum Regem Aragonum miſit, ut de conjungendis cum ipſo armis ad excindendas ex Hiſpania Mahometanorum reliquias pacta iniret; ac pollicebatur ſe gloriæ & laborum ſocios Angliæ, Scotiæ, & Navarræ Reges, tum Gallos principes, ac delphinum & ducem Sabaudiæ adducturum. Agebat tum Alfonſus Valentiæ, qui iis auditis deliberaturum reſpondit; ob inducias tamen, quas Rex Caſtellæ cum Granatenſibus erat pactus, rem difficilem exitum habituram.

(*f*) Sur. l. 7. c. 14.
Francor. Regis conſilium de excindendis Granatæ Mauris.

Cæterum eæ induciæ diuturnæ non erant futuræ, quippe ineunte hoc anno Mauricæ expeditionis conſilia cum Alfonſo Rege Caſtellæ a Pontifice inſtaurata ſunt, illique ad quadriennium inchoandum a feſto aſcenſionis dominicæ proximo anno recurrentis ſacerdotiorum regni Caſtellani decumæ, & duæ partes tertiarum illius auri reficiendis templis ſacri attributæ fuerunt (*g*) ea lege, ut terra marique Granatenſes adoriretur; ac ſi a caſtris abeſſet, præficeret ducem exercitui, in quo ad minus mille equites cataphracti numerarentur. Tum alias pactiones de eccleſiis in urbibus, quæ e tyrannica Maurorum ſervitute eriperentur excitandis & vectigalibus donandis, ac Mahumetica ſuperſtitione compeſcenda adjecit, quibus de rebus ad Alfonſum Regem VI. id. aprilis ſcriptæ literæ, parteſque datæ (*h*) archiepiſcopo Hiſpalenſi, & Cordubenſi ac Giennenſi epiſcopis, ut decumanum aurum cogerent, & quæſtores ſacerdotes inſtituerent.

Decumæ Caſtellano attributæ in barbaros.
(*g*) Ann. 15. p. 3. ep. com. 1004.
(*h*) Ib. ep. 1005.

XXX.

Gerere porro in votis præſeferebat Philippus Francorum Rex ex Hiſpaniis Saracenicum nomen delere, ut Hiſpanos Reges expeditionis, quam in Aſiaticos infideles moliebatur, ſocios ſibi aſciſceret: atque ob id etiam Joannes Rex Boemiæ, quem Syriæ Chriſto reſtituendæ ſe devoviſſe vidimus, Regi Aragonum contra Granatenſes operam detulerat (*i*).

Boemus Aragoni contra eoſd. operam defert.
(*i*) Sur. l. 14. c. 14.

Interea ex aula ſoldani, a quo Palæſtinam repetebant Chriſtiani, regreſſus Petrus Paludanus patriarcha Jeroſolymitanus nullas quidem barbari principis nomine literas attulerat, alias tamen porrexit oratorum quatuor ſigillis munitas, in quibus deſcripſerant, quæ ſibi variis temporibus ſoldani nomine reſponſa fuiſſent: cumque patriarcha ad Philippum profecturus eſſet, exaratis XVI. kal. marr. literis Pontifex Francorum Regem in deliberationem vocare juſſit, quid agendum eſſet, pariterque ſe cum Cardinalibus de iis, quæ patriarcha ſcriptis tradiderat, deliberaturum.

Petrus Palud. patriarch. Jeroſol. ſoldani reſponſa refert ad Pont.

Deinde pervenere ad ſedem Apoſtolicam Leonis Armeniæ Regis oratores, quos Joannes ad Philippum Francorum Regem dimiſit, eique literis, XII. kal. octobris exaratis, commendavit (*k*). Poſcebant ii pro tutanda Armenia auxilia, ac ſalubria ad Saracenos invadendos conſilia afferebant. Cum itaque Galliarum Rex de bello ſacro cum ſuis principibus diu agitaſſet, atque etiam

Armenor. legatio pro expeditione ſacra promovenda.
(*k*) To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 112.

(a) *Jo. Vil. l. 10. c. 162.*
(b) *An. 16. p. 1. ep. cur. 7.*
Gallus Rex poſcit indici ſoldano bellum ſacrum.

etiam ſuperiori anno diebus octo & eo amplius cum ipſo Pontifice de ea expeditione obeunda egiſſet (*a*); denique miſſis ad ſedem Apoſtolicam literis Joannem rogavit (*b*), ut tanquam ſummus Chriſtianorum omnium princeps Mahometanis ad liberandam ex eorum tyrannyde Palæſtinam, Chriſti ſanguine olim conſecratam, bellum ſacrum indiceret: ex conventis itaque decrevit expeditionem Pontifex, vertentis biennii vere ſuſcipiendam, ac Petro Paludano, qui legationem apud ſoldanum Babylonium obierat, tum Gallis præſulibus dedit imperialia (*c*), ut fideles ſacræ militiæ nomen daturos crucis ſymbolo inſignirent.

(d) *Ead. ep.*

*Joannes, &c. venerabilibus fratribus Petro patriarchæ Jeroſolymitano, ac univerſis archiepiſcopis & epiſcopis per regnum Franciæ conſtitutis ſalutem.*

Pont. decretum de induendis crucis ſymbolo fidelibus.

*Gaudemus & exultamus in Domino, gaudet & exultat ſancta mater eccleſia, & plebs cuncta fidelium poteſt & debet non indigne lætari, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum illuſtris velut Chriſtianiſſimus princeps calamitatibus, miſeriis, ac neceſſitatibus terræ ſanctæ, in qua Salvator noſter ſalutem totius humani generis extitit operatus, & quæ per ſordidos Saracenos catholicæ fidei inimicos deboneſtatur continue in Crucifixi contumeliam, & opprobrium nominis Chriſtiani, affectu interno compatiens; ac ſummum deſiderium, quod a longo tempore habuit in dictæ terræ ſanctæ ſubſidium transfretandi, cupiens ſine tarditatis obſtaculo ducere in effectum, paſſagium ultramarinum; ſicut ipſe nobis per ſuas literas intimavit, ad deliberationem dictæ terræ ſanctæ de manibus infidelium prædictorum, claræ memoriæ Chriſtianiſſimorum Regum Franciæ anteceſſorum ſuorum (qui charitatis & devotionis fervore ſuccenſi velut fideles pugiles & Chriſti athletæ conſtantiſſimi, dictæ terræ ſanctæ negotium per retroacta jam tempora fuerunt feliciter proſecuti) imitando veſtigia, cum nonnullis prælatis, paribus, baronibus, & multis aliis regni ſui & partium aliarum magnatibus provida conſultatione ac via tuta deliberatione præhabita: ad laudem & gloriam divini nominis & catholicæ fidei exaltationem aſſumpſit, firmiterque diſpoſuit, auctore Domino, ad terram eandem ad eripiendum eam de manibus hoſtium prædictorum, & vindicandas injurias & contumelias, quas dicti hoſtes perfidi crucis Chriſti in conculcationem & contaminationem dictæ terræ Salvatori noſtro hactenus intulerunt, & continue inferre in terra prædicta multiplicibus blaſphemiis, non ſine magno cunctorum catholicæ fidei cultorum opprobrio, non deſiſtunt, perſonaliter proficiſci. Et*

Digeſtum multo tempore hoc conſilium.

Conſtituta ad vertens biennium expeditionis dies.

*quia idem Rex pro hujuſmodi faciendo paſſagio, ſublato cujuſlibet dilationis obſtaculo, iter adverſus terram eandem arripere infra biennium ab inſtanti menſe martii computandum intendit, nobis humiliter ſupplicavit, ut verbum crucis proponi ac prædicari ad hujuſmodi faciendum paſſagium univerſis Chriſti fidelibus publice faceremus. Nos igitur ex prædictis diligentius attendentes, quod idem Rex ad Deum & dominum noſtrum Jeſum Chriſtum dirigens ſtudioſis operibus mentem ſuam, pro divini gloria nominis ſic in terris militare deſiderat, ut in cœlis ab eo æternæ vitæ præmium aſſequatur; ſuamque propterea devotionem multipliciter in Domino commendantes, dignas laudes & gratias Altiſſimo, qui hoc dignatus eſt regalibus præcordiis inſpirare, non immerito proinde exolvimus reverenter.*

Conciones de bello ſacro haberi juſſæ.

*Cupientes itaque, ut hujuſmodi pium laudabileque ipſius Regis propoſitum, ſancta aſſumptio, ipſumque negotium Deo, cujus agitur cauſa, favente auſpiciis felicibus proſperentur, & votivis proficiant incrementis; ejuſdem Regis ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtræ de fratrum noſtrorum conſilio per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, vos nihilominus obſecrantes per aſperſionem pretioſi ſanguinis Jeſu Chriſti quatenus commemorantes attente dictæ terræ ſtatum, proh dolor! miſerabilem, quem tu frater patriarcha palpaſti; & conſiderantes provide quod, cum fidelium ſuorum regimini vos velut in ſolicitudinis partem aſſumptos præfecerit Dominus, defendere ac augere fidem catholicam, ut corroboretur & propagetur in cordibus hominum, plus cæteris tenemini ex officio paſtorali, tanquam præcones fideles, & athletæ fortes fidei contra prædictos perfidos hoſtes Chriſti, tu videlicet frater patriarcha in toto regno Franciæ, in quo in præſentiarum moram trahis, generaliter per te ipſum dumtaxat, vos vero fratres archiepiſcopi & epiſcopi, ſinguli videlicet veſtrum in ſingulis veſtris civitatibus & diœceſibus per vos & alias perſonas eccleſiaſticas, ſæculares, & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas fore noveritis; cunctis Chriſti fidelibus per dictum regnum conſtitutis proponatis juxta datam vobis & eis prudentiam publice verbum crucis, ac venerabile ſignum ejus tu frater patriarcha, generaliter in toto regno prædicto, voſque fratres archiepiſcopi & epiſcopi in eiſdem veſtris civitatibus & diœceſibus per vos & alium ſeu alios, ut præmittitur, ipſis Chriſti fidelibus dicti regni & cæteris, undecumque illuc confluentibus, & ejuſdem crucis ſignaculum devote ibidem ſuſcipere volentibus, quos ad hoc utiles fore credideritis, concedatis, &c.* Pluribus de inflammandis pro concione ad profitendum religioſam militiam fidelibus, & criminum condonatione eam induto crucis ſymbolo obituris propoſita, deque fidelium ſtipe ſacra colligenda interjectis, divinum Numen, ut cœpta feliciter promoveat, exorandum decernit.



Indicta ſolemnis divina res pro divina ope imploranda.

*Cæterum*, inquit, *deſiderantes intenſe, ut hujuſmodi ſanctæ aſſumptionis negotium optatum ſortiatur effectum, & ejuſdem Regis ac aliorum Chriſti fidelium pia devotio, orationum adjuta ſuffragiis, circa proſecutionem dicti negotii efficacius roboretur, volumus & auctoritate præſentium ordinamus, ut in ſingulis prædictis, & aliis etiam regularibus eccleſiis dicti regni qualibet hebdomada ſemel, certa die prænuntianda populo, una miſſa pro liberatione dictæ terræ de manibus hoſtium prædictorum, præfata proſecutione durante, cum infraſcriptis orationibus ſolemniter celebretur; ita quod in prima de Trinitate, in ſecunda de cruce, ac in tertia hebdomadis de B. Maria Virgine, & ſic deinceps miſſæ hujuſmodi debeant celebrari: niſi forſan id feſtivitatis alicujus ſolemnitas impediret, quo caſu poſt orationes feſti ordine ſuo ſemel in hebdomada dicantur orationes hujuſmodi, ut præfertur. Cunctis quoque fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui durante proſecutione dicti negotii pro ipſius conſummatione felici devote ad Dominum preces effuderint, decem dies, ſingulis videlicet diebus, quibus oraverint, de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Prædictæ autem orationes ſunt iſtæ:*

Preces inter ſacra fundendæ a ſacerdote.

*Deus qui admirabili providentia cuncta diſponis, te ſuppliciter exoramus, ut terram, quam unigenitus tuus proprio ſanguine conſecravit, de manibus inimicorum crucis eripias, & eam in Chriſtiana religione tuo nomini ſervire concedas. Per eundem, &c.* Oratio ſecreta. *Sacrificium Domine, quod immolamus intende, & propugnatores tuos ab hoſtium malignitate cuſtodias, & in tuæ protectionis ſecuritate conſerves.* Alia oratio poſt communionem. *Protector noſter aſpice Deus & fideles tuos ab hoſtium defende periculis, ut ab omni perturbatione ſemoti libera tibi mente deſerviant. Per Dominum, &c. Dat. Avin. nonis decembris pontificatus noſtri an.* XXIV. Indictæ ſunt biennio poſt eædem preces fundendæ toto orbe Chriſtiano, atque ea de re encyclicæ ad aliorum regnorum præſules datæ literæ (*a*).

(a) *An. 17. p. 1. ep. cur. 23. & reg. poſt eand. ep.*

Solemnes conventus habiti a Gallo Rege.

Dum præſules Galli magno pietatis ardore fideles immortalitatis ſpe ad reſtituendum Palæſtinæ Chriſti cultum concitabant, Philippus Rex celeberrimos procerum cœtus habuit ea die, qua ſacra Chriſti natalitia recoluntur: in quibus evolvente a proximis kalendis martii biennio trajecturum ſe cum exercitu in Aſiam ſpopondit, ſuoſque magnates, ut ipſum in ea expeditione ſtiparent, poſtulavit: tum a regni ordinibus aurum ſubſidiarium in ſumptus bellicos flagitavit. Addit Joannes Villanus (*b*) accuratiſſimus auctor, illum oratores de nuncupato voto Pontificem & Cardinales certiores facturos decreviſſe, ac terrena commoda non divinam gloriam ſectatum plura poſtulata graviora in viginti ſeptem capita redegiſſe. Cujus petita cum Pontifex & Cardinalium ſenatus ut iniqua repelleret, exinde primum ardorem in Philippo refrixiſſe, illumque inter & eccleſiam obortas offenſiunculas, abalienationeſque animorum. Ut vero proximo anno expeditionis conſtitutum diem extraxerit, ac plures pactiones cum Joanne iniverit; deinde eas temperari voluerit, poſtea contra pontificia monita Anglico bello ſe implicuerit, quaſi ſubterfugiendæ orientalis expeditionis prætextum captaret, demumque perjurii graves pœnas dederit, ſuis locis dicetur. Nunc reliqua ad hunc annum ſpectantia conjungamus.

(b) *Jo. Vil. l. 10. c. 198.*

In iis ſacro bello ſe devovet.

Iniqua ejus poſtulata.

Repulſam paſſus in priſtino ſtudio refrigeſcit.

Subſidiarium aurum Armenis ſubmiſſum.

Ut laboranti Armeniæ ſuccurreret Joannes, dum expeditio adornaretur, ingentem vim auri jam ante ad inſtaurandas arces tranſmiſerat: cujus partem cum nuntii apoſtolici Petrus e Manſo & Arnaldus e Fabricis in muniendis Aiaci propugnaculis conſumpſiſſent, ut reliquam etiam optime collocarent, eſt hortatus (*c*). Conſulturus pariter Cypro ad diſcordias, quæ inter Genuenſes ac Regem Cyprium, & dominum Tyri interceſſerant, componendas apoſtolicum adjecit ſtudium (*d*): electuſque controverſiæ arbiter tulit ſententiam, ut accepta illatave hinc inde damna ſarcirentur.

(c) *To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 62.*

Genuenſes conciliati Cypriis.

(d) *Ib. pag. 57.*

Athen. ducis in Achajam irrita expeditio.

Hoc anno expeditionem in Græciam ſuſcepit Gualterus comes Brenenſis Athenarum dux (*e*), ut principatum a Catalanis injuſte ſibi ereptum recuperaret, ac Brunduſio menſe auguſto ſolvit, impoſitis octingentis equitibus Gallis ampliſſimoque alio exercitu: poteratque facile hoſtem vincere, ſi ad pugnam illum elicere potuiſſet, at is certamen detrectavit, ſeque in arcibus continuit: quas cum ipſe niſi longo tempore expugnare non poſſet, nec ſumptus bellicos tolerare, ingens ille apparatus brevi evanuit, reque infecta redire coactus eſt, & Catalani ducatum Guillelmo Frederici Regis Trinacriæ filio aſſeruere. Hæc de orientalibus rebus conjungenda viſa ſunt, ut uno intuitu earum ſtatus pateret: jam de eccleſiaſtico jure defenſo nonnulla attexenda.

(e) *Jo. Vil. l. 10. c. 192. Sur. l. 7. c. 13.*

Tuendæ Magalonenſis eccleſiæ ſtudio Pontifex, cum prætores regii aliique admi- XXXI.

Melgorii & Montiſferr. comitatus eccl. Rom. vectigalis.

miniſtri Magalonenſi epiſcopo de Melgorii & Montisferrandi comitatu a Romana eccleſia jure fiduciario illi attributo controverſiam intenderent, illiuſque poſſeſſionem evertere molirentur, Philippum Regem eſt adhortatus (*a*), ut reprimeret ſuorum conatus: ventilatam antea ſub Lodovico IX. ſanctiſſimo Rege cauſam, adjudicatamque eccleſiæ, nec prædeceſſores Reges moleſtiam amplius moviſſe. E quidem ejus donationis a Romana eccleſia factæ publica documenta in MS. Cardinalis Aragonii extant (*b*).

(*a*) *To.* 8. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 211.

(*b*) *MS. arc. Vat. Card. Arag. ſign. lit.* E. *pag.* 217. *& in alio MS. pag.* 161.

*Joannes, &c. Philippo Regi Franciæ.*

*Doctor egregius vas electionis & Chriſti Apoſtolus Paulus nos inſtruit, ut ambulare ſicut lucis filii debeamus. Profecto, fili chariſſime, inter eos, qui regnaverunt a multis citra temporibus, non occurrit noſtræ memoriæ aliquis, cui ſic nomen lucis congruerit, ſicut tuo proavo ſanctæ memoriæ B. Ludovico, cujus ſiquidem vita lux fuit coram omnibus principibus; cujuſque opera glorioſa ſic luxerunt coram omnibus, ut eis oſtenderit quid deberent agere, quid vitare, quodque illum glorificare debeant, qui ſibi & ſcire, velle, ac poſſe in hac valle miſeriæ tribuit talia exercere: Hujuſmodi lucis tu filius noſceris, nomine filii large ſumpto: ideoque rationi congruit, ut velut hujus lucis filius ambulare debeas, id eſt quod ejus geſta laudabilia ſtudeas imitari. Hæc pro tanto, fili dilectiſſime, præmiſimus, quia quidam officiales regii venerabilem fratrem noſtrum Joannem epiſcopum & eccleſiam Magalonenſem ſuper comitatu Melgorii & Montisferrandi Magalonenſis diœceſis noviter gravant & moleſtant.*

Occupata illius cura.

*Sane quid Ludovicus prædictus, dum adhuc in rebus humanis agens a nonnullis ejus inſtillaretur auribus, quod eadem Magalonenſis eccleſia in ejus & regni ſui præjudicium comitatum tenebat prædictum, egerit, ad tuam memoriam, ut eum imitari valeas, revocamus. Ipſe quidem felicis recordationis Clementem Papam IV. prædeceſſorem noſtrum, quem habere ſuper jure dicti comitatus notitiam ſupponebat, ſuper eo conſuluit: quid autem ſibi vir Dei prædeceſſor præfatus reſponderit, litera dicti prædeceſſoris noſtri ſibi directa, cujus tenorem continet intercluſa, præſentibus cedula ſerioſius manifeſtat*, de his literis ſuo loco in Clementis pontificatu meminimus, eaſdemque poſtea, cum eadem lis recruduiſſet, a Bonifacio VIII. repetitas attulimus: (*c*) *qua recepta tam Ludovicus ipſe, quam ejus ſucceſſores in regno permiſerunt, abſque moleſtia aliqua epiſcopum & eccleſiam Magalonenſem comitatum prædictum pacifice poſſidere, &c.* Addit preces, ut præclaris in ea re ſancti Ludovici veſtigiis inſiſtens, epiſcopum Magalonenſem ſuis juribus deturbari inFestarique a regiis adminiſtris non ſinat. *Dat. Avin. non. ſeptembris pontificatus noſtri anno* XIV.

Admonitus Rex eam litem a S. Ludovico diremptam.

(*c*) *Ann. to.* 14. *ann. Chr.* 1300. *n.* 30.

XXXII. Tulerat antea Francorum Rex iniquiore animo Pontificem Rothomagenſi eccleſiæ non præfeciſſe Guillelmum e S. Maura, cum a Rege magno ſtudio commendatus eſſet, tum ob alias virtutes, tum ob regii ſigilli præfecturam, quam gerebat; & alium theologicæ ſcientiæ laude pollentem prætuliſſe. Qua de re conquerenti hæc Pontifex de epiſcopalis muneris dignitate ſcripſit (*d*).

(*d*) *To.* 8. *p.* 1. *ep. ſec. pag.* 27.

*Joannes, &c. Philippo Regi Franciæ.*

Epiſcopalis muneris partes

*Profecto, fili chariſſime, officium pontificum ab officio cancellarii multum diſtat, taliſque poteſt idonejor ad cancellariatus reputari officium, qui non eſſet ad archiepiſcopale ſeu epiſcopale etiam idonejor aliis reputari.* Et infra: *Nos quidem claræ memoriæ Caroli II. Regis Siciliæ cancellarii fuimus, & ſcimus quæ ad illud officium pertinere noſcuntur, quæ proculdubio ſunt alia ab his, quæ ad pontificalem pertinent dignitatem. Pontificis quidem eſt officium paſtorale, gregem ſcilicet ſibi commiſſum verbo doctrinæ ſcripturæ ſacræ, & exemplo vitæ paſcere, & ſubſidio temporali. Hoc ſatis expreſſe Salvator noſter docuit, dum B. Petrum ſuum conſtituit vicarium generalem, dicendo: Paſce oves meas, & Paſce agnos. Officium quoque medici, noſcuntur habere, qui inter lepram & lepram, ideſt inter peccatum & peccatum debent cognoſcere, & ſpirituales medicinas congruas, ut a ſuis ſanentur infirmitatibus, miniſtrare. Habent quoque a ſibi commiſſo populo extirpare vitia, & virtutes plantare. Conſtituuntur inſuper pro hominibus in iis, quæ ſunt ad Deum, ut dona & ſacrificium offerant pro peccatis. Habent inſuper ſacramenta miniſtrare eccleſiaſtica, quæ proculdubio ſunt ab officio cancellarii aliena.* Et infra: *Etſi, fili chariſſime, quæ de ore noſtro prodierunt, cum fuimus inſimul, de memoria non exiverunt regia, evidenter potuiſti percipere, quod non minorem reputabamus in epiſcopis, præcipue in archiepiſcopis, quam in Cardinalibus ſufficientiam requirendam: unde aliquem nominatum ad Cardinalatum, quantum in nobis fuit, admiſimus quem non ſic admiſimus ad archiepiſcopalis apicem dignitatis, &c. Dat.* IX. *kal. martii anno* XIV.

Pares in archiepiſcopis quam in Cardd. dotes deſideratæ.

XXXIII. Quod ad Cardinales hoc anno creatos ſpectat; cum Philippus Rex collegium ſacrum Gallis impleri optaret, cæteriſque duos aggregari cuperet, Pontifex ob ingentem Cardinalium Francorum numerum, cum e novemdecim ſexdecim e Galliis originem traxiſſent, alterum ex iis repulit (*e*), alterum nempe Talarandum epiſcopum Antiſiodorenſem in partem oneris vocavit, de quo ad Regem literas dedit (*f*).

(*e*) *Ib. pag.* 32.

Talarandus epiſc. Antiſiodorenſis creatus Card.

(*f*) *Ead. pag.* 32.



*Regi Franciæ.*

Pontificiæ ea de re lit.

*Licet cœtus venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, numeroſa illuminatus multitudine Cardinalium omni ſcientia probatorum & experientia ad regimen univerſalis eccleſiæ opportunus ſit adeo inſignitus, quod augeri nulla neceſſitas exigebat; ſufficientia tamen dilecti filii noſtri Talarandi S. R. E. presbyteri Cardinalis, olim epiſcopi Antiſiodorenſis attenta, ac affectione, quam ad eundem gerit excellentia regia, in conſideratione deductis, eidem de ipſorum fratrum conſilio cœtui duximus aggregandum, ipſum aſſumentes in presbyterum Cardinalem. Et ut in veniendo poſſit expenſas habiliter ſupportare, eidem dictam Antiſiodorenſem eccleſiam de fratrum eorundem conſilio uſque ad inſtans feſtum Magdalenæ duximus commendandam. Circumſpectionem autem regiam volumus non latere, quod jam* XX. *Cardinales, de quibus* XVII. *de regno Franciæ originem traxiſſe noſcuntur, exiſtant in collegio memorato. Dat.* VIII. *kal. junii anno* XIV. Creatum IX. kal. junii Talarandum Cardinalem refert Bernardus (*a*).

(*a*) *Bern. chr. Rom. Pont. MS. bibl. Vat. ſign. n.* 2043.

XXXIV. Lapſis paucis menſibus Philippus Rex & Joanna Regina Francorum iniquis admodum Joannem precibus urſere, ut Gallici generis Cardinalem alium crearet, quibus reſcripſit Pontifex (*b*), ut cœptis abſiſterent: invidia enim res plena erat adeo Gallos ſui generis amantes eſſe, ut adepto pontificatu vix ex aliis nationibus renuntiarent Cardinales, eaque ratione ſummum penes gentem ſuam ſacerdotium retinerent.

Galli Regis importunæ preces.

(*b*) *To.* 8. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 212.

*Joannes, &c. Joannæ Reginæ Francorum.*

Cardinalium creatio in conſiſtorio tantum fit.

*Utinam, filia chariſſima, mos ſervatus in creandis noſtris fratribus circumſpectioni regiæ eſſet notus: ipſorum quidem creatio nunquam fit in camera, ſed in conſiſtorio, votis fratrum omnium exquiſitis. Item non conſuevit niſi ex cauſa creatio fieri eorundem; cauſæ autem conſueverunt exiſtere vel parvus eorum numerus, vel ipſorum impotentia ad ſuum officium exercendum: quæ ſi ad præſens conſiderentur attente, profecto nec numerus parvus, nec ex parte illorum debet aliqua impotentia judicari. Numerus quidem, attento numero qui ante tempus felicis recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri conſuevit exiſtere, non parvus judicandus eſt, ſed potius exceſſivus: credimus enim, quod ante tempus ipſius numerus non adeo magnus fuerit, ſicut eſt in præſenti. Defectus autem præcipuæ ſcientiæ, & interdum etiam corporalis virtutis creationem novam requirere conſuevit, qui per Dei gratiam hodie non vendicat ſibi locum: tanta quidem tam ſcientiæ theologicæ & utriuſque juris in noſtro collegio, Dei gratia, viget ſufficientia, quod pro caſu aliquo extra eos non oportet nos aliorum ſuffragia mendicare; licet in cauſis, quæ fidem reſpiciunt, vel univerſalem ſtatum eccleſiæ, conſueverimus prælatorum præſentium in curia, ac doctorum & profeſſorum juris civilis aliorumque peritorum conſilia poſtulare. Utinam quot ſunt inter fratres noſtros, qui non habent ſufficienter, quæ ad ſtatum eorum ſunt neceſſaria, quotque oportet nos propterea ſufferre moleſtias, providentia regia plene ſciret.*

Aſciti a Joanne docti Cardin.

*Adhuc optaremus, quod ad memoriam revocaret, quot ſint fratres hodie de regno Franciæ, & quot ſe regnis aliis in collegio antedicto & utique reperiet, quod de regno Franciæ ſunt ſexdecim, de regno vero Italiæ ſex, de regnis vero omnibus aliis ſolus unus, ſcilicet Hiſpanus exiſtit. Optaremus inſuper, filia benedictionis & gratiæ, quod regum aliorum te inſtantia non lateret. Adhuc deſideramus, quod celſitudo regia dictum ſapientis dicentis: Omnia tempus habent; & quod cum negotio eſt tempus & opportunitas, interdum ad memoriam revocaret. Credimus quidem, quod ſi hoc deduceret ad conſiſtorium rationis, quod pro creatione novi fratris iſto tempore non inſtaret. Nos autem præmiſſis in conſideratione deductis, ac cum venerabili fratre noſtro Petro tituli S. Martini in montibus presbytero Cardinale ac regio nuncio conferentes, licet parati eſſemus fratribus noſtris vota exponere regia; quia tamen ex iis, quæ in proximo præteritis ordinibus probavimus, ubi vota ſuper hoc eodem negotio regia eiſdem fuerunt expoſita, verebamur quod attentis omnibus ſupradictis, eorum non haberemus aſſenſum; viſum fuit expedientius ad præſens iſtud negotium ſubticere: quare habeat nos ſuper hoc celſitudo regia excuſatos, &c. Dat.* VI. *kal. octobris anno* XIV.

Partialia Joannis ſtudia.

Conceptæ eadem verborum forma literæ (*c*) ad Philippum datæ, ſub cujus demum precibus ſuccubuit, cum aliorum Regum preces durius, vel quæſitis fucis reiiceret, ut ne quidem unum ex eorum regnis in Cardinalium numerum aſcriberet. Inſignis porro virtutibus ac ſcientiæ gloria florentiſſimus is fuit, quem exeunte anno e gente Gallica inter Cardinales retulit, nimirum Petrus (*d*) Æduenſis epiſcopus, a quo libertatem eccleſiaſticam, a Petro e Cuneriis oppugnatam, ſtrenue defenſam conſcriptis duobus graviſſimis commentariis vidimus. (*e*) Extant datæ ad eum literæ XIII. kal. januarii, pontificatus anno XVI. conſignatæ, quibus ipſum dignitate Cardinalitia ornatum ſignificat (*f*), atque ab Æduenſis eccleſiæ onere exolvit: tum ad Philippum Regem Francorum ac Regi-

(*c*) *Pag.* 213.

Petrus epiſc. Æduen. creatus Card.

(*d*) *Contel. in elench. Cardd. in* 6. *creat. Jo.*

(*e*) *An. Ch.* 1329. *n.* 75.

(*f*) *To.* 8. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 220.

ginam, quibus ipſos votis compotes factos gratulatur (*a*).

(*a*) *Ead. pag.*

XXXV. Inter hæc miſerat ad ſedem Apoſtolicam Eduardus Anglorum Rex oratorem ſuum, ut in nonnullis rebus dubiis optima ad temperandum moderandumque regnum conſilia eliceret: cui operam ſuam lubentiſſime detulit Pontifex, atque hæc inter cætera reſpondit (*b*).

Anglus Rex Pontificem conſulit.

(*b*) *To.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. p.* 42.

*Joannes, &c. Eduardo Regi Angliæ.*

*In primis ad id, quod de reformatione regni & ipſius ſalubri regimine quæritur, reſpondemus quod ante omnia prudentia regalis debet intendere, ut illi a quo bona cuncta procedunt, & per quem datur regnare principibus, placere ſtudeas, & quæ majeſtatis ipſius oculos poſſent offendere, omni ſtudio declinare. Et quia eccleſia Chriſti ſponſa, ejuſque ſponſus ea ſunt indiviſibili unione conjuncti, ut altero in honore non habito, reliquus honorari non poſſit; nec enim ſponſo irrogari poteſt injuria, quin detrahatur & ſponſæ; nec ipſius ſponſæ honori ac libertati detrahi, quin & ſponſo ejus, quantum in detrahente fuerit, derogetur; decet ut tu, fili chariſſime, ſi Chriſto placere deſideras, ab injuriis eccleſiarum, quæ in regno tuo ſupra modum & ſingulariter irrogantur, miniſtros tuos & ſubditos retrahas, & ab iis abſtinere compellas.* Et infra, ad adminiſtrandam probe juſtitiam hæc monita addit: *Expediens videretur, cum ſcriptum ſit, quod ubi multa conſilia, ibi ſalus, quod circumſpectio regia non uni, nec duobus regni communicaret regimen, nec unius, nec duorum conſilio regeretur; ſed generali prælatorum, principum, & aliorum nobilium ac communitatum conſilio congregato, vigilanti ſtudio, non ex abrupto, via ſalubris tanto regimini quæreretur, eaque comperta executione non verbaliter nec ſimulato, ſed realiter ac veraciter mandaretur, juramentis ab ipſis, quos velut conſiliarios vel ut rectores contingeret eligi, præſtitis quod ſuum commode & fideliter exequerentur officium, amore prorſus & odio relegatis; adjectis nihilominus pœnis formidabilibus, quas incurrerent non ſervantes.*

Docetur tueri immunitatem eccleſiaſticam.

Non ex unius, ſed plurium conſilio regendam Angliam.

XXXVI. *His itaque taliter ordinatis, quia in dicto regno multæ dicuntur conſuetudines, quæ nec juri divino, nec humano, nec rationi naturali ſunt conſonæ, ſed magis adverſæ, quarum obſervantia offenſa divina incurritur, libertas eccleſiaſtica violatur, jus proximi læditur, viaque ad falſa proferenda teſtimonia panditur, & per conſequens materia ad proferenda perverſa judicia miniſtratur: multum expediens videretur, quod providentia regia viris Deum timentibus, ſcientibus de talibus, ſcilicet an tales ſint ipſæ conſuetudines, judicare deliberatione præhabita diligenti, ſi tales repertæ fuerint, ad extirpandum ipſas vel taliter temperandum, quod earum ceſſaret iniquitas, procedere non omittat.* Conſuluerant etiam oratores, an ad pacem inter Hibernos adducendam eo Rex ſe conferre deberet: in quo Pontifex Eduardo auctor extitit, ne Anglia diſcederet, cum novi tumultus in ea poſſent exoriri; ſed viros prudentia ſingulares ad conciliandos diſſentientes mitteret, qui neutrius partis ſtudia amplecterentur. Quod vero demum de expeditione Aſiatica ſuggeſſerat, reſpondit omni ſe ſtudio in id incumbere, ut quantocius adornaretur. *Dat. kal. julii anno* XV.

Tollendas improbas conſuetudines.

Revocatus ab Hibernica profectione Eduardus.

XXXVII. Conſuluit Maria Regina Aragonum Pontificem, quibus remediis quiſpiam magorum inſidiis appetitus ſe communire deberet: cui a Pontifice hoc reſponſum datum (*c*).

(*c*) *To.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 46.

*Mariæ Reginæ Aragonum.*

*Tibi quærenti, chariſſima filia, quibus perſona illa in tuis literis nominata ſe juvare poſſet remediis contra multorum inſidias, qui magicis factionibus ſuam perſonam ſtudent in occulto lædere, cum hoc perficere nequeant in aperto. Breviter reſpondemus, quod cum per illos diabolus noceat, cui nonnunquam a Deo juſto judicio poteſtas permittitur ſic nocendi, quam nequit exercere aliter quam fuerit a divina majeſtate permiſſus, neſcimus aliud remedium in hac parte, niſi quod ad Deum tota mente recurrere debeat, ipſumque humiliter implorare, ut a talibus ipſam miſericorditer dignetur protegere, & immunem ſervare. Et ut mereatur ſuper hoc exaudiri, caveat ne quid committat, quod ipſius oculos offendere valeat majeſtatis; & de commiſſis vera cordis contritione ac confeſſione integra, & ſatisfactione quam ſibi judex ſuus imponendam duxerit, ſatisfacere non omittat. Per iſta credimus & hoſtis ille malignus nequaquam ſibi graviter nocere poterit: nec ad alia remedia confugimus, nec quæſivimus, Deo teſte, nos contra quos multa talia magica ſunt attentata. Dat.* XV. *kal. februarii anno* XV.

Pontificis conſilium contra magicas inſidias.

Adhibita ab eod. remedia.

XXXVIII. Inſtaurandæ etiam Chriſtianæ pietatis apud Corſos, in quibus illius dignitas defloruerat, ſolicitus Pontifex, paterne illos monuit, ut excinderent vitia, & virtutibus darent operam, atque eccleſiaſticum ordinem, ut par erat, colerent. Sed hæc præcepta, quibus eos informat, ex apoſtolicis literis (*d*) audire præſtat.

Corſi ſalubribus præceptis imbuti a Pont.

(*d*) *An.* 15. *p.* 3. *ep. com.* 1254.

*Joannes, &c. univerſis comitibus, marchionibus, baronibus, & aliis nobilibus inſulæ Corſicæ.*

*Cupientes ut præſules & miniſtri ac aliæ perſonæ eccleſiaſticæ, in inſula Corſicæ conſiſtentes, eo devotius & nitidius obſe-*



*obſequiis divinis intendant, quo magis a vexationibus & moleſtiis ſæcularium liberi fuerint & immunes, ac divina majeſtas propterea, in ſuis honorata miniſtris, ſe vobis propitiam exhibeat & benignam; univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus obtentu ejuſdem Regis æterni, nec non ob ſedis Apoſtolicæ reverentiam atque noſtram venerabiles fratres noſtros Antonium Sagonenſem & alios epiſcopos, nec non dilectos filios presbyteros alioſque clericos inſulæ ſupradictæ, gratiam & communionem ejuſdem ſedis habentes, revereri & honorare curetis, eiſdem prælatis & eorum eccleſiis decimas & alia jura eis a vobis debita perſolventes, & a ſubditis veſtris facientes exolvi; eoſque indebitis quæſtionibus non impetatis, nec per alios impeti permittatis: religioſos viros, qui pro reformatione morum & ædificatione animarum veſtrarum ad dictam inſulam interdum per ſedem deſtinantur eandem, honeſte & charitative tractetis: eccleſiarum bona, per negligentiam vel ſimplicitatem prælatorum vel violentiam illatam eiſdem ab eccleſiis alienata, eiſdem eccleſiis, quarum erant, reſtituatis & reſtitui faciatis, non ingerentes nec ingeri permittentes moleſtias ſuper illis: mulieres fornicarias ſacerdotum & aliorum clericorum in illis partibus ad requiſitionem epiſcoporum ſeu diœceſanorum veſtrorum expelli ab eorundem presbyterorum & clericorum conſortio & domibus faciatis, nullam juriſdictionem in eoſdem presbyteros & clericos propterea uſurpantes; ſed prædictis epiſcopis ſeu diœceſanis ſuper his favorabiliter aſſiſtentes, ut dicti presbyteri & clerici Deo vero & munditiæ amatori in mentis & corporis caſtimonia obſequantur: illegitimos quoque, qui a promotione ordinum ſacrorum cenſura canonum repelluntur, per importunas preces vel minas non petatis, nec faciatis per epiſcopos promoveri: magiſtros quoque, ſeu viros alios eruditos in grammatica & aliis ſcholaſticis diſciplinis quærere, & habere in dicta inſula ſtudeatis, qui filios veſtros in grammatica inſtruant, & moribus bonis informent, & doceant eccleſiam ſanctam catholicam revereri, & de ipſorum cordibus ignorantiæ nubem expellant.*

De obſervantia in clerum.

Pendendis decumis.

Excipiendis humaniter religioſis.

Porrigenda ope præſulibus in fornicarios ſacerdotes.

Colendis literis.

XXXIX. *Ad ædificandum quoque eccleſias & alia loca religioſorum, ſi quando ibidem, legitima ſuper hoc obtenta licentia, ædificari contingant, manus ſtudeatis porrigere adjutrices: filios & conſanguineos veſtros clericos & religioſos fieri permittatis, ut eorundem religioſorum ſalutari doctrina inſtruamini, greſſus veſtros dirigere in divinorum ſemitas mandatorum; ab omnibus quoque vitiis, præcipue furto, fornicatione, perjurio, & proditione, ac aliis criminibus, per quæ multum ſuperna majeſtas offenditur, abſtinere curetis: acidiam quoque & otium, quod multum reſolvere noſcitur humanas mentes & corpora in illecebras voluptatum, per piarum actionum ſtudia evitetis: ad eccleſias quoque audituri divina officia & ſacræ prædicationis eloquium devotiſſime accedatis: cum conſanguineis veſtris prætextu pacis vel alio colore quæſito, ſeu alia clandeſtina matrimonia contra ſacros canones minime contrahatis: pacem & concordiam invicem habeatis: homicidia perpetrare, vel perpetranda conſulere modis omnibus devitetis: erga vaſſallos & ſubditos veſtros humanitatem non tyrannidem exerceatis; ſicque vos in bonis operibus & divinis beneplacitis coaptetis, quod luceant veſtra bona opera, & glorificetur in eis Altiſſimus, qui habitat in excelſis. Cæterum præſentes literas devote ſuſcipite, & contenta in eis ſic aure cordis efficaciter intelligere ſtudeatis, quod producant fructum Deo gratum & veſtris proficuum animabus, dictaſque literas, ut ad reformationem morum & ædificationem virtutum poſſint ſæpius vobis legi, eidem Antonio epiſcopo reſtituatis, cuſtodiendas ſalubriter in ſua eccleſia Sagonenſi. Dat. Avin.* II. *id. julii anno* XV.

Haurienda ſalubri doctrina.

Domandis cupiditatibus.

Non fundendo humano ſanguine.

XL. In Dania Chriſtophorus Rex Burglavenſem epiſcopum addixit cuſtodiæ: ex cujus facti invidia, cum jam ante in Lundenſi ſynodo ad aſſerendam epiſcopalis ordinis libertatem ſancitum, ſede Apoſtolica approbante, fuiſſet ut ſi Danus Rex præſulem quempiam injuria caperet, ſacrorum uſus negaretur populis, quo principem ad officium revocarent; non modo Dani ex ſynodali decreto, verum etiam Hallandi, quia olim Daniæ contributi fuerant, celebratæ ejuſdem ſynodi tempore ſacra intermiſere, quamvis a Danica ad Svedicam ditionem traducti eſſent. Permotus ea re Magnus Rex Sveciæ expoſuit Pontifici, æquum non eſſe, ut ſui ſubditi commiſſi ab extero principe criminis pœnas luerent: cui annuit Pontifex, & Hallandis aquilonaribus, ſi extra limites Daniæ ſiti eſſent, ſacrorum uſum reſtitui juſſit, data hoc ad epiſcopum Skarenſem apoſtolico diplomate (*a*).

Burglavenſis epiſc. interceptus a Dano Rege.

(*a*) *An.* 15. *p.* 3. *ep. com.* 1485.

*Venerabili fratri epiſcopo Skarenſi.*

*Sincera devotio, quam chariſſimus in Chriſto filius noſter Magnus Sveciæ & Norvvegiæ Rex illuſtris ad nos & Apoſtolicam ſedem gerere dignoſcitur, promeretur ut petitionibus ſuis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio dicti Regis exhibita continebat, quod olim in provinciali concilio Lundenſi inter alia ordinatum extitit & ſtatutum, & demum per ſedem Apoſtolicam confirmatum, ut quicumque epiſco-*

Statutum ſynodi Lundenſis pro tuenda libertate ordinis epiſcop.

*piſcoporum infra terminos regni Daciæ mala captione de mandato Regis Daciæ, ſive ejus conniventia, ſeu aſſenſu pro tempore caperetur, ipſo facto; dummodo probabiliter præſumi poſſet hoc proceſſiſſe ex voluntate Regis ejuſdem, in toto dicto regno, quamdiu taliter detineretur captivus, eſſent divina officia interdicta: & pro eo quod terra Hallandiæ aquilonaris, ad dictum Regem Sveciæ & Norvvegiæ nunc pertinens, tempore dicti concilii erat infra, licet ad præſens ſit extra, limites regni & dominium Regis Daciæ prædictorum eo prætextu, quod Chriſtophorus Rex Daciæ venerabilem fratrem noſtrum Guichonem epiſc. Burglavenſem detinet carceri mancipatum, dictæ terræ clerus & populus timentes, ne occaſione prædicta, eadem terra comprehenderetur ſub ſtatuto ſeu ordinatione concilii memorati, cœperunt obſervare interdictum hujuſmodi & obſervant: quare nobis dictus Sveciæ & Norvveriæ Rex humiliter ſupplicavit, ut cum terra præfata ac clerus & populus dictæ terræ extra limites & dominium prædicta conſiſtant, providere ſuper hoc eiſdem clero & populo paterna diligentia curaremus.*

Cur ab Hallandis ſervatum interdictum.

*Nos igitur ejuſdem Sveciæ ac Norvvegiæ Regis ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſi terra ſupradicta non ſubſit Regi Daciæ memorato, auctoritate noſtra declares ſeu decernas ad terram, clerum, & populum prædictos ſtatutum & ordinationem hujuſmodi non extendi, eoſque per conſequens non teneri ad ejuſdem obſervantiam interdicti. Dat. Avin.* XII. *kal. auguſti anno* XV. Agit de Chriſtophoro Rege Daniæ Crantzius (*a*), ipſumque plures proceres conjurationis conflatæ crimine accuſatos ſuſtuliſſe, contraxiſſe graviſſima Danorum odia, ac regno depulſum, deinde ad illud recuperandum maximos labores pertuliſſe narrat.

Ea liberantur pœna, ſi Daniæ non ſint contributi.

(*a*) *Crantz. Dan. l. 7. c. 29.*

LXI. Porro Magnum Regem Sveciæ non modo Hallandiam Gothico imperio aſſeruiſſe, verum & Schoningiam & Blechingiam illi adjeciſſe, arbitris earum provinciarum præſulibus, referunt Gothorum. Sveonumque monumenta (*b*). Cum vero erga divina egregie eſſet affectus, ad illius pietatem alendam, pelliciendoſque ad ea ſacra ſtudia clientes regios, hoc ipſum beneficio apoſtolico affecit (*c*).

(*b*) *Magn. hiſt. Goth. l. 21. c. 2.*
(*c*) *Ib. ep.* 1515.

Privilegium Sveco Regi datum. Schoningia, Hallandia, & Blechingia adjectæ Regno Gothico.

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Magno Sveciæ & Norvvegiæ Regi.*

*Tuis ſupplicationibus inclinati, ut quotieſcumque in cappellis tuis, vel quibuſcumque eccleſiis regni tui in tui præſentia feceris miſſarum ſolemnia celebrari, & in eis proponi per prædicationis miniſterium verbum Dei; proponens verbum hujuſmodi poſſit auctoritate apoſtolica tibi & omnibus aliis perſonis ibidem præſentibus, dummodo tu & perſonæ prædictæ vere pœnitentes fueritis & confeſſi, ſi archiepiſcopus vel epiſcopus fuerit, unum annum, ſi vero alia perſona eccleſiaſtica, cui alias tamen competat prædicare, fuerit ſexaginta dies de injunctis tibi & eis pœnitentiis miſericorditer relaxare, devotioni tuæ de ſpeciali gratia tenore præſentium indulgemus, &c. Dat. Avin.* XII. *kalend. auguſti anno* XV.

XLII. Hoc anno editum eſt S. Hyacinthi ordinis Prædicatorum ſuffragiis inſigne miraculum (*d*): infans enim, qui nondum baptiſmo luſtratus mortem obierat, delatus ad illius ſepulcrum vitæ eſt reſtitutus, moxque ſacra unda ablutus. Patrata etiam eodem anno Florentiæ plura miracula duorum piorum ſæcularium laicorum opera, quorum alter Barduccius nomine apud S. Spiritum fratrum Auguſtinianorum, alter Joannes Veſpignanus apud S. Petri majus templum ſepulti, refert Joannes Villanus (*e*), ac plurima ad eorum ſepulcra donaria ſacra appenſa: additque inventas reliquias S. Zenobii in eadem urbe a Piſano archiepiſcopo, & Florentino, Feſulano & Spoletano epiſcopis, atque partem cranii in theca argentea in formam humani capitis eleganter elaborata repoſitam, ut recurrente ſacro illius ſancti nomini die populorum venerationis exponeretur: Florentinos vero magno pietatis ſenſu delibutos ad eas colendas, ac S. Zenobii implorandas apud Deum preces concurriſſe. In Avinionenſi autem agro, cum ingens miraculum præſentibus multis fidelibus a Numine ad Deiparæ gratiam editum eſſet, Joannes Papa ſacellum excitavit; quæ etſi ante hæc tempora geſta, literarum pontificiarum ad Petrum Groſſinum, quem illius capellanum inſtituit, occaſione inſerendum viſum eſt: *Dudum*, inquit (*f*), *ad honorem divini nominis ac præcelſæ genitricis Dei Mariæ dominæ noſtræ, omniumque ſanctorum quandam capellam in loco vocato de Beſtel juxta civitatem Avinionenſem, ubi Deus precibus & interceſſione genitricis ejuſdem quoddam magnum miraculum in conſpectu multorum fidelium aſtantium operatus extitit, ejuſdem dominæ noſtræ venerando vocabulo inſignitam conſtrui fecimus & fundari, &c. Dat.* III. *non. aprilis anno* XV. Converſa etiam a Pontifice (*g*) in Caſtronov. Judæorum ſynagoga in eccleſiam B. Mariæ, ac ſtipendia tribus presbyteris, qui ad divinum cultum incumberent, attributa; Judæi vero inde exturbati. His addimus monitum ab eodem Pontifice Jacobum Regem Baleariæum (*h*), ne a Judæis novam ſynagogam in ipſius terris excitari pateretur.

Agi-

Infans a S. Hyacintho ad vitam revocatus.

(*d*) *Sur. in vit. S. Hyacin. l. 2. c.* 31.

(*e*) *Jo. Vill. l. 10. c.* 179.

Inventæ S. Zenobii reliquiæ.

(*f*) *To.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 177.

Miraculum ingens ope Deiparæ editum prope Avinionem. Sacellum eo in loco a Pont. conditum.

(*g*) *Ib. pag.* 156.

(*h*) *Par.* 2. *ep. ſecr. pag.* 263



XLIII. Agitari cœpta eſt (*a*) hoc anno in pontificia curia quæſtio de viſione animarum controverſa inter theologos ejus temporis. Et ſane Joannes, dum fidei orthodoxæ, quam Romana profitetur eccleſia, a Clemente IV. conceptam ad Armenos, ad Cathainos, ad Perſas, ad Tartaros, ad Alanos, ad Naſcarinos, ad Lithuanos, ad montis Albors accolas tranſmiſerat, hæc docuerat (*b*): *Tenet & prædicat ſacroſancta eccleſia*, & infra, *illorum animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt peccati contractam maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi.* Hoc itaque fidei decretum nullatenus in dubium revocatum eſt. Sed utrum animæ illæ piorum omnis labis expertes cœlo exceptæ, & empyreas adeptæ ſedes, divinæ eſſentiæ viſione faciali, clara & intuitiva potirentur: pars major perfrui viſione ſentiebat; pars negabat, ſed viſionem beatificam dandam ſolummodo in extremo judicio, cum decretoria illa ſententia a Chriſto pronuntianda foret: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum, quod paratum eſt vobis a conſtitutione mundi.* Addebant ejuſdem opinionis propugnatores, fruſtra in judicio eam ſententiam pronuntiatum iri, ſi jam ante ſanctorum animæ viſionem beatificam, quæ Dei regnum eſt, adeptæ eſſent. At pluribus validis rationibus ea ſolvebatur objectio, ut ex pervetuſto MS. Vaticano conſtat, in quo hæc reſponſio affertur (*c*).

Controverſiæ de viſione beatifica initia.

(*a*) *MS. bib. Vat. ſign. n.* 4009. *pag.* 180.

(*b*) *An. Chr.* 1318. *n.* 10.

Non dubitatum: animas ſanctorum cœlo excipi ante judicium: ſed utrum in empyreo faciali divinæ eſſentiæ intuitu potiantur. Oppoſitio futurum fruſtra judicium, ſi nova præmia in eo non decernantur.

(*c*) *MS. bib. Vat. ſign. n.* 4009. *pag.* 171.

Diluitur ea objectio.

*Ad illud, quod obiicitur, quod finale judicium erit fruſtratorium, ſi animæ ſanctorum ex nunc vident Deum; dicendum eſt, quod hoc falſum eſt: nam finale judicium etiam ſecundum hoc habebit quadruplicem effectum. Primus eſt generalis ſeparatio bonorum omnium a malis; & iſte effectus competit ſolum finali judicio univerſali: at in particulari judicio non omnes mali exterminantur, ſed in bonorum exercitium relinquuntur. Secundus effectus eſt oſtenſio & propalatio divinæ juſtitiæ, quia omnibus de juſta retributione divina conſtabit, & habebit divina juſtitia teſtimonium non ſolum ab illis, qui intus ſunt per divinam electionem, ſed etiam ab illis, qui foris ſunt per juſtam reprobationem: & hoc non fit in particulari judicio. Tertius effectus eſt gloriæ tam corporis quam animæ perfecta conſummatio. Item ex inſpectione miſeriæ reproborum, ex cujus evaſione plurimum exultabunt*, nimirum juſti, *& gratias agent. Item ex ſpeciali revelatione multorum ſecretorum divinorum, quæ nunc non revelantur ſanctis de communi lege. Item ex introductione etiam corporali in cœlum empyreum, quod eſt proprie locus corporum beatorum: ſi enim ſecundum eos animæ beatæ nunc ex amœnitate cœleſtis habitationis jucundantur & delectantur, quæ proprie non afficiuntur ad loca corporalia, quid mirum ſi corpora glorificata ex cœli empyrei introductione & habitatione amœniſſima amplius fovebuntur & delectabuntur? Quartus effectus eſt reproborum omnium tam angelorum, quam hominum perfecta & completa punitio, & quoad corpora & quoad animas: quæ pœna tanto erit major, quanto in pluribus & cum pluribus gehennæ ignibus & ſuppliciis relegati erunt.*

Varii extremi judicii fines.

XLIV. In ea theologorum contentione, cum maxima ex patribus teſtimoniorum ſtrues, & moles argumentorum afferretur pro ea parte quæ ſanctorum animas intueri Deum facie ad faciem ante judicium affirmabat, & putaret Joannes non ita diligenter excuti contraria argumenta, quod teſtatur Benedictus ſucceſſor Joannis; ut erat ſacrarum literarum ſtudio addictiſſimus, maxima ſolicitudine undique argumenta pro parte negante conquirere (*d*) cœpit, & varia ex patribus teſtimonia (ſiquidem in ea re plures diſſenſerant, ac nonnulli etiam nunc hanc, nunc contrariam ſententiam in ſuis ſcriptis tenuiſſe ferebantur (*e*) contexere cœpit atque ea tanquam privatus doctor in ſuis concionibus repetere, ut præſules doctoreſque ea argumenta diligentius diſcuterent. Exinde a malevolis Bavarici nimirum ſchiſmatis ſequacibus, & pſeudominoritis hæreſeos damnatis, quorum principes erant Michael Cæſenas, Guillelmus Ochamus, & Bonagratia, de quibus ſupra memoravi, laniata calumniis eſt pontificia exiſtimatio, quaſi decretorie pronuntiatum fuiſſet a Joanne, non videri ante judicium divinam eſſentiam; unde mox ii improbo zelo formulas provocandi ad ſynodum œcumenicam contra eum ut hæreticum conceperunt (*f*), in quibus hæc objecere: *Dominus Joannes anno Domini* MCCCXXXI. *in feſto omnium ſanctorum in ſermone, quem publice fecit, qui incipit, Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis, &c. & in alio ſermone, quem publice fecit eodem anno in dominica tertia de adventu, qui incipit, Gaudete in domino ſemper, &c. & in alio ſermone, quem publice anno Domini* MCCCXXXII. *in vigilia epiphaniæ, quæ incipit, Surge, tolle puerum & matrem ejus*, & infra, *dogmatizatus eſt, quod ſancti in cœlo non vident nec videbunt uſque ad diem generalis judicii & futuram corporum reſurrectionem faciem Dei, ſive divinam eſſentiam; ſed tantummodo vident & videbunt uſque ad futurum univerſale judicium humanitatem Chriſti.* Falſum erat hæc dicta definiti-

Cur Joannes contraria argumenta congeſſerit.

(*d*) *Ben.* XII. *in præfat. vol. de viſione animar. MS. bibl. Vat. ſign. n.* 4006.

(*e*) *Id. in ſuo lib.*

Sumpta inde illi detrahendi occaſio.

(*f*) *Ext. in MS. bibl. Vat. ſign. n.* 4009. *pag.* 180.



ve

ve a Pontifice, verum ita volebant dictum, & calumniabantur hoſtes pontificii. Adverſus quos ſcripſit Ulricus inſignis doctor Germanus, ac poſt conſtabilitam pluribus argumentis veritatem de fruitione divinæ eſſentiæ ante judicium, demum in fine operis (*a*) adverſus calumniatores pontificios oſtendit, quæ obiiciebantur ab hoſtibus, dicta a Joanne inſtar ſcholaſtici diſceptatoris.

(*a*) *Ulricus l. 4. c. ult. MS. bibl. Vat. ſign. n. 4005. pag. 136.*

*Excuſatio & pia interpretatio papalis ſermonis.*

XLV. *Sane quæ jam in his tribus ſupradictis libris, & in tribus ſolutionibus ſuperius de beata viſione Dei ante diem judicii percipienda dixi & poſui, contra eos præcipue ſcripſi, qui ſanctiſſimum Papam Joannem in ſuo ſermone dicunt, diffiniendo determinare, ſanctorum animas ante diem judicii non poſſe Deum beate videre; vel contra eos, qui hoc ipſum ex ejus ſermone præſumunt aſſerere determinate & diffinitive, quaſi ipſe etiam videatur hoc diffiniendo & determinando ſentire. Verum ſi ſermo papalis pie & ſane intelligitur, non proprie ſermo, nec definitio, nec determinatio, ſeu prædicatio; ſed magis quaſi quædam ſcholaſtica diſputatio, aut diſputantium collatio aptius eſſe perpenditur. Non enim hoc habet ſanctorum prædicatorum conſuetudo eccleſiaſtica, ut publice in eccleſia prædicationes fiant per tales allegationes, ſicut papalis ſermo ſtipatur: ſed in eccleſiaſticis ſermonibus ea, quæ dubia ſunt, timore & magna cautela; & ea quæ certa & manifeſta ſunt, pro auditorum ſalute cum magna verborum ſimplicitate a ſanctis prædicatoribus proponuntur; quam formam quia ſermo papalis de beata viſione non ſervat, ideo non proprie eccleſiaſticus ſermo, nec recta prædicatio; ſed congruentius ſcholaſtica diſputatio, ſeu altercatio aut diſputantium collatio, vel veritatis ſolicita inveſtigatio exiſtit. In ſcholaſticis enim diſputationibus & altercationibus, ſeu in diſputantium collationibus & argumentis, auctoritatibus, ſimilitudinibus, gloſſis & ſyllogiſmis, ac aliis ſubtilitatibus verborum multis cujuſlibet rei veritas magna ſolicitudine indagatur & inveſtigatur: & non ibi ſicut in eccleſiaſticis ſermonibus & prædicationibus ſimplex veritas audientium devotis mentibus & auribus ſimplicibus verbis ſuperſeminatur.*

Falſum eſt definiviſſe Joannem Deum ante judicium non videri a ſanctis.

*Itaque ſanctiſſima papalis mens, cupiens loqui de beata viſione deitatis ante diem judicii ab animabus ſanctorum percipienda, devitans formam & modum ac morem in eccleſia publice prædicantium, & ſermonem de verbo Dei fidelibus cum ſimplicitate facientium; & aſſumens formam & modum atque morem per auctoritates, rationes, ſimilitudines, argumenta, gloſſas, ſyllogiſmos, & per multas alias virtutes & ſubtilitates verborum, ſicut fieri ſolet in ſcholis & in ſtudiis diſputantium, oſtendit ſe magis perſonam diſputatoris quam eccleſiaſtici prædicatoris ſeu ſermocinatoris, quando loquitur de beata viſione deitatis, habere. Porro quoniam in ſcholaſticis diſputationibus quorundam magiſtrorum & doctorum eſt, diffiniendo quæſtiones determinare, & quandoque interrogationibus, ſolutionibus, argumentationibus, & reſponſionibus, ac oppoſitionibus veritatem quæſtionum indagare; ideo devota mens papalis more ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, in medio doctorum in Jeruſalem ſedentis & interrogantis ac reſpondentis, ſe humilians, loquendo & ſcribendo de beata viſione deitatis ante diem judicii percipienda, videtur habere perſonam ſcholaſtici diſputatoris, cum ibi per rationes, argumenta, auctoritates, ſimilitudines, & gloſſas arguit & ſolvit, & concludendo inſtructionem, & correctionem, ac eccleſiæ determinationem concupiſcit, ſicut expreſſe dicit, & in ſua diſputatione nihil certum definiendo & determinando relinquit, nec ſua diſputatione & ſermone aliquod præjudicium veritati facere intendit.* Conflata eſt major Pontifici invidia proximo anno non in Germania modo, ſed etiam in Gallia. At Pontifex aſperſas ſibi calumnias demum delevit: ipſum enim profeſſum videbimus in publico Cardinalium ſenatu quæcumque in controverſia de viſione dixiſſet, collationis theologicæ inſtar, non aſſeveranter dicta fuiſſe; de quibus inferius ſuis locis.

Diſceptando dictum, non decernendo.

Aucta progreſſu alicujus temporis invidia.

Infe-



I. Pia & ardua Pontificis conſilia.

INfeſtabant Africani & Granatenſes Saraceni Hiſpanias (*a*), Turcæ Græciam (*b*), Armeniam (*c*) Ægyptii & Babylonii anno Chriſti milleſimo treceneſimo indictione decimaquinta, cum Pontifex promovendæ ſacræ adverſus impios expeditionis deſiderio flagrans, ut pia conſilia perduceret, diſſentientes Chriſtianos mutuo fœdere conciliare, ſedemque Apoſtolicam reſtituere Italiæ meditatus eſt.

(*a*) *Marian l. 16. c. 2.*
(*b*) *To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 130. & 327.*

Pontificiæ pro conciliandis Chriſtianis curæ.

Expoſuerat (*d*) Gallicis principibus, exeunte ſuperiori anno, Philippus Francorum Rex ſolemne de vindicanda ex infidelium ſervitute Syria votum ſuum, cujus oratores mittendos Avenionem cum expectaret Pontifex, diſceſſus ex urbe Avenionenſi diem præfigere diſtulit: mirantique Philippo Regi ſibi conſilium de transferenda Bononiam aula pontificia patefactum non fuiſſe, reſcripſit (*e*) pridie kal. martii oratorum illius cauſa itineris ſuſcipiendi diem extractam; quod etiam idibus aprilis Reginæ Joannæ ſignificavit (*f*), addiditque: *Multorum habet opinio, quod præter multa alia, quæ ſperantur ex mutatione curiæ ſubſequi commoda ipſi tranſmarino paſſagio, ordinatis quæ ad nos pertinent, non minus Bononiæ, quam Avinione foret noſtra præſentia opportuna. Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tecum, quæ te ſic in via dirigat, quod ad deſideratam cœleſtem patriam ſine devio te perducat. Dat. Avin. id. april. anno* XVI. eodem etiam die ad Regem Francorum ſcripſit (*g*), diſceſſus ex Avenionenſi urbe diem ſe non conſtituiſſe, donec Aſiatici belli conficiendi provinciam ſuſcepiſſet. Jam tum regii oratores Avenionem pervenerant (*h*), anceps tamen hærebat Pontifex, an Rex iis, quæ ipſe oratoribus reſponderat, aſſenſurus eſſet, ac priora conſilia perducturus. Objectæ itaque novæ morandi cauſæ, de quibus hæc legato tot morarum impatienti reſcriptum eſt: *Super mutatione curiæ pridem ordinatum extitit, ſicut noſti: ſed ſuper receſſu noſtro de his partibus, & ad illas, Domino dirigente, acceſſu propter adventum nunciorum chariſſimi in Chriſto Philippi Regis Francorum illuſtris, qui tunc venturi erant ad curiam, certus non potuit, nec adhuc poteſt præfigi terminus, cum negotia, pro quibus jam dicti venerunt nuncii, ſint ardua, noſtram diutius in his partibus præſentiam exigentia forſitan, quam antea crederemus. Dat. kal. martii anno* XVI. Illuſtrat hæc Joannes Villanus (*i*), dum accurate percenſet decretos primos a Francorum Rege oratores illius nomine plena invidiæ poſtulata attuliſſe, flagitaſſe enim in primis opulentum illum, quem Joannes cumularat, theſaurum: tum ſexennales toto Chriſtiano orbe decumas, & ſacerdotia conferendi permutandive in Galliis jus: tum ut filius Viennenſi & Arelatenſi regno, frater vero Carolus Italico donarentur. Verum cum repulſam tuliſſet, atque a Pontifice reſponſum eſſet, eccleſiam expeditionem ei adorienti nunquam defuturam, obortam invicem tacitam indignationem abalienationemque animorum. Prima itaque illa Philippi legatio caruit exitu: quare pactiones aliæ a Joanne propoſitæ, quas cum diſcuteret, hyems effluxit.

(*c*) *To. 8. p. 2. ep. ſec. pag. 364.*

Illius in Italiam adventus retardatus a Gallo.

(*d*) *Jo. Vil. l. 10. c. 198.*
(*e*) *To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 216.*
(*f*) *Ib. pag. 217.*
(*g*) *Ead. pag.*
(*h*) *Ib. pag. 311.*

Ductæ aliæ ex aliis moræ.

(*i*) *Jo. Vil. l. 10. c. 198.*

II. Decreti demum menſe martio adulto a Philippo Rege alii oratores fuerunt ad ſedem Apoſtolicam, additæque ſubjectæ literæ de Aſiatica expeditione ſuſcipienda, ea pactionum, quas ſanxerat Pontifex, formula conceptæ (*k*).

(*k*) *Ext. apud Ant. 22. an. 18. p. 1. ep. 7. ſup. paſſag. terra ſancta.*

*Philippus Dei gratia Francorum Rex.*

*Notum facimus univerſis, quod cum duxerimus ſanctiſſimo patri in Domino Joanni divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici per noſtras alias literas ſupplicandum, ut indiceret paſſagium generale, quod per eundem indicendum ſperamus; nos ad manifeſtandam fidelibus quibuſcumque ſinceram intentionem, quam habemus ad dictum generale paſſagium aſſumendum, ſi illud per ſedem Apoſtolicam contingat indici, & ad omnia & ſingula nobis per ſedem eandem in ipſius paſſagii ſubſidium concedenda, convertendum in ejuſdem utilitatem paſſagii ſine diminutione quacumque juxta proviſionem inferius annotatam; facimus & conſtituimus dilectos & fideles conſiliarios noſtros Petrum Rothomagenſem archiepiſcopum, Joannem Morinenſem epiſcopum, Guidonem Baudeti decanum eccleſiæ Pariſienſis, Henricum de Avalgoria, & Petrum de Caſtellis dominos milites procuratores noſtros & nuntios ſpeciales ad infraſcripta, dantes eiſdem, &* infra, *ſpeciale mandatum ſupplicandi præfato ſanctiſſimo in Chriſto patri ſummo Pontifici, quod pro pleniori ſuccurſu terræ ſanctæ ſibi placeat ad noſtram poſtulationem indicere paſſagium generale, & ipſum, poſtquam indictum fuerit, pro nobis & noſtro nomine coram dicto ſummo Pontifice & in ejus præſentia aſſumendi & præſtandi in animam noſtram corporale tactis ſacroſanctis evangeliis juramentum, quod nos iter arripiemus dicti paſſagii a kal. auguſti proximo venturi ad tres annos, illudque proſequemur realiter & perſonaliter, juſto & legitimo impedimento ceſſante. Ita tamen & non aliter aſſumptionem paſſagii,*

Qui oratores a Phil. ad Pont. miſſi.

Conſtitutus movendi in orientem exercitus dies.

*ju-*

juramentum, & obligationem hujuſmodi per procuratores noſtros prædictos juxta poteſtatem eis, ut præmittitur, datam fieri volumus, intendimus, & mandamus, quod ſi juſtum ac legitimum impedimentum ſeu impedimenta hujuſmodi nos, heredes, ſeu ſucceſſores noſtros ſuper his allegare contingat, de illo ſeu de illis, an ſint juſta & legitima vel non, duo prælati regni noſtri archiepiſcopi vel epiſcopi per ſedem Apoſtolicam deputandi, ſe diligenter debebunt auctoritate apoſtolica abſque cujuſlibet alterius partis vocatione ſimpliciter & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii informare; ac ſuper impedimento ſeu impedimentis ipſis occurrentibus, an juſta & legitima vel non cenſenda ſint, prout eis viſum fuerit, juxta informationem præhabitam declarare: cui declarationi omnino ſtari debebit abſque eo, quod per ſedem Apoſtolicam ex officio ſuo vel alias quomodolibet poſſimus nos, heredes, ſucceſſoreſve noſtri poſſint ſuper his trahi ad examen ſedis Apoſtolicæ, ſeu ad eam ſuper ipſis recurſus haberi, ſeu alias in judicio vel extra per eandem ſedem, vel ejus auctoritate, aut alias quomodolibet moleſtari: quodque poteſtas prædictis concedenda prælatis per eandem ſedem re integra vel non integra revocari non poſſit; & quod morte deputantis dictos prælatos, ſeu committentis eiſdem poteſtas hujuſmodi non expiret. Quæ omnia & ſingula in poteſtate & mandato datis noſtris prædictis procuratoribus, nec non in aſſumptione dicti paſſagii juramento & obligatione prædictis per eos pro nobis & noſtro nomine, ut prædicitur, faciendis ineſſe volumus & ponimus in eiſdem, alias non facturi aſſumptionem paſſagii, juramentum, & obligationem prædictam.

Si oboriantur impedimenta, conſtituti judices, an ea ſint juſta.

III. Adjectæ leges ſi eos prælatos cedere vel decedere contingeret.

Si vero dictos duos prælatos ad hoc a ſede Apoſtolica deputandos, vel eorum aliquem interim transferri, cedere, aut decedere contingeret, antequam declaratio prædicta facta ſit, loco illorum ſeu illius, quos vel quem transferri, cedere, aut decedere contingeret, alii ſeu alius prælati dicti regni ex nunc deputabuntur & ſubrogabuntur per ſedem eandem, ſinguli in ſingulorum tranſlatorum, cedentium, aut decedentium loco per ordinem, quo per dictam ſedem fuerit ordinatum ad informationem & declarationem hujuſmodi, ut præmittitur, faciendas. Per aſſumptionem autem, juramentum, & obligationes prædicta, quæ facimus ſeu fieri mandamus ratione hujuſmodi paſſagii generalis, non intendimus heredes ſucceſſoreſque noſtros obligari ſeu teneri quomodolibet ad transmarinum paſſagium faciendum, vel ibi ſeu pro eo mittendum perſonas quaſcumque; nec ad mittendum, ſolvendum, ſeu miniſtrandum expenſas, quas faceremus & ſubiremus, ſi dictum paſſagium per nos realiter & perſonaliter faceremus, & illud faciendo ſeu etiam proſequendo, vel aliquod aliud qualecumque ſubſidium facere vel juvamen; nec bona noſtra, heredum, vel ſucceſſorum noſtrorum ad hoc eſſe ſeu remanere obligata quomodolibet vel aſtricta: ordinatione tamen ſuper colligendis, recuperandis, conſervandis & diſtribuendis, aſſignandis & reddendis in manu ſedis Apoſtolicæ decimis & aliis ſubſidiis quibuſcumque nobis pro dicto paſſagio per ſedem Apoſtolicam concedendis, contenta tam in iſtis quam in noſtris aliis literis in ſuo robore duratura.

Sponſio regia, aurum belli ſumptibus ſacrum in alios ſumptus non averſum iri.

Damus inſuper dictis procuratoribus, juxta formam expreſſatam ſuperius, plenam & liberam poteſtatem, ac ſpeciale mandatum pro nobis, & noſtro nomine, & in animam noſtram coram ſummo Pontifice & in ejus præſentia corporale juramentum præſtandi, quod nos non accipiemus nec accipi ſcienter faciemus, ſeu conſentiemus, quod alius aliquid de his capiat ſeu accipiat: quæ nobis per ſedem Apoſtolicam in ſubſidium antedicti paſſagii concedentur ad hoc, ut in uſus alios quam in utilitatem dicti paſſagii convertantur: nec ea in uſus convertemus alios, nec converti ſcienter a quovis alio patiemur. Et ſi forſan aliquid de prædictis pro uſibus aliis a nobis vel aliis contingeret accipi caſu aliquo vel converti, illud ad locum priſtinum & ad uſum dicti paſſagii, ſtatim cum hoc ad noſtram notitiam devenerit, ſine moroſa dilatione reponi & reſtitui faciemus: ad quod heredes & ſucceſſores noſtros aſtringi volumus, & etiam obligari.

IV.

Si diſturbetur expeditio, decumarum exactionem intermiſſum iri.

Et ſi forſan contingeret, nos infra dictum terminum impedimento perpetuo impediri, vel taliter, quod probabiliter appareret duobus prælatis, ſicut præmittitur, per ſedem Apoſtolicam deputatis, qui in prædicto termino vel alio per ſedem Apoſtolicam ex cauſa aliqua prorogato, nec infra ſeptem menſium ſpatium immediate ſequentium iter arripere poſſemus & illud proſequi, volumus quod juxta ordinationem ſedis Apoſtolicæ poteſtas colligendi ſeu exigendi decimam & alia ſubſidia, in regno noſtro Franciæ imponenda per ſedem eandem, nobiſque ut prædicitur concedenda, ſtatim debeat expirare, niſi forſan per eandem ſedem circa expirationem collectionis hujuſmodi contingeret aliud ordinari: quo caſu quidquid de decima & aliis ſubſidiis prædictis, nobis pro dicto paſſagio per ſedem Apoſtolicam concedendis, penes nos, hedeſve noſtros, aut quoſlibet alios tunc reſtaret, & in dicti paſſagii præparationibus, aut pro eo de mandato noſtro juxta ordinationem ſedis Apoſtolicæ infra contentam non eſſet expenſum; nec non & galeæ & aliæ quæcunque res factæ, emptæ, ſeu quomodolibet prædicto



dicto paſſagio ſeu pro eo acquiſitæ de dictis decimis & aliis nobis per ſedem Apoſtolicam, ut præmittitur, concedendis & omnibus debitis, in quibus receptores infraſcripti ſeu quicumque alii de concedendis hujuſmodi collectis tunc vel non collectis quomodolibet tenebuntur, debebunt per nos ſeu ſucceſſores noſtros quatuor prælatis regni noſtri, quorum duo per ſedem Apoſtolicam, alii vero duo per nos, vel duobus ex eis, quorum unus per eandem ſedem, alius vero per nos fuerint deputati, ſine difficultate qualibet aſſignari. Qui quatuor ſeu duo ex eis, unus ſcilicet per ſedem Apoſtolicam, alius autem per nos, ut prædicitur deputati, omnia recipient, conſervabunt in locis regni noſtri ſecuris & congruis, nomine ſedis Apoſtolicæ diſtribuenda per eandem ſedem, & ad opus illorum, in quos diſtribuenda & expendenda fuerint, ut juxta modum qui ſequitur in terræ ſanctæ ſubſidium utilius & commodius convertantur.

Conſtituendi quatuor præſules decumani auri quæſtores.

V. Ut decumæ adminiſtrandæ ſi a Rege intermittatur expeditio.

Modus autem eſt iſte: quod ſi poſtquam nos contingeret, ut præmittitur impediri, per ſedem Apoſtolicam, indicatur generale paſſagium vel etiam particulare, ſi nos vel Rex Franciæ, qui tunc regnabit, vellemus ſeu vellet in illo paſſagio transfretare, debebunt nobis vel Regi Franciæ, qui tunc erit, omnia prædicta tam in pecunia quam in rebus aliis ſub forma & modis circa conſervationem, diſtributionem, & ordinationem adjectis in præſenti proviſione, ſub quibus pro dicto paſſagio conceditur, integraliter aſſignari. Si vero nos vel ſucceſſor noſter, qui pro tempore fuerit, nollemus vel non poſſemus, aut nollet ſeu non poſſet in illo paſſagio transfretare, aliqui tamen prælati, ſeu magnates aliqui, vel nobiles alii dicti regni vellent in illud paſſagium proficiſci, juxta ſtatum & conditionem ipſorum & numerum bellatorum, quos ſecum ducerent, debebit illis de dicto reſiduo auctoritate ſedis Apoſtolicæ provideri.

Si vel aliqui Galli eam obeant.

Si autem nollet aliquis prælatus vel nobilis de dicto regno in dicto paſſagio proficiſci, vel eſſent illi adeo pauci, quod illis proviſo de collectis decimis & aliis ſubſidiis adhuc aliqua ſupereſſent; in prædictis caſibus ſedes Apoſtolica de toto eo, quod de decimis & aliis ſubſidiis eſſet collectum, ubi nec nos, nec Rex Franciæ, qui pro tempore fuerit, nec aliqui prælati vel ſæculares, magnates ſeu nobiles prædicti vellemus ſeu vellent in dicto paſſagio proficiſci, vel de illo quod reſtaret, proviſo illis, qui de regno Franciæ tunc voluerint transfretare pro utilitate terræ ſanctæ etiam in perſonis aliis, quam de regno, poſſit libere, prout ſibi viſum fuerit, ordinare. Si vero impedimentum infra dictum terminum occurreret temporale, ac tale, per quod crederetur probabiliter non debere nos a proſecutione itineris in ſupradictis terminis impediri, non expiraret decimarum & aliorum concedendorum prædictorum exactio, neque ceſſet. Sane ſi impedimentum occurreret in termino ad arripiendum iter ſtatuto, ſiquidem eſſet tale, quod probabiliter infra ſeptem menſes immediate ſequentes ceſſare deberet, non expiret exactio decimæ, neque ceſſet. Si autem impedimentum hujuſmodi eſſet tale, quod infra ſeptem menſes prædictos probabiliter * ex tunc expirare debeat decimarum & aliorum ſubſidiorum exactio ſupradicta, niſi per ſedem Apoſtolicam dictus terminus ex cauſa aliqua fuerit prorogatus. Quo caſu, ſi prorogatio termini annum non excederet, non ceſſet exactio decimarum: ſi vero ipſa prorogatio annum excederet, tunc ſtatim expiret decimarum exactio; ſed finito prorogationis tempore, dum tamen Rex ipſe paratus fuerit negotium dicti paſſagii proſequi, vires reſumat abſque commiſſione alia commiſſio prius facta, poſſitque ex tunc per deputatos prius procedi commiſſarios ad exactionem prædictam, ac ſi continue ipſorum commiſſio in ſuo robore perſtitiſſet. Si vero impedimentum hujuſmodi arreptionem totam impediret, eo caſu dictum reſiduum & cætera omnia quæ tam in pecunia, quam rebus aliis quibuſcumque prædictis tunc reſtarent, debebunt in manu ſedis Apoſtolicæ, videlicet penes quatuor prælatos, quorum duo per ſedem Apoſtolicam, duo vero per nos; aut duos ex ipſis, quorum unus per eandem ſedem, alius per nos deputati fuerint aſſignari per eos, ſicut præmittitur, conſervanda & per eandem ſedem diſponenda, ſicut in alio articulo ſuperius continetur. De impedimentis autem prædictis duo prælati prædicti per ſedem Apoſt. deputandi, ſeu eiſdem modo, qui prædicitur, ſubrogandi ſe informabunt, & etiam declarabunt.

* non ceſſaret,

Si penitus abrumpatur expeditio, accepta reſtitutum iri.

VI. Qua integritate ſacrum aurum collocandum ſit.

Et ut utilitati dicti paſſagii provideatur uberius, volumus & etiam ordinamus, quod pecunia concedenda nobis per ſedem Apoſtolicam in ſubſidium paſſagii antedicti non theſaurariis noſtris regiis vel receptoribus, ſed certis burgenſibus ad hoc idoneis, per nos deputandis, dicta decima a collectoribus ſedis Apoſtolicæ, & alia ſubſidia aſſignentur, quæ dicti burgenſes recipere eaque fideliter conſervare debebunt, & de mandato quatuor dictorum prælatorum regni Franciæ modo prædicto deputandorum utiliter ad ipſius viagii commodum diſpenſare. Quibus quidem prælatis, aut duobus ex ipſis modo prædicto deputandis receptores prædicti annis ſingulis de receptis & expenſis, ſeu miſſis computum & debitam debebunt reddere rationem. Ipſi autem prælati prædicti, aut duo ex ipſis, ut prædicitur, deputandis ad mandatum noſtrum ſeu ordinationem pro dicti

Accepti & expenſi reddenda ratio.

*cti paſſagii præparationibus, proviſionibus, & commodis abſque eo, quod aliquid de prædictis convertatur in uſus alios, ſolutiones fieri facient, & complebunt, nec aliquid, quod de prædictis receptum fuerit, convertent in uſus alios, quam dicti paſſagii, nec pro poſſe permittent. Item quod ſi per nos dictis prælatis contingeret præcipi vel mandari, ut ipſi de receptis aliquid ſolverent, liberarent, aut ſolvi facerent, ſeu etiam liberari, ſi videretur eiſdem, quod illud non cederet ad utilitatem paſſagii antedicti, dicti prælati aut duo ex ipſis, ſcilicet unus deputatus per ſedem Apoſtolicam & alius per nos, teneantur nobis reſcribere fideliter ſeu referre, quid ipſis videbitur faciendum ad finem illum, quod juxta reſcriptiones ſeu relationes eorum ſuper hoc per nos debeat ad utilitatem dicti negotii maturius & commodius provideri. Si vero pendente negotio aliquem ſeu aliquos dictorum decedere contingeret prælatorum, ſucceſſores eorum, vel ſi forſan eorum vacarent eccleſiæ, alii loco eorum ſubrogabuntur idonei per illos, qui defunctos deputaverant antedictos.* Nonnulliſque interjectis de ratione ab iis prælatis reddenda quotannis ſedi Apoſtolicæ, de ſumptu in belli ſacri rem verſo addit.

VII. *Nos autem, heredes, & ſucceſſores noſtri ſuper prædictis & aliquo præmiſſorum ſedi Apoſtolicæ, vel deputandis ab ea, ſeu alii cuicumque non tenebimur, nec tenebuntur aliquam reddere rationem. Per hoc autem nolumus nec intendimus impediri, quin quatuor prædicti prælati nobis & ſucceſſoribus noſtris de collectis expenſis & reſiduo prædictis partes & particulas omnes & ſingulas exhibere & aſſignare teneantur, & reliqua reddere in uſus & utilitatem dicti viagii, ut præmittitur, convertenda in caſibus, in quibus ad nos ſeu ſucceſſores noſtros ſpectabit diſtributio eorundem ſecundum ordinationem prædictam. Ut autem prædicta ad utilitatem dicti negotii debeant inviolabilius intemerata ſervari, promittimus nos facturos & curaturos, quod chariſſimus filius noſter Joannes de Francia dux Normanniæ Andegavenſis Cœnomanenſiſque comes, licet abſens, per procuratorem ſuum ad hoc legitime conſtitutum ſuper ſancta Dei evangelia corporaliter tacta jurabit coram ſummo Pontifice prædicto & in ejus præſentia, quod ipſe in quocumque ſtatu ſit in præſenti, ſeu etiam deveniat in futurum, etiam ſi ad ſucceſſionem ſeu regimen dicti regni venire contingat eundem, prædicta omnia & ſingula, quatenus concernunt & tangunt ordinationem eorum, quæ recepta fuerint de decimis vel aliis quocumque nomine cenſeantur, nobis per ſedem Apoſtolicam pro dicto paſſagio concedendis, tenebit & firmiter obſervabit modo & forma ſuperius expreſſatis; ratum & gratum habentes, & etiam perpetuo habituri quidquid per dictos procuratores & nuntios noſtros quatuor, tres, aut duos ex ipſis in prædictis & quolibet prædictorum ac dependentium ex eiſdem actum, promiſſum, juratum, & obligatum fuerit ac etiam procuratum. In quorum teſtimonium & ad majorem firmitatem noſtrum fecimus apponi ſigillum: Actum & datum Aureliani* XX. *die menſis martii anno* MCCCXXXII. Obortæ ſunt poſtea Philippo Regi ingentes difficultates circa hujuſmodi conventa, ſi is caſus contingeret, ut improviſa rerum converſione ab ea expeditione diſtraheretur. Superiores itaque leges, uti dicemus, temperandas popoſcit; demumque ſuis tractatibus Armeniæ cladem accerſivit, neve a Joanne Pontifice ſedes Apoſtolica Italiæ reſtitueretur, importune obſtitit, cum omnia ad eam rem comparata eſſent.

Obſtringendus Joannes dux præmiſſa circa decimas ſervatum iri.

Exitiales eccleſiæ Philippi tractatus.

VIII. Admoniti (a) quidem Bononienſes de ſuſcepta a Pontifice & Cardinalibus traducendæ in Italiam aulæ Apoſtolicæ ſententia, ac blanda prolectati ſpe, ſe ſuaque omnia pontificiis imperiis & obſequiis ſubjecere (b): miſſiſque oratoribus ea de cauſa in publico conſiſtorio Pontifici & ſacro Cardinalium collegio ſtudia ſua addixere. Cum legatus munitiſſimam arcem, in qua Pontifex habitaret, excitare magnis operibus & ſumptibus cœpit, æquatis ob id ſolo pluribus civium domibus, & palatia Cardinalium deſignare: ſuſpenſis vero rei expectatione Bononienſium animis, cum verbis opera non reſponderent, ſuperiores morarum cauſas retexuit, atque hujus ſpei illecebra permulſit Joannes (c).

Bononienſium in Pont. ſtudia.

(a) To. 8. p. 3. ep. ſecr. pag. 313.

(b) Jo. Vil. l. 10. c. 201.

*Nunc Dei miſericordia eiſdem ſopitis negotiis, periculiſque viarum plurimum diminutis, noſtri & fratrum eorundem erat propoſitum dilectam ſponſam noſtram, Romanam ſcilicet eccleſiam, annuente Domino, viſitare: & quia Lombardiæ & Tuſciæ provinciæ reformatione ac conſolatione in pluribus indigebant, quæ per noſtram & ipſorum fratrum præſentiam ſperabantur promptius adimpleri, nec locus occurrebat nobis & ipſis fratribus aptior civitate Bononienſi prædicta; noſtri erat propoſiti, & in hoc noſtrum & ipſorum conſilium reſidebat, ut ad civitatem eundem Bononienſem deberemus cum eadem curia, concedente Domino, nos transferre, ibique moram trahere, ſicut provinciarum prædictarum reformatio & conſolatio poſtulabunt; exinde verſus Urbem dirigendo, divina gratia prævia, greſſus noſtros. Dat.* XIII. *kal. julii anno* XVI.

(c) To. 8. p. 2. ep. ſec. pag. 312.

Pontificii adventus expectatione mulcentur.

Perva ſit metus Bononienſes, ne ita adventus Pontificis in Italiam ea occaſione retardatus inani ſpe Italorum expectationem falleret. Inculcarunt itaque, nimaturaret in Italiam iter, adeo hoſtium potentiam ingraveſcere, ut gravis formido immineret, ne demum Bononia ſuccumberet; proinde ut auxilio promptiſſime accurreret flagitarunt. Quos Joannes pontificii auxilii ſpe, ut bono eſſent animo excitavit (a): *Reſpondemus*, inquit, *quod timor de his videtur nobis ſuperfluus ingeri, cum jus & ratio ad tuitionem & defenſionem veſtram merito nos aſtringunt. Rurſus ſi antequam civitatem & comitatum Bononienſem ſub noſtro & eccleſiæ Romanæ poſuiſſetis dominio, defenſioni tamen veſtræ principalius quam cæteris terris eccleſiæ inſtiterimus ſicut rei evidentia manifeſtat, apertius & indubie debetis ſupponere, quod nunc debitores effecti ſtudioſius, ſi caſus ſe offerret, curaremus quod nobis incumberet, dante Domino, adimplere, &c. Dat.* XI. *kal. ſeptembris anno* XVI. [1]

Et Pontificii auxilii ſpe.

(a) Ib. pag. 313.

Diſſenſiones urbanas ſedare ſtudet Pont.

Edoctus erat Joannes experientia quanta ſedis Apoſtolicæ tranſlatio mala eccleſiæ invexiſſet, cum ex illius ab Urbe abſentia conflandi recentis ſchiſmatis ſumpta fuiſſet occaſio, atque Urbs continuis civium diſſenſionibus fluctuaret: ad quas componendas Philippus e Cambarlhaco hoc anno apoſtolicus nuntius, & Joannes Urſinus S. Theodori diaconus Cardinalis legatus operam navare juſſi (b), dataque eidem nuntio Viterbienſium ad officium redeuntium præfectura (c). Quod ad reliquas Italiæ provincias, Etruriam præcipue, Inſubriam & Liguriam ſpectat; triſtiſſima erat earum facies: in Etruria enim Piſani exules (d) cum Parmenſibus & Genuenſibus Gibellinis Piſas, conflato exercitu, tentarunt; atque in graviſſimum diſcrimen adduxerant, cum Florentini opportunas ſuppetias attulere. Fœdabatur etiam contrariis factionibus Inſubria, in qua Joannis Regis Boemiæ rebus depreſſis Brixiani, quos illum exciviſſe vidimus, omnium primi eundem pellere ſunt aggreſſi. Conjuraſſe Guelpharum partium cives, ac Maſtinum Scaligerum mille quadringentis ſuccinctum equitibus in urbem induxiſſe, refert Joannes Villanus (e), arx tamen aliquandiu obſidionem toleravit: ſed cum Joannis Regis filius Carolus Parma diſcedere atque incerto diſcrimini ſe committere vereretur, ad deditionem menſe julio compulſa; Bergomum ad victorem pronum mox extitit. Azo Vicecomes Ticinum in ſuam poteſtatem redegit (f), arcemque cinxit obſidione, qua ſequenti anno potitus. Præterea parum fidei, quam eccleſiæ obſtrinxerat, memor Cremonam, quæ in eccleſiæ partes jamdiu conceſſerat, proditione occupare tentavit (g): ſed urbe haud ſine clade depulſus cum Gonzaga Mantuano Mutinenſem agrum eſt populatus. Nutabat anceps Mutina (h), cui principi ſe addiceret, atque jam ante, ut vidimus, excuſſo Ludovici jugo, in eccleſia imperium conceſſerat, iterumque ab eo ſe ſubduxerat; & aliquandiu tutata libertatem, ſuperiori anno Boemum in principem ſibi aſciverat.

(b) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 7.

(c) Ib. pag. 35.

Eutria inteſtino laniata bello.

(d) Jo. Vil. l. 10. c. 200.

Inſubriæ factiones variæ.

(e) Ib. c. 205.

Geſta ab Azone bella.

(f) Ib. c. 212.

(g) Cap. 209.

Mutinæ converſiones.

(h) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 19.



NOTÆ

[1] MOtuum Italicorum anni hujus hiſtoria paulo diligentius retexenda eſt, correctis erroribus nonnullis, qui ſubinde Annaliſtæ noſtro irrepſerunt. Ac primo omnium animadvertiſſe juvat, Bononienſium ad pontificem legationem alia plane de cauſa inſtitutam fuiſſe, quam quæ hic in Annalibus aſſignatur. Anno enim præcedenti, non præſenti novembri menſe, Bononienſes ablegatos ſuos Rolandinum de Galluciis militem, & Thomam de Formaglinis legum peritum Avenionem ad pontificem miſerunt, ut ſuo nomine Urbem pontifici ſubmitterent. Agentes illi Avenione, datis ad Bononienſes literis, renunciarunt, pontificem & cardinales profectionem ſuam Bononiam ſtatuiſſe, quod Bononienſibus accidit per quam gratiſſimum. Promit hæc Matthæus de Griffonibus in ſuo memoriali rerum Bononienſium, quod ad annum uſque 1428. perduxit. Suſpicor vero Bononienſes, ſive illum, qui tunc Bononiæ agebat, legatum, miſſis jam Avenionem legatis duobus, geminos alios addidiſſe, epiſcopum Mirapeſcenſem, & Abbatem Grandiſilvæ. Ita enim legimus in hiſtoria Miſcella Bononienſi, quam vernacule ſcripſit F. Bartholomæus de la Pujola Minorita, legiturque rerum Italicarum tomo XII. *A di 18. Ottobre ritornarono gli Ambaſciadori, che il Legato aveva mandato al SS. Padre per cagione della ſua venuta, furono Meſſer il Veſcovo di Mirapeſce, Meſſer l' Abbate della Granſelva, Meſſer Rolandino de Galuzzi, e Meſſer Tomaſo de Formaglini.* Errat inſuper annaliſta in aſſignando anno, quo legatus arcem Bononiæ excitavit; nam coævis omnibus ſcriptoribus fatentibus, arx illa præcedenti anno Martio menſe a legato ædificari cœpta eſt. Vide eundem Matthæum ad annum 1331.

Cæterum, quæ notat Annaliſta num. IX. de Brixienſibus, qui omnium primi jugum regis Bohemiæ excutere aggreſſi ſunt, veritati plane cohærent. Urbs enim illa ceſſit Martino Scaligero die XV. junii, teſte, qui hoc anno hiſtoriam ſuam claudit, Jacobo Malvecio in Chronico Brixiano diſt. IX. cap. 74. Secundum hæc, Azo vicecomes, Mediolani Dominus, cum Martino Scaligero, ac Dominis Mantuæ fœdere inito ſeptembri menſe, ait Cornazanus in Hiſtoria Parmenſi, vulgatus Rer. Italic. to. XII. eodemque menſe, ſeu die XX. ut ſcribit Author Chronici ſeu XXVII. ut notat Flamma in Manipulo Florum, Bergomum invaſit, & obtinuit. Non tamen re ſemper felici eſt uſus; nam die XXV. novembris commiſſa cum Carolo filio regis Bohemiæ pugna ad S. Felicem haud procul Ferraria, victus fugatuſque fuit, ut ejuſdem Regienſis Chronici ſcriptor non indiligens teſtatur. Ante cladem illam, die XXIII. novembris, Ticinum jam occupaverat fœderatorum exercitus, quamquam arx diu armis victricibus reſtitit, nec niſi ſequenti anno deditionem fecit. MANSI

Italorum fœdus adverſus Pontificem.

X. Ut ob ſuperiores Etruriæ & Inſubriæ motus Pontificem ad reſtituendam iis provinciis pacem ex ejus literis (*a*) inmeditato ad Urbem itinere Bononiæ ſubſiſtere deliberaſſe vidimus, ita ob inſperatam rerum converſionem abduci a conſilio potuit; refert enim Jo. Villanus (*b*), fidiſſimos antea Pontificis fœderatos, Robertum ſcilicet Siciliæ Regem ac Florentinos armorum ſocietatem cum Azone Mediolanenſi, Scaligeris Veronenſibus, Gonzaga Mantuano, & marchionibus Ateſtinis adverſus Joannem Boemiæ Regem illiuſque ſocios, ſive Ludovicus Bavarus ſive Pontifex illi ſtuderent, iniiſſe & quidem admodum rebus pontificiis iniquam: ex illius enim legibus conſtitutum, ut Mutina, cujus dominium recuperare conatum Pontificem vidimus, marchionibus Ateſtinis, S. Donini oppidum & Cremona, cujus imperio potiebatur eccleſia, Azoni Vicecomiti, Scaligeris Parma, Mantuano Rhegium, Florentinis Luca cederent. Ducebat hos ſuorum commodorum ratio: Robertum vero Regem veteres in Joannis parentem Henricum Imperatorem, tum in Ludovicum Bavarum, a quibus ſententia capitis damnatus fuerat, agebant ſimultates, abalienatuſque erat a legato ob arcanam cum Boemo habitam conjunctionem: ex quo fœdere hoc ſane anno Joannis Regis res corruere cœptæ, pontificiæ vero haud parum annis ſequentibus labefactatæ. Cæterum ea in re ingrate admodum erga ſedem Apoſtolicam ejus fœderati ſe geſſere.

Quam ingrate ea in re ſe geſſerint.

(*a*) To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 312.
(*b*) Jo. Vil. l. 10. c. 205.

Rex Boem. Pontificem adit.

Adiit porro Joannes Rex ſedem Apoſtolicam, ut cum Pontifice arcana conſilia iniret: cujus imminentem adventum ſignificavit Joanni Papæ Philippus Rex Francorum, addiditque eo tantum clientum ac ſatellitum numero, quem circumſcripſiſſet Pontifex, illum acceſſurum; de quibus comitatis regiæ officiis actæ his verbis Philippo gratiæ (*c*).

*Joannes, &c. Regi Franciæ.*

*Tam humaniter, tam benigne pium propoſitum ac devotum conceptum chariſſimi filii Joannis Regis Boemiæ illuſtris ad noſtram veniendi præſentiam literæ ſerenitatis regiæ deduxerunt, quod profecto in admirationem noſtrum provocaverunt animum, ac lætitia merito repleverunt. Quis autem admirari non debeat, quod tantus princeps nobis adventum Regis præfati ſic dulci eloquio nobis nunciare curaverit, ac ſupra ſe recipere, quod idem Rex ſic de tali gente, nec non & tali modo ac ſtatu veniet ſociatus, ſicut nos duxerimus ordinandum? Profecto, fili, non eſt qui ſuper hoc non debeat admirari. Ad hoc quidem regalem animum nullum impulit debitum, cum ſine his eidem Regi liceret præmiſſa irreprehenſibiliter implere: ſed, ut tenemus indubie, ad hoc reverentia, quam ad illum geris, cujus vices in terris, licet immeriti gerimus, ſincera devotio, qua ad ejus honorem ſponſæ ſanctæ, ſcilicet eccleſiæ affici noſceris, cujus cura nobis incumbit, regium animum inclinarunt, ſuper quo devotionem regiam plurimum in Domino commendantes eidem gratiarum exolvimus uberes actiones, &c.* Extant eo argumento ad Regem Boemiæ, qui ſuum adventum ad curiam indicaverat, pontificiæ literæ (*d*) XII. kal. auguſti anno XVI. exaratæ, quibus conſulit ne eum laborem ſuſcipiat, cum in rebus gravibus ſine Cardinalium aſſenſu conſilia explicari non ſoleant, eaque res longiorem moram trahat: ſi tamen venerit peramanter exceptum iri pollicetur. Excuſaſſe autem Boemum bella Italica in Guelphos colligitur, & concepta ad promovendam rem Chriſtianam ſtudia explicuiſſe, tum ex aliis pontificiis literis (*e*) graves illum adverſus Azonem Vicecomitem Mediolanenſem querelas attuliſſe: controverſias tamen ſuas, excepta Bergomenſi re, pontificio arbitrio permiſiſſe. Dubravius etiam refert (*f*), Joannem Regem rogatum a Bavaro, ut pro ipſo in gratiam eccleſiæ reſtituendo intercederet, cum Pontifice ea de re egiſſe: iratum vero Ludovicum, cum res e voto non ſuccederet, quaſi Joannes Rex cum Pontifice ipſo ex compoſito colluſiſſet. Sane quod ad Ludovicum Bavarum attinet, Philippus Rex Francorum regios in Bavariam oratores miſit, qui ipſum ad gremium eccleſiæ Chriſtiana demiſſione repetendum provocarent, ac Ludovicus legatos ſuos ad ſedem Apoſtolicam ad illius gratiam comparandam miſſurum ſe reſponderat. Egit vero exeunte anno Pontifex Regi Philippo gratias (*g*), ſtudium ſuum eccleſiæ pro fide aſſerenda ipſum explicuiſſe.

(*c*) Lib. bull. ſelect. Jo. XXII. ſign. lit. A. pag. 164.

(*d*) Ib. pag. 162.

Quæ illum cauſæ permoverint.

(*e*) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 60.

(*f*) Dubrav. hiſt. Boem. l. 21.

Francor. Rex Bavarum Pontifici conciliandum ſuſcipit.

(*g*) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 106.

Monitus porro officii Bavarus, patrata quidem a ſe flagitia agnovit, ad ea tamen rite expianda non ſe comparavit; ſed in id tantum incubuit, ut augendæ ſuæ amplitudinis & correptæ cæſareæ dignitatis aſſerendæ rationes conquireret. Miſſis itaque oratoribus Arnoldo Mumebacenſi & Udalrico Auguſtenſi, qui ei a ſecretis erant, Joannem Papam de fœdere poſtulavit, deque ea re publicas edidit literas, in quibus Joannem ipſum, quem antea horrendis maledictis appetiverat, & capitali damnarat ſententia, ſanctiſſimum in Chriſto patrem ſacroſanctæ ac univerſalis eccleſiæ ſummum Pontificem appellavit: tum procuratores ad afferendas pro ſe Pontifici excuſationes, inunctionem imperialem efflagitandam, & concordiam paciſcendam mandatis inſtruxit. Afferuntur eæ literæ (*a*) ab Hervvarto in Ludovici apologia, additque tanta hæc fuiſſe, ut Joannes ad Ludovicum gremio eccleſiæ reſtituendum commoveri debuiſſet, nec tamen receptum conqueritur. Sed is auctor omnibus fucis cauſam quam tuendam ſuſcepit colorare, Pontificis vero geſta, quamvis conſona æquitati, traducere conſuevit.



(*a*) Hervvart. to. 2. ad an. Chr. 1331. n. 4.

Veræ cauſæ, cur Bavarus piorum cœtui non fuerit reſtitutus.

XI. Si vero rei indagetur veritas, Ludovicum ſuo, non Joannis vitio non fuiſſe eccleſiæ conciliatum patebit. Nam in primis eccleſiam magno revocandi in ſinum ſuum Ludovici arſiſſe deſiderio demonſtrant plura documenta publica, quæ ſuis locis promentur: ſed ea res rite fieri debuit, agebaturque de Chriſti & eccleſiæ honore, ut qui hæreſim publice erat profeſſus, qui ſchiſma conflarat, qui perſecutionem indixerat in catholicos, tanta crimina ritu eccleſiaſtico expiaret, ſeque Apoſtolicæ ſedis imperiis ſubiiceret: ipſe vero inanes tantum excuſationes offerebat, ſcelerumque præmia ingentia, imperiales nimirum apices depoſcebat, cum juſtiſſima ſententia poſt vulgatam hæreſim parto utcumque jure cæſareo fuiſſet exauctoratus: & peſſimi exempli foret, ſponſæ Chriſti eccleſiæ dignitatem tam fœde conculcari, ac tot ab eo patrata facinora impune ferri, nec tutum videbatur, ſuſpecto homini imperium committere, ejuſque poteſtati fideliſſimos athletas, & clientes eccleſiæ ſubdere. Sed de hujuſmodi Ludovici tractatu iterum agetur inferius.

Cæterum Pontifex ad revocandos in viam ſalutis Bavari ſtudioſos Cardinali legato munus impoſuit (*b*), ut eos omnes, qui Imperatorem illum appellaverant, cenſuris ſolveret, ſi ab ejus partibus ſe diſceſſuros pollicerentur; ſi quidem juſtiſſime percuſſi erant anathemate, qui hominem, ob hæreſeos & ſchiſmatis crimina rite a Chriſti vicario exauctoratum decretoria ſententia, imperiali nomine contra edicta pontificia affecerant: pellectique ea miſericordiæ ſignificatione Firmani, Auximani, Urbinates, Fabrianenſes, Matelicani, ac plures alii, quos jam ante pœnituerat flagitii, miſſis ad ſedem Apoſtolicam oratoribus, defectionis veniam popoſcerunt (*c*).

(*b*) To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 299.

Liberati anathemate diſcedentes a Ludovico.

(*c*) Ib. pag. 304. & lib. bull. ſelect. Jo. XXII. ſign. lit. A. pag. 155.

Picentum reconciliatio.

XII. *Coram vobis ſanctiſſimo in Chriſto patre & domino, domino Joanne divina providentia ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifice, ac ejuſdem eccleſiæ reverendiſſimorum patrum dominorum Cardinalium ſacro collegio, nos devoti veſtri Zuetius de Bennegnatis, Hugolinus Pecoruccii, & Joannes Nicoleti ſindici & ambaxatores Firmanorum, Auximanorum, Urbinatium, Æſinorum, Fabrianenſium, Matelicæ, S. Elpidii, Scerræ comitum Scirræ, S. Quiritici & Barbaræ comitatuum, & univerſitatum pro ipſis & nomine ipſorum dicimus & proponimus infraſcripta. In primis quod communia & univerſitates prædictæ & ſingulares perſonæ ipſorum ab eo tempore & citra continue, quo veſtra, ſanctiſſime pater, ad apoſtolatum aſſumptio ad ipſos extitit divulgata, firmiter crediderunt & credunt, vos dominum Joannem fuiſſe & eſſe prædictæ eccleſiæ verum & unicum ſummum Pontificem & in terris Chriſti vicarium, & ipſorum in ſpiritualibus & temporalibus dominum ſingularem, & apud vos fuiſſe apoſtolatus auctoritatem. Item cum ſanctitas veſtra contra Ludovicum de Bavaria, qui ſe primo Regem, & deinde Imperatorem Romanum nominavit, proceſſerit & ipſum reprobaverit, ac ipſi ut tali obediri, vel ipſum pro tali haberi ſive nominari ante ingreſſum dicti Ludovici in Lombardiam duxerit prohibendum, non crediderunt ipſi communia & communitates, nec ſingulares perſonæ ipſorum iis temporibus, quibus idem Ludovicus Lombardiam intravit, vel quibus moram traxit in ea, aut quibus fuit abſens ab ipſa, ei ut Regi Romanorum fore obediendum vel parendum, vel ipſum pro Rege Romanorum habendum, vel nominandum. Item cum dictus Ludovicus poſt proceſſus, reprobationem, & prohibitionem prædictos, & nonnullos alios proceſſus per ſanctitatem veſtram factos contra ipſum ſine auctoritate veſtra ſe in Regem & Imperatorem Romanum coronari fecerit, & Romanum imperium invaſerit, non crediderunt nec credunt eumdem Ludovicum fore verum Regem vel Imperatorem Romanum, aut ipſi ut tali obediendum vel favendum, aut ipſum pro Romano Imperatore habendum, ſeu nominandum. Item non crediderunt unquam neque credunt fratrem Petrum de Corbario, qui B. Petri ſedem invaſit, & ſe Papam falſo nominavit, fuiſſe vel eſſe Romanum Pontificem ſeu Papam, aut ipſum pro Romano Pontifice habendum, ſeu nominandum.* Et infra.

Profitentur Ludovicum non eſſe juſtum Imperatorem.

Petrum e Corbario Pontificem non fuiſſe.

*Item dicimus & proponimus, quod com-* XIII.
*munia & univerſitates prædicta, & ipſorum ſingulares perſonæ omnibus temporibus ſupradictis, & per ipſa tempora & ante fidem catholicam & unam ſanctam & Apoſtolicam eccleſiam firmiter crediderunt, nec erroribus alicujus hæretici crediderunt, nec dictis temporibus vel ipſorum aliquo aliquid dixerunt vel egerunt, intendentes revera deviare a fide prædicta. Fatentur igitur ſindici & ambaxiatores prædicti, quod fratrem Petrum de Corbario ſæpedictum nominaverunt Papam, ſimulate tamen: ipſius anticardinalem & antilegatum Cardinalem & legatum nominaverunt, & receperunt aliquos antiepiſcopos, & aliquos officiales & mi-*

Simulatione & vi illi adhæſiſſe:

*miniſtros ejuſdem, & promotos per ipſum: & Joannem de Claromonte antimarchionem nominaverunt & receperunt, ficte tamen, & alios nuncios damnati Bavari ſupradicti, vel nugatoria & ficta & falſa auctoritate ipſius & dicti fratris Petri, ut tales nominaverunt, & ipſis ut talibus ſimulate obediverunt, & antiepiſcopum & eorum literas ut talium receperunt, & ipſis ut talibus ſcripſerunt; & ipſorum literis, & nugatoria, ficta, & falſa auctoritate uſi ſunt. Hæc tamen omnia in hoc capitulo contenta, quæ fecerunt, vel ipſis faventibus facta ſunt, fecerunt & paſſi ſunt ſimulate ac propter metum inimicorum ſuorum, & ut ipſis injuriantibus poſſent reſiſtere, non credentes ea fore licita, ſed prorſus illicita & nefanda.*

De excurſionibus in clientes eccleſiæ veniam poſcunt.

*Fatentur inſuper, quod plures exercitus, cavalcatas, & conflictus fecerunt contra terras & fideles veſtros & ſanctæ matris eccleſiæ, tanquam contra eorum æmulos & notorie inimicos cum terrarum captionibus, perſonarum occiſionibus, & rerum dictarum terrarum & perſonarum captionibus, afflictionibus, gravium damnorum, atrocium injuriarum illationibus, & plura alia his ſimilia commiſerunt & fecerunt contra mandata veſtra & ſanctæ matris eccleſiæ, & rectoris provinciæ marchiæ Anconitanæ prædictæ. Quæ omnia & ſingula cordialiter pœnitet eos feciſſe, perpetraſſe, & amare dolent talia commiſiſſe, recognoſcentes in præmiſſis ſuas culpas & iniquitates enormes. Fatentur denique, quod multis mandatis, prohibitionibus, proceſſibus, & ſententiis apoſtolica, & legationis ſuæ ordinaria auctoritate contra ipſos communia & univerſitates ac ſingulares perſonas eorum factis & latis non paruerunt temporibus ſupradictis, & interdictum ſeu interdicta in ipſis terris & diœceſibus earundem, quavis auctoritate prolata, aliquibus temporibus non ſervaverunt. Fatentur etiam, quod crediderunt & confeſſi fuerunt, & credunt & confitentur omnes articulos fidei, quos ſancta mater eccleſia tenet, confitetur, & docet; & dicunt & promittunt, quod non receptabunt ſupradictum damnatum Bavarum, ejus nuncios vel aliquem dominum, vel ejus officialem, vel familiarem cujuſcumque tituli, dignitatis, præeminentiæ, ſtatus, conditionis, vel nominis ſit; nec aliquos ſtipendiarios vel gentes ſuas, nec alicui rebelli eccleſiæ ſingulari vel univerſitati dabunt auxilium, conſilium, vel favorem, publice vel occulte; ſed pro poſſe eis reſiſtent, & eos perſequentur & impugnabunt.* Et infra.

Pollicentur Bavari præfectum non excepturos.

In gratiam cum eccleſia reſtitui efflagitant.

*Supplicant itaque humiliter ſindici & ambaxiatores prædicti ſanctitatem veſtram, quatenus inſpectis antiquis ſervitiis Romanæ eccleſiæ impenſis &, dante Domino, impendendis in poſterum per ipſas terras, & damnis receptis ex devotione & cauſa prædictis, & deſtructione ipſarum terrarum, dignemini miſericorditer providere ita, quod ſupradicti conſtituentes inveniant gratiam in ſanctitate veſtra, quam ſperant in omnibus & ſingulis ſupradictis tanquam filii devii redeuntes ad miſericordiam pii patris, offerentes ſe paratos vice & nomine prædictorum conſtituentium jurare & ſtare ac parere mandatis eccleſiæ & veſtris, ſanctiſſimi patris & domini, domini Papæ prædicti; & omne aliud juramentum præſtare, quod ad obtinendum veſtram gratiam & abſolutionem ab omnibus & ſingulis ſupradictis fuerit neceſſarium vel etiam opportunum; & omnem pœnitentiam atque pœnam portare, quam ſanctitas veſtra vel deputatus ab ea eis duxerit injungendam.* Repetita ſupplicis illius libelli formula, procuratores ſacramento ſolemni Picentum nomine ſe devinxere, Romanis pontificibus ipſos obſequentes fore, neque cum Ludovico, Petrive e Corbario ſequacibus unquam conſenſuros; qua de re publica documenta confecta ſunt. Ac tum Joannes in memoratos Picentes pontificiam explicuit clementiam, & cenſuras pœnaſque apoſtolicis edictis inflictas abolevit. Extat hac de re diploma, *Dat. non. aug. an.* XVI.

XIV.

Inflexere (a) pariter ad ſua vota pontificiam clementiam Mediolanenſium oratores, qui cum jam ante ineunte ſuperiori anno decreti fuiſſent, hoc demum votorum compotes facti, cum prius in ſacro Cardinalium ſenatu ſolemni ritu præteritorum, adverſus dignitatem pontificiam geſtorum, veniam ſubjecta verborum forma popoſciſſent (b).

(a) *Ib. pag.* 313. & 318.

Mediolanenſes conciliati eccleſiæ.

(b) *Ead. pag.* 318.

Supplicis eorum libelli formula.

*Coram vobis ſanctiſſimo in Chriſto patre & domino, domino Joanne divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifice, ac ejuſdem eccleſiæ reverendorum patrum dominorum Cardinalium ſacro collegio, nos devoti ſindici & ambaxiatores cleri populi, & communitatis Mediolanenſis pro ipſis clero, populo, & communitate & ſingularibus perſonis ipſorum dicimus & proponimus infraſcripta. In primis quod clerus populus, & communitas prædicta, & ſingulares perſonæ ipſorum ab eo tempore & citra continue, quo veſtra, ſanctiſſime pater, ad apoſtolatum aſſumptio apud ipſos extitit divulgata, firmiter crediderunt & credunt, vos dominum Joannem fuiſſe & eſſe prædictæ eccleſiæ verum & unicum ſummum Pontificem, & in terris Chriſti vicarium, & apud vos fuiſſe & eſſe apoſtolicam auctoritatem. Item cum ſanctitas veſtra contra Ludovicum de Bavaria, qui ſe primo Regem & deinde Imratorem Romanum nominavit, proceſſerit & ipſum reprobaverit, ac eidem ut tali obediri, vel ipſum pro tali haberi, ſive nominari ante ingreſſum dicti Ludovici in civitatem, vel diœceſim, ſeu diſtrictum Mediolanenſem duxerit prohibendum, non crediderunt clerus vel populus & communitas antedicti nec ſingulares ipſorum perſonæ iis temporibus, quibus idem Ludovicus diœceſim, diſtrictum, & civitatem Mediolanenſem intravit, vel quibus moram traxit in eis, aut quibus fuit abſens ab ipſis, ei ut Regi Romanorum fore obediendum aut favendum, vel ipſum pro Rege Romanor. habendum aut nominandum.*

Joannem Chriſti vicarium agnoſcunt.



Lata rite in Bavarum edicta.

*Item cum dictus Ludovicus poſt proceſſus, reprobationem, & prohibitionem prædictas, & nonnullos alios proceſſus, etiam per veſtram ſanctitatem factos contra ipſum ſe coronari ſine auctoritate veſtra in Imperatorem Romanum fecerit, & Romanum imperium invaſerit, non crediderunt nec credunt eundem Ludovicum fore verum Imperatorem Romanum, aut ipſi ut tali obediendum vel favendum, aut ipſum pro Romano Imperatore habendum ſeu nominandum. Item non crediderunt unquam neque credunt fratrem Petrum de Corbario, qui B. Petri ſedem invaſit, & ſe Papam falſo nominavit, fuiſſe vel eſſe Romanum Pontificem ſeu Papam, aut ipſi ut Romano Pontifici ſeu Papæ fore aliqualiter obediendum vel favendum, aut ipſum pro Romano Pontifice habendum ſeu nominandum.* Subdunt Mediolanenſium oratores, nunquam ipſos credidiſſe Corbarii pſeudocardinales ac legatos veras, ſed adulterinas geſſiſſe dignitates. Tum expoſuere ut inter Turrianam familiam ac Matthæum Vicecomitem veteres inimicitiæ exarſiſſent adeo, ut inde plures cædes fuiſſent ſecutæ, ingraveſcenteque Matthæi potentia Turrianus in carcerem fuerit conjectus; lataque in Matthæum pontificia ſententia, falſus rumor increbuerit ideo ipſum defixum anathemate, ut eo depreſſo ejectoque, Turriani urbis imperium adipiſcerentur; deinde ille, inita cum pluribus Inſubriæ populis ac proceribus armorum ſocietate, conductiſque maximis copiis, civitatem ſua tyrannide oppreſſerit; Matthæoque e vivis ſublato Galeatius, cum ſe magna peditum equitumque multitudine ſuccinctum videret, Bergamenſium, Laudenſium, Vercellenſium, Novarienſium, Ticinenſium, Comenſium, aliorumque viribus fretus dominatum Mediolanenſium corripuerit: cumque metueret, ne ex eo ſubmoveretur, Ludovicum induxiſſe Mediolanum. Tum ſubdunt.

Arreptos ab illo contra fas imperiales apices.

Et pontificios a Petro Corbario.

XV.

*Cum autem idem Ludovicus ipſam civitatem intraſſet, & ejuſdem dominium arripuiſſet, & ſtipendiarios ibidem inventos, qui dicto Galeacio obedire conſueverant, quod ſibi obedirent jurare feciſſet, & ad ſuſceptionem coronæ ferreæ, ut moris eſt in Reges Romanorum electis & per eccleſiam approbatis, feſtinaret; ob hoc magna multitudo equitum & peditum ultra ſtipendiarios prædictos, & eos, qui cum Ludovico præfato civitatem intraverant ſæpedictam, de aliis civitatibus & locis ipſi Ludovico faventibus & adhærentibus convenerunt in civitate prædicta; & tanta equitum & peditum inibi multitudo fuit, quod nec clerus, nec populus, nec ſingulares perſonæ ipſius civitatis ipſius coronationi reſiſtere potuiſſent: cumque hujuſmodi multitudine & potentia ſic eſſet ſtipatus, coronam aſſumpſit prædictam. Decurſis vero poſtmodum aliquibus diebus, idem Ludovicus præfatum Galeacium duoſque fratres & filium ejus captivavit, & in carcerem detruſit, & fortalitia omnia civitatis & diœceſis Mediolani ſuæ tyrannidi plenarie ſubjugavit: & quendam Theutonicum ibidem conſtituit vicarium ſuum, eumque magna multitudine ſtipavit hominum armatorum, mandans univerſis Mediolanenſibus ſub graviſſimis pœnis perſonarum & bonorum, quod ipſi vicario totaliter, vobis autem, ſanctiſſime pater, vel nunciis, aut literis, vel præceptis, ſive prohibitionibus veſtris nullatenus obedirent. Quinimmo multa & mendoſa, falſa & nefanda contra ſanctitatem veſtram, multaque erronea tam per dictum Marſilium quam plures alios diverſis temporibus prædicari, & libellos diffamatorios conſcribi, divulgari, & in publico appendi in civitate & diœceſi prædictis mandavit.*

Excuſant non impeditum fuiſſe Lud. ne ferream coronam ſuſciperet.

Quæruntur multa a Marſilio Patav. in Pontificem conficta.

*Subſequenter autem cum ſupradictus frater Petrus papatum & dictus Ludovicus imperium, ut præmittitur, invaſiſſent, idem Ludovicus dictuſque vicarius univerſis Mediolanenſibus, quod præceptis, juſſionibus, prohibitionibus, ordinationibus, conſtitutionibus, decretis, & literis ipſius fratris Petri tanquam Papæ, ejuſque officialibus & miniſtris legatis & nunciis in ſpiritualibus, & ejuſdem Ludovici tanquam Imperatoris ipſiuſque officialibus & miniſtris in temporalibus obedirent, & eos pro talibus nominarent, haberent, atque tractarent, ſub pœnis prædictis diſtricte præcipiendo mandavit: qui vero vos Papam nominarent, aut veſtris præceptis, juſſionibus, prohibitionibus, ordinationibus, conſtitutionibus, decretis, literis, legatis, nunciis, officialibus, vel miniſtris obedirent, aut veſtram allegarent auctoritatem, flammarum incendio cremarentur. Quæ omnia clero, populo, & communitati Mediolanenſium & eorum ſingularibus perſonis prædictis deteſtanda, abominabilia, & nefanda prorſus videbantur: ſed ipſis reſiſtere, vel ea compeſcere non audebant, neque poterant propter metum, tyrannidem, & potentiam Ludovici & vicariorum prædictorum.* Addunt ſub illa ſervitute ingemuiſſe, do-

Adactos ſe vi & tyrannide in antipapæ obſequium.

nec

Profitentur, capta occaſione ſchiſma objeciſſe.

nec regreſſis Vicecomitibus, collectis animis, duriſſimum illud jugum ſuis cervicibus depulerunt. Veniam itaque flagitantibus Mediolanenſibus, Pontifex ſubjecta verborum forma ignovit, ac priſtinæ ipſos reſtituit dignitati.

XVI. Solvuntur cenſuris & pœnis a Pont.

*Vos ab omnibus proceſſibus, pœnis, & ſententiis, quos & quas propter rebellionem prædictam & adhæſionem dictorum Ludovici de Bavaria & Petri de Corvaria, & alia præmiſſa, per eoſdem procuratores, ſindicos, & nuncios veſtro nomine recognita & confeſſata, factis, latis ſeu promulgatis ab homine vel a jure, quomodolibet incurriſtis, de dictorum fratrum conſilio abſolvimus, & in integrum reſtituimus ad famam, ſtatum, honores, privilegia, & bona quæcumque de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis; ac a vobis omnem infamiæ maculam ſive notam, ex præmiſſis vel eorum contingentibus & dependentibus ab eiſdem obortam penitus abolemus; imponendi & injungendi per nos vel alium ſeu alios, nobis præſentibus vel abſentibus, ſemel vel pluries, & etiam infligendi quaſcumque pœnas & pœnitentias, de quibus nobis videbitur, nihilominus poteſtate retenta, &c. Dat.* IV. *non. junii pontificatus noſtri anno* XVI. His geſtis, legavit mox Pontifex apoſtolicos nuntios ad clerum & populum Mediolanenſem cenſuris exolvendos, quos VII. kal. ſeptembris Joanni epiſc. Novarienſi, Azoni, Luchino, & Ladozaſio de Vercellino Vicecomitibus commendavit (*a*).

(*a*) *Ead. p.* 1. *pag.* 313.

Miſſi porro Mediolanum internuntii, cives ex ſubjecto decreto (*b*) cenſuris ſolvere juſſi ſunt: *Ordinamus*, inquit, *quod vos ab eiſdem clero, communi, & populo, nec non prædictis perſonis ſingularibus, quibus de dictarum abſolutionis & reſtitutionis beneficio juxta formam & tenorem aliarum noſtrarum literarum vobis ſuper hoc directarum duxerimus providendum, juramentum recipere ſpecialiter ſtudeatis, quod ipſi Placentinam, Bononienſem, & Laudenſem civitates, Cremam, Caravacium, Martinengum, Valentiam, Baſignanum, Caſtrum novum, Buſſeadve, & Aſulam caſtra ſeu terras, ac diſtrictus, vel pertinentias, ſeu homines, aut bona eorundem; vel quaſcumque civitates & terras alias, fortalitia vel quaſcumque habitationes alias hominum, ſeu diſtrictus, dominia, juriſdictiones, pertinentias, ſeu portus vel paſſus terræ vel aquarum flumina, ſeu deſcenſus vel aſcenſus eorum, ſtratas, vias publicas ſeu privatas quorumcumque locorum ſupranominatorum, aut quæcumque alia loca, quæ per nos & eandem Romanam eccleſiam, vel noſtro & ipſius nomine reguntur, aut a nobis & eccleſia ipſa tenentur vel in futurum tenebuntur, vel dicto nomine gubernabuntur, qualiacumque ſint & in quibuſcumque conſiſtant caſtris & locis, quæ a præſidentibus Mediolanenſium infra dictos civitatem, comitatum, & diſtrictum ad præſens tenentur & poſſidentur dumtaxat exceptis; aut perſonas eccleſiaſticas vel ſæculares eorundem locorum & diſtrictuum prædictorum, vel alicujus eorundem per ſe vel alium ſeu alios, directe, publice, vel occulte non invadent, capient, uſurpabunt, impedient, vel deprædabuntur, in toto vel in parte nec talia facientibus dabunt ſeu præſtabunt ſuccurſum, auxilium, conſilium, vel favorem, nec eis in perſonis vel rebus eorum irrogabunt injurias vel offenſas, quamdiu in noſtra & ejuſdem eccleſiæ fidelitate & devotione manebunt. Dat. non. octobris anno* XVIII. Decreta hæc proximo anno, quæ ne repeterentur, conjungenda fuerunt. Verum Azone pontificias urbes affectante, extracta eſt cenſurarum diſſolutio, legeſque additæ ut ſacramentum a Mediolanenſibus exigeretur, ipſos terras, quæ tum in Inſubria parebant eccleſiæ, non populaturos: demumque octavo poſt anno miſſis oratoribus a Benedicto fidelium ſacrorumque communioni reſtitutos, viſuri ſumus.

(*b*) *To.* 9. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 12. 13. & *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 252.

Quæ urbes in Inſubria paruerint Pontific.

Mediolanenſes eas invadere vetiti.

XVII. Rex Trinacriæ ad conjunctionem eccleſiæ ſolicitatus.

Defixit etiam Pontifex apoſtolicum zelum pro adducendo ad ſinum eccleſiæ Friderico Rege Trinacriæ, qui Ludovici pertinaciam æmulabatur, atque a fidelium communione ſegregatus in exitium agebatur præceps. Paternis itaque literis Alienoram Reginam eſt adhortatus, (*c*) ut viri pectus emollire ſatageret, exponeret ei pericula, quibus ſe obiiceret, bona ingentia, quæ infeliciter amitteret; nec ſatis æſtimari precum, ſuffragiorum, & ſacrorum, quorum cæteri fideles participes eſſent, beneficium poſſe.

(*c*) *To.* 9. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 141.

*Joannes, &c. Alienori Reginæ Trinacriæ.*

Pontificis ea de re ad Reginam lit.

*Filia amantiſſima, non ſufficimus admirari, quod princeps inclytus Fridericus Rex Trinacriæ vir tuus ſic obſtinatus & induratus in ſua pertinacia tamdiu, non ſine gravi ſcandalo ſuæque ſalutis animæ manifeſto periculo extra unitatem eccleſiæ permanſerit & permaneat; non conſiderans, nec attendens quanta in orationibus, ſuffragiis, & ſacrificiis, quæ in tota catholica eccleſia jugiter offeruntur Altiſſimo, quorum eſſet particeps, ſi infra communionem fidelium exiſteret, perdidit & perdit continue commoda; quantiſque periculis circa ſalutem animæ perpetuam, ſi in tali ſtatu, quod abſit, decederet, ſe exponit. Quocirca prudentiam rogamus regiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus tu benedictionis filia, quæ Deum times & ſalutem animæ tuæ perquiris, præfato Regi viro tuo ſuadere viis & modis, quibus expedire videris, non poſtponas, ut prædictis periculis & aliis,*

Propoſita animæ pericula.

*quæ*



*quæ ſibi poſſunt occurrere, conſideranter attentis, a ſuis reſilire cum effectu deviis & ad ſanctæ matris eccleſiæ redire properet unitatem. Nos quidem ipſum, ſi ut tenetur, humiliter redire procuraverit, parati erimus cum gaudio recipere, & ut filium benedictionis & gratiæ condignis favoribus & honoribus pertractare. Dat.* VI. *id. ſeptembris anno* XVII.

XVIII. Philippi princ. Tarentini mors.

Sublatus (*a*) eſt hoc anno ex humanis Philippus princeps Tarentinus, cui funebres imperiales honores exhibiti, cum imperii Conſtantinopolitani jura dotalia obtineret Catharinæ uxoris nomine Balduini II. Imperatoris proneptis, quam pontifex indulgentem lacrymis ad Chriſtianam conſtantiam excitavit (*b*): *Sane*, inquit, *quia, benedictionis filia, mortis jactura reſtitutionis beneficium non admittit, ſibique tua prodeſſe nequaquam poſſit mœſtitia, nocivaque tuo poſſet exiſtere corpori, & irritativa divinæ offenſæ; magnificentiam tuam hortamur in Deo & rogamus, quatenus præmiſſis in conſideratione deductis & aliis, quæ tibi circa hoc Dominus miniſtrabit, divino beneplacito te coaptans ad ea, quæ conſolationem præfati viri tui poſſint afferre animæ, tuiſque fore liberis profutura, te committere ſtudeas & in his te viriliter exercere. Dat.* V. *kal. martii anno* XVI. Succeſſit in Tarentino principatu, & matris ad Conſtantinopolitanum imperium juribus Philippus filius, qui cum a patruo Joanne Achajæ principe fidem ſolemni ritu ſacramento ſibi obſtringi depoſceret, iſque gravate ferret ad nepotis obſequium procumbere; cum maxime inanes tantum titulos, atque umbram imperii levem circumferret, exorta gravis diſcordia eſt inter eos principes: cujus componendæ ſtudio Pontifex Joanni principi ſuadere niſus eſt (*c*), ut animum ad fidem nepoti devinciendam flecteret, ſeque in ea re divinæ voluntati accommodaret.

(*a*) *To.* 8. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 243. *Summont. l.* 3. *hiſt. Neap.*
(*b*) *Sup. ep. ſecr. pag.* 243.

Succedit in Conſtantinop. imperii juribus Philip. filius.

(*c*) *To.* 9. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 142.

*Joanni principi Achajæ.*

Achajæ princeps fidem ei addicere monitus.

*Utinam, fili, velle tuum divinæ voluntati ſubmitteres, hoc utique faciens quod debes faceres, eique complaceres: ſi autem tuam divinæ præpoſueris voluntati, Deum offendes graviter, maculamque in gloriam tuam ponis. Hæc pro tanto præmiſimus, quia, ſicut intelleximus, homagium recuſas facere, quod tamen, ut dicitur, te facturum in noſtra præſentia juraviſti. Nobilitatem tuam itaque hortamur in Domino & rogamus, ut tuæ ſalutis non immemor dictum homagium facias, omni difficultate ſublata. Licet enim Deus legatur pius & miſericors, legitur etiam Deus ultionum: horrendum autem eſt in manus illius incidere, quæ nequeunt ab aliquo evitari. Dat.* III. *non. decembris anno* XVII.

XIX. Inter Ungarum & Siculum controverſia.

Ad elidendas alias diſſenſiones, quæ in Sicilia poſt Roberti Regis mortem de regni ſuceſſione erupturæ timebantur, cum Carolus Ungariæ Rex Caroli Martelli majoris natu filii Caroli II. jure regnum ſibi debitum contenderet, ex Bonifaciana vero conſtitutione (*d*) regni jura in Caroli ducis Calabriæ filias tranſfundenda eſſent, Pontifici ac Siciliæ & Ungariæ Regibus viſum eſt, diſcordias omnes facile conciliatum iri, ſi Ludovicus & Andreas Regis Ungariæ filii Joannæ & Mariæ ducis Calabriæ filiabus matrimonio conjungerentur: de quo fœdere inito apoſtolicæ extant literæ (*e*). Inventum porro Caroli olim ducis Calabriæ Joannæ & Mariæ parentis, ad quem ſi Roberto ſuperſtes fuiſſet, Siculum regnum ſpectaſſet, corpus poſt plures annos corruptionis expers; cum ſepulcrum apertum eſſet, ut in eo uxoris defunctæ hoc anno corpus conderetur: de quo Pontifex hæc ad Sanciam Reginam Caroli matrem, ſcripſit (*f*).

(*d*) *Ext. Annal. to.* XIV. *ann. Chr.* 1297. *n.* 53.

Quæ concordiæ ratio quæſita.

(*e*) *To.* 8. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 241.

(*f*) *Ib. pag.* 244.

*Joannes, &c. Reginæ Siciliæ.*

Ducis Calabriæ corpus incorruptum.

*Læta mixta triſtibus nobis his diebus geminæ literæ regiæ nunciarunt. Nunquid non triſtitia plenum audire, illas infantulas inclytas filias quondam ducis Calabriæ matris privatas cura & ſolicitudine extitiſſet? Utique plenum earum charis triſtitia & mœrore. Nunquid plenum lætitia corpus ducis præfati integrum poſt tanti temporis ſpatium reperiſſe? Utique & hoc unicuique fideli conſolationis & gaudii materiam ſubminiſtrat. Gloria ſit illi, qui duciſſam de hujuſmodi miſeria ad ſuam vocavit gloriam, corpuſque ducis integrum tandiu voluit conſervare, &c. Dat. kal. februarii anno* XVII.

XX.

Abripi (*g*) ſe ſinebat in exitium ſtudio pietatis, cui addictiſſima erat, Regina: cumque Franciſcanum ordinem ſingulari obſervantia complecteretur, ut ipſius literæ ad ejuſdem ſodalitii religioſos viros datæ indicant (*h*), a nonnullis pſeudominoritis labe Michaelis Cæſenatis inquinatis ſubornari ſe paſſa eſt: adeo, ut adverſus Geraldum ſupremum Minoritarum perfectum, vocantem in jus perverſos eos hypocritas plura tentaret, faveretque ſchiſmaticis & hæreticis, pios vero inſectaretur. Quibus malis ut mederetur Pontifex, Robertum Regem docuit (*i*) a pontificali conſtantia abhorrere peſtiferam patientiam, quæ alienis peccatis parcendo ſibi non parcat, fraterculoſque ad officium revocandos eſſe.

(*g*) *Ead. pag.* 244. & *pag.* 299.
(*h*) *Ext. apud. Vvad.* 2331. *n.* 8.

Regina Siciliæ fraticellorum inſidiis obſeſſa.

Minoritarum præfectum perſequitur.

(*i*) *Ext. de his lit. in rotulo MS. arch. Vat. Avin. ſignat. n.* 204.

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Siciliæ illuſtri.*

*Receptis noviter & perlectis literis regiis, in quibus inter cætera magnitudo regia proceſſum citatorium dilecti filii Geraldi Othonis miniſtri generalis Minorum contra Petrum de Cadeneto & Andream*

*de*

Protegit fraterculos.

*de Galiano ſui ordinis habitum arguebat, non ſuffecimus nec adhuc ſufficimus admirari. A regia ſiquidem memoria excidiſſe non credimus, quomodo dudum nobis repetitis etiam vicibus ſcripſerit, quod exoſam pariter & ſuſpectam habebat admodum converſationem & aſſiſtentiam dicti Petri circa Reginam filiam noſtram chariſſimam in Chriſto, conſortem ſuam, quod eam inſtrueret perverſis dogmatibus, & ipſa quoque id affirmaret, nec ſperabat regia providentia, quod Regina ipſa ſibi aut nobis eſſet obediens quandiu aſſiſteret ille ſibi: ideoque poſtulabat regalis excellentia, quod omnino ipſum procuraremus elongari ab ea. De Andrea vero præfato exiſtit notorium, quod fautor & de ſequela damnati Michaelis extitit & exiſtit, & ex multis cauſis aliis de hæreſi & ſchiſmate noſcitur vehementer eſſe ſuſpectus. Cur igitur moleſte gerat tua ſerenitas, ſi eos nos velimus corrigere, ſine dubio rationabiliter non videmus.*

Minoritas vero lædit.

*In his, fili chariſſime, non decet nos nec ipſum talia conniventibus oculis pertranſire. Abiicienda quidem prorſus eſt a ſacerdotali vigore peſtifera patientia, quæ ſibimet peccatis aliorum parcendo non parcit: & ſi Regina præfata contra dictum generalem irritetur, & ad ipſius diffamationem intendat, provideat tua & ipſius prudentia, ne potius in veſtri utriuſque honoris diſpendium (quod verendum eſt amplius) hoc valeat retorqueri. Oportebit etiam ipſum & fratres fideles ejuſdem ordinis, qui ex multis contra dictum miniſtrum attentatis reperiunt in ejus perſona eorum ordini graves ac atroces injurias a Regina ſpecialiter irrogatas, loqui & ad ſuam excuſationem ſcribere, ac proponere in diverſis mundi partibus, quanto diſcrimini exponit Regina ordinem antedictum, favendo ſchiſmaticis & hæreticis apoſtatis dicti ordinis, eoſque undecumque veniant recipiendo & abunde neceſſaria miniſtrando, & perſequendo fideles, non ſinendo, quod ſuum in fratres dicti ordinis ſibi faventes, ſeu ipſam potius ſeducentes, valeat officium exercere; nec non (quod eſt utique gravius) non ſinit inquiſitores hæreticæ pravitatis & prælatos contra ſuſpectos, immo hæreticos ſuum officium exercere: quinimmo per violentiam de manibus prælatorum literas apoſtolicas ſuper dictæ inquiſitionis officio ſibi miſſas rapere non expavit. Hæc & alia, quæ in partibus illis ſunt notoria, quæque fama publica in diverſis partibus publicat notoria, nec non & multa alia proponere poterunt, a quibus nequaquam tua erit apud intelligentes perſonas magnificentia excuſata. Super iis autem dictæ Reginæ ſcribimus in forma, quam continet cedula præſentibus interclusa. Dat. Avin.* III. *id. martii anno* XVI. Extant eæ Pontificis literæ (a) ad Reginam datæ, e quibus eam partem decerpimus, qua Joannes ipſam placide adhortatur, ne hypocritarum præſtigiis & dæmonum laqueis ſe irretiri ſinat.

Obſiſtit fidei cenſoribus.

(a) To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 244.

Pontificia ad Sanciam monita.

*Joannes, &c. Quia prædicta, qualiacumque fuerint acta, credimus a pacis æmulo & charitatis invido, qui tuæ & fratrum charitati invidens, ad ipſam inficiendam virus ſuæ malitiæ non omiſit infundere, procurata; rogamus circumſpectionem reginalem attente, ut illi curet reſiſtere fortis in fide, illudque ſibi Apoſtoli dicere: Quis me ſeparabit a charitate Dei? ac eidem cum Apoſtolo reſpondere, certa ſum quod neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia me a charitate Dei poterit ſeparare, & quia charitas Dei ſine charitate proximi non habetur, attende filia chariſſima ne hoſtis illius aſtutia te ab ea valeat ſeparare: quod ille dignetur concedere, cui cum voluerit ſubeſt poſſe. Dat. Avin.* IV. *non. ſeptemb. an.* XVII.

XXI. Navata eſt a Pontifice plurima opera, (b) ut pacem inter Genuenſes, & Aragonium Balearemque Reges, Roberto Neapolitano Rege interprete, redintegraret; ſed cum illatas injurias Genuenſibus, ac damna ſarcire Catalani cunctarentur, Genuenſes armis repetere amiſſa decrevere; atque adulta æſtate inſtructa valida claſſe maritimam Cataloniæ oram ferro, flamma, rapina fœdarunt (c), indeque inſulas infeſtarunt Baleares. At Pontifex, accenſum crudeliter bellum reſtinguere cupidus, iterum Aragonium & Balearem Reges de redintegranda concordia interpellavit (d), ac pacis arbitri nomine de ſarciendis hinc inde acceptis illatiſve damnis ſententiam tulit: atque Alfonſum Aragonium VI. id. decembris ad amplectenda pacis conſilia excitavit, monuitque Genuenſes pontificio decreto ſe accommodaturos: quantas ex Genuenſi bello Mahomades Granatæ Rex ad invadendum Valentinum regnum vires colligeret. Non enim Genuenſi ſolum bello, ſed Saracenico quoque implicitum fuiſſe Alfonſum Regem Aragonum refert Surita (e), ac Radoanum Regis Granatenſis ducem cum triginta peditum ac decem equitum millibus in Valentinum regnum irrupiſſe, munitumque oppidum, cui Elche nomen, menſe aprili obſidione cinxiſſe: ſed cum Alfonſus cum exercitu in ſubſidium advolaſſet, caſtra inde moviſſe. Traxit (f) Mahomades Rex Granatenſis in Hiſpanias ex Africa Abomelicum Regis Marrochitani filium, qui magno ſuccinctus exercitu fretum trajecit, utque cum Granatenſi convenerat, Algeziræ & Arundæ Regem ſe dixit. Moliebatur barbarus u-

(b) Ead. p. 2. ep. ſecr. pag. 245. & 264.

Grave inter Catalanos & Genuenſes bellum.

(c) Jo. Vil. l. 10. c. 207.

(d) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 153.

Genuenſium in Catalan. & Baleares excurſiones.

Pontifex recrudeſcens bellum ſopire ſtudet.

Granatenſium in regnum Valentinum irruptio.

(e) Sur. l. 7. c. 18.

(f) Jo. Mar. l. 16. c. 2.

Afri in Hiſpanias traiiciunt.

ni



niverſas Hiſpanias ferro ſubigere, ac ſeptem millia equitum tranſvexit.

Heracleam obſident.

Caſtellæ Rex juſte vexatur.

Metuebant Aragonii ne impetus in Valentinum regnum converteret, cum in Caſtellæ Regis terras excurrit, atque Heracleam in freto Gaditano arcem munitiſſimam, ut ea obtenta auxilia facilius ex Africa eliceret, obſidione cinxit. Juſtum ſane hoc divinæ in Alfonſum Regem Caſtellæ ſupplicium extitit, ut a ſerpentibus, quos foverat in ſinu, laniaretur: ſi verum eſt quod refert Surita (a) dum Francorum, Navarræ, Aragoniæ, Angliæ, Scotiæ Reges, ac maxima principum multitudo paribus conſentirent ſtudiis, ut Saraceni univerſa Hiſpania junctis armis pellerentur, in eam veſaniam abripi ſe paſſum eſſe, ut ex invidia prius arma cum infidelibus adverſus Chriſtianos Reges conjungere decerneret: quas autem pactas inducias ad excuſandum livorem obtendebat, primi Granatenſes lædendi illius cauſa violarunt. Inſtitutam porro hoc anno ab eodem Alfonſo Caſtellæ Rege novam militiam, cui Bandæ nomen erat, narrat Mariana (b): illum baltheo militari donatum Compoſtellæ, Burgiſque inunctum; regium inſigne Limia præſule Compoſtellano ſacris operante, accepiſſe, Africanorum vero irruptione conturbatum, dum impudicis Guſmaniæ pellicis amoribus indulgebat.

(a) Sur. l. 7. c. 14.

Militare ſodalitium ab eo inſtitutum.

(b) Mariana. l. 16. c. 2.

XXII. Irrumpebant Marrochitani ex Africa in Hiſpanias, cum Turcæ Orchanis Regis juſſu ex Aſia, quam ſuæ tyrannidis jugo ſubjecerant, in Europam proferre victorias meditati, ducentarum & octoginta majoris vel minoris alvei navium claſſem contraxere, atque impoſitis quadraginta Turcarum millibus, Conſtantinopolim tentarunt: urbemque in diſcrimen adductam refert Joannes Villanus, (c) niſi Veneti ac Genuenſes opem tuliſſent. Subierat Andronicus in carcere graviſſima incommoda, de quibus hæc Nicephorus Gregoras (d): *Imperator avus, corrupto ex acerbitate doloris corporis habitu, alterius oculi uſum amiſit; nec multo poſt alterum etiam, & deinceps in perpetua nocte vixit, ac ut ſacræ literæ loquuntur, potum ſuum fletu miſcuit & panem doloris comedit: omitto enim illuſiones, & fœda convicia, quibus & cuſtodes eum & famuli laceſſebant.*

Turcicæ in Græcos graſſationes.

(c) Jo. Vil. l. 10. c. 204.

Andronici Imp. calamitas.

(d) Greg. hiſt. l. 9.

Excepit Andronicum ſeniorem in eo carcere alia gravior calamitas, cum nepos Imperator morbo implicitus in extremum vitæ diſcrimen adductus eſſet: ne enim nepote extincto reſtitueretur imperio, data illi optio eſt, an monaſticum habitum induere, an aliud ingens malum pati mallet, nimirum aut violentam necem, aut exilium, aut duriora vincula. Quo terrore oppreſſus diu in lecto ſine voce jacuit: cumque orbus oculis quo ſe conferret ignarus eſſet, volens nolens attonſus, & nomine Antonii impoſito religioſo cultu indutus eſt: deinde extortum ab eo ſacramentum, imperatoriam poteſtatem nunquam ſe ambiturum, vel oblatam admiſſurum: quæ ſi recuſaſſet, de inferenda ei nece ſumptum conſilium: *Ille vero*, ut ait Gregoras, *rurſus perterritus & vitæ timens, invitus illud etiam eſt aſſenſus: & quia cœcus erat alio manu ducente, ſuperne rubram crucem, inferne nigram geſtans vivere ſitus eſt*. Exegit in eo monaſtico habitu biennium, ut narrat idem auctor, innumeris malis conflictatus, ac demum in ſumma egeſtate diarrhœa ex nimio aquæ potu & teſtaceorum eſu correptus, in latrina noctu omni deſtitutus humano auxilio die qua ſancti Antonii, cujus nomen ſumpto habitu monaſtico acceperat, memoria recolitur, obiit; unde nutant quæ de pia ejus morte refert Gregoras, nec aſtruere facile poteſt, a quo illa acceperit. Hic ergo Andronici ſenioris miſer exitus fuit, ob cujus ſchiſma Turcarum armis Græcorum imperium collabi cœpit. Exinde vero liberas illius habenas, extincto avo, Andronicus junior retinuit.

Invitatus diadema cucullo mutat.

Addita cæteris malis cœcitas.

In Latrina moritur.

XXIII. Cæterum Latinorum opera propulſati Conſtantinopoli Turcæ in archipelagi inſulas furorem convertere, ac decem Græcorum millia & eo amplius in ſervitutem abduxerunt. Euboea ſive Negrepontus eo terrore compulſa eſt ad annuum vectigal, ac tot malis conflictati Chriſtiani profuſis clamoribus Pontificis ac Regis Francorum opem ſupplices implorarunt. Affectos porro damnis ingentibus Venetos, ex literis pontificiis ad Franciſcum Dandulum ducem ac ſenatum Venetum colligitur, quibus Joannes auxilia promptiſſima adverſus Turcas, ac majora cum Regis Francorum oratores acceſſerint, pollicetur (e). Indicat vero, divinam juſtitiam barbarorum excurſionibus ipſos ob toleratos in eorum terris ſchiſmaticos & hæreticos infeſtari paſſam, neque unquam felicius de infidelibus triumphaturos, quam ſi ſchiſmaticos & hæreticos ad fidei orthodoxæ cultum revocarent.

Euboea Turcorum vectigalis.

(e) To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 327.

*Duci & communi Venetorum.*

*Amara fuit petitio, quam miſſæ nobis veſtræ literæ miniſtrarunt: per eas quidem diſplicenter nimis accepimus, quomodo illa fera beſtia Turcica vos gravavit in perſonis & rebus crudeliter his diebus. Super quo cum fratribus noſtris deliberationem habuimus, & de remediis certis cum eorum ordinavimus conſilio, quæ Deo dante cito realiter exequemur, & in adventu nunciorum chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Regis Francorum illu-*

Imploratum Pontificis auxilium.

Admoniti Veneti, ne Græcanicos errores tollerent.

*ſtris, quem præſtolamur vicinum, de amplioribus exhibendis etiam, divina ſuffragante gratia, diſponemus. Sane, filii, attendite ne propter veſtram negligentiam, qui ſchiſmaticos & Dei inimicos in terris veſtris tenetis & recipitis, hæc contingant: legimus enim, per inimicos Dei & populi Iſraelitici eundem populum Iſraeliticum dure ſatis Dominum flagellaſſe. Studete igitur ſchiſmaticos & hæreticos de terris veſtris eiicere, vel reducere ad eccleſiæ unitatem; quod ſi feceritis, ſperamus in Domino, quod quæ ipſe pater miſericordiarum ad vindictam præparaverat, ad tuitionem veſtram convertet: alias veremur, quod aggravare durius contra vos debeat manum ſuam. Dat. x. kal. auguſti anno* XVI. Deliberaturum

Cum Gallo de bello in Turcos, tractatus habiti.

(a) Ib. pag. 311.

de bello gerendo in Turcas ſpoponderat Venetis Pontifex cum Philippi Regis Francorum oratoribus, cum ille ſacro bello adverſus infideles pro Chriſtiano nomine gerendo arma devoviſſet, & kal. martii jam ante illius oratores ad ſedem Apoſtolicam, acceſſerant (*a*): cum vero ardua admodum eſſet rerum quas agitabant moles, Pontifex cum primis oratoribus neceſſaria ad Aſiaticam expeditionem conſtituere non potuit. Expectandi itaque alii oratores fuere, cum quibus res ſancita eſt, ut ſequenti anno videbitur, irrito tamen exitu.

XXIV.

(b) To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 364.

Leo Rex Armeniæ tuendis arcibus ſuis non ſufficit.

(c) An. 16. p. 2. ep. com. 1331.

Tendebat interea Armenia ad Pontificem principeſque occidentales ſupplices manus, copiaſque auxiliares ad retundendos Babylonii Ægyptiique ſoldani conatus depoſcebat (*b*). Exhauſtus vero adeo erat Leo Rex ob clades a barbaris illatas, ut reficere arces, militumque præſidia ſuſtentare non poſſet. Quod cum animadverterent Turcæ, ab eo Siquinum & Antiochetam emere voluerunt: at Rex dono tradere illas arces Rhodiis equitibus maluit, ut ipſas communirent, ac limitem tuerentur; qua de re Pontifex equitum hoſpitalariorum principem Helionum ſubjectis literis certiorem fecit (*c*).

*Magiſtro & fratribus hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani.*

Solicitatus a Turcis, ut Siquinum & Antiochetam ipſis vendat.

*Nuper chariſſimi in Chriſto filii noſtri Leonis Regis Armeniæ illuſtris ad noſtri apoſtolatus auditum inſinuatio devota perduxit, quod ipſe duo caſtra ſituata in marchia paganorum Turcorum, quorum unum Siquinum prope mare ad milliare, & aliud Antiocheta in rupe ſupra mare poſita nuncupantur obtinet, quæ progenitores ſui & idem Rex uſque ad hæc tempora ſervaverunt. Sed cum propter deſtructionem terræ illius ex cujus redditibus caſtra eadem ſervabantur, nequeant caſtra ipſa ulterius conſervari; ſintque pagani aliqui de Turchia, qui caſtra præfata empturos ſe offerunt pro certa pecuniæ quantitate, quorum verbis conſentire ſuper hoc ipſius Regis conſcientia contradicit, & aliqui de conſilio Regis prædicti ſuadeant, quod dicta caſtra funditus diruantur; idemque Rex paratus exiſtat vobis libere donare in perpetuum dicta caſtra cum juribus & pertinentiis eorundem, ut recipiatis donationem caſtrorum ipſorum, illaque cuſtodiatis, & ut veſtra propria inhabitetis & defendatis, ne ad manus dictorum perveniant paganorum, idem Rex nobis humiliter ſupplicavit, ut vobis ſuper his ſcripta noſtra dirigere, ſeu circa ea ordinare aliud, vel dicto Regi deliberate conſulere, quid agere habeat in præmiſſis, juxta ſedis Apoſtolicæ providentiam dignaremur.*

Hoſpitalariis ea tradere potius optat.

*Quia igitur veſter militaris ordo eſt infra hujus machinæ mundialis orbitam, & principalius in partibus terræ ſanctæ per dictæ ſedis providentiam inſtitutus, & ex largitionibus Chriſti fidelium, multiplicante Domino, in bonis temporalibus adauctus, & longe lateque diffuſus, & tam in ſpiritualibus, quam in eiſdem temporalibus per ſedem privilegiatus eandem, ut defenſetis Chriſticolas & loca divini cultus, ac inimicis Chriſtiani nominis reſiſtatis fortiter, ipſoſque viriliter impugnetis; nos devotum & ſincerum prædicti Regis in hac parte zelum digne ratum & gratum habentes, & cupientes pro tranquillo & ſecuro ſtatu Chriſtianorum illarum partium, eum ſortiri effectum proſperum & votivum, quodque ad hoc per vos, juxta veſtræ facultatis ſuppetentiam quantum ſeſe ad id extenderit ſalubris & utilis executionis opera impendatur, diſcretionem veſtram attente requirimus, monemus, & hortamur in domino Jeſu Chriſto, vobis nihilominus injungentes, quatenus ſi vobis viſum fuerit, quod caſtra poſſitis defendere ſupradicta hujuſmodi, eorum donationem cum omnibus juribus & pertinentiis ipſorum liberam & perpetuam pro vobis & ſucceſſoribus & hoſpitali veſtris recipiatis,* & infra, *& attendatis, quod exinde Jeſu Chriſto redemptori noſtro gratæ devotionis obſequium impendatis & exhibeatis vos potenter perſonarum & locorum dictorum fidelium præcipuos defenſores; ac exinde, præter æternæ ſalutis fructum vobis propterea ex divina gratia proventurum, famoſum proinde laudis humanæ præconium acquiratis. Dat. Avin.* IV. *non. aug. anno* XVII.

Moniti iidem ut ea defendenda accipiant.

XXV.

(d) To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 364.

Genuenſes & Piſani ad mutuam concordiam excitati.

(e) Ib. pag. 102.

Permulſit etiam Pontifex (*d*) Leonem Regem ſuſcipiendæ a Gallo expeditionis, ſubſidiariique in Armeniam exercitus ſpe: tum Genuenſes Piſanoſque, ut mutua injuria ſibi temperarent, extraherentque Roberto Rege arbitro inducias ne ſacri belli diſturbaretur apparatus, monuit (*e*). Sed Philippus Francorum Rex parum nuncupati voti memor



Phil. Rex de parando bello ſacro parum ſolicitus.

(a) Ib. pag. 214. & MS. arch. Vat. Jo. variar. bull. ſign. lit. A. pag. 163.

mor principum, ac præcipue Angli neceſſaria fœdera ſibi non conciliabat. E quidem illum hoc anno, cum funeſti belli Anglici ſemina jacerentur, corripuit Pontifex (*a*), parum liberaliter in Eduardum III. Anglorum Regem ſe gerere, quem beneficiis ſibi devincire deberet, ut comitem laborum & gloriæ in Aſiatica expeditione ſibi aſciſceret: illum, ut ex ejus oratoribus acceperat, ad bellum ſacrum egregie affectum eſſe: auctorque extitit ut terras illas, quas ſummo jure ſibi vendicaret, regia in eum magnificentia conferret.

*Joannes, &c. Philippo Regi Francorum.*

*Noſſe circumſpectionem non ambigimus regiam, quod intentus pluribus minor ſit ad ſingula ſenſus, quodque virtus unita fortior noſcitur ſe diſperſa; ideoque aggredienti quid arduum admodum expedit, quod alia ſic curet diſponere, quod ad illud exequendum feliciter nequeant nocumentum afferre. Sane, fili chariſſime, quia ſcimus celſitudinem regiam aſſumpſiſſe negotium arduum, & utique Deo gratum, acceptum catholico populo, ſtatuique conveniens regio, paſſagium ſcilicet tranſmarinum, quod profecto totum ſcire ac totum poſſe requirit regium; regalem providentiam exhortamur in Domino, paterno nihilominus ſuadentes affectu, quatenus ad ea, per quæ præfati negotii impediri poſſit executio vel differri, ſic intendas providere ſedule, quod obeſſe nequeat executioni prædictæ.*

Increpitus ob laceſſitum Anglum.

De concordia cum eo jungenda admonitus.

*Verum, fili chariſſime, quia quantum ſincera charitas, ſi inter te & filium noſtrum chariſſimum Eduardum illuſtrem Regem Angliæ vigeat, afferre favoris & commodi præfati proſecutioni negotii poterit, quantumque veſtrum diſſidium eidem inferre poſſet obſtaculum, prudentia regia non ignorat; benevolentiam regiam rogamus attente, ut hoc cogitans & recogitans diligenter, ob honorem illius, pro cujus amore perſonam tuam laboribus & periculis variis ac regnum expenſarum profluviis ſpontanee ac lætanter exponis, ſic ad nutriendum inter te & ipſum unitatem ſpiritus in pacis vinculo diſponas animum regium, quod cujuſvis diſſidii inter te & ipſum occaſione ſublata, non ſolum ne tuæ intentioni obicem nequaquam ponat efficias, & eidem Regi occaſionem tribuas ut tuæ peregrinationis individuus comes fiat, id quod anhelare dicitur avide, ſi quæ nuper ſuis nunciis obtuliſſe diceris, digneris implere. Proculdubio, fili chariſſime, ſi vincula ſanguinis ac jus dominii, quibus tibi idem Rex aſtrictus noſcitur, conſideraveris diligenter, magnificentiæ regiæ nequaquam occurret difficile in iis, quæ idem Rex tecum habet agere, viam juſtitiæ in viam liberalitatis & gratiæ commutare, præſertim cum ipſum ejuſque poſteros tuis per hoc in perpetuum obſtringas obſequiis, &c. Datum Avin.* IV. *id. aprilis anno* XVII. Præſagiebat Pontifex Aſiaticam expeditionem Anglico bello diſturbatum iri, atque ideo, ut diſcordiarum ſemina tolleret, aliis II. kal. maii literis exaratis Philippum (*b*) Regem rogavit, ut Eduardum ſibi conciliaret, Reginamque (*c*) ac Philippum Regem Navarræ (*d*), ut omnem operam ad avertenda ex eo imminenti bello ſecutura mala collocare eſt adhortatus.

(b) Ead. p. 2. pag. 28.

(c) Ead. pag.

(d) Ead. pag.

XXVI.

(e) Ib. pag. 215. & MS. arch. Vat. Jo. bullar. ſelect. ſig. lit. A. p. 165.

Præterea implicantem ſe aliis bellis Philippum, fœdus enim cum Joanne Rege Boemiæ adverſus ducem Brabantiæ junxerat, a cœptis revocare ſtuduit (*e*).

*Philippo Regi Francorum.*

Hortatoriæ ad Francor. Regem lit. ne ſe bellis implicet.

*Et ſi generaliter in negotiis alicujus ponderis ſint tria, ſcilicet quid liceat ſecundum æquitatem, quid deceat ſecundum honeſtatem, & quid ſecundum utilitatem expediat, præcipue attendenda; tamen in arduis & periculoſis negotiis ſunt hæc diligentius merito obſervanda. Sane, fili chariſſime, ad noſtrum, non abſque admiratione, pervenit auditum, quod tua magnificentia his diebus ſubito aſſignatione dierum præfixorum ad inclytum principem dilectum filium Joannem ducem Normanniæ primogenitum tuum ad ſtatum militiæ promovendum, ejuſque matrimonium celebrandum, ac quantum ad crucis prædicationem tranſmarinum inchoandum negotium penitus revocata, diſpoſuiſti in ſuccurſum Regis Boemiæ illuſtris contra ducem Brabantiæ, inter quos hoſtis pacis gravis diſſenſionis ſuſcitavit materiam, cum principum & aliorum armatorum multitudine proficiſci. Profecto, fili chariſſime, res iſta ardua & periculoſa nimium eſt cenſenda: conſtat enim eventum varium & dubium eſſe belli, nuncque hunc, nunc & alium in illo conſumere gladius conſuevit: nec in multitudine bellantium eſt ſperandum, cum facile ſit Domino exercituum multos in manu paucorum concludere, nec in multitudine exercitus ſit victoria, niſi de cœlo proveniat fortitudo.*

Ne ſuis viribus fidat.

*Ideoque regalem providentiam rogamus in Domino & hortamur attente, ut præmiſſis in conſiderationem deductis, examinare cum viris Deum timentibus & expertis in talibus ſtudeat ſedule, utrum pro parte illius, cui diſponit aſſiſtere, bellum dici debeat eſſe juſtum: alias enim non eſſet tibi licitum te immiſcere talibus; immo cum periculo corporis & animæ talia attentares. Rurſus conſideranter attende, ſi regalem maturitatem deceat extra regnum ſuum ad bellorum diſcrimina proficiſci, teque tuoſque principes exponere bellorum eventibus dubiis ſic ſubito ſic repente. Adhuc prudentia regia conſiderare velit quæſumus ſedule, utrum ſi proficiſci expediens debeat, conſideratis bel-*

*lorum eventibus dubiis, reputari. Nec omittat in examinatione deducere, ſi caſus adverſus in bello ſibi, quod Dominus avertat, contingeret quanta poſſent imminere regno pericula; immo certe gregi dominico univerſo. Nec oblivio ſupprimat, quin ad memoriam revoces, quam ex iſto progreſſu detrahi poterit negotio tranſmarino, quantumque grave ac moleſtum tibi eſſe poterit, ſi quæ diſpoſueris ad Dei honorem, tuæque ſalutem animæ expendere, te contingat conſumere in iis, quæ forſan nec Deo erunt grata, immo potius diſplicibilia, nec tuæ ſaluti animæ profutura.*

Solicitatus ad expeditionem Aſiaticam promovendam.

*Conſideret inſuper regia celſitudo, quod Rex & dux prædicti ſibi ſunt affinitate conjuncti, ſecundo quod decentius eſſet magnificentiæ regiæ, Deoque acceptius videretur, quod ſe inter eos mediatorem conſtitueret, ipſoſque laboraret ad pacem & concordiam reducere, ac tantis liberare periculis, quanta utrique eorum ſuiſque valitoribus eorum comminatur diſſenſio, quam uni parti aſſiſtendo nutrire inter ipſos diſcordiam, & augere diſcrimen. Nos in his, quia forſan multa nos latent, quæ circumſpectio regia non ignorat, unum ſuadere ſimpliciter non præſumimus, ſed optamus, quod celſitudo regia deducat in conſiderationem præmiſſa, omnibuſque in conſiderationem deductis, illud eligat, quod Deo acceptius æſtimabit; quod tibi dignetur concedere, cui cum voluerit ſubeſt poſſe. Amen. Dat....*

Philippus Rex inter Boem. & Brabant. pacis interpres.

Pontificiis monitis obſecutus eſt Francorum Rex, paciſque inter ducem Brabantiæ & Boemum interpretem egit. Initæ itaque inter diſſentientes ad decimumquintum a feſto S. Joannis recurrentem diem induciæ, ac Joannes Rex in Bavariam profectus eſt; dux vero Brabantiæ ad aulam Gallicam pro componenda controverſia ſe conferre conſtituit: conciliatam vero poſtea diſcordiam maximo argumento eſt, cum Rex arctiori fœdere Brabantinum ſibi devincire cupiens, de Maria filia ſua illius primogenito jungenda matrimonio hoc anno agitarit (*a*). Cæterum Carolum Alenconii comitem Philippi fratrem, more majorum caſtrum Mercolii beneficio auctoritateque ſedis apoſtolicæ obtinere profeſſum, fidem obſtrinxiſſe, ſignificavit eidem Regi Pontifex, & in Gallias redeuntem regiæ benevolentiæ commendavit (*b*).

(*a*) *To.* 8. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 208.

Mercolium ſedis Apoſtol. vectigale.

(*b*) *To.* 9. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 105.

XXVII. Ungari in Ruthenos expeditio.

Suſcepit (*c*) ſacrum adverſus Ruthenos ſchiſmaticos, & alios finitimos catholicæ pietatis hoſtes, bellum Carolus Ungariæ Rex: cui Pontifex ejuſque exercitui, cum adverſus infideles caſtra promoveret, carnium eſum diebus vetitis permiſit (*d*). Confirmabatur earum partium infidelium potentia ex Wladiſlai Regis Poloniæ & cruciferorum equitum ſæviſſimo bello, cum iis qui infideles & barbaros contundere ſolerent, mutuis ſe cladibus conficerent. Et quidem ſuperiori anno cruciferos gemina acie deletos, ac ſpolia, quæ e vaſtata Polonia referebant, amiſiſſe, refert Cromerus. Hortatus vero hoc anno eſt idibus aprilis Wladiſlaum Pontifex (*e*), ut cum cruciferis pacem faceret, ne barbari e mutuis illorum diſſenſionibus triumpharent, atque ad rem Chriſtianam opprimendam vires colligerent. Agitatum vero inter eos eſt, ut ipſorum controverſiæ, quæ de Pomerania vertebantur, Joanni Regi Boemiæ a cruciferis, & ab Wladiſlao Regi Carolo Ungariæ arbitris permitterentur. At cum Pomeraniam, quam Polonis eripuerant, reſtituere abnuerent cruciferi, pax tum confici non potuit, & graviſſimæ clades utrinque acceptæ, illatæque. Denique cruciferorum ordinis princeps Lutherus, miſſo pacis interprete, æquas ſe concordiæ leges admiſſurum eſt pollicitus, induciæque annuæ pactæ ſunt adhortationibus Pontificis, cujus literæ eo argumento plures in regeſto extant. His vero conſtitutis Wladiſlaus traduxit belli molem in eos duces, qui ab ipſo ad Joannem Regem Boemiæ deſciverant, atque in Sileſios, qui ſuperiori anno infeſta ei arma intentarant. Reverſus porro victor Wladiſlaus febrili languore tentari cœpit, de quo inſequenti anno extincto recurret oratio. Jam reliquam hujus anni hiſtoriam proſequamur.

(*c*) *To.* 8. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 238. & 239.

(*d*) *Ead. pag.* 239.

(*e*) *Ib. pag.* 260. *Mich. l.* 4. *c.* 12. *Cro. l.* 11. *in Vlad. Lock.*

Cruciferi ut cum Polonis fœdus agitant.

Induciæ inter illos & Polonum pactæ.

XXVIII. Pontificis in hæret. inſectandis curæ.

Navata eſt a Joanne Papa diligens opera in excindendis ex agro dominico hæreſeon vepribus: cum enim fama accepiſſet in Jacobi Regis Balearium terris nonnullos ea labe inquinatos deliteſcere, & alios, qui judicium declinabant, eo ſe conferre; Guidoni epiſcopo Elnenſi, de cujus operibus antea memoravi, provinciam impoſuit (*f*), ut in eos legum ſeveritatem diſtringeret: tum Jacobum ad zelum regium in fide ab omni impuritate vindicanda explicandum excitavit. (*g*) Provexit Rex pontificia ſtudia, atque ad omnes hæreſes e ſuo regno radicitus evellendas operam ac potentiam detulit: cujus eximium, quod in ea re pietatis ſpecimen enituerat, meritis laudibus extulit Pontifex, utque præcipuum in principe ornamentum fidem & religionem coleret, eſt adhortatus.

(*f*) *To.* 9. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 150. & 151.

Guido Carmel. epiſc. Elnenſis cenſor fidei acerrimus.

(*g*) *Ead. pag.* 151.

*Jacobo Regi Majoricarum.*

Balearis Rex ob fidem defenſam commendatus.

*Quam laudabiliter zelo charitatis accenſus ad tuendam veritatem catholicæ fidei, ejuſque proſequendum æmulos, fili chariſſime, movearis tam tuæ, quam venerabilis fratris noſtri Guidonis epiſcopi Elnenſis nobis literæ nunciarunt: quod utique Deo ad gloriam, tibi ad meritum, angelis & bonæ voluntatis hominibus cedit ad gaudium, & cæteris catholicis principibus ad exemplum. Hæc, fili dilectiſ-*

*ſime,*



*ſime, ſi in ipſis perſtiteris reddente te Deo acceptabile in præſenti: per hæc illam in futuro coronam recipies, quam Dominus diligentibus ſe repromiſit. Et quia nihil eſt, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in principe, quæ cum veritatem reſpiciat luminis, & tenebras reſpuit, & neſcit defectui ſubjacere; excellentiam regiam rogamus attente, ut donum iſtud illi, a quo deſcendit omne datum optimum & omne donum perfectum attribuens, de tam excellenti munere non omittas gratias jugiter exhibere. Nos autem divinam potentiam cernui exoramus, ut ſemen, quod in te jecit, nutriat, & uſque ad producendum fructum optatum quibuſcumque ſublatis producat obſtaculis; teque in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc religionis ſtudio ſine defectu in tempora longiora conſervet. Dat.* v. *id. novembris anno* XVII. Conſenſiſſe verbis in aſſerenda fide contra impios hæreticorum conatus Jacobi Regis opera, aliæ indicant literæ (*a*), quibus aſcripta eſt dies v. kal. januarias.

(*a*) *Pag.* 152.

XXIX. Bandinus pſeudominor. ſupplicio juſſus affici.

Pari in hæreticos odio permotus ac zelo in apoſtatas & Fraticellos, de paupere vita nuncupatos, in Sicilia Pontifex Amalfitanum epiſcopum legibus agere juſſit (*b*), ac de Bandino pſeudominorita, qui epiſcopatum Cremonenſem ab antipapa exambiverat, Placentiæ carceri mancipato, *ſecundum canonica jura ad Dei laudem & gloriam*, ut ait, *ac honorem & exaltationem fidei catholicæ, ſupplicium ſumi* (*c*). De alio etiam pſeudominorita, qui Peruſino conventui præfuerat & in cuſtodia tenebatur, eo quod contra apoſtolica edicta Michaeli exauctorato & damnato hæreſeos adhæſerat, Ugolino epiſcop. Peruſino imperia dedit (*d*), ut cœptam ab ipſo tunc abbate & a Franciſco prædeceſſore in eundem actionem judiciariam ad exitum perduceret.

(*b*) *To.* 8. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 226.

(*c*) *Ib.* 293.

(*d*) *An.* 16. *p.* 2. *ep. com.* 1547.

*Joannes, &c. Ugolino epiſcopo Peruſino.*

Minoritarum Peruſin. cuſtos Michaeli hæreſ. addictus.

*Quia Humilis cuſtos fratrum ejuſdem ordinis in provincia S. Franciſci, ad illicita & inconſulta dilapſus, tam in capitulo ſuo dudum celebrato Peruſii, quam in locis aliis diverſis multa contra tenorem proceſſus & monitionis prædictorum,* nempe in Michaelem Cæſenatem exauctoratum, *adhærendo dicto Michaeli, ac in ipſius ſuorumque complicum & rebellium hæreticorum ac ſchiſmaticorum commendationem & favorem, diffamationemque ac detractionem proceſſus prædicti & contentorum in ipſo dixiſſe, procuraſſe, ac feciſſe, non ſine ſuſpicione vehementi hæreſis & ſchiſmatis criminum, ferebatur; nos tibi tunc abbati monaſterii S. Petri Peruſini, & bonæ memoriæ Franciſco epiſcopo Peruſino proximo prædeceſſori tuo, ejus & tuo proprio nominibus non expreſſis, per apoſtolica ſcripta commiſimus, & mandavimus, ut ſuper præmiſſis & ea tangentibus ſummarie, ſimpliciter, & de plano, & ſine ſtrepitu ac figura judicii veritatem diligentius inquirentes, præfatum Humilem, ſi eum reperiretis culpabilem in hac parte, excommunicationis, depoſitionis, & inhabilitationis pœnas declararetis incurriſſe prædictas, ipſumque alias juxta ſanctiones canonicas etiam ad degradationem, ſi hoc delicti qualitas exigeret, procedendo taliter corrigere ac punire, non obſtantibus ſupradictis omnibus ſtuderetis, quod talia vel ſimilia ex tunc minime attentaret, aliiſque ipſius exemplo perterritis merito præcluderetur aditus in ſimilibus delinquendi, &c.* Addit imperia, ut Ugolinus ipſe ex legum ritu Humilis cauſam diſcutiat, ac vel inſontem abſolvat, vel ſontem plectat. *Dat. Avin.* III. *non. ſeptembris anno* XVII.

In eum judiciaria actio inſtituta.

XXX.

Graſſabantur liberius per ea tempora in Germania Michaelis ſocii pſeudominoritæ, neque in Bavaria modo, ſed in finitimis etiam provinciis apoſtolicis conſtitutionibus detrahebant: quæ lues ne latius ſerperet in Boemia, Pontifex in eos cenſuram fidei diſtringi juſſit (*e*).

(*e*) *Lib. bull. ſelect. Jo.* XXII. *ſign. lit. A. pag.* 141.

*Joanni præpoſito ſæcularis eccleſiæ Vicegradenſis Pragenſis diœceſis.*

Pſeudominoritæ Germaniam inficiunt.

*Fidedigna inſinuatione multorum accepimus, quod nonnulli fratres ordinis Minorum, in partibus Alamanniæ commorantes, in illam prorumpere inſaniam non verentur, quod contra conſtitutiones & determinationes ſedis Apoſtolicæ, matura deliberatione prævia dudum factas & editas, venire temere, ac hæreſes & errores per eaſdem conſtitutiones & determinationes damnatas prædicare ac dogmatizare, non abſque Dei offenſa, dictæ ſedis contumelia, fideique læſione catholicæ, ac ſuarum animarum & aliorum multorum gravibus periculis, in eiſdem partibus præſumpſerunt hactenus & præſumunt. Nos autem periculoſis diſpendiis, quæ ſecum trahere talium damnanda præſumptio noſcitur, obviari remediis ſalubribus cupientes, diſcretioni tuæ, de qua fiduciam in Domino gerimus ſpecialem, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus de hujuſmodi viris erroneis & hæreticalibus de plano, ſimpliciter, & ſummarie te informans, eoſque perquirens per te, vel alium, ſeu alios diligenter, ipſos ubicumque fuerint capere, ipſoſque captos ad ſedem Apoſtolicam expenſis noſtræ cameræ ſub fida cuſtodia fideliter, ut de ipſis poſſit exhiberi complementum juſtitiæ, non poſtponas; contradictores ſuper iis quoſlibet & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: non obſtante ſi eis vel eorum aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas apoſto-*

Comprehendi & vincti ad ſedem Ap. perduci juſſi.

*licas*

*licas, non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem; invocato ad hoc, &c. Dat... januarii anno* XVII.

Veri Minoritæ affecti honoribus. Alvarus Pelag. creatus epiſc. Coronenſis.

Ut vero pertinaces pſeudominoritas debita ſeveritate coercendos decrevit Pontifex, ita veros Minoritas pietate & doctrina inſignes honoribus affecit, inter quos hoc anno Alvarus Pelagius ob inſignes virtutes, doctrinæque præſtantiam, & in hæreticis & ſchiſmaticis confutandis plum ardorem, defuncto Albertino epiſcopo Coronenſi ſubrogatus eſt, ornatuſque hoc elogio (*a*): *Ad te ordinis fratrum Minorum profeſſorem in ſacerdotio conſtitutum, literarum ſcientia præditum, morum honeſtate decorum; in ſpiritualibus providum, & aliis multiplicibus virtutum meritis, prout fidedignorum habet aſſertio, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis*. Proximo poſt anno e Coronenſi epiſcopatu ad Silvenſem tranſlatus (*b*) ad reſtituendam in ea eccleſia diſciplinam eccleſiaſticam incubuit, paſſuſque eſt adverſantem ſibi Petrum archidiaconum Silvenſem, quem Pontifex acriter perſtrinxit (*c*).

(*a*) *An.* 16. *p.* 2. *ep. com.* 1566.

Ejus elogium.

(*b*) *An.* 17. *p.* 2. *ep. com.* 28.

Tranſlatus ad epiſc. Silvenſem.

(*c*) *An.* 18. *p.* 1. *ep. com.* 1066.

Exaravit porro hoc ipſo anno Alvarus inſigne ſui zeli monumentum, conſcripto de planctu eccleſiæ inſigni volumine, in quo libere & docte vitia, quæ in Chriſti fideles irrepſerant, perſtringit. Non tamen deeſt operi nævus, dum Peruſinorum cœtuum literas, & conceptas futiles circa paupertatem evangelicam opiniones ſtatuere vult. In quo ex apoſtolicis conſtitutionibus emendandus eſt, quod non inique feret cum ipſe eccleſiæ conjunctiſſimus adhæſerit, illique hiſce verbis ſua ſcripta ſubmiſerit (*d*): *Ad te, Papa beatiſſime domine Joannes XXII. vere Jeſu Chriſti domini noſtri in terris vicarie generalis, & ſponſe legitimæ eccleſiæ ſuæ ſanctæ, cum tuo venerabili & ſacro collegio dominorum Cardinalium genibus flexis dirigendo ſermonem, hoc opus, quod jam feciſti ſcribi, ſuppliciter recommendo; ipſum corrigas & corrigi facias: favorem ſibi largiaris. Salus ibi tua & noſtræ eccleſiæ continetur. Sicut etiam dixi in ſuo principio, ſic & nunc in fine ejus dico, nihil aliud ſentio, nec teneo, nec doceo, niſi quod ſentis, tenes, & doces cum tua ſancta matre eccleſia, quæ nunquam a veritate catholica deviavit*, XXIV. *q.* I. *Recta c. Memor. c. In ſede. Si ergo in aliquo ex ignorantia, vel improviſione, vel nimia occupatione ſicut homo minus bene dixi, per te*, LXIII. *diſt. Valentinianus, corrige; quia tibi præcipue Chriſtianæ religionis zelus incumbit*. XXIV. *q.* I. *Officii. Alia canonice dicta tua auctoritate corrobora & confirma*, XXV. *q.* II. *Poſtea. Complevi autem hoc opus, Dei gratia comitante, currente anno Domini MCCCXXXII. pontificatus tui anno* XVII. *in fine in feſto S. Mariæ nivis in Avenione, ubi tunc cum tua curia reſidebas; & incœpi anno Domini MCCCXXX. pontificatus tui anno* XIV. *in civitate eadem, ubi cum tua curia eras, & ego ſervus pedum tuorum & officialis indignus in pœnitentiariæ officio*. Editum tunc opus, quoad eam, præcipue partem, in qua pontificiam auctoritatem adverſus ſchiſmaticos & hæreticos tuetur; deinde Benedicto Pontifice auxit. In quo quidem nimio eloquentiæ æſtu abripi ſe ſinit, dum pungit liberioribus verborum aculeis Pontificum, Cardinalium, & præſulum externam amplitudinem: ſuorum vero ſodalium paupertati, accerſitis nimiis elogiis, lenocinatur. Scripſit idem auctor eruditas quidem alias elucubrationes (*e*), atque has inter apologiam adverſus Marſilium & Ochamum, & collyrium (*f*) adverſus hæreſes, quas quidem infeciſſe clam plures Chriſtianos plangit (*g*).

Circa paupertatem privatas opiniones tuetur.

(*d*) *Alv. Pel. l.* 2. *c. ult.*

Sua ſcripta cenſuræ eccleſiæ ſubjecit.

Quo tempore ediderit.

(*e*) *Luc. Vvad. in cat. ſcript. ord. Min.*

(*f*) *Alv. Pel. collyr. adv. hæreſ. MS. bibl. Vat. ſign. n.* 1129.

(*g*) *Lib.* 1. *de planct. eccl. c.* 67.

XXXI. In Pedemontio quidem Waldenſium peſtis adeo graſſata eſt, ut hæretici nefarios cœtus numero celebres cogere fuerint auſi, parochum Engravienſem in agro Taurinenſi obtruncarint, ac fidei cenſorem in caſtro, in quod ſe receperat, obſidione cinxerint. Ad quorum conatus reprimendos Pontifex Philippum principem Taurinenſem armorum vim ab eo intendendam docuit (*b*): coercita enim impietate de divino Numine optime meriturum. Nefariæ ſectæ ſignifer, & errorum ſator, quem Maſſilienſis inquiſitor Minorita in carcerem compegerat, erat Martinus Paſcre, qui inter alios errores divini Verbi incarnationem & Chriſti domini in Euchariſtiæ ſacramento præſentiam negabat. Is vero cum Taurinenſis principatus hæreticos, ſuæque ſectæ ſequaces, ac ritus & mores probe haberet exploratos, fidei in Inſubria cenſori tradi juſſus (*i*) eſt a Pontifice, ut ab eo hæreticorum nomina inquiri poſſent.

Waldenſes graſſantur in Pedemon.

(*b*) *An.* 16. *p.* 2. *ep. com.* 1269.

(*i*) *Ib. ep.* 1270.

*Dilecto filio Joanni de Badis ordinis fratrum Minorum inquiſitori hæreticæ pravitatis in civitate & diœceſi Maſſilienſi per ſedem Apoſtolicam deputato, vel ejus vicesgerenti ſalutem.*

*Nuper ex relatione dilecti filii Alberti de Caſtellario ordinis fratrum Prædicatorum inquiſitoris hæreticæ pravitatis, in partibus Pedemontis ſuperioris Lombardiæ auctoritate Apoſtolica deputati, ad noſtrum pervenit auditum, quod in vallibus Lucernæ & Peruſiæ, terris utique dilecti filii nobilis viri Philippi de Sabaudia domini Taurinenſis temporali dominio ſubjectis, ita creverunt & multiplicati ſunt hæretici, præcipue de ſecta Vvaldenſium, quod frequenter congregationes per modum*





*capituli facere inibi præſumpſerunt, in quibus aliquando quingenti Vvaldenſes fuerunt inſimul congregati; quodque dudum, cum præfatus Albertus vellet ibi inquiſitionis officium exercere, dicti Vvaldenſes contra ipſum Albertum inquiſitorem manu inſurrexerunt armata; & quod quadam die quondam Guillelmum rectorem parochialis eccleſiæ de Engravia Taurinenſis diœceſis, celebrata miſſa per eum, in platea dictæ villæ nequiter occiderunt, ſuſpicantes quod dictus rector eos penes inquiſitorem præfatum de ipſorum hæreſibus detuliſſet; quodque prænominati hæretici ipſum inquiſitorem in quodam caſtro patenter & publice obſederunt ſic, quod oportuit eum inde recedere, inquiſitionis ejuſdem officio relicto totaliter imperfecto; quodque tu Martinum Paſcre, qui alias ſe vocari fecit Petrum Martyri alias Juziani dictæ diœceſis unum de hæreticis ſupradictis detines in tuis carceribus mancipatum. Qui quidem Martinus principalis in dictis congregationibus & capitulis ipſorum hæreticorum exiſtebat, ac fugitivus omnium inquiſitorum, qui fuerunt in Pedemonte a viginti annis citra, & generalis prædicator hæreticæ pravitatis, quique ſpecialiter prædicat contra incarnationem Filii Dei, & eſſentiam corporis Chriſti in ſacramento altaris, & qui etiam ſcit totam conditionem terrarum dilectorum filiorum nobilium virorum marchionis Salutiarum, ac dominorum de Lucerna, & Philippi de Sabaudia prælibati. Cupientes igitur, ut idem Albertus inquiſitor de hæreſibus hujuſmodi & earum circumſtantiis univerſis plenam habere valeat veritatem, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Alberto copiam dicti Martini hæretici faciens, ipſum ſibi in loco tuto tradere & aſſignare indilate procures, ut idem inquiſitor poſſit inquirere ſuper iis tam contra Martinum, quam alios hæreticos memoratos; & etiam ipſos quæſtionare, ſi hoc juſtitia patiatur. Dat. Avin.* VIII. *id. julii anno* XVII. Ex his conſtat eos novatores, qui ad conciliandam recens confictæ ſuæ ſuperſtitioni antiquitatis auctoritatem jactitant, Waldenſes ipſorum ſectam tenuiſſe refellendos: quamvis enim Waldenſium par impietas fuerit in perneganda Chriſti præſentia in altaris ſacramento; alios tamen errores adverſus evangelium tenuere, quos recentiores non amplectuntur.

Guillelmus parochus ab iis cœſus.

Cenſor fidei obſeſſus.

Hæreticorum ſignifer.

Verbi Incarnationem & Chriſtum in Euch. pernegabat.

In eum & ſequaces judiciaria actio conſtituta.

Neoterici diſcrepant a Waldenſibus.

I. De bello ſacro decernendo agitatum. (a) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 5. 115. & 149. & p. 2. pag. 231.

INdicta (a) eſt a Joanne Papa ad recuperandum Chriſti domini ſepulcrum, reſtituendamque conſecratæ illius ſudoribus & cruore Palæſtinæ veram religionem anno poſt Chriſtum natum milleſimo trecenteſimo trigeſimo tertio indictione prima generalis Chriſtianorum, qui ex omnibus regnis pio ardore accenſi ad triumphalia crucis ſigna concurrerent, expeditio; præfectuſque ſacro bello Philippus Francorum Rex, qui excurrente a menſe auguſto triennio iter in Aſiam aggreſſurum ſacramento ſe obſtrinxit (b), eique ad tolerandos bellicos ſumptus ſexennales eccleſiaſticorum vectigalium decimæ attributæ (c), qua de re hæc Ptolemæus Lucenſis (d); *Anno dom.* MCCCXXXIII. VII. *kalendas auguſti in publico conſiſtorio, quod habuit Joannes Papa apud Avenionem in palatio ſuo, ad petitionem Regis Philippi Francorum paſſagium generale prædicavit, conſtituendo eum ducem illius exercitus, & decimas regni ſui ſibi per ſex annos conceſſit in ſubſidium terræ ſanctæ & paſſagii prædicti: eccleſiæ autem Romanæ per ſex annos decimas univerſalis eccleſiæ reſervavit ſimiliter pro paſſagio, quod incipiendum diſpoſuit a kalendis auguſti per tres annos proximos ſubſequentes.*

(b) Ead. p. 1. & pag. 115. Philipp. Rex expeditionis dux creatus. (c) Par. 2. ſuper pag. 231. (d) Ptol. Luc. hiſt. eccl. l. 24. c. 42.

*In prædicto etiam conſiſtorio Petrus archiep. Rothomagenſis, & Joannes epiſcopus Morenſis, & decanus Pariſienſis, & Henricus miles dictus de Algoria, habentes procuratorium ſufficiens, in animam prædicti Regis juraverunt, quod iret in propria perſona ultra mare, vel filius ſuus Rex Joannes, niſi cauſa legitima patrem impediret, quod paſſagium perficere non poſſet; & quod decimas prædictas ſibi per ſex annos conceſſas in alios uſus non converteret, quam in ſubſidium terræ ſanctæ, quam perſonaliter viſitare juravit per procuratores prædictos, ut ſupra eſt prælibatum.*

II. Extracta hæc fuerant ad plures annos ſacra conſilia, ac ſuperiori quidem miſſis frequentibus oratoribus, atque hoc etiam ineunte (e) ſummo labore & ſtudio agitata. Inter quæ Pontifex, cum ex Philippi literis accepiſſet, regium animum ex iis, quæ cum oratoribus de belli ſubſidiis erant conſtituta, ad inferendam Syriæ armorum vi religionem inardeſcere, ut magis inflammaret, de Chriſtianæ fidei in vaſtiſſimo Tartariæ imperio progreſſibus certiorem ipſum fecit (f), commendavit ob depulſum e populorum cervicibus, ſublatis nonnullis vectigalibus, durius ſervitutis jugum; hortatuſque eſt, ut ad cœleſtis ſponſi colligendam gratiam ſponſam ejus eccleſiam, atque adminiſtros ſingulari obſervantia proſequeretur.

(e) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 108. (f) Ib. pag. 111.

*Joannes, &c. Regi Franciæ.*

*Receptis literis regiis, & contentis in eis plenius intellectis, cum ex ipſius contentis edocti fuerimus plenius, accepta ſibi fore, quæ ſuper tranſmarino paſſagio per nos de fratrum noſtrorum conſilio cum ſuis nunciis fuerant ordinata, fervorque deſiderii regii adeo excreverit, quod illud providentia regia quantum poterit accelerare diſponit, cor noſtrum gaudio nec immerito replevit; illi cujus eſt ipſum negotium cernui ſupplicantes, ut ſic propoſitum regium in hoc ſolidet ac confirmet, ſicque obſtacula quæque ſubmoveat, quod illud, quod mente concepit, valeat adimplere. Et ut circumſpectio regia non ignoret quid Deus operetur in Tartariæ partibus, quæ utique conceptum debeant regium inflammare, nunciabunt illa ſcripturæ præſentibus interclusæ.* Amplificatam in Tartarorum imperio religionem, ac populos innumeros ad Chriſti cultum religioſorum virorum opera pellectos, videbitur inferius. *Adhuc illa, quæ circa revocationem revæ & quarundam commiſſionum, quæ videbantur in ſubditorum gravamine vergere, non abſque motione ſancti Spiritus operata eſt clementia regia his diebus, in cor noſtrum cumulaverunt profecto gaudium, & lætitiam infuderunt.*

Precatur illi Pont. in ſuſcepto conſilio conſtantiam.

Laudat ob temperatam vectigalium acerbitatem.

*Sane, fili chariſſime, quia non videtur quid actum, cum aliquid supereſt ad agendum, & ſuperſit reformatio gravaminum, quæ occaſione regaliæ eccleſiis inferuntur; rogamus excellentiam regiam, ut conſideranter attendens, quod modicum frumenti totam maſſam corrumpit, nec non & illud: Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus (præſertim cum directius offenſam Chriſti, ſponſi eccleſiæ reſpiciunt) * quam revocata præmiſſa non differat * informare; ſperamus quidem in Domino, quod ſi hæc digneris exequi, ſponſus ipſe te in agendis diriget, & proteget ab adverſis. Pro gratiis autem noſtris nepotibus, ſicut eædem literæ continebant, gratias offerimus benevolentiæ regiæ, quas valemus. Datum* VI. *nonas maii anno* XVII.

Monet ut imminuta eccleſiarum jura reſtituat.

* circa
* nos

Informabat his ſaluberrimis præceptis Pontifex Philippum Regem, ut piis operibus ac virtutibus munitus divinæ providentiæ ad perducenda ardua recuperandæ Syriæ conſilia ſe accommodaret. Cumque ille urgeret Pontificem, ut ſacrum in Mahumetanos Aſiaticos bellum indiceret, cruciſque explicaret ſigna; Joannes ex ſacro Cardinalium conſilio VII. kal. auguſti piis votis aſſenſit, ac tanquam ſummus Chriſtianorum antiſtes in III.

Chri-



Chriſti hoſtes, qui Palæſtinam Mahumetica fœdabant ſuperſtitione, bellum indixit (a), diſcuſſa prius magna conſilii maturitate re univerſa, initiſque cum regiis oratoribus pactionibus, quæ ſubjectis literis continentur: quarum ea præcipua eſt, ut vertente triennio Philippus in Aſiam crucis ſymbolo inſignitum exercitum traduceret.

(a) An. 17. p. 2. ep. com. 1345.

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Francorum illuſtri ſalutem.*

*Mira & ineffabilis ſapientia conditoris, quæ omnina inenarrabili quadam diſpoſitione diſpenſat, mentem tuam ad ejus obſequia ſic ingentis devotionis ardore ſuccendit, quod tu velut Chriſtianiſſimus princeps animo ferventi commemorans, qualiter redemptor noſter unigenitus Dei Filius dominus Jeſus Chriſtus in terra ſancta ſuo purpurata ſanguine dignatus eſt ſalutem humani generis miſericorditer operari; nec non qualiter ipſe poſt contumacias exprobrabiles, flagella varia, ſpinas & ſputa languoreſque ineffabiles innocens ſine cauſa damnatus, ſaturatus opprobriis, clavis affixus, aceto & felle potatus, confoſſus lancea in crucis patibulo pro redemptione noſtra in dicta terra tam diræ mortis ſubiit paſſionem; quamque opprobrioſe ſpurcidi Agareni, hoſtes perfidi crucis Chriſti, dictam terram funiculum hereditatis dominicæ, quam, proh dolor! occupatam detinent, ipſorum nefandis actibus continue deboneſtant & polluunt in gravem injuriam & blaſphemiam nominis Chriſtiani, infra clauſtra tui pectoris attenta meditatione revolvens; ac eidem Redemptori noſtro, qui te ſublimavit in Regem, volens, quantum tua ſe extendit poſſibilitas, dignam gratitudinem exhibere, diſpoſuiſti pro recuperatione dictæ terræ paſſagium ultramarinum aſſumere, ac in illo perſonaliter in ipſius Salvatoris noſtri obſequium tranſfretare. Et ut hujuſmodi tam ſanctum propoſitum, quod habuiſti & habes ad dictum paſſagium peragendum, nobis & fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, cunctiſque fidelibus evidentius poſſes oſtendere, illudque efficacius adimplere, per venerabiles fratres noſtros Petrum Rothomagenſem archiepiſcopum, Joannem epiſcopum Morinenſem, ac dilectos filios magiſtrum Guidonem Baudeti decanum eccleſiæ Pariſienſis, & nobiles viros Henricum de Analgoria & Petrum Groſſelli de Caſtellis dominos, conſiliarios, & procuratores tuos & nuncios ſpeciales, a te propterea ad ſedem Apoſtolicam pluries deſtinatos, ſolicitis & continuatis inſtantiis nobis humiliter ſupplicari feciſti, quod pro pleniori terræ prædictæ ſuccurſu paſſagium generale indicere, ac pro illo celebrius & utilius peragendo verbum crucis cunctis Chriſtifidelibus cum indulgentiis conſuetis prædicari mandare, & paſſagii ac totius exercitus Chriſtiani, qui in illo inſpirante Domino transfretabit, te generalem rectorem & capitaneum conſtituere, ac pro hujuſmodi faciendo paſſagio certa concedere ſubſidia dignaremur. Nos itaque ſanctam intentionem tuam, & ferventem compaſſionis affectum, quem ad ſtatum, proh dolor! miſerabilem dictæ terræ habere dignoſceris, multipliciter in Domino commendantes; nec non gaudentes & exultantes in eo, ſibique laudes & gratias humiles exolventes, quia dignatus eſt tam pium tamque ſalubre propoſitum regalibus præcordiis inſpirare; cupientes quoque, ut hujuſmodi ſanctum negotium, de cujus agitur cauſa favente Deo felicibus proſperetur eventibus, & votivis proficiat incrementis, ſuper his per nos cum eiſdem noſtris fratribus matura & diligenti deliberatione præhabita, tuis piis & ſanctis annuentes affectibus & ſupplicationibus intenti, ad honorem Dei omnipotentis, exaltationem & dilatationem catholicæ fidei, cunctorum fidelium animarum profectum, liberationem terræ, & exterminium hoſtium prædictorum eiſdem nunciis & procuratoribus, nec non prælatorum in Romana curia exiſtentium, & aliorum fidelium multitudine copioſa præſentibus, auctoritate apoſtolica de fratrum ipſorum conſilio paſſagium generale ad terram ipſam duximus indicendum, teque ipſius totius exercitus Chriſtiani, qui transfretabit in illo, rectorem conſtituimus & capitaneum generalem. Et nihilominus per noſtras literas (b) verbum crucis cum certis gratiis & indulgentiis cunctis Chriſti fidelibus prædicari mandavimus, & per univerſas mundi partes decimam eccleſiaſticorum redituum propterea impoſuimus ſexennalem colligendam ſub certis modis & formis, ac in utilitatem dicti paſſagii, terræ prædictæ ſubſidium, & alias contra infideles inimicos fidei convertendam; nec non quædam ſubſidia pro ipſo paſſagio per alias noſtras literas ordinavimus fieri & levari, quæ in eiſdem literis noſtris plene & particulariter exprimuntur.*

Concepitum a Philippo liberandæ Syriæ votum.

Miſſi ab eo ad Pont. oratores pro bello ſacro promovendo.

Quæ ab his petita.

Philippus transfretaturi in orientem exercitus Imperator creatus.

(b) Ext. in reg. an. 17. ep. cur. 10. 22. & poſt eand. ep.

IV. Ad quæ ſe regii oratores obſtrinxerunt.

*Dicti quoque procuratores & nuncii per tuas patentes literas coram nobis & fratribus, per eos exhibitas, ſufficiens & ſpeciale ad hoc mandatum habentes, in noſtra, fratrum, & aliorum prædictorum præſentia ipſum paſſagium, per nos ut præfertur, indictum nomine tuo illico, & capitaneatum ac rectoriam illius & dicti exercitus acceptarunt, aſſumpſerunt, ac in animam tuam, prout ex eodem mandato portatur, tactis ſacroſanctis evangeliis juraverunt, quod tu in kal. auguſti, quæ erunt anno Domini* MCCCXXXVI. *quas tam tibi quam cæteris cruceſignatis & cruceſignandis pro termino ad transfretandum in dicto paſſagio duximus aſſignandas,*

Quæ præfixa expeditionis dies.

das, arripies iter ejuſdem paſſagii, illudque deinde proſequeris realiter ac perſonaliter, juſto ac legitimo impedimento ceſſante. Sic tamen & non alias iidem procuratores & nuncii juxta dicti tenorem mandati pro te ac tuo nomine aſſumpſerunt paſſagium, & in tuam, ut præmittitur, animam juramentum præſtiterunt præfatum, quod ſi juſtum ac legitimum impedimentum ſeu impedimenta te, heredes, ſeu ſucceſſores tuos ſuper his allegare contingat, de illo ſeu illis an juſta vel legitima ſint vel non ſint, quod prælati regni tui archiepiſcopi vel epiſcopi per ſedem Apoſtolicam deputandi prædictam auctoritate apoſtolica abſque cujuſlibet partis vocatione ſimpliciter & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii ſe diligenter informare debeant, ac etiam ſuper impedimento ſeu impedimentis ipſis occurrentibus, an juſta & legitima, vel non cenſenda ſint, prout eis viſum fuerit, juxta informationem præhabitam declarare; cui declarationi omnino ſtari debeat abſque eo, quod per ſedem prædictam ex officio ſuo vel alio quolibet tu, heredes, ſucceſſoreſve tui poſſitis ſuper iis trahi ad examen ſedis ejuſdem, ſeu alias in judicio vel extra per eandem ſedem, vel ejus auctoritate, aut alias quomodolibet moleſtari, quodque ſuper iis non poſſit ad ſedem eandem recurſus haberi, & quod poteſtas hujuſmodi, per eandem ſedem dictis concedenda prælatis, re integra vel non integra revocari non poſſit, quodque pro morte deputantis dictos prælatos ſeu præmiſſa committentis eiſdem poteſtas hujuſmodi non expiret. Quæ omnia & ſingula in poteſtate & mandato dictis procuratoribus tuis & nunciis per te datis, nec non in aſſumptione paſſagii & juramento tunc per eos, ut prædicitur pro te ac tuo nomine faciendis, voluiſti ineſſe & poſuiſti etiam in eiſdem hujuſmodi aſſumptionem paſſagii & juramentum præfatum, alias non facturus; quodque ſi dictos duos prælatos ad hoc per ſedem prædictam, ut præmittitur, deputandos volentes, alterum antequam declaratio hujuſmodi facta eſſet, contingeret transferri, cedere, vel decedere, vel alias impediri ſic, quod informationi & declarationi prædictis vacare non poſſent, loco illorum ſeu illius, quos vel quem transferri, cedere, decedere, aut alias, ut prædicitur, impediri contingeret, alius ſeu alii dicti regni prælati ex nunc deputentur ſeu ſubrogentur per ſedem eandem, ſinguli videlicet in ſingulorum prælatorum tranſlatorum, cedentium, aut decedentium, vel alias impeditorum loco per ordinem, quo per ipſam ſedem fuerit ordinatum ad informationem & declarationem prædictas, ut præmittitur, faciendas: eo etiam juxta dicti mandati tenorem præmiſſis adjecto per procuratores & nuncios ſupradictos, quod non intendebant, nec tu intendis per aſſumptionem & juramentum ac obligationes prædictas heredes ſucceſſoreſve tuos obligari ſeu teneri quomodolibet ad tranſmarinum paſſagium faciendum, vel ibi ſeu pro eo mittendum, perſonas quaſcumque, ſeu ad mittendum, ſolvendum, vel miniſtrandum expenſas, quas faceres & ſubires, ſi per te realiter & perſonaliter proſequereris & faceres paſſagium ſupradictum, ſeu, ad faciendum aliquod, aliud qualecumque ſubſidium vel juvamen aut bona tua, heredum, vel ſucceſſorum tuorum ad hoc eſſe ſeu remanere obligata quomodolibet vel aſtricta. Ordinationem tamen ſuper colligendis, recipiendis, conſervandis & diſtribuendis, aſſignandis & reddendis in manu ſedis Apoſtolicæ decimis & aliis ſubſidiis quibuſcumque, tibi per ſedem concedendis eandem, in dictis & aliis literis tuis contentam, voluiſti & tuo nomine voluerunt dicti procuratores & nuncii in ſuo robore perdurare.

Addita conditio, ſi Philipp. non ſit impeditus.

Deſignati præſules, qui judicent de conditione.

Alia Philippi cautela.

V. Præterea iidem procuratores & nuncii, ut ex dicto mandato poterant, pro te in tuamque animam corporali juramento firmarunt, quod de decima & aliis ſubſidiis in regno tuo provenientibus, & per nos pro eodem paſſagio per alias noſtras literas tibi conceſſis, nihil in uſus alios quam dicti paſſagii accipies vel convertes, aut per alios ſcienter patieris accipi vel converti: quodque ſi aliquo caſu contrarium fieret, cum hoc ad tuam notitiam venerit, illud ſic receptum ſive converſum in eorum manibus ſine moroſa dilatione reponi & reſtitui facies; ad quos ſecundum ordinationem per nos ſuper hoc in aliis literis noſtris factam conſervatio talium pertinebit. Ad quod etiam heredes & ſucceſſores tuos voluiſti aſtringi, & etiam obligari, ſicut in dictis tuis literis eſt inſertum, prout hæc & multa alia pro decimarum & ſubſidiorum ipſorum collatione ſolicita, & conſervatione fideli, nec non plena illorum converſione in utilitatem paſſagii, & dictæ terræ ſuccurſum, ac ipſo paſſagio effectualiter & utiliter proſequendo. Et in caſu, in quo a proſecutione illius te, quod abſit, contingeret impediri, de reſtituendis per te, aut heredes & ſucceſſores tuos, & etiam in manu ſedis Apoſtolicæ reponendis omnibus, quæ de prædictis decima & ſubſidiis recepiſſes, per nos de dictorum fratrum conſilio ſalubriter ordinata ſunt, in noſtris aliis inde confectis literis plenius explicatur.

Nuncupatum a Phil. ſacramentum de non avertendis in alium uſum decumis.

VI. Per hoc autem, fili chariſſime, quod te capitaneum dicti generalis paſſagii conſtituimus & rectorem, noluimus nec intendimus nos ſeu ſedem Apoſtolicam ad aliquid aliud, quam quæ in ſubſidium dicti paſſagii conceſſimus, nec aliter ad illa,

Ad quæ ſe obſtrinxerit Pont.



la, quam ut conceſſa ſunt, obligari. Noſtræ autem proteſtationi hujuſmodi nuncii & procuratores præfati expreſſe pro te ac tuo nomine, prout ex tuo ſpeciali mandato poterant, conſenſerunt. Igitur, fili benedictionis & gratiæ, quæſumus ſolicita attentione conſidera, & infra propriæ mentis arcana vigili conſideratione pertracta, quid eſt quod, ut præmittitur, aſſumpſiſti; quid oneris & honoris, quidque meriti & præmii tibi ſuccedere debeat, ſi hoc tam ſalubre negotium per te ſic pie, ſicque ferventer aſſumptum continuato devotionis fervore in manu forti & corde humili conſtanter & viriliter proſequaris: qualis quoque culpa, qualis nota, quale opprobrium regiæ excellentiæ immineret, ſi circa idem negotium inconſulte, quod abſit, aut ſegniter te haberes. Pone igitur, fili, pone manum ad fortia, grandis enim reſtat tibi via, magnum exigens apparatum.

Monitus Phil. ut cœpta in opus provocet.

Feſtina ergo, & noli tardare circa effectualem præordinationem apparatus hujuſmodi curam ſolicitam & efficacem operam adhibere: operare dum tempus habes; & tempora, quorum ignoras ſucceſſum & ſeriem, non expectes. Præcave quoque quantum Dominus donaverit eventibus & periculis, per quæ tuum poſſet, quod abſit, propoſitum ſeu pia ejus proſecutio impediri. Et ut in omnibus hujuſmodi Dominum auctorem & propitium habeas, cor tuum actuſque tuos & regni tui regimen divinis omnino beneplacitis ſtudeas coaptare: ſi enim paternis his monitis acquieveris, ſperare in Domino firmiter poteris, & utique nos ſperamus, quod divinæ potentiæ dextra tuis aſſiſtente proceſſibus, terræ prædictæ, quæ præſidium tuæ viſitationis expoſcit, liberatio deſiderata proveniet; ac ipſa, Domino auſpice, a tot & tantis nefandorum hoſtium prædictorum ſordibus liberata, ad cultum Chriſtianæ religionis in Dei laudem & gloriam reducetur, tuque retributionis æternæ gloriam, quam Chriſtus ipſum diligentibus repromiſit, ex laboribus ſibi fructuoſis, quas pro ipſo ſubire deſideras, feliciter aſſequeris. Dat. Avin. VII. kal. aug. anno XVII.

Impedimenta omnia præcaveat.

VII. Præſentire quodammodo videbatur Philippus Francorum Rex, expeditionem Syriacam ab eo intermiſſum iri: anxie enim admodum eas pactiones, quas antea admiſerat, ſi caſus ille contingeret, ut perpetuo impedimento a bello ſacro diſtraheretur, diſcutere cœpit: cumque novæ in iis difficultates oborirentur, mitigandam pactionum acerbitatem popoſcit: cujus petitis aſſenſit Joannes. Temperatas itaque conventiones iterum admiſit Philippus, deque his regias literas (a) vulgavit.

Philippus novas difficultates comminiſcitur.

(a) Extant apud Jo. an. 18. p. 1. inſertæ ep. 7. ejuſd. Jo. ſuper paſſag.

Philippus Dei gratia Francorum Rex univerſis præſentes literas inſpecturis, &c.

Sanctiſſimus pater declaravit (b), modificavit, & de ea & circa eam diſpoſuit in hunc modum: videlicet, quod ſi forſan contingeret nos infra dictum terminum impedimento perpetuo impediri, vel tali quod probabiliter appareret duobus prælatis per ſedem Apoſtolicam deputatis, quod nec in prædicto termino vel alio per ſedem Apoſtolicam ex cauſa aliqua prorogato, nec infra ſeptem menſium ſpatium immediate ſequentium nos iter dicti paſſagii poſſe arripere, & illud proſequi; voluit quod poteſtas exigendi, ſeu colligendi decimam prædictam in regno Franciæ, ac in Rhemenſi, & Lugdunenſi diœceſi, in quantum extra regnum Franciæ extenduntur, impoſitam per ſedem eandem, & nobis in auxilium expenſarum dicti negotii jam conceſſum, & poteſtas etiam exigendi alia ſubſidia in eodem regno & diœceſi ſupradictis, per eandem ſedem impoſita & nobis conceſſa, ſtatim debeat expirare; niſi forſan per eandem ſedem circa expirationem collectionis hujuſmodi contingeret aliud ordinari. Quo caſu nos quidquid de prædicta decima, jam nobis conceſſa, & aliis ſubſidiis, nobis pro dicto paſſagio per ſedem Apoſtolicam etiam conceſſis, penes nos, heredeſve noſtros tunc reſtaret, & in dicti paſſagii præparationibus aut pro eo de mandato noſtro juxta ordinationem per eundem ſanctiſſimum patrem factam, & in ſuis & in aliis noſtris literis contentam, non eſſet expenſum; nec non & galeæ & aliæ quæcumque res factæ, emptæ, ſeu quomodolibet dicto paſſagio, ſeu pro eo acquiſitæ de dicta decima & aliis ſubſidiis nobis per ſedem Apoſtolicam, ut præmittitur, jam conceſſis, debebunt per nos, vel ſucceſſores noſtros, quatenus fuerint penes nos, vel ſucceſſores noſtros prædictos quatuor prælatis regni Franciæ, quorum duo per ſedem Apoſtolicam, alii vero duo per nos fuerint deputati, vel duobus ex eis, quorum unus per eandem ſedem, alius per nos, ſine difficultate qualibet aſſignari: quodque de illis, quæ tunc collecta non erunt de decimis & aliis ſubſidiis ſupradictis pro præteritis tunc terminis, nos ſeu heredes & ſucceſſores noſtri non remaneamus, nec ſimus in aliquo obligati. Et infra.

(b) Ext. ea de re apud Jo. an. 17. ep. cur. 18.

Eo impedito, decumas non exactum iri conventum.

Apparatu pro bello ſacro reſtituenda.

VIII. Idem ſanctiſſimus pater adjecit & diſpoſuit in hunc modum: videlicet, quod de iis, quæ nos forſan aſſignabimus, ſeu fecerimus aſſignari nobilibus ſeu quibuſlibet aliis nobiſcum transfretaturis forſan ad procuranda, ſeu emenda aliqua ſibi pro paſſagio neceſſaria vel etiam oppurtuna, ſeu alia ad expenſas eorum, quas eſſent facturi in proſecutione dicti paſſagii ſupportandas, habeamus pro ſerenitate noſtræ conſcien-

Exigenda a viris nobilibus quæ vertenda in rem ſacram data fuerint.

*ſcientiæ & pro ſecuritate negotii terræ ſanctæ inter alia præcavere, quod illi, quibus faciemus illa tradi, jurare debeant, illa quæ ſic ſibi tradentur de ſubſidiis ſupradictis fideliter conſervare, & in utilitatem dicti paſſagii, ſeu præparatoriorum ipſius, quanto commodius & utilius poterunt, & non in aliquos uſus alios convertere; nec non quod eo caſu, quo nos contingeret impediri ſic, ut dicta ſubſidia deberent reddi prælatis nomine eccleſiæ, conſervanda ſecundum modum & formam, qui ſeu quæ in noſtris prædictis literis & in proviſione per ſedem Apoſtolicam facta ſuper hoc plenius continetur; ipſis prædicta, quæ ſibi de dictis ſubſidiis aſſignabuntur, vel ea, quæ fuerint ex eis pro prædicto paſſagio acquiſita, reſtituent bona fide prælatis, qui fuerint ad conſervationem talium deputati: quodque ſuper hoc obligent ſe, heredes & bona ſua ſub firmis & validis obligationibus ſub coërctione juriſdictionis noſtræ, prout de iis, qui ſe obligant ſub ſigillo caſtelleti vel ſigillis aliis noſtris in regno Franciæ fieri conſuevit ſic, quod non reſtet in caſu prædicto niſi ſola executio, quam nos per miniſtros noſtræ juſtitiæ temporalis facere teneamur taliter, quod utilitati terræ ſanctæ non poſſit aliquid malitioſe ſubtrahi de prædictis. Acto nihilominus, quod tales poſſint per cenſuram eccleſiaſticam, ſi viſum fuerit expedire, compelli ad reſtitutionem prædictam*

Cenſuræ iiſdem incutiendæ.

*prælatis faciendam: alias, niſi providerimus ſic caveri, quod teneamur nos & heredes & ſucceſſores noſtri ad reſtitutionem prædictorum faciendam prælatis eiſdem, ſemper tamen habita ratione expenſarum rationabilium, ſi quæ forſan factæ fuerint ab illis, quibus præmiſſa fuerint tradita, in emendis, vel procurandis, ſeu conſervandis de prædicta pecunia eis aſſignata iis, quæ ſibi pro paſſagio eſſe poterant opportuna, prout fuerit rationis; habita etiam ratione aliorum, quæ de jure fuerint attendenda, quod idem ſanctiſſimus pater duxit dictorum prælatorum arbitrio committendum, &c. Dat. apud Poiſſiacum anno Domini MCCCXXXIII. menſe octobris.* Confirmatæ eædem pactiones fuere a Pontifice inſertis regiis literis diplomati apoſtolico idibus januarii anno XVIII. Extant (*a*) deſcripta accurate omnia conventionum capita, quæ inter Gallum Regem, Pontificemque inita fuere pro eripienda e Saracenorum ſervitute Palæſtina in MS. Vaticano in Avenionenſi archivio gerente anno Domini MDCXIV. Avenionenſem legationem Octavio Cardinale Aquaviva comperto.

(*a*) *MS. arch. Avin. n.* 354.

IX. Promovendæ hujus expeditionis ſtudio Pontifex, ut omnia obſtacula, quæ illam diſturbatura forent, diſcuteret, Gallicum regnum in clientelam Apoſtolicam aſcivit, objecitque anathema iis, qui Philippo in Aſiam profecto Gallias bello laceſſerent. Tum omnibus, qui ad propulſandos hoſtes arma corriperent, præmia indulgentiarum propoſuit, dato hac de re ad Philippum diplomate: *Ut idem*, inquit, *paſſagium eo liberiori animo proſequaris, quo regnum tuum & terras illorum, qui tecum transfretaverint in ipſo paſſagio, majori favore ſedis Apoſtolicæ ſenſeris communita, tuis poſtulationibus benignius annuentes, regnum prædictum, ac terras eorum, qui tecum in dictæ terræ ſanctæ ſubſidium transfretabunt, quamdiu in hujuſmodi ſancti negotii proſecutione fueris, ſub B. Petri & noſtra protectione ſpeciali ſuſcipimus; diſtrictius inhibentes, ne quis te, aut alios ſupradictos contra hujuſmodi protectionis noſtræ tenorem in eiſdem regno & terris turbare, moleſtare, aut tibi vel eis moleſtiam inferre præſumant: nos enim in omnes, qui contra inhibitionem noſtram hujuſmodi facere vel venire tentaverint, excommunicationis ſententiam promulgamus, abſolutionem eorum, qui ſententiam eandem incurrerint, ſoli Romano Pontifici reſervantes. Inſuper in hujus ſancti negotii ac tui & regni prædicti favorem & gratiam ampliorem, tuis devotis precibus grato concurrentes aſſenſu, apoſtolica auctoritate concedimus, quod ſi poſtquam tu iter arripueris pro dicto paſſagio proſequendo, & ipſius proſecutione durante contra te & regnum prædictum in tuam injuriam guerram moveri contingat, quia ex guerra hujuſmodi niſi celeriter occurretur eidem poſſet hujus ſancti negotii proſecutio impediri, immo non ſolum in tuam, ſed Dei injuriam & in terræ prædictæ ac totius Chriſtianitatis injuriam permaximam guerra hujuſmodi poſſet veriſimiliter redundare: quicumque perſonaliter vel alias ad defenſionem regni prædicti auxilium ſuum in hoc caſu impenderint illam indulgentiam conſequantur, quæ ſubvenientibus terræ ſanctæ ſecundum quantitatem ſubſidii & devotionis affectum in generali concilio eſt conceſſa, &c. Dat. Avin.* VII. *kal. aug. an.* XVII.

Galliæ in Apoſtolicam clientelam acceptæ

Objectum anathema eas bello petituris.

Propoſitæ indulgentiæ ad repellendum hoſtem provolaturis.

Affecit aliis beneficiis Philippum, ut belli ſacri molem toleraret: in primis Clementis IV. exemplo eos, qui partem quartam obventionum ſuarum, vel quintamdecimam vel vigeſimam bonorum mobilium in belli ſacri ſumptus derivandam ipſi conferrent, noxarum, quas rite ſacra exhomologeſi expiarent, condonatione affecit. Sanxit (*b*) etiam præſules, abbates, clericos, & alios, qui cruceſignatum exercitum ſequerentur, ſuis vectigalibus potituros, eaque ad triennium conductoribus oppignerare poſſe: conſtituti (*c*) epiſcopus Pariſienſis, & S. Dionyſii ac S. Germani de Pratis monaſteriorum abbates privilegiorum transfretantibus conceſſorum aſſertores: decreta ſe-

Privilegium opes ſuas in belli ſacri ſumptus elargientium.

(*b*) *An.* 17. *p.* 1. *ep. cur.* S.

Clericorum transfretantium.

(*c*) *Ib. ep.* 9.



(*a*) ſexennalis ſacerdotiorum decuma ea lege, ut non in alios quam pro bello ſacro gerendo ſumptus verteretur, de qua pendenda ad archiepiſcopos eorumque ſuffraganeos datæ literæ (*b*); ejuſdemque colligendæ quæſtores renuntiati Pariſienſis, Anicienſis, & Carnotenſis epiſcopi. Nec modo in Galliis ac Rhemenſi & Lugdunenſi archiepiſcopatibus, verum in toto orbe Chriſtiano ad Chriſti cultum reſtituendum Syriæ imperatæ decumæ, ut ex his verbis (*c*) ad Philippum patet.

(*a*) *Ib. ep.* 11.

(*b*) *Ib. poſt eand. ep.*

(*c*) *Ep.* 13.

Decumæ toto orbe Chriſt. collectæ.

*Auctoritate apoſtolica de fratrum conſilio paſſagium generale indiximus, ac te ipſius & totius exercitus Chriſtiani, qui transfretabit, in illo rectorem conſtituimus & capitaneum generalem: & nihilominus per alias noſtras inde confectas literas* (*d*) *verbum crucis cum certis gratiis & indulgentiis cunctis Chriſti fidelibus prædicari mandavimus, ac per univerſas mundi partes decimam eccleſiaſticorum redditaum proptera impoſuimus ſexennalem, colligendam ſub certis modis & formis, ac in utilitatem dicti paſſagii & alias contra infideles & inimicos fidei convertendam, &c.* Attributa (*e*) præterea eidem Regi omnia leganda & donanda vel ſponte, vel pactione, vel mulcta pro liberanda Palæſtina: tum vectigalia omnium ſacerdotiorum non præſularium, quæ labente ſexennio vacare contingeret, primo anno quo vacarent in ſumptus belli ſacri redigi juſſa (*f*): derivatæ (*g*) etiam in eam rem mulctæ, quæ ob commercium cum infidelibus, uſuras, vetitas artes, aliave ſcelera infligendæ eſſent.

(*d*) Ext. *ib. ep.* 20. & *reg. poſt eand. ep.*

Aliæ conficiendæ pecuniæ rationes.

(*e*) *Ead. ep.* & *ep.* 14.

(*f*) *Ib. ep.* 15.

(*g*) *Ib. ep.* 16.

X. Ne vero egregie cœpta progreſſu temporis conſeneſcerent, vel Philippus improborum ſuſurris a ſuſcepto ſacræ expeditionis conſilio abduci ſe pateretur, Pontifex anathema id ſcelus auſuris intentavit, atque præſulibus Gallis partes dedit, ut crucis ſymbolo religioſam militiam profeſſuros induerent (*h*).

(*h*) *An.* 17. *p.* 1. *ep. cur.* 10.

*Joannes, &c. archiepiſcopo Rhemenſi ejuſque ſuffraganeis.*

Intentatum anathema Philippum a ſuſcepta mente abducentibus.

*Providere volentes, ne dictus Rex malitioſis aliquorum ſuaſionibus vel inductionibus a tam ſancto propoſito quomodolibet retrahatur, ſub anathematis pœna diſtrictius inhibemus, ne quis Regem ipſum a propoſito proſequendi & perficiendi dictum ſanctum paſſagium malitioſe retrahere ſeu revocare præſumat. E quia nemini venit in dubium decimam & alia ſubſidia memorata ad tanti proſecutionem negotii non ſufficere, ipſumque negotium longe majoris ſubventionis beneficio indigere, ac ad illud coadjuvandum cunctorum fidelium grata ſubſidia exiſtere opportuna, fideles eoſdem ad hoc quibuſdam ſpiritualibus munificentiis, indulgentiis, videlicet ac remiſſionibus providimus invitandos. Quocirca fraternitati veſtræ de dictorum fratrum conſilio per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, vos nihilominus obſecrantes per aſperſionem pretioſi ſanguinis Jeſu Chriſti, quatenus commemorantes attente ſtatum lugubrem dictæ terræ ac provide conſiderantes, quod cum fidelium ſuorum regimini vos velut in ſollicitudinis partem aſſumptos præfecerit Dominus ad promotionem hujuſmodi ſancti negotii, plus cæteris tenemini ex officio paſtorali tanquam præcones fideles & fortes athletæ fidei contra prædictos perfidos hoſtes Chriſti, ſinguli videlicet veſtrum in ſingulis veſtris civitatibus & diœceſibus, contra prædictos blaſphemos Chriſtiani nominis per vos & alias perſonas eccleſiaſticas ſæculares & regulares ordinum quorumcumque, quos ad hoc idoneos fore noveritis, cunctis Chriſti fidelibus juxta datam vobis & eis a Deo providentiam proponatis publice verbum crucis, & venerabile ſignum ejus quibuſvis illud devote ſuſcipere volentibus, quos ad hoc utiles fore crediderititis, concedatis ipſorumque humeris imponatis, &c. Dat. Avin.* VII. *kal. aug. ann.* XVII. Data eadem fuere imperia omnibus archiepiſcopis & epiſcopis, non Galliarum modo, verum totius orbis Chriſtiani conſtituto hoc profectionis die *kal. auguſti, quæ*, inquit, *erunt anno Domini* MCCCXXXVI. *quas tam eidem Regi, quam cæteris cruceſignatis & cruceſignandis pro termino ad transfretandum in dicto paſſagio duximus aſſignandas*, tum etiam ad implorandam divinam opem edictum, ut in omnibus eccleſiis cathedralibus, regularibus, collegiatis, & parochialibus quavis hebdomada ſolemni ritu divina res perageretur, in qua adverſus infideles victoria expeteretur, eademque in id præſcripta formula, atque ea, ex qua jam ante in Galliis idem promulgatum (*i*) vidimus: additum etiam eſt, ut in ſingulis eccleſiis gazophylacium exponeretur, in quod fideles ſtipem ſubſidiariam in belli ſacri ſumptus dimitterent.

Fideles ad religioſam militiam accendi juſſi.

Crucis ſymbolo conſignandi.

Preces ſolemnes pro expetenda victoria decretæ.

(*i*) *An.* 1331. *n.* 30.

XI. De hujus expeditionis conſiliis refert Boſius (*k*) conventum, ut Philippus Rex viginti millia equitum, peditum quinquaginta millia pontificio regioque ſumptu ſuſtentanda, duceret; ut Veneti inſtructiſſimam triremium claſſem, in qua quatuor millia pugnatorum veherentur contraherent, præter centum alias naves ad tormenta bellica tranſportanda: pariterque Genuenſes, Piſani, & alii vires maritimas ſperabantur conjuncturi. Cum vero hujus belli ſacri deſiderio ſuſpenſa eſſent omnium vota, Pontifex de bello ſacro decreto principes Chriſtianos, ut Venetos (*l*), Rhodios equites (*m*), Carolum Ungariæ (*n*), & Robertum Siciliæ Reges (*o*) Joannem Dyrrachii ducem (*p*), alioſque fecit certiores. Cum vero ad Robertum ſingulari nomine expeditionem Syria-

Quantus exercitus comparandus fuerit. Quæ a Venetis inſtruenda claſſis.

(*k*) *Boſ. p.* 2. *hiſt. eq. Hier. l.* 2.

(*l*) *To.* 9. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 5.

Neapolitanus Rex ad colloquium cum Philippo provocatus.

(*m*) *To.* 9. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 164.

(*n*) *Ead. p. pag.* 149.

(*o*) *Ead. pag.*

(*p*) *Ib. pag.* 5.

(a) Ib. pag. 149.

(b) Eod. to. 9. p. 2. ep. ſecr. pag. 194.

Syriacam promovere ſpectaret, ac Philippus Rex cum ipſo præſente communicare bellica conſilia cuperet, ſolicitavit illum Pontifex (a), ut conſtitutis rebus cum Carolo Ungariæ Rege (de cujus acceſſu in Siciliam dicetur inferius) in Provinciam appelleret. Accepit ex Petri archiepiſcopi Rothomagenſis, qui in pontificatu Clementis VI. nomen accepit, manibus Philippus Rex, ingenti pietatis ſenſu delibutus, ſacrum crucis ſymbolum, ac gerendo pio in Syria bello ſe addixit; pellexitque ſuo exemplo plures principes, qui religioſe diſtincti ab archiepiſcopo cruce arma Chriſto devoverunt: de quibus Pontifex literis XIV. kal. decemb. exaratis Philippo Regi eſt gratulatus (b): *Lætanter*, inquit, *audivimus te fuiſſe, fili chariſſime, die præteriti menſis octobris cum multitudine principum aliorumque nobilium regni tui vivificæ crucis ſigno inſignitum.* Ut vero Gallos majori ardore Philippus in ſacra arma concitaret, dolo utendum ratus, popoſcerat a Pontifice, ut omnibus Galliarum præſulibus permitteret ſymbolum crucis non ex animo ineundæ profectionis, ſed aliorum, qui officioſæ fraudis ignari eſſent, alliciendorum ſtudio accipere. Ad quem Joannes graviſſimis ſententiis reſpondit (c), dolum ſimulationemque procul amandandos, ne divina iracundia concitaretur, neque alicujus conſectandi boni gratia agere improbe cuiquam licere.

Petit ut prælati ficte crucem induant.

(c) Ead. p. 2. ep. ſecr. pag. 187.

*Philippo Regi Franciæ.*

Monetur fictionem in re tanta abiiciendam.

Intentat cœleſtes iras, ſi fictione utatur.

*Si vis, fili chariſſime, veritati placere in verbis & factis, oportet te repulſa ſimulatione, præſertim in negotiis Domini, veritatem ſervare. Chriſtus enim veritas eſt, ſicut ipſe teſtatur: terræ quoque ſanctæ negotium noſcitur eſſe ſuum; unde in ipſo ſimulationem decet prorſus & expedit exulare. Nec obviat ſi dicatur, quod ſi crux a prælatis ſimulate ſumatur, ita quod per crucis ſumptionem hujuſmodi non ligentur, multi crucem aſſument, alias non ſumpturi: quod etſi eſſet verum, cum non ſint facienda mala ut bona veniant, non eſt malum ſimulationis hujuſmodi propterea committendum. Ideoque circumſpectionem regiam in Domino exhortamur, eidem nihilominus ſano conſilio ſuadentes, ut præcipue in iſto ſancto negotio omnem ſimulationem in te & aliis ſtudeas evitare. Veremur quidem, quod per talia tuo Redemptori diſpliceres nimium, nec tranſires impune, ſicut forſan aliquis ex tuis prædeceſſoribus ſimulationem in terræ ſanctæ commiſſam negotio, ut a multis creditur, impune nequaquam tranſivit. Non ergo expedit omnes prælatos regni tui ſimulate crucem aſſumere; certe nec etiam cum animo transfretandi, ex hoc enim diſpendia gravia quoad regnum & eccleſiam poſſent ſequi. Quare, habeat nos tua prudentia, ſi hoc non concedimus, excuſatos. Gratia Domini noſtri cor tuum juxta ſuum beneplacitum dirigat, & protegat ab abverſis. Amen. Dat.* XVII. *kal. octobris anno* XVIII.

XII. Ut minis exitus conſenſerit.

Quod ad Regem illum Francorum attinet, cujus nomen Pontifex non exprimit, in quo divinum Numen juſtitiæ exemplum ob nuncupatum ficte, ut ferebat fama, ſacræ expeditionis votum; Philippum pulchrum, vel aliquem ex filiis deſignare videtur. Neque ex illius calamitate Philippus Valeſius divini operis ſtrenue urgendi traxit exemplum, ſed bellis funeſtiſſimis magno rerum ſuarum exitio ſe implicuit, ut ſuo loco dicetur. Interea tranſmiſit Pontifex (d) ad Philippum Regem apoſtolica de conceſſa illi conficiendi belli ſacri in Babylonios & Ægyptios, eripiendæque ex eorum manibus Syriæ provincia diplomata, ex quibus alia Regi, alia principibus erant inſcripta, quæ in publica procerum corona perlegi, atque e Latino verbis Gallicis exprimi voluit (e): *Quia*, inquit, *nobis decens videtur & expediens, ut contenta in præfata tibi deſignata litera celſitudo regia, ac contenta in præmiſſa principibus litera, eorum prudentia non ignoret; ecce præfatas literas regali magnificentiæ pro exhibitione præſentium duximus deſtinandas, quas ut credimus expedit, quod tibi & principibus, qui adeſſe poterunt, per fidelem interpretem facias publicari.* Sed dum calamo & votis bellum Saracenis infertur, illi ferro flammaque Chriſtianos crudeliſſime in Armenia, in Græcia, & in Hiſpania ſunt inſectati, eoque ardentius fideles armorum mole oppreſſerunt. Ex Armenia quidem ad aulam pontificiam Baldus Spinula Leonis Armeniæ Regis orator acceſſit, ut flebiles querelas effunderet, Saracenos in Armeniam graſſari, remque Chriſtianam evertere. Quem oratorem, in Gallias ad urgendam expeditionem properantem, Pontifex Francorum Regi enixe commendavit. (f)

(d) Ib. pag. 190.

(e) Ib. pag. 194.

Pontificia diplomata proceribus exponi juſſa.

Ut infideles Chriſtianos oppreſſerint.

(f) Sup. pag. 190.

XIII.

(g) To. 9. p. 1. pag. 5. 115. 149. & p. 2. 32. 188. 195. 231. 232.

Turcarum in Europam excurſiones.

Vicere Ægyptios odio & crudelitate in Chriſtianos Turcæ (g), qui ex Aſia, in qua Chriſti cultum pene extinxerant, in Europam cum formidabili exercitu, actis præterito anno prædis illecti trajecere, ac ferro flammaque obvia quæque fœdarunt, adeo ut ad ipſa Athenarum ſuburbana excurſione facta, illa flammis deleverint: præterea Ægæi maris inſulis clades maximas intulerunt; denique innumeras Chriſti fidelium catervas in ſervitutem abduxere. Significarunt lugubrem caſum Pontifici Veneti, quorum orientalis ditio fuerat vaſtata, ut prompta adverſus hoſtem auxilia contraherentur; quibus Pontifex, miſſo eam ob rem cau-

cau-



ſarum ſacri palatii auditore, hæc reſcripſit (a).

(a) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 5.

Veneti ad eos coercendos ſolicitati.

*Duci & communi Venetorum.*

*Duris oppreſſionibus, quas infideles Turci vobis & partium illarum Chriſticolis intulerunt his diebus præteritis, & inferri moliuntur crudelius, literarum veſtrarum ſerie, quas benigne recepimus, non ſine magna cordis amaritudine intellectis, vobis & ipſis Chriſticolis compatimur in viſceribus charitatis. Et ecce quod dilectum filium magiſtrum B... de S. Geneſio decanum eccleſiæ Engoliſmenſis cauſarum noſtri palatii auditorem, capellanum noſtrum, virum utique circumſpectum & providum, ad veſtram præſentiam certis per nos eidem ſuper prædictis vobis explicandis per ipſum vivæ vocis oraculo deſtinamus, cui fidem adhibere velitis credulam in hac parte. Dat. v. kalen. ſeptembris anno* XVII.

(b) Ib. pag. 149.

Et Gallus & Siculus Reges. Carolus Alenconius Turcici belli dux creari flagitat.

(c) Ib. p. 115.

De hac Turcarum irruptione, acceptiſque a Chriſtianis cladibus Robertus (b) Siciliæ Rex literas ad Pontificem ac Philippum Francorum Regem ducemque Bojorum ſive Borboneſii Ludovicum miſit, ut auxiliares copiæ ad retundendos barbarorum impetus conflarentur. Robertique Regis nepos Carolus Alenconii comes, Philippi Regis frater, a Joanne Papa mitti contra Turcas Chriſtiani exercitus ducem flagitavit (c). Exponebant ſedi Apoſtolicæ illius oratores, niſi ingraveſcens Turcarum potentia reprimeretur, Chriſtianam rem in periculum adductum iri: ſacram adverſus infideles expeditionem ad ſe proxime a Rege Francorum fratre, cum dux Nortmanniæ nepos ætate bellicis laboribus impar eſſet, pertinere: inde felicius geſtum iri Syriacum bellum, ſi ipſe in Turcas dux præiret. Reſpondit Pontifex (d) ſe quidquam ſine Regis ejus fratris, quem tranſmarinæ univerſæ expeditionis ducem dixerat, conſilio & voluntate nolle decernere: agitandam rem cum Siciliæ & Cypri Regibus, Venetis, Rhodiis equitibus, & aliis principibus, quorum Turcarum repreſſio intererat: Philippum quidem Regem præclare acturum, ſi ad barbaram eam gentem retundendam operam conjungeret; ac ſedi Apoſtolicæ rem acceptiſſimam fore, ſi copiis Gallicis in Turcas ipſum præficeret, nec ſe tum illi opera defuturum.

(d) Ead. pag.

*Joannes, &c. Comiti Alenconii.*

XIV. Quid a Pont. reſponſum ipſi fuerit.

*Sane quia eorum* (oratorum ſcilicet) *propoſitio verbo primo propoſita, & conſequenter in ſcriptis oblata continebat, quod cum ſanctum ultramarinum viagium per nos & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Regem Franciæ illuſtrem a menſe præſenti auguſti ad triennium fuiſſet aſſumptum, ſecundum quod notum & publicatum fuerat publice in Romana curia; nulluſque adeo teneretur eidem Regi prædicto complendo viagio, quemadmodum tu germanus ipſius, excepto dilecto filio juvene inclyto Joanne de Francia ejus nato, qui tamen adhuc in ætate conſtitutus non eſt, qua laborare valeret; tuque, fili, dum dicti tui nuncii diſceſſerunt de Francia, per literas chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Siciliæ illuſtris tui avunculi accepiſſes, quod Turci contra Chriſtianos, tam per mare quam per terram adeo invaluerunt, quod burgos Athenienſes combuſſerunt, & verebantur admodum, niſi provideretur, aliter ſcandalum & pericula graviora; ſupplicabant nobis ex parte tua præmiſſis ex cauſis præfati nuncii, ut in caſu, quo per nos ordinaretur de capitaneo aliquo pro reprimendis Turcis præfatis, placeret nobis te, fili, capitaneum hujuſmodi deputare, quia hoc ſperabatur profuturum ſancto viagio, ex quo appareret quod germanus regius præiret eundem; eorum tamen, ut dixerunt, non erat *, quod aliquid ſuper hoc fieret, niſi ſecundum conſenſum & beneplacitum dicti Regis. Ad quæ, fili, taliter reſpondemus, quod cum præfatus Rex germanus tuus ſit factus dux exercitus generalis paſſagii tranſmarini, non eſt intentionis noſtræ, ſicut nec eſſe debet, circa dicti paſſagi negotium vel ipſum tangentia de duce vel capitaneo aliquo aliquid ordinare.*

* intentio

Syriaca expeditio Turcis non domitis difficillima.

*Cæterum ſi placeret Regi præfato ad obviandum dictis Turcis intendere, quod generali paſſagio multipliciter opportunum exiſteret (immo multorum judicio neceſſarium, quia ſi factum Turcorum proſperetur, ut cœpit, tranſitus generalis paſſagii nimium difficilis redderetur) expediret ut cum illis, quos maxime tangit dictum Turcorum negotium, utpote cum chariſſimis in Chriſto filiis noſtris Siciliæ & Cypri Regibus illuſtribus, & cum Venetis ac hoſpitalis magiſtro, aliiſque magnatibus & communitatibus illarum partium haberetur tractatus: quos ſperamus & ſupponimus libenter facere poſſe ſuum. Et ſi Rex vellet ſubſidium facere, non credimus quod pro negotio aliquo poſſet ad præſens circa hoc aliquid aliud utilius facere, nec per quod poſſet ſic prompta via ad dictum paſſagium proſequendum utiliter procurari. Quo facto ſi tractatus præmiſſus procederet, poſſet Rex præfatus de capitaneo dicti exercitus cum præmiſſorum beneplacito ordinare. Nos autem ſine aſſumptione dicti negotii intendimus manum noſtram in dicto negotio in caſu præmiſſo, ſicut bono modo poterimus, extendere adjutricem: & ſi te, fili, præmiſſo exercitui contra Turcos ordinando vellet Rex ipſe præficere, nobis quantum in nobis eſt gratum exiſteret pariter & acceptum. Dat.* XII. *kal. ſeptembris anno* XVII.

Ad quos Reges hujus belli moles ſpectaret.

Agitavit mox Pontifex (e) cum Ludovico

(e) To. 9. p. 1. pag. 149.

co

co duce Borbonio ( dicebatur is antea comes Claromontanus, cujus apud Bojos dominatum ſuperiori anno ducali titulo ornatum refert Meyerus *a* ) regis Francorum in aula Avenionenſi oratore, ut Philippus Galliæ vires cum cæteris principibus contra Turcas vellet conjungere, hortatoriaſque ad Regem ipſum literas dedit (*b*), ut cum Turcæ Syriacam expeditionem diſturbaturi putarentur, cum principibus ac Regibus belli partem converteret. Aſſenſit Philippus: cujus accepto reſponſo, Joannes hæc Roberto Regi Siciliæ reſcripſit (*c*): *Regi prædicto ſcripſimus ſuper apponendis ſalubribus remediis in hac parte, ſperantes in Domino, quod ſi tu, fili dilectiſſime, ac Hoſpitalarii, & Veneti, quibus inde ſcribimus, & alii dictarum partium, quos idem negotium contingit hujuſmodi, velitis effectualiter intendere cum auxilio & Regis præfati Franciæ, qui manus adjutrices intendit porrigere, poterit divina ſuffragante gratia Turcorum prædictorum temerariis auſibus & damnandis præſumptionibus ſalubriter obviari, &c. Datum* XI. *kal. ſept. anno* XVII.

(*a*) Meyer. hiſt. Fland. l. 12.

(*b*) Sup. pag. 149. & p. 2. ep. ſecr. pag. 231.

Philippus in hujus belli ſocietatem adductus.

(*c*) Ead. pag. 149.

XV. Flagitavit Robertus Siciliæ Rex a Pontifice, ut in belli adverſus Turcarum irruptiones gerendi ſumptus eccleſiaſticæ in Italia coactæ decimæ converterentur: cui Joannes reſcripſit (*d*), de iis quidquam inconſulto Rege Francorum ſupremo Chriſtianarum contra infideles copiarum duce, ſtatui non debere, cui pro expeditione tranſmarina conficienda inſtaurandiſque Syriæ rebus ſexennalem decimam eſſent attributæ; ſuique non eſſe conſilii (*e*), Turcici belli molem univerſam in ſe ſuſcipere: at ſi ille cæterique principes paribus ſtudiis ac viribus concurrerent in fidei hoſtes, Regem Francorum belli ſociis acceſſurum, & eccleſiam e Cardinalium conſilio ſtudio & opera non defuturam.

Italiæ decumæ Gallo Regi attributæ.

(*d*) Par. 2. ep. ſecr. pag. 231.

(*e*) Ib. pag. 232.

Agitata in Turcas belli ſacri conſilia.

*Joannes, &c. Regi Siciliæ.*

Monitus Robertus ne illa abiiciat.

*Super facto Turcorum volumus tuam prudentiam non latere, quod noſtræ intentionis nequaquam exiſtit, quod eccleſia negotium illud aſſumat; ſed ſi illi, qui timent per ipſos Turcos gravari in terris & ſubditis propriis, aſſumant juxta vires dictum negotium, parata erit eccleſia, ſicut conſuevit in ſimilibus ſubſidia opportuna cum fratrum noſtrorum conſilio, dante Domino, miniſtrare. Et quia tuam excellentiam noſcitur multum tangere negotium ſupradictum, non expedit, quod ſe ſubtrahat ab opportuno dicto negotio ſubſidio faciendo: quod ſi feceris, ſubtrahendi ſe a præbendo ſubſidio pro dicto negotio viam multis poteris aperire. Per literas autem filii noſtri in Chriſto chariſſimi Philippi Regis Franciæ illuſtris percepimus, quod intendit præfato negotio manum porrigere adjutricem, quod intelligimus ſi illi, quos tangit principaliter præmiſſorum Turcorum aggreſſio, faciant quod debebunt: alias ſubſidium ſuum eſſet inutile, cum vix ſufficere valeat cum omnibus ſubſidiis factis ſibi per eccleſiam ad onus paſſagii, quod aſſumpſit. Dat.* XIII. *kal. decemb. an.* XVIII.

At licet Turcæ graves Chriſtianis calamitates intulerint, haud levibus tamen cladibus a fidelibus affectos fuiſſe, demonſtrat Pontifex aliis literis ad Robertum Regem v. idus ſeptembris hoc anno datis (*f*), dum ait: *Rurſus quamvis, ut læto percepimus animo, quædam proſpera partium illarum Chriſticolis contra Turcos infideles ſucceſſerunt his diebus, non eſt tamen propter hoc a te, fili dilectiſſime, ac aliis, quos hujuſmodi tangit negotium, a procurandis adverſus Turcorum ipſorum ſævitiam & fraudulentam malitiam opportunis remediis deſiſtendum.*

Geſta feliciter aliqua in Turcas prælia.

(*f*) Par. 1. ep. ſecr. pag. 130.

XVI. Cæterum ad promovendam illam ſedis Apoſtolicæ ac Galliarum Regis cum Venetis, Roberto Rege Siciliæ, Hugone Cyprio, Græciſque in Turcas armorum ſocietatem Joannes Bertrandum archiepiſcopum Ebredunenſem in Italiam ad Robertum ipſum, & Franciſcum Dandulum ducem Venetorum tranſmiſit, ſubjecto de provincia ipſi demandata diplomate exarato (*g*).

Archiep. Ebredun. legatus.

(*g*) Par. 2. ep. ſecr. pag. 255.

*Bertrando archiepiſcopo Ebredunenſi.*

*Habet rumor horribilis, nunciat clamor implacidus, qui his diebus matris eccleſiæ inſonuit auribus ejus, viſcera ſaucians, præcordia dure pungens, quod inundans Turcorum ſuperbia ſuis finibus non contenta, collectis viribus, robore adunato, tam per mare quam per terram partes invadens Græciæ & circumadjacentes inſulas, in redemptos Chriſti pretioſo ſanguine crudeli immanitate graſſatur. Dolet itaque, nec immerito, mater eccleſia, dum quos regeneravit in filios, efferus hoſtis lacerat: dum in fidei Chriſtianæ cultores impiorum gladius dire ſævit: dum attente conſiderat, quod niſi celeriter occurratur, indictum tranſmarinum paſſagium impediri poterit, vel difficilius nimis reddi. Nos igitur ſub ſpe Domini exercituum, qui bella conterens, cornua comminuit ſuperborum, intendentes populi Chriſtiani diſpendiis, quæ tam pernicioſus Turcorum ipſorum minatur aggreſſus, remediis ſalutaribus obviare, conamur vias & modos inquirere, per quos poſſimus hoc effectui promptius mancipare.*

*Sane quia viri illarum partium, qui jam & ipſorum Turcorum aggreſſibus varia ſuſtinuerunt incommoda, quique graviora verentur ſubire, niſi occurratur ocyus, circa hæc cogitaſſe creduntur profundius, & per conſequens habere notitiam*



*tiam pleniorem; nos plenam de tuæ fidei puritate, virtutis conſtantia, ac circumſpectione probata in Chriſto fiduciam obtinentes, tibi auctoritate præſentium committimus, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ad partes illas te conferens, de modis & viis noſtro præmiſſo congruentibus deſiderio te cures ſpecialiter cum chariſſimo filio Roberto illuſtri Rege Siciliæ, & cum dilecto filio nobili viro duce Venetiarum ſuiſque concivibus, necnon & aliis, de quibus expedire videris, ſedule informare; ipſos & alios, de quibus expediens fore cognoveris, juxta prudentiam deſuper tibi datam exhortationibus opportunis inducens, ut ad refrænandos Turcorum ipſorum malignos impetus, repellendos inſultus, compeſcendam nequitiam, & conterendam ſuperbiam manum porrigant adjutricem; operam quantum ſedule poteris impenſurus, quantum cujuſlibet univerſitatis, quantumque ſingularium perſonarum, quibus te præmiſſa continget proponere, erit ſubſidium, quod intendunt pro tam pio opere exhibere; noſque per tuas cures literas de omnibus, quæ circa præmiſſa egeris, præmiſſorumque reſponſionibus reddere certiores. Datum Avin.* VI. *id. octobr. anno* XVIII.

Impoſita ipſi jungendi fœdere principes provincia.

XVII. Depreſſus iis Turcorum graſſationibus Andronicus, adducendæ ad Romanæ eccleſiæ conjunctionem & obſequium orientalis eccleſiæ pium deſiderium præ ſe tulit, deque ea redintegranda cum duobus e Dominicana familia antiſtitibus, qui Chriſtiana fide inter Zichos & Gochos longe lateque amplificata palmis onuſti, ad ſedem Apoſtolicam redeuntes, ut eam de Rege Zichorum converſo, de quo agetur inferius, facerent certiorem, per Conſtantinopolim iter habuerant, ſermones contulit. Quibus recreatus Pontifex, datis ad Andronicum literis (*a*), paratum ſe ad eum apoſtolico ſinu excipiendum ſignificavit, eaque unica re Græcos Turcarum tyrannidem evaſuros.

Andronicus Imp. a Turcis oppreſſus.

(*a*) Ext. in MS. arch. Vat. de r. b. Armen. & alior. infidel. & ſchiſmat. pag. 24.

*Viro magnifico Andronico Imperatori Græcorum illuſtri gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.*

*Pridem venerabiles fratres noſtri Franciſcus archiepiſcopus Voſprenſis & Richardus epiſcopus Cerſonenſis ad ſedem Apoſtolicam de ipſis partibus venientes, nobis & fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus in conſiſtorio exponere curaverunt bonam voluntatem & intentionem devotam, quam tu & alii de partibus ipſis habetis ad veritatem catholicæ fidei cognoſcendum, & redeundum ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ, matris eccleſiarum omnium & magiſtræ ( a cujus gremio fuiſtis tu & alii ſupradicti tam longis & deflendis temporibus ſeparati ) veram obedientiam, & indiſſolubilem unitatem; quodque niſi unio hujuſmodi procuretur, imperio Conſtantinopolitano propter perfidos Saracenos, quorum prava intentio ad exterminium nominis Chriſtiani, & ad occupandum ſpecialiter partes ipſas, prout experientia facti docet, ardenter aſpirat, magnum noſcitur periculum imminere.*

Redeundi ad eccleſiam Rom. conſilium concipit.

*Nos igitur bonam voluntatem & intentionem hujuſmodi, quæ nobis & eiſdem noſtris fratribus plurimum grata fuit, dignis in Domino laudibus commendantes; ac cupientes, prout ex injuncto nobis officio apoſtolatus incumbit, ut catholica eccleſia toto orbe diffuſa, cujus ſalvator noſter dominus Jeſus Chriſtus caput eſſe dignoſcitur, in vinculo dilectionis & pacis ac in identitate mentium adunetur; nec non ut animarum & aliis periculis, quæ ipſis partibus imminent, obvietur; magnificentiam tuam rogamus in Domino, & hortamur, eam per aſperſionem pretioſi ſanguinis ejuſdem domini noſtri Jeſu Chriſti obnixius obſecrantes, quatenus attente conſiderans qualia, quot, & quanta bona præter animarum ſalutem, quæ eſt principalius attendenda, tibi & ſubditis tuis & cuncto populo Chriſtiano ſint proculdubio proventura, ſi Græcorum eccleſia redintegretur eidem ſanctæ Romanæ eccleſiæ in charitatis glutino & veræ fidei unione; tuamque intentionem ſalubrem deducens celeriter in effectum, pro bono & pacifico ſtatu populi Chriſtiani, & ſubditorum tuorum, & tuæ ac ipſorum animarum ſalute, nec non pro ampliatione catholicæ fidei animum tuum, repulſis perſuaſionibus contrariis quibuſcumque, ad *.. errores & ſchiſmata, quibus diabolica fraus te & Græcorum populum ſic diutius obcœcavit, & ad veram obedientiam & unitatem ipſius ſanctæ Romanæ eccleſiæ redeundum, conſtanti & invariabili propoſito habilites & coaptes, & ad ovile Domini redeas properanter, tuoſque ſubditos ad hæc inducas pariter & horteris, tempus præparatum ad bonum, & benevolentiam Apoſtolicæ ſedis oblatam tuæ magnitudini non permittens de manibus tuis excidere; ſed ea cum gratiarum actione ac efficaci aſſumptione negotii plenis affectibus proſequaris, ſciturus pro certo, quod facta redintegratione prædicta, ſedes Apoſtolica te tanquam chariſſimum filium ſic favorabiliter & gratioſe tractabit, & habebit in viſceribus charitatis, quod gaudere poteris in ea matrem benevolam in tuis opportunitatibus inveniſſe. Dat. Avin.* II. *non. auguſti anno* XVII.

Solicitatur, ut id in opus perducat.

* abjurandum ſchiſma & errores abiiciat.

XVIII. Nec Andronicum modo, verum etiam patriarcham & clerum populumque Græcum ad reſtituendam priſtinam incorruptæ fidei puritatem; & ſchiſma, quod

Pont. ad patriar. & Græcos adhortatio.

tot immanes non animabus modo, verum & corporibus clades intuliſſet hactenus, abolendum hortatus eſt (*a*): cum hujuſmodi felici cum eccleſia conjunctione imminens a Turcis ſervitutis jugum depulſuri eſſent.

(a) Ib. pag. 25. & An. 17. p. 2. ep. com. 1342.

*Dilectis in Chriſto fratri patriarchæ, ac viro magnifico Andronico Imperatori, nec non univerſo populo Græcorum ſpiritum gratiæ ſalutaris.*

*Ad unitatem fidelium & univerſorum ſalutem, eorumque ſtatum proſperum & tranquillum totis ſtudiis, prout ex apoſtolatus nobis incumbit officio, intendentes, illud præcipue in mente gerimus, & ad hoc libenter partes noſtræ ſolicitudinis impartimur, ut catholica eccleſia, toto terrarum orbe diffuſa, in vinculo dilectionis & pacis charitatis glutino & identitate mentium adunetur, Chriſtique oves per vicarii ſui in terris vigilias rectitudine fidei & veræ doctrinæ directione paſcantur. Nuper ſiquidem, non ſine gravi amaritudine cordis, multorum fide dignorum de partibus ipſis ad Apoſtolicam ſedem venientium relatione percepimus; quod licet vobis & aliis partium vicinarum, ritum veſtrum ſequentibus, a tempore antiquati & pernicioſi ſchiſmatis, quo vos ab unione ſanctæ Romanæ eccleſiæ cunctorum fidelium veræ matris, & rectitudine catholicæ fidei ſeparaſtis præter animarum pericula quæ, prob dolor! evenerunt in temporalibus continuato tempore male ſucceſſit; ac multæ injuriæ, jacturæ, & violentiæ ſint illatæ, veſterque ſtatus decreverit & depreſſus ſemper extiterit; nunc in perſecutiones hoſtiles & aggreſſiones horrendorum Saracenorum hoſtium nominis Chriſtiani & aliorum infidelium, qui ad occupandum veſtras & alias partes Romaniæ invicem colligati & confœderati forte dicuntur in exterminium veſtrum fortius ſolito ſuſtinetis, & ſæviores in futurum pati veriſimiliter formidatis; quodque vos, iſtis in debitæ conſiderationis libratis examine, diſpoſuiſtis & properaſtis, prout venerabiles fratres noſtri Franciſcus archiepiſcopus Voſprenſis, & Richardus epiſcopus Cerſonenſis ad nos & ſedem prædictam de ipſis partibus venientium habet grata relatio facta nobis, animos veſtros ad redeundum ad obedientiam ipſius ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac orthodoxæ fidei unitatem. Propter quod nos more patris benevoli, qui oberrantes filios libenter reducit ad tramitem veritatis, erga vos ſic depreſſos & afflictos cordiali compaſſione commoti; ac ſperantes tempus reductionis veſtræ ad rectitudinem veſtræ fidei & unionem univerſalis eccleſiæ adveniſſe, providimus bonam intentionem veſtram apoſtolicis exhortationibus confirmandam & excitandam, ut deducatur celeriter in effectum.*

Collapſum ob ſchiſma orientale imperium.

*Eapropter univerſitatem veſtram rogamus in Domino & hortamur, eam per aſperſionem pretioſi ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti obnixius obſecrantes, quatenus conſiderantes attente depreſſiones innumeras & jacturas, quas eſtis a tempore ſeparationis veſtræ hujuſmodi ab unitate eccleſiæ prædictæ perpeſſi, ac animarum & perſonarum pericula vobis imminentia ſæviora; nec non quot & quanta bona, præter animarum ſalutem, tranquillitatem, pacem, & bonum ſtatum, quæ nedum vobis, ſed & univerſali eccleſiæ ſanctæ Dei cunctiſque fidelibus ſit veſtra redintegratio productura; ad unitatem & obedientiam ejuſdem ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſine dilatione aliqua properetis, & ad ovile Chriſti redeatis, veſtramque intentionem laudabilem in realem deducatis effectum, ac a vobis quælibet ſchiſmata & errores, quibus diabolica fraude fuiſtis hucuſque decepti, penitus abigatis. Quæ ſi, ſicut ſperamus, Domino faciente, complenda duxeritis, ipſa mater eccleſia vobis ad eam redeuntibus ſinum ſuæ largiſſimæ pietatis aperiet, conſolationem & pietatem impendet, ac in veſtris neceſſitatibus opportuna ſubſidia miniſtrabit. Dat. Avin. II. non. auguſti anno XVII.* Solicitatus etiam eſt Joannes Piſanus, qui plurimum in imperatoria aula gratia poterat, ut optatiſſimam illam Græcorum conjunctionem promoveret (*b*).

Propoſitæ impendentes calamitates, ni reſipiſcant.

(b) An. 17. p. 1. ep. cur. 5.

*Dilecto filio Joanni Piſano conſiliario magnifici viri Imperatoris Græcorum ſalutem.*

*Cum tam per tuas quam quorumdam aliorum de partibus ipſis literas per dilectum filium Leopardum capellanum tuum nobis oblatas, nec non relatione venerabilium fratrum noſtrorum Franciſci archiepiſcopi Voſprenſis, & Richardi epiſcopi Cerſonenſis, pridem de dictis partibus ad ſedem Apoſtolicam accedentium, grate percepimus nova proſpera, & nobis ac fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus grata plurimum & accepta, reſerantia bonam diſpoſitionem Græcorum, & præſertim S. Baſilii ... & S. Demetrii monaſteriorum abbatum, quam ipſi ad redeundum ad obedientiam S. R. E. matris cunctorum fidelium, & orthodoxæ fidei unitatem habere, ut dictæ continebant literæ, conſtanti propoſito aſſeruntur. De quo laudes & gratias Altiſſimo referentes, tuæque ſolicitudinis ſtudium in hac parte adhibitum, & quod in hujuſmodi negotii conſummatione felici adhibere proponis, dignis in Domino laudibus commendantes, diſcretionem tuam rogamus in Domino & hortamur, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus præfatos abbates, & Græcos in hujuſmodi laudabili eorum propoſito corrobores & confirmes, ac eos ad illud realiter conſummandum inducas, &c.*

Nonnulli abbates Græci ad ſchiſmatis abrogationem proclives.

*Dat.*



*Dat. Avin. II. non. aug. anno XVII.* Præter hos abbates Barlaamus abbas monaſterii S. Salvatoris Conſtantinopolitani ad diſſolvendum vetus ſchiſma plurimam navavit operam; de cujus legatione, ſcriptis, ac rebus geſtis dicetur inferius.

XIX. Decreti in Græciam legati.

Decreti vero ſunt ad ſanciendum orientalium cum Romana eccleſia fœdus nuntii, de quibus memoravi, Franciſcus & Richardus ordinis Prædicatorum alumni, qui pontificalibus ſacris initiati ad Zichos in orthodoxæ religionis cultu confirmandos erant reverſuri; ac ſubjecto diplomate (*a*) ad cœpta feliciter provehenda auctoritate inſtructi.

(a) Ib. ep. 1339. & in MS. memor. p. 33.

*Venerabilibus fratribus Franciſco archiepiſcopo Voſprenſi, & Richardo epiſcopo Cerſonenſi.*

*Arduis mens noſtra jugiter occupata diverſis inter cunctas ſolicitudines, noſtris humeris incumbentes, ad illud ſuſpirat ardentius, illudque in ſolidæ charitatis ardore orationibus devotis expoſcit, ut lapis ille angularis, qui fecit utraque unum, ſuam ſanctam & univerſalem eccleſiam toto terrarum orbe diffuſam, omnium ſchiſmatum ſciſſura ſemota, miſericorditer integrans in unitate fidei orthodoxæ adunare dignetur: & præſertim ut Græcorum eccleſia, tam longis & deflendis temporibus ab ejuſdem univerſalis eccleſiæ corpore mutilata, antiquati jam ſchiſmatis ſeminariis penitus amputatis, ad unionem ejuſdem corporis tanquam magnum & nobile membrum ejus, auctore Domino, reducatur. Sane dum in mente revolvimus innumerabilia animarum pericula cunctis deflenda fidelibus, incommoda perſonarum, rerumque diſpendia, oppreſſiones innumeras, & depreſſiones immenſas, quæ dicti Græci, ex quo ab unione ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris omnium & magiſtræ, prob dolor! diverterunt hactenus uſque ad hæc tempora ſunt perpeſſi, & quæ, ſicut facti evidentia notum reddit, non utinam augumentata fera paganitas & ſeveritas Saracenica in magnam & execrabilem Chriſtiani nominis contumeliam ipſis noviter intulerunt, & inferre ſævius machinantur; ſtatui eorum depreſſo & afflicto compatimur, & erga eos pietatis viſcera, prout ex injuncto nobis apoſtolatus incumbit officio, miſericorditer aperimus: ſperantes in miſericordia Jeſu Chriſti, ut ipſe, cujus judicia ſunt abyſſus, tempus reductionis eorum per vexationem hujuſmodi adveniſſe, ac Græcis ipſis per hoc cognoſcendi ſuam omnipotentiam, & ad unitatem catholicæ fidei ac obedientiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ firmo & conſtanti propoſito redeundi rectum intellectum præbuiſſe ac præbere demonſtret. Cupientes igitur oves dominicas, quæ ſic ſpiritualiter & temporaliter pereunt, ad ovile Domini revocare, ut ſecundum divinam ſententiam ſit unum ovile & unus paſtor, Latinorum & Græcorum populis in unitate orthodoxæ fidei congregatis, & in charitatis ardore conjunctis; utilitates etiam innumeras, animarum ſalutem, nec non bonum publicum, quæ ex redintegratione bonorum ipſorum unitati ejuſdem S. R. E. ſperamus indubie Deo auſpice provenire, debita meditatione penſantes; credentes quoque firmiſſime, quod vos tanquam viri probatæ vitæ, facundi eloquentia, & lingua diſerti, circa hujuſmodi noſtrum deſiderium exequendum veſtros labores ac ſtudia opportuna diligentia fideliter convertatis; fraternitati veſtræ, de qua in iis & aliis gerimus confidentiam in Domino ſpecialem, per apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus ad partes illas vos perſonaliter conferentes, in illius virtute, qui neminem vult perire, tam clero, quam populo Græcorum ipſorum præmiſſa animarum pericula, diſpendia perſonarum, rerum & bonorum incommoda, quæ ipſis ex ſeparatione hujuſmodi juſto Dei judicio contigerunt: nec non & graviora diſpendia, quæ eis, niſi redintegrentur unitati ejuſdem Romanæ eccleſiæ, a prædictis infidelibus præparantur; animarumque ſalutem & profectus immenſos, ac publica commoda, quæ non ſolum eis, ſed catholicæ fidei, ac toti univerſali eccleſiæ ex membrorum ſuorum reſtitutione, auctore Domino, ſunt firmiter proventura, exponere juxta quod vobis Dominus, cujus negotium agitur, miniſtrabit prudenter & ſolicite ſtudeatis: ipſoſque viis & modis ſalubribus, ac inductionibus & exhortationibus opportunis inducere, ut catholicæ fidei puritatem, quam dicta S. Rom. mater eccleſia, cujus dominus noſter Jeſus Chriſtus caput eſt & ſolidum fundamentum, firmiter tenet, docet, & prædicat, velint ſincero & humili corde ſuſcipere, eamque publice & firmiter profiteri, dictæ quoque S. R. E. primatum agnoſcere & ad ejus unionem & ſalutarem obedientiam properare. Quæ ſi, ut ſperamus, Domino inſpirante, perfecerint, ipſa mater eccleſia filiis redeuntibus ſinum largiſſimæ pietatis aperiet, conſolationem & charitatem ipſis impendet, & in eorum opportunitatibus ipſos ſicut chariſſimos filios gratioſe, ac favorabiliter pertractabit. Dat. Avin. II. non. aug. anno XVII.* De his præſulibus agetur inferius, cum de religione amplificata inter Tartaros dicemus. Eluſit vero eorum zelum Græcorum in ſuſcepto ſchiſmate pertinacia; quare Turcis tanquam carnificibus divina juſtitia ad plectendam eorum perfidiam uſa eſt.

Pontificiæ pro Græcis liberandis curæ.

Legati monita inculcare juſſi.

Maurorum in Hiſp. irruptio.

XX.

Neque intulere modo ex Aſia Græciæ bellum Turcæ, verum ex Africa Marrochitani Hiſpaniis (*b*): cujus terrore perculſi Caſtellæ, Aragoniæ, & Luſitaniæ Re-

(b) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 108. Jo. Vill. l. 10. c. 223. Marian. de reb. Hiſp. l. 16. c. 2. Sur. l. 7. c. 18.

Reges decimas ſacerdotiorum ad belli ſumptus tolerandos a Pontifice popoſcere. Cum vero omnium regnorum decimas pro Syriaco bello conficiendo decreviſſet, Philippum de exorto caſu, qui votis obſtaret, quod attinebat ad Caſtellæ, Aragoniæ, ac Luſitaniæ decimas, admonuit: (a) *Excellentiam*, inquit, *regiam credimus non latere, quomodo Saraceni tranſmarini & ciſmarini regnum Caſtellæ atrociter invaſerunt, & quomodo ſe dicuntur diſponere ipſum conflatis viribus cum Saracenorum innumeroſa multitudine invadere & vaſtare; propter quæ filius noſter in Chriſto chariſſimus Alfonſus Rex Caſtellæ illuſtris miſit ad curiam pro decimali & aliis ſubſidiis obtinendis, & idem faciunt chariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſus Rex Aragonum & Alfonſus Portugalliæ Reges illuſtres, qui jamdiu miſerunt ad curiam pro ſimilibus ſubſidiis obtinendis, &c. Datum* II. *kal. martii anno* XVII.

(a) *Ead. pag.* 108.

Petita a Regibus Hiſp. ſubſidia.

Heraclea obſeſſa a barb. & capta.

Oppugnabat tum Heracleam, freto Gaditano imminentem omni telorum genere Abhomelicus Marrochitani Regis filius cum florentiſſimo Maurorum exercitu: Mahomades vero Granatæ Rex in Cordubenſes agros invectus præfecti perfidia Egabrum cepit, ac mox, abductis in ſervitutem omnibus fidelibus, ſolo æquavit: qui vero præerat Heracleæ Vaſco Pereſius, cum arcem nec milite nec commeatu ſatis inſtruxiſſet, eam dedere coactus, in Africam fugit, ut regias iras evaderet. Cæterum Alfonſus Caſtellæ Rex adulta æſtate contractis copiis Hiſpalim acceſſit, ad cujus ſigna Jacobus Exerica cum præclaro Aragonum agmine ſe contulit: cum accepto deditionis Heracleæ nuntio Rex, antequam muniretur neceſſario commeatu illam cingere obſidione decrevit, metatuſque caſtra, cum tardius Hiſpali veniret claſſis, laborare inopia victuum cœpit, ac milites, qui e caſtris diſcedebant, in hoſtium ſervitutem cecidere: tantaque Chriſtianorum, quos variis excurſionibus barbari cepere, multitudo fuit, ut ingenti nominis Chriſtiani opprobrio ſingula capita nummo aureo vænirent.

Divenditi nummo a barb. Chriſtiani.

Inter hæc mala, cum trepidaret Hiſpania, ne ut olim obtenta Heraclea Africanorum eluvio illam inundaret, maxime ſi Marrochitanus cum Tremiſeno fœdus junxiſſet, nonnulli impii Caſtellani proceres nimirum Emanuel, Joannes Lara, Joannes Harus Camerorum regulus, ſociique factioſi, Caſtellæ fines deformarunt: quibus malis conflictatus Alfonſus, turpiſſimam ſed neceſſariam pacem ad quadriennium confecit, retentis a barbaris arcibus, quas in eo bello ceperant, ac ſublato vectigali, quod Reges Granatenſes pendere Caſtellanis conſueverant. Verum Mahomades haud diu concitati in Chriſtianos belli adhibitæque ſævitiæ pœnas effugit, a ſuis, qui illi communi menſæ cum caſtellæ Rege Chriſtiano accubuiſſe objecerunt, menſe auguſto contrucidatus.

Turpis pax a Caſtellano inita.

XXI.

Non potuit, ut refert Surita (b), Alfonſus Aragonum Rex eo in bello bellicam ſuam virtutem, ut optabat, explicare cum hydrope laboraret: cujus etiam vires Genuenſe bellum admodum diſtraxit, ne univerſam armorum molem, duce Jacobo Exerica, in barbaros verteret. Impenderat ſuperiori anno Pontifex ad illud ſopiendum curas, ac Genuenſes Catalanis & Balearibus conciliandos; cœptumque concordiæ tractatum promovere hoc anno meditatus (c) IV. id februarii Elionoram Reginam, ut maritum ad id adduceret, hortatus eſt. Conjungebat etiam cum Pontifice ſtudium Robertus Siciliæ Rex; auctorque Joanni extitit, ut Genuenſes ad pacem urgeret, dirimendamque litem ſuſciperet. At Pontifex Aragonio & Baleari ſignificavit (d), a ſe in ea cauſa ipſis inconſultis ſententiam non latum iri; ut vero Genuenſes ad ineundam concordiam, quemadmodum ex Roberti Regis conſilio conſtitutum erat, provocaret, VI. kal. aprilis ipſis obtulit, ſe dirimendæ æquitate diſcordiæ munus paterno ſtudio ſuſcepturum, atque ad pacem, pellicere, adductis in medium ingentibus malis, quæ inde erumpebant, conatus eſt. Non abhorrere a pacis conſiliis Genuenſes præ ſe tulere, conventumque eſt, ut Aragonii, Baleares, ac Genuenſes oratores ad aulam Avenionenſem mitterent.

(b) *Sur. l.* 7. *c.* 18.

Pont. ſolicitudo pro Catalanis & Liguribus conciliandis.

(c) *To.* 9. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 153.

(d) *Ead. p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 153. *& poſt. eand. ep.*

Solviſſe hoc anno Romanæ eccleſiæ in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli Alfonſum Regem Aragonum Sardiniæ & Corſicæ cenſus mediam partem, cum alteram ad tempus aliquod Pontifex liberaliter remiſiſſet, uti ſuo loco diximus, docet ſyngrapha pontificia (e), mille nimirum marchas juſtorum ſterlingorum, quæ conſtabant, ut ait, *in quatuor millibus centum ſeptuaginta duobus florenis auri undecim ſolidis & quatuor denariis coronatorum. Singulis marchis pro quatuor florenis auri duobus ſolidis & quatuor denariis coronatorum computatis*. Sunt aliæ plures de illato in pontificium ærarium hoc (f) anno & ſequenti (g) a Roberto Rege Siciliæ vectigali ſyngraphæ in pontificio regeſto, quæ indicaſſe ſuffecerit.

Solutus a Rege Arag. Sardicus cenſus.

(e) *Par.* 1. *ep. ſecr. pag.* 69.

(f) *Ead. p.* 1. *pag.* 69. *& p.* 2. *pag.* 308.

(g) *Ead. pag.* 313.

XXII.

Interea recrudeſcentibus inter Aymonem comitem Sabaudiæ & Guigonem delphinum Viennenſem veteribus diſcordiis, Pontifex archiepiſcopum Aquenſem, & Mimatenſem epiſcop. XVII. kal. auguſti inducias pontificio nomine illos inter indicere juſſit (h), atque ad cenſuras

Delphinus Sabaudum bello appetit.

(h) *To.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 57.



earum violatoribus incutiendas auctoritate inſtruxit. At delphinus ſpretis apoſtolicis monitis Sabaudiæ arcem, quam obſidione cinxerat, oppugnare non deſiſtebat (a); cum ſaxo balliſta hoſtili contorto eliſus ad divinum tribunal raptus eſt. Infelix mortis genus impudicæ ejus vitæ conſenſit; petulantem enim in ſtruendis aliorum conjugibus inſidiis fuiſſe, deſcribunt auctores (b). Significatam ferunt (c) divinitus miſerandam delfini mortem Carolo principi Joannis Regis Boemiæ filio, qui poſtea imperium geſſit: vidiſſe enim in ſomnis præſtantem forma juvenem raptum in ſublime, atque genitalibus inhumaniter exſecari: interroganti vero cur tam eleganti forma juvenis adeo atroci ſupplicio diſcruciaretur, reſponſum eſſe, damnatum a divino Numine eo pœnæ genere, qui impudice aliena cubilia attrectaſſet: elapſis ab eo cœleſti viſo paucis diebus relatum, Guigonem delphinum ſub id tempus confoſſum, ut dictum eſt periiſſe: Carolum porro, ut cœleſtis moniti memor eſſet, ac ne infelici alterius exemplo laſciviret, templum B. Virgini poſuiſſe in Parmenſi agro eo in loco, in quo per nocturnam quietem ea ſpecies obverſata erat, atque ad celebrandum in eo divinum cultum vectigalibus locupletaſſe.

(a) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 225.

Colliſus ſaxo perit.

(b) *Paul. Æmil. in Philip. IV.*

Objecta cœlitus ſpecies de illius ſupplicio.

(c) *Car. IV. Imp. in vit. ſua Æneas Sylvan. in hiſt. Boem. c.* 33. *Paul. Æmil. in Phil. IV.*

Poſitum a Carolo Moravo Virgini templum.

Cum vero triſtem delphini caſum audiſſet Pontifex, archiep. Aquenſi, & Mimatenſi epiſc. provinciam dedit (d), ut ſi qua Chriſtianæ pœnitentiæ ſigna in extremo vitæ actu dediſſet, anathemate exolverent. Cæterum interfecto delphino, ipſius exercitus diſſipatus non eſt, ſed arcis oppugnationem majori ardore urgebat (e): qua impetu capta, ad triſtem vindictam de Guigonis cæde ſatiandam præſidiarios milites in ea inventos balliſtis extra mœnia contorſere. Succeſſit in principatu delphinatus Robertus Guigonis frater qui tum Neapoli cum Rege Siciliæ verſabatur: ipſum autem cum Aymone Sabaudiæ comite pacem pepigiſſe, refert Joannes Villanus (f).

(d) *To.* 9. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 57.

(e) *Jo. Vil. ſup. cap.*

Vindicata a ſuis delphini mors.

(f) *Id. ib.*

XXIII.

Gallos inter & Angl. bellorum ſemina.

Inter hæc Philippus graviſſimo externo bello implicari cœpit, quo demum expeditio Aſiatica, quam voverat, diſturbata: ac nata illa crudeliſſima inter Anglos & Gallos, ut refert Joannes Villanus (g) odia, quæ tantum ſanguinis fuderunt: Davide enim & Baliolo, qui ſuperiori anno parta elatus victoria ad Sconam regnum iniverat (h), de ſceptro Scotico certantibus, Eduardus Baliolum beneficio ejus Scotiam acceptam ſe relaturum pollicentem, tuendum ſuſcepit; quem Pontifex ab inferendo bello propoſitis ingentibus, quæ inde emergerent, redundarentque in rei catholicæ exitium calamitatibus, abducere ſubjectis verbis eſt conatus (i): *Regalem rogamus excellentiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus ſtrages corporum, lapſus rerum, & animarum amplius plangenda pericula, innumeraque alia diſpendioſa diſcrimina, quæ non ſine divina offenſa diſſenſiones & guerræ præteritæ produxerunt, ac periculoſiora, quæ ſecum ſi ſuſcitarentur ulterius traherent, adducens in regiæ conſiderationis examine; & attendens nihilominus diligenter innumera ex eadem pace, ſi obſervetur, ut decet & expedit, tibi & eidem Regi, ac utriuſque ſubditis fidelibuſque aliis, & maxime tranſmarino paſſagio, quod ad Dei laudem, exaltationem fidei, & animarum ſalutem procuratur his temporibus, proventura; & inſuper quanta, ſi pax ſic facta ſolemniter, ac tantis & talibus affinitatis & parentelæ vinculis ſtabilita per te, fili chariſſime, violaretur, quod abſit, tribueretur materia hominibus obloquendi; ad obſervationem pacis ejuſdem inviolabilem ſuum celſitudo regia ſtudeat animum inclinare, non permittendo aliquid attentari in contrarium, & attentata pro parte regia vel ſubditorum ejuſdem faciendo nihilominus revocari: præſertim cum præfatus Rex Scotiæ paratus ſit, ut intelleximus, facere illud idem. Datum* XVI. *kal. aprilis anno* XVII. Nec minus operæ poſuit (k), ut ad colendam cum Anglo pacem Davidem perpelleret, cui etiam objecit (l), ipſum bello cauſam præbuiſſe, cum promiſſa a parente Roberto Bruſio non perfeciſſet, quæ ut abjecta omni mora in opus perduceret, eſt adhortatus. Dum hæc ad conciliandos Reges Avenione ſcribebat Pontifex, Reges validis ſuccincti exercitibus (David enim ad ſolvendam Warvici obſidionem advolarat) infeſtis animis concurrere. Inclinavit ad Anglos victoria, & Warvicum Angliæ reſtitutum: moxque decreti a Pontifice Geraldus Othonis ſummus Minoritarum præfectus, & Arnaldus e S. Michaele ordinis Prædicatorum religioſus vir apoſtolici nuntii, quo diſſidentes Reges ad priſtinam concordiam adducere ſtuderent (m). Rogata etiam Iſabella Regina Eduardi mater (n), ut filio pacis conſilia inſtillaret.

(g) *Jo. Vil. l.* 10. *c.* 124.

Baliolo favet Anglus adverſus Davidem Scotum.

(h) *Id. ib.*

Solicitatus ad pacem Scotiæ reſtituendam.

(i) *To.* 9. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 117.

Monitus de colenda affinitate.

(k) *Ead. p.* 1. *pag.* 17.

(l) *Ib. pag.* 147.

(m) *To.* 9. *p.* 2. *ep. ſecr. pag.* 208. *&* 209.

(n) *Ead. p.* 209.

*Joannes, &c. Iſabelli Reginæ Angliæ.*

*Non ſine multa mentis amaritudine percepimus his diebus, quod zizaniæ ſator cunctorumque malorum incentor inter chariſſimos in Chriſto filios noſtros Eduardum Angliæ natum tuum, & David Scotiæ Reges illuſtres adeo gravis diſſenſionis injecit ſemina, quod jam ad tam graves congreſſus bellicos proceſſerunt mutuo, quod, prob dolor! gens innumera in eis dicitur cecidiſſe: nec his contenti ad graviora inferenda hinc inde, ſicut aſſeritur, ſe diſpo-*

Anglum inter & Scotum exorta diſſidia.

*diſponunt*. Et infra, ubi ſubjecit, ſe ex apoſtolica ſolicitudine ad extinguendum bellum atrox Geraldum Othonis Minoritarum ſupremum præpoſitum, atque Arnaldum e S. Michaele ordinis Prædicatorum internuntios mittere, addit: *Tuam excellentiam exhortamur attentius in Domino & rogamus, quatenus pacis commoda & diſſenſionum diſcrimina conſideranter attendens, nuncios præfatos benigne recipias, eiſque favoribus opportunis ſuper præmiſſis aſſiſtas ſummi pacificique Regis intuitu, ac noſtrorum præcaminum interventu, dictum Regem natum tuum inducendo ſedule, aliaſque dando opem & operam efficaces, ut pax Deo grata, & hominibus bonæ voluntatis deſiderata plurimum, Regibus prædictis & eorum regnis proveniat, terræque ſanctæ negotio (cui per diſcordiam Regum ipſorum impedimenta præſtarentur noxia) profutura, ut per hoc illum tibi retributorem tuæ ſolicitudinis & laboris conſtituas, qui fidelium obſequia in retributione juſtorum ſine retributione ineffabili non relinquet. Dat.* XVII. *kal. octobris anno* XVIII. Suſceperant illi iter ad aulam Gallicam, cum Davidem Scotia diſceſſiſſe acceperunt (*a*): cumque Pontifici ſignificaſſent, acceſſum ſuum in Angliam nullam utilitatem allaturum, ad ſedem Apoſtolicam ſunt revocati (*b*). Davidem porro Regem in Gallias cum uxore fugiſſe tradunt (*c*).

Miſſi internuntii ad ea componenda.

Rogata Iſabella Regina, ut pacem promoveat.

(*a*) Par. 1. ep. ſecr. pag. 219.
(*b*) Par. 2. ep. ſecr. pag. 191.

Scotus Rex in Gallias aufugit.

(*c*) Jo. Vil. l. 10. c. 224.

XXIV. Interea Joannes reſtituere Urbi Apoſtolicam ſedem meditabatur (*d*): ea enim de cauſa Philippo (*e*) e Cambarlhaco injunxerat anno ſuperiori, ut ſacram ſtipem, a fidelibus altari S. Petri illatam, ad pontificias ædes inſtaurandas atque hortos excolendos derivaret: verum a Philippo (*f*) Francorum Rege ſolitis verborum lenociniis eſt ab eo conſilio retardatus, cui reſcripſit iter ſe niſi ipſo conſulto minime initurum: *Super receſſu*, inquit, *noſtro de Avinione verſus partes Italiæ differendo celſitudinis regiæ literas meminimus recepiſſe: ad quæ tale damus tenore præſentium reſponſum, quod viam prædictam aggredi non intendimus niſi ea ac ejus cauſa antea excellentiæ regiæ intimata. Dat.* II. *kalen. martii anno* XVII. Certabant officiis cum Joanne Romani, ut ipſum ad Urbem repetendam allicerent: atque ideo urbanorum magiſtratuum jus auctoritatemque communibus ſuffragiis ipſi tradidere, reſtitutis nimirum eccleſiæ vetuſtis juribus, quæ ob Pontificum diuturnam abſentiam contra fas invaſerant. Delata admiſit Joannes, Urbique Robertum Siciliæ Regem præfecit (*g*), ut Romanos illius potentia atque auctoritate in officio contineret. At conſuluiſſet felicius Italiæ ſediſque Apoſtolicæ dignitati, ſi ipſemet, relicta Avenione, Urbis atque Italiæ curam ſuſcepiſſet, ſaluberrimaque conſilia in opus perduxiſſet. Neglexit (*h*) enim rem Romanam Robertus Rex, ac Joannes & Bertrandus ſedis Apoſtolicæ legati, ruentem rem eccleſiaſticam non ſuſtentarunt. E Pontificis primum abſentia Romani proceres, laxatis licentiæ habenis, quaſi nullius imperiis eſſent obnoxii, Urſini præcipue & Columnenſes atroci inter ſe bello certabant.

Joannes Italiæ ſedem reſtituere meditatur.

(*d*) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 108.
(*e*) To. 8. p. 2. ep. ſecr. pag. 285.

Retardatur a Gallo Rege.

(*f*) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 108.

Illum Romani in Urbem officiis allicere ſtudent.

(*g*) Ib. pag. 134.

(*h*) Ib. p. 4.

Romani proceres mutuo ſe bello appetunt.

Urſini cæſi.

XXV. Auxit malum Joannes Urſinus ſancti Theodori diaconus Cardinalis Apoſtolicæ ſedis in Etruria legatus: graviore enim dolore ex Bertuldi & Franciſci nepotum factione Stephani Sciarræ Columnæ filii interfectorum cæde percitus, Columnenſium everſioni inhians contra ſedis Apoſtolicæ dignitatem auctoritatemque pontificiam, provinciam bello concuſſit, ac Stephanum Columnam & liberos eſt inſectatus: quem Pontifex arma ponere, ipſumque ab effrænata ira continere graviſſimis hiſce literis juſſit: (*i*) partes enim judicis ſe in ea cauſa ſuſcepturum.

Jo. Card. Urſinus Columnenſes inſectatur.

(*i*) Ibid. pag. 7.

*Joannes, &c. Joanni S. Theodori diacono Cardinali A. S. L.*

*Diſplicenter nimis audivimus, quod nuper recepta lugubri morte illorum nobilium nepotum tuorum, requiſitis amicis & civitatibus omnibus convicinis, grandique equitum ac peditum exercitu congregato, hoſtiliter caſtrum Jovis obſidens, in B. Petri patrimonio conſtitutum, quod ad dilectum filium nobilem virum Stephanum de Columna ſeu, prout alii aſſerunt, ad dilectum filium noſtrum Joannem S. Angeli diaconum Cardinalem ejus filium noſcitur pertinere; quamquam nec dictus nobilis interfuerit ſtragi prædictorum nobilium, nec ſit veriſimile, quod ad id conſilium, auxilium præſtiterit, vel favorem; ipſumque tamdiu obſeſſum tenueris, quouſque ipſo per violentiam habito ipſum dederis in ruinam. Adhuc ad noſtram notitiam eſt deductum, quod præfatus exercitus Urbem potenter ingrediens, præfatum Stephanum de Columna ac ſuos totamque illam regionem, in qua moram trahere noſcitur, hoſtiliter eſt ingreſſus; nec his contentus, ad invadendum caſtra alia & terras ipſius, & contra perſonas ipſorum Stephani liberorumque ſuorum & familiarium, Dei timore poſtpoſito, & eccleſiæ proſtrata reverentia, ſe diſponit.*

Pontificiæ ea de re ad ipſum lit.

*Attende, fili, & diligenter conſidera quantum Deum offenderis in hac parte. Ad ipſum quidem pertinet per ſe vel ſuos miniſtros illatas injurias alicui vel aliquibus vindicare: tu vero non erubuiſti ejus officium uſurpare temere, cum nec per ipſum, nec per nos ejus miniſtrum, deputatus ad prædicta fueris perpetranda. Adhuc*

*huc*



*huc, fili, conſidera quantis per præmiſſa expoſueris periculis ſtatum tuum: conſtat equidem, quod obſidio, expugnatio, & demolitio dicti caſtri & præmiſſa aggreſſio contra jura ſcripta extiterint attentata, ex quibus dicuntur hinc inde ſecuta vulnera, mutilationes, & ſtrages. Conſtat quoque contra conſtitutionem noſtram, per quam eſt, ne in terra prædicta patrimonii alicui jus ſibi dicere liceat, interdictum ſub pœnis gravibus, attentata præmiſſa. Nos inſuper non leviter offendiſti, quod in terra patrimonii B. Petri præmiſſa tentaveris, a quibus debebas alios coercere. Attende inſuper ſi talia ad Cardinalis Apoſtolicæ ſedis legati officium in terra eccleſiæ, in qua nulla ſibi temporalis juriſdictio eſt commiſſa, valeant pertinere. Et ſi dicas, te non feciſſe præmiſſa, ſed ea nepos tuus frater mortui perpetravit; certe talis excuſatio non eſt ſufficiens reputanda, cum nec præmiſſa ſibi liceant, nec poſſet ea ſine tuo ſubſidio, conſilio, & auxilio adimplere, &c.* Addita imperia ut cœptis abſiſteret, ſeque conferret in Etruriam ad legati munus exercendum. *Datum* XIII. *kal. ſeptembris anno* XVII.

Jubetur cœptis abſiſtere.

XXVI. Haud ita feliciter Pontifex Inſubriæ bella extinguere potuit. Pepigerat (*a*) ob id anno ſuperiori cum Joanne Rege Boemiæ, dum ad ſedem Apoſtolicam acceſſit, arcanum fœdus; Gallicisque, duce comite Armaniaco, ſuccintus copiis Boemus ad ſumendam de Azone Mediolanenſi Vicecomite & Alberto ac Maſtino Scaligeris, qui nonnullas fidei & clientelæ regiæ addictas urbes ipſi eripuerant, ultionem inhiabat; cum Pontifex ut attritam continuis bellis Inſubriam levaret, apoſtolicos nuntios Bernardum de Apiano ſacriſtam Magalonenſem, & Petrum Marini canonicum Xantonenſem miſit (*b*), ut illum cum Azone & Scaligeris conciliarent, literiſque apoſtolicis Joannem, Azonem, Maſtinum, Albertumque, ad amplectenda pacis conſilia paterno zelo eſt adhortatus (*c*). Cum vero Joannes Rex Pontificem arbitrum controverſiæ, quæ ipſi cum Azone intercedebat, excepto Bergomo, delegiſſet, Azonem monuit Pontifex (*d*), ut oratores ad rem æquitate dirimendam ad ſedem Apoſtol. legaret.

Pontificia pro Italia pacanda ſtudia.

(*a*) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 107. & 109.

Jo. Boemiæ Regis expeditio. Azo Mediol. ad pacis conſilia ſolicitatus.

(*b*) Ib. pag. 20.

(*c*) Ead. pag.

(*d*) Ead. p.

*Azoni de Vicecomitibus vicario civitatis Mediolanenſis.*

*Quia tuum & domus tuæ ſtatum deſideramus proſperum & tranquillum, percepto pridem, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Rex Boemiæ illuſtris per te reputabat multipliciter ſe offenſum, eumque illius eſſe propoſiti, quod offenſus hujuſmodi non intendebat conniventibus oculis pertranſire; præfato Regi, cum eſſet in noſtra conſtitutus præſentia, ſuadere curavimus, ut ab offenſa tua omnino abſtinere deberet, offerentes nos paratos dare operam efficacem quod, ſi contra ipſum egeras indebite aliqua, de illis ſibi emendam faceres competentem: qui prompte reſpondit, quod ſuper his, civitate excepta Pergamenſi, quam in hoc includere noluit, paratus erat in omnibus ordinationi noſtræ ſtare, genteſque ſuas inſtructas & mandato ſufficienti munitas apud nos dimittere, vel quandocumque vellemus ad noſtram propter hoc præſentiam deſtinare. Quare, fili, ſi hoc idem facere volueris, & ad id procuratores inſtitutos cum mandato ſufficienti ad præſentiam noſtram tranſmiſeris, nos parati erimus pro pace ac concordia, ſicut Deo placere ac honori eccleſiæ ac utrique parti expedire cognoverimus, efficaciter interponere partes noſtras; præſertim cum Rex præfatus apud ſedem Apoſtolicam propter hoc dimiſerit gentes ſuas. Dat.* III. *non. februarii anno* XVII. Flecti ad pacis conſilia Azo non potuit, ac Ticino ſuperiore anno potitus arcem ab avo extructam expugnavit (*e*), cumque Joannes Roberti Regis factionem, ex qua tot antea bella accenſa vidimus, ſuſtentare deſiiſſet, fœduſque cum Boemo Rege paciſceretur, Robertus ob vetera odia in Henricum una cum ſociis Guelfis adverſus Pontificem conjuravit, etſi honeſtius erat ut eccleſiæ gratia ſimultates poneret, quam eccleſia ſibi addictiſſimum, quamquam Roberti inimicum, a ſe abalienaret.

Azo ad pacem ſolicitatus.

Reſpuunt pacem cum Boemo fœderati Itali.

(*e*) Jo. Vil. l. 10. c. 212.

Ex ea coitione in legatum pontificium & Boemum Regem accepta (*f*) ad Ferrariam graviſſima clades: nec modo amiſſæ recuperandæ Ferrariæ ſpes, verum collapſæ ſunt res eccleſiæ: Franciſcus Ordelaffus Forumlivium, Ariminum Malateſta ad defectionem traxere (*g*), ſævitumque eſt in pontificios adminiſtros. Cæſena (*h*) ſimiliter, jugum excuſſit, illiuſque arx ſequenti anno ineunte ad deditionem compulſa. Porro Boemus re male geſta una cum filio Germaniam repetiit, cum Lucam oppigneraſſet, Parmæ Rubeos, Pios Mutinæ præfeciſſet. Reſtitutus vero eſt Lucæ (*i*), Parmæ (*k*), ac nonnullis aliis urbibus, ut Saonæ (*l*) & Tuderto (*m*), quæ jamdiu luxerant ſub interdicto eccleſiaſtico, ſacrorum uſus ad conſtitutum aliquod tempus, ut eo excurrente, Chriſtiana demiſſione expiato crimine gratiam eccleſiæ recuperarent.

(*f*) Ib. c. 219.
(*g*) Ib. c. 216.
(*h*) Ib. c. 228.
(*i*) To. 9. p. 2. ep. ſecr. pag. 268.
(*k*) Ib. ep. 270.
(*l*) Ib. pag. 264. 267. 269.
(*m*) Ib. pag. 244.

Reſtitutus nonnullis urbibus ſacrorum uſus.

Cæterum intentatæ ſunt hoc anno (*n*) menſe novembri cœleſtes iræ in Florentinos adeo, ut horrenda aquarum eluvione urbs illa infelix merſa eſſet, niſi Deus clementia vindictam temperaſſet: vir enim pius Valliſumbroſanus eremita (*o*) ingentem quaſi equeſtrium copiarum multitudinem tempore nocturno infremere inaudiit, apertaque cellæ feneſtra, tur-

mam

Ob aquarum eluvionem Florentia in diſcrimen adducta.

(*n*) Jo. Vil. l. 11. c. 1. & 2.
(*o*) Ib. c. 8.

Oſtenſum pio monacho de ea re viſum.

mam dæmonum veluti ad pugnam inſtructam vidit incedere : collectoque ſpiritu & appellato ſanctiſſimo Dei nomine, eos adjuravit, ut ederent quid hujuſmodi oſtentum ſignificaret ; reſponſumque, ipſos procurrere ad mergendam aquis Florentiam, ſi Deus id ſineret, ob ingentia civium crimina. Et quidem ea pars urbis, in qua populus intemperanter eodem anno laſciviverat, eſt maxime deformata (*a*).

(*a*) *Id. l.* 10. *c.* 220. *& l.* 11. *c.* 1.

XXVII. Tentatum a Roberto Reg. Panormum. Ungari Regis in Siciliam adventus. Andræas Joannæ deſponſus.

Tentavit Robertus eodem anno Trinacriam, ac Panormi arcem imminentem mari proditione cepit : ſed antequam illam milite & commeatu poſſet, ut par erat inſtruere, Frederici Regis Trinacriæ diligentia recuperata, Robertique Regis triremes repulſæ. Is porro excepit (*b*) venientem hoc anno, exeunte julio, in Siciliam Carolum Ungariæ Regem, atque inter Andream illius filium pronepotem ſuum & Joannam neptem ſponſalia celebravit ; ſolutæque ſunt a Pontifice leges de gradibus conſanguinitatis, ut controverſia de regni ſucceſſione conciliaretur. (Carolus enim Ungariæ Rex ex Caroli II. Siciliæ Regis majore natu filio Carolo duce Calabriæ regnique herede ſatus erat) demumque regnum ad Ungari poſteros devolveretur : ſed ut fallaces ſunt humanarum rerum exitus, ignorabat Ungarus tantis hiſce curis laqueum filio quæri. Alteri vero primogenito Ludovico Ungariæ ſceptrum reſervabat utque pericula diſſenſionum anteverteret, a Pontifice precibus contendit, ut ſi filius a Strigonienſi archiepiſcopo redimiri diademate non poſſet, alium præſulem deſignaret. Cujus votis aſſenſit (*c*) Joannes datis ad Colocenſem archiepiſcopum ſubjectis literis.

(*b*) *Jo. Vill. l.* 10. *c.* 226.

(*c*) *An.* 17. *ep. com. p.* 1. *lit. diverſ. formarum* 181. 182.

*Venerabilibus fratribus archiepiſcopo Colocenſi, Varadienſi ac Zagabrienſi epiſcopis ſalutem.*

Lodovico Ungaricum ſceptrum reſervatum.

*Ex tenore petitionis chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Ungariæ illuſtris in noſtram notitiam introductæ percepimus, quod dilectus filius nobilis vir Ludovicus primogenitus ſuus, dum ipſe Rex egerit in humanis vel poſt ſuum de hac luce tranſitum, in Regem Ungariæ coronandus exiſtat, ad obviandum ſcandalis & periculis, quæ circa dicti primogeniti coronationem in Regem ipſius Ungariæ, ut prædicitur, coronandi multipliciter provenire valerent, & maxime ſi per venerabilem fratrem noſtrum archiepiſcopum Strigonienſem, cum ad archiepiſcopatum Strigonienſem, qui eſt pro tempore, pertineat Reges Ungariæ coronare, alter non coronandus forſan coronaretur, & impediretur legitime coronandus, ſeu caſu aliquæ vacationis eccleſiæ Strigonienſis, vel abſentiæ, ſeu infirmitatis archiepiſcopi antedicti coronationem præfati primogeniti in hujuſmodi ſuo regno Ungariæ ſibi legitime ſucceſſuri oporteret periculoſe differri ; præfatus Rex nobis humiliter ſupplicavit, ut providere ſuper præmiſſis de Apoſtolicæ ſedis circumſpecta clementia dignaremur. Nos itaque tam Regis & primogeniti, quam domus & regni prædictorum ſalutem, proſperitatem, & pacem zelantes in Domino, & paternis affectibus cupientes ; votis quoque dicti Regis ſuper iis favorabiliter concurrentes, eidem Regi auctoritate literarum noſtrarum ea vice duximus concedendum, quod ſi dictus archiepiſcopus, qui nunc eſt, ſeu qui pro tempore foret, tempore coronationis hujuſmodi de dicto primogenito faciendæ requiſitus per eundem Regem ſeu ex parte ſua ſi requiſitionem hujuſmodi in vita ſua ſeu per eundem primogenitum, vel ex parte ipſius, ſi eam poſt dicti Regis obitum fieri contigerit, idemque archiepiſcopus, qui eſt, vel qui pro tempore foret, in loco exiſteret, ubi commode fieri non poſſet, ac remaneret vel differret loco & tempore ad hoc ordinandis ad coronationem prædictam procedere, ut tenetur, vel ſi forſitan alium de facto indebite coronaret ; ex tunc, & etiam in caſu vacationis ejuſdem eccleſiæ Strigonienſis, vel infirmitatis, ſeu notabilis abſentiæ archiepiſcopi antedicti liceret Regi vel primogenito præfatis ad vos, quos regia ſublimitas & ipſius primogeniti nobilitas eſſe credunt ſuos & domus ſuæ ad ejuſdem regni proſperi & pacifici ſtatus fervidos zelatores, & quemlibet veſtrum, de quo Rex vel primogenitus jam dicti tunc temporis maluerint, recurſum habere pro eadem coronatione dicto primogenito impendenda. Nos igitur ad ſupplicationem prædicti Regis vos, veſtrumque ſingulos ad proſequendum & exequendum prædictæ coronationis negotium juxta ſubſcriptam moderationis ſeriem auctoritate Apoſtolica deputantes, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus quicumque veſtrum, qui per Regem vel primogenitum antedictos, ſeu pro Regis vel primogeniti eorundem parte fuerit requiſitus, ex tunc in prænominatis caſibus & quolibet eorum auctoritate prædicta hujuſmodi coronationis ſolemnia impendat primogenito memorato. Volumus autem, quod per hujuſmodi dictæ coronationis impenſionem eidem primogenito faciendam archiepiſcopo, qui eſt & pro tempore fuerit ac eccleſiæ Strigonienſis jam dictis nullum in poſterum, prout ſuperius eſt expreſſum, præjudicium generetur, &c. Dat. Avin.* II. *kal. aug. anno* XVII.

Caroli parentis curæ ad pericula antevertenda.

Suffecti præſules pro corona imponenda, ſi Strigonienſis impeditus fuerit.

XXVIII. Ludovici Bavari ad Joannem legatio.

Miſit Ludovicus Bavarus ineunte hoc anno vel ſuperiori exeunte, quo rem conſignat Rebdorſius (*d*), oratores ſuos, qui Joannem Chriſti vicarium agnoſcerent, depoſcerentque ab eo in gratiam eccleſiæ reſtitui : ſolicitatum enim ipſum a Philippo Francorum Rege, ut in ſinum eccleſiæ rediret, antea vidimus. Perfunctos ea legatione duos comites de Hals & Oetingen, refert memoratus auctor, duceſque Auſtriæ Othonem & Albertum interceſſiſſe pro Ludovico apud Pontificem, ſed parum ipſos proficere potuiſſe : repulſæ vero objectæ rationes Rebdorſius non aperit, quas nos ex pontificiis literis mox adducemus. Non inſtructi erant a Ludovico neceſſaria ad illius reconciliationem perficiendam auctoritate oratores : nec ſe Ludovicus ad rite expianda, quæ a ſe patrata erant, ſubmittebat ; immo ut ex ejus literis (*a*) conſpicuum eſt, verbiſque obſcuris innuit Pontifex, dum rationi minime conſentanea ait flagitaſſe, in imperiali faſtigio confirmari poſtulabat : quam dignitatem cur ipſi denegaret, in literis (*b*) ad Joannem Regem Boemiæ explicuit, ac facile colliget qui Ludovici contra rem catholicam ac Pontificum majeſtatem geſtorum meminerit. Ut vero erga Ludovici oratores ſe geſſerit Pontifex, non inhumaniter, ut temere quidam effutiunt, ſed paterne, ex ejus literis ad Francorum Regem datis patebit.

(*d*) *Rebdorf. in chron. an.* 1332.

Idoneis mandatis non inſtructa repellitur.

(*a*) *Ext. apud Hervvart. ſub an.* 1331.

(*b*) *Ext. an.* 1330. *n.* 29. *& ſeq.*

*Regi Franciæ.*

Pontificiæ de illa lit.

*Ut quæ nobiſcum egerunt Bavari nuncii celſitudo regia non ignoret, ecce quod quia mandatum ſufficiens non habebant, oblataque per ipſos erant inſufficientia ad ea, quæ idem commiſerat Bavarus comperta, & quæ petebant per nos ſibi fieri erant omnino obvia rationi, tractatum cum eis habere renuimus ; hoc eis benignius offerentes, quod ſi ipſi nobis ſufficiens mandatum pro parte ſua exhiberent, offerrentque nobis convenientia, & peterent talia, quæ ſine Dei offenſa & injuria proximi ſint conceſſibilia, nos ſic pie ſicque clementer erga eundem Bavarum nos habere intendimus, quod ſe merito poterit commendare : quo reſponſo recepto ad propria remearunt. Dat.* II. *kal. martii anno* XVII.

Præſefert Ludov. ſe imperio ceſſurum.

Emollitus ſalutari pœnitentiæ Chriſtianæ ſpiritu paulo poſt Ludovicus (*c*) ex Chriſti oraculo, primo quærere regnum Dei in animum induxit, ſeque ad regios & imperiales apices deferendos eccleſiæ gratiæ promerendæ cauſa paratum exhibere ; quæ Francorum & Boemorum Regum oratores Pontifici retulere (*d*) : famamque increbuiſſe narrat Rebdorſius, (*e*) ad Henricum inferioris Bavariæ ducem imperium devolutum iri. Sed ut ab eo conſilio fuerit revocatus, ſequenti anno dicetur.

(*c*) *To.* 9. *p.* 2. *ep. ſecr. p.* 224.

(*d*) *Ibid.*

(*e*) *Rebdorf. in chron. hoc ann.*

XXIX. Nuntii miſſi pro reſtituenda Moguntinæ eccl. pace.

Interea cum nondum ſopita eſſet inter Balduinum Trevirenſem & Henricum Moguntinum archiepiſcopos de principatu Moguntino controverſia, quæ plura hactenus graviora mala in eam provinciam invexerat, Pontifex apoſtolicum nuntium Geraldum e Biſturre decanum Andegavenſem capellanum pontificium in Germaniam miſit (*f*). Movebat injuſte hoc bellum Balduinus (*g*), qui ambitione ductus Henricum a Pontifice Moguntinæ præfectum eccleſiæ exagitabat, ac ſcelus ea excuſatione colorabat, ſe a canonicis Moguntinis electum fuiſſe : cum tamen tempore conſtituto ex legibus canonicis parta jura non promoviſſet, ſedique Apoſtolicæ præficiendi illi eccleſiæ paſtoris cura eſſet reſervata. Balduinum itaque Joannes graviſſimis ſententiis, ab inferendis Henrico vel ejus clientibus injuriis ſe continere juſſit : nil juvare, hominem totius orbis imperium animæ damno conſequi : mulcendas potius divinas iras, ſuaſque rationes ita conſtituendas, ut apud divini Numinis tribunal ſecurus conſiſteret ; neque adeo terrenorum amore ſe irretiri pateretur, ut ad cœleſtia non aſpiraret.

(*f*) *To.* 9. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 122.

Balduinus Trever. belli auctor.

(*g*) *Ib. pag.* 125.

Ab eo ſibi temperare juſſus.

*Joannes, &c. Baldevvino archiepiſcopo Treverenſi.*

*Sane, ſicut tua novit faternitas, dudum vacante Maguntina eccleſia diſpoſitioni apoſtolicæ reſervata, eidem eccleſiæ de venerabili fratre noſtro Henrico archiepiſcopo Maguntino duximus providendum, cui neſcimus quorum ſeductus conſiliis ſub colore, quod nonnulli canonici te in adminiſtratorem ejuſdem eccleſiæ ordinaverant, te opponens, ipſum in ſua adminiſtratione multipliciter impedis, ſibique adhærentes gravare modis variis non omittis : ex quibus utique fama tua multipliciter læditur, ac de ambitione damnabili ab amicis & æmulis judicaris. Quare fraternitatem tuam hortamur in Domino & rogamus, quatenus illud verbum dominicum : Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur ? conſideranter attendens, nec non & illud : Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus ſit venturus ; conſiderans diligenter, a tantis te periculis feſtines eripere, ne ſubito ejus ira in te deſæviens animum a corpore ſeparet, teque in tempore vindictæ diſperdat : ſed potius te ſibi reconciliatum ad æterna gaudia introducat, quod tibi clementer concedat, qui ſine fine vivit & regnat. Amen.*

Intentatæ ipſi cœleſtes iræ.

*Et ecce dilecto filio Geraldo de Biſturre decano Andegavenſi capellano noſtro, quem ad partes illas dirigimus, per alias noſtras patentes literas committimus, ut ad vos in amoris & charitatis uniendos vinculo operoſum ſtudium interponat : cujus exhortationibus acquieſcas ſalutaribus velut noſtris. Et ſi forſan aliquid difficile ſe offerret, quod e veſtigio expediri non poſſet, non differas propterea dictam Maguntinam eccleſiam eidem archiepiſcopo expedi-*

*pedire; ſciturus pro certo, quod nos quæcumque rationabiliter petieris, tibi faciemus per dictum archiepiſcopum expediri. Inſuper injunximus decano prædicto, ut ab eodem archiepiſcopo juratoriam & aliam recipiat cautionem, quod ſuper prædictis noſtris parebit omnino beneplacitis & mandatis. Dat. II. kal. maii anno XVII.* Aliis vero literis apoſtolicis excitatus archiepiſcopus Colonienſis (a), ut Trevirenſem ad pacem cum Moguntino ineundam adduceret, ac Moguntinus ipſe (b) ut nuntii apoſtolici adhortationibus ſtudiiſque obſecundaret. Coaluiſſe demum feliciter illos inter optatam concordiam, refert ex Trithemio (c) Serarius (d), ac Balduinum archiepiſcopum Trevirenſem juribus, quæ ſe in Moguntino archiepiſcopatu habere contendebat, coram nuntiis (e) apoſtolicis ceſſiſſe, de quibus ſuo loco.

(a) *Ead. pag.* 125.
(b) *Ead. pag.*
Conciliata Pontificio ſtudio pax.
(c) *Trith. in chron. Hirſ. ſub ann.* 1328.
(d) *Serar. l. 5. Mog. rer. in Henr. III.*
(e) *To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag.* 126.

Wladiſlai Regis Polon. mors.

XXX. In Polonia obiit hoc anno Wladiſlaus Loktekus ſenio, bellicisque laboribus adverſus cruciferos impenſis attritus, quem Poloniæ intermiſſam regiam dignitatem contra Joannem Regem Boemiæ, qui etiam Poloniæ Regem ſe dixerat, reſtituiſſe vidimus: eique ſubrogatus eſt communibus Polonorum votis Caſimirus filius (f), qui in extremo bello magna virtutis militaris exempla explicuerat, atque a Janiſlao archiepiſcopo Gneſnenſi, ſacris operantibus pluribus aliis epiſcopis, regia inunctione delibutus & corona redimitus, ut refert Michovias (g): *Anno*, inquit, *Domini* MCCCXXXIII. *in feſto S. Marci, quod in diem dominicum cadebat, dux Cazimirus in Regem, Anna vero conſors ipſius in Reginam Poloniæ in eccleſia cathedrali Cracovienſi per Janiſlaum archiepiſcopum Gneſnenſem, aſſiſtentibus ei Joanne Cracovienſi, Joanne Poſnanienſi, Matthia VVladiſlavenſi, Stephano Lubucenſi epiſcopis, & baronum ac nobilium Poloniæ magna copia, inuncti & coronati ſunt.* Conſentit Cromerus Michoviæ, & uterque addit, Reginam Hedvvigem viduam matrem Cazimiri aliquandiu repugnaſſe, ne Anna nurus corona una cum viro cingeretur, eo niſam argumento unum regnum duas Reginas non pati; demum filii precibus victam aſſenſiſſe: calcaſſe mox regium faſtum melioris regni ſpe, utque liberius cœleſtibus rebus vacare poſſet, veterem Sandaciam ſe recepiſſe, atque in cœnobio ſacrarum Deo virginum præſcripta a S. Franciſco religioſæ vitæ formula ſolemni voto ſe aſtrinxiſſe, ac reliquam ætatem jejuniis & orationibus ſanctiſſime exegiſſe.

(f) *Crom. l. 12. & alii.*
(g) *Michov. ſuper cap.*
Succedit in regno Caſimirus.
Hedwiges Regina religioſæ vitæ ſe addicit.

XXXI. Fides in Tartaria amplificata.

Efflorescebat (h) his temporibus in Tartarorum imperio religio Chriſtiana ad maximum decus, pluresque populi divina luce colluſtrati Chriſtiana ſacra amplexi ſunt, ut pontificiæ ad Leonem Armeniæ Regem docent literæ (i): *Habet*, inquit Joannes, *fidedigna relatio veritatis ſuffulta ſuffragiis, notumque tuæ celſitudini eſſe poteſt, quod in terra Tartarorum jamdudum per divinæ miſerationis gratiam & miniſterium prædicationis verbi Domini, quod nonnulli fratres ordinis Minorum in terra prædicta exercuerunt & non deſinunt exercere, multitudo indigenarum ad veram ejuſdem fidei lucem de ſuorum errorum tenebris eſt converſa, & multi alii, qui ab ipſius fidei rectitudine declinabant, ad ejuſdem eccleſiæ gremium ſunt reverſi; & ſicut devote creditur & veriſimiliter ſperatur in Domino, terræ præfatæ hominum necdum converſorum diffuſioris multitudinis converſio, Deo largiente, ſuccedet.* De his ſecundis fidei progreſſibus libellum Pontifex ad Regem Francorum tranſmiſit (k), ut ipſum ad reſtituendum Syriæ Chriſti cultum magis accenderet. Illatum fuerat evangelium in remotiſſimas illas oras a Joanne e monte Corvino primo Cambalienſi archiepiſcopo, quem primum a Nicolao IV. (l) ad Aragonem Regem Tartarorum miſſum, deinde a Clemente V. (m) creatum Tartarici imperii archiepiſcopum triginta Saracenorum millia ad fidem convertiſſe teſtatur Odoricus Forojulienſis (n) qui eas tunc regiones perluſtravit; ex quo quanta ethnicorum aliorum multitudo Chriſtianis ſacris initiata ſit colligi poteſt. Cum vero Joannem archiepiſcopum, laborum præmia in cœlo quæſiturum, ex hac vita abiiſſe ad ſedem Apoſtolicam perlatum eſſet, conſulturus orienti Joannes Papa Nicolaum Minoritam virum virtutibus inſignem creavit archiepiſcopum Cambalienſem, & cum amplo virorum religioſorum comitatu, quos ad fundendum pro Chriſto ſanguinem ac ſubeundos alacriter omnes labores divinus amor inflammarat, in Tartariam miſit: cumque per Armeniam iter habiturus eſſet, Leonem Armeniæ Regem, ac Jacobum Armenorum catholicon enixe rogavit (o), ut perhumaniter ipſum ac ſocios acciperent; & impenſe magno Cham ſive Imperatori Tartarorum commendavit, egitque gratias ipſum imperialem hactenus benevolentiam in præcones evangelii, Chriſtianoſque neophytos explicuiſſe: hortatus eſt, ut baptiſmalia ſacra ſuſciperet; denique propoſuit ampliſſima præmia, quæ in cœlo fidelibus a divina liberalitate eſſent reſervata. Exemplum apoſtolicarum literarum infra ſcriptum eſt (p).

(h) *To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag.* 111.
(i) *An. 13. p. 1. ep. com.* 304.
(k) *To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag.* 111.
(l) *Annal. to. XIV. anno Chr. 1289. n.* 60.
(m) *To. XV. ann. 1305. n.* 19.
(n) *Vvadin. annal. to. 3. hoc an. n.* 1.
Joannis e monte Corvino Tartaror. apoſtoli mors. Nicolaus Minorit. Cambalienſi eccleſ. præficitur.
(o) *An. 18. p. 1. ep. com.* 304.
Commendatur Regi Tartarorum.
(p) *An. 18. p. 1. ep. cur. 4. ext. etiam in MS. arc. Vat. de reb. Tart. Arm. & al. infid. & ſch. pag.* 26.

*Magnifico Viro magno Cani Regi Tartarorum Deum diligere, ac timere.*

XXXII. *Accedit ad tuæ magnitudinis laudem, gloriam, & honorem, quod ſicut famæ præconium & fide dignorum relationis af-*



Pontificiæ ad Regem Tartaror. lit.

*fectus ad apoſtolatus noſtri audientiam perduxerunt, tu jactans tuum in Domino cogitatum, & promereri cupiens apud eum, Chriſtianis in regno, & terra tui dominii commorantibus, & aliis indigenis ad fidem orthodoxam converſis, & in ea neophytis manſuetudinem favoris impendis, & benignitate favorabili tractas illos. Ad nos quoque, qui licet immeriti, domini noſtri Jeſu Chriſti vicariatus officium in orbe terrarum gerimus, habes & oſtendis admodum affectum reverentiæ filialis, ex quibus nomini & ſtatui tuis titulus amplæ & dignæ commendationis attribuitur, tuque tibi proinde Creatoris cœli & terræ gratiam vendicabis, per quam in præſentis vitæ curſu dominii altitudo ſuſcipiet firmitatem; & poſtquam carne ſolutus fueris, ſicut naturaliter ſolvitur omnis caro, apud majeſtatem Regis Regum æternam, qui potens eſt ſalvare rationalium & mortalium animas univerſas, ſi credideris in eum & baptizatus fueris, legemque ſuſceperis Chriſtianam, requiem impetrabis ſempiternam.*

Provocatur Tart. Imp. ad fidem amplectendam.

XXXIII. *Ecce igitur nos, qui tuam & totius regni tui ſalutem perpetuam ſincera in Domino dilectione zelamus, ejuſque fructum ſalutiferum & perennem tibi & ipſi regno cupimus provenire, ut hæc feliciter & efficaciter valeant per miſericordiam ſummi Patris ſuccedere, venerabilem fratrem noſtrum Nicolaum archiepiſcopum Cambalienſem ordinis fratrum Minorum profeſſorem, virum quidem in devotione ac fide catholica fervidum, eminenter in ſacra ſcriptura peritum, & expertum in opere ac ſermone, virtutum comitiva ſtipatum, fama præclarum, a nobis ex multis bonis & idoneis religioſis electum, & ad Cambalienſem archiepiſcopatum de fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio promotum, præſentium exhibitorem, cum decenti & ſufficienti, honeſta, & virtuoſa comitiva fratrum dicti ordinis ad eccleſiam ſuam Cambalienſem, tuamque præſentiam, ac partes & loca & terras tui dominii providimus ſalubriter deſtinandum: ut ipſe ac dicti fratres collaterales eidem more ſanctorum Apoſtolorum (qui diſpartiti ore dominico, & Spiritus ſancti gratia illuſtrati, ferendo verbum dominicum, cuncta mundi climata, prout eis adſcripta fuerant peragrarunt) conjunctim & ſeparatim, prout eidem archiepiſcopo & fratribus viſum fuerit ſalubrius expedire, regnum & terram prædicta, aliaſque regiones adjacentes circumeant & frequentent, ac juxta datam eis a Domino prudentiam verbum Dei evangelizare ſtudeant cum diligentia operoſa, medela prædicationis ſalutiferæ linientes illorum oculos, qui adhuc gloriam Domini non viderunt, eoſque ad dictam fidem perfectam & lucidam, Chriſti, ſanctorum, & ſanctarum miraculis certiſſimis comprobatam, dulciter convertentes; & tam ipſos quam alios ad fidem ipſam jam feliciter converſos, & neophytos in eadem paſcentes eruditionis ſalutiferæ nutrimento, etiam in fide prædicta cum infuſione cœleſtis miſerationis & gratiæ roborando.*

XXXIV. Fidei Chriſtian. elogium.

*Hæc eſt enim fides recta, meritoria, & ſalubris, quam cœlicus agricola ſeminavit & irrigavit, ad fructus copioſos perduxit, diffudit, & divulgavit uſque ad terminos orbis terræ mundialis, & quam dicta Romana eccleſia mater cunctorum Chriſtifidelium & magiſtra docet, prædicat, atque credit; extra quam non eſt penitus ulla ſalus: per iſtam innocens anima Chriſtiana, quam fore pretioſiorem corruptibili corpore perpetuam ambiguum non exiſtit, inter agmina collocatur civium cœlicorum. Cum ergo ſit theſaurus incomparabilis præmium beatorum, felix qui per temporalia ſic pertranſit, quod æternæ felicitatis bravium aſſequatur: hoc ſiquidem bravium per ſuſceptionem & obſervationem dictæ fidei, bonorumque operum executionem acquiritur. Et quamvis per ipſius fidei callem recte incedere difficile videatur, mentalis tamen oculus, fide ipſa catholica media, dum eam credit, intellectualiter intuetur divinam omnipotentiam & gloriam ſupernorum, ſicut luce videt materiali carneus oculus mediante.*

Porrectæ Tartaro preces.

*Magnitudinem itaque tuam attente rogamus & hortamur in domino Jeſu Chriſto, quatenus pro ejus reverentia & honore, qui te produxit ad eſſe, conſervat in eſſe, tibique imperanti ſuper tam glorioſum, quamquam tranſitorium & pompale faſtigium ſubjecit tantam & tam diffuſam multitudinem populorum; prælibatos archiepiſcopum & fratres, cum ad regnum & terram tuam jam dicta tuumque conſpectuum pervenerint, vultu ſereno recipias, & a tuis ſubditis recipi jubeas, ſincero & manſueto affectu pertractes & facias pertractari; habeaſque tam illos quam eandem eccleſiam Cambalienſem, cunctoſque Chriſtianos in regno & terra prædictis manentes, necnon converſos &, Deo propitio, convertendos ad fidem eandem infra tuum dominium conſtitutos, cum piæ humilitatis dulcedine affluente favorabiliter commendatos; eis in iis, quæ circa ſuſcipiendam per te, Deo vivo & vero inſpirante, ſacri baptiſmatis gratiam, legemque Chriſti, & alia tuæ ſalutis commoda duxerint exprimenda, prædicanda, & conſulenda, benignum auditum aperiens, & attentum exhibens intellectum: illaque recipiens tanquam donum divinitus miſſum tenaciter in tabulis memoriæ tuæ ſcribas, credas firmiter, operoſe, fideliter, & perpetuo exequaris, ſiſque aliis tuis ſubditis ſalutis exemplar, ut una tecum tuique adin-*

*ſtar ad Dominum convertantur, dictamque legem Chriſti ſuſcipiant & obſervent, tecumque glorientur nomine Chriſtiano, & ſalvi ſiant, nec pereant in æternum. Itaque miſericordiarum Dominus atque pater tui abundanter miſereri dignetur, conferatque tibi jugiter in hujus vitæ ſtadio plenitudinem pacis & gaudii, & poſt tui diſſolutionem carneam ad æternæ jucunditatis ferias te perducat, & glorianter collocet in excelſis. Nos nempe, ac eadem Rom. eccleſia tibi copiam benedictionis uberrimæ pollicemur omni tempore proventuram, & devotis affectibus exorabimus miſerantem clementiam ſummi patris, ut nunquam in te deficiat fides ſua, quam in tuis præcordiis duxerit inſerendam; ſed pro bonis, quæ feceris, centuplum de polorum altitudine in terris percipias, & ſupernis. Datum Avin. kal. octobris anno* XVIII.

XXXV. Pellicere alios etiam Tartarorum Reges (*a*) ad Chriſti cultum eniſus eſt Pontifex, maximeque Sochum e Chigiſta Regem Corum, quos nulla ratione facilius ſolium firmaturos monuit, quam ſi religionem Chriſtianam in ſuis regnis tuerentur: tum ad cœleſte conſectandum imperium, ac fovendos evangelii præcones ſolicitavit. Inſcriptæ vero ſunt Regi Corum pontificiæ literæ in regeſto, ſubjectaque verborum forma conceptæ (*b*).

(*a*) *Ib. ep. cur.* 6.
Solicitatus Rex Corum ut Chriſtianos foveat.
(*b*) *An.* 18. *ep. cur. & MS. de reb. Tart. pag.* 27.
* *al. Æorum*

*Magnifico viro Secede Chigiſta Regi Corum *, Deum diligere & timere,*

*Deo vivo & vero, Regi Regum, & dominantium Domino gratum præſtas obſequium, cum Chriſtianos ſive antiquos ſive novellos, in fide Chriſti commorantes in regno tuo, benigna humanitate proſequeris, & favoris manſuetudine tractas illos; quod quidum lætanter audivimus te feciſſe. Unde cum hoc nomini tuo bonam famam adiiciat & honorem, tu levans tuæ mentis oculos ad divinæ omnipotentiam majeſtatis, circa id benigne continues impoſterum, quod hucuſque laudabiliter effeciſti: nam ab hoc in gloria firmabitur tuum ſolium dicti regni, & ſi credideris in dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & fueris baptizatus, legemque Chriſtianam, ſine qua nullus ſalvatur, ſuſceperis & impleveris, ſalvus eris.* Interjectiſque nonnullis, quibus ex apoſtolico munere ſe præcones evangelicos in eorum regna ad imbuendos Chriſtiana fide populos ſubmiſiſſe ſignificat, hortatur eum, ut Nicolaum archiepiſcopum Cambalienſem regiis ſtudiis complectatur. *Dat. Avinione kal. octobris anno* XVIII.

XXXVI. Solicitatus eſt ſimillimis literis ad fidem amplectendam fovendamque Usbech Tartarus (*c*), qui in Gazariam imperabat: cumque plures infideles in ejus regno Prædicatorum & Minoritarum opera ad Chriſtum eſſent traducti, ac ſchiſmatici in eccleſiæ ſinum revocati, Pontifex Voſprum urbem inſignem metropolim conſtituit (*d*), ſanxitque ut eccleſia S. Michaeli archangelo ſacra excitaretur, cui Franciſcum e Camerino Dominicanæ familiæ religioſum virum præfecit.

(*c*) *Ib. pag.* 28. *& an.* 18. *ep. cur.* 8.
Conditæ inter infideles novæ ſedes epiſcopales.
(*d*) *An.* 17. *p.* 2. *ep. com.* 32.

*Joannes, &c. venerabili fratri Franciſco de Camerino archiepiſcopo Voſprenſi.*

De Voſprenſi diploma pontificium.

*Nuper ex certis rationabilibus cauſis locum vocatum Voſprum, ſitum in terra Gazariæ, quæ in terræ Tartarorum vaſtitate conſiſtit, populoſum, inſignem, aptum & accommodum, rerumque temporalium ubertate fœcundum, ad divini nominis laudem & gloriam, honorem ipſius eccleſiæ militantis, & exaltationem fidei ſupradictæ de fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis in metropolim ereximus, & metropolis vocabulo curavimus inſignire; auctoritate apoſtolica ordinantes, ut in dicta metropoli ſub vocabulo Michaelis archangeli fundari & conſtrui deberet eccleſia cathedralis; quodque metropolis ipſa civitas Voſprenſis & dicta eccleſia metropolitana perpetuis futuris temporibus cenſerentur, nuncuparentur, & etiam haberentur, prout in noſtris literis inde confectis plenius continetur. Verum quia, ſicut habet relatio fidedigna nobis ac fratribus noſtris expoſita, & cum gaudio intellecta, in eadem terra Gazariæ multi ſchiſmaticorum & infidelium nationum ipſius terræ prædicatione verbi divini fratrum Prædicatorum & Minorum ordinum, qui circa converſionem eorum ad fidem Chriſti diutino tempore laborarunt fideliter & ferventer, fidem ſuſceperant eandem, & in ea informati ſunt & proficiunt per temporum incrementa, & quorumdam ſupponit devota credulitas, multorum aliorum ad fidem ipſam proceſſu temporis ibidem converſio ſubſequetur; nos plenis deſideriis cupientes pro ſalute animarum & ampliatione fidei prælibatæ dare operam efficacem, ut tanti boni commodum valeat feliciter provenire; conſiderantes quoque ad proſecutionem & promotionem ejuſdem boni fore utilem, quinimmo neceſſariam perſonam eruditam in ſacra pagina & expertam, in te dicti Prædicatorum ordinis profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum, ſufficienter inſtructum in dicta pagina, prout didicimus, & expertum; qui, ſicut habere relatio ſupradicta, in noſtris & eorundem fratrum noſtrorum auribus inſtillata, in dicta terra Gazariæ aliiſque adjacentibus partibus una cum eiſdem dictorum Prædicatorum & Minorum ordinum fratribus in converſione ſchiſmaticorum, & aliorum infidelium prædictorum magno interſtitio temporis indefeſſe ac ſolicite laboraſti, & in eorum converſione hujuſmodi profeciſti etiam fructuoſe; quique partes*

Franciſcus Camers illi eccleſiæ præfectus.

tes



*tes frequentaſti præfatas, illorum hominum noſti mores, & qualitates atque conditiones partium earundem, aciem direximus noſtræ mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis & dictis fratribus noſtris, conſideratis præmiſſis, accepta dictæ Voſprenſi eccleſiæ de fratrum noſtrorum conſilio prædictorum auctoritate apoſtolica providimus, teque illi præficimus, &c. Dat. Avin. kal. auguſti anno* XVII.

XXXVII. Erecta etiam eſt alia in Gochia Cerſonæ epiſcopalis ſedes ac templum S. Clementis nomini ſacrum excitari juſſum, cui Richardus Anglus ordinis Prædicatorum epiſcopus datus. Collegerant autem hi duo evangelici viri ingentem Chriſto meſſem in illis oris, ac late evangelium propagarant, pellecto ad fidem orthodoxam Milleno Alanorum principe, qui mox operam ad ſubditos populos lumine catholicæ fidei colluſtrandos contulit: de quo præclaro facinore Pontifex illi eſt gratulatus, ac ſtudia apoſtolica deſpondit (*a*). Traxit ea Milleni converſio Verſachum Zichorum Regem ad eccleſiæ Romanæ gremium, cui redeunti Pontifex paternos amplexus explicuit, ut ſubjectæ literæ docent (*b*).

Cerſonæ epiſcopatus inſtitutus.
Alanorum princeps a ſchiſmate converſus.
(*a*) *An.* 17. *p.* 1. *ep. cur.* 6.
(*b*) *An.* 17. *p.* 2. *ep. com.* 1340. *& MS. arch. Vat. de reb. Tart. &c. pag.* 24.

*Joannes, &c. chariſſimo in Chriſto filio Verſacht Regi Ziccorum illuſtri ſalutem.*

*Tam per literas tuas, quam ex relatione grata dilectorum filiorum Franciſci de Camerino & Richardi Anglici ordinis Prædicatorum, de ipſis partibus ad nos & ſedem Apoſtolicam venientium, coram nobis & fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus facta jucunde percepimus, quod ipſis olim in loco de Voſpro in præſentia dilecti filii nobilis viri Milleni domini dicti loci evangelizantibus verbum Dei, & errores & ſchiſmata, quibus Græci ab unitate ſanctæ Romanæ eccleſiæ, matris eccleſiarum omnium & magiſtræ, fuerunt hactenus ſeparati, & quorum ſchiſmata tu & ſubditi tui ſectabamini & errores, eidem Milleno ac tibi & conſiliariis tuis oſtendentibus evidenter; tandem dictus Millenus cum ſuis primo, & deinde tu cum conſiliariis antedictis illuminati a Deo, apertis mentis oculis, qui erant hactenus variis tenebroſitatibus obcæcati, & veritate agnita fidei orthodoxæ, omnibus Græcorum erroribus coram populi multitudine copioſa renunciaſtis, & abnegaſtis eoſdem ac veram fidem catholicam, quam præfata ſancta Romana eccleſia tenet, docet, & prædicat, veraciter agnoviſtis, & rediiſtis ad ejuſdem ſanctæ Romanæ eccleſiæ unitatem: tuque alios partium vicinarum in ſimilium errorum prolapſos devium, ut errores abnegarent eoſdem, ac veram & catholicam fidem agnoſcerent, & ad unitatem redirent eandem, per tuas efficaces literas induxiſti. De quibus gratias agimus largitori omnium gratiarum, qui ſua miſericordia & virtute per miniſterium evangelizantium prædictorum te & dictos conſiliarios de variis errorum tenebris in lumen veræ fidei advocavit, ut in agnitione & obſervatione catholicæ fidei a tantis errorum deviis liberati, vias vitæ certiſſimæ ambulando, poſſitis in adoptione filiorum Dei merito gloriari, hereditatis æternæ præmium accepturi.*

Et Zichorum Rex.
Gratulatur id ipſi Pontifex.

XXXIX. *Et quia perſonam tuam gerimus in viſceribus charitatis Jeſu Chriſti, & ſperamus quod ipſe, qui illuminavit oculos tuæ mentis, dabit tibi, veritatem catholicæ fidei agnoſcenti, veram perſeverantiam, & in perfectione creſcere charitatis, excellentiam tuam monemus & hortamur in domino Jeſu Chriſto, eam per ipſius pretioſi aſperſionem ſanguinis obſecrantes, quatenus illuminatus per veram fidem, & unitatem ejuſdem eccleſiæ in via mandatorum Domini ſicut lucis filius ambules; ac illuminationibus hujuſmodi te dignum per effectum operis exhibens, cum omni timore Domini in agnitione veræ fidei ejuſque obſervatione ac errorum prædictorum abnegatione perpetua, conſtanti, & immutabili propoſito perſeveres; dictorumque Franciſci & Richardi aliorumque fratrum ejuſdem ordinis, ad partes ipſas proficiſcentium, ſalubribus monitis in iis, quæ corroborationem catholicæ fidei, ac tuæ & ſubditorum tuorum ſalutem ſapiant animarum intendas; & nihilominus ſubditos tuos & alios de partibus ipſis, a veritate ipſius catholicæ fidei & unitate ſanctæ Romanæ eccleſiæ aberrrantes, ad abnegationem errorum & ſchiſmatum prædictorum, & ſuſcipiendum, cognoſcendum, & tenendum veritatem fidei orthodoxæ, & ad unitatem veram ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cui dominus noſter Jeſus Chriſtus caput eſſe dignoſcitur, veraciter redeundum horteris pariter & inducas: ita quod tu, per hujuſmodi exhortationis & inductionis ſtudium ſalutare lucrifaciens animas multas Deo, coronam potiorem gloriæ in excelſis percipere merearis. Nos enim te gratioſe proſequi tanquam benedictionis alumnum intendimus, & more patris benevoli favorabiliter confovere, ut tu ei, cui ſervire regnare eſt, liberius, familiarius, conſtantius ipſius beneplacito te coaptes. Dat. Avin.* VI. *non. julii anno* XVII.

Ad conſtantiam in ſuſcepta fide eum excitat.

XL. Excitavit præterea encyclicis literis (*c*) Pontifex omnes Tartaros ad Chriſti cultum ſuſcipiendum, legemque evangelicam veram adipiſcendæ felicis immortalitatis viam eſſe docuit, ubi primum de ſumma ſacrorum adminiſtratione, populorumque totius orbis terrarum fide informandorum cura, ſibi a Chriſto domino demandata, eſt præfatus.

(*c*) *An.* 18. *ep. cur.* 7. *& MS. arch. Vat. de reb. Tart. & pag.* 27.

*Joan-*

*Joannes, &c. univerſo populo Tartarorum viam agnoſcere veritatis.*

Pontificiæ ad Tartaros literæ.

*Salvator noſter ſummus Pontifex in æternum, Rex Regum, & dominus dominantium dominus noſter Jeſus Chriſtus, beato Petro ſanctorum Apoſtolorum principi claves regni cœlorum tribuit, eique ligandi atque ſolvendi contulit poteſtatem, ut quodcumque per ipſum ſuper terram ligatum & ſolutum foret, in cœlis ligatum exiſteret & ſolutum. Hanc ſi quidem poteſtatem transfudit in Romanum Pontificem, ſuoſque poſteros Romanos Pontifices, ejuſdem beati Petri uſque in finem ſæculi ſucceſſores, conſtituens illos in ſede ipſius beati Petri ſucceſſive ſeſſuros ſuos vicarios ſuper machinam mundialem. Unde nos, qui licet immeriti præfato B. Petro ſuccedimus, & in regno mundi vice fungimur cœleſtis paſtoris & domini animarum, exigente officii noſtri debito, tenemur & totis deſideriis affectamus, omnem humanam creaturam extra ſanctam Romanam eccleſiam exiſtentem, fideique Chriſtianæ inſciam & deviam ab eadem, dominici gregis inducere, ac reducere in ovile unire & reconciliare penitus eccleſiæ prælibatæ.* Nonnulliſque interjectis, quibus ad eoſdem populos cœleſti doctrina excolendos Nicolaum archiepiſcopum Cambalienſem, alioſque viros religioſos divinis inſtructos literis tranſmiſiſſe in eorum terras ſignificat; ad ſupremum rerum omnium Conditorem adorandum, & Chriſtianam legem amplectendam ipſos ſubjectis verbis cohortatur.

XLI. Adhortatio ad colendum Chriſtum.

*Univerſitatem veſtram attente requirimus, monemus, rogamus & hortamur in domino Jeſu Chriſto, quatenus diligenter veſtram memoriam excitantes, & reducentes ad illam, quod protoplaſtus, ex quo genus humanum deſcendit, extitit divinæ manus operatione formatus, in paradiſi terreſtris deliciis collocatus, ſibique boni & mali cognitio data fuit, & quod homines eſtis ad imaginem Dei facti; quodque creatura non poſſit ſuo Creatori pro meritis reſpondere, levetis ad Deum veſtræ intelligentiæ oculos, & conſideretis quod ipſe vos creavit, & paſcit aſſidue, ac vivitis per eundem, & quod cum vult, omnis carnis figmenta diſſolvit: quodque ſacræ ſcripturæ atteſtatione inducitur, quod omnis ſpiritus Deum laudet, omniaque animantia, & inanimata, Dominum benedicunt; pro ipſius Creatoris reverentia & honore, & ut ſibi reddatis humanæ gratitudinis holocauſtum, & contemplatione noſtri, qui vos Deo vivo & vero conjungere cupimus & etiam laboramus; eoſdem archiepiſcopum & fratres recipere curetis, quotiens ad vos pervenerint, reverenter, humiliter, & lætanter, eorumque prædicationibus & verbis ſalubribus veſtrum attentum patefaciatis auditum: aperiatis ſolicitum intellectum, & quæ pro veſtræ perfectione ſalutis vobis expreſſerint; in memoriæ veſtræ tabulis tenaciter inſcribatis; corda veſtra omnimode diſponentes ad ſuſpiciendam ſacri baptiſmatis gratiam, legemque Chriſti, doctrinam evangelicam, & fidem catholicam domini noſtri Jeſu Chriſti, quam dicta Romana eccleſia docet, prædicat, atque credit. Et cum fidem ipſam ſuſceperitis, eam firmiter & perpetuo cuſtodite, & cum aliis Chriſtianis efficiamini de cætero fortia membra Chriſti; ut quibuslibet ſathanæ, quibus decipimini erroribus, procul pulſis, ab ejus ſitis vinculis penitus liberati, & mereamini poſt vitæ præſentis exilium in æterna Domini tabernacula introire, cum aliis cœleſtibus civibus glorianter & feliciter collocandi. Et quia cœli & terra plena ſunt divina gloria, ipſe manum aperit, ſuaque benedictione animal omne implet, dum in hac luce manebitis, & per dictam fidem Jeſu Chriſti eritis conjuncti, abundabitis in bonis temporalibus per ſuam gratiam copioſam, &c. Dat. Avin. kal. octobris anno* XVIII.

XLII. Inſtructi ampliſſima auctoritate præcones evang.

Cæterum ad tollendas omnes difficultates, quæ propagationi evangelii obſtare viderentur, tum ſalutem animarum promovendam Pontifex familiæ Dominicanæ religioſos viros, qui ad gentes orientales proficiſcebantur, ampliſſima inſtruxit (*a*) auctoritate, ut iis, de quibus eſſet controverſia, an rite baptiſmum vel ſacros ordines ſuſcepiſſent, expreſſa conditione, ſi nimirum initiati iis ſacris non eſſent, ea ſacramenta conferrent.

(*a*) *An.* 18. *ep. cur.* 2. *& ep. com.* 1. *MS. arc. Vat. de reb. Tart. &c. pag.* 26.

*Joannes &c. dilectis filiis univerſis fratribus ordinis prædicatorum in terras Saracenorum, paganorum, Græcorum, aliarumque non credentium nationum orientalium & aquilonarium, ſeu quarumcumque aliarum partium proficiſcentibus, & pro Chriſto peregrinantibus.*

*Ut veſtrum ſanctum miniſterium felicius auctore Domino proſperetur, & optatum de bono in melius ſuſcipiat incrementum; intendentes quoque animarum prædictorum & aliorum fidelium partium earumdem ſaluti utiliter providere; vobis & ſingulis veſtrum tam in ſacerdotii quam diaconatus ordinibus conſtitutis, ut omnes & ſingulos partium prædictarum, de quibus dubitatur an fuerint baptizati vel non, baptizare juxta proviſionem juris in hujuſmodi caſu adhibitam valeatis, his verbis præmiſſis, videlicet: Si baptizatus es, non te rebaptizo: ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; auctoritate apoſtolica tenore præſentium indulgemus.*

In dubio qua forma conferendus baptiſmus.

*Inſuper eiſdem fidelibus de partibus antedictis taliter ordinatis* (ſcilicet non rite) *qui divina ut præmittitur celebrarunt, quod a veſtri ordinis vel aliis epiſcopis, gratiam*



*tiam & communionem dictæ ſedis habentibus & in partibus commorantibus antedictis, tam minores quam ſacros ordines ſtatutis temporibus aliquo tamen intervallo in hujuſmodi ſacris ordinibus recipiendis & conferendis propter eorum reverentiam obſervato, ſi ſine ſcandalo fieri poſſit; alioquin omnes una & eadem die ſimul præfatos ordines ſacros & minores pro hujuſmodi ſcandalo evitando recipere; ipſiſque epiſcopis, qui dictos minores & ſacros ordines perſonis eiſdem ſecundum præſtitam diſtinctionem cum intervallo, vel una & eadem die ſimul valeant conferre, dicendo videlicet: Si ordinatus es rite, non te reordino, ſed ſi nondum ordinatus es, te ordino ad ſacros ordines antedictos, ſervata alias forma & materia ac ſolemnitate debita in præmiſſis, quibuſcumque conſtitutionibus apoſtolicis in contrarium editis nequaquam obſtantibus, de gratia concedimus ſpeciali. Nulli ergo, &c. Dat.* V. *non. octobris anno* XVIII.

Conferendi ſub diſtinctione ordines ſacri.

XLIII. Soluta lex de conjugiis ad Neophytor. gratiam.

Solvit etiam Joannes (*a*) canonicas leges de conjugiis ad fidelium, qui inter gentiles verſabantur, gratiam vel qui ex ſuperſtitione veteri, aut ſchiſmate, vel hæreſi ad orthodoxum dogma traducerentur, edita ſubjecta ſanctione.

(*a*) *An.* 18. *ep. cur.* 1. *& MS. de reb. Tart. &c. pag.* 16.

*Joannes, &c. ad futuram rei memoriam.*

*Volentes animarum obviare periculis & futura etiam præcavere, ac cupientes fidem catholicam non minui, ſed augeri; cum univerſis gentibus de novo converſis ad fidem catholicam, & quæ ad eam in poſterum convertentur de nationibus non credentibus antedictis, quod cum perſonis eis in quarto gradu conſanguinitatis vel affinitatis conjunctis, catholicis tamen, ac perſonis hujuſmodi, quæ cum dictis converſis matrimonia licite contrahere, & in contractis hujuſmodi libere remanere impedimento hujuſmodi non obſtante valeant, tenore præſentium diſpenſamus. De illis vero ex converſis prædictis gentilium, qui ante converſionem ipſorum cum perſonis eis attinentibus in quibuſcumque conſanguinitatis vel affinitatis gradibus, a lege divina non prohibitis, matrimonia contraxerunt, vel ante converſionem ſuam contraxerunt in futurum; taliter reſpondemus, quod in favorem præſertim Chriſtianæ religionis & fidei fideles hujuſmodi ſic matrimonialiter copulati vel in poſterum copulandi juxta conſtitutionem felicis recordationis Innocentii Papæ III. prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editam, quæ incipit, Gaudemus, in matrimoniis ipſis, dictis impedimentis non obſtantibus, libere poſſint & licite remanere conjuncti. Cum ſchiſmaticis autem, qui ad unitatem catholicæ fidei & plenam obedientiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ redierint vel redibunt effectualiter in futurum; quique cum perſonis in quarto gradu conſanguinitatis vel affinitatis ipſis attinentibus, matrimonia contraxerint, quod impedimento non obſtante præfato poſſint poſt effectualem reditum, ut præmittitur, eorundem in hujuſmodi matrimoniis licite remanere, auctoritate prædicta ſimiliter diſpenſamus, prolem ſuſceptam & ſuſcipiendam ex matrimoniis omnibus in caſibus antedictis legitimam de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decernentes; præſentibus tam in converſis de novo ex gentibus vel qui in poſterum convertentur, poſt converſionem tamen hujuſmodi quoad matrimonia contrahenda, quam etiam in ſchiſmaticis, qui redierunt & redibunt ad fidem & obedientiam effectualiter, ut præfertur, quoad matrimonia jam contracta poſt decem annos minime valituris. Nulli ergo, &c. Datum Avinion.* III. *non. octobris anno* XVIII.

Converſi ex idololatr. in quo gradu permanere permiſſi.

XLIV. Nonnulli ad evang. prædicandum miſſi deficiunt a fide.

Dum inter infideles adverſus idololatriam & Mahumeticam ſuperſtitionem pugnabant Prædicatores ac Minoritæ, interdum accidebat, ut plures glorioſiſſime vincerent, palmamque triumphalem martyrii referrent: nonnulli vero ab hoſte ſauciati caderent, obſcœnarumque voluptatum lenociniis deliniti Mahumeticam ſuperſtitionem amplecterentur. Inter hos Bonacurſius & Philippus ordinis Prædicatorum (*b*) & Jacobus Piſtorienſis Minorita, cum incauti voluptate vinci ſe paſſi eſſent, & metuerent, ne ſuis præpoſitis criminis pœnas darent, acti in deſperationem in Mahumeticam ſpurcitiam, ejerato Chriſto, ſe præcipites conjecere; verſique in hoſtes ſuis argutiis fidem oppugnarunt, ut flebiliter refert Pontifex (*c*): *Pro certis*, inquit, *culpis tunc ab eis inſtinctu maligno commiſſis ob fragilitatem eorum carnis, ipſorum ſpiritum ſuperantis, ut evaderent ipſius ordinis diſciplinam, in mortiferæ corruerunt deſperationis abyſſum, & ſeſe in poteſtatem Saracenorum eaſdem partes,* nimirum imperii Usbechi, *colentium tranſtulerunt, & tanquam exhominati ex privatione nobilis intellectus, & mentaliter obcæcati ritum ipſorum Saracenorum obſcœnum & abominabilem aſſumpſerunt; cultumque profeſſi expreſſe fuerunt execratiſſimi Mahometi, & ſeſe more Saracenorum eorundem circumcidi fecerunt, ſeu promiſerunt, ſupradicta fide veriſſima publice abnegata. Præfati quoque Bonacurſius & Philippus, qui antea ſatagebant infideles prædictos rationibus veraciſſimis ſuperare, & ad fidem convertere prælibatam, jacentes in volutabro peccatorum, Chriſti fideles in dictis partibus exiſtentes, & ad eas etiam accedentes, ſuis falſis & ſophiſticis argumentis confundere ac perſequi coram eiſdem infidelibus damnabiliter ſunt moliti; ex quo fideles ipſi multas & diverſas*

(*b*) *Eod. an. ep. com.* 1601.

(*c*) *Sup. ep.* 13.

Eandem oppugnant.

Reſpiſcentes eccleſiæ conciliantur.
(a) Ead. ep.
(b) Sup. ep. eom. 1601.

*ſas contumelias pertulerunt*. Pœnituit poſtea eos patrati flagitii; cumque veniam poſcerent, uſus clementia Pontifex proximo anno pridie kal. auguſti prædicatorum in Inſubria præpoſito (a), ut Bonacurſium ac Philippum, & Minoritarum Etruſcorum præfecto (b), ut Jacobum eccleſiæ conciliarent, partes dedit; quibus binis literis adjecta eſt hæc temporis nota. *Dat. Avin.* XI. *kal. auguſti anno* XVIII.

(c) Marc. Olyſſ. ex veteri chron. l. 8. c. 37. Luc. Vvad. an. 1334. n. 5. &c.
Stephanus Minorita martyrio affectus.

Clarius pœnitentiæ & conſtantiæ fidei ſtatuit (c) trophæum Stephanus Ungarus Minorita in urbe Saray martyrii corona redimitus, cum primo voluptate corruptus, metuque religioſæ diſciplinæ exterritus, ac dœmonum, qui ſe illi objiciebant, victus inſidiis, ad Mahometanos defecit. Tum flagitii pœnitens publice impiam ſuperſtitionem damnavit; variis ſuppliciorum generibus affectus, reſtitutus eſt divinitus ſanitati: ardenti fornace clauſus, inde illæſus exiit. Demum in carcere bipenni ad collum ſauciatus, & ferro confoſſus, ad rogum conſtanter perrexit, in quo ſæpius igne divinitus extincto, a furentibus Saracenis gladiis, haſtis, ſecuribus oppreſſus animam Deo reddidit, ac poſt mortem miraculis claruit. Eodem anno Dominicum Minoritam Ungarum occiſum a Tartaris, nudatum cute, atque in tormentis divinas laudes decantaſſe tradunt (d). Guillelmum etiam Anglum pariter Minoritam in Salamaſtrenſi Saracenorum urbe, dum conſtanter evangelium promulgabat, ac Mahumeticam ſectam refellebat, trucidatum. Superiora porro licet anno proximo geſta, inſtitutæ tamen de propagata apud Tartaros religione orationi conjungenda viſa ſunt.

(d) Id. ib.
Dominicus Minor. in tormentis divinas laudes celebrat.

XLV.
Oborta contro. ver. an divina eſſentia conſpiciatur.
(e) To. 9. p. 1. ep. ſecr. pag. 108. Jo. Vill. l. 10. c. 230. MS. bibl. Vat. ſig. n. 3764. in Jo. 22. Ptol. Luc. hiſt. eccl. 24. c. 42. & alii.
Libellus in ea quæſt. a Joann. editus.

[1] Agitari iterum cœpta eſt (e) per hæc tempora apud ſedem Apoſtolicam quæſtio, an juſtorum animæ a corporibus ſegregatæ, quibus nulla criminis labes expianda ſupereſt, divinitatem facie ad faciem, ut loquitur Apoſtolus, ante extremi judicii diem intueantur. Diſſenſerant ea de re doctores, neque hujuſmodi controverſia adhuc ab eccleſia fuerat definita: quam cum Joannes dirimi percuperet, in ſuis ad Cardinales collationibus ſcripturæ ſacræ oracula, ac patrum dicta in utramque partem protulit, juſſique ſunt Cardinales, præſules, aliique doctores, objecta anathematis religione, controverſiam diligentiſſime excutere, & quæ a ſanctis patribus pronuntiata reperirent, conferre. Libellum etiam de ea ſcripſit Pontifex, quem Petro archiepiſcopo Rotho-

NOTÆ [1] AGendum hic ſuſcipit Annaliſta de celebri illa controverſia quæ ante biennium a Joanne papa excitata hoc anno agitari magna animorum contentione cœpta eſt: utrum ſanctorum animæ ab omni peccati labe rite expiatæ ad ipſum Dei intuitum plenum, & perfectum ſtatim admittantur, vel potius aliqua beatitudinis portione nunc aſperſæ, nonniſi poſt corporum reſurrectionem in ipſo ſæculorum exitu beatitudinis plenis (fere dicam) Scyphis perfundendæ ſint. Totam diſſidii hujus hiſtoriam adeo diligenter Annaliſta perſequitur, ut nihil ſupplendum dimiſerit. Adnotaſſe tamen juvat, oppoſitam errori huic veritatem paulatim & per partes ſe ſe explicuiſſe. *Primo enim*, ſub ipſis eccleſiæ crepundiis, ſcriptoribus & patribus nonnullis ea ſedit opinio, ut crederent, juſtorum animas ſtatim ab expiatis criminibus frui regno quodam terreſtri, in quo caſtas delicias guſtent; reſervata illis abſolutæ beatitudinis ex Dei intuitu hauriendæ voluptate, uſque ad reconciliatam animæ cum corpore ſocietatem. Hæc Millenariorum quorumdam fuit ſententia; quamquam alii regnum illud terreſtre uſque poſt reſumpta ab animabus corpora diſtulerunt, a quibus proinde viſionis claræ, & ut vocant, *facialis Dei* præmium nonniſi exacto a noviſſima corporum reſurrectione annorum millenario permittitur. Denſis hiſce tenebris paulatim rareſcentibus a nonnullis tandem deſcenſum eſt in eam ſententiam, ut juſtorum animas ſtatim ab obitu transferrent ad ſedes quaſdam lucidas, in quibus tempus ad reſurrectionem uſque jucunde cum beata quadam voluptate fallerent, gaudium illud ſuggerente Deo, qui non revelata quidem facie; ſed veluti obducto adhuc vultu ſe ſe illis offert utcumque intuendum. Demum Joannes XXII. propiori quam præcedentes omnes gradu ad veritatem accedens, opinatus fuit juſtos quidem ſtatim in cœlum recipi, ubi Deo beante, ſed nondum plane & facie ad faciem viſo fruuntur, qui tandem poſt ſæculi conſummationem reducto velo ſeſe illis communicabit. Hanc ſediſſe Joanni pontifici opinionem conſtat ex argumentis ab ejus aſſertoribus productis, & ab adverſariis impugnatis: *Si enim*, ait aſſertor quiſquam ſententiæ Joanni oppoſitæ apud Annaliſtam ad A. 1331. 43. *ſecundum eos animæ beatæ nunc ex amœnitate cœleſtis habitationis jucundantur* &c. De viſione Dei obſcura, & veluti per oppanſum humanitatis Chriſti velum exhibita teſtis eſt locupletiſſimus Anonymus ille, quem Annaliſta ad eumdem annum num. 44. exprompſit. Hinc fruſtra nititur Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. ſæc. XIV. diſſert. XI. qui catholici dogmatis aſſertorem fuiſſe Joannem ex eo adſtruit, quod in bulla conſecrationis S. Thomæ Aquinatis docuerit S. Thomæ *animam cœlum poſſidere, & in cœleſtibus agminibus poſitam Deum glorificare*. Quod & expreſſit in bulla alia qua in Sanctorum albo adſcribit S. Thomam Erfordienſem *cœleſtis imperii ipſe* (S. Thomas) *ineffabili throno gaudet*.

Defendendi igitur Joannis unica ratio ſupereſt ſi fateamur, in aliam quidem a dogmate, quod poſtmodum eccleſia catholica definivit, ſententiam inclinaſſe, præſto tamen paratumque fuiſſe errorem ejurare cum de veritate vel allatis argumentis vel eccleſiæ definitione aliqua ſibi conſtaret. Quam ſincere in veritatem niteretur demonſtrat ſedula illa rei indagatio, quam ipſe inſtituit, ex qua tandem vera aſſecutus, errorem prompte retractavit. Qua de re in annalibus ad annum ſequentem. MANSI



Adducitur Joan. in invidiam a malevolis.
(a) To. 9. p. 2. ep. ſecr. pag. 169.

thomagenſi tranſmiſit, in quo nil e ſuo, ſed dicta tantummodo ſcripturæ ſacræ, vel patrum deprompſit (a). Conflata eſt Joanni a multis ingens invidia, ipſum eam quæſtionem moviſſe, & contrariam catholico dogmati opinionem tueri, tunc demum ac non ante ſanctorum animas divinæ eſſentiæ aſpectu potituras, cum Chriſtus eam feret ſententiam: *Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum, &c.* ac plures Pontificis famam lacerabant.

(b) Jo. Vil. ſup. c. 230.
Purgat ſe contra eorum calumnias.
(c) To. 9. p. 2. ep. ſecr. pag. 195. & 196. & p. 1. ep. ſecr. pag. 108.
(d) Ead. p. 2. pag. 196.
(e) Ib. pag. 195.

Cum vero Pariſiis nonnulli doctores eam controverſiam agitarent, in quibus erat ſupremus Minoritarum præfectus, & in eam inclinarent ſententiam, animas ante corporum reſumptionem claro divinitatis intuitu non frui; ſparſaque eſſet calumnia, Pontificem ejus opinionis auctorem & ſigniferum eſſe, Philippus Francorum Rex ejuſdem opinionis ſequaces durioribus verbis catholicæ fidei ardore ſuccenſus increpuit, mortem etiam ut hæreticis minatus (b), ni dicta revocarent. At Pontifex, ut calumniam a ſe propulſaret, pluribus literis apud Regem Reginamque Francorum queſtus eſt (c), rem ſibi a malevolis affictam, nec ſe quidquam in ea ſtatuiſſe quæſtione, ſed dicta patrum tantummodo veritatis indagandæ ſtudio collegiſſe, quæ ab archiepiſcopo Rothomagenſi Gallicis verbis reddi, ac Regi exponi juſſit (d). Philippum vero rogavit (e), ne quæſtionem utramque in partem agitari vetaret, quo ex ea diſceptatione emicaret rei veritas.

*Philippo Regi Francorum.*

XLVI.
*Regalem notitiam volumus non latere, quod dudum ad noſtrum auditum relatio fide digna perduxit, quod nonnullos magiſtros in theologia audiveras aſſerentes, quod, fili chariſſime, tua magnificentia illos induxerat, ut quod animæ ſanctæ ante ſuorum reſumptionem corporum videbant clare divinam eſſentiam prædicarent: immo plus eorum aliqui ſeu aliquis aſſerebant ſeu aſſerebat, quod illum ſeu illos, qui hoc facere renuebant ſeu renuebat, capitulaveras ſatis dure. Ab aliis vero audivimus, quibus fidem prorſus adhibemus, quod præceptum tale ſeu inductio ab ore regio non proceſſit: ſed ut princeps zelator veritatis, quam diligis & in tuo regno, prædicari deſideras & ſervari, aliquibus qui forſan dicebant ſeu fingebant ſe propter metum aliquem non audere talia prædicare, dixiſti quod metu cujuſquam perſonæ non ſinerent veritatem in præmiſſis vel aliis prædicare. Hoc profecto dicere decebat, & decet regiam majeſtatem. Cum autem hanc quæſtionem B. Auguſtinus interdum in ſcriptis ſuis reputaverit valde dubiam, & circa eam variaſſe dicatur; & nedum ipſe, ſed & multi doctores alii circa iſtam materiam varient; propter hoc, ut veritas poſſit melius aperiri, nos interdum in noſtris ſermonibus mentionem habuimus, non proferendo verbum de noſtro capite, ſed dicta ſcripturæ ſacræ & ſanctorum, præcipue illorum quorum ſcripturæ ab eccleſia ſunt receptæ; multique tam Cardinales, quam alii coram nobis & alibi in ſuis ſermonibus pro & contra de iſta materia ſunt locuti: & nedum in ſermonibus, immo publice, prælatis ac magiſtris in theologia præſentibus, eſt in curia pluries quæſtio hujuſmodi, ut ſic plenius poſſet inveniri veritas, diſputata.*

Oſtendit Auguſtinum & alios varie de ea quæſt. ſenſiſſe.

XLVII.
*Et quia, fili dilectiſſime, forſan tibi dicitur, quod nos non ſumus in theologia magiſter, audi quid unus ſapiens dicat: Non quis, inquit, ſed quid dicat intendit. Utinam, fili, ſicut & alias meminimus nos ſcripſiſſe, vellet audire quæ in noſtris ſermonibus diximus regia celſitudo, & ut ſuperius prædiximus, unum verbum de capite noſtro nos non protuliſſe reperies; ſed quæ vel Chriſtus, vel Apoſtoli, vel ſancti patres & doctores eccleſiæ protulerunt. Hæc venerabili fratri noſtro Petro Rothomagenſi archiepiſcopo tradidimus, ut ea ſi tibi liberet intendere, duceret exponenda: cui & nunc ſcribimus, ut hæc impleat, ſi tuæ placuerit majeſtati. Profecto, amantiſſime fili, ſi quæ circa iſtam materiam aliqui ſcripſerint & dixerint ſciret tua magnificentia, merito miraretur. Interdum quidam hoc ſcripſerunt & dixerunt, quod hæc quæſtio erat tua, quod tua prudentia per totum regnum partem illam prædicari tanquam veram faceret, & aliam ut hæreticam reprobari: multiſque comminati ſunt religioſis & ſæcularibus ſub umbra tui culminis, ſi partem illam, quod animæ ſeparatæ divinam eſſentiam non videant, & viſionem quam vocat Apoſtolus facialem, quod de illa procedit quæſtio, illos capi facerent per inquiſitores hæreticæ pravitatis. Hæc, fili chariſſime, licet veritate ut ſupponimus careant, quamquam bene credamus, quod ad hæc facienda & dicenda tuam excellentiam duxerint ſtimulandam, ad honorem regium nequaquam pertinere noſcuntur.*

Ut ſuam non deprompſerit ſententiam.

*Et quia, amantiſſime fili, ſcimus quod in his vel aliis, ut elucidetur veritas intendes, rogamus benevolentiam regiam, ut per fidelem ſeu fideles nuncios magiſtris in theologia & baccalariis Pariſiis legentibus & degentibus facias nunciari, quod talibus minis illatis non obſtantibus quilibet dicere & diſputare & prædicare valeat, quod ſibi juxta doctrinam evangelicam & apoſtolicam diſputandum videbitur & etiam prædicandum, donec aliud ordinatum per ſedem fuerit Apoſtolicam, vel etiam declaratum: ſic enim ad veritatem quæſtionis prædictæ poterit promptius*

Jubet indagandæ veritatis cauſa quæſtionem ventilari.

*ptius perveniri. Dat.* XIV. *kal. decembr. anno* XVIII. Nulla ex his Joanni hæreſeos nota impingi poteſt, cum tantummodo quæſtionem nondum ab eccleſia deciſam expenderet; ac non ſua ſed ſanctorum patrum dicta depromeret. Ut vero orthodoxam ſententiam confirmaverit, ſequenti anno dicetur.

XLVIII.

Conſultus eſt inter alios Durandus epiſcopus Meldenſis, de quo hæc Jacobus Cardinalis tituli S. Priſcæ (*a*): *Cum tempore felicis recordationis domini Joannis Papæ* XXII. *dubitatio apud aliquos eſſet mota, an animæ ſanctorum purgatæ a peccatis & pœnis peccatorum ante reſurrectionem vel judicium generale eſſent Dei eſſentiam viſuræ vel non, multi ſapientes & doctores etiam in theologia de hac materia diſquirentes, ut vel ſic ad veritatem dictæ quæſtionis pertingere poſſent, multa & diverſa ac adverſa dixerunt, & eorum etiam aliqui ſcripſerunt: inter quos fuit bonæ memoriæ Durandus epiſcopus Meldenſis famoſus & antiquus magiſter in theologia, qui ſuper dicta materia ſcribens, & illud quod ſcripſerat mittens dicto domino Papæ, conatus fuit oſtendere, quod error erat aſſerere, quod dictæ animæ a carne reſolutæ & purgatæ non viderent divinam eſſentiam ante reſurrectionem & judicium generale. Quæ ſcriptura per dictum dominum Papam tradita fuit ad videndum aliquibus magiſtris in theologia.* Concepta illa erat ſubjectis verbis (*b*).

(*a*) *MS. bibl. Vat. ſig. n.* 208.

Durandus pro parte affirmante ſcribit.

(*b*) *Ext. in MS. bibl. Vat. ſig. n.* 4006. *pag.* 285. *&c.*

*Libellus epiſcopi Meldenſis.*

XLIX. Ejuſdem hac de re commentarius.

*Prima facie videtur quod dicere, quod animæ ſanctorum decedentium ſine peccato mortali, & poſtquam purgatæ ſunt a culpa veniali, ſi quam habent, vel a pœna cujuſcumque culpæ debita, non videant Deum facie ad faciem uſque poſt reſurrectionem corporum, eſt negare articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos, quod patet ſic: Chriſtus non deſcendit ad inferos ſecundum corpus, quia illud totum triduum uſque ad reſurrectionem jacuit in ſepulcro; nec ſecundum deitatem, quia ſecundum illam eſt ubique. Igitur deſcendit ſecundum animam. Ad quem finem? Ad hunc, ut animas ſanctorum patrum & aliorum, quæ erant in limbo inferni, liberaret ſecundum illud Zachariæ* IX. *Tu autem in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu. In inferno autem non eſt niſi duplex pœna, pœna ſenſus & pœna damni: in limbo autem ſanctorum non fuit pœna ſenſus, ſed ſolum damni, quæ eſt carentia viſionis divinæ, a qua nullus poteſt liberari niſi per viſionem divinam, quia privatio alicujus non tollitur niſi per actum oppoſitum. Ergo ſi deſcenſus animæ Chriſti ad limbum inferni fuit propter liberationem animarum ſanctarum, quæ tunc ibi erant, neceſſe eſt quod liberaverit eas a carentia viſionis divinæ, quod non potuit fieri niſi dando eis viſionem beatam: & qui negat quod animæ ſanctorum veteris teſtamenti, quæ fuerunt in limbo inferni, non videant Deum viſione beata uſque poſt reſurrectionem, negat articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos. Et confirmatur, quia Lazarus ſive anima ejus ante paſſionem Chriſti erat in limbo, ſeu in ſinu Abrahæ in magna conſolatione, ut evangelica teſtatur ſcriptura Luc.* XVII. *multo magis anima Abrahæ erat in magna conſolatione & lætitia. Quid igitur contulit deſcenſus animæ Chriſti ad inferos? Si dicatur, quod tunc perductæ ſunt ad claram viſionem & ejus fruitionem, habetur propoſitum. Si vero dicatur, quod non, ſed quod ſolum perducti ſunt ad ampliorem lætitiam & conſolationem: contra quia ſecundum prophetiam Zachariæ jam allegatam, quæ ſecundum ſenſum naturalem intelligitur de deſcenſu animæ Chriſti ad inferos, Chriſtus eduxit ſanctos ſive animas ſanctorum de limbo, ſic enim ſcribitur: Tu autem in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu; dare autem unam conſolationem magnam vel parvam de futura liberatione non eſt eos liberare de vinculis, nec educere de carcere. Ergo propter conſolationem ampliorem datam ſanctis in limbo exiſtentibus non fuiſſet impleta dicta prophetia. Relinquitur ergo quod perducti fuerunt ad viſionem Dei.*

Primum argum. ex vaticinio Zachariæ petitum.

Urgetur.

L. Secundum idque validiſſimum ex verbis Chriſti ad latronem.

*Item Lucæ* XXIII. *legitur, quod Chriſtus exiſtens in cruce dixit latroni juxta ſe crucifixo: Mecum eris in paradiſo. Iſtud autem non poteſt intelligi quoad corpus Chriſti & latronis, quia corpus Chriſti fuit in ſepulcro & corpus latronis alicubi, & neutrum in paradiſo. Oportet ergo quod intelligatur quoad animam, ita quod anima Chriſti & anima latronis fuerunt eodem die in paradiſo: & cum paradiſus ſit duplex, unus ſcilicet corporalis, ſcilicet cœlum empyreum, & alius ſpiritualis, ſcilicet viſio beata, in primo paradiſo, ſcilicet cœlo empyreo non fuerunt illo die animæ Chriſti & latronis, tum quia anima Chriſti deſcendit ad inferos ſecundum articulum fidei, tum quia anima Chriſti non aſcendit in cœlum empyreum uſque ad diem aſcenſionis, ſcilicet cum corpore. Relinquitur ergo, quod anima latronis fuit illo die cum anima Chriſti in paradiſo ſpirituali, qui eſt viſio beata.*

Tertium ex verbis Apoſtoli.

*Item in epiſtola ad Philippenſes* I. *cap. dicit Apoſtolus: Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum; & ſubdit: Quid eligam ignoro. Coarctor autem e duobus: deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium propter vos. Ex primo verbo, quod dicit: Mihi vivere Chriſtus*



*eſt, & mori lucrum; poteſt argui: Si lucrum erat Apoſtolo mori, quid erit lucrum niſi illud quod ſubditur: Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto? Ergo intentio Apoſtoli erat, quod ſi diſſolveretur a corpore, quod reciperet pro lucro quod eſſet tantum cum Chriſto. Et qualiter? Nunquid ſecundum viſionem humanitatis Chriſti ſolum? Certe non quia anima ſeparata a corpore non habet oculos corporales ut videat corporalia, & in eis delectetur: & ſi cognitione ſpirituali ſolum per fidem cognoſcat humanitatem Chriſti,* His verbis Durandum ſupponere errorem, nimirum animas ſeparatas non percipere corporalia mentali intuitu, plures doctores arguerunt; qua de re inferius. Pergit ille, *nullum eſt ei lucrum majus, quam eſſet vivere, quia etiam dum Chriſtus viveret ante reſurrectionem & poſt, converſabantur cum eo, & ipſum corporaliter videntes & ipſum ſpiritualiter credentes non habuerunt ex hoc ſolo magnum lucrum tale, quale expectabat Apoſtolus a Deo: Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum; ſubjungit enim, quod diſſolvi & eſſe cum Chriſto, multo melius eſt, quam permanere in carne: iſtud autem non eſſet melius, ſi anima Apoſtoli reſoluta a carne non videret Deum viſione beata; ſed ſolum crederet in ipſum, quia hoc habebat exiſtens in carne, & ultra hoc augebatur ejus meritum quotidie; quod non habet locum poſt mortem: & ſic mori & eſſe ſolum illo modo cum Chriſto non eſſet melius, immo multo deterius, quam permanere in carne; & eſſet damnum magis quam lucrum. Et ſi dicatur quod immo, quia poſt mortem homo non poteſt peccare nec amittere gratiam, in qua deceſſit, ſicut poteſt ante mortem; non valet propter duo. Primum eſt, quia homo exiſtens in gratia ante mortem non poteſt amittere gratiam per peccatum, niſi velit, quia omne peccatum eſt voluntarium. Secundo quia, licet ſecundum legem communem homo non ſit certus quin cadat a gratia; tamen Apoſtolus fuit de hoc certus per revelationem, ſicut ipſe dicit Rom.* VIII. *Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, &c. Ergo propter certitudinem de non amittendo gratiam poſt mortem non dicebat Apoſtolus, quod mori eſſet ſibi lucrum, vel diſſolvi & eſſe cum Chriſto eſſet multo melius, quam permanere in carne; ſed ſolum propter viſionem beatam, quam expectabat, & quam in raptu expertus eſt in tranſitu quodam.*

LI. Quartum ex II. ep. ad Corint. ex qua probatur SS. animas cœlo excipi.

*Item Apoſtolus loquens de ſe & de conſimilibus perfectis, qui totaliter exeunt perfecti & purgati ex hoc mundo, dicit* II. *ad Corinth.* V. *ſcimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, ſed æternam in cœlis. Igitur ſpiritus & animæ juſtorum & perfectorum, qualis fuit Apoſtolus, non habent niſi duplicem habitationem, unam terreſtrem in corpore mortali, aliam cœleſtem, ad quam tranſeunt diſſoluta prima habitatione terreſtri: habitatio autem cœleſtis, ſi accipiatur corporaliter ſolum, nihil proficit animæ ſeparatæ, quæ in puris corporibus delectabile non habet, cum ſit ſpiritus. Ergo oportet, quod accipiatur ſpiritualiter, ita videlicet, quod animæ ſanctæ, dum abſolvuntur a corpore, tranſeunt ad cœleſtem habitationem, quæ eſt viſio, qua beati tam homines quam angeli vident faciem Patris, qui eſt in cœlis.*

Quintum ex apocalypſi.

*Item apocal.* VI. *dicit Joannes: Vidi ſub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti, quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Uſquequo Domine ſanctus & verax non vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra? Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ; per quas intelligitur gloria animæ. Igitur jam habebant remunerationem, quantum ad animam, quamvis non totalem quantum ad totum compoſitum ratione corporis, quod glorificabitur ſolum in reſurrectione generali: & ideo dictum eſt illis, ut requieſcant, id eſt expectarent adhuc tempus modicum, donec impleatur numerus conſervorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi. Item apoc.* VII. *Vidi turbam magnam, &c. ſtantem ante thronum & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis; & in eod. cap. dicitur: Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Ex quibus omnibus datur clare intelligi, quod ſancti martyres ſtatim poſt mortem glorificantur quantum ad animam, quæ gloria vocatur ſtola alba; licet expectent gloriam corporis in generali reſurrectione. Iis duabus ſtolis finaliter veſtientur omnes ſancti, ſecundum illud proverb. ultimo: Omnes domeſtici ejus induti duplicibus.*

LII. Sextum e ratione ſumptum.

*Item promptior eſt Deus ad remunerandum bonos, quam ad puniendum malos. Sed mali decedentes in peccato mortali ſtatim puniuntur quantum ad animam, quantum anima ſeparata capax eſt pœnæ. Ergo boni decedentes perfecte purgati remunerantur quantum ad animam, quantum anima ſeparata capax eſt viſionis beatæ, quæ eſt facie ad faciem, quia ad hoc corpus aut nihil operatur aut modicum. Minor probatur, ſcilicet quod mali decedentes ſtatim poſt mortem puniantur in anima, quantum ipſa capax eſt, dum eſt ſeparata; dicitur enim Lucæ* XVI. *de divite epulone: Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno; quod non poteſt intelligi quantum ad corpus, quod forte ſepultum fuit in pulchro ſepulcro; ſed quantum ad animam*

*mam, de qua dicitur ibidem ex perſona Abrahæ. Et nunc hic conſolatur, ſcilicet Lazarus, tu vero cruciaris. Item Jacobi* I. *dicitur: Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Sed tota probatio hominis eſt in hac vita. Ergo ea finita veri probati accipient coronam vitæ, quæ non eſt aliud quam viſio Dei facie ad faciem.*

Septimum e ritu eccleſiæ.

*Ad idem concurrit generalis ritus & auctoritas totius eccleſiæ, de Apoſtolis enim cantat eccleſia ſic: Iſti ſunt veri ſancti, quos elegit Deus in charitate non ficta;* & ſequitur: *Et dedit illis gloriam ſempiternam. Hæc autem gloria, non eſt gloria corporis, quæ eſt in reſurrectione; ſed gloria animæ, quæ conſiſtit in viſione divinæ eſſentiæ.*

*Item de eiſdem cantat eccleſia: Modo coronantur & accipiunt palmam; & ſic idem quod prius. De martyribus vero cantat in hymno eccleſia: Terrore victo, &c. uſque, vitam beatam poſſident. Ergo beati ſunt ſaltem quantum ad animam: beatitudo autem animæ conſiſtit in beata viſione, &c.* interjectis pluribus aliis argumentis ſimilibus, ſubiicit Durandus: *Ex quibus patet, quod generalis ritus eccleſiæ, qui in talibus maximam auctoritatem habet, confitetur Deum laudans, quod ſancti poſt mortem & ante reſurrectionem glorificantur quantum ad animam.*

LIII. Idem auctoritatibus SS. patrum confirmatur. Gregorii.

*Beatus etiam Gregorius lib.* IV. *dialogorum cap.* XXIX. *dicit, reſpondens quæſtioni Petri diſcipuli quærentis, ſi ante reſurrectionem corporum in cœlo recipiuntur animæ ſanctorum: reſpondet, quod juſtorum animæ, ut hæc carnis clauſtra exeunt, in cœleſtibus ſedibus recipiuntur, juxta illud: Ubicumque fuerit corpus, &c. quia illæ proculdubio, ubi Redemptor eſt corpore, illic & colliguntur ſanctorum animæ; & Paulus deſiderat diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Qui ergo Chriſtum in cœlo eſſe non dubitat, nec Pauli animam eſſe in cœlo negat qui dixit: Scimus quod ſi domus noſtra, &c. Sed quærit: Si igitur & in cœlo nunc animæ ſunt juſtorum, quid eſt quod in die judicii pro retributione ſuæ juſtitiæ recipient? Reſpondet Gregorius: Hoc eis nimirum reſtat in judicio, quod nunc animarum ſola, poſtmodum vero corporum beatitudine perfruentur. Datæ ſunt illis interim ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, ut requieſcerent, &c. qui itaque ſingulas ſtolas acceperunt, binas in judicio ſtolas habituri, quia modo animarum tantummodo, tunc autem animarum & corporum gloria lætabuntur. Item in eod. lib. cap.* XXVIII. *dicit ſic: Eſſe ſanctorum animas in cœlo, ſacri eloquii teſtificatione credidiſti: oportet ut per omnia verum eſſe credas & iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ juſtitiæ, ex qua jam juſti gloriantur, neceſſe eſt, ut per omnia injuſti crucientur: nam ſicut electos beatitudo glorificat, ita credi neceſſe eſt, quod a die exitus ſui ignis reprobos exurit. Et ecce quam expreſſe & clare dicit Gregorius, quod animæ ſanctorum poſtquam reſolutæ ſunt a corporibus ſtolam, quæ eſt beatitudo animæ, quæ in dicta viſione conſiſtit, recipiunt.* Interjectaque auctoritate Bedæ dicentis, pueros baptiſmo ablutos mox cœlo excipi, addit Durandus argumentum ex ratione petitum: *Deus etiam, qui dicit: Non remanebit opus mercenarii apud te uſque mane; mercedem beatorum operariorum finito tempore non retardabit reddere operationem ſine cauſa: cum autem perfecta merces, quam Deus promiſit ſanctis ſuis, ſit beatitudo animæ, & beatitudo corporis neceſſaria eſt; quare beatitudo animæ retardetur ei ſtatim poſtquam reſoluta eſt a corpore, cum ipſa ſit capax tali beatitudine, nec ad eam recipiendam indigeat corpore, nec ut ſubjecto, aut objecto?*

Bedæ.

Confirmatur ratione.

LIV.

*De beatitudine autem corporis, quod non reddatur modo, juſta cauſa eſt, quia corpus non poteſt glorificari ſine anima, ſine qua non vivit, &c. & cujus organum fuit in merendo, & ſine qua ad ipſum non poteſt pertinere meritum, pro quo reddendum eſt præmium, quod corpus non glorificabitur donec reuniatur animæ, quod erit in reſurrectione: dicere autem, quod animæ ſanctorum non glorificentur uſque poſt reſurrectionem corporum, multum derogat ſinceritati fidei; cum enim de die judicii & reſurrectione, quæ tunc erit, Chriſtus ſalvator noſter nihil voluerit revelare Apoſtolis, immo dixit: De die autem illa nemo ſcit, neque angeli in cœlo, ſed tantum Pater; ſi tota merces noſtra, ſcilicet beatitudo animæ & beatitudo corporis, differatur uſque ad diem illum, de quo nec angeli ſciunt aliquid, nec revelandum eſt Apoſtolis, nec Filius voluit aliquid revelare, infirmi poſſent de facili ſcandalizari in fide, cogitantes quod merces paradiſi ſanctis promiſſa, eſt eis reddenda pro tempore ſic diſtante, quod nullus ſcit de hoc aliquid dicere; ſicut fuit dictum magiſtro Arnaldo Catalano, qui volebat præfigere tempus antichriſti: Magiſter Arnalde, ſi vultis prudenter dicere, aſſignetis tantum tempus adventus Chriſti.* Et infra.

LV. Et communi doctrina eccleſiæ.

*Item ſecundum doctrinam communem eccleſiæ poſt mortem hominis non aſſignatur niſi triplex ſtatus animarum decedentium, quia quædam detinentur in purgatorio, illæ videlicet, in quibus erat aliquid purgandum: quædam vero deſcendunt in infernum, ſcilicet animæ damnatorum: aliæ vero aſcendunt in paradiſum, ſcilicet animæ ſanctorum & purgatorum. Si autem animæ ſanctorum non vident Deum uſque*

poſt



*poſt reſurrectionem corporum, tunc non eſſent in paradiſo, nec in inferno, nec in purgatorio; ſed haberent alium ſtatum confictum. Et ſic patet perquam periculoſus error ſit dicere, quod animæ beatorum non glorificantur ante reſurrectionem corporum, neque animæ malorum puniantur quouſque ſuis corporibus uniantur.*

LVI. Contrariorum argumentorum ſolutio. Primum eſt præmium non dari niſi poſt judicium.

Solvit dein Durandus adverſariorum argumenta contendentium, animas ſanctorum ab omni labe purgatas Deum niſi poſt generale judicium non viſuras; quem errorem hæreticorum Catharorum fuiſſe ait. Argumentum primum id ponit: *Præmium vel pœnæ non reddentur bonis vel malis poſt mortem niſi per divinum judicium. Sed divinum judicium non fiet uſque ad finem poſt reſurrectionem. Igitur uſque tunc non præmiabuntur boni, nec punientur mali.* Hujus ſyllogiſmi minor de futuro in fine ſæculi judicio multis auctoritatibus Iſaiæ cap. III. Danielis XII. Joelis III. Mat. III. XI. XXII. Marci XX. Apoſtoli I. ad Corinthios V. II. Petri V. tum multis aliis ſacris oraculis confirmatur. Ad quam propoſitionem reſpondet Durandus, duplex eſſe judicium; aliud generale futurum in orbis conſummatione, de quo ſuperiora oracula loquuntur; aliud *particulare & occultum*, inquit, *quod fit de quolibet homine poſt mortem, de quo dicitur eccleſ.* XXXVIII. *Memor eſto judicii mei, ſic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie. Et iſto judicio judicatur quilibet in morte ſua non ſecundum totum hominem, quia deſinit eſſe; ſed ſecundum principalem partem, videlicet animam, quæ non deſinit eſſe; & ſecundum quam ſolum aut principaliter attenditur totum meritum & demeritum: & de iſto judicio non eſt vera minor propoſitio, nec auctoritates ſcripturæ ad ejus probationem adductæ de iſto judicio intelligunt; ſed ſolum de finali & generali.*

De duplici judicio diſtinguitur.

Secundum ex futilibus argutiis petitum.

Secundum argumentum hoc eſt: *Illi debetur præmium per ſe, cui competit per ſe mereri tale præmium: quia ſi per ſe præmietur qui per ſe non meretur, non eſt condigna retributio. Sed anima non meretur per ſe, quia tunc omnis anima ſeparata poſſet mereri, nec corpus meretur ſine anima. Ergo totius hominis conſtituti ex anima & ex corpore eſt mereri per ſe. Igitur & præmiari per ſe. Non ergo unum ſine altero.* Huic argumento reſpondetur, animam conjunctam corpori per actionem liberi arbitrii, ſuppoſita gratia, mereri per ſe & principaliter, quamvis non totaliter, ſed ut quod: corpus autem mereri ut quo, ſcilicet organo, fiat actio: proinde poſt mortem præmio affici animam, quæ ſine corpore præmii ſit capax, non corpus, cum non ſit capax niſi conjunctum animæ: integrum vero hominem, utpote compoſitum ex corpore & anima conjunctis præmio non donatum iri niſi poſt reſurrectionem. Indirecte etiam retorto argumento in adverſarium reſpondetur, ſi ſolus homo per ſe præmio donandus, qui per ſe ſolus mereatur, ſequi animam nullo præmio poſt mortem affectum iri; non itaque excipiendam cœlo, non cœleſte gaudium ſuſcepturam, tum etiam animas ſeparatas purgatoriis flammis non cruciari.

Tertium ex parabola evang.

Tertium argumentum obiicitur: *Promittitur & datur denarius illi ſolum, qui in vinea domini laboravit. Sed anima non laboravit ſine corpore, nec e converſo, ſed totus homo. Ergo toti homini ſolum debet dari præmium.* Oſtendit Durandus fallax eſſe hoc argumentum, & mutare quid in quale: licet enim quis locarit operam certo indutus cultu, non colligi, ſi eam veſtem exuat, mercede fraudandum; præcipue enim attendi id quod meretur, ac minus principaliter id quo mereatur.

Quartum ex æquivoca voce beatitudinis.

Quartum argumentum: *Perfecte beatus nihil amplius poteſt deſiderare. Sed viſio Dei nobis promittitur tanquam finis omnium deſideriorum noſtrorum. Ergo ſi anima videt nunc Deum, nihil debet nec poteſt expectare. Sed naturaliter anima corpus expectat tanquam illud, ſine quo perfecta non eſt, ſicut pars ſeparata a toto imperfecta eſt; perfecta tamen dum eſt in toto.*

LVII. Diſtinguitur de beatitudine partiali & totali.

Hæc ita ſolvuntur a Durando: *Cum dicitur, quod perfecte beatus nihil amplius poteſt expectare, vel deſiderare: dicendum quod beatitudo poteſt accipi dupliciter, uno modo prout includit omnem perfectionem homini poſſibilem, & ſic Boethius dicit, quod beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, & qui habet talem beatitudinem nullum poteſt amplius deſiderare, & ſic nullus homo erit beatus uſque poſt reſurrectionem. Alio modo accipitur beatitudo pro ſuprema & optima operatione hominis, & hæc conſiſtit in viſione divinæ eſſentiæ facie ad faciem; & qui habet talem beatitudinem, adhuc poteſt plus deſiderare & optare, quia beatitudo ſic accepta eſt eligibilior cum quocumque alio bono ſibi adjuncto: & iſto modo anima ſeparata habet beatitudinem, & poteſt deſiderare uniri corpori, & habere beatitudinem corporis ſibi uniti.* Et infra: *Item principale non dependet ex acceſſorio, ſed e converſo: quantum autem ſpectat ad præmium beatitudinis, anima quæ eſt ad imaginem Dei, eſt principativa, corpus autem eſt acceſſorium tanquam illud, quod non gloriatur donec plene ſit ſubditum animæ. Ergo ridiculum eſt dicere, quod anima non beatificetur quouſque uniatur corpori, cum ipſa ſit capax beatitudinis ſine cor-*

pore

*pore, non autem corpus ſine anima.*

(a) *Aug. 12. ſup. geneſ. ad lit. & xv. de Trin. c. xxv.*

Ad auctoritates vero ſanctorum Auguſtini (*a*) & Bernardi, ab adverſariis objici ſolitas, oſtendit nil ex iis concludi poſſe, quam animas beatas non tanto impetu in contemplationem & fruitionem divinæ eſſentiæ ob inſitum appetitum in corpus ferri, quanto poſt reſurrectionem ferentur, quæ aliquorum eſt opinio; quamvis alii contrarium ſentiant: *Cum dicitur*, inquit, *quod animæ reſolutæ a corpore conſtituuntur in placidis ſedibus, donec recipiant corpora ſua; non eſt intelligendum de ſedibus corporalibus, quæ animæ ſeparatæ pro ſtatu illo non conferunt complacentiam vel diſplicentiam ſed* (errat in hoc auctor) *placidam ſedem vocat gradum beatitudinis imperfectæ, quam habet anima ſeparata reſpectu beatitudinis quam habebit reſumpto corpore: tunc enim beatitudo erit major extenſive, quia anima beatificabitur non quantum ad mentem & quantum ad intellectum & voluntatem, ſed etiam quantum ad vires inferiores ſenſitivis & appetitivis, quæ perficiunt corpus; & etiam intenſive ſecundum aliquos, quia anima clarius videbit Deum & ferventius diliget: quam opinionem videtur declarare B. Auguſtinus dicens, quod anima ſeparata retardatur quodammodo ex naturali appetitu adminiſtrandi corpus, ne tota intentione feratur in Deum quamvis aliqui non aſſentiant Auguſtino in hac parte.* Subdit immo eoſdem ſanctos in aliis locis explicatius referre, animas ante generale judicium divina gloria potiri, & ſingulas ſtolas accepiſſe, quæ ſtola felicitas eſt animarum. Ad auctoritatem vero apocalypſis de animabus, quæ viſæ ſunt ſub altari, ex interpretatione S. Bernardi (*b*) reſpondet: *Eſt notandum, quod licet Bernardus fuerit vir magnæ devotionis in oratione & ſermonibus; non fuit tamen magnæ auctoritatis in expoſitionibus, & ideo in talibus qui vult poteſt eum tenere vel negare ſine reprehenſione: propter reverentiam tamen ejus diſcurramus per dicta ſua.* Refellit deinde preſſe Bernardi verba Durandus, adverſariis tamen, dum hæc redarguit, in eum diſceptandi occaſionem dedit. *Dicit quod illud altare, ſub quo clamabant ſancti, corpus eſt domini Salvatoris: & iſtud poteſt tolerari accipiendo corpus pro humanitate, & quod ſubdit: Interim ergo felices animæ ſub Chriſti humanitate quieſcunt, nimirum in quem deſiderant angeli proſpicere; non eſt bene dictum, nec ſecundum intentionem beati Petri* 1. *Petr.* 1. *de quo loco ſumuntur illa verba: humanitas enim Chriſti ſecundum naturam inferior eſt natura angelica ſecundum illud pſalmi, & allegatur per Apoſtolum ad Hebr. Minuiſti eum paulo minus ab Angelis. Quomodo ergo angeli deſiderant proſpicere in humanitatem Chriſti? nequaquam, ſed divinitatem ejus, quam habet cum Patre & Spiritu ſancto, immo eandem. Quod autem dicitur, quod veniet tempus, ſcilicet in reſurrectione, quando animæ exaltentur ſuper altare, id eſt ſuper humanitatem Chriſti, non prælatione, ſed viſione & contemplatione, quia videbunt non ſolum humanitatem Chriſti, ſed divinitatem; ſi intelligatur, quod videbunt divinitatem intenſius & clarius, tolerari poteſt, cum de hoc ſint opiniones inter doctores: ſi autem intelligatur, quod tunc videbunt & non prius, negandum eſt omnino, nec auctoritas Joannis in apocalypſi, cujus ſenſum putat ſe habere & non habet, ſic intelligenda eſt, ſicut ipſe eam exponit.*

Poſt judicium ſancti erunt beatiores extenſive.

(b) *Bern. in ſerm. de omnibus SS.*

Ad Bernardi auctoritatem reſpondet.

LVIII.

Attigerat Durandus doctiſſime controverſæ rei veritatem; at plures in contrariam abiere opinionem, atque commentarios (*c*) edidere, parati tamen Pontifici poſt diſcuſſam controverſiam decretoriam laturo ſententiam adhærere, & cogere intellectum in obſequium fidei. Cum vero Durandus vel in ſententiæ ſuæ probationibus, vel in ſolvendis adverſariorum argumentis nonnulla erronea, vel ab æmulis in improbum detorta ſenſum permiſcuiſſet; graviſſimam eſt paſſus invidiam; adeo ut etiam a fidei cenſore in jus vocatum fuiſſe, Gallorum tamen Regis patrocinio tectum, ferant. Conſtat certe ejus ſcripta acerrime diſcuſſa (*d*) fuiſſe a theologis, qui in pontificia curia verſabantur, ex quibus unus præſtans ſcientia hæc Durando objecit in ſuo commentario pro parte adverſa edito: *Prima*, inquit, *difficultas & error eſſe videtur, quia vult non eſſe lucrum mori & eſſe cum Chriſto, niſi videatur Chriſti divinitas facialiter; cum tamen maximum ſit gaudium, maxima felicitas, & beatitudo videre Chriſtum eſſe in gloria humanitatis, & ſcire eum eſſe dominum; quod iſti doctori non eſt lucrum, cum dixerit Chriſtus, quod hoc eſt vita & æterna, &c. & quem miſiſti, &c. Secunda difficultas & error eſt quia dicit, quod anima ſeparata non habet oculos corporales, ut videat corporalia & in eis delectetur, quod eſt error peſſimus quia tunc anima non poſſet dicere: Delectaſti me Domine in factura tua; nec diabolo fuiſſet ad pœnam, quod ejectus eſt de cælo, nec Angelis ad delectationem eſſet cognoſcere corporalia, nec anima ſeparata delectaretur in cognoſcendo corpora nobiliſſima: & incidit in errorem Averrois, qui ponebat, quod ſubſtantiæ ſeparatæ, & maxime nobiliſſimæ non cognoſcunt inferiora, quia intellectus ejus vileſceret. Vult inſuper iſte doctor quod Chriſtus non poteſt videri ab anima ſeparata quia non habet oculos: ponit ergo quod humanitas videatur cum oculis, & non intellectu: cum tamen ſit objectum intellectus, & ſit quædam ſubſtantia; & quod intueri non poteſt quod non poteſt oculo corporali videri, quod eſt hæreticum. Tertius error eſt quia dicit, quod ſi anima cognitione ſpirituali ſolum cognoſcat Chriſti humanitatem, cum per fidem cognoſcat eam, nullum eſſet ei lucrum mori, & eſſe cum Chriſto magis, quam vivere: & ſic videtur ponere, quod in anima ſeparata non poſſit eſſe cognitio humanitatis Chriſti niſi per fidem, quod eſt falſum, habent enim cognitionem facialem humanitatis Chriſti.* Cum hæc a theologis objicerentur Durando, ex ea occaſione novæ controverſiarum turbæ in pontificia curia obortæ fuerunt: quas Joannis XXII. juſſu a doctoribus ventilatas refert Jacobus Novellus tit. S. Priſcæ (*a*).

(c) *Ext. in bibl. Vat. MS. ſign. n.* 4004. *& aliud* 5007.

Sparſi a Durando in ejus commentario nonnulli errores. Diſcuſſi acerbe.

(d) *MS. bibl. Vat. ſig. num.* 4007. *pag.* 22.

Quinam ii fuerint.



(a) *MS. bibl. Vat. ſig. n.* 4006. *pag.* 208.

LIX.

*De dicta*, inquit, *ſcriptura extraxerunt decem vel undecim dubia, ut eis viſum fuit, de quibus formantes decem vel undecim quæſtiones, quæ propoſitæ erunt in titulis earum, utrum catholicum, an hæreticum, vel erroneum ſit dicere, dictum illud, quod dictus magiſter Durandus dixerat. Qui articuli per modum talium quæſtionum propoſiti diverſis doctoribus, in curia tunc exiſtentibus, traditi fuerunt per dictum dominum Papam ad examinandum, a quo etiam mihi, licet renitenti, traditi fuerunt.* Præcipue harum quæſtionum erant de angelorum & animarum ſeparatarum ſtatu, qua nempe ratione percipiant corporea, atque ex his voluptatem vel dolorem trahant: tum de Chriſti humanitatis viſione, & num angeli eam, quanquam natura inferiorem, proſpicere cupiant: quas Cardinalis Novellus in ſuo erudito commentario ita diſcutit.

Card. tit. S. Priſc. eoſdem ventilat.

*Titulus. Quod in angelis & animabus ſeparatis a corpore, in quibus non eſt potentia ſenſitiva, quæ non operatur niſi in organo corporali, non poteſt eſſe delectatio vel triſtitia, quæ ſequatur cognitionem ſenſitivam organicam in eis: ſed quia per intellectum res corporales & ſenſibiles cognoſcunt, idcirco in talium rerum cognitione delectantur.*

Quæſtio de cognitione quam habent animæ ſeparatæ.

*Quia animæ a corporibus ſeparatæ poſſunt cognoſcere res corporales, non per ſenſus corporeos, quos non habent, ſed per mentem vel intellectum, idcirco & in cognitione humanitatis Chriſti, cauſata in intellectu eorum vel a præſentia humanitatis Chriſti, prout magis exiſtimo, vel per aliquas ſpecies impreſſas menti, ut aliqui dicunt, multum delectantur, ut ſupra oſtendebatur; non quidem delectatione ſenſuali, ſed delectatione mentali, quæ ſequitur cognitionem intellectualem humanitatis Chriſti. Unde non ſequitur, quod ſi animæ ſeparatæ a corpore oculo corporali non vident Chriſti humanitatem, & per conſequens nec delectantur in tali viſione delectatione corporali, quod propter hoc non videant Chriſti humanitatem oculo mentali, & quod non delectentur in tali viſione delectatione ſpirituali, unde & Damaſcenus* II. *lib. cap.* XIV. *loquens de lætitiis vel delectationibus dicit: Lætitiarum eæ quidem ſunt animales, eæ vero corporales. Animales quidem ſunt, quæcumque ſunt ſolius animæ ipſius ſecundum ſe ipſam, quæcumque ſunt circa diſciplinas & contemplationem. Corporales vero ſunt, quæ cum communione animæ & corporis fiunt, & propterea corporales vocantur; ſolius autem corporis nequaquam inveniet aliquis lætitias. Rurſus lætitiarum eæ quidem ſunt veræ, eæ vero ſunt mendaces. Et quæ quidem ſolius mentis ſunt ſecundum doctrinam & contemplationem: quæ vero cum corpore ſecundum ſenſum ſunt. Et ita lætitiæ vel delectationes corporales fiunt ex communione animæ & corporis quæ communio non eſt in animabus a corpore ſeparatis; ſed bene ſunt in eis lætitiæ & delectationes, quæ ſunt ſolius animæ, quæ ſecundum ſeipſam eſt.*

Vident mentali oculo.

Habent mentes ſuas delitias.

*Tit. Quod licet animæ humanæ a corporibus ſeparatæ proprie non ſentiant res corporales ſenſu corporeo, quia talem ſenſum non habent; dicuntur tamen illa ſentire ſenſu intellective, vel per intellectum, qui unus exiſtens eodem ſentit viſibilia, & ſic de aliis ſenſibus: & ex prædictis ſolvitur quæſtio, ſcilicet quod animæ ſeparatæ per intellectum ſentiunt res corporales & ſenſibiles, quia talem cognitionem ſequitur delectatio vel triſtitia cap.* VIII.

LX.

Ut animæ ſentire dicantur.

*Verum eſt tamen, quod animæ a corporibus ſeparatæ ſentire dicuntur, non accipiendo ſentire pro actu ſenſus exterioris; ſed accipiendo ſentire pro percipere delectabile vel contriſtativum: quam perceptionem habet anima ſeparata non per ſenſum corporis, ſed per cognitionem mentis; unde & Hugo* II. *lib. de ſacramentis part.* XVI. *cap.* III. *exponens illa verba Gregorii de animabus damnatorum: In igne eo ardent, quo ſe ardere vident; dicit: Quid ſibi vult, putatis, hoc quod dicit, quia animæ in eo ipſo ardent, quo ardorem ſuum vident? In rebus corporalibus non ita eſt, ut ardorem ſentiat quicumque ignem conſpicatur. Quæ eſt viſio illa animæ, quia ſentit omne quod videt; vel ſi non omne, hoc certe quod ad pœnam videt? Et reſpondens ſubdit: An quia ſenſus animæ, quando per corpus egreditur, ideo diverſis modis percipit, & ob quædam eminus conſtituta corporali ſenſu non percipit, quia ad percipienda illa inſtrumentum corporalis ſenſus non ſufficit? ibi enim ſenſus deficit, ubi amplius inſtrumentum non ſufficit: propterea illi ſenſus, qui inſtrumenta magis ſufficientia habent, majorem in percipiendo*

*do vim habent. Oculus longe poſita videt, tactus vero ſentire non poteſt niſi immediate conjuncta: ſi inſtrumentum tangendi æque ut videndi perſpicax eſſet, æque tactus ut viſus eminus conſtituta perciperet.*

*Quid igitur ubi inſtrumentorum nulla diverſitas erit, quare non omnis ſenſus æqualis erit, ut videlicet ſit illic idem videre quod tangere, tangere quod dolere? Conſtat autem quod cognoſcere aliquid contriſtativum diverſis ſenſibus corporalibus non poteſt eſſe ſine diverſitate inſtrumentorum ſentiendi: inſtrumentum enim videndi, audiendi, tangendi, & olfaciendi non poteſt eſſe unum & idem propter diverſitatem complexionum, quæ dicta inſtrumenta requirunt, ut ſint apta potentiis ſenſitivis ad ſuum proprium opus exercendum; & ideo ubi talis diverſitas inſtrumentorum non eſt, non ſunt actus ſentiendi corporales diverſi. Quapropter cum in anima ſeparata, ſecundum eum, non ſit diverſitas inſtrumentorum ſentiendi; ſed eodem videat & tangat & alia opera, quæ ſenſibus attribuuntur, anima exerceat, non faciet hoc niſi per unum intellectum, qui omnia, quæ diſtincti ſenſus percipere poſſunt, ſolus percipit, & multo plura quam diverſi ſenſus percipere poſſint: propter quod non per ſenſum corporalem ſed per intellectum anima a corpore ſeparata dicitur ſentire delectabilia vel triſtia; in rebus enim ſpiritualibus idem eſt viſus qui auditus, & idem auditus qui viſus, & ſic de aliis ſenſibus, quia intellectus valet omnia iſta, dicente Auguſtino* XV. *lib. de Trin. cap.* X. *Foris, cum per corpus hæc fiunt, aliud eſt locutio, aliud viſio: intus autem cum cogitamus, utrumque unum eſt, ſicut auditio & viſio: duo quædam ſunt inter ſe diſtantia in ſenſibus corporis, in animo autem non eſt aliud atque aliud videre & audire; ac per hoc, cum locutio foris non videatur ſed potius audiatur locutiones tamen interiores, hoc eſt cogitationes, viſas dixit a Domino ſanctum evangelium, non auditas. Auguſtinus etiam* XV. *lib. de Trinitate cap.* V. *loquens de Deo dicit: Illa vita quæ Deus eſt, ſentit atque intelligit omnia, & ſentit mente non corpore, quia ſpiritus eſt Deus; non autem ſicut animalia, quæ habent corpora, per corpus. Sentit Deus, non enim ex anima conſtat & corpore, ac per hoc ſimplex illa natura ſicut intelligit, ſentit, ſicut ſentit, intelligit; idemque ſenſus qui intellectus eſt illi: unde ſi in Deo, ex eo quod non eſt corpus nec conſtat ex anima & corpore, idem eſt ſenſus qui intellectus, & ſicut intelligit ſentit, & ſicut ſentit intelligit, non corpore nec per corpus, ſed omnia iſta dicitur agere ſola mente; eadem ratione dicetur, quod animæ humanæ a corporibus ſeparatæ, quia non ſunt corpus nec ſunt corporis forma actualiter corpus informantes, non per corpus nec per organa corporalia ſentiunt illa, quæ ſentiunt, ſed per intellectum, & eodem ſentiunt quo intelligunt, & quo intelligunt ſentiunt, quia ſolo intellectu iſta faciunt. Ex quibus videtur dicendum, quod licet anima a corpore ſeparata oculo corporali non videat res corporales, quarum viſione corporali delectetur vel triſtetur; videt tamen mente & intellectu res corporales, quarum viſione mentaliter delectatur vel affligitur, quia ſunt ei vel delectabiles vel contriſtativæ: quas res corporales, ſi intellectu non videret, cum eas oculo corporali videre non poſſit, in nullius rei corporalis viſione delectaretur, vel triſtaretur, cujus contrarium ſupra oſtenſum eſt.*

Solo intellectu percipit quæ niſi pluribus organis percipi poterant.

Illuſtratur id exemplo petito ex Deo.

LXI.

Quis ſenſus ſit hujus vocis *Mihi vivere Chriſtus, &c.*

His de animarum ſeparatarum ſtatu poſitis, quærit Jacobus Novellus Cardinalis, an verba Apoſtoli ad Philippenſes cap. I. *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quid eligam ignoro: coarctor autem e duobus deſiderium habens diſſolvi, & cum Chriſto eſſe, multo autem melius: permanere autem in carne neceſſarium propter vos;* ita intelligenda ſint, ut Apoſtolus mortem optet, ut per fidem Chriſtum videat, an ut ejus humanitatem divina exornatam gloria, an ut Chriſtum ſecundum deitatem facie ad faciem intueatur; & concludit (*a*) conceptam a Paulo fuiſſe ſpem potiundi divinæ eſſentiæ gloria; nec tamen negaſſe illum, quin glorificatam humanitatem intuiturus (*b*) eſſet: beatitudinem in divinæ eſſentiæ viſione ſitam (*c*); nec modo Paulum expetiiſſe humanitatem tantum circumfuſam gloria, ſed etiam divinitatem intuitive proſpicere (*d*): neque (*e*) enim, ut ait, viſionem humanitatis Chriſti per præſentiam; nec viſionem ejus deitatis per fidem, vel demonſtrationem ex effectibus quibuſcumque, vel per ſcientiam, ſatiare humanam mentem, ſed tantummodo eam viſionem deitatis Chriſti, quæ eſt per ejus præſentiam in ratione objecti beatificantis. Demum preſſius in examen adducit Durandi verba, ac primum arguit (*f*) ſanctorum animas ſeparatas non tantum per fidem, ſed intuitive Chriſtum ſecundum humanitatem videre: *Animæ, inquit, ſanctorum exiſtentes cum Chriſto, non vident per fidem Chriſti humanitatem, ſed vident eam intuitive & præſentem, dum ſunt in ejus præſentia: quæ viſio, cum non fiat per ſpeciem alienam, ſed per ipſiuſmet rei præſentiam, nec ſit obſcura vel ænigmatica, non poteſt dici quod talis viſio humanitatis Chriſti ſit per fidem aut ſpeculum & ænigma; ſed eſt intuitiva vel facialis, quæ duæ viſiones ſpecie diſtinguuntur: videre autem ſic humanitatem glorificatam multo majus lucrum eſt, quam videre eam ſolum per fidem, ſic enim eam vident ſancti angeli, & eam ſic videntes multum gaudent, ut ſupra dicebatur: de quibus tamen conſtat, quod non vident eam ſpiritualiter per fidem, ſed per rei præſentiam. Apoſtoli etiam poſt reſurrectionem Chriſti ejus humanitatem glorificatam viderunt, licet illa gloria vel claritas corporis Chriſti non eis appareret, ut alibi dicebatur per Auguſtinum* XV. *quæſtione in lib. quæſtionum ad Oroſium: quam tamen claritatem viderunt non per fidem, ſed per rei præſentiam & intuitive Apoſtoli, qui cum eo fuerunt quando transfiguratus fuit in monte; quæ viſio magnum lucrum eis attulit, ut alibi etiam declarabatur, & multo majus quam eſſet lucrum videre Chriſti humanitatem per fidem ſolum.* At quamvis ingens felicitas ſit videre Chriſti humanitatem, juxta illud Lucæ X. *Beati oculi qui viderunt, quæ vos videtis: dico enim vobis, quia multi Reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt;* major etiam felicitas ſit videre Chriſtum fidei oculo, quam corporis, & etiam major videre humanitatem colluſtratam divina gloria, ut vident animæ ſegregatæ a corporibus; tamen concludit Jacobus Cardinalis cum Durando, Apoſtolum aliud longe præſtantius lucrum ſpe concepiſſe, nimirum divinitatis proſpectum, cum quo viſio humanitatis Chriſti radiantis gloria conferenda non ſit. *Quia, inquit, ſancti & gloſſæ exponunt hæc verba Apoſtoli, quod ideo cupiebat diſſolvi, ut in Chriſti præſentia eſſet, non ſolum ut Chriſti humanitatem glorioſam præſentialiter videret, nec eam per fidem ſolum cognoſceret; ſed ut ejus deitatem facie ad faciem videret, quod lucrum multo majus eſt quaſi incomparabiliter, quam ſint prima duo lucra, cum hoc ſolum lucrum faciat hominem ſimpliciter beatum, quod non faciunt alia duo lucra ſine iſto.* Cum etiam nonnulli Durandum carperent, ſcripſiſſe, habitationem cœleſtem nihil ſanctorum animabus profuturam, ſi divina viſione carerent, ipſum tutatus eſt Jacobus Cardinalis, ejuſque intelligenda verba, *non quod talis habitatio non proſit, ſed quod non proſit ad illud, ad quod probandum Apoſtolus dicit: Scimus quoniam, ſi terrena, &c.* Cum vero Durandus dixiſſet, adverſus Bernardum diſceptans, verba: *In quem Angeli deſiderant proſpicere;* non intelligenda de humanitate Chriſti, cui naturæ dignitate antecellerent; ſed de divinitate tantummodo, ſententiam Durandi ita confutavit.

(a) Ib. c. 9.

(a) Ib. c. 9.

(b) Cap. 10.

(c) Cap. 11.

(d) Cap. 12.

(e) Cap. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

(f) Cap. 19.

Animæ ſeparatæ vident intuitive Chriſti humanitatem glorificatam.

Concluditur optaſſe Apoſtolum intueri divinitatem.

An Chriſti humanitas adoranda ſit.

*Tit. Quod Chriſti humanitas non debet adorari adoratione latriæ, niſi ex eo, quod eſt unita in perſona perſonæ Verbi: ſed ſi, per intellectum dividatur a Verbi perſona, non debet adorari adoratione latriæ, ſed adoratione ſuprema duliæ, quæ hyperdulia vocatur, quia ipſa Chriſti humanitas ſecundum ſe ſumpta creatura eſt, quæ rationalem animam beatificare non poteſt; & minus quæcumque alia creatura debet adorari adoratione latriæ. Ex quo concluditur, quod ultimus finis creaturæ rationalis non debet poni in quacumque creatura.*

LXII.

*Chriſti (a) humanitas, ſi per ſe conſideretur, & non ut eſt conjuncta in perſona perſonæ Verbi, adoranda non eſt, nec ei cultus latriæ eſt exhibendus, & ſi adoretur vel exhibeatur ei talis cultus, hoc non fit propter ipſam, ſed propter Verbum cui conjuncta eſt in perſona, dicente Damaſceno* III. *lib. c.* XXXII. *Caro Chriſti ſecundum naturam quidem ejus, ſi dividas ſubtilibus intelligentiis, quod videtur ab eo, quod intelligitur, inadorabilis eſt, ut creatura: unita autem Deo Verbo, propter ipſum & in ipſo adoratur: quo enim modo Rex & nudus adoratur & veſtitus, & purpura ut nuda quidem purpura conculcatur & proiicitur, regale autem facta indumentum adoratur & honoratur & glorificatur, & ſi quis hanc perforaverit, morte quam multoties condemnatur: ſicut autem & lignum nudum neque eſt tactui inacceſſibile, igni autem connexum & carbo facto non propter ſeipſum, ſed propter copulatum ignem inacceſſibile fit, & non ligni natura exiſtit inacceſſibilis, ſed propter copulatum ignem inacceſſibile fit, & non ligni natura exiſtit inacceſſibilis, ſed carbo ſecundum ignitum lignum; ita ſecundum ſui ipſius naturam quidem non eſt adorabilis, adoratur autem in incarnato Deo Verbo non propter ſeipſam, ſed propter unitum & ſecundum hypoſtaſim Deum Verbum: non adoramus quando carnem adoramus nudam, ſed carnem Dei, ſcilicet incarnatum Deum. Et Auguſtinus exponens illud pſalmi nonageſimi octavi: Adorate ſcabellum pedum ejus quoniam ſanctum eſt; dicit: Converto me ad Chriſtum, & invenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus. Suſcepit enim de terra terram, quæ caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et ideo cum ad terram te inclinas atque proſternis, non quaſi terram intuearis, ſed illum ſanctum, cujus pedum ſcabellum eſt, quod adoras, propter enim ipſum adoras, in cujus honore adoras ſcabellum pedum ejus; & cum adoras illum cogitatione, ne remaneas in carne, & a ſpiritu non vivificeris: Spiritus eſt enim, qui vivificat; caro autem nihil prodeſt. Et gloſſa exponens dictum locum pſalmi, dicit: Sciendum eſt, quia in Chriſto terra eſt, id eſt caro, quæ ſine impietate adoratur; ſuſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem ſuſce-*

(a) In quæſt. octavam, nonam, & decimam.

Si ſeparetur mentem a Verbo cultu latriæ non eſt adoranda. Si conjuncta verbo ſuſpiciatur conjunctim adoratur. Damaſceni de eo auctoritas.

Alia Auguſtini.

ſuſcepit. Hæc ſine impietate a Verbo Dei, aſſumpta adoratur a nobis, quia nemo carnem ejus ſpiritualem manducat, niſi prius adoret: non illam dico adorationem, quæ latria eſt qua ſoli Creatori debetur; ſed illa quæ in dulia dignior eſt: dulia enim adoratio eſt, quæ etiam creaturæ exhibetur, quæ duas habet ſpecies, unam quæ indifferenter hominibus, alteram quæ ſoli humanitati Chriſti exhibetur.

Diſtinctio cultus, latriæ duliæ & hyperduliæ.

LXIII. Sic ergo ſecundum prædicta Chriſti caro vel ejus humanitas, ſi adoretur adoratione latriæ non propter ſeipſam, nec etiam ſi ipſa per ſe ipſam ſumatur, adoratur; ſed propter hoc, quia unita eſt in perſona Deo Verbo, cui per ſe & ſecundum ſe adoratio latriæ debetur: vel etiam ſi non adoretur adoratione latriæ, ſed duliæ excellentiori, quæ dulia ab aliquibus vocatur hyperdulia, ſemper conſtat quod vel non adoratur adoratione latriæ, ſed hyperduliæ, vel ſi adoretur adoratione latriæ non adoratur propter ſeipſam, ſed propter ipſum Verbum, cui in perſona eſt conjuncta: quod non fieret ſi ipſa Chriſti humanitas ſecundum ſe ſumpta beatificare adorantem poſſet; tunc enim per ſe ſumpta & propter ſe adoratione latriæ adorari deberet, ut ſupra dicebatur. Cum ergo inter omnes res creatas magis digna ſit propter dona gratiarum & gloriæ Chriſti humanitas, ut probat Apoſtolus ad Hebræos primo; Tanto, inquit, melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit; ubi dicit gloſſa: Per hoc, quod dicit, effectus aperitur, quod hic loquitur de Chriſto ſecundum carnem, nam ſecundum hoc, quod Patris ſubſtantiæ conſubſtantialis agnoſcitur, non eſt factus, ſed natus de eo. Ergo ſermo verſatur ſecundum humanam naturam, ſecundum quam & minor fuit angelis paſſione, & major ac melior gratiæ plenitudine, de qua etiam ipſi angeli ad menſuram accipiunt. Et ideo ait, quod ipſe Chriſtus tanto melior angelis eſt effectus, id eſt evidenter ſecundum hominem factus, quanto differentius nomen, id eſt differentiorem honorificentiam quam ante hereditavit, id eſt firmiter habuit quando ſurrexit & aſcendit. Et quia hoc poſſet habere, & non præ illis, addidit: præ illis; nam dum mortalis fuit, differens nomen habuit, quia angeli miniſtrabant ei; poſtquam immortalis magis differens, quia honorabilior, atque præclarior illis per omnia extitit: cum Chriſti humanitas etiam poſt ejus reſurrectionem & aſcenſionem, ſi ſecundum ſe ſumatur, vel propter ſe, non ſit adoranda adoratione latriæ, manifeſtum eſt, quod Chriſti humanitas, & per conſequens nulla alia creatura quantumcumque ſublimis in gloria poteſt beatificare animam rationalem vel angelum: & per conſequens nulla creatura poteſt quæri, dum non habetur, vel delectari in ea, dum habetur a creatura rationali ut ejus finis beatificativus. Et infra.

Humanitas Chriſti relative tantum ad Verbum cultu latriæ adoratur.

Ut angelis minor & major ſit.

Nulla creatura poteſt eſſe finis beatificus alterius.

LXIV. Quod autem adoratio latriæ Deo debeatur ſoli, eo quod eſt creator & beatificator creaturæ rationalis, dicit Thomas II. ſumm. quæſtione LXXXIV. artic. II. in poſitione, ubi dicit, quod anima ſe offert Deo in ſacrificium ſicut principio ſuæ creationis, & ſicut fini ſuæ beatificationis: unde cum ſecundum veram fidem ſolus Deus ſit creator animarum noſtrarum, in ſolo etiam eo animæ noſtræ beatitudo conſiſtat; ideo ſoli Deo debemus ſacrificium ſpirituale, & ſoli etiam ei debemus offerre exteriora ſacrificia in ſignum, quod recognoſcimus nos ab eo eſſe creatos, & ab eo nos fore beatificandos: unde ſicut creator animarum noſtrarum non eſt niſi Deus, ita beatificator animarum noſtrarum non eſt niſi Deus: propter quod ut noſtro creatori & beatificatori ei ſoli offerimus ſacrificium cordis interius, & ſacrificium corporale exterius in ſignum recognitionis talium beneficiorum ejus propter quod ipſe ſolus quærendus eſt a nobis ut finis noſter beatificans, & nulla res alia tanquam finis beatificans. Nec obſtat ſi dicatur, quod dominus Chriſtus dixit Joan. XVII. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum; ubi videretur, quod vita æterna, quæ eſt finis beatificans formaliter creaturam rationalem, conſiſteret non ſolum in viſione deitatis, ſed etiam quod conſiſteret in viſione & cognitione humanitatis Chriſti cujus contrarium ſupra dictum eſt: hanc enim objectionem ſolvit Auguſtinus I. de Trin. cap. XIII. dicens: Quæ eſt autem vita æterna, niſi illa viſio, quæ non conceditur impiis? Ut cognoſcant te, inquit, unum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum. Quomodo & ipſum Jeſum Chriſtum, niſi quemadmodum unum verum Deum, qui ſe ipſum oſtendet illis? Non quomodo ſe oſtendet etiam puniendis in forma filii hominis. Unde non in viſione humanitatis, quæ videbitur ab ipſis in judicio, ſed in viſione divinitatis Chriſti, quæ eadem eſt cum divinitate Dei Patris, conſiſtit vita æterna, ſicut clare ibi dicit Auguſtinus. Et II. parte ſuper Joannem ſerm. II. exponens iſta verba Domini: Hæc eſt vita æterna, &c. dicit: Ordo verborum eſt, ut te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, cognoſcant ſolum verum Deum, conſequenter enim Spiritus ſanctus intelligitur, quia Spiritus eſt Patris & Filii tanquam charitas ſubſtantialis & conſubſtantialis amborum. Et ſic vita æterna vel beatitudo non conſiſtit in cognitione humanitatis Chriſti, ſed eſſentialiter conſiſtit in aperta & faciali viſione divinitatis.

Deus ut principium, & finis adorandus.

Quo ſenſu ſit vita æterna videre Chriſtum.

Tit. Quod angeli deſiderant videre Chriſti humanitatem glorificatam, & ab ipſa purgantur a neſcientia, & illuminantur





ſuprema ſcientia, & perficiuntur donis gratiarum: propter quod & eam adorant & recognoſcunt jam ſupra ſe ipſos eſſe, non quantum ad naturam, ſed quantum ad gratiam; & ſic delectantur in re eis inferiore per naturam, non ſicut in ultimo fine, ſed ſicut in illo, quod eſt ad finem.

An angeli deſiderent proſpicere humanitatem Chriſti.

LXV. Quod autem (a) angeli beati hoc etiam modo quærant aliqua corporalia, & in eis etiam delectentur; & quod etiam quærant & delectentur in aliquibus, quæ infra eos ſunt per naturam, hoc modo ſcilicet, ut ad finem, manifeſtum eſt & ex iis, quæ jam dicta ſunt, & etiam in ſequentibus: conſtat enim, quod Chriſti humanitas eſt quædam res corporalis, infra angelicum naturam, licet ſit ei ſuperior per gratiam & gloriam: hanc autem Chriſti humanitatem angeli proſpicere deſiderant, juxta illud quod dicitur I. Petri I. Scrutantes prophetæ in quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones & poſteriores glorias: quibus revelatum eſt, quia non ſibi ipſis, nobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui evangelizarunt vobis Spiritu ſancto miſſo de cœlo, in quem deſiderant angeli proſpicere. Quæ verba exponens Beda ſuper dictum locum, dicit: Conſtat pro certo quia tanta ejus, qua paſſus eſt pro nobis hominis Jeſu Chriſti poſterior gloria ſucceſſit, ut etiam angelicæ in cœlo virtutes, cum ſint æterna felicitate perfectæ, non ſolum immortalem deitatis magnificentiam, ſed & aſſumptæ humanitatis ejus claritatem ſemper aſpicere gaudeant. Nec ſolum ſunt contenti, quod deſiderent videre humanitatis Chriſti claritatem; ſed etiam eam adorant adoratione hyperduliæ, & ei obediunt quando mittit eos ad procurandam ſalutem hominum, in hoc mundo viventium, dicente Apoſtolo ad Hebr. I. Cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Ubi dicit gloſſa: Cum ipſe Pater introducit primogenitum in orbem terræ, id eſt viſibilem carne aſſumpta, fecit apparere in mundo qui ante inviſibilis erat in mundo, & ideo ait, iterum, quia aſſumptio carnis dicitur exitus a Patre & introductio in hereditatem, ubi jubetur adorari, unde addit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Adorent eum, qui paſſus eſt & mortuus: non enim de Deo verba iſta dicuntur, ſed de homine ſuſcepto: Adorent, inquam, eum omnes angeli Dei. Secundum humanitatem jubentur angeli adorare Chriſtum. Ex quo eum tanto meliorem angelis demonſtrat, quanto ſervis dominum conſtat eſſe meliorem; ideo ſecundum carnem juſſit a cunctis angelis adorari, dicens: Adorent eum omnes angeli Dei; & juſſioni ejus obtemperant, & ideo iterum dicit Pater de Filio, hoc quidem ad angelos pertinens: qui, Filius, facit ſpiritus cœleſtes angelos, id eſt legatos ſuos: & etiam flammam ignis, id eſt ſeraphin, qui ſunt de ordine ſuperiori, facit miniſtros ſuos. Vel ita diſtingue, ut angeli dicantur quando levia nuntiare mittuntur: quando vero mittuntur ad vindictam, dicuntur ignis ardens. Et ſuper illud ad Hebr. II. Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi, dicit gloſſa: Hoc opus eſt Chriſti, qui angelis, nobis ſuperioribus, præcipit ad noſtram ſalutem ſuum exhibere miniſterium.

(a) In ead. quaſt. c.8. Concluditur affirmative.

Probatur Petri teſtimonio.

Et Bedæ interpretatione.

Et argumentatione Apoſtoli.



LXVI. Hæc autem adoratio & obedientia, quam exhibent humanitati Chriſti omnes angeli, manifeſte oſtendunt, quod a Chriſti humanitate maximum commodum & utilitatem angeli conſequuntur: purgantur enim etiam ſuperiores angeli a neſcientia per Chriſti humanitatem, & multa dona gratiarum conſequuntur: unde Dionyſius VII. cap. de angelica hierarchia dicit, quod theologi quaſdam cœleſtium eſſentiarum diſpoſitiones introducunt a prioribus ſacre eruditas: Dominum eſſe cœleſtium virtutum & Regem gloriæ in cœlo, qui eſt humanitatis receptus: quaſdam vero apud ipſum Jeſum quærentes, & pro nobis ſuæ divinæ actionis ſcientiam diſcentes, & eas ipſum Jeſum immediate docentem, & prælargientem eis, manifeſtantem ſuam humanam benignitatem: Ego enim, inquit, diſputo juſtitiam & judicium ſalutaris; ubi dicit Hugo: Actionem divinam ipſius Jeſu vocat paſſionem & mortem, quam pro nobis ſuſtinuit, quæ circa divina dicitur, quia ſoli Deo poſſibile fuit, ut per mortem mortis deſtrueret poteſtatem. Hujus ergo actionis ſcientiam cœleſtes eſſentias ab ipſo Jeſu quærentes introducunt, ubi indumentum carnis aſſumptæ ſanguine paſſionis cruentatum cernentes, dicunt: Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? & deinceps: Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimentum tuum ſicut calcantium in torculari? Ita ergo quærentes & diſcere appetentes introducunt. Introducunt etiam ipſum Jeſum; eos immediate & per ſemetipſum docentem, & manifeſtantem eis ſuam humanitatem, id eſt clementem benignitatem, quam nobis exhibuit. Quam manifeſtationem eis confert prælargiens, id eſt ante omnes alios largiens, ſcientiam operationis ſuæ: Ego, inquit, diſputo juſtitiam & judicium ſalutaris. Et Joannes Scotus dicit ibi: Quædam cœleſtes virtutes a ſuperioribus diſcunt, quomodo Jeſus dominus eſt cœleſtium virtutum & Rex gloriæ, & quomodo humanitas ipſius a divinitate aſſumpta eſt, non ut aſſumptionis ejus modum intelligant, ſuperat quippe omnem intellectum, ſed ut

Angeli plura a Chriſto lumina accipiunt.

Dionyſii Areopag. ſententia.

Hugonis interpretatio.

Alia Scoti.

ipſam aſſumptionem ſupernaturaliter & ineffabiliter eſſe factam cognoſcant: quaſdam vero, id eſt excellentiſſimas eſſentias cæleſtes introducunt apud ipſum Jeſum, quærentes immediate, ſcilicet quærentes & diſcentes ab ipſo, ſive pro nobis divinæ actionis, hoc eſt incarnationis, paſſionis, reſurrectionis, & aſſumptionis in cœlum ſcientiam: & introducunt ipſum Jeſum docentem eas immediate & manifeſtantem eis prælargientem, hoc eſt prius quam cæteri largientem ſuam humanam, ideſt clementem, & ad ſalutem humani generis benignitatem. Sententia ergo ſcripturæ approbat, quod dominus Jeſus proximas ſibi cæleſtes eſſentias ſemper doceat. Et ſuper illud ejuſdem lib. cap. I. Ergo Jeſum invocantes, dicit Hugo: Invocationem facit ad Jeſum, qui eſt paternum lumen, quo mediante omnes ſpirituales illuminationes & dona gratiarum illuminandis diſtribuuntur.

LXVII. Angeli plures a Chriſto gratias hauriunt.

Sic ergo a Chriſti humanitate purgantur angeli a neſcientia multarum rerum, quæ ante neſciebant, & etiam multa dona gratiarum ab eo accipiunt: propter quod & ipſa Chriſti humanitas caput eſt angelorum, dicente Apoſtolo ad Epheſ. I. Conſtituit illum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum & poteſtatem & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſujecit ſub pedibus ejus: & ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius. Ubi dicit gloſ. Conſtituit illum in cœleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, id eſt ſupra dignitatem horum ordinum angelicorum; & non ſolum ſuper hos quatuor, ſed etiam ſuper omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro, id eſt ſuper omne nominabile, quod vel jam ſcitur, vel in futuro ſcietur. Hoc dicit propter incarnationem Filii Dei, ut etiam homo factus ſuper omnes cœlos eſſe dicatur & ſuper omnem creaturam, habens nomen Dei per naturam non per adoptionem. Et ne videretur præeſſe omni creaturæ dignitate tantum, & non poteſtate, ſubdit: Et omnia; quaſi non ſolum præeſt omnibus dignitate, ſed & ſub eo ſunt &, id eſt quia omnia ſubjecit Deus Pater ſub pedibus ejus, id eſt ſubjecit ei plene, ut per pedes plena ſubjectio notetur, vel ſub pedibus ejus, id eſt ſub humanitate ejus, quæ ſignificatur per pedes, quia ſicut pes eſt inferior pars corporis, ita in Chriſto inferior natura eſt humanitas, quam etiam angeli adorant. Et ipſi homini Chriſto omnia ſubſunt: unde & Dionyſius IV. cap. eccleſiaſticæ hierarchiæ loquens de Jeſu, dicit quod ſanctarum ſubſtantiarum, ſuper nos exiſtentium, ſeraphin ordo ſuppoſitus in duodenario alarum ſignificatur circa Jeſum ſtans, & collocatus beatiſſimis ipſius viſionibus, ſicut eſt fas, intuitum figens, & intelligibili diſtributione ſancte in caſtiſſimis ſucceſſionibus adimpletus. Quod exponens Lincolnienſis dicit: Ille ordo, qui in cœleſtibus ſuppoſitus eſt, videlicet ſeraphin ſtans, & collocatus ſeu firmatus circa Jeſum, hoc eſt ſemper habens intentionem ſtabiliter in ipſum erectam & directam, apponens ſeu innitens, hoc eſt totis viribus inhians, ut fas eſt, quia non ſupra id, quod ei competit, enitens beatiſſimis viſionibus ipſius, Jeſu ſcilicet, & repletus ſacre ſic videt enitendo intelligibili diſtributioni, id eſt intelligibili diſtributione divinarum illuminationum ſuaviſſime delectantium tanquam vaporum & fragrantiarum optime olentium in ſuſceptibilibus, id eſt in viribus ſuſceptivis ſpiritualium odorum.

De illius excellentia dignitatis.

Omnia ſubjecta humanitati Chriſti.

LXVIII. Ex quibus verbis tam Dionyſii & Hugonis & Apoſtoli, ac gloſſæ & Lincolnienſis patet, quod a Chriſto, ſecundum quod eſt homo, angeli etiam ſupremi purgantur a neſcientia, & illuminantur donis gratiæ perfectivis, & ipſum nituntur intueri quantum fas eſt, ut ab eo ſuſcipiant illuminationes & bonos vapores gratiarum; & ex hoc etiam, quia tot & tanta recipiunt a Chriſti humanitate, in ſignum ſubjectionis & reverentiæ ac recognitionis tantorum beneficiorum Chriſtum adorant, non ſolum ut eſt Deus adoratione latriæ, ſed ut ejus humanitas eſt plena gratia & veritate, a qua non ſolum ad homines, ſed etiam ad angelos profluit rivus veritatis; & etiam gratiarum adoratione ſuprema hyperduliæ. Unde & Hieronymus in ſermone de aſſumptione B. Mariæ dicit, quod angeli venerantur & adorant ſuper ſe Chriſtum Regem dominum natum ex B. Virgine. Et aliquantulum ſupra dicta verba dicit: Omnis illa cœleſtis civitas congratulatur & veneratur matrem, cujus ſuper ſe adorat filium Regem, ante quem tremunt poteſtates, & curvatur omne genu, juxta illud quod dicit Apoſtolus ad Philippenſes II. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; ubi dicit gloſ. Nunc incipit de claritate ejus ſecundum hominem, quæ ab ejus reſurrectione ſumpſit exordium: ut enim Chriſtus reſurrectione clarificaretur, prius humiliatus eſt paſſione. Humilitas claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium: ſed hoc totum factum eſt in forma ſervi, in forma enim Dei ſemper fuit & erit claritas. Quid ergo & quantum humilitas mereatur, hic oſtendens dicit: Propter quod, ſcilicet quia

tam

Ut Angeli eam duplici cultu adorent.



tam humiliter Chriſtus paſſus eſt merendo, & Deus Pater exaltavit illum, dando immortalitatem & impaſſibilitatem & donavit per gratiam illi homini Chriſto nomen, quod eſt ſuper omne nomen, id eſt honorificentiam, ſcilicet quod vocatur Deus, & hoc ante reſurrectionem habuit: ſed poſt reſurrectionem quod erat in evidenti, poſitum eſt ut ſcirent dæmones & homines. Cum ergo dicitur: Propter quod exaltavit illum; ſatis apparet propter quid exaltavit, id eſt propter obedientiam uſque ad mortem crucis. In qua ergo forma crucifixus eſt, in ipſa exaltatus eſt. Donavit ergo ſecundum hominem Chriſto ſecundum carnem mortuo, reſurgenti, & aſcendenti, ut in nomine Jeſu flectatur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; id eſt imperio ejus fateantur ſubiici angeli, homines, & dæmones. Cum ergo Chriſti humanitatem glorificatam angeli proſpicere deſiderent, & ab ipſa tam illuminationem ſcientiæ, quam dona gratiarum accipiant, in cujus recognitionis beneficium ipſam adorant (quæ licet ſit angelis inferior per naturam, ſuperior tamen omnibus eis eſt per gratiam & gloriam) idcirco patet, quod angeli in aliqua re corporali, & quæ inferior eſt eis per naturam delectentur, & quærunt ferventer ejus conſpectum & viſionem, non quidem ut ſuum finem ultimum & optimum, ſed ut ordinatum ad finem ultimum & optimum, &c.

Quam claritatem poſt reſurrectionem humanitas ſit adepta.

LXIX. Hactenus Jacobus tit. S. Priſcæ Cardinalis, qui poſtea adepto pontificatu hos commentarios, ab aliquibus theologis diligentiſſime diſcuſſos, in lucem edidit, profeſſus hæc a ſe tanquam privato doctore, non papali decreto dicta, quæ Romanæ eccleſiæ auctoritati ſubjecit præfixo illi procemio, cujus partem decerpimus.

Ut Benedictus ſua ſcripta excuti a theologis voluerit.

Tradidi, inquit, dictam ſcripturam examinandam tribus doctoribus in theologia, ut diligenter viderent, ſi aliquid erroneum vel hæreticum, aut non probabile in dicta ſcriptura inveniretur; etſi erat utile quod dicta ſcriptura in mundum redigeretur. Quam cum vidiſſent, & diligenter examinaſſent, dixerunt mihi & coram multis Cardinalibus, quod dictam ſcripturam examinaverant, quæ ut videbatur eis, erat catholica, nullum errorem circa ea, quæ fidei ſunt, includens: ſed vel ſimpliciter dicta mea concludebant, vel probabiliter dicta erant, & quod videbatur eis eſſe expediens, quod in mundum poneretur: quod fieri feci, utens conſilio Auguſtini, qui de ſe loquens primo de Trinitate cap. III. dicit: Meditationes meas ne oblivione fugiant ſtylo alligo ſperans de miſericordia Dei, quod in omnibus veris quæ certa mihi ſunt perſeverantem me faciet. Si quid autem aliter ſapio, hoc quoque ipſe mihi revelabit ſive per occultas inſpirationes atque admonitiones, ſive per manifeſta eloquia ſua, ſive per fraternas ſermocinationes. Et infra: Et quia quando incœpi ſcribere, habui tranſumptum ſcripturæ dicti epiſcopi, nempe Durandi, in ſecundo loco poſui ejus verba, ex quibus videbantur dictæ quæſtiones eſſe formatæ: & prout melius potui in dictis locis illa verba ejus, quæ poterant habere bonum intellectum & ſanum, declaravi; in illis autem locis, quibus non fuit mihi viſum, quod bene vel rationabiliter dixiſſet, ejus verba, ut melius potui, reprobavi per ſcripturam & dicta ſanctorum: in locis autem, quibus mihi viſum fuit, quod non bene nec ad ejus intentionem verba ejus accepta fuerant per illos, qui dictos articulos extraxerunt, oſtendi quod ipſe non dixerat illa, quæ ei per illos imponebantur. Et infra: Volo quod hæc dicta mea, ſicut & aliæ ſcripturæ meæ, ſic accipiantur ſicut magiſtraliter dicta, & non ſicut papaliter dicta, nec ſicut demonſtrata, niſi in quantum per dicta ſcripturæ vel per illa, quæ ex ſcriptura divina deducuntur, concluduntur vel per rationem certam & evidentem, vel per dicta ſanctorum doctorum per eccleſiam approbatorum: alia vero ut probabiliter dicta accipiantur. In omnibus autem tam præſentem ſcripturam, quam alias meas ſuppono correctioni & emendationi ſanctæ Romanæ eccleſiæ, volens ex nunc credere & tenere, quod ipſa decrevit eſſe credendum & tenendum: nec ſolum determinationi ſanctæ Romanæ eccleſiæ & ſucceſſorum meorum ſuppono dicta mea ſcripta; ſed etiam cujuſlibet ſententiæ, quæ rationabilior vel probabilior videretur.

Quis illius in ſcribendo finis.

Scripta ſubiicit cenſuræ eccleſiæ.

INDEX

# INDEX
## IN TOMUM VIGESIMUMQUARTUM ANNALIUM ECCLESIASTICORUM.

### A

ABdicatio; abdicatio proprietatis rerum omnium non tam in ſpeciali, quam etiam in communi, meritoria eſt & ſancta, 1322. LXV. Ut illud Nicolai Papæ dictum intelligendum ſit, *ibid.* Vera a Joanne data illius interpretatio, *ibid.* Quæ a Minoritis aliquibus conficta, *ibid.* Abdicatio proprii quoad immobilia commendata, non quoad omnia mobilia, 1324. XXXIII. Non voverunt Apoſtoli rerum abdicationem, ſed Chriſti ſequelam, 1329. XXXIV. Proprietatis abdicatio ſolicitudinem non excludit, 1329. XXXVI. Perfectio non conſtat in abdicatione juris vel dominii, *ibid.* L.

Abomelicus Regis Marrochitani filius in Hiſpanias incurrit, 1332. XXI. 1333. XX.

Abſolvere; peccata ſine clavium auctoritate abſolvere audent Fraticelli, 1331. VI.

Abuſcanus Tartarus Regis Coſogani filius Chriſtiana ſacra amplectitur, 1321. I. Viginti dierum indulgentia, quoties ſacris intereſſet donatur, 1322. XLIV.

Abuſus & Abuti; abuti definitio explicatur a Joanne XXII. adverſus Michaelem Cæſenatem, 1329. XXIV. Abuſus pro rei conſumptione in ſcriptura ſacra interdum acceptus, *ibid.* XLIII. Item in legibus, *ibid.*

Academia Salmanticen. inſtaurata, 1313. XXXVII. Conſultum eſt ab Joanne XXII. academiis Pariſienſi, 1317. XV. Aurelianenſi, *ibid.* XVI. Toloſanæ, *ibid.* Oxonienſi, *ibid.* De inſtauranda academia Pariſienſi agitur, 1318. XXVI. A vanis doctrinis in ea abſtinendum, *ibid.* Cantabrigiana academia privilegiis exornata, *ibid.* Peruſinum gymnaſium ſcholarum numero auctum, 1321. XLV.

Achaja fruſtra tentata a Gualtero duce Brenenſi, 1331. XXX. Aſſerta a Catalaunis fœderatis Guillelmo Regis Trinacriæ filio, *ibid.* Achaici Latini cum Græcis ſchiſmaticis communicant, 1322. XLVIII. Cenſuris percelli juſſi, *ibid.*

Adolphus epiſc. Leodienſis vacante imperio a Clemente jus regale accipit, 1313. XXXVII.

Adorare; an Chriſti humanitas adoranda ſit, 1333. LXII. Diſtinctio cultus latriæ, & duliæ, & hyperduliæ, *ibid.* Deus ut principium & finis adorandus, *ibid.* LXIII.

Adria erepta eccleſiæ ab Ateſtinis, 1324. XIX.

Adverſæ res; mel e petra ſugitur, cum in adverſis divinæ nos accommodamus voluntati, 1316. XIV. S. Ludovicus epiſcopus Toloſanus in cuſtodia Catalana ſuæ ſanctitatis fundamenta jacit, 1317. X.

Adulterium; ob id Guigonem Delphinum puniri divinitus oſtenſum eſt Carolo poſtea imperatori, 1333. XXII.

Æmulatio; ex unius Prædicatoris & alterius Minoritæ æmula contentione ad utrumque ordinem propagata: hæreſis & ſchiſma, graveſque eccleſiæ univerſæ tempeſtates principium ſumunt, 1322. LIV.

Ærius hæreſiarcha ſacerdotes & epiſcopos pares gradu & auctoritate fingit, quæ hæreſis a Marſilio & Janduno inſtaurata, 1327. XXXII. Refellitur, *ibid.*

Æthiopum Imperator ad conjunctionem cum Romana eccleſia a Joanne XXII. ſolicitatus, 1329. XCVIII.

Afri irrumpunt in Hiſpanias, 1332. XXI.

Agnes Regina Ungariæ dum manu vibratum in virum gladium avertit, quatuor manus digitos amputatos amittit, 1331. XXV. In texendis ſacris veſtibus ſacerdotum otia ducere erat ſolita, *ibid.*

Alani fidem Chriſti colunt, 1329. XCVI. Ad eos epiſcopus Gemiſcalenſis miſſus, *ibid.* Ipſorum princeps Millenus una cum clero populoque ad Romanæ eccleſiæ conjunctionem redit, 1333. XXXVII.

Albanenſes Græcos magnis cladibus atterunt, 1325. XXXI.

Albania; proceres Albani fidei orthodoxæ ſtudio in ſchiſmaticum Regem arma corripiunt, 1318. XXXV.

S. Albanus; de ejus reliquiis Elienſes & Santalbani diſceptant, 1314. XXVII. Explorata ab Henrico Rege rei veritas, *ibid.* Reperta ab eodem martyris caracalla ſanguine corruptionis experte conſperſa, *ibid.* Prædo ſacrum ejus nomini monaſterium diripiens, ſe ipſum diſcerpit, 1321. XLIII.

Alberghettinus Faventinos in defectionem trahit, 1327. XVI. Franciſcum Manfredum parentem deturbat principatu, *ibid.*

Albertus Pighius ſcribit de hierarchia eccleſiaſtica adverſus Marſilii hæreſes, 1327. XXXVII.

Albertus dux Auſtriæ ob Friderici electionem non confirmatam abalienatur a Pontifice, 1325. VII. Poſcit iterum, ut confirmetur, 1328. XXXVIII. Reſponſum non fuiſſe oblatum decretum electionis Friderici, *ibid.*

Alborſmontis accolæ fidem Chriſtianam amplexi, 1330. LVI. Guilielmus e Cigiis ad eos miſſus, *ibid.*

Alfonſus Rex Caſtellæ; de ipſius tutela Caſtellæ principes bello diſceptant, 1320. XXXIV. 1322. XVII. Caſtellæ gubernacula capeſſit, ſopitque principum tutelam affectantium, bellum, 1322. XVIII. De Mauris refert victoriam ſuorum ducum opera, 1327. XLI. Joannem Cantabriæ principem obtruncat in convivio, ejuſque principatum occupat, *ibid.* Poſcit auxilia a Pontifice pro expeditione Maurica obeunda, 1328. LXXV. Ipſius de ea re ad Pontificem literæ, *ibid.* Promiſſa ſubſidia & quibus legibus, *ibid.* LXXVI. *& ſeq.* Trahit in ſocietatem armorum alios Hiſpaniæ Reges adverſus Mauros, 1330. XLIV. Ad quindecim millia eorum cædit, *ibid.* XLVIII. Inducias init cum barbaris, *ibid.* Appetitur bello a Granatenſibus, 1332. XXI. Militiam, cui Bandæ nomen eſt, inſtituit, *ibid.* Regium inſigne accipit, *ibid.*

Alfonſus Dionyſii Regis Luſitaniæ & S. Eliſabethæ filius, 1317. XLI. In patrem arma corripit, *ibid.* 1318. XXXIX. Monetur graviſſimis literis, ut a bello patri inferendo abſiſtat, *ibid.* Berengarius archiepiſcopus Compoſtellanus ad eam controverſiam ſopiendam miſſus a Joanne XXII. 1322. XVI. Illius opera parenti conciliatur, *ibid.* S. Eliſabetha rogata a Pontifice, ut Dionyſio conciliet filium, *ibid.* Is eidem Dionyſio patri in regno Luſitaniæ ſuccedit, 1325. XV. Edicit, ne juſtitia ferro, ſed legibus petatur, 1326. XIX. Societatem armorum init cum Caſtellæ Rege adverſus Granatenſes, 1330. XLIV. Petit a Pontifice ſubſidia, *ibid.* Quingentos equites auxiliares ſubmittit Alfonſo, *ibid.* XLVIII.

Alfonſus eques eccleſiæ Compoſtellanæ jura invadit, 1319. XXVIII. Triſti mortis genere perit, 1321. XXVII.

Alfonſus Sugerius graves diſſenſiones cum Berengario archiepiſcopo Compoſtellano exercet, 1319. XXVIII.

Alfonſus Cerda a Rege Ferdinando exutus principatu a Regibus arbitris attributo, 1319. XXIV. Pro eo priſtinæ ditioni reſtituendo navat operam Pontifex, *ibid.* & *ſeq.* Intentatæ Caſtellanis cenſuræ ni eum ſuæ ditioni reſtituerint, *ibid.* XXVI.

Alfonſus Sancii ſpurius Dionyſii Regis Luſitaniæ, dum regnum affectat, civile bellum parit in Luſitania, 1322. XVI.

Alfonſus Catalanus pirata Chriſtianos Turcis vendit, 1322. XLIX.

Alfonſus Rex Aragonum Jacobi Regis filius Sardiniam Piſanis maxima ex parte eripit, 1323. XXXVII. Reliquam partem ſibi ſubiicit, excepta Calari, 1324. LIV. Potitus paterno regno, Petrum fratrem mittit, ut Sardiniæ & Corſicæ regnum pontificiæ beneficentiæ acceptum referat, 1328. LXXXI. Id præſtat ſolemni ritu, 1329. LXXXIII. Illius literæ rei geſtæ teſtes, *ibid.* LXXXV. & *ſeq.* Arguitur a Pontifice de temeraria voce ſolvendarum contra fas canonicarum legum, *ibid.* LXXXVIII. XC. Cum Hiſpanis Regibus fœdus init in Mauros, *ibid.* XCIII. Bellum adverſus eoſdem Mauros parat, 1330. XLVI. Quas pactiones cum Pontifice iniverit, *ibid.* In Sardinia adverſus ipſum concitati graves motus, *ibid.* XLVIII. Intermiſſa propterea Maurica expeditio, *ibid.* Sardicum cenſum ſolvit, 1333. XXI.

Alfonſus Rex Aragonum; Pontificiæ ad eum literæ de extracta Sardici cenſus ſolutione, 1328. LXXXI. §. Cum pro. Commendatus pontificiis literis de ſuſcepto bello in Saracenos, 1330. XLVI. §. Gratias agimus.

Alienora Regina Trinacriæ admonita a Pontifice, ut virum Fridericum a ſchiſmate abducat, 1332. XVII.

Allandia a Danico divulſa regno, & Suedico adjecta, 1331. XL.

Almaricus Tyri dominus; ejus uxor & filius extincti in carcere, 1323. XIII.

Alvarus Pelagius Minorita Roma aufugit, cum Bavarus ibi Pontificem tyrannice exauctoravit, 1328. XX. Creatus epiſcopus primo Coronenſis, poſtea Silvenſis, 1332. XXX. Ejus elogium, *ibid.* Circa paupertatem privatam opinionem tuetur. *ibid.* Sua ſcripta cenſuræ eccleſiæ ſubiicit, *ibid.* Quando ſcripſerit de planctu eccleſiæ, *ibid.*

Ambitio; Azo Vicecomes Marcum patruum regnandi ſpe trucidat, 1329. XV.

Amedeus comes Sabaudiæ in Pedemontio Robertum Regem bello vexat, 1317. XXXIV. Cum Delphino Viennenſi bellum gerit, 1321. XXX.

S. Amphibalus magiſter S. Albani martyris, 1314. XXVII.

Anaſtaſius II. Papa a calumniatoribus perperam erroris accuſatus, 1331. X.

Anathema; anathematis reis Pontifex ex veteri more non ſcribit, 1329. XCII.

S. Andreæ epiſcopus pontificio edicto decernitur, ut ipſe Scotiæ Reges inungat, 1329. LXXIX. Eo impedito ſuffectus epiſcopus Glaſguenſis, *ibid.*

Andreas Peruſinus Minotita fidem inter Tartaros Cataynos amplificat, 1326. XXXI. Ejus literæ de Tartaricæ eccleſiæ ſtatu, *ibid.*

Andreas de Galiano pſeudominorita Michaelis Cæſenatis fautor, 1332. XX.

Andronicus Imperator Conſtantinopolitanus Cathalanam ſocietatem delinitam muneribus avertit in catholicos Achaicos, 1314. VIII. Orbatur filio primogenito Michaele, 1321. XV. Imperium, prætermiſſo nepote, in filium ſecundum natu transfundere molitur, *ibid.* Appetitur bello ab Andronico juniore, *ibid.* Partitur cum eo imperium, *ibid.* Evocat Turcas in Europam, *ibid.* Præcipiti ruinæ obiicit imperium, *ibid.* Turbatur depicti in pariete equi hinnitibus, *ibid.* XVI. Iterum cum nepote bellum gerit ac vincitur, 1322. L. Ab Albanenſibus terra, mari a Turcis opprimitur, 1325. XXXI. Filium Andronicum corona redimiri jubet, *ibid.* Provolvitur equo in ea pompa; ex quo ſumptum triſte præſagium, *ibid.* Ad Gallorum Regem oratorem mittit, ut concordia interpretem agat pro Græcis ad Romanæ Eccl. conjunctionem revocandis, 1326. XXVI. Magnis cladibus attritus a Turcis, 1330. LIII. Nicæam Bithyniæ amittit, & reliquam Nicææ ditionem, *ibid.* Diadema cucullo mutare coactus, 1332. XXII. Evadit cœcus, *ibid.* In latrina moritur, *ibid.*

Andronicus junior in avum Andronicum conſurgit, 1321. XV. Inde imperium Græcorum in præceps verſum, *ibidem.* Iterum cum avo bellum gerit, vincitque, 1322. L. Imperii univerſi adminiſtrationem illi permittit, *ibid.* Tartarorum in Græciam irruptio, 1324. XXXIX. De Græcis Romanæ eccleſiæ conjungendis agitat, *ibid.* Conſtantinopoli noctu potitur, 1327. LII. Avo imperii adminiſtrationem eripit, *ibid.* Cum principibus catholicis armorum fœdus in Turcas init, 1328. LXXXVI. Ad ſolvendam Nicææ Bithyniæ obſidionem provolat, 1330. LIII. Fuſus a Turcis Nicæam amittit, *ibid.* Turcicis vexatus graſſationibus conjunctionem cum Romana eccleſia expetit, 1333. XVII. Pontificiæ ad illum hortatoriæ literæ, ut rem perficiat, *ibid.* Aliæ ad patriarcham, *ibid.*

Angeli quomodo ſentiant corpora, iiſque afficiantur, 1333. LIX. LX. An angeli deſiderent proſpicere humanitatem Chriſti, *ibid.* LXIV. Concluditur affirmative, & probatur, *ibid.* LXV. Angeli plura a Chriſto lumina accipiunt, *ibid.* LXVI. Plures ab eo gratias hauriunt, *ibid.* LXVII. Ut angeli humanitatem Chriſti duplici cultu adorant, *ibid.* LXVIII.

Angelica ſalutatio. *Vide*, Ave Maria.

Angelus e Valle Spoletana Fraticellorum ſacramenta profanantium ſignifer, 1331. VI. In eum animadverti juſſum, *ibid.* In pluribus coincidit cum Angelo Clareno, *ibid.* VII.

Angelus Liberati in condenda Fraticellorum ſecta ſocius fuit impius apoſtata, 1331. VII.

Angelus Clarenus auctor congregationis Clarenorum, *ibid.* Utrum Liberati ſocius fuerit, an non, incertum, *ibid.*

Anglia ſedis Apoſtolicæ beneficiaria, 1316. XXIV, & *ſeqq.* 1320. XLII. Eduardus II. non perſolutum a patre cenſum pendere paciſcitur, 1316. XXV.







Anibaldus Gaitanus archiep. Neapolitanus creatus Cardinalis a Joanne XXII. 1327. LV.

Anima defuncti hominis ad hunc orbem reverſa, mira de altera vita narrat, 1324. LIV. Diſceptatur an ante judicium divinitatis intuitiva viſione potiantur animæ ſanctorum, 1331. XLI. Oppoſitum eſt a negantibus, futurum fruſtra judicium, ſi ante ſententiam præmio ſint affectæ, *ibid.* Solvitur ea objectio, *ibid.* Cur Joannes XXII. in adverſam ſententiam plura ſanctorum dicta compilarit, expoſueritque pro concione ad Cardinales & theologos, *ibid.* XLIV. Ut inde conflata ſit ipſi invidia, *ibid.* Quæ vera ejus dictorum interpretatio, *ibid.* XLV. Ut variæ fuerint in illa controverſiæ ſententiæ, 1333. XLVI. Rogatus Philippus Rex, ne Sorbonicos doctores impediat, quo minus veritatem diſcutiant, *ibid.* XLVII. Durandus epiſcopus Meldenſis pro parte affirmante commentarium ſcribit, *ibid.* XLIX. & *ſeq.* Quomodo animæ ſeparatæ, ſentire corporea, iiſque poſſint affici, *ibid.* LIX. LX. Ut intueantur humanitatem Chriſti glorificatam, *ibid.* LVI.

Antipapa. *Vide* Petrus e Corbaria.

Apoſtoli; eos S. Petri imperio liberos non fuiſſe, 1321. XXXIII. & *ſeq.* *Vide*, S. Petrus. Habuiſſe apoſtolos aliqua mobilia ante paſſionem Domini probatur, 1323. L. Item poſt paſſionem poſſediſſe aliqua in communi, *ibid.* LII. Veſtium ſuarum veri domini fuere, 1329. XXX. Eos aliqua habuiſſe demonſtratur, *ibid.* XXXI. & *ſeq.* Apoſtolicæ vocis, *Reliquimus omnia*, vera interpretatio, *ibid.* XXXI. Habuiſſe poſtea Apoſtolos demonſtratur, *ibid.* Non vovere abdicationem rerum omnium, ſed Chriſti ſequelam, *ibid.* XXXIV. Non vovere non habere in communi, *ibid.* An apoſtoli aliquod verum dominium habuerint, *ibid.* LVIII. Diſtinguuntur varia eorum tempora, *ibid.* Probatur eos habuiſſe ante miſſionem ad populos, *ibid.* Et diſcipulos habuiſſe aliquarum rerum dominium, *ibid.* LIX. An fuerit præceptum apoſtolis ne haberent miſſionis tempore, *ibid.* LX. Quid ſenſerit S. Auguſtinus, *ibid.* Item præceptum illud fuit temporale, *ibid.* & *ſeq.* An habuerint poſt Chriſti paſſionem, *ibid.* LXII. Probatur habuiſſe in communi inter Judæos, *ibid.* An licuerit apoſtolis litigare, *ibid.* Damnata hæreſeos aſſertio ipſos habuiſſe uſum ſimplicis facti in rebus ſine jure aliquo, 1331. I. *Vide*, Paupertas.

Apoſtolicæ ſedis in Galliis retinendæ auctor Francorum Rex, 1316. XXI. Privilegia contra jus ſedis Apoſtolicæ non valent, 1327. LIII. Omnes ab illa juſtitiam repetere debent, *ibid.* Actum ſæpe a Pontificibus de reducenda in Italiam ſede. *Vide*, Roma, & Romani. Primatus ſedis Apoſtolicæ inter fidei capita propoſitus Regi Armeniæ 1318. XI. Eadem ſedes contra omnes cæſareas leges transferri poteſt, 1328. XXI. Joannis XXII. ſuſcepta & retardata conſilia de ſua Bononiam profectione 1332. I. VIII. 1333. XXIV. *Vide*, Pontifex Romanus & Romana eccleſia.

Apoſtolici ita dicti hæretici Beguardis affines, 1317. LIX. Duodecim apoſtoli in ſecta ab hæreticis deſignati, 1318. XLIV.

Aqua miſcenda vino in calice, 1318. XIII. Myſteria hujus rei explicantur, *ibid.*

Aquitania a Carolo Valeſio ex parte erepta bello Anglis, 1324. XXXVIII. Tradita Eduardo juniori, ut Gallo Regi ſponſionem clientelarem præſtet, 1325. XII.

Arabica lingua una cum Græca, Hebraica, & Chaldaica in ſcholis docenda, 1326. XXIX.





Arachiel archiep. in Gazaria ob fidem exagitatur, 1321. XIII.

Aramanus Turcomannorum princeps Armeniam populatur, 1322. XXXIII.

Archiepiſcopatus inſtituti. *Vide*, Epiſcopatus.

Aretinus epiſcopatus in Cortonienſem diſgregatus, 1324. XX. 1326. XXXII.

Argenta expugnata ab Ateſtinis, 1324. XIX.

Armandus archiepiſcopus Aquenſis miſſus a Pontifice internuntius ad impetrandas inter Joannem Balearem & Gaſtonem Fuxenſem inducias, 1331. XXVIII.

Armenia & Armenii; occidentales ad bellum ſacrum inſtigant, 1317. XXXV. 1318. VIII. Profitentur eorum oratores fidem orthodoxam, *ibid.* Docentur, ſacramentum confirmationis ab epiſcopis tantum conferendum, *ibid.* IX. Chriſma a ſacerdotibus tantum conficiendum, *ibid.* Fidei formula ad Armenios tranſmiſſa, *ibid.* IX. XI. Docentur aquam in calice miſcendam vino, *ibid.* XIII. Gymnaſia a Prædicatoribus ad tradendas latinas literas fidemque confirmandam inſtituenda curat Joannes XXII. *ibid.* XVI. Armenia a Saracenis evaſtata, 1322. XXX. Carolus Rex Francorum fruſtra ad eam tuendam ſolicitatus, *ibid.* Aramanus Turcomannus illam populatur, *ibid.* XXXIII. Damordas triginta equitum millibus eadem atterit, *ibid.* Babylonius ſoldanus eadem peragrat cædibus, *ibid.* XXXIV. Ducenti Armenii octo millia Saracenorum cædunt, *ibid.* XXXV. Decreta a Pontifice ad Armeniorum preces auxiliaris expeditio, *ibid.* XXXVII. Confirmantur a Joanne ad conſtantiam Armenii, *ibid.* XL. 1323. V. Juvantur auro ſubſidiario ab eodem, 1323. IV. Monentur, ut reſectis vitiis divinam ſibi clientelam conciliare ſtudeant, *ibid.* VI. Armenia inferior ad chriſtianam fidem revertitur, 1323. VII. A Romana eccleſia fidei formam accipit, *ibid.* Guillelmus ordinis Præd. Soltanienſis archiepiſcopus in eam miſſus, *ibid.* Tartarorum Imperatoris patrocinio tecta Saracenorum excurſionibus liberatur, *ibid.* IX. Armeniæ Rex mittit oratores ad Joannem XXII. ut expeditio in terram ſanctam ſuſcipiatur, 1328. LXXXV. Poſcit ab eo nepoti Antiochenum principatum confirmari, *ibid.* Miſſi a Leone Rege ad Pontificem & Gallum Regem oratores pro impetrandis auxiliis, 1331. XXX.

Armenii ſuis defendendis arcibus non ſufficiunt, 1332. XXIV.

Armenii; indictæ pro iis publicæ preces ſuppetiæque, 1322. XXXIX. §. Vobis.

Arnaldi e Villanova damnatæ hæreſes, 1317. LXII.

Arnaldus Flenguerius archiep. Arelatenſis creatus Cardinalis Sabinenſis, 1315. XLVI.

Arnaldus e Via creatus Cardinalis diaconus S. Euſtachii, 1316. XX.

Arnaldus e S. Michaele in Scotiam miſſus internuntius ad eam pacandam, 1333. XXIII. Mox revocatus, *ibid.*

Ateſtini marchiones Ferrariæ principatum Joanni XXII. eripiunt, 1317. XXIX. & *ſeq.* Reſtituunt Ferrariam eccleſiæ, 1320. XVIII. Iterum ipſam in rebellionem coniiciunt, *ibid.* Poſtulantur actione hæreſeos, *ibid.* Redeunt ad obſequium eccleſiæ, 1323. XXVII. Iterum ab ea deficiunt ad Ludovicum Bavarum, *ibid.* Paciſcuntur cum ipſo, *ibid.* Pontificiæ de his querelæ, *ibid.* XXIX. Redeunt ad Pontificis obſequium, 1328. LIV. Ferrariam juris eſſe pontificii profitentur, *ibid.* LV. Majorum ſuorum in eccleſiam ſtudia exponunt, *ibid.* LVI. Excuſant ſe ab impoſito crimine hæreſeos, *ibid.* LVII.

Athenæ a Catalana ſocietate occupatæ, 1314. VIII. Athenarum ducatus addictus Friderico, *ibid.*

Avaritia ; Genuenſes ex avaritia piraticam exercent in Chriſtianos, eoſque Saracenis divendunt, 1317. XXXVI. Mahometis ſigna navibus præferunt, *ibid.* Moniti ne Cyprum bello adoriantur, 1318. XVII. Per fas nefaſque Chriſtianos & barbaros diripiunt, 1323. XIII. Specie amicitiæ a Turca ſpoliati damnatique ad triremes, *ibid.* Aliquorum avaritia eo prorumpit, ut Chriſtiani pueros Chriſtianos fidem Chriſti ejuraturos Saracenis vendant, 1331. XXIX.

Ave Maria mos Xanctonenſis eccleſiæ, pulſandæ veſpere ad ſalutationem angelicam ter repetendam campanæ, laudatur a Joanne XXII. 1318. LVIII. Propoſitæ ab eo oraturis indulgentiæ, *ibid.* Idem mos Romæ inſtauratus a Joanne XXII. 1327. LIV.

Aventinus; ejus inſignis perfidia convincitur in veteribus monumentis afferendis, 1328. XXXVI. Lutherana deliria iis inſerit, de quibus veteres non ſomniarunt, *ibid.*

Avinionenſis eccleſia ; pluribus miraculis divinitus in ea editis celebris, 1316. XXII.

Aurelianenſis academia inſtaurata a Joanne XXII. 1318. XXVI.

Aurum ; verba Chriſti : *Nolite poſſidere aurum*, ad tempus prædicationis contrahenda, 1323. LIX. An fuerit præceptum Apoſtolis, ne illud haberent miſſionis tempore, 1329. LX.

Auximum ad eccleſiæ imperium revocatum, iterumque amiſſum, 1322. III.

Aycardus archiep. Mediolanenſis pontificias in Ludovicum partes tuetur, 1327. III.

Aymo dux Sabaudiæ bello certat cum Guigone delphino, 1333. XXII. Pontifex eos conciliare nititur, *ibid.*

Azo junior Ateſtinus Ferrariam invadit, 1317. XXX. Illius jura reſtituit Pontifici, 1320. XVIII. Iterum in rebellionem coniicit, *ibid.* Ad eccleſiæ obſequium redit, 1328. LIV. *& ſeq.* Ferrariæ toparchatum ad decennium jure beneficiario una cum fratribus accipit, 1329. XX.

Azo Vicecomes Placentia pellitur, 1322. XII. A Ludovico Bavaro conjectus in vincula auro libertatem redimit, 1327. III. Præfectus Mediolano ab eodem Ludovico Bavaro, 1329. IV. Ludovicum Mediolano propulſat, *ibid.* XIII. Marcum patruum poſt convivium proditione obtruncat, *ibid.* XV. Mediolani ac Inſubriæ principatum ſedis Apoſtolicæ nomine auctoritateque gerit, 1330. XXXVI. Una cum Joanne & Luchino abſolvitur, *ibid.* Boemo, illum ad partes Ludovici revocare annitenti, reſiſtit, *ibid.* XXXVII. Ticinum ſibi ſubiicit, 1332. IX. Cremonam tentat, *ibid.* Cum Gibellinis & Guelphis in Boemum & fœderatum Pontificem conjurat, *ibid.* X. Reſpuit pacem cum Boemo, 1333. XXVI. Ticinenſem arcem expugnat, *ibid.*

Azo Vicecomes ; pontificiæ ad eum literæ hortatoriæ ad conſtantiam in ſuſceptis eccleſiæ partibus, 1329. XV. §. Profecto. Aliæ ad eum literæ, quibus ſolicitatur ad pacem cum Joanne Rege Boemiæ conficiendam, 1333. XXVI. §. Quia tuum.


# B


BAlduinus Lucemburgenſis deſignatus archiepiſc. Treverenſis eligit diſcordibus ſuffragiis Ludovicum Bavarum, 1314. XVII. *& ſeq.* Favet Gallo Regi pro adipiſcendo imperio, 1324. XIX. Mortua Maria nepte cœptis abſiſtit, *ibid.* Galli conſilia diſiicit, 1325. VII. Arguitur, pontificia edicta in Ludovicum Bavarum non promulgaſſe, 1326. VI. De Moguntino archiepiſcopatu cum Henrico Virneburgenſi contendit, 1329. LXXIII. Interceptus ab adverſariis, 1330. LI. Pœnæ auctoribus flagitii irrogatæ, *ibid.* LII. De vexato Moguntino archiepiſcopatu arguitur, 1333. XXIX. Ad eum revocandum a cœptis internuntius apoſtolicus miſſus, *ibid.*

Baliolus de regno Scotiæ certat cum Davide Rege, 1333. XXIII. Juvatur ab Eduardo Rege Angliæ, *ibid.* Davidem profligat, & in fugam vertit, *ibid.*

Balſamum cœlitus datum eſſe Regi Angliæ confingitur, ut Aſia Mahometanos excindat, 1319. XX.

Bandæ ſodalitium militare ab Alfonſo Rege Caſtellæ inſtitutum, 1332. XXI.

Baptiſmus contemptus a Lollardis hæreticis, 1318. XLIV. Baptiſmus iterandus non eſt, 1321. XI. In dubio qua forma conferendus, 1333. XLII.

S. Barbara; ejus lipſana ex Aſia deportanda curat Alfonſus Caſtellæ Rex, 1328. LXXXI.

Bartholomæus epiſcopus Electenſis miſſus in Lithuaniam internuntius apoſtolicus, 1324. XLV.

Beatitudo. *Vide*, Viſio beatifica.

Beatrix comitiſſa Lucemburgenſis reliquias ſanctorum Pontifici dono offert, 1318. XL.

Beatrix Regina Luſitaniæ; reliquiæ ſacræ cum particula crucis dominicæ ad eam a Joan. XXII. tranſmiſſæ, 1326. XIX.

Beguinæ quæ pie ſentirent præſulibus commendatæ, ſontes plecti juſſæ, 1321. XIX.

Belgæ in Philippum VI. rebellant, 1328. LXX. Cenſuris devincti pronuntiantur, *ibid.* Bello domiti veniam poſcunt, *ibid.* *Vide*, Flandri & Flandria.

Bellum civile ; exortas ex eo calamitates exponit Jo. XXII. 1316. XXXII. XXXIII. *& ſeq.*

Benedictus XII. *Vide*, Jacobus Novelli.

Beneventani rebellionem in magiſtratus movent, ac reprimuntur, 1317. XXXI. 1318. XLII.

Berengarius archiep. Compoſtellanus Salamanticenſis academiæ ſtipendia augenda curat, 1315. XXXVII. Graves diſcordias cum Compoſtellanis pro tuendo archiepiſcopali in Compoſtellam jure exercet, 1319. XXVIII. Ejus cauſam tuetur Joannes XXII. *ibid.* Priſtina jura recuperat, 1321. XXVII. In Luſitaniam mittitur ad componendum civile bellum, 1322. XVI.

Berengarius Landora magiſter ordinis Prædicatorum miſſus a Joanne XXII. pro componenda pace inter principes Gallos, 1316. XV. Et pro conciliandis Belgis, 1318. XXIII.

Berengarius Tolom. pſeudominorita Chriſtum nil habuiſſe proprium in communi vel ſpeciali ſuſtinet, novæque hæreſeos jacit ſemina, 1322. LIV.

Bernardus de Caſtaneto epiſcopus Anicienſis creatus Cardinalis Portuenſis, 1316. XX.

Bernardus Artigia nonnullos Cardinales in Pontificem aſperat, 1317. LI.

Bernardus Senenſis conditor ſacræ familiæ Montiſoliveti, 1329. XLIX. Illius cœleſte viſum, *ibid.*

Bernardus e Gardiola epiſcopus Diagorganenſis in orientem ad evangelium propagandum miſſus, 1329. XCIV.

Bertoldus comes denuntiat pontificio legato, ne imperii terras infeſtet, 1323. XXVIII. Repellitur a legato, *ibid.* Mediolanenſem præfecturam ad ſpeciem accipit, *ibid.* XXX. Vicecomites tuetur, 1324. XII. Defixus a Pontifice anathemate, *ibid.*

Bertoldus Urſinus ad Romam in Pontificis obſequium revocandam jungit operam contra Ludovicum Bavarum & antipapam, 1328. L.

Bertoldus e Marſteron Ludovici Bavari legatus; pontificium in eum edictum ob vicecomites defenſos, 1324. XII. §. Vineæ.

Bertrandus de Gotho. *Vide*, Clemens V.

Bertrandus e monte Faventio creatus diaconus Cardinalis S. Mariæ in Aquiro, 1316. XX.

Bertrandus de Pojeto creatus presbyter Cardinalis tit. S. Marcelli, *ibid.* Legatus deſignatus a Joanne XXII. in Italiam, 1319. VIII. Creatus pacis ſervator, *ibid.* Juſſus intendere judicium Gibellinis proceribus de correpta publica adminiſtratione ſine pontificia auctoritate, interregni tempore, *ibid.* Confirmatur publicæ pacis Italicæ ſervator, 1320. X. Multa ſecunda prælia gerit adverſus Galeatium Vicecomitem, 1323. XXVI. Repellit Ludovici oratores exorantes, ne Galeatio cæſareo clienti bellum inferret, *ibid.* XXVIII. Mediolano propulſatur, *ibid.* XXX. Mutinam eripit Paſſarino, 1327. XVII. Ludovico Bavaro ex Inſubria in Etruriam iter abrumpere non audet, *ibid.* Creatur epiſcopus Oſtienſis & Veletrenſis, *ibid.* LV. Azonem Mediolani principem ad eccleſiæ obſequium revocat, 1330. XXXVI. Cum Joanne Rege Boemiæ fœdus ſancit, 1331. XIX.

Bertrandus e Turre miſſus in Inſubriam internuntius apoſtolicus, 1327. XXXII. Et creatus Cardinalis tit. S. Martini in montibus, 1320. XLIX.

Bertrandus e Baucio clientelarem ſponſionem Joanni XXII. Pontifici Roberti Regis Siciliæ nomine addicit, 1317. XXXII. *& ſeqq.* Libellum de geſtis, ac factionibus Longobardorum conſcribit, *ibid.* XXXIII.

Bertrandus epiſcopus Eduenſis tuetur jus eccleſiaſticum coram Philippo Rege Francorum 1329. LXXV. Gladii utriuſque poteſtatem, penes eccleſiam eſſe oſtendit, *ibid.* Secundum illum a Philippo Rege pronuntiatum adverſus Petrum e Cuneriis, *ibid.* LXXVII. Creatur Cardinalis, 1331. XXXIV.

Bertrandus Cardinalis A. S. L. Matthæum Vicecomitem interpellat de pace, 1320. X. §. Nos ſpretus judicio perſequitur. §. Hæc omnia. Promulgat devinctum anathemate, *ibid.* Illius de Parmenſibus abſolvendis literæ, 1322. XIII. §. Cum præfati.

Bizochi ſive Bichini; actio hæreſeos a Joanne XXII. illis intendi juſſa, 1321. XVIII. Quæ fuerint eorum exordia, *ibid.*

Blancha ducis Burgundiæ filia Regina Franciæ & Navarræ ob adulterium in carcere necata, 1315. II.

Blechingia a Danico divulſa regno, & Suedico adjuncta, 1331. XL.

Bochardus archiepiſcopus Magdeburgenſis pontificia in Ludovicum Bavarum edicta promulgat, 1326. VIII. Illi adhærentes cenſuris percellit, *ibid.* Eoſdem ad Pontificis obſequium revocare nititur, *ibid.* Ab adverſariis immani mortis genere afficitur, *ibid.* In ejus interfectores diſtrictæ cenſuræ, *ibid.*

Boleſlaus dux Pruſſiæ a Joanne XXII. ſolicitatus, ut ſchiſma Græcorum abiiciat, 1327. XLIX.

Bonagratia pſeudominorita provocat Minoritarum nomine a Joannis XXII. edicto ob reſtitutum Minoritis dominium rerum ad eos ſpectantium, 1323. LXX. Pontificem poſtulat crimine hæreſeos, *ibid.* 1328. LXII. Defigitur pontificia ſententia, 1328. LXIII. Provocationi nefariæ a Joanne ad concilium a Michaele Cæſenate editæ ſubſcribit una cum Ochamo, *ibid.* LXV.

Bonifacius Dominicanus anticardinalis, 1328. XLIII.

Bonifacius e Donoratico antipapam fugitivum in cuſtodia detinet, 1329. XI. 1330. I. Monetur a Pontifice, ut illum tradat *ibid.* II. Interpretem agit pro reſtituendo antipapa in gratiam cum Pontifice, *ibid.* VII. Ab eodem plura expoſcit ad antipapæ gratiam, repulſamque patitur, *ibid.* Monetur ut invitum etiam ac reluctantem tradat, *ibid.* Pontificiis imperiis obſequitur, *ibid.* IX. Ornatur muneribus, & caſtro Peretano donatur, *ibid.* XXVII.

Bononienſes ad conſtantiam adverſus Ludovicum Bavarum excitati, 1327. II. Se ſuaque Pontifici addicunt, 1332. VIII.

Bononienſes ; Joannis XXII. ad eos literæ de eccleſiæ cauſa tuenda adverſus Ateſtinos, 1323. XXVIII. §. Sicut.

Boyſſetan Tartarorum Imperator ſolicitatus, ut Armeniam in ſuam clientelam accipiat, 1322. XLI. Ad chriſtiana ſacra amplexanda provocatur, *ibid.* Armeniæ opem fert, 1323. IX.

Brandeburgenſes; Joannis XXII. ad eos literæ, ne ſentiant cum Ludovico Bavaro, 1325. VIII. §. Nos dudum. Vetiti Ludovicum juniorem excipere, *ibid.*

Brandeburgenſis marchia a Ludovico majori Ludovici Bavari natu filio occupata, 1328. XLI.


# C


CAchanes archiepiſcopus S. Thaddæi rite non promotus pontificio nomine inſtituere juſſus, 1320. V.

Caffa epiſcopalis ſedis dignitate inſignita, 1322. XLV. Hieronymus primus illius epiſcopus, *ibid.*

Cambalienſis eccleſia regia eſt Tartarorum ſedes, 1326. XXX. Extincto Joanne, ſuffectus illi Nicolaus, 1333. XXXI.

Campanæ; quæritur Joannes XXII. Imperatorem Tartarorum in prohibendo campanarum uſu ab impiis fuiſſe ſubornatum, 1318. III. 1323. III.

Canis Scaliger ſolicitatur a Pontifice, ut pacem colat, 1317. XXXIX. Patavinis bellum infert, 1317. XXXII. Montemſilicem expugnat, *ibid.* Cremonam ſibi ſubiicit, 1318. XLII. Intentatis cenſuris Tarviſino bello abſtinere juſſus, 1319. VI. Tuente Tarviſinos Friderico Auſtriaco, Ludovici Bavari partes amplectitur, *ibid.* Ob Veronenſem præfecturam ſine pontificia auctoritate arreptam cenſuris defixus, 1320. XIII. Patavio propulſatur magna clade, *ibid.* Ad Pontificis obſequium redit, 1323. XXVI. Aſſeritur ſuæ dignitati modo acceptam Romanæ eccleſiæ eandem dignitatem referat, *ibid.* XXVII. Mox deficit ad Ludovicum Bavarum, *ibid.* XXX. Potitur Patavio proditione Marſilii Carrariæ, 1328. LVIII. Eccleſiaſtica & pauperum bona in Marſilium congerit, *ibid.* Tarviſium ad deditionem compellit, 1329. XIX. Paulo poſt morbo opprimitur, *ibid.* Albertus Maſtinuſque illi in principatu ſuccedunt, *ibid.*

Canonizatio ſanctorum ; de S. Ludovico epiſc. Toloſano ſanctorum catalogo adjecto, 1317. IX. Plurium populorum precibus flexus Joannes XXII. duobus epiſcopis provinciam dat, ut ſacrum de miraculis B. Claræ e Montefalcone examen, & publicas tabulas rite conficiant, *ibid.* LV. De Roberto archiepiſcopo Cantuarienſi ſanctorum numero adiiciendo agitatur, 1318. XXIX. Item de B. Thoma Aquinate, *ibid.* XXX. Quæ maturitas conſilii in hujuſmodi rebus ſervanda, *ibid.* Duobus Cardinalibus data provincia de miraculis ad ſacrum collegium referendis, *ibid.* De iis cognoſci jubet Pontifex, *ibid.* 1321. XLVI. XLVII. B. Thomas epiſcopus Herefordenſis in ſanctorum numero collocatus.

ctus, 1320. XLIII. Inſiſtitur apud ſedem Apoſtolicam, ut Philippo archiepiſc. Bituricenſi miraculis claro ſanctorum cultus decernatur, 1323. LXVII. De iiſdem miraculis examen jam ante inſtitutum ab Urbano IV. & Clem. IV. & Clemente V. *ibid.* Qua matutitate conſilii eccleſia illa diſcutiat, *ibid.* Duo epiſcopi vitæ illius geſta & patrata prodigia adducere in examen juſſi, *ibid.* Inſtitutum a Joanne XXII. de Gregorii X. miraculis religioſum examen, 1326. XXXII. Excitatur idem Pontifex a Gallo Rege, duceque & clero Britannico, ut patrata B. Ivonis meritis miracula in religioſum examen adduci jubeat, 1330. LVIII. Pontificiæ ea de re literæ, *ibid.* Rogatus jam ante Clemens V. ut de iis inquiri juberet, *ibid.* Repetitæ apud Joannem ipſum eæ præces *ibid.* Quæ maturitas conſilii adhibita, *ibid.*

Cantabrigiana academia inſtituta a Joanne XXII. 1318. XXVI.

Captivorum redemptio; Jacobi Regis Aragonum in redimendis Chriſtianis pietas, 1321. XL.

Caput eccleſiæ unicum eſſe demonſtratur, 1321. XXXV.

Caraſanchor Chriſtianus princeps in Syria concitat Tartaros in Saracenos, 1313. IX.

Carbanda Tartarorum Rex in Saracenos ſuſcipit expeditionem, in qua decies centena millia equorum ducit, 1313. IX.

Carbonarii cruentus ludus Neapoli exhiberi ſolitus, 1327. L. Intentato anathemate prohibitus, *ibid.*

Cardinales poſt obitum Clementis V. Carpentoracti conclave ingrediuntur, 1314. XVI. Diſſidentes diuturnum interpontificium invexere, *ibid.* Conclave egreſſi, *ibid.* Magno eccleſiæ damno ad conclave non redeunt, 1315. I. Cardinalium Pontificem creare detrectantium pertinacia, 1316. I. Lugdunum Regis Francorum fratris opera conveniunt, *ibid.* Vaſconum Cardinalium ambitio diſſidii cauſa, *ibid.* Geminam Cardinalium factionem poteſtatem Pontificis eligendi in Jacobum epiſcopum Portuenſem contuliſſe, rem fabuloſam eſſe oſtenditur, *ibid.* III. Pileus cardinalitius non dandus niſi in curia Romana, *ibid.* XIX. Interdum gerentibus legationem mittitur, *ibid.* Joannis XXII. ea de re lit. *ibidem*. Cardinales ab eodem Joanne creati, *ibid.* XX. XXI. Quas virtutes ipſe in Cardinalibus deſideret, *ibid.* XXI. Nonnulli Crdinales a Joanne Papa abalienati, 1317. LI. Alii Card. ab ipſo creati, 1327. LV. Virtutes in Cardinalibus deſideratæ, *ibid* Alii Cardinales duo creati a Joanne ipſo, 1331. XXXIII. XXXIV. Philippus Francorum Rex Cardinalium collegium Gallis impleri optabat, *ibid.* XXXIII. Creatio Cardinalium in conſiſtorio tantum fit, *ibid.* XXXIV. Cardinales doctrinæ laude erant conſpicui Joannis tempore, *ibid.* Ex iis ſexdecim Galli, ſex Itali, unuſque Hiſpanus, *ibid.*

Carelii infideles Sueciam infeſtant, 1326. X. Magno Regi in eos ducturo exercitum dimidia ſexennalium decumarum pars attributa, *ibid.* Carolus Valeſiorum dux comeſque Andegavenſis a Nicolao Cardinale legato ſacrum crucis ſymbolum accipit, 1313. VI. A nepote Philippo V. abalienatus, 1317. VI. Ei reconciliatur, *ibid.* Aquitaniæ partem Anglis eripit, 1324. XXXVIII. Ejus mors, 1326. XXI. In extremo vitæ diſcrimine procuratæ Enguerrano necis illum pœnitet, *ibid.*

Carolus Rex Ungariæ in Tartaros & ſchiſmaticos ſacrum bellum parat, 1314. XIII. In Uroſium Regem Raſciæ ſchiſmaticum ſigna attollit, 1318. XXXV. Monitus Jaurienſe caſtrum epiſcopo reſtituere, *ibid.* XLII. Inſignem victoriam de Rege Raſciæ reportat, 1320. I. Solicitati ad conjungenda cum eo arma finitimi principes, *ibid.* Wladiſlai Regis Poloniæ filiam ſibi thoro jungit, *ibid.* IV. Jaderam illi eripiunt Veneti, *ibid.* XLV. Serviam percurrit victoriis, 1322. XV. Cum Rege Raſciæ fœdus jungit, ob Auſtriacorum cladem, *ibid.* Rogatur a Pontifice ut excindat hæreſim e Boſnia, 1325. XXVIII. Pugnat feliciter adverſus infideles, *ibid.* XXIX. Propoſitæ eum ſecuturis indulgentiæ, *ibid.* Inſectanti hæreticos in Dalmatia & Boſnia gratulatur illi Pontifex, 1327. XLVIII. Obtinet a Joanne Papa confirmationem ordinis Eremitarum S. Pauli, 1328. LXXXIII. Cruenti ſicarii manus vix evadit, 1331. XXV. Paulo ante de Tartaris triumpharat, *ibid.* Salerni paternum principatum a Roberto Rege patruo repetit, *ibid.* XXVI. Interpretem concordiæ Pontificem adhibet, *ibid.* Filios ſuos Roberti neptibus deſpondet, 1332. XIX. Rhutenos ſchiſmaticos bello appetit, 1332. XXVII. De indicto ad recuperandam Palæſtinam bello ſacro fit certior a Pontifice, 1333. XI. Patruum Siciliæ Regem adit, ac filium Andream in ſpem regni Joannæ deſpondet, *ibid.* XXVII. Ludovico primogenito Ungariæ ſceptrum reſervat, *ibid.* Poſcit a Pontifice, ut ab alio, quam a Strigonienſi archiepiſcopo corona redimiri poſſit, *ibid.*

Carolus Marchiæ comes, poſtea Rex Francorum accipit ſymbolum crucis una cum patre, fratribus, & patruis, 1313. VI. Abalienatur a fratre Philippo V. 1317. VI. Eidem conciliatur, *ibid.* Succedit in regnis Galliæ & Navarræ, 1322. XXII. Salubribus monitis inſtruitur a Pontifice, *ibid.* XXIV. *& ſeqq.* Sua officia Pontifici defert, *ibid.* XXVI. Urget ipſum, ut matrimonium cum Blancha adultera initum diſſolvat, *ibid.* XXVIII. Ob impedimentum canonicum, quod interceſſerat, obtinet, *ibid.* Mariam Regis Boemiæ ſororem ducit, *ibid.* XXIX. Solicitatur ad ſubmittenda Armeniæ auxilia, *ibid.* XXX. Mittit oratorem ad Pontificem pro paciſcendis in eam expeditionem ſubſidiis, *ibid.* XXXI. Prætermiſſo bello ſacro, implicat ſe Anglico, *ibid.* XXXII. Denuntiat Regi Angliæ, ut Aquitaniam Gallici juris fiduciariam coram ſe profiteatur, *ibid.* Oſtentata Armeniis ejus auxilia, 1323. X. Oratores ad Pontificem pro expeditione Aſiatica conficienda mittit, 1323. XLIII. XLIV. Quid reſponſum a Pontifice, *ibid.* XLV. In Eduardum Anglum, clientelarem ſponſionem ducatus Aquitanici ergo præſtare detrectantem, fert ſententiam, *ibid.* XLVI. Caput S. Martini pretioſiſſima theca includit, *ibid.* LXVII. Exauctorato a Joanne Ludovico Bavaro, affectat imperium, 1324. XXVI. 1325. I. Extincta conjuge Maria Lucemburgica, Germani ab eo averſi, *ibid.* Aquitaniæ partem, immiſſo Carolo Valeſio cum exercitu, ſibi ſubiicit, 1324. XXXVIII. Favet illi Pontifex in comparando imperio, 1325. I. Fit certior, ut Ludovicus & Fridericus inter ſe ſint partiti imperium, *ibid.* VI. Solicitatur ut ſtrenue ad illud iter ſibi muniat, *ibid.* Segniter rem agit, *ibid.* VII. Celebrandos cœtus curat apud Confluentiam pro eblandienda electione, *ibid.* Nonnulli Germani favere, ut ad vitam corriperet imperium, *ibid.* Boemo & Trevérenſi illi adverſantibus res disjecta, *ibid.* Fœdus paciſcitur cum Eduardo Rege Angliæ, *ibid.* XII. Ludovici comitis pulſi a Belgis clientelam accipit, *ibid.* XIV. Novas cum Anglo diſcordias exercet, *ibid.* XI. Suadet illi Pontifex



tifex ut partas bello in Aquitania terras nepoti Eduardo reſtituat, *ibid.* Indictæ pro eo & Eduardo conciliandis publicæ preces, *ibid.* XII. Iſabellam ſororem juvat ad Eduardum Regem deiiciendum, *ibid.* XVI. Adhibetur ab Andronico Imperatore interpres pro Græcis ad obſequium Romanæ eccleſiæ revocandis, *ibid.* XXVI. Ad id operam adhibet, *ibid.* Magico carmine confictis imaginibus ſtructæ ejus vitæ inſidiæ, 1327. XLIV. De clericis ejus facinoris auctoribus cognoſcendis demandatum munus nonnullis Cardinalibus, *ibid.* Moritur, 1328. LXVIII. In eo Philippi Pulchri proles deficit, *ibid.* Conſolatoriæ de morte Caroli literæ ad ejus uxorem, *ibid.* Poſthumam filiam reliquit, *ibid.* Sceptrum Gallicum non Eduardo Anglo nepoti ex ſorore, ſed Philippo Valeſio tranſmiſſum, *ibid.*

Carolus Philippi principis Tarentini filius cæſus in acie a Piſanis, 1315. I.

Carolus dux Calabriæ claſſe Trinacriam infeſtat, 1322. XIV. A S. Eleazaro pædagogo ad fugienda obſcœna verba inſtruitur, 1323. LXVIII. Idem Sanctus pro accerſenda Carolo uxore in Gallias legationem obit, *ibid.* Præficitur a Roberto patre expeditioni in Trinacriam, 1325. X. Præceptis informatur a Joanne XXII. *ibid.* Panormum & Meſſanam fruſtra tentat, *ibid.* XI. Gualterum ducem Athenarum Florentiam præmittit cum parte exercitus adverſus Gibellinos Etruriæ, 1326. III. Senas accedit & urbis imperium ad quinquennium accipit, *ibid.* Joannes Achajæ princeps illum in ea expeditione ſociat, *ibid.* propulſatus Luca Caroli exercitus, *ibid.* Nocuere Carolo cum Florentinis diſcordiæ, *ibid.* Structas ab hoſtibus inſidias feliciter effugit, *ibid.* XVIII. Nonnullas arces eripit Caſtrucio, 1327. XVI. Petente Romam Ludovico, in regnum Neapolitanum ſe confert, ut illi aditum intercludat, *ibid.* XXXVIII. Morbo oppreſſus moritur, 1328. LIX. Ejus corpus poſt plures annos corruptionis expers inventum, 1332. XIX.

Carolus princeps Moraviæ poſtea Imperator a patre Joanne Rege Boemiæ in Germaniam redituro Parmæ relinquitur, 1331. XIX. Oſtenſum illi divinitus, Guigonem Delphinum ob adulteria puniri, 1333. XXII. Inde a vitio ſibi temperat, templumque B. Virgini ponit, *ibid.*

Carolus Alenconii comes frater Philippi Regis Francorum Turcici belli dux creari a Joanne XXII. flagitat, 1333. XIII. Pontificis ad eum reſponſum, *ibid.* XIV.

Carolus IV. Rex Francorum; pontificiæ ad eum literæ hortatoriæ ad pacem cum Anglo ſanciendam, 1324. XXXVIII. §. Exultavit, 1326. XIII. §. Ad noſtram.

Caſimirus Rex Poloniæ patri Wladiſlao ſuccedit, 1333. XXX.

Caſinenſis epiſcopatus inſtitutus, 1319. XXXIII.

Caſtitas egregia S. Ludovici Toloſani, 1317. X. Solus cum muliere ſola non loquebatur, *ibid.* Caſtitatis votum non aſſentiente marito non acceptum Deo, *ibid.* XXVI. Inſignis caſtitas S. Thomæ epiſcopi Herefordenſis, 1320. XLVI. Et S. Thomæ Aquinatis, 1323. LXV. S. Eleazarus comes cum Dalphina uxore virginitatem colit, *ibid.* LXVIII. Egregium caſtitatis exemplum ab archiepiſcopo Moguntino editum, 1329. LXXIII.

Caſtrenſis epiſcopatus conditus a Joanne XXII. 1317. XII.

Caſtrucius Lucenſium prætor Guelfos bello fatigat, 1320. XVI. Florentinos fundit, fugatque, 1321. XXIV. Florentinos bello vexat, 1323. XXV. Creatus a Ludovico Bavaro in Etruria cæſareus legatus, 1325. IX. Pontificis gratiam exambit, 1326. II. Jubetur admitti, niſi aſtu id fiat, *ibid.* Ea arte tempus redimit, ſociaſque vires expectat, *ibid.* III. Caroli ducis Calabriæ copias Lucenſi agro propulſat, *ibid.* Piſanum caſtrum adoritur, ac propulſatur, 1327. II. Recuperato Piſtorio, potituſque Piſis ex culmine felicitatis ſperatæ agitur præceps in ſepulcrum, 1328. LIII. Deluſa contrario exitu illius jacentia, *ibid.*

Catalana ſocietas plura egregie gerit in Turcas, 1314. VIII. Arma avertit in Græcos, *ibid.* A Græcis muneribus delinita in Athenarum ducatum irruit, ſubigitque, *ibid.* Illius imperium Friderico Regi addicit, *ibid.* Juſſa inde abduci a Rege Aragonum, *ibid.* Ejus ſcelera expoſita a Clemente V. *ibid.* IX. Defixa anathemate, *ibid.* X. Atrocia ejus ſcelera, 1322. XLIX.

Catalanus Fabri Minorita cæſus ab hæreticis, 1321. XVII. Fulget miraculis, *ibid.*

Cayton Tartarorum inſignis civitas; in ea cathedralis ſedes inſtituta, 1326. XXXI.

Cenſuræ eccleſiaſticæ; Henricus Imp. dum eas ſpernit, divinitus oppreſſus, 1313. XXIV. Franciſcus Dandulus orator Venetus pro impetranda earum expiatione, injecta collo cathena, ad Clementis V. pedes magna cum Chriſtianæ demiſſionis laude ſe abiicit, 1313. XXXIII. Decertum concilii Toletani contra clericos cenſuras ſpernentes, 1317. XL.

Cerabi Sypontinus ſatrapa Genuenſes piratas Chriſtianos barbaroſque æque ſpoliantes ſpoliat officii ſpecie, 1323. XIII.

Cerſonenſis epiſcopatus in Gochia a Joanne XXII. conditus, 1333. XXXVII.

Chaldaica lingua una cum Græca, Hebraica & Arabica in ſcholis docenda, 1326. XXIX.

Charitas; charitatis in patriam inſigne exemplum in Franciſco Dandulo pro impetranda ſuis venia, 1313. XXXIII. Charitas eſt apex perfectionis, 1328. XXXIV. XXXV.

Chriſma; pro extrema unctione chriſma conficitur ab Armeniis ſacerdotibus, 1318. IX. Ab epiſcopo tantum ſacrandum, *ibid.* 1321. VII. XI.

Chriſtophorus Rex Daniæ ſceptrum capeſſit, 1320. VI. Coronationis pompam ad Elgeri archiepiſcopi Lundenſis adventum differre cogitur, *ibid.* In gratiam eccleſiæ reſtituitur, *ibid.* VII. Pontificiam opem adverſus Henricum Magnopolenſem ducem, contra fas Roſtochium detinentem implorat, 1323. XXII. Monetur a Pontifice, ne Ludovico Bavaro adhæreat, 1324. XVIII. Jungit affinitatem cum Ludovico, *ibid.* Solicitat Cardinales, ut Ludovicus in gratiam admittatur, *ibid.* Burdegalenſem epiſcopum intercipit, indeque percuſſa interdicto ex Lundenſis concilii decreto Dania, 1331. XL. Regno pellitur, magnoſque ad illud recuperandum labores ſubit, *ibid.* Hallandia, Schoningia, & Blechingia a Danico divulſæ regno, & Suedico adjectæ, *ibid.*

Chriſtus; Chriſti militia in Luſitania condita, 1317. XL. 1319. XXIX. Arnaldi e Villanova Chriſti humanitati omnipotentiam divinam, & infinitam divinitatis ſcientiam tribuentis hæreſes damnatæ Terraconæ, 1321. LXII. Chriſtus habuit proprium, 1322. LVI. Habuit verum jus civile, *ibid.* LVIII. Non tantum ob imperfectos, ſed etiam ob perfectos loculos habuit, *ibid.* LXIII. An jus & dominium rerum, quibus utebatur, habuerit, 1323. XVIII. Argumenta adverſariorum, contendentium non habuiſſe, *ibid.* Concluditur jus habuiſſe, in quantum homo, *ibid.* XLI. De infuſo illi omnium rerum

rum conditarum dominio in ipſo conceptionis inſtanti, *ibid.* Petitur illud titulo paternæ donationis, *ibid.* De titulo dignitatis, *ibid.* XLII. De titulo in quantum eſt caput hominum, *ibid.* XLIV. De alio ſumpto ex poteſtate judiciaria omnium hominum, *ibid.* XLVI. Ut aliis modis jus acquiſierit, *ibid.* XLVII. Quomodo habuerit loculos propter infirmitatem, *ibid.* XLVIII. Explicatur quomodo condeſcenderit infirmis, habendo loculos, *ibid.* Oſtenditur, non uſum jure & dominio ſuo, niſi in paucis, *ibid.* XLIX. Reſpondetur objectionibus adverſariorum, *ibid.* LIV. Quomodo Chriſtus Joanne Baptiſta pauperior fuerit, *ibid.* LVI. Damnantur hæreſeos aſſerentes pertinaciter, Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe jus in rebus, quibus utebantur, *ibid.* LXI. 1324. XXXII. 1327. XX. Ob eam hæreſim damnatur Ludovicus, 1327. XXI. & *ſeq.* Idem Chriſtum meſſiam non fuiſſe inepte concludit, ſi jus rerum, quibus uſus eſt, habuerit, *ibid.* XIX. Contendit Marſilius hæreſiarcha, illum ex neceſſitate Cæſari tributum penſitaſſe, *ibid.* XXIX. Blaſphemat Marſilius, Pilatum fuiſſe judicem Chriſti ordinarium, *ibid.* XXXI. Refellitur, *ibid.* Clerum temporalia habere non poſſe Chriſti exemplo, *ibid.* XXXVII. In Chriſto duas perſonas aſtruunt Neſtoriani, 1326. XXVI. Eundem tantum filium adoptivum per inhabitantem gratiam ajunt, *ibid.* In eo Jacobitæ duas naturas negant, *ibid.* In hos cenſura fidei exerceri juſſa a Pontifice, *ibid.* Franciſcus Aſculanus magus effutit, Chriſtum certo aſtrorum influxu natum inopem, & in crucem actum, 1326. XLVI. Objectio Ludovici Bavari, quod Chriſtus non fuiſſet perfectiſſimus viatorum ſi jus rerum habuiſſet, refellitur, 1328. XXXV. Chriſtus jus rerum temporalium habuit, 1329. LV. Regnum ſuum de mundo non habuit, ſed a Deo, *ibid.* Habuit in quantum homo, *ibid.* Non Iſraelitarum modo, ſed omnium dominus fuit, *ibid.* LVI. Multiplices modi, quibus habuit, *ibid.* Omnium dominium habuit, ſed paucorum quantum ad uſum, *ibid.* Figmentum eſt, Chriſtum renuntiaſſe dominio rerum, quas habuit, *ibid.* Danielis de Chriſti regno teſtimonium, *ibid.* Chriſtus non carentia dominii pauper fuit, ſed quia dominio non eſt uſus, *ibid.* LVII. Confirmatur exemplo, *ibid.* Unus ſimplicis facti rerum abſque jure aliquo in Chriſto damnatus hæreſeos, 1331. I. Huic errori addidere pſeudominoritæ Marſilii & Janduni hæreſes, *ibid.* II. Quis ſenſus ſit Apoſtoli dicentis: *Mihi vivere Chriſtus eſt & mori lucrum*, 1333. LXI. Animæ ſeparatæ vident intuitive Chriſti humanitatem glorificatam, *ibid.* An adoranda *ibid.* Si ſeparetur mente a Verbo Chriſti humanitas cultu latriæ non eſt adoranda, *ibid.* LXII. Si conjuncta Verbo ſuſpiciatur conjunctim adoratur, *ibid.* Relative tantum ad Verbum cultu latriæ adoratur, *ibid.* LXIII. Ut angelis minor ſit & major, *ibid.* Quo ſenſu ſit vita æterna videre Chriſtum, *ibid.* LXIV. An angeli deſiderent proſpicere humanitatem Chriſti, *ibid.* Concluditur affirmative, *ibid.* LXV. Plura lumina ab ea accipiunt, *ibid.* Et gratias, *ibid.* LXVII. *Vide*, Angeli. De illius excellentia dignitatis, *ibid.* Omnia ſubjecta humanitati Chriſti, *ibid.* Quam claritatem poſt reſurrectionem humanitas ſit adepta, *ibid.* LXVIII.

B. Clara e Monteſalcone miraculis conſpicua, 1327. LV. Cognoſcendi de iis data poteſtas a Joanne XXII. *ibid.*

Clareni; eorum congregatio Minoritis a Pio V. adjuncta, 1331. VII.

Clarenus. *Vide*, Angelus Clarenus.

Clavium poteſtas; error circa eam, quemlibet a quolibet ſacerdote abſolvi poſſe, damnatus, 1321. XXV.

Clemens V. Cardinalem legatum ad crucis ſymbolum militiam ſacram profeſſuris Regibus exhibendum mittit, 1313. I. Haſtiludia pœnis objectis vetat, *ibid.* VII. VIII. In perduelles Anglos animadvertit, *ibid.* VIII. Genuenſes Cyprum invadere vetat, *ibid.* X. Reſcindit cæſaream in Robertum Regem ſententiam ex ſuprema in imperium auctoritate, *ibid.* XVI. Iniquam multis capitibus arguit, *ibid.* XVII. XVIII. XIX. Rogatur a Gallo Rege, ut Henricum a Siciliæ oppugnatione avertat, *ibid.* XX. Conſtituit tres Cardinales ad eum mittere, *ibid.* XXI. Anathema Robertum opugnaturis intentat, *ibid.* XXI. Cavillo eludentes pontificia reſcripta defigit cenſuris, *ibid.* XXIII. Declarat imperatores Pontificibus fidei ſacramento obſtringi, *ibid.* XXVIII. Jacobo Regi pro comparanda Sardinia biennales decumas attribuit, *ibid.* XXX. Venetos in eccleſiæ gratiam reſtituit, *ibid.* XXXI. Diſſolvit incuſſas iis cenſuras, *ibid.* XXXIII. & *ſeq.* Privilegia, quibus Ferrariæ fruebantur, potitis rerum Ateſtinis confirmata iiſdem Venetis, *ibid.* XXXVI. Vacuo imperiali ſolio jus regale epiſc. Leodienſi confert, *ibid.* XXXVII. Doctorum Salamanticenſis academiæ ſtipendia auget, *ibid.* Balearica Templariorum bona abdicit Hoſpitalariis, *ibid.* Commendat Philippum Regem a Templariorum opibus ſibi temperaſſe, *ibidem.* Cæleſtinum V. ſanctorum catalogo apponit, *ibid.* XL. Creat Robertum Regem Siciliæ in Inſubria & Etruria vicarium imperii, 1314. II. Hortatur illum ad juſtitiam adminiſtrandam, *ibid.* Dat imperia Inſubriæ Etruriæque proceribus, ut eum excipiant, *ibid.* V. Theſarum Italicum a Gibellinis direptum amittit, *ibid.* VI. Ejus nepos Raimundus Aſpellus cæſus, ipſiuſque theſaurus expilatus, *ibid.* Jacobum Regem Aragonum Catalanos ex Attica revocare jubet, *ibid.* VIII. Catalanam ſocietatem defigit anathemate, *ibid.* X. Præmia indulgentiarum contra ſchiſmaticos & Tartaros pugnaturis proponit, *ibid.* XIII. Promulgat in ſacro ſenatu conſtitutiones in concilio Vienneſi editas, *ibid.* XIV. Moritur apud Roccham Mauram, *ibid.* Sepelitur Uzeſtæ *ibid.* Ejus corpus poſtea exuſtum ab hæreticis, *ibid.* Calumniæ illi aſperſæ confutantur, *ibid.* XV. Poſt ejus mortem ſecutum diuturnum interpontificium, *ibid.*

Clementia; clementiæ commendatio, 1317. VI. Joannis XXII. in Petrum Corbariam clementia, 1330. XX. B. Philippus archiepiſcopus Bituricenſis non prius e pedibus Innocentii III. aſſurgit, quam veniam Emulo impetraſſet, 1323. L.

Clementia Regis Ungariæ ſoror nupta Regi Ludovico Francorum, 1315. II. Cum viro diademate redimita, *ibid.* Prægnans viduata relinquitur, 1316. XI. Joannem filium Regem brevis ævi parit, *ibid.* XIII. Erigitur a Pontifice ad Chriſtianam conſtantiam, *ibid.* XIV. Et ejus cauſa adverſus Philippum Longum ſuſcipitur, *ibid.* A procerum conjuratorum fœdere abſtinere juſſa, *ibid.* Eidem, recepta dote, conciliata, *ibid.* VII.

Clementinæ in ſenatu ſacro promulgatæ, 1314. XIV. Et a Joanne XXII. 1317. XV.

Clerici facinoroſi a forenſi ſatellitio, ne elabantur, comprehendi permiſſi, 1317. XIII. Clerici judices pœnam ſanguinis infligentes prærogativa clericali exuti, *ibid.* XIV. Itidem mercatoriam exercentes, *ibid.* Clericorum arma ſunt lacrymæ, *ibid.* Ob ea geſtata correptus epiſcopus Baſilienſis, *ibid.* Ut clerici, cenſus eccleſiaſticos poſſidentes, ſe Chriſtum nudum nudos ſequi dici poſſint, 1322. LIX. Et nihil præter Chriſtum habere, *ibid.*



Clerum temporalia habere non poſſe, fingit Marſilius Patavinus, 1327. XXXVII. In eo veterem hæreſim inſtaurat, *ibid.* Refellitur, *ibid.*

Cœleſtinus V. ſanctorum catalogo appoſitus a Clemente V. 1313. XL. Feſtus ejus dies inſtitutus, *ibid.* De illius vitæ auſteritate admirabili, *ibid.* Rigidiſſimis jejuniis, *ibid.* Continuo in fundendis Deo precibus ſtudio, *ibid.* XLI. Labore manuum, *ibid.* Morum ſuavitate, factiſque animarum converſionibus, *ibid.* Sodalitio inſtituto, *ibid.* Vocatione ad pontificatum, *ibid.* Servata in eo priſtina vitæ forma, *ibid.* Abdicato papali faſtigio, *ibid.* Ut ad cœleſtium rerum tractationem ad obitum uſque incubuerit, *ibid.* Ejus eccleſiam adituris indulgentiæ propoſitæ, *ibid.* XLII. Cœleſtini V. pauperes eremitæ, dum a Bonifacio VIII. & Joanne XXII. aliiſque Pontificibus damnati fuere veri eremitæ & veri religioſi eſſe non potuerunt, 1331. VI. VII.

Comaclum ab Ateſtinis ereptum eccleſiæ, 1324. XXIV.

Commercium cum Ægyptiis vetitum a Pontificibus contendit licitum Rizardus Cremonenſis, 1326. XXIV. Damnatur hæreſeos, *ibid.* *Vide*, Saraceni.

Complutenſe concilium, 1326. XX. Quæ in eo decreta, *ibid.*

Compoſtella juris archiepiſcopalis eſt, 1319. XXVIII.

Compoſtellanæ eccleſiæ jurium violator Alfonſus triſti mortis genere perit, 1321. XLI. Motus inde religione Philippus princeps illius eccleſiæ jura reſtituit, *ibid.*

Concilium; œcumenicum concilium pollicetur, Joannes XXII. Georgianis ſe celebraturum pro redintegranda eccleſiarum conjunctione, 1331. X. Concilium œcumenicum Romanum Pontificem judicare non poteſt, 1323. XXX. Is non habet a concilio auctoritatem, *ibid.* XXXI. Impia Michaelis Cæſenatis ad concilium provocatio in Pontificem, *ibid.* LXV.

Concilium Bononienſe, 1317. LV. Præcipua illius ſtatuta, *ibid.*

Concilium Valliſoletanum, 1322. XVIII. Ejus ſtatuta, *ibid.*

Concilium Complutenſe, 1326. XX. Quæ in eo decreta ſint, *ibid.*

Concilium Toletanum, 1326. XXI. 1327. XL.

Conclave ingrediuntur Carpentoracti Cardinales, 1314. XVI. 1316. VII. Inde, non deſignato novo Pontifice, egrediuntur, *ibid.* Magno eccleſiæ damno ad conclave non redeunt, 1315. I. De Lugdunenſi conclavi, 1315. VIII.

Condojenſis epiſcopatus inſtitutus a Joanne XXII. 1317. XII.

Confeſſio. *Vide*, Pœnitentiæ ſacramentum.

Confirmationis ſacramentum ab Armeniis ſacerdotibus confertur, 1318. IX. Docentur ab epiſcopis tantum conferendum, *ibid.* XI. 1321. VI. XI. A Sacerdote juſſu Pontificis poteſt conferri, 1318. IX.

Conjugalis amor; exemplum ejus inſigne in S. Eliſabetha Regina Luſitaniæ, 1322. XVI.

Conſiliarii; ſapientiſſimos in conſilium ſibi aſciſcere debent principes, 1317. XXV. XLVI.

Conſolari; Clementiam Francorum Reginam, ex morte filii Regis dolore confectam, ad chriſtianam conſtantiam erigit Joannes XXII. 1316. XIV. S. Eliſabetham Reginam Luſitaniæ de viri morte ſolatur, 1325. XV. Robertum Siciliæ Regem, filii unici morte conſternatum, ad conſtantiam excitat, 1328. LIX. Et Sanciam Reginam, *ibid.* Et Joannam Francorum Reginam viri Regis morte afflictam, *ibid.* LXVIII. Et Davidem Scotorum Regem in Roberti patris morte, 1329. LXXXII.

Conſtantinopolitanus patriarcha a Joanne XXII. ſolicitatur ad abolendum ſchiſma, 1333. XVIII. Miſſi ad eum legati, *ibid.*

Conſtantinopolitanum imperium. *Vide*, Græci.

Conſtantinus magnus Imperator inconveniens ait, ubi principatus ſacerdotum & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cœleſti inſtitutum fuerat, videlicet Romæ, illic Imperator terrenus haberet poteſtatem, 1327. XXXI.

Conſtantinus Andronici ſenioris filius natu ſecundus dum in hunc Andronicus, prætermiſſo nepote, imperium parat transfundere, civili bello laniatur Græcia, 1321. XV.

Conſtantinus patriarcha Armeniorum ſolicitatus ad jungendam cum archiepiſcopo Soltanienſi pro inferioris Armeniæ convertendis populis operam, 1323. VII.

Conſtitutiones diſcrepantes pro temporum ratione eduntur, 1321. XXVII. Contenta in conſtitutionibus papalibus non ſunt fidei decreta, niſi illa de fide eſſe decernantur, 1324. XXXII. Conſtitutioni: Exiit, Joannes non adverſatur, ſed obſcurum illius ſenſum diſtinguit, *ibid.* XXXIII. Conciliorum generalium anteceſſorum Pontificum conſtitutiones, quæ non ſunt decreta fidei, poſſunt a Pontifice revocari 1331. XVII. *Vide*, Clemens V. & Joannes XXII.

Conſumptibilia uſu; uſus rerum conſumptibilium, quomodo uſurpandus a religioſis, 1324. XXXV. In iis juſtus uſus a dominio non ſeparari demonſtratur, 1323. LIII. 1324. XXXV. 1329. XXIII. Contendit ſtulte Michael Cæſenas, contrarium ad fidem ſpectare, *ibid.* Refellitur, *ibid.* & *ſeqq.* Nicolaus Papa in extravag. *Exiit*, non eſt locutus de conſumptibilibus uſu, *ibid.* XXXIX.

Contemptus rerum terrenarum; S. Ludovicus Toloſanus epiſcopus regno Siculo renunciavit, 1317. XI. Ad illum excitatus Francorum Rex a Joanne XXII. 1319. XV. *Vide*, Vanitas rerum.

Corſi a Joanne XXII. ſaluberrimis præceptis ad Chriſtianam vitam ducendam informati, 1331. XXXVIII.

Cortonenſis epiſcopatus inſtitutus a Joanne XXII. 1325. XXXII.

Corum Rex ad fidem Chriſti invitatus a Joanne XXII. 1333. XXXV.

Cracovienſis epiſcopus coronandi Reges Poloniæ jus nanciſcitur, 1320. IV.

Cremona a Scaligero occupata, 1318. XLII.

Cruceata, ſeu Cruceſignata expeditio indicta quoque in Saracenos Aſiaticos pro terra ſancta &c. 1323. I. & *ſeq.* Tres Reges crucis ſymbolum accipiunt, *ibid.* Indicta in Hiſpaniis in Mauros Granatenſes, 1317. XXXVIII. In novam ſuperſtitionem in Italia exortam, 1321. XXXVIII. In Vicecomites, 1322. VII. 1323. XXV. 1324. XI. In Ateſtinos, 1324. XIX. In Ludovicum Bavarum, 1328. IV. & *ſeq.* In Mauros Granatenſes, *ibid.* LXXV. 1330. XLIV. & *ſeq.* In Græcos ſchiſmaticos, 1330. LIV. In Mahometanos ad liberandam ex eorum manibus Palæſtinam, 1331. XXX. 1332. I. & *ſeqq.*

Cruciferi Gedenninum Regem Lithuaniæ & Ruſſiæ ad fidem adducunt, 1323. XIX. Cum eo paciſcuntur fœdus, *ibid.* & *ſeq.* Ob vaſta-

ſtatum marchionatum Brandeburgenſem in jus vocati, 1328. XLI. Cum Polonis fœdus ineunt, 1332. XXVII.

Crux; Carolus Roberti Belgii comitis filius crucem humero impreſſam ferens natus, 1322. XXI.

Curatus. *Vide*, Parochus.

Cyprus; ſoldanus Babylonius Cypro ſubiiciendæ inhiat, 1322. XXXV. 1323. XI. Infeſta Cyprus Neſtorianis, duas in Chriſto perſonas eſſe contendentibus, Jacobitis unicam naturam in eo affirmantibus, Græis infernum & purgatorium negantibus, 1326. XXVIII. In hos juſſa a Pontifice intendi actio judiciaria, *ibidem*.

## D

DÆmones; includi in ſpeculis, in phialis, in annulis ut conſulatur, aſſentitur dæmon, 1317. LIII. Perſuadent ſuis cultoribus dæmones, ſe una cum ipſis aliquando ſalvatum iri, 1318. XLIV. Injuriam inique paſſos, *ibid.* Dianæ ſpecie magis illudunt, 1318. LVII. Ut dæmonum cultus invaluerit, *ibid.* Ut dæmoni addictus Matthæus Vicecomes, 1321. VII. Quæſierat illius reſponſa, *ibid.* Nonnulli a dæmone in idololatriam abducti, *ibid.* XXXVIII. Funeſtus exitus Friderici comitis Montisferetri oraculis dæmonum addicti, 1322. II. Acerrime S. Eleazarum in agone mortis tentat dæmon ac vincitur, 1323. LII. Leopoldo duci Auſtriæ horrida forma ſeſe obiiciens, illum in phrænesim coniicit, e qua dux perit, 1326. VII. A magis ſe adorandum curat, 1327. XLV. Dæmones in ſpheris cœleſtibus gigni, qui ad opera admiranda cogi poſſint, docet Franciſcus Aſculanus magus, *ibid.* XLVI. Edmundus dux Cantii fidem adhibens dæmoni ſibi ſupplicium parit, 1330. L. Fallacia dæmonis reſponſa, triſteſque conſulentium exitus, *ibid.*

Dalphina cum viro S. Eleazaro virginitatem colit, 1323. LI.

Damordas Rex Tartarorum Armeniam triginta equitum millibus atterit, 1322. XXXIII. Promiſſum illi a Saracenis infame Mahometis nomen, ſi Chriſtianos excinderet, *ibid.*

Dantes Aligerius; ejus obitus, 1321. XLVIII. Ipſius ſcripta de monarchia confutantur, *ibid.*

David Roberti Regis Scotiæ filius ducta in uxorem ſorore Eduardi III. pacem Scotiæ reſtituit, 1328. LXXII. Succedit parenti in regno, 1329. LXXXII. Solatur mœrentem Pontifex, & conſiliis inſtruit, *ibid.* S. Andreæ eccleſiam vexat, 1330. L. A Baliolo petitur bello, 1333. XXIII. Et ab Eduardo Angliæ Rege, *ibid.* Profligatur ad Warvicum, *ibid.* In fugam vertitur, *ibid.*

Defenſor erroris magis peccat quam errans, 1322. LIX. §. Evangelium.

Denarius S. Petri in Suetia colligi juſſus, 1317. XLIX. Henricus dux Haleciæ regnique Poloniæ heres ſe fratreſque ſuos illum perſoluturos ſpondet, 1324. LIII.

Denarius S. Petri colligitur in Anglia, 1317. XLIX. Et in Wallia, *ibid.* Et in Hibernia, *ibid.* Et in Suetia, *ibid.* Et in Polonia, *ibid.* A Scotis exactus, 1329. LXXXII. *Vide*, S. Petri denarius.

Deus ut principium & finis adorandus, 1333. LXIV.

Diabolus. *Vide*, Lucifer. Dæmones.

Dianæ dæmones ſuccubi, 1317. LIII. 1318. LVII.

Dionyſius Rex Luſitaniæ nimio in ſpurium ſtudio filium e S. Eliſabetha uxore progenitum in ſe provocat, 1317. XLI. Perduelles cenſuris percuti obtinet, *ibid.* Monetur, ut crimina fletu deleat, *ibid.* Accuſat epiſcopum Uliſſiponenſem ſeruiſſe diſcordiam in regia familia, 1318. XXXIX. Rogata a Pontifice S. Eliſabetha, ut virum filio conciliet, *ibid.* Donatur Dionyſius a Pontifice ſanctorum reliquiis, *ibid.* XL. Mutuis muneribus Pontificem afficit, *ibid.* Attributæ illi decumæ ad arcendos Afros, 1320. XXXII. Alfonſus filius in eum conjurat, *ibid.* Eam diſcordiam ſopire Joannes nititur, *ibidem*, XXXIII. Monetur, ne ſpurium tam effuſo ſtudio proſequatur, 1321. XVI. Archiepiſcopi Compoſtellani nuntii pontifici opera conciliatur filio, *ibid.* Cenſuras contrahit ob necatos inopia nonnullos clericos, 1323. XXXVII. Earum nexu ſolvitur, *ibid.* Moritur, 1325. XV. Alfonſo filio regnum relinquit, *ibid.* Ad S. Elizabetham ejus conjugem de ipſius morte conſolatoriæ Pontificis literæ, *ibid.*

Dominica dies; judicia & tonſoria ars die dominica exerceri vetita, 1317. IV.

Dominicani. *Vide*, Prædicatorum ordo.

Dominicus Minorita martyrio affectus apud Tartaros, 1333. XLIV.

Dominium; rerum dominium a Joanne XXII. reſtitutum Minoritis, 1322. LXIX. Dominium minus late patet, quam jus, 1323. XL. Non diſtinguitur dominium ab uſu in rebus uſu conſumptibilibus, 1329. XXIII. *& ſeq.* Contrarium ad fidem ſpectare contendit Michael Cæſenas, *ibid.* Refellitur, *ibid.* XXIV. *& ſeq.* Domini veri veſtium ſuarum fuere Apoſtoli, 1329. XXX. Primos parentes non ſimplicem uſum facti, ſed dominium rerum habuiſſe, oſtenditur, *ibidem*, XXXVII. Si non proprium, ſaltem commune, *ibid.* XXXVIII. Dominium rerum quibus utebantur habuere Apoſtoli, *ibid.* XLIX. Quale ſit dominium Pontificis circa res Minoritarum, *ibid.* L. Ob illud Pontificis dominium non ſunt pauperiores, *ibid.* Dominium Chriſti in rebus temporalibus quale fuit, *ibid.* LV. Figmentum eſt, Chriſtum renuntiaſſe dominio rerum, quas habuit, *ibid.* LVI. An Apoſtoli aliquod rerum dominium habuerint, *ibid.* LVIII.

Donatus Auguſtinianus pſeudoepiſcopus Piſtorii interceptus, 1328. XLVIII.

Drepanum a Roberto Rege fruſtra obſeſſum, 1314. VII.

Dubia; in conſtitutionibus papalibus oborta dubia non a religioſis licet doctrina florentiſſimis, ſed a Romano Pontifice dirimenda, 1324. XXXIII.

Duellum. *Vide*, Singularis pugna.

Dulia quid ſit, quid hyperdulia, quid latria, 1333. LXII.

Durandus epiſcopus Meldenſis in controverſia de viſione beatifica pro parte vera affirmante, ſanctos ante judicium ea potiri, commentarium ſcribit, 1333. XLIX. Objectum illi eſt, nonnullos errores in ipſius commentario ſparſos, *ibid.* LVIII. Qui fuerint ii, *ibid.* Diſcuſſi illi ſunt a theologis, Pontificis juſſu, *ibid.* LIX.

## E

ECcleſia; placere Chriſto non poteſt, qui ejus ſponſam eccleſiam lædit, 1318. XXVIII. Duas fingunt eccleſias Lollardi, *ibid.* XLV. XLVI. Demonſtratur unicam eccleſiam eſſe, cujus unicum caput eſt, 1318. XLVI. Ejus integritas ob fidei puritatem, *ibid.* In ipſa



ipſa ſancti & peccatores continentur, *ibid.* Non illi officiunt divitiæ, quibus ut Dei creaturis utitur, *ibid.* Unicam eſſe eccleſiam & unicum illius caput figuris illuſtratur, 1321. VIII. Ex cœleſti hierarchia ſumptum exemplum, *ibid.* Eccleſia unica Chriſti ſponſa in Adamo & Eva adumbrata, *ibid.* In arca Noe expreſſa, *ibid.* Argumenta ex evangelio petita, *ibid.* IX. Unicum ovile & unus paſtor, *ibid.* Oſtenditur unicum eſſe caput eccleſiæ, *ibid.* XXXV. Servia ab Oroſio ad eccleſiæ obſequium adducitur, 1323. XIV. *& ſeq.* Lithuania & Ruſſia a Gedennino, *ibid.* XIX. Blaſphemiæ Petri Joannis & Waldenſium in eccleſiam, 1325. XXIII. XXIV. Refelluntur, 1325. XXIV. Illius hierarchiam evertere nititur Marſilius hæreſiarcha ad Ludovici Bavari gratiam, 1327. XXVII. Refellitur & damnatur, *ibid. & ſeq.* Ejus error, neminem ab eccleſia puniri cogive poſſe, confutatur, 1327. XXXIII. Oppugnatur eccleſia variis impietatum telis, *ibid.*

Eccleſiæ bona; proventus eccleſiaſticos, reſervata ſacerdoti parte in uſus neceſſarios idonea, in pauperes partiendi exemplum in S. Ludovico epiſcopo Toloſano, 1317. XI. Divinæ ultionis exemplum in ſacrilegum militem qui in monaſterio prædas agere cœpit, 1321. XLIII. *Vide*, Templa & Eccleſiæ perſecutores. Falſo inferebant Marſilius & Jandunus, res eccleſiaſticas ad Cæſarem ſpectare, 1337. XXIX.

Eccleſiæ immunitas ſeu libertas; ſynodi Complutenſis decretum de tuendo jure eccleſiaſtico, 1326. XX. In Galliis Petrus Cunerius jus eccleſiæ oppugnat, 1329. LXXV. *& ſeq.* Ipſum confutat Bertrandus tum epiſcopus poſtea Card. *ibid.* LXXVII. Gladii utriuſque poteſtatem ſitam penes eccleſiam oſtenſum, *ibid.* Reſponſum objectionibus, *ibid.* Inuſta Cunerio infamia, *ibid.* Lata a Philippo Rege pro jure eccleſiaſtico ſententia, *ibid.* Actæ ideo a Pontifice ei gratiæ, *ibid.* LXXVIII.

Eccleſiæ juriſdictio. *Vide*, Juriſdictio eccleſiaſtica.

Eccleſia Romana. *Vide*, Romana eccleſia.

Eccleſiæ Præſules. *Vide*, Præſules.

Eccleſiaſtici; ut clerici facinoroſi certis in caſibus a ſæcularis fori ſatellitio capiendi, 1317. XIII. Qui exuendi clericalibus privilegiis, *ibid.* XIV. Negavit Marſilius hæreſiarcha clerum temporalia habere poſſe, 1327. XXXVII. Exploditur ea hæreſis, *ibid.*

Echardus. *Vide*, Ekardus.

Edmundus Cantii comes Regis Eduardi frater Aquitaniam adverſus Carolum Veleſium propugnat, 1324. XXXVIII. A nepote Eduardo Rege damnatus capitali ſententia, 1330. L. Stulte fide dæmoni adhibita ſupplicium ſibi peperit, *ibid.*

Eduardus II. Rex Angliæ cum ſocero Rege Francorum ſymbolum crucis a legato Cardin. accipit, 1313. VI. Scotiam recuperare molitus maxima clade profligatur, 1314. XXVII. S. Albani martyris veſtem adhuc vivido cruore purpuratam reperit, ac veneratur, *ibid.* Oratores ad Joannem XXII. clientelarem ſponſionem exhibituros mittit, 1316. XXIV. Illius ea de re literæ, *ibid.* De non ſoluto a patre vel a ſe ſub regni exordio cenſu veniam deprecatur, *ibid.* XXV. De eo ſolvendo ſtatis temporibus paciſcitur, *ibid.* Oratorum ejuſdem literæ, *ibid.* Illum Pontifex adverſus Robertum Bruſium tuendum ſuſcipit, 1317. XLII. Hiberni rebellionis cauſam in ejus tyrannidem derivant, *ibid.* XLIII. Urgetur gravi bello, *ibid.* XLV. Thomas Lancaſtriæ comes cum ipſo graves inimicitias exercet, *ibid.* Propoſita illi a Joanne XXII. præcepta optima, *ibid.* XLV. XLVI. Monetur, ut clientelarem ſponſionem Cardinalibus legatis exhibeat, *ibid.* XLVII. Majorum promiſſa non eſſe violanda, *ibid.* XLVIII. Nonnullis a Pontifice beneficiis ornatur, *ibid.* XLIX. Ingenti victoria Eduardum fratrem Roberti Bruſii proſternit in Hibernia, 1318. XXVII. Gratulatur illi Pontifex, *ibid.*

Eduardus II. Rex Angliæ monetur, ne jura Romanæ eccleſiæ labefactet, 1318. XXVIII. Præſefert ingens deſiderium Aſiaticæ expeditionis conficiendæ, 1319. XIX. Monetur, inteſtina bella prius ſopienda, *ibid.* Conſulit Pontificem, an quodam balſamo cœlitus dato, ut quorundam ſermone ferebatur, inungendus foret, *ibid.* XX. Reſponſum a Pontifice, de re ſibi non conſtare, permittitque, ut clam pro ejus arbitrio inunctio fiat, *ibid.* Solicitatur ad ſectandas virtutes, *ibid.* Male rem bellicam gerit, 1319. XXI. Negat cum eo fœdus paciſci Robertus Bruſius, niſi regio nomine conſervetur, *ibid.* Warvicum amittit Eduardus, *ibid.* XXIII. Ob imprudentiam ipſius diſſoluta Warvicenſis obſidio, *ibid.* Inducias init cum Roberto, *ibid.* Difficili ab eodem Roberto Scoto bello exercetur, 1320. XXXVI. Monetur ex regio nomine compellato Roberto ipſius juri non detrahi, *ibid.* XLI. Inducias cum Roberto paciſcitur, *ibid.* XLII. Mille marcharum cenſum Angliæ & Hiberniæ vectigalis nomine pendit Joanni Papæ, *ibid.* Facta in eum a proceribus conjuratio, 1321. XLIII. Spenſerios mulctare exilio ex fœdere cogitur, *ibid.* Conjuratos proceres profligat, 1322. Gratulatoriæ ad eum Pontificis literæ, *ibid.* Fœdat crudelitate victoriam, *ibid.* Movet in Scotiam, *ibid.* XXI. Commeatuum inopia diſſolvit exercitum, *ibid.* A Carolo Francorum Regi clientelarem ſponſionem præſtare Aquitanici ducatus nomine juſſus, 1322. XXXII. Detrectat, exauctoraturque jure illius ducatus, 1323. XLVI. Imprudenter periculoſiſſimo bello ſe implicat, 1324. XXXVIII. Maximo ſuo damno pontificia monita reſpuit, *ibid.* Partem Aquitaniæ amittit, *ibid.* Pacem cum Gallo redintegrat, 1325. XII. Filium Eduardum creat ducem Aquitaniæ, ut Gallo ſponſionem clientelarem præſtet, *ibid.* In uxorem Iſabellam & filium iras concipit, *ibid.* Cum Gallo Rege iterum exercet inimicitias, 1326. XIII. Et cum uxore & filio, *ibid.* Monetur a Pontifice, ut paci ſe accommodet, *ibid.* XIV. Ne principes Anglos in ſe exaſperet, *ibid.* XV. Non uſus conſiliis pontificiis ab uxore victus capitur, *ibid.* XVI. Carceri mancipatur, *ibid.* Deturbatur gradu regio, 1327. XLIII. In vinculis extinguitur diro ſupplicii genere, *ibid.*

Eduardus II. pontificiæ ad eum literæ, 1324. XXXVIII. Ut Aquitaniæ nomine clientelarem ſponſionem Gallo præſtet, *ibid.* Queritur Gallus, ab eo violatam pacem, 1326. XIII. §. Ad noſtrum. Pontificiæ de ſopiendo diſſidio ad Gallum literæ, *ibid.*

Eduardus Roberti Regis Scotiæ frater Hiberniam ſibi ſubiicere molitur, 1317. XLV. Proſternitur magna clade, 1318. XXVII. Truncatur capite ob raptam Hibernicam coronam, *ibid.*

Eduardus III. Rex Angliæ creatur a patre dux Aquitaniæ, 1325. XIII. Informatur præceptis a Pontifice, *ibid.* Partem Aquitaniæ, amiſſam bello repetit a Gallo Rege, 1326. XI. Monitus Gallus, ne acerbitate juris cum nepote utatur, *ibid.* Philippam comi-

mitis Hannoniæ filiam ducit, *ibid.* XVI. Ejus pater ab Iſabella Regina fugatus, & truſus in carcerem, *ibid.* In parentis regio gradu pulſi, ac deinde diro mortis genere ſublati locum ſceptrum arripit, 1327. XLIII. Inutilem in Scotiam expeditionem ſuſcipit, *ibid.* Extincto Carolo Rege Francorum avunculo ſceptrumGallicum affectat, 1328. LXVIII. Pronuntiatum ex lege ſalica ſecundum Philippum Valeſium, *ibid.* Exinde orta ingens bellorum ſeges, *ibid.* Cum Rege Scotiæ pacem affinitatemque init, *ibid.* LXXII. Aquitaniam, Philippi VI. beneficentia acceptam, ſolemni ritu profitetur, 1329. LXXV. Edmundum patruum Cantii comitem capitis ſententia damnat, 1330. L. Rogerium e Mortuomari, antea adminiſtratorem Angliæ ſupplicio affici jubet, *ibid.* Monetur, ne ſuos intempeſtiva ſeveritate abalienet, *ibid.* Pontificem conſulit, ut ſe gerere debeat, 1331. XXXV. Quibus præceptis informatus fuerit, *ibid.* Deterretur ab Hibernica profectione, *ibid.* Favet Baliolo adverſus Sororium Regem Scotiæ, 1333. XXIII. Monetur a Pontifice de colenda affinitate, *ibid.* Victoriam refert de Scotis, *ibid.* Warvicum ſibi ſubiicit, *ibidem*.

Eduardus III. pontificiæ ad eum literæ, ut utatur clementia in ſuos, 1330. L. §. Ad aures. Commendata illi Iſabella mater Regina, *ibid.* §. Acceperat. Rogatus ut illius maculas tegat, *ibid.*

Ekardus hæreſiercha; damnati ejus errores a Pontifice, 1329. LXX. *& ſeq.* Data Colonienſi archiepiſcopo imperia, ut illius errores evelleret, *ibid.* LXXIII.

S. Eleazarus Ariani comes virginitatem colit una cum S. Dalphina uxore ſua, 1323. LXVII. Pie affectus in recolenda Chriſti paſſionis memoria, *ibid.* Scribit abſenti uxori, ut illum in vulnere lateris Chriſti quærat, *ibid.* Ut informarit ad virtutes Carolum ducem Calabriæ, *ibid.* Pauperum patrocinium in aula ſuſcipit, *ibid.* Legationem obit in Gallia pro adducenda ad eundem Carolum uxore, *ibid.* Sacramentis ante mortem rite procuratus, *ibid.* LXIX. Pia ejus mors, *ibid.* Tentatur tum a dæmonibus, victorque evadit, *ibid.* Moriens laſcivum juvenem convertit, *ibid.* Pariſiis ſepultus, deinde ipſius reliquiæ Aſtam tranſlatæ, *ibid.* In ſanctorum albo repoſitus ab Urbano V. *ibid.*

S. Eleazarus; pontificium decretum de eo inter ſanctos relato, 1323. LXVIII. §. Rationi. Illius genus & patria, *ibid.* Caſtitatem cum conjuge ſervavit, *ibid.* §. Hic equidem. Dictus eſt advocatus pauperum, *ibid.* Patratum inſigne miraculum ad illius ſepulcrum, *ibid.* §. Hic inſuper. Ab Urbano V. ſanctorum catalogo adjectus, *ibid.* §. Unde.

Electores principes maxima inter ſe diſſentione in creando Rege Romanorum diſcuſſi, 1314. XVII. XXV.

Eleemoſyna; S. Ludovicus epiſcopus Toloſanus epiſcopatus opes, reſervata ſibi ad uſus neceſſarios parte, in pauperes effundit, 1317. XI. Veſtem ſuam nudo confert, *ibid.* Viginti quinque pauperes quotidie reficit, iiſque flexo genu inſervit, *ibid.*

Elgerus archiep. Lundenſis, 1330. VI.

S. Eliſabetha monita a Joanne XXII. ut filium Alfonſum Dionyſio Regi viro conciliandum curet, 1318. XXXIX. 1322. XVI. Inſigne in ea conjugalis amoris exemplum, *ibid.* A viro quamvis adultero, & ſpurium legitimo præferente non diſceſſit, *ibid.* Ejus filius Alfonſus Dionyſio in Luſitaniæ regno ſuccedit, 1325. XV. Ad eam de morte viri conſolatoriæ Pontificis literæ, *ibid.* Monetur, ut filium virtutibus excolat, *ibid.* Divinis rebus ſe totam addicit, *ibid.* Extruit Clariſſarum monaſterium, 1327. XLII. Et xenodochium, *ibid.* Fovet ejus pia ſtudia Pontifex, *ibid.* De ea re literæ, *ibid.*

Eliſabetha Wladiſlai Regis Poloniæ filia Carolo Regi Ungariæ nupta, 1320. IV.

Engerrannus Marinius felicitatis vanæ triſte documentum, 1315. III.

Entenza Catalanæ ſocietatis dux plura egregia facinora edit in Turcas, 1314. VIII. Verſis in Græcos armis, opprimitur, *ibid.*

Epiſcopi, Epiſcopatus; epiſcopi tractare arma vetiti, 1317. XIII. Eorum arma eſſe debent lacrymæ, *ibid.* Epiſcopus ob ſuſceptum injuſtum bellum corripitur a Joanne XXII. *ibid.* XIV. Quo ritu munere epiſcopali exauctoratus Geraldus epiſcopus Caturcenſis, *ibid.* LIV. Epiſcopatus in plures alios diviſi a Joanne XXII. 1317. XII. Conditi alii, *ibid.* Montalbanenſis, *ibid.* Rivenſis, *ibid.* Lombienſis, *ibid.* S. Papuli, *ibid.* Mirapiſcenſis, *ibid.* Vaurenſis, *ibid.* Electenſis, *ibid.* S. Pontii, *ibid.* Caſtrenſis, *ibid.* Condonienſis, *ibid.* Tutellenſis, *ibid.* Sarlatenſis, *ibid.* S. Flori, *ibid.* Malleacenſis, *ibid.* Lucionenſis, *ibid.* Caſſinenſis, 1319. XXXIII. Caffenſis, 1322. XLV. Tephelicenſis conditus in Georgia, 1329. XCIV. Cortonenſis, 1326. XXXII. Voſprenſis in Gazaria, 1333. XXXVI. Cerſonenſis in Gochia, *ib.* XXXVII. Soltanienſis urbs apud Perſas metropolitana erecta, 1318. IV. Archiepiſc. Soltanienſis deſignatus, *ibid.* Adjunguntur ei ſex epiſcopi ſuffraganei, *ibid.* V. Pallium novo archiepiſcopo tranſmiſſum, *ibid. & ſeq.* Deſignati dies, quibus pallium gerere debeat, 1318. VI. Cæſarauguſtana epiſcopalis ſedes in archiepiſcopalem erecta, *ibid.* XXXVIII. Tarraconenſis archiepiſcopatus in duos diviſus, *ibid.* Impoſita pœnitentia ob epiſcopum Frequentinum interfectum, 1319. XIII. Varius ordo relationis curati ad epiſcopum, & epiſcopi ad Papam, 1321. XXIV. Epiſcopus plus habet auctoritatis in parochianos, quam parochus, ita & Papa plus quam epiſcopus, *ibid.* Juriſdictio Papæ in epiſcopatibus demonſtrata, *ibid.* XXVI. Apoſtoli pares non fuere Petro, ſed ſubditi, *ibidem*. XXXIV. Epiſcopos auctoritatem ob divitias amiſiſſe effutiunt Fraticelli, 1322. LX. Bochardus archiep. Magdeburgenſis necatus a ſuis, 1326. VIII. Pontifex in parricidas animadvertit, *ibid.* De ſuffraganeorum conſecratione decretum ſynodi Complutenſis, *ibib.* XX. Quod omnes ſacerdotes, ſive ſit Papa ſive epiſcopus ſive ſacerdos ſimplex, ſint auctoritatis & juriſdictionis æqualis, Ærii hæreſis inſtaurata a Marſilio & Janduno, 1327. XXXII. Confutatur graviſſimis argumentis, *ibid.* Epiſcopalis muneris partes, 1331. XXXII. Pares in epiſcopis, præcipue archiepiſcopis, quam in Cardinalibus dotes deſideratæ, *ibid.* Statutum ſynodi Lundenſis pro tuenda libertate ordinis epiſcopalis, *ibid.* XL. *Vide*, Præſules.

Ericus Rex Daniæ Chriſtophoro fratri ſceptrum tranſmittit, 1320. VII.

Erroris defenſor magis peccat quam errans, 1322. LIX.

Eſtenſes. *Vide*, Ateſtini.

Evangelium apud Tartaros propagatum, & apud Perſas, 1318. II. IV. Suffraganei epiſcopi tranſmiſſi, *ibid.* V. VI. Item ad alias gentes, *ibid.* VII. *Vide*, Epiſcopatus. Quatuor Minoritæ in India ob evangelium martyrio affecti, 1319. XXXI. Amplificatum in Tartaria evangelium, 1333. XXXI. In Gazaria, *ibid.* XXXVI. In Gochia, *ibid.* XXXVII. Apud Alanos & Zichos, *ibidem* XXXVIII. Datæ evangelii præconibus prærogativæ, *ibid.* XLII. Tres Minoritæ ob evangelium affecti martyrio, *ibid.* XLIV. *Vide*, Fides.

Euchariſtia; de Euchariſtiæ tranſubſtantiatione edisserit Joannes XXII. 1318. XIII. 1321. XI. Blaſphemæ Lollardorum voces in Euchariſtiam, 1318. XLIV. Aqua vino miſcenda in ſacramento altaris, 1321. XI. XIII. *Vide*, Miſſa. Quam pie Euchariſtiam perceperit S. Thomas Aquinas morti proximus, 1323. LXVI. Anima cujuſdam defuncti ad domum regreſſa cognoſcit delatam clam Euchariſtiam, 1324. LIV. Nefandum ſacrilegium de Euchariſtia animalibus porrecta a Græcis, 1326. XXVIII. In eos animadvertit jubet Joannes XXII. *ibid.* Aliqui recipere nolunt Euchariſtiam niſi Conſtantinopoli deferatur, *ibid.* Auditus ex Euchariſtia a Judæis pugionibus confoſſa velut infantis vagitus, 1330. LIII. Aliud ſimiliter a Judæis patratum ſacrilegium, *ibid.* Miracula a ſacra Euchariſtia edita, *ibid.*

Excommunicatio. *Vide*, Anathema.

Exempti impugnantur a Joanne e Poliaco, 1321. XXI.

Extrema unctio; illius chriſma a ſacerdotibus Armeniis confici ſolitum, 1318. IX. Docet Joannes XXII. ab epiſcopis tantum conficiendum, *ibid. & ſeqq.*

Extrema unctio a Lollardis ſpreta, 1318. XLIV.

# F

FAbrianenſes; pontificium in eos edictum, 1325. IX. §. Contra.

Famaguſtæ orta ingens diſſenſio inter cives, & Januenſes, 1313. X.

Fas non eſt medium inter juſtum & injuſtum, 1329. XLVII.

Faventia ab eccleſia deficit, 1327. XVI.

S. Felix Papa martyr cœpit eſſe Pontifex, cum Liberius ob communionem cum Semiarianis exauctoratus eſt, 1331. XI. Damnato Conſtantio tulit palmam martyrii, *ibid.* Succeſſit illi ſecundo Liberius, *ibid.*

Femina; cum nulla muliere ſola ſolus loquebatur S. Ludovicus Toloſanus, 1317. X.

Ferdinandus Balearis princeps Peloponeſum ſibi vendicare nititur, 1316. XXVI. In prælio cæſus, *ibid.*

Ferrariæ adminiſtratio credita Roberto Regi Siciliæ, 1313. XXIX. Adminiſtrorum culpa amiſſa, 1317. XXIX. Ferraria, vocatis Ateſtinis rebellat, *ibid.* Judiciorum ſeveritas illi intentata, *ibid.* XXXI. Ad pontificia obſequia redit, *ibid.* 1318. XLI. Iterum a marchionibus Ateſtinis in rebellionem conjecta, 1320. XVIII. Suprema Ferrariæ jura Ludovicus Bavarus affectat, 1324. XIII. Ob id vocatus in jus a Pontifice, *ibid.* Intentatum Raynaldo & Opizoni judicium, *ibid.* XIX. Profitentur Ateſtini Ferrariam eſſe juris eccleſiaſtici, 1328. LV. Jure beneficiario illius toparchatum ad decennium accipiunt, *ib.* XX.

Feſti dies; judicia & tonſoria ars die dominico exerceri vetita, 1317. IV. Spreti a Lollardis hæreticis, 1318. XLIV. Qui præcipue feſti dies peragendi, 1321. XII.

Fides catholica propoſita a Joanne XXII. Oſſinio Regi Armeniæ, 1318. IX. *& ſeqq.* Armeniis & aliis, 1321. XI. XII. Fides in mediis ignibus ſine ulla læſione a B. Jacobo martyre prædicata, 1319. XXXI. Romanum Pontificem in edendo fidei decreto errare non poſſe, Chriſti oraculis & ſanctorum auctoritatibus demonſtratur, 1328. XIII. Ad fidem amplificandam quinquaginta prædicatores in orientem mitti juſſi a Joanne XXII. 1328. LXXXV. Solicitati ad fidem orthodoxam profitendam Raſcii, 1329. XCIV. Et Tephelicenſium in Georgia Rex, *ibid.* Et Choracicenſium Rex, *ibid.* Et Solagay & Miſſerquis principes Tephelicenſes, *ibid.* Fides amplificata apud Naſcarinos, 1330. LV. Et apud accolas Montiſalbors, *ibid.* Et apud Perſas, *ibid.* LVII. Et apud Tartaros, 1333. XXXI. *Vide*, Tartari. Provocatur Rex Tartarorum ad fidem amplectendam, *ibid.* XXXII. Fidei Chriſtianæ elogium, *ibid.* XXXIV. Alanorum princeps a ſchiſmate ad fidem catholicam converſus, *ibid.* XXXVII. Et Zichorum Rex, *ibid.* Ad conſtantiam in ſuſcepta fide a Pontifice excitatus, *ibid.* XXXIX. *Vide*, Evangelium.

Firmani Joanni XXII. perduelles, 1325. IX. §. Contra. Pontificia in eos edicta, *ibid.*

Firmum ab Auximanis vaſtatum, 1326. V.

Flandri cum Philippo V. bellum gerunt, 1318. XVIII. Navata ad eos conciliandos a Joanne XXII. opera, *ibid.* Ludovicum comitem fuſo ejus exercitu, capiunt, 1325. XIV. Reſtituere eum libertati Galli Regis juſſu coacti, *ibid.*

Flandria a Jacobo Peyt ſeditionum incentore fœdata, 1326. XI.

Florentini Lucæ expugnatione conterriti reipublicæ Robertum Regem iterum præficiunt, 1314. VI. Petrum ejus fratrem auxilio venientem excipiunt, *ibid.* Maxima clade a Piſanis attriti, 1315. I. Se dedunt Carolo duci Calabriæ, 1326. III. Cum eo poſtea diſſident, *ibid.* Eo mortuo reipublicæ formam mutant, 1328. LIX. Renovata in eos a Ludovico Bavaro Henrici VII. edicta, 1328. XLV. In eoſdem expeditionem movet Ludovicus, *ibid.* LII. Lucenſi obſidione depulſi a Joanne Rege Boemiæ, 1331. XIX.

Florentini; pontificiæ ad eos literæ, ut conſtanter cauſam eccleſiæ tueantur, 1324. XII. §. Qua accepta.

S. Flori epiſcopatus conditus a Joanne XXII. 1317. XII.

S. Franciſcus; ejus prophetia in contrarium ſenſum detorta a pſeudominoritis, 1321. XIX. Ipſe dogma pſeudominoritarum circa paupertatem non tenuit, 1322. LV.

Franciſcus Dandulus orator legatus a Joanne Superantio pro flagitando a Pontifice cenſurarum expiatione, 1313. XXXIII. Injecta collo catena ad Clem. V. pedes ſe abiicit, *ibid.* Flectit illum ad miſericordiam, *ibid.* Cognomen canis refert, ſed ducatu poſtea ornatur, *ibid.*

Franciſcus S. Luciæ in Silice Card. decretus a Clemente V. pro auguſtalibus inſignibus Henrico VII. conferendis, 1328. LXXXV. Fœdus in Turcas cum pluribus principibus ſancit, *ibid.*

Franciſcus e Lutra Minorita apoſtata Sarabaytarum ſectam inſtaurare nititur, 1322. LIII. Coniici juſſus in carcerem a Spirenſi epiſcopo, *ibid.* In Germania errores ſpargit 1326. XXIII.

Franciſcus epiſc. Florentinus conſultus a Joanne XXII. Petri Joannis Olivi ſcripta diſcutit exponitque errores, 1325. XXI. Juſſus inducere vi & armis Ubertinum in Aretinum epiſcopatum adverſus Guidonem, 1326. VI.

Franciſcus Manfredus a filio principatu depulſus, 1327. XVI.

Franciſcus Aſculanus magus fingit ſpiritus in cœleſti ſphæra gigni, qui ad opera admiranda poſſint adigi, 1327. XLVI. Cogi ab aſtris hominum voluntates, *ibid.* Vi aſtrorum Chriſtum natum inopem, & cruci affixum, *ibid.* Antichriſtum eadem vi imperaturum orbi, *ibid.* Prædicit Bavarum feliciter Romam penetraturum, *ibid.* Exuritur Florentiæ, *ibid.*

Franciſcus primus Voſprenſis epiſcopus una cum Ri-

Richardo epiſcopo Cerſonenſi ad Græcos in ſinum Romanæ eccleſiæ revocandos mittitur, 1333. XIX. Ut Millenum Alanorum principem, & Verſacht Regem Zichorum ad conjunctionem cum Romana eccleſia revocarit, *ibid.* XXXVII. *& ſeq.*

Franciſcus e Lutra pſeudominorita ut prophetam ſe finxerit, 1331. XIX. §. In nomine. Senſerit minus pie de eccleſia, *ibid.* §. Si item arcana. Minoritis ſuaſerit ut præſulum jugum excuterent, *ibid.* Inſtauratorem ordinis ſe jactarit, *ibid.* Quænam fuerit illius pſeudoprophetia, *ibid.* §. Ecce ego. Minoritas epiſcopos damnat, *ibid.* Sodales calumniatur, eſſe hoſtes ſanctorum, *ibid.* Ejus jactantia, *ibid.* §. Volens. Et illecebræ ad ſectam conflandam, *ibid.* Pro ſervando voto votum infringi jubebat, *ibid.* Ajebat parendum ſibi a Pontifice, *ibid.* Bajulum lucis electum ſe ex utero vocabat, *ibid.* Germanos concitare in Minoritas annisus eſt, *ibid.* §. Alia litera.

Francorum Reges; indulgentiæ pro Francorum Regibus oraturis propoſitæ, 1317. VIII. Francorum Reges in locis interdictis, ſi occaſionem interdicto non dederint, divinæ rei poſſunt intereſſe, *ibid.* Communi anathematis formula niſi eorum nomen deſignetur, devincti non cenſentur, *ibid.* Navarræ regnum a Francico divulſum poſt mortem Caroli IV. 1328. LXIX. Vide, Reges Francor. Philipp. IV. V. VI. Ludovicus Hutinus & Carolus IV.

Francus, alias Franciſcus ordinis prædicatorum primus Soltanienſis archiepiſcopus, 1318. IV. Cedit archiepiſcopatu, 1323. VIII. Inſigniis epiſcopalibus uti permiſſus, *ibid.*

Fraticelli; de variis eorum ſectis, 1317. LVI. *& ſeq.* Execranda Armanno auctore Fraticellorum hæreſis, 1317. LVI. Eorum ignava ſegnities, *ibid.* LVIII. Et cultus ſordidus, *ibid.* Simulata virtus in vitia degenerans, *ibid.* Paupertatis evangelicæ ſpecimen ſibi arrogant, *ibid.* LIX. Addictos ſe contemplationi fingunt, *ibid.* Intoleranda eorum arrogantia, *ibid.* Profanant ſacramenta, *ibid.* Ad diffugiendum laborem monachalem larvam induunt, *ibid.* LX. Eorundem inertia, *ibid.* Damnantur a Joanne XXII. *ibid.* Triplex eorum genus, *ibid.* LXI. Quinam præcipue Fraticellorum nomine indicentur, *ibid.* Plures Minoritæ in eam ſectam lapſi, *ibid.* Exuti privilegiis a Pontifice, *ibid.* Fraticellorum ſe veros S. Franciſci diſcipulos fingentium, exordia, 1318. XLV. Hæreſes, *ibid. & ſeq.* Fraticellorum præcipui errores, *ibid.* XLVI. Nonnulli ex iis exuſti Maſſiliæ, *ibid.* LI. Effutiunt poteſtatem eccleſiæ non manere apud Papam, neque apud præſules, quod non imitentur vitam Chriſti & Apoſtolorum, nihil habendo in proprio vel in communi, 1322. LX. Eorum princeps Petrus Joannes Olivi damnatus, 1325. XX. Eorum figmentum de tranſlato ad ipſos pontificatu, *ibid.* XXIII. Refellitur, *ibid.* XXIV. Blaſphemant in eccleſiam, *ibid.* Orientem inficiunt, *ibid.* XXVI. Romanos Pontifices externa tantum ſpecie gerere pontificatum effutiunt, *ibid.* XXVII. In eos actum legibus, *ibid.* XLIII. Hæreſim de ſimplice uſu facti confingunt, 1331. I. Illi Marſilii & Janduni hæreſes adiiciunt, *ibid.* II. Fraticellorum deſcriptio, *ibid.* IV. Quibus in locis ſint graſſati, *ibid.* Ut profeſſi ſint pura ſervare inſtituta S. Franciſci, *ibid.* Prætexuerint a Cœleſtino V. ſe fuiſſe confirmatos, *ibid.* Non valuerit iis prætextus ob contrarium Bonifacii VIII. decretum, *ibid.* Quam juſte Joannes XXII. damnarit Fraticellos, *ibid.* Adhibuerit in conſilium Minoritas, *ibid.* Vetus decretum in Fraticellos inſtauratum, *ibid.* V. Iuſſi a præſulibus publice anathemate deſigi, *ibid.* Non initiati ſacerdotio abſolvendi auctoritatem ſibi arrogant, *ibid.* Angelus e valle Spoletana eorum ſignifer, *ibid.* VI. Sancia Regina Siciliæ decepta Fraticellos fovet, & Minoritarum præfectum perſequitur, 1332. XX. Pontificiæ ea de re ad Robertum Regem datæ literæ, *ibid.* Ipſamet a Pontifice monetur, *ibid.*

Fridericus Rex Trinacriæ bellum in Robertum Regem parat, 1313. XX. Objecto anathemate vetatur Robertum adoriri, *ibid.* XXI. Calabriam invadit, *ibid.* Cavillo eludit pontificias cenſuras, *ibid.* XXIII. Robertus Siciliæ inſulam, extincto Henrico, repetere apparet, *ibid.* XXX. Piſana prætura a Friderico ſpreta, *ibid.* In eum Robertus validiſſimam expeditionem comparat, 1314. VII. In arcibus ſe continet Fridericus, Drepanumque firmat præſidiis, *ibid.* Frangit mora hoſtiles conatus, *ibid.* Paciſcitur cum Roberto inducias, *ibid.* Promittit Calabria abſtinere, *ibid.* Neopatriæ & Athenarum ducatuum ſuprema jura a Catalana ſocietate accipit, *ibid.* VIII. Monetur a Joanne XXII. ut pacem cum Roberto componat, 1317. XVII. Reſtituat illi Rhegium & alia Calabriæ loca occupata, *ibid.* Solicitatur, ut veniat ad aulam pontificiam, *ibid.* Cenſuris ab internuntiis pontificiis percellitur, *ibid.* XVIII. Gravi bello a Roberto Rege atteritur, *ibid.* Recipit legatos apoſtolicos, *ibid.* XIX. Rhegium aliaſque arces pontificiæ fidei committit, 1217. XX. Oratores legat ad Pontificem, *ibid.* Inique in ulteriorem Siciliam jura prætendit, *ibid.* XXI. Corripitur ob affectatum Regis Siciliæ nomen, *ibid.* XXII. Mittit oratores pro tractanda cum Roberto Rege pace, *ibid.* XXXI. A factione Gibellina defertur illi Genuæ prætura, *ibid.* XXXV. Pendit vectigal Pontifici, *ibid.* Solvitur cenſuris, quas eo non perſoluto contraxerat, *ibid.* Monetur ut Zachariam Genuenſem a Catalana ſocietate captum reſtituat libertati, *ibid.* Utque Fraticellos legibus perſequatur, *ibid.* LI. Expeditionem Tunetanam ſuſcipit, 1319. XII. Adverſantes barbaros auro emungit, *ibid.* Pendit vectigal Pontifici, *ibid.* Roberto Regi bellum indicit, 1320. XIV. Perjurii nota a Pontifice aſpergitur, *ibid.* Intentatis cenſuris vetatur Robertum adoriri, *ibid.* Genuam irrito eventu immiſſa claſſe tentat, *ibid.* XVII. Sceptrum in poſteros transfundere contra initas pactiones molitur, 1321. XL. Petrum filium Panormi Trinacria corona exornat, *ibid.* Rhegium fruſtra tentat, 1322. XIV. Mittit Petrum filium ad Ludovicum Bavarum, ut cum eo Neapolitanum regnum invadat, 1328. LII. Ejus claſſis laniata fluctibus, *ibid.* De eo Pontifex ut inique in eccleſiam conqueritur, 1329. LXXXIX. Clientelarem ſponſionem non præſtitiſſe, *ibid.* Non ſolviſſe cenſum, *ibid.* Vexatum ab eo jus eccleſiaſticum, *ibid.* Detrectat propterea ad illius filiæ gratiam legem de gradibus conſanguinitatis ſolvere, *ibid.* XC. Uxoris opera ſolicitatur, ut redeat ad gremium eccleſiæ, a quo diſceſſit, 1322. XVII.

Fridericus dux Auſtriæ creatus Rex Romanorum diſcordibus ſuffragiis, 1314. XVII. Qui principes ipſi faverint, qui Ludovico, *ibid.* & XXV. Ut dubia admodum fuerint ejus jura & judicio apoſtolico dirimenda, 1314. XXV. Aquiſgrano propulſatur, *ibid.* Bunnæ corona Germanica redimitur, *ibid.* Solicitatur a Joanne XXII. ad pacem ineundam cum Ludovico Bavaro, 1316. X. Tarviſium in ſuas partes trahit, 1319. VI. Solicitatur a Pontifice, ut jungat arma cum Rege Ungariæ adverſus ſchiſmaticos, 1320. II. Exercitum oſtentat adverſus Ludovicum Bavarum, *ibid.* III. Paciſcitur cum Pontifice ad Matthæum Vicecomitem deturbandum præfectura Mediolanenſi, 1322. V. Henricum fratrem cum expedito equitatu ſubmittit, *ibid.* VIII. Mutata ſententia, mox illum revocat, *ibid.* X. In prælio una cum Henrico capitur, a Ludovico Bavaro, *ibid.* XIV. Pro eo liberando ex fœdere intercedit Pontifex apud eundem Bavarum irrito exitu, *ibid.* XV. Cedere cæſareo jure ad Ludovici gratiam cogitur, 1325. I. Gravibus oneratur legibus, *ibid.* Reſcinditur illius fœdus a Pontifice, *ibid.* II. Inſtantibus Auſtriacis, ut Fridericus confirmetur Rex reſponſum illius electionis decretum non fuiſſe oblatum, *ibid.* V. Galli annitentis ad imperium metu a Ludovico Bavaro ad ſocietatem imperii admittitur, *ibid.* VI. Laxatur vinculis, 1326. VII. Nova cum Ludovico fœdera ſancit, *ibid.* Adverſatur Pontifex, ne collata ab ipſo in Ludovicum cæſarea jura rata habeantur a principibus electoribus, *ibid.* Poſcente Alberto Auſtriaco, ut frater Fridericus confirmetur Rex Romanorum, reſpondetur iterum, illum ſuæ electionis decretum non obtuliſſe, 1328. XXXVIII. Obiicitur non jure, ſed vi affectaſſe imperium, *ibid.*

Fridericus comes Montisferetri Urbinum tyrannide occupat, 1318. XLII. Spoletum invadit, 1320. XVIII. Guelphos tentos in vinculis flammis exurit, *ibid.* Idololatriæ crimine damnatur a fidei cenſoribus, 1321. XXXVIII. Ab Urbinatibus triſti ſupplicio afficitur, 1322. I.

Fridericus Trevedingen. dux cæſareus ob defenſos Vicecomites in jus vocatus, 1324. XII.

Fridericus Auſtriacus electus Cæſar ad Joannem XXII. ſcribit, 1322. VII. §. Extant. Joannis ad eum literæ, quibus initis cum Ludovico Bavaro pactionibus ſolvitur, 1325. II. §. Ad noſtrum.

Fulco Villaretus equitum Jeroſolymitanorum princeps inſula Con dicta Lango potitur, 1315. III. Seſe in delitias ſolvit, *ibid.* In eum conjurant equites, 1317. XXXV. Exauctoratur equeſtribus comitiis, *ibid.* Vocatur a Pontifice una cum æmulo in jus, *ibid.* Cædit principatu, *ibid.* 1319. XI. Helionus illi ſucceſſor datus, *ibid.*

Fumariani ethnici in Norvvegos Chriſtianos graſſantur, 1323. XXI. In eos ſacrum bellum promulgatum, *ibid.*

# G

GAleatius Maphæi ſeu Matthæi Vicecomitis filius in jus vocatur ob præfecturam ſine pontificia auctoritate occupatam, 1322. VIII. Se ad annum Mediolani ducem renuntiandum curat, *ibid.* XI. Pellitur a Mediolanenſibus, *ibid.* Eoſdem in ſuam redigit ſervitutem, *ibid.* XII. Placentiam amittit, *ibid.* Et Parmam, *ibid.* XIII. Et alias plures urbes, 1323. XXVI. Ejus frater profligatus in acie, *ibid.* Ipſius patrocinium ſuſceptum a Ludovico Bavaro, *ibid.* XXVIII. Obſeſſus Mediolani pontificium exercitum propulſat, *ibid.* XXIX. Hoſtis pontificius, 1324. V. *& ſeq.* Pontificis in illum acta judiciaria, *ibid.* VI. De parentis ejus tyrannide in eccleſiam, *ibid.* VII. Ut ipſe Galeatius eccleſiaſticum ordinem oppreſſerit, *ibid.* VIII. Alia ejus flagitia, *ibid.* Guillelmam Spiritum ſanctum in ipſa incarnatum effutientem ſit ſecutus, *ibid.* IX. Ut poſtea judicio hæreſeos damnatus ſit, *ibid.* X. Indicta in eum ſacra expeditio, *ibid.* XI. In vincula a Ludovico Bavaro compingitur, 1327. III. Inſequenti anno moritur, 1328. LIII.

Galhardus de Mota creatus diaconus Card. tit. S. Luciæ, 1316. XXI.

Gaſto Fuxenſis comes cum Jacobo Rege Baleari bellum gerit, 1331. XXVIII. Imperatæ a Pontifice induciæ, *ibid.*

Gaucelinus creatus presbyter Cardinalis tit. SS. Marcellini & Petri, 1316. XX. A Joanne XXII. in Angliam legatus miſſus, 1317. XLII. Inter Philippum Regem & Belgas pacem firmat, 1319. XVI. 1320. XX.

Gedenninus Lithuaniæ & Ruthenorum Rex ad fidem Chriſtianam converſus, 1323. XIX. Pacem cum cruciferis equitibus conficit, *ibid.* XX. Poſcit Chriſtiana ſacra, 1324. XLV. Apoſtolici internuntii ad eum fide inſtruendum miſſi, *ibid.* XLVI. Excitatur ad conſtantiam a Pontifice in ſuſcepto fidei amplectendæ conſilio, *ibid.* XLVIII. Ut primatum Romanæ eccleſiæ agnoverit, *ibid.* Docetur a Pontifice, *ibid. & ſeq.* Reſilit a cœptis, & pontificios nuntios dimittit, *ibid.* LII.

Genua, Genuenſes; Paphon Cypri urbem vaſtant, 1313. X. Cyprum parant invadere, *ibid.* Moniti ab eo bello abſiſtere, *ibid.* In Robertum Regem Neapolitanum claſſem educunt, *ibid.* XX. Intentato anathemate prohibiti a Pontifice Siciliam adoriri, *ibid.* XXI. Cavillo eludunt cenſuras, atque ad bellum incumbunt, *ibid.* XXII. Percuſſi cenſuris, *ibid.* XXIII. Diſſipata eorum claſſis, mortuo Henrico VII. Imp. *ibid.* XXIX. Delata vicaria imperii præfectura Roberto, exceptis Genuenſibus, 1314. III. Ut eos Henricum excepiſſe pœnituerit, ſeque liberos imperiali ſervitute profeſſi ſint, *ibid.* Cum Cyprio Rege controverſias exercent, 1317. XXXV. Nonnulli ex iis Genuenſe nomen, Mahometis ſigna præferentes, dedecore contaminant, *ibid.* XXXVI. Vetiti Cyprium Regem invadere, 1318. XVII. In factiones ſciſſi mutuo ſe bello appetunt, *ibid.* XXXII. Præturam deferunt Roberto Regi, *ibid.* Gibellini Genuenſes magna clade Genua propulſati, 1319. IX. Genuam iterum obſidione urgent, *ibid.* Genuenſes & Cyprius Rex controverſiæ arbitrum Pontificem deligunt, *ibid.* X. Gibellinos & Friderici claſſem propulſant, 1320. XVII. Genuenſes piratæ tyranno Turcarum juſte oppreſſi, 1323. XII. Genua, profligatis Gibellinis, obſidione ſoluta, *ibid.* XXV. Moniti Genuenſes, ut Vicecomitum potentiam ipſis periculoſam tundant, 1325. IX. Claſſem parant in Hugonem Regem Cypri, 1328. LXXXVI. A Pontifice retardati oratorem mittunt, *ibid.* Vexati Catalanorum excurſionibus inteſtina ponunt odia, ut in communes hoſtes conſurgant, 1331. XXVII. Latæ a Roberto Rege concordiæ leges, *ibid.* Conciliantur Cypriis, *ibid.* XXX. Cataloniam infeſtant, 1332. XXI. Agitata a Pontifice inter eos & Aragonium concordia, *ibid.*

Georgia; Tephelicenſis epiſcopatus in ea conditus, 1329. XCIV.

Georgiani ad conjunctionem cum Romana eccleſia reditegrandam ſolicitati, 1321. VIII. Offert Joannes XXII. ipſis in ea cauſa œcumenicum concilium, *ibid.* X.

S. Georgius; ejus equus depictus Conſtantinopolitani imperii excidium præſagit, 1321. XVI.

Georgius Rex Georgianorum ad inſtaurandum priſtinum eccleſiarum fœdus provocatus, 1321. VIII.

Geraldus epiſcopus Caturcenſis ob immania in Pontificem flagitia exauctoratus, nudatus cute, & flammis exuſtus, 1317. LIV.

Geraldus Otho Minoritarum generalis præpoſitus Michaelis Cæſenatis errores & hypocriſim confutat, 1331. VIII. In eundem & ſocios pro tribunali in Perpinianenſibus comitiis fert ſententiam, *ibid.* XV. Quatuor hæreſes nefarias illi obiicit, *ibid.* Miſſus una cum Arnaldo Prædicatore ad Scotiæ & Angliæ Reges conciliandos, 1333. XXIII. Prædicat Pariſiis animas ſanctorum ante judicium divinam eſſentiam non intuituras, *ibid.* XLV. Conflata inde Pontifici invidia, quaſi ejus juſſu hæc prædicaret, *ibid.*

Gerardinus Spinula Lucenſem principatum emit a Ludovici Bavari militibus, 1329. V.

Geraldus e Pinibus ordinis Hoſpitalariorum vicarius Ochanem Regem Turcarum maritimo prælio vincit, 1322. XLVII.

Geribaldus epiſc. Wladiſlavenſis orator ad Joannem XXII. miſſus pro revocanda regia Polonica dignitate, 1319. II. *& ſeq.* Reſponſum elicit, ut Poloni ſuo jure utantur, *ibid.* IV.

Germani ſuccenſent Pontifici, exauctoratum Ludovicum; Fridericum vero non admitti ad imperium, 1325. V. Favent aliqui Gallo, ut imperium ad vitam arripiat, *ibid.* VII. Decernunt demum illud Germanicæ nationi aſſerere, *ibid.*

S. Germanus Altiſſiodorenſis epiſc. maſſam terræ ſanguine S. Albani adhuc rubentem aſportat in Gallias, 1314. XXVII.

Gibellini Spoleti Guelfos flammis exurunt, 1320. XVIII.

Gorritiæ arx occupata a Cantabris, 1321. XLII.

Græca lingua una cum Hebraica, Arabica & Chaldaica in publicis ſcholis docenda, 1326. XXIX.

Græcia; ſerpentem in Græcia hæreſim excindi jubet Pontifex, 1318. LVII. Ob inteſtinas diſſenſiones præcipites in exitium Græcorum res, 1321. XV. Andronicus ſenior Imp. ſchiſmatis fautor imperium orientale in ruinam adduxit, *ibid.* Exitii Græcis imminentis præſagia, *ibid.* XVI. Græci inter ſe diſſentiunt, 1322. L. Andronicus ſenior Turcas adverſus nepotem evocat, *ibid.* Andronicus junior avo univerſam imperii adminiſtrationem permittit, *ibid.* Immanis Tartarorum in Græciam excurſio, 1324. XXXIX. Andronicus de Græcis ad eccleſiam revocandis agitat, *ibid. & ſeq.* Ab Albanenſibus magnis cladibus attriti Græci, 1325. XXXI. Mari a Turcis vexantur, *ibid.* Andronicus Imp. revocandæ ad Romanam Græcorum eccleſiæ deſiderium præſefert, 1326. XXVI. Oratorem ideo ad Regem Francorum mittit, *ibid.* Rex Siciliæ ea de re conſultus, *ibid.* Miſſus ad Andronicum a Pontifice internuntius, *ibid.* XXVII. Cyprii Græci male de fide ſentiunt, *ibid.* Aliqui infernum negant & purgatorium, *ibid.* XXVIII. Negant etiam ſanctorum animas cœlo excipi uſque ad diem judicii, *ibid.* Aliqui Euchariſtiam, niſi Conſtantinopoli deferatur, dedignantur recipere, *ibid.* Nonnulli jumentis ægrotantibus eam porrigunt, *ibid.* Data adverſus impios apoſtolica imperia, *ibid.* XXIX. Ex Græcorum diſcordia Turcæ potentia aucti, 1327. LII. Trapezantinus Imp. & alii Græci ad eccleſiæ conjunctionem a Joanne XXII. excitati, 1329. XCV. Græci a Turcis divexati, 1330. LIII. 1332. XXII. Imperator Græcorum Andronicus a Turcis oppreſſus, 1333. XVII. Redeundi ad eccleſiam Romanam conſilium concipit, *ibid.* Solicitatus a Joanne Papa, ut ſchiſma & errores abiiciat, *ibid.* Pontificia ad patriarcham Græcorum adhortatio, *ibid.* XVIII. Collapſum ob ſchiſma imperium orientale, *ibid.* Propoſitæ impendentes calamitates, ni reſipiſcant, *ibid.* Nonnulli abbates Græci ad ſchiſmatis abrogationem proclives, *ibid.* Decreti in Græciam apoſtolici legati, *ibid.* XIX.

Granatenſes; decretum in eos ſacrum bellum duce Joanne Caſtellanæ regiæ principe, 1318. XXXVI. In Murciam incurrunt, 1321. XLI. Inſigni prælio a Joanne regiæ Caſtellanæ principe obtriti, 1327. XLI. In eos armorum ſocietatem coeunt Caſtellæ, Luſitaniæ, Aragoniæ, & Navarræ Reges, 1330. XLIV. Decreta iis a Pontifice ſubſidia, *ibid. & ſeq.* Infeſtant Regem Aragonum, 1331. XXIX. Gallus & Boemus Reges de iis delendis conſilium capiunt, *ibid.* Excitis Afris Chriſtianos bello ingenti petunt, 1332. XXI.

Gregorius X. miraculis clarus, 1326. XXXII. Placentini in ſanctorum catalogo eum annumerandum poſtulant, *ibid.* Inſtitutum a Joanne XXII. de illius miraculis religioſum examen, *ibid.*

Gregorius XI. decretum edit de aſcripto SS. catalogo B. Eleazaro, 1323. LXVIII. §. Rationi.

Gualcherus Caſtilioneus Athenarum ducatus procurator inſtitutus, cæſo Gualtero Brenna, 1314. X.

Gualterus Brenna dux Athenarum a Catalana ſocietate dolo victus cæſuſque, 1314. VIII.

Gualterus dux Athenarum præmiſſus a Carolo duce Calabriæ ad Florentiam adminiſtrandam, 1329. III. Promulgat, Robertum Regem vacantis imperii in Italia adminiſtratorem, *ibid.* Athenas recuperare meditatur, 1330. LIV. Indulgentiæ eum ſecuturis propoſitæ, *ibid.*

Gualterus dux Brenenſis in Achajam expeditionem ducit, 1331. XXX. Nulla re geſta recedere coactus, *ibid.*

Guecelo e Camino Manfredum Feltrenſem epiſcopum ex inſidiis necat, 1323. XXII. Defigitur anathemate, *ibid.* Brevi perit, *ibid.*

Guido epiſcop. Cameracenſis a Clemente V. juſſus excipi a civibus vacuo imperiali ſolio, quamvis Cæſari fidem non obſtrinxiſſet, 1313. XXXVII.

Guido Tarlatus epiſcopus Aretinus crucem argenteam & duo angelorum ſigna argentea tranſmittit Pontifici, 1318. XL. Commendatur illi in ſomnis a Virgine congregatio recens S. Mariæ Montiſoliveti, 1320 I. Primis ordinis conditoribus amictum album tribuit, *ibid.* Tuendi juris cæſarei ſpecie eccleſiam oppugnat, 1324. XX. Promulgari juſſa edicta in eum confecta, 1326. IV. Vetera ſcelera in eccleſiam novis cumulat, *ibid.* Exauctorato ſuffectus Ubertinus, *ibid.* Sacconi opera Tifernum eripit Pontifici, 1324. XX. Conjurat cum perduellibus Gibellinis, *ibid.* Damnatus judicio, *ibid.* Cortonenſis epiſcopatus ipſius odio in Aretino divulſus, *ibid.* Damnatus a Pontifice, 1327. II. Ludovicum ferrea corona Mediolani cingit, *ibid.* III. Coram Ludovico a Caſtrucio proditionis accuſatur, *ibid.* XVIII. Concepto ex dedecore dolore morbo letali corripitur, *ibid.* Pœnitet illum acerbiſſime rebellaſſe Pontifici, 1327. XVIII. LIII.

Guido Polentanus tyrannidem Ravennæ, cæſo Raynaldo, cum fratre invadit, 1322. IV.

Guido Carmelita epiſc. Majoricæ ſcriptor ad Elnenſem in Catalonia epiſcopatum traductus, 1331. VII. Bernardum Fuſcerium pſeudominoritam plurium hæreſeon reum comprehendit, *ibid.* VIII. Cenſor fidei accerrimus, 1332. XXVIII. Inſectatur Fraticellos, *ibid.* XXXI.

Guigo delphinus Viennenſis bellum gerit cum Sabaudo, 1333. XXII. Indictas a Pontifice inducias infringit, *ibid.* Miſere perit, *ibid.* Oſtenditur divinitus, puniri ob adulteria, *ibid.* Robertus frater illi ſuccedit, *ibid.*

Guillelma meretricula fingit Spiritum ſanctum in ipſa muliebres artus induiſſe, 1324. IX. Una cum Manfreda flammis exuſta, *ibid.* Sequaces habuit, *ibid.*

Guillelmus epiſc. Trecenſis miſſus nuncius a Joanne XXII. in Siciliam utramque, 1317. XVII. Cenſuras Friderico Regi ob non reſtituta Roberto Calabriæ loca occupata incutit, *ibid.* XVIII. A Friderico controverſas arces, Pontificis arbitrio tenendas accipit, *ibid.* XIX. Roberto reſtituit, *ibid.*

Guillelmus Cardinalis epiſcop. Sabinenſis in Hiſpaniis legatus, 1320. XLI. Cenſuras Joanni Manueli principi, ut tutorium Regis munus exueret, intendere juſſus, *ibid.* Pacem adducit, 1322. XVII. XVIII. Valliſoletanum concilium celebrat, *ibid.* Præcipua ejus ſtatuta, *ibid.*

Guillelmus epiſcop. Sabinenſis; pontificiæ ad eum literæ de legatione Hiſpanica, 1320. XXXV. §. Dum nuper.

Guillelmus Soltanienſis archiep. creatus archiepiſcopus ad Armeniæ inferioris populos erudiendos, 1323. VII.

Guillelmus Ochamus Minorita poſtulatus judicio a Joanne XXII. 1323. LXII. Ad Ludovicum Bavarum & antipapam fugit, 1328. LXII. Refertis hæreſibus libris Michaelis Cæſenatis ſubſcribit, *ibid.* Vocatur hæreſiarcha a Pontifice, & ſcripta referta hæreſibus edidiſſe arguitur, 1330. XXX. Obiicitur Ludovico Bavaro, fautorem ſe hæreticorum in eo homine fovendo præbere, *ibid.* Inſtitutum adverſus illum a Minoritis judicium in Perpinianenſibus comitiis, 1331. XV. Objecta illi crudelitas rabida in ſodales Minoritas, *ibid.* Objectæ item quatuor infandæ hæreſes, *ibidem*. Lata in eundem ſententia, *ibid.* Refelluntur recentiores, qui hominis hæretici patrocinium ſuſcipiunt, *ibid.*

Guillelmus archiep. Bituricenſis urget apud Joannem XXII. conſecrationem memoriæ B. Philippi prædeceſſoris ſui, 1323. LXVII.

Guillelmus archiep. Viennenſis ad pacem inter Gallos & Anglos conciliandam miſſus, 1326. XI.

Guillelmus deſignatus epiſcop. Lucenſis; illi indagandi antipapæ latibula data provincia, 1330. II. Et illius adigendi ad hæreſim & ſchiſma damnanda, *ibid.* IX. Et ejus cenſurarum nexu liberandi, *ibid.*

Guillelmus e Cigiis epiſc. Tauriſienſis miſſus ad Perſas, 1330. LVI.

Guillelmus ſacerdos Taurinenſis cæſus a Waldenſibus, 1332. XXXI.

Guillelmus Minorita apud Tartaros affectus martyrio, 1333. XLIV.

Gymnaſia; de iis conſtituendis agit Joannes XXII. cum Armeniis, 1318. XV. XVI. *Vide*, Academia.


# H


HAbere. *Vide*, Dominium.

Hæreſes, Hæretici; hæreſes Marſilii e Padua, 1313. XIX. Pontificis auctoritatem evertere conatur, *ibid.* Variæ Fraticellorum ſectæ, 1317. LVI. *Vide*, Fraticelli. Hæretici ad eccleſias perfugientes privilegio aſyli carent, 1317. LXI. Arnaldi e Villanova errores damnati, *ibid.* LXII. Novæ hæreſes in Boemia & Polonia ſerpunt, 1318. XLII. Pontificia ſtudia in iis excidendis, *ibid.* Epiſcopus Cracovienſis inertiæ de ea re a Joanne XXII. perſtrictus, *ibid. & ſeq.* Reges excitati ad illos evertendos, *ibid.* XLIV. Rex Boemiæ hæreticos flammis damnat, *ibid.* Nonnulli Lollardi ſimiliter exuſti, *ibid.* Hæreſes pſeudominoritarum, *ibid.* XLV. *& ſeq.* Henricus e Ceva hæreſiarcha, *ibid.* Quatuor pſeudominoritæ flammis traditi, *ibid.* LIII. Culti a ſequacibus ut martyres, *ibid.* Alii etiam addicti incendio, *ibid.* Serpentem in Græcia hæreſim excindi jubet Pontifex, *ibid.* LVII. Renovatæ in hæreticos veteres leges, 1319. XIV. Hæreſis in Boſnia graſſatur paſtorum inertia, *ibid.* Præcipui errores, qui in ipſa ſerpebant, *ibid.* Pontificis in iis excindendis ſtudia, *ibid.* Suſpecta ſcripta rigide interpretanda, *ibid.* XXIV. Philibertus Waldenſis apud Auxitanos affectus ſupplicio, 1320. XIX. De Bizochiorum ſecta, 1321. XVIII. *Vide*, Bizochii. Guillelma meretricula fingit Spiritum ſanctum in ipſa incarnatum, 1324. IX. Flammis exuſta Mediolani, *ibid.* Sequaces habuit, *ibid.* Manfreda, quæ in eam crediderat exuſta, *ibid.* Carnis reſurrectio negata a Matthæo Vicecomite, *ibid.* Impia inter Minoritas ſpiritualium ſecta excindi juſſa, 1325. XXVII. Boſnia contaminata hæreticis, *ibid.* XXVIII. Expurgandæ illi dat operam Pontifex, *ibid.* Cypriorum variæ hæreſes, 1326. XXVIII. Marſilii & Janduni hæreſiarcharum hæreſes, 1327. XXVII. *& ſeq.* Confutatæ & damnatæ a Joanne XXII. *ibid.* *Vide*, Marſilius e Padua. Hæreſis Franciſci Aſculani, 1327. XLVI. Ipſe exuritur, *ibid.* Carolus Ungariæ Rex hæreticos inſectatur, *ibid.* XLVIII. Echardus hæreſiarcha, 1329. LXX. Damnati ejus errores, *ibid.* Pontificiæ in excindendis hæreſibus curæ, 1331. I. 1332. XXVIII. *Vide*, Jacobus Peyt. Petrus Joannis Olivi. Pſeudominoritæ. Et Tertii ordinis S. Franciſci fratres.

Haſtiludia vetita a Clemente V. 1313. VI. Viri nobiles ejuſmodi ludis addicti, *ibid.* VIII. Secuta inde mala ingentia, *ibid.* Ludicris iis certaminibus affuturis pœnæ objectæ, *ibid.* Vetita haſtiludia Avenione, 1327. L.

Hebraica lingua una cum Græca, Arabica, & Chaldaica in ſcholis docenda, 1326. XXIX.

Hedvviges Regina Poloniæ religioſæ vitæ ſe addicit, 1333. XXX.

Helionus princeps Rhodiorum equitum in conſiſtorio deſignatus, 1319. XI. Componit ſuas cum Hugone Rege Cypri controverſias, 1328. LXXXVI.

Henricus Rex Cypri bellum gerit cum Rege Armeniæ, 1318. XVII. Genuenſes vetiti in eum parare claſſem, *ibid.* Illum inter & Genuenſes agitatum concordiæ colloquium, 1329. IX. Armeniis a ſoldano oppreſſis opem fert, 1322. XXXV. 1323. XI. Ejuſdem barbari iras in ſe concitat, *ibid.* Juvatur a Pontifice decumano auro, *ibid.* Cum Leone Rege Armeniæ de novo fœdere paciſcendo agit, *ibid.* XIII.

Henricus Cypri Rex; Joannis XXII. ad eum literæ, ut inducias cum Liguribus ſervet, 1319. X. §. Quam ſit.

Henricus dux Clogoviæ; ejus literæ ad Joannem XXII. Pontificem, quibus Poloniam eccleſiæ vectigalem profitetur, 1324. LIII. § Ad agendas.

Henricus Lucemburgenſis monetur a Clemente Papa, ut Genuenſes a Cypro invadenda abducat, 1313. XI. Judicio agit in Florentinos, *ibid.* Sententiam in Robertum Regem Siciliæ pro-

pronuntiat, *ibid.* XII. Diſſenſionis cauſam in eundem derivat, *ibid.* Illatas a Roberto injurias recenſet, *ibid.* XIII. & *ſeq.* Capitali damnat ſententia, *ibid.* XV. Ejuſdem ſententia reſciſſa a Clemente, *ibid.* XVI. & *ſeq.* Ingentem claſſem adornat, *ibid.* XX. Vetatur intentato anathemate oppugnare Neapolitanum regnum, *ibid.* XXI. Spreto anathemate accingit ſe invadendæ citeriori Siciliæ, *ibid.* XXII. In ipſo conatu divinitus opprimitur, *ibid.* XXIV. Refellitur fabella de veneno in Euchariſtia ei propinato, *ibid.* Cauſæ mortis naturales, *ibid.* XXV. Ejus elogium, *ibid.* XXVI. Alii nævi, *ibid.* Perfidia in affectando urbis dominatu, *ibid.* Perjurium multiplex in præſtitis ſacramentis infringendis, *ibid.* XXVII. Cupiditas in invadendis alienis, *ibid.* Doli inſignes, *ibid.* Impudentia in negando præſtitum a ſe fidei ſacramentum Pontifici, *ibid.* XVIII. Ejus obitus maximos animorum motus attulit, *ibid.* XXIX.

B. Henricus Tarviſinus pie moritur, 1314. IV. *Campanæ divinitus pulſatæ, ſuaviſſimo edito concentu, plebem ad ejus funera evocant, ibid.* Coruſcat miraculis, *ibid.* Fundens preces imbre effuſe cadente non perluitur, *ibid.*

Henricus magiſter cruciferorum multa cum Lithuanis bella gerit, 1317. L.

Henricus Cæva hæreſiarcha & Franciſcanæ diſciplinæ apoſtata, 1318. XLV. Fœdi ejus errores, *ibid.*

Henricus Auſtriacus a fratre Friderico Cæſare electo cum expedito equitatu miſſus adverſus Matthæum Vicecomitem, 1322. X. Abnuit puguare pro aſſerenda Roberto Siciliæ Regi vicaria præfectura imperii apud Inſubres, *ibid.* Abſcedit in Germaniam, *ibid.* Cum Friderico fratre a Ludovico Bavaro capitur, *ibid.* XIV.

Henricus dux Magnopolenſis Roſtochium Chriſtophoro Regi reſtituere abnuit, 1323. XXII. Intentatæ illi, flagitante Chriſtophoro, cenſuræ, *ibid.*

Henricus Goritiæ comes Tarviſio potitus inter nuptiales epulas veneno ſublatus, 1323. XXIII.

Henricus archiepiſcopus Colonienſis ſuccedit Matthiæ, 1329. LXXIII. Jubetur Echardi hæreſiarchæ errores excindere, *ibid.* Adverſus Trevirenſem ope Pontificis principatui aſſertus, 1333. XXIX.

Heraclea a Mauris erepta Hiſpanis, 1333. XX.

Hervæus ordinis Prædicatorum magiſter defendit religioſos & juriſdictionem eccleſiaſticam adverſus Joannem e Poliaco, 1321. XXXIII. Conſultus a Pontifice ſcribit de paupertate evangelica adverſus Fraticellos, 1323. LVIII. Hervvartus fruſtra Ludovicum Bavarum excuſat, 1324. XXXII. Refellitur, 1325. VI. Traducendi Joannis XXII. & commendandi Bavari partes arripuit, 1328. XXXVI.

Hibernia ſedis Apoſtolicæ beneficiaria, 1326. XXIV. XXV. 1320. XLII. Eduardus II. paciſcitur cum Pontifice de ſolvendo deinceps cenſu a patre, & a ſe non ſoluto, 1316. XXIV. XXV.

Hiberni ſentientes cum Roberto Bruſio cenſuris percuſſi, 1317. XLII. Reſpondent, ob Eduardi II. tyrannidem arma ſumere ſe compulſos, *ibid.* XLIV.

Hierarchia eccleſiaſtica; nefandus error Marſilii & Janduni contra illam ad Ludovici Bavari gratiam, 1327. XXXII. Confutatur graviſſimis argumentis *ibid.* Defenſa a Bertrando epiſcopo Eduenſi adverſus Petrum e Cuneriis, 1329. LXXV. *Vide*, Romanus Pontifex.

Hieronymus epiſcopus Caphenſis converſioni fidelium egregiam dat operam, 1320. IV. Primus ejus urbis epiſcopus, 1322. XLV. Ejus epiſcopatus limites, *ibid.*

Hoſpilatarii equites S. Jo. Jeroſolymitani; Balearica Templariorum prædia iis attributa, 1313. XXVIII. Juſſi munera, ad quæ obſtricti erant Templarii, obire, *ibid.* Conjurant in Fulconem Villaretum ordinis principem, 1317. XXXV. Mauritium e Pagnaco illi opponunt, *ibid.* Helionus eorum magiſter deſignatus, 1319. XI. Ad Anthiochetam & Siquinum in Armenia dono accipienda defendendaque in barbaros ſolicitati, 1322. XXIV. Fœdus ineunt cum Pontifice Gallo & Siculo Regibus, Venetis & Cypri Rege adverſus Turcas, 1333. XIV.

Hoſtaſius Ravennæ tyrannidem, cæſo Raynaldo, invadit, 1322. IV.

Hugo Rex Cypri monitus a Joanne XXII. ut cenſorem fidei fulciat adverſus Neſtorianos, Jacobitas, & Græcos negantes infernum & purgatorium vel ſanctorum animas cœlo excipi uſque ad finem judicii, vel porrigentes Euchariſtiam jumentis ægris, 1326. XXVIII. Controverſiam cum Genuenſibus exercet, 1328. LXXXVI. Pontificia opera diſcuſſa expeditio, quæ in eum parabatur, *ibid.* Componit lites ſuas cum Rhodiis, *ibid.*

Hugo Spenſerius cum Iſabella Regina exercet inimicitias, 1326. XIII. §. Inſuper. Allata ab Angliæ Rege ad illius excuſationem, *ibid.*

Humbertus archiep. Neapolitanus juſſu Pontificio inquirit de miraculis S. Thomæ Aquinatis, 1321. XXXII.

Humilitas; Franciſcus Dandulus orator Venetus, injecta collo catena ſe ad Clementis V. pedes abiicit, 1313. XXXIII.

Humanitas Chriſti. *Vide*, Chriſtus.

Hunifridus comes Arundeliæ ob nimiam Spenſeriorum gratiam conjurat in Eduardum 1322. XX. Haſta perfoſſus perit, *ibid.*

S. Hyacintus; infans ejus ope ad vitam revocatus, 1331. XLII.

Hypocritarum ſimulata virtus in vitia degenerans, 1317. LXIII. LXIX.

# I

JAcobitæ negant in Chriſto duas naturas, 1326. XXVIII. Cenſura fidei in hos exerceri juſſa a Joanne XXII. *ibid.* Ad dogma orthodoxum amplectendum ſolicitati, 1330. LVII.

S. Jacobi equeſter ordo; eum redintegrare ſtudet Joannes XXII. 1317. XL.

Jacobus Rex Aragonum rogatur a Clemente PP. ut regio edicto Catalanam ſocietatem graſſantem in catholicos ex Attica divellat, 1314. VIII. Miſſis oratoribus clientelarem ſponſionem Joanni XXII. acceptæ Sardiniæ & Corſicæ apoſtolica beneficentia ergo exhibet, 1316. XXVII. Interpretem concordiæ ſe gerit ad conciliandos utriuſque Siciliæ Reges, 1318. XXXI. Fridericum fratrem cum Roberto Rege conciliare nititur, 1321. XL. Liberandis captivis piam dat operam, *ibid.* XVI. Alfonſi filii virtute Sardiniam ex parte occupat, 1323. XXXVII. Univerſam excepta Calari ſibi ſubiicit, 1324. XXXIV. Parta Sardinia, cenſu liberari poſtulat ab Apoſtolica ſede, *ibid.* & *ſeq.* Ingratus ejus in ea re animus, *ibid.* Remiſſa ei ad decennium cenſus pars, *ibid.* XXXVI. Balearicum regnum, mortuo Sancio, affectat, *ibid.* Acceptam Pontifici Sardiniam refert, 1325. XVII. De remiſſo ad decennium dimidio cenſu gratias agit, *ibid.* XVIII. Cavet juri pontificio, id beneficium ſucceſſoribus Pontificibus fraudi non futurum, *ibid.* Armorum vim adverſus Ludovicum Bavarum Pontifici defert, 1327. XXXIX. Monitus de tuendis juribus eccleſiæ Tarraconenſis, *ibid.* Obſtat ne Rex Balearis cum magnate Aragonio certamine ſingulari dimicet, *ibid.* Jacobi mors, *ibid.* Idem ſanxit Cataloniam, Valentiam, & Aragoniam non dividendas, *ibid.*

Jacobus Molai Templariorum magiſter ob revocatam confeſſionem in tormentis editam flammis exuſtus, 1313. XXXIX.

Jacobus de via Joannis XXII. nepos creatus Cardinalis tit. SS. Joannis & Pauli, 1316. XX. Brevi extinctus, *ibid.*

Jacobus epiſcopus Gabanenſis miſſus in occidentem ab Oſſinio Rege Armeniæ pro implorandis ſuppetiis, 1317. XXXV. Fidem orthodoxam a Joanne XXII. propoſitam profitetur, 1318. VIII. Docetur, ſacramentum confirmationis ab epiſcopis tantum conferendum, *ibid.* IX. Ab eiſdem tantum conficiendum ſacrum chriſma, *ibid.*

Jacobus ſceptri Aragonici heres transfuſis in fratrem Alfonſum regni juris Calatravæ diſciplinam profitetur, 1319. XXIX.

Jacobus Minorita a Saracenis ob fidem in flammas injectus, 1319. XXXI. In iis illæſus Deum laudat, *ibid.* Ferro necatur, *ibid.*

Jacobus Novellus Furnerius epiſcopus Mirapiſcenſis Cardinalis ſcribit in pſeudominoritas & Fraticellos, 1323. LXIII. Creatur presbyter Cardinalis tit. S. Priſcæ a Joan. XXII. cui poſtea, accepto Benedicti XII. nomine, in pontificatu ſucceſſit, 1327. LV. Joannis literæ ad ipſum tum datæ, *ibid.* De pluribus quæſtionibus juſſu Joannis XXII. ſcribit, 1333. LIX. & *ſeq.* Ut parto pontificatu ſcripta diſcuti a theologis voluerit, *ibid.* LXIX. Ea cenſuræ eccleſiæ ſubjecerit, *ibid.*

Jacobus Rex Balearis ſuccedit Sancio in regno illo, 1324. XXXVI. Ejus principatus affectatus ab Aragone, *ibid.* Ejuſdem clientela ſuſcepta a Pontifice, *ibid.* A magnate Aragonio provocatur in certamen ſingulare, 1327. XXXIX. Pontifex ſcelus diſturbat, *ibid.* Fœdere junctus Aragonio adverſus Ligures, 1331. XXVII. Cum Gaſtone Fuxi comite bellum gerit, *ibid.* Imperatæ inter utrumque induciæ a Pontifice, *ibid.* XXVIII. Variis excurſionibus ab Afris vexatus, *ibid.* XXIX.

Jacobus princeps Balearicum regnum religioſæ vitæ amore abiicit, 1324. XXXVI.

Jacobus Peyt latronum princeps Flandriam fœdat cædibus, & clerum crudeliter inſectatur, 1326. IV. Obtruncatur, *ibid.* Ejus memoria damnata hæreſeos, *ibid.*

Jacobus Sabellus Ludovico Bavaro favet, ut urbe potiatur, 1328. I.

Jacobus Albertus Caſtellanus epiſcop. exauctoratus imperiali inunctione linit Ludovicum Bavarum, 1328. III. Creatur ab antipapa pſeudocardinalis, *ibid.* XLIII. In Germania pſeudolegatum agit, *ibid.* XXVIII.

Jacobus Columna præſente in Urbe Ludovico Bavaro, pontificiam in eum ſententiam promulgat, 1328. XX.

Jacobus Duglaſſius cor Roberti Regis Scotiæ, uti caverat teſtamento, ſecum defert in prælio adverſus Saracenos, 1329. LXXXI. In prælio occumbit, *ibid.*

Jadera ad Venetam ditionem revocata a Joanne Superantio duce, 1321. XLV.

Jandunus hæreſiarcha una cum Marſilio plures hæreſes ad Cæſarum gratiam fingit, 1327. I. Ejus patrocinium arreptum a Ludovico, *ibid.* XXI. Quæ fuerint eæ hæreſes, utque a Pontifice confutatæ, *ibid.* XXIX. & *ſeq.* Damnatur decretoria ſententia, *ibid.* XXXV. Comparatur beſtiæ ex abyſſo prodeunti, 1328. VII. Data legato illius conprehendendi provincia, *ibid.* X. *Vide*, Marſilius e Padua.

Idola; nonnulli idolorum & dæmonum cultui in Italia ſe mancipant, 1321. XXXVIII. Promulgata in eos ſacra militia, *ibid.* Recinetenſes idololatria ſe contaminant, *ibid.* Funditus delentur, 1321. III. *Vide*, Dæmones.

Jejunium quadrageſimale ſpretum a Lollardis, 1318. XLIV. Quam infames alios errores addiderint hi hæretici, *ibid.*

Jerarchia. *Vide*, Hierarchia.

Jeſu Chriſti militia inſtituta in Luſitania, 1319. XXIX.

Ignis; igne ereptus juvenis, qui ſe Deiparæ commendarat, 1320. LI.

Imagines ſanctorum; S. Georgii imago præſagia excindendi Conſtantinopolitani imperii dat, 1321. XVI. Imagines magico carmine confictæ ad necandum Pontificem & Cardinales, 1317. LII. LIII. Item ad necandum Carolum IV. Regem Francorum, 1327. XLIV. In magos hujuſmodi imagines ſtructores inquiri juſſum, *ibid.* XLV. Imagines baptizatæ a magis, 1318. LVII.

Imperator, Imperium; Robertus Siciliæ Rex creatus a Pontifice imperii in Italia vicarius, 1314. II. & *ſeq.* Ante electionem Imperatoris miſſa de Spiritu ſancto celebratur, *ibid.* XIX. Electionis Regis Romanorum forma, *ibid.* XXI. XXII. Vacantis imperii adminiſtratio ad Pontificem ſpectat, 1317. XXVII. 1319. VI. Objectum anathema iis, qui urbium præfecturas ab aliquo tum, quam ab eodem Pontifice accipiunt, 1317. XXVIII. Scaligero & ſociis imperat Pontifex, ne Tarviſium bello vexent, 1319. VI. Inſubres Roberto Regi ejuſque legato Philippo obſequi juſſi, 1320. IX. Diſſidentibus in eligendo Cæſare principibus, ad Romanum Pontificem ſpectat dirimere æquitate controverſiam, *ibid.* 1323. XXX. Bertrandus Cardinalis creatus in terris imperii pacis ſervator, 1320. X. Objectum anathema proceribus Gibellinis ſine pontificia auctoritate publicam adminiſtrationem corripientibus, *ibid.* Imperium tranſlatum ab Apoſtolica ſede, 1321. XLVIII. Imperator a Papa deponi poteſt, *ibid.* Monetur Ludovicus Bavarus, ut ab imperii adminiſtratione abſiſtat, donec a ſede Apoſtolica confirmatus ſit, 1323. XXXII. Pœnæ reſpuenti imperia intentatæ, *ibid.* *Vide*, Ludovicus Bavarus. A Francorum Rege affectatur imperium 1324. XIX. 1325. I. & *ſeq.* Joannis XXII. & aliorum conſilium de imperio ad Gallos transferendo, 1325. V. VI. VII. Ad Imperatorem non ſpectare Pontificem inſtituere ac deturbare. *Vide*, Pontifex Romanus. Robertus Siciliæ Rex adminiſtrator vacantis imperii pontificia auctoritate promulgatur, 1326. III. Efferendi imperii ſpeciæ infandæ hæreſes a Marſilio & Janduno ad Pontificem & eccleſiam evertendos, 1327. XXIX. Refelluntur illæ a Pontifice, *ibid.* Finxit Marſilius Pontifici ſuccedere Cæſarem vacante ſede, *ibid.* XXXVI. Refellitur, *ibid.* Imperator Pontificem judicare non poteſt, 1328. XVII. Imperialis poteſtas non eſt ita independenter a Deo ut ab hominibus proxime non pendeat, *ibid.* XXIII. Pendet imperium a Pontifice, *ibid.* XXIV. Imperialis poteſtas a ſpirituali dirigenda, *ibid.* & *ſeq.* Ab eadem ducit principium, *ibid.* Ab ea judicatur, *ibid.* Spectare ad Pontificem confirmare Cæſarem oſtenditur, *ibid.* XXVIII. Imperium eſſe a Deo non excludit quin medio Pontifice, *ibid.* Magis Pontifici obnoxius Imperator, quam ſint cæteri Reges, *ibid.* XXIX Non exinde iis inferior, ſed ſublimior, *ibid.* Allatum a Ba-

a Bavaro exemplum de Othone Imper. Joannem XII. exauctorante, refellitur, *ibid.* XXXIII. Imperator a Pontifice poteſt exauctorari, *ibid.* XXXVI. Principes electores novum Cæſarem creare juſſi, *ibid.* XXXIX. Piſani ad eccleſiæ Romanæ obſequia reverſi profitentur neminem Imperatorem eſſe poſſe, niſi confirmatum a ſede Apoſtolica, 1329. VI.

Imperium; adminiſtratio imperii ad Pontificem devolvitur, vacante ſolio auguſtali, 1320. XIII. Publica res nomine pontificio adminiſtrari juſſa, vacante imperio, 1322. XIII.

Impoſtores ſine ſacerdotio ſacras confeſſiones excipiunt, 1322. n. ult. Indulgentias fictas impertiunt, *ibid.* Coerciti a Joanne XXII. *ibid.*

Incarnatio Verbi divini negata a Waldenſibus, 1332. XXXI.

Indulgentiæ pro Regis Francorum Ludovici anima precaturis propoſitæ, 1316. XII. Fundentibus Deo preces pro Rege Francorum conceſſæ, 1317. VIII. Sepulcrum B. Thomæ Herefordenſis veneraturis propoſitæ indulgentiæ, 1320. XLVI. Pro Chriſto contumelias patientibus indulgentias impertit Joannes XXII. 1321. IV. Conceſſæ Chriſti fidelibus preces pro pace obtinenda porrecturis Deo, 1322. XVI. Et oraturis pro Regis Francorum anima, *ibid.* XXII. Et pro novo Rege preces porrecturis, *ibid.* XXVI. Indulgentiæ futiles a Fraticellis ſuis ſequacibus promiſſæ, 1331. VI. *Vide*, Cruceata ſive Cruceſignata militia.

Indulgentiæ Saracenicæ, 1319. XXXII.

Infantes ad Saracenorum terras deferri vetiti, 1331. XXIX.

Infernus negatur a nonnullis Græcis Cypri incolis, 1326. XXVIII. In hos cenſura fidei exerceri juſſa a Joanne XXII. *ibid.*

Injurias remittere. *Vide*, Clementia.

Innocentius X. Cardinalium ac doctorum vocato cœtu damnat errorem de primatu S. Pauli una cum B. Petro fuiſſe, 1321. XXXIII.

Interceſſio ſanctorum; eam contemnunt Lollardi hæretici, 1318. XLIV.

Interdictum eccleſiaſticum violatum a Matthæo vicecomite, 1323. VIII. Et a Galeatio ejus filio, *ibid.* Et a Ludovico Bavaro, 1327. XXI.

Invidia; ſacrum Granatenſe bellum invidia principum diſturbatur, 1317. XXXVIII.

Joanna Ludovici Hutini & Blancæ Reginæ Francorum ob adulterium necatæ filia Navarræ regnum affectat paterno jure, 1316. XVIII. Ob incertum partum regno excluſa Navarræ, & ob legem ſalicam Gallico, *ibid.* Moriente Carolo IV. Francorum & Navarræ, ſceptrum Navarræ adepta, 1328. LXIX.

Joanna S. Ludovici epiſcopi Toloſani neptis Oſſinio Regi Armeniæ nupta, 1317. X.

Joanna Regina Franciæ & Navarræ; Conſolatoriæ ad eam ob Caroli IV. viri mortem literæ, 1328. LXVIII. Suſcepta ab ea filia regno excluſa, *ibid.*

Joanna Regina Francorum commendat Minoritarum ordinem Joanni XXII. 1328. LXVII. Quid illi a Pontifice reſponſum, *ibid.*

Joannes Superantius Veneti exercitus dux Franciſcum Dandulum ad Pontificem liberationem a cenſuris petiturum mittit, 1313. XXXII. Ut expiatis cenſuris, & una cum Venetis priſtinis juribus reſtitutus fuerit, *ibid.* XXXIII. Jaderam ad Venetam ditionem revocat, 1321. XXXI. Affectat eccleſiaſticæ ditionis jura, 1322. XIII. Monetur ut ab iis abſtineat, *ibid.*

Joannes Rex Boemiæ Henrici VII. Imp. filius de regno Poloniæ cum Wladiſlao Lokteko contendit, 1319. IV. Dobrinam & Wladiſlavienſem tractum ſubigit, *ibid.* V. In Lithuanos bellum gerit, *ibid.* Ex nebuloſo aere oculum amittit, *ibid.* Pomeraniam Pruthenis equitibus attribuit, *ibid.* Querenti Wladiſlao inſultat, *ibid.* Ob ejus dicterium revocata a Polonis diu intermiſſa regia dignitas, *ibid.* Excitatur a Pontifice, ut pullulantes in Boemia hæreticos comprimat, 1318. XLIV. Eos flammis damnat, *ibid.* Solicitatur ad conjungenda cum Hungaris in ſchiſmaticos arma, 1320. III. Sileſiam ſibi ſubiicit, *ibid.* IV. Munitur pontificiis monitis, ne ſparſis a Bavaro mendaciis circumveniatur, 1324. XVII. Favet Gallo ad imperium in eum transferendum, 1324. XIX. Mortua Maria ſorore, cœptis abſiſtit, *ibid.* Adverſatur eidem, ne renuntietur Cæſar, ejuſque conſilia difflat, 1325. VII. Oratores ad Pontificem mittit pro Aſiatica expeditione ſuſcipienda, 1325. XXX. Firmatur in ſuſcepto conſilio a Pontifice, *ibid.* Solicitat cum nonnullis principibus Pontificem, ut Ludovicum Bavarum aſſerat imperio, 1330. XXVIII. XXXVII. Quid ipſi reſponſum, *ibid.* XXIX. Rogatur, ut de novo creando Cæſare cogitet, *ibid.* XXXIII. Ludovici partibus obnixe adhæreſcit, *ibid.* XXXIV. Iterum concordiæ formulam pro Bavaro conciliando eccleſiæ proponit, *ibid.* Obiicitur illi, molitum ipſum pellicere ad partes Ludovici Azonem, *ibid.* XXXVI. A partibus eccleſiæ Auſtriacum & alios divulſiſſe, *ibid.* Objecta ei ingrati in eccleſiam animi labes, *ibid.* XXXVII. Ipſius patrem Clementis V. opera adeptum imperium, *ibid.* Arguitur hæretici hominis fautorem eſſe, *ibid.* XXXVIII. In Italiam expeditionem ſuſcipit, *ibid.* XXXIX. A Brixianis & Bergomatibus excipitur, *ibid.* Fingit, ſe conſentiente Pontifice veniſſe in Italiam ac refellitur, 1331. XVIII. Lucam in ſuam poteſtatem redigit, *ibid.* XIX. Parma, Regium, & Mutina illi ſe ſubiiciunt, *ibid.* Init cum pontificio legato fœdus, *ibid.* In utrumque Guelphi & Gibellini conjurant, *ibid.* Non in Italia modo, ſed in Germania plures in eum hoſtes conſurgunt, *ibid.* In Germaniam redire coactus, *ibid.* Alfonſo Regi Aragonum operam adverſus Mauros Granatenſes defert, 1331. XXX. Controverſiarum Italicarum Pontificem arbitrum deſignat, 1333. XXVI. Re male in Italia geſta Germaniam repetit, *ibid.*

Joannes Gravinæ princeps Roberti Regis frater Iſabellam Achaici principatus heredem uxorem ducit, 1318. XXXIV. Peloponeſo potitur, 1325. XXXI. Mittitur a Roberto Rege ad Romam adverſus Ludovicum Bavarum defendendam, 1327. V. Propulſatur, *ibid.* Irrumpit noctu & eiicitur, *ibid.* Solicitatur ad fœdus ineundum in Turcas, 1328. LXXXVI. Nepoti paternis in Græciam juribus ſuccedenti ſponſionem clientelarem addicere ſubterfugit, 1332. XVIII.

Joannes XXII. renuntiatur Pontifex, 1316. II. Illius pater Arnaldus ſutor veteramentarius, *ibid.* Ejus primitiæ & virtutes, *ibid.* Refellitur fabella, quod ſeipſum elegerit, *ibid.* III. Quod ſacramentum repetendæ Italiæ eluſerit, *ibid.* Lugduni pontificium inſigne accipit, *ibid.* V. Ejus literæ encyclicæ de parto pontificatu, *ibid.* VI. De expeditione Aſiatica conficienda agit, *ibid.* Ludovicum Bavarum ad concordiam cum Friderico Auſtriaco ſolicitat, *ibid.* X. Orantibus pro Joanne Francorum Rege indulgentias proponit, *ibid.* XIII. Clementiam Reginam ex morte filii Regis dolore confectam ad Chriſtianam conſtantiam erigit, *ibid.* XIV. Internuntios ad pacandas res Gallicas mittit, *ibid.* XV. Proceres Gal-

los



los ad concordiam hortatur, *ibid.* XVI. Et Philippum principem, *ibid.* XVII. Eundem ornat prærogativis, *ibid.* XVIII. Lugduno Avenionem petit, *ibid.* XX. Creat plures Cardinales, *ibid.* Conſtabiliendæ ſedis Avenione conſilium init, *ibid.* XXI. Creat Robertum Regem Romæ ſenatorem, *ibid.* XXIII. Regis Angliæ oratores, profitentes Angliam beneficiariam ſedis Apoſtolicæ admittit, *ibid.* XXIV. *& ſeq.* Jacobus Rex Aragonum Sardiniam & Corſicam Joannis beneficentiæ acceptas refert, *ibid.* XXVII. *& ſeq.* Philippum Regem Francorum, obſequia deferentem, monitis informat Pontifex, 1317. II. III. IV. Judicia artemque tonſoriam diebus dominicis exerceri vetat, *ibid.* IV. Sancium Regem Gallo Regi conciliare nititur, *ibid.* V. Ad conſtantiam in rebus aſperis Gallum hortatur, *ibid.* VI. Conjuratos ad officium adducit, *ibid. & ſeq.* Pluribus illum prærogativis afficit, *ibid.* VIII. Ludovicum epiſcopum Toloſanum ſanctorum catalogo adiicit, *ibid.* IX. Ea de re Mariæ Reginæ ejus matri gratulatur, *ibid.* Ejuſdem ſancti conſanguineos ad virtutes ſectandas hortatur, *ibid.* X. Toloſanam eccleſiam archiepiſcopali apice inſignit, *ibid.* XII. Plures in Galliis condit epiſcopatus, *ibid.* Canonicorum collegia in pluribus oppidis inſtituit, *ibid.* Clericos ſontes privilegiis exuit, *ibidem*, XIII. Baſilienſem epiſcopum, injuſtum gerentem bellum, cenſuris ab illo revocat, *ibid.* XIV. Clericos mercatores & judices pœnam ſanguinis infligentes prærogativa clericali orbat, *ibid.* Decernit eccleſias aſylum hæreticis non futuras, *ibid.* Clementis conſtitutiones in academias evulgat, *ibid.* XV. Pariſienſis academiæ corruptelas tolli imperat, *ibid.* Alias curat academias, *ibid.* XVI. Guillelmum epiſcopum Trecenſem, & Petrum Textoris ad utriuſque Siciliæ Reges conciliandos mittit, *ibid.* XVII. A Friderico Rhegium & alia Calabriæ loca reſtitui jubet, *ibid.* Cenſuris ad id adigit, *ibid.* XVIII. *& ſeq.* Fridericum, Regis Siciliæ nomen affectantem, objurgat, *ibid.* XXII. Oratorem Roberti, regio nomine clientelarem ſponſionem exhibentem, admittit, *ibid.* XXIII. *& ſeq.* Salubribus præceptis Robertum imbuit, *ibid.* XXV. Et Sanciam Reginam, *ibid.* XXVI. Admonet caſtitatis votum, viro non aſſentiente nuncupatum, non eſſe Deo acceptum, *ibid.* Vacantis imperii adminiſtrationem ſibi debitam oſtendit, *ibid.* XXVII. Vetat, objecto anathemate urbium adminiſtrationem alia, quam pontificia auctoritate corripi, *ibid.* XXVIII. Sacramenta contraria præſtita reſcindit, *ibid.* Vicariam imperii præfecturam in Italia Roberto pollicetur, *ibid.* XXIX. Ferrariam amittit adminiſtrorum vitio, *ibid.* Ferrarienſibus intendit judicium, *ibid.* XXX. Sacrorum uſu eos interdicit, *ibid.* XXXI. Beneventanos reprimit, *ibid.* Bertrandum ac Bernardum viros religioſos inſignes ad ſedandas Inſubriæ civiles diſcordias legat, *ibid.* XXXII. Exponit civilium bellorum mala, *ibid. & ſeq.* Gibellinos principes admonet, ut bello abſtineant, *ibid.* XXXIV. Imperat inducias, *ibid.* Genuenſes ab inferendo Cypriis bello deterret, *ibid.* XXXV. Urget ad ipſorum cives, Mahometis ſigna præferentes coercendos, *ibid.* XXXVI. Sancio Baleari Regi contra Afros decumas attribuit, *ibid.* XXXVII. Et Caſtellanæ regiæ procuratorii contra Granatenſes, *ibid.* XXXVIII. Templariorum bona ſita in Aragonia addicit Hoſpitalariis, *ibid.* XL. Monteſianam militiam in Valentino regno condit, *ibid.* Et alium equeſtrem ordinem in Luſitania, cui a Chriſto, nomen eſt, *ibid.* Equites S. Jacobi Luſitanos Caſtellano magiſtro parituros decernit, *ibid.* Luſitanos ad Dionyſii Regis obſequium redire intentatis cenſuris præcipit, *ibid.* XLI. Eundem Regem Portugalenſis urbis imperium epiſcopo reſtituendum monet, *ibid.* Cardinales legatos in Angliam decernit, *ibid.* XLII. Scotis ob Angliam & Iberniam infeſtatas anathema, percutit, *ibid.* Eduardum monet, ne Hibernos acerbioribus vexet imperiis, *ibid.* XLIII. Anglos principes illi conciliare nititur, *ibid.* XLV. Præceptis eundem informat, *ibid. & ſeq.* Admonet, ut legatis clientelarem ſponſionem præſtet, *ibid.* XLVII. Anglicum & Hibernicum cenſum accipit, *ibid.* XLVIII. Cenſuras ab Honorio III. Cardinales injuria afficientibus incuſſas inſtaurat, *ibid.* Afficit nonnullis prærogativis Eduardum Anglum, *ibid.* XLIX. Denarium S. Petri e pluribus regnis colligit, *ibid.* Regem Ruthenorum & ducem Lithuaniæ ad eccleſiæ Romanæ conjunctionem provocat, *ibid.* L. Nonnulli cardinales in eum conſpirant, impulſore Bernardo Artigia, *ibid.* LI. Veneno pluries Joannes appetitur, deinde magicis execrationibus, *ibid.* LII. In veneficos inquirit, treſque ex imaginibus mortiferis in ſuam poteſtatem redigit, *ibid.* Magorum ſcelera exponit, *ibid.* LIII. Hugonem epiſcopum Caturcenſem exauctorat, carcerique addictum foro ſæculari permittit, *ibid.* LIV. B. Claræ e Monteſalcone miracula judiciario ordine diſcuſſa in publicas tabulas redigi jubet, *ibid.* LV. Neapoleoni Cardinali de illis cognoſcendi provinciam imponit, *ibid.* Usbech Tartarorum Imp. ad fidem chriſtianam allicere nititur, 1318. II. Soltanienſem ſedem in Perſide excitat, *ibid.* IV. Suffraganeos illi epiſcopos creat, *ibid.* VI. Plures viros religioſos ad gentes mittit, *ibid.* VII. Armenios in ſacris ritibus inſtruit, *ibid.* VIII. Docet non conferendum a ſacerdotibus confirmationis ſacramentum, *ibid.* IX. Non conficiendum ab iiſdem chriſma, *ibid.* Fidei formulam tranſmittit, *ibid.* Oſſinium ſolicitat, ut populos ad eam amplectendam pelliciat, *ibid.* X. Armeniorum catholicon ad dogma orthodoxum aſſerendum adhortatur, *ibid.* XII. Docet archiepiſcopum Armeniorum Caphenſem in Euchariſtia tranſubſtantiationem fieri, *ibid.* XIII. Miſcendam in calice vino aquam, *ibid.* Ejus rei myſteria explicat, *ibid.* Gymnaſia in Armenia ad docendas Latinas literas a Prædicatoribus inſtituenda curat, *ibid.* XV. Diſcordias inter Cypri & Armeniæ Reges ſopire ſtudet, *ibid.* XVII. Conciliandis cum Francorum Rege Belgis navat operam, *ibid.* XVIII. Corripit Flandriæ comitem de rejecta pace, *ibid.* XX. Labentis in oriente rei Chriſtianæ ſtatum exponit, *ibid.* XXII. Intentatis cenſuris Belgas ad officium redit, *ibid.* XXIII. Pronuntiat, Namurcenſem comitem recte in ſervanda pace ſe geſſiſſe, *ibid.* XXIV. Præceptis Philippum Regem imbuit, *ibid.* Partas male opes in ſacrum bellum derivari jubet, *ibid.* XXV. Montiſpeſſulani cives in patrocinium ſedis Apoſtolicæ accipit, *ibid.* Vetera de ea re privilegia confirmat, *ibid.* Peregrina dogmata a Pariſienſi academia amandari jubet, *ibid.* XXVI. Præſules ad conferenda ſacerdotia in Pariſienſi academia emeritis hortatur, *ibid.* Cantabrigianam academiam excitat, *ibid.* Robertum Scotiæ Regem anathemate feriri jubet, *ibid.* XXVII. Gratulatur Eduardo de parta in Hibernia victoria, *ibid. & ſeq.* Monet, ne jus eccleſiaſticum in collatione ſacerdotiorum invadat, *ibid.* Modum petendæ aſcriptionis Roberti archiepiſcopi Cantuarienſis inter ſanctos exponit, *ibid.* XXIX. Sacram actionem judiciariam de miracu-

lis B. Thomæ Aquinatis inſtitui jubet, *ibid.* XXX. De Roberto Rege ob ductas Genuæ moras expoſtulat, *ibid.* Ad componendum Genuenſe bellum incumbit, *ibid.* XXXI. Gibellinos arguit, vacante imperio non confugiſſe ad ſedem Apoſtol. *ibid.* XXXII. Robertum Siculum arguit Genuenſem dominatum Pontifici ſibique delatum accepiſſe, *ibid.* XXXIII. Vectigal a Friderico Rege Trinacriæ exigit, *ibid.* XXXIV. Cenſuris ob id non perſolutum ſuſceptis liberat, *ibid.* Raſciæ proceres fidei ardore in Uroſium ſchiſmaticum conſpirantes animat literis, *ibid.* XXXV. Joannem principem Caſtellanum ad gerendum Granatenſe bellum decumis juvat, *ib.* XXXVI. Patrocinium apoſtolicum illi pollicetur, *ibid.* Indulgentias cruceatam militiam profeſſuris proponit, *ibid.* Cæſarauguſtanam eccleſiam archiepiſcopali apice auget, *ibid.* XXXVIII. Tarraconenſem archiepiſcopatum diſgregat, *ibid.* Civile Luſitanum bellum pacare ſtudet, *ibid.* XXXIX. Alfonſum principem corripit, in patrem arma ſumpſiſſe, *ibid.* B. Eliſabetham ad concordiam inter virum & filium revocandam hortatur, *ibid.* Tranſmittit ſacrum reliquiarum munus Regi Luſitano, *ibid.* XL. Ab eo & aliis principibus variis muneribus afficitur, *ibid.* Internuntios ad repetendam Ferrariæ poſſeſſionem mittit, *ibidem*, XLI. In Ordelaffum Æmiliam invadentem judicio agit, *ibid.* XLII. Et in Fridericum comitem e Monteferetro, *ibid.* Scaligeri & Gibellinorum graſſationes comprimere nititur, *ibid.* Ungarum Regem hortatur, ut Jaurienſe oppidum epiſcopo reſtituat, *ibid.* Epiſcopum Cracovienſem ob gliſcentem hæreſim inertiæ arguit, *ibid.* XLIII. Principes ad eam excindendam e Polonia, Boemia, & Miſnia excitat, *ibid.* XLIV. Bizochos & Biguinos inſectatur, *ibid.* Novorum hæreticorum, e clauſtris Minoritarum erumpentium, errores confutat, *ibid.* XLV. Magos judicio perſequitur, *ibid.* LI. Emergentes in orientis oris Latino nomini ſubditis hæreticos coercendos curat, *ibid.* LII. In feminas, quæ ut nuberent ſchiſma vel hæreſim abjecerant, iterumque redibant ad vomitum, lege agi jubet, *ibid.* Xanctonenſis eccleſiæ pium morem de ſigno ad repetendam ter orationem angelicam, inclinante veſpere, dando confirmat indulgentiis, *ibid.* LIII. Varias pſeudoreligioſorum ſive Fraticellorum ſectas damnat, *ibid.* LVI. & *ſeqq.* Petunt ab eo Polonis ut regiam dignitatem intermiſſam Poloniæ reſtituat, 1319. I. Ob Regis Boemiæ cum Lokteko contentionem rem extrahit, *ibid.* IV. Delatum a Tarviſinis patrocinium arripit, *ibid.* V. Adminiſtrationem vacantis imperii ad ſe ſpectare docet, *ibid.* VI. Imperat Gibellinis, ut obſidionem ſolvant irrito exitu, *ibid.* Plures in Picæno adverſus eum rebellionem movent, *ibid.* VII. Bertrandum tit. S. Marcelli presbyterum Cardinalem legatum mittit in Italiam, *ibid.* VIII. Iſnardo patriarchæ Antiocheno Papienſis eccleſiæ adminiſtratori actionem intendit, *ibid.* Illum exauctorat, *ibid.* Florentinos oratores, intentatis cenſuris, a Philippo Sabaudæ regiæ principe liberandos curat, *ibid.* IX. Ad eum ſe confert Robertus Rex, *ibid.* Ad componendum vetus inter Genuenſes & Cypros bellum incumbit, *ibid.* X. Deligitur controverſiæ arbiter, *ibid.* Inducias imperat, *ibid.* Equitum Rhodiorum civilem diſſenſionem, utroque æmulo dejecto, componit, *ibid.* XI. Helianum a proceribus Rhodii ordinis deſignatum magiſtrum confirmat, *ibid.* Achaicos contra Catalanam ſocietatem animat, *ibid.* XII. In utramque Siciliam ad jura Romanæ eccleſiæ exigenda nuntium mittit, *ibid.* Pœnas publicas epiſcopi interfectori imponit, *ibid.* XIII. Statutas in hæreticos pœnas renovat, *ibid.* XIV. Maladinum principem Boſſinenſem ad hæreticos abolendos excitat, *ibid.* Ab Ungarico clero legationem excipit, *ibid.* XV. Conſulit Regi Francorum, ne ſuis diffidat, *ibid.* Ad rerum humanarum contemptum divinarumque amorem hortatur, *ibid.* Cenſurarum objecto metu Belgas ad pacem adigit, *ibid.* XVI. Philippum Regem ad expeditionis Aſiaticæ conſilio ob occidentis tumultus revocat, *ibid.* XVII. & *ſeq.* Rem prudenter decernendam auctor eſt, *ibid.* XVIII. Reſpondet Regi Angliæ prius bellum Anglicum ſopiendum, quam ſuſcipiatur Aſiaticum, *ibid.* XIX. Conſulitur ab Eduardo Anglorum Rege an balſamo quod a Deipara Thomæ Cantuarienſi archiepiſcopo datum ferebatur, jungendus foret, *ibid.* XX. Reſpondet, ſi nulla inſit ſuperſtitio, clam eo liniri poſſe, *ibid.* Præcipuos Scotiæ præſules ad ſe evocat, *ibid.* XXI. Actionem Roberto Regi intendit, *ibid.* XXII. Alfonſum Cerdam principatui reſtituere nititur, *ibid.* XXIV. & *ſeq.* Compoſtellanum archiepiſcopum ipſius ditioni aſſerere nititur, *ibid.* XXVIII. Ordinem militiæ Chriſti in Luſitania inſtituit, *ibid.* XXIX. Ad celebrandam S. Ludovici epiſcopi tranſlationem ſex Cardinales mittit, *ibid.* XXX. Acceptas de nonnullis Minoritis in India martyrio affectis literas in conſiſtorio legit, *ibid.* XXXI. Fridericum Auſtriacum ad ferenda contra Raſcios auxilia Ungaro ſolicitat, 1329. II. Et Boemum & Polonum, & Carinthium, *ibid.* Jura Lundenſis archiepiſcopi in Dano Rege coronando aſſerit, *ibid.* V. Extrahi regiam inunctionem jubet, *ibid.* Robertum Siculum in Inſubria interregem creat, *ibid.* IX. Jubet Inſubres Philippo comiti Cœnomanenſi Roberti legato obſequi, *ibid.* Bertrandum e Pojeto Cardinalem Apoſtolicæ ſedis legatum renuntiat in Italia, *ibid.* X. Et pacis ſervatorem, *ibid.* Obſiſtunt illi Gibellini duce Matthæo Vicecomite, *ibid.* XII. Hunc anathemate percutit, *ibid.* Actione hæreſeos inſectatur, *ibid.* XIII. Item Paſſarinum Mantuæ præfectum, *ibid.* Et Scaligerum, *ibid.* Perjurii notam ob indictum Roberto Regi bellum Friderico inurit, *ibid.* XV. Eum vetat, Robertum bello petere, *ibid.* Marchiones Ateſtinos ob Ferrariam occupatam in jus vocat, *ibid.* XVIII. In perduelles ditionis eccleſiaſticæ legibus agit, *ibid.* Iſnardum patriarcham exauctoratum ſpernentes cenſuras, hæreſeos judicio perſequitur, *ibid.* XIX. Paſtorellorum factionem in Galliis comprimendam curat, *ibid.* XXII. Thalmud flammis aboleri jubet, *ibid.* XXIV. Clementis IV. Honorii IV. & Odonis Cardinalis legati edicta contra thalmudiſtas confirmat, *ibid.* XXV. & *ſeq.* Pacandæ Luſitaniæ dat operam, *ibid.* XXXIII. Sparſos falſos rumores de abroganda Alfonſo ſucceſſione confutat, *ibid.* Periclitanti ex diſſenſionibus Caſtellæ opem fert, *ibid.* XXXV. Guillelmum epiſcopum Sabinenſem in eam legat, *ibid.* Joannem Manuelem regiæ procuratione abire admonet, *ibid.* Præſules Scotos venire abnuentes ferit anathemate, *ibid.* XXXVI. Et Robertum Bruſium, *ibid.* Illius oratores excipit, *ibid.* XXXVII. Concordiam Anglos inter & Scotos redintegrat, *ibid.* XXXIX. Regio nomine Robertum appellat, oratoreſque ut regios colit, *ibid.* XL. Clementis V. conſtitutionem renovat de regio nomine poſſidenti, ſine alterius fraude deferendo, *ibid.* XLI. Eduardo facti rationem reddit,



dit, *ibid.* XLII. Cenſum ab Eduardo exigit, *ibid.* Thomam Herefordenſem ſanctorum catalogo apponit, *ibid.* XLIV. Genuenſium cum Cypriis Cypriorumque cum Armeniis componendæ controverſiæ dat operam, *ibid.* XLVII. Inter Leonem Armeniæ & Henricum Cypri Reges inducias imperat, *ibid.* XLVIII. Tertiam Cardinalium creationem edit, *ibid.* XLIX. Abuſcano principi Tartarorum de ſuſcepta fide gratulatur, 1321. II. Muſſaydan Imperatorem Tartarorum ſtudet ad fidem pellicere, *ibid.* Et Zopan Begilay Regem, *ibid.* Evangelicos præcones ad laborum conſtantiam hortatur, *ibid.* IV. Et neophytos ad perſeverantiam, *ibid.* Caphenſem epiſcopum contra Genuenſium injurias tutatur, *ibid.* V. Præſules non rite promotos a catholico archiepiſcopo promoveri jubet, *ibid.* Docet archiepiſcopum S. Thadæi, confirmationem a ſolis epiſcopis conferendam, *ibid.* VI. Oleum extremæ unctionis ab iiſdem ſacrandum, *ibid.* Confugiendum in rebus eccleſiaſticis ad Romanum Pontificem, *ibid.* VII. Illos ad revocandos ad gremium eccleſiæ fideles jubet incumbere, *ibid.* Regem Georgianorum ad redintegrandam veterem cum eccleſia Romana conjunctionem ſolicitat, *ibid.* VIII. Plura argumenta pro aſſerendo illius primatu aſſerit, *ibid.* & *ſeqq.* Pollicetur celebrandum concilium œcumenicum pro inſtauranda ea conjunctione, *ibid.* Fidei orthodoxæ formulam exponit, *ibid.* X. Armenios majoris Armeniæ docet baptiſmum non repetendum, *ibid.* XI. Poſt baptiſmum lapſos ſacramento pœnitentiæ Deo conciliandos, *ibid.* Juvari piis operibus fidelium animas in expiatoriis flammis verſantes, *ibid.* Puras ab omni labe evolare in cœlum, *ibid.* Lethali noxa infectas deiici ad inferos, *ibid.* Sacramentorum ritus proponit, *ibid.* Sanctorum recolendam memoriam, *ibidem.* Admonet, ut Saraicenſem epiſcopum catholicum ſuæ ſedi reſtituant, *ibidem*, XIII. Piſanis condendarum in Aſia & Græcorum imperio eccleſiarum, & ſacra in iis exercendi poteſtatem dat, *ibidem*, XIV. De miraculis cæſorum ab hæreticis Minoritarum inquiri jubet, *ibid.* XVII. Adverſus Fraticellos ſeu Bizochos actionem judiciariam inſtitui jubet, *ib.* XVIII. Et Beguinas ſontes plecti, inſontes vero abſolvi, *ibid.* XIX. Joannes non concitatus eſt a ſathana in Minoritas, ſed a Spiritu ſancto in pſeudominoritas, ordinem Minoritarum erroribus inficientes, *ibid.* Joannis Poliaci de exomologeſi repetenda neceſſario apud parochum errores damnat, *ibid.* XX. XXXVII. Recinetenſes idololatras inſectatur, *ibid.* XXXVIII. Promulgat in eos ſacram militiam, *ibid.* Aſſiſinates & Fanenſes edictis urget, *ibid.* Vetat clientes eccleſiæ mutuo ſe bello impetere, *ibid.* XXXIX. Geſta contra jura Romanæ eccleſiæ reſcindit, *ibid.* Romanos admonet, ne *Urbis* imperium ad ſeditioſos derivet, *ibid.* Imperat Trinacrio inducias, *ibid.* Aragonios afferre Trinacrio Regi auxilia vetat, *ibid.* XI. Jacobi Regis Aragonum redimentis captivos pium opus promovet, *ibid.* Lorchanis adverſus barbaros auxiliarem cruceatam militiam comparat, *ibid.* XLI. Legionenſem eccleſiam in arcem commutatam reſtitui epiſcopo jubet, *ibid.* Compoſtellanæ eccleſiæ jura firmat, *ibid.* Balearem Regem Tarraconenſis eccleſiæ jura labefactare vetat, *ibid.* XLII. Ob adverſam Philippi Regis Francorum valetudinem expeditionis Aſiaticæ indicendæ diem extrahit, *ibid.* XLIV. Synagogam Judaicam in eccleſiam convertit, *ibid.* Inter delphinum ac Sabaudum inducias imperat, *ibid.* Item inter alios, *ibid.* Peruſinam academiam amplificat, *ibid.* XLV. De miraculis B. Thomæ Aquinatis inquiri jubet, *ibid.* XLVI. Usbech Imp. Tartarorum ad fidem Chriſtianam allicere nititur, 1323. II. Queritur Chriſtianorum templa a Saracenis in Soldaya profanata, *ibid.* III. Armeniis ſubſidiarium aurum tranſmittit, *ibid.* IV. Illos ad conſtantiam contra barbaros hortatur, *ibid.* V. Admonet ob vitia cœlitus caſtigatos, *ibid.* VI. Armeniæ inferioris populi ab eo fidei normam dari expoſcunt, *ibid.* VII. Ad eos tranſmittit archiepiſcopum, *ibid.* Cyprum Regem admonet ne divinas in ſe iras provocet, *ibid.* XI. Saracenis vetitas merces invehentibus pœnas infligit, *ibid.* XIII. Oroſio Serviorum Regi ad eccleſiæ conjunctionem redire meditanti, nuntios mittit, *ibid.* XV. XVI. Proponit ipſi orthodoxæ fidei formulam, *ibid.* Hortatur, ut Servios ad eccleſiæ gremium revocet, *ibidem*, XVII. Gedennini Lithuaniæ & Rhutenorum Regis, ſacra baptiſmalia flagitantis, oratores excipit, *ibid.* XIX. Fœdus illum inter & Pruthenos equites firmat, *ibid.* XX. Norvvegos ad paganos retundendos ſolicitat, *ibid.* XXI. Magnopolenſem ducem, intentatis cenſuris, a bello Regi Daniæ inferendo abſiſtere jubet, *ibid.* XXII. Guecelonem epiſcopi Fultrenſis interfectorem ſententia percellit, *ibid.* XXIII. In eum plures Italici clientes eccleſiæ rebellant, *ibid.* XXIV. Cum Galeatio Mediolanenſi ob correptam ab illo Inſubriæ præfecturam bellum gerit, *ibid.* XXVI. Scaligerum ad partes eccleſiæ redeuntem cenſuris aſolvi jubet, modo vacuo imperiali ſolio illius adminiſtrationem ad ſedem Apoſtolicam ſpectare profiteatur, *ibid.* XXVII. Et Paſſarinum Mantuanum, *ibid.* Marchiones Ateſtinos in gratiam recipit, *ibid.* Ludovicus Bavarus eos ab eccleſiæ obſequio, alioſque Gibellinos avertit, *ibid.* XXVIII. Pontifex in Ferrarienſes perduelles bello parat decernere, *ibid.* XXIX. Ejus copiæ Mediolano a Ludovici Bavari duce propulſatæ, *ibid.* XXX. In Ludovicum judicio agit, *ibid.* Lata in eundem ſententia, *ibid.* XXXI. Reſcindit ſacramenta Ludovico præſtita, donec a ſede Apoſtolica confirmatus ſit, *ibid.* XXXIV. *Ab eo ad concilium generale provocat Bavarus*, *ibid.* XXXV. & *ſeqq.* Fovere Franciſcanos in hæreſi accuſatur, *ibidem*, XXXVI. Luſitanum Regem ob necatos in carcere duos ſacerdotes cenſuris devinctum, abſolvit, *ibidem*, XXXVII. Controverſiam de paupertate, adhibito theologorum cœtu diligenter diſcutit, 1323. XXXVIII. & *ſeqq.* Conſulit academiam Sorbonicam, quiſve tranſmiſſus ad eum commentarius fuerit, *ibidem.* Alia doctorum reſponſa ipſi data, *ibid.* LVIII. & *ſeq.* Poſt graviſſimas theologorum, epiſcoporum, Cardinaliumque concertationes definit, Chriſtum & Apoſtolos jus habuiſſe in eas res, quibus utebantur vel in ſpeciali vel in communi, *ibid.* LXI. Cardinales & epiſcopi, qui adverſam tenuerant ſententiam, parent illius decreto, at Minoritarum ſupremus præpoſitus cum Ochamo & aliquot pertinaciſſimis ſodalibus illi obluctatur, *ibid.* Indicit Guillelmo Ochamo judicium de errore pervicaciter defenſo, *ibid.* LXII. Demonſtratur, errare non potuiſſe Joannem in explananda Nicolai decretali, *ibid.* LXIII. Impios fuiſſe qui decretum fidei ferenti contradixere, *ibid.* Decernit Thomæ Aquinati ſanctorum honores, *ibid.* LXIV. Præcipua illius admiranda geſta promulgat, *ibid.* & *ſeqq.* Indulgentias proponit recurrentibus nonis martii ejus reliquias veneraturis, *ibid.*

*ibid.* LXVI. De Philippi archiepiſcopi Bituricenſis miraculis inquiri jubet, *ibid.* LXVII. Ludovico Bavaro, ſupplice libello diem judicii extrahi efflagitanti, plura obiicit, 1324. I. II. Semeſtre ſpatium poſtulanti bimeſtre tantum indicit, *ibid.* III. Ab eo appellat Ludovicus, *ibid.* IV. Matthæum Vicecomitem Mediolanenſem & filios judicio perſequitur, *ibid.* VI. *& ſeq.* Et eorum fautores Germanos, *ibid.* XII. Pronuntiat, Bavarum devinxiſſe ſe anathemate, *ibid.* XIII. Vetat Regem ſe dicere, ſed electum, *ibid.* Et jus eccleſiaſticum lædere, *ibid.* Appellat ab eo Ludovicus, quæve ipſi objecerit, *ibid.* XIV. Spernit provocationem Ludovici, *ibid.* Promovet Joannes electores adverſus Ludovici calumnias, *ibid.* XVII. Confutat ejuſdem figmenta, *ibid.* XVIII. Ateſtinos marchiones ob Ferrariam occupatam damnat, *ibid.* XIX. Guidonem epiſcopum Aretinum ob tyrannidem in clientes eccleſiæ damnat, *ibid.* XX. Cortonienſem epiſcopatum inſtituit, *ibidem.* Decretoriam ſententiam fert in Ludovicum, *ibid.* XXI. Jubet, eum trimeſtri labente Regis nomen ponere, *ibid.* XXII. Vetat, ipſi regia deferri obſequia, *ibid.* XXIV. Ab hac ſententia provocatum ad concilium a Ludovico, *ibid.* XXXVII. Proſcinditur ab eo convitiis, *ibid.* XXX. Damnat hæreſeos oppugnantem decretum fidei de paupertate Chriſti, *ibid.* XXXI. Sardici vectigalis partem dimidiam ad decennium remittit, *ibid.* XXXV. Anglum monet, ut præſumpta a ſuis in Aquitania emendet, *ibid.* XXXVIII. Aliquam pecuniæ vim Armeniis auxiliarem ſubmittit, *ibid.* XLIII. Invehentes Saracenis merces cenſuris percellit, *ibid.* XLIV. Mittit in Lithuaniam ad fidem amplificandam legatos, *ibid.* XLV. Gedeminnum Regem Lithuanum hortatur ad Chriſti cultum, *ibid.* XLVIII. Cruciferos vetat vexare Lithuanos, *ibid.* LI. In jus vocatos objecta, ſi vera ſint, emendare jubet, *ibid.* LIII. Gallorum Regem ad imperium evehere nititur, 1325. I. Pactiones inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Auſtriacum damnat, *ibid.* II. Leopoldum Auſtriæ ducem ab iis firmandis abducere nititur, *ibid.* Vergere in dedecus eccleſiæ & electorum ait, *ibid.* Queritur ab eo Ludovicum appellatum Regem, *ibid.* III. Flagitantibus Auſtriacis, ut Fridericum Cæſarem renuntiet, reſpondet ut decretum electionis oſtendant, *ibid.* V. Laturum ſe æquam ſententiam cum poſtulatum jus fuerit, *ib.* Germani in eum concitati, *ibid.* Solicitat Gallorum Regem, ut intrepide & ardenter viam ſibi ad imperium muniat, *ibid.* VI. Ejus increpitat ſegnitiem, *ibid.* Mittit oratorem ad promovendam apud Germanos Galli Regis electionem, *ibid.* VII. Ejus conſilium diſſipatum, *ibid.* Polonum in Ludovicum Bavarum concitat, *ibid.* VIII. Evaſtati a barbaris Brandeburgici principatus invidiam ſibi conflat, *ibid.* Genuenſes ad tundendam Vicecomitum potentiam ſolicitat, *ibid.* IX. Ingentibus curis confectum ſe profitetur, *ibid.* Ducem Calabriæ inſtruit, ut ſe in Trinacria expeditione gerere debeat, *ibid.* X. Gratulatur Roberto ob addictum rebus divinis animum, *ibid.* XI. Pacem Gallos inter & Anglos componere nititur, *ibid.* XII. Eduardum Regem Angliæ ſalubribus præceptis informat, *ibid.* XIII. Belgas diſſentientes conciliare ſtudet, *ibid.* XIV. S. Eliſabetham Luſitaniæ Reginam de viri morte ſolatur, *ibid.* XV. Solicitat, ut filium virtutibus excolat, *ibid.* XVI. Acceptum Pontifici refert Aragonum Rex Sardicum regnum, *ibid.* XVII. Juri pontificio cavet remiſſo dimidio cenſu decennali, *ibid.* XVIII. In jus vocat Ubertinum e Caſali pſeudominoritam, *ibid.* XX. Petri Joannis Olivi ſcripta damnat, *ibid.* Ejus monumentum diſſipari jubet, *ibid.* Summa conſilii maturitate id actum, *ibid.* Plures ejuſdem novatoris articulos diſcuti a doctoribus jubet, *ibid.* XXI. Edicit, ne religioſi inconſulta ſede Apoſtolica orientem petant, *ibid.* XXVI. Profitetur, ſe non Minoritas inſectari, ſed impios novatores a Minoritarum ſtatu deficientes, *ibid.* XXVII. Ungariæ Regem ſolicitat, ut hæreſim in Boſnia excindat, *ibid.* XXVIII. Ungarum adverſus infideles ſecuturis indulgentias proponit, *ibid.* XXIX. Joannem Boemiæ Regem ad conſtantiam in ſuſcepto ineundæ expeditionis Syriacæ conſilio hortatur, *ibid.* XXX. De miraculis Gregorii X. Pontificis inquiri jubet, *ibid.* XXXII. Cardinalem S. Theodori legatum in Italiam mittit, 1326. I. Creat in Etruria paciferum, *ibid.* Caſtrucium, ſi ficte non agat, recipi in gratiam jubet, *ibid.* II. Guidonem exepiſcopum Aretinum defixum cenſuris promulgari mandat, *ibidem*, IV. Partem ditionis eccleſiaſticæ amittit, *ibid.* V. Concordiam inter Bavarum & Auſtriacum initam damnat, *ibid.* VI. Imperat Trevirenſi archiepiſcopo, ne differat edicta in Ludovicum pronuntiata evulgare, *ibid.* Bochardo archiepiſcopo Magdeburgenſi poteſtatem confert, ut diſcedentes a Ludovico conciliet eccleſiæ, *ibid.* VII. Bochardi interfectores inſectatur, *ibid.* VIII. Sueco Regis dimidiam ſexennalium decumarum partem adverſus infideles attribuit, *ibid.* X. Monet Gallorum Regem, ne acerbitate juris in Anglum utatur, *ibid.* XI. Sopire inter eos renaſcentem diſcordiam ſtudet, *ibid.* XII. Ob id publicas preces indicit, *ibid.* Conſulit Eduardo, ut paci ſe accommodet, *ibid.* XIV. A principibus Anglis vexandis abſiſtat, *ibid.* XV. Monet Spenſerium Angliæ Regis amicorum principem, ne in ſe aliena odia concitet, *ibid.* Inter delphinum ac Sabaudum imperat inducias, *ibid.* XVII. Pedemontium pacare nititur, *ibid.* De pace inter Siciliæ & Trinacriæ Reges agitat, *ibid.* Ilerdenſis epiſcopi decretum de baptiſmo & nuptiis in eccleſia tantum loci principe celebrandis reſcindit, *ibid.* XIX. Inſignem aliquorum religioſorum mimicam ſcurrilitatem plectit, *ibid.* XXII. Pſeudominoritas & pſeudoapoſtolos perſequitur, *ibidem*, XXIII. Merces Ægyptiis inſerentes damnat, *ibidem*, XXIV. De Græcorum imperio ad eccleſiæ ſinum revocando agit, *ibid.* XXVI. Jacobitas, unam tantum in Chriſto naturam fingentes, inſequitur, *ibid.* XXVIII. Et Neſtorianos, *ibid.* Et Græcos negantes infernum & purgatorium, *ibid.* Et affirmantes animas ſanctorum uſque ad finem judicii cœlo non excipi, *ibid.* Et porrigentes Euchariſtiam jumentis, *ibid.* Bononienſem ad conſtantiam adverſus Ludovicum confirmat, 1327. II. Judicio hæreſeos poſtulari eundem ſignificat, *ibid.* Italos, ut ſe adverſus illum communiant admonet, *ibid.* III. Urgetur a Romanis, ut ſedem Urbi reſtituat, *ibid.* IV. Iterum iterumque, *ibid.* V. VI. Eludit petita Romanorum, *ibid.* VII. Denuntiant Romani, ni veniat, Ludovicum accepturos *ibid.* VIII. Iterum prætexit excuſationes, *ibid.* X. Romanos arguit, ſe dicere acephalos, *ibid.* XII. Joannem S. Theodori Cardinalem in Urbem proficiſci jubet, *ibidem*, XIV. Plures ditionis eccleſiaſticæ clientes ab eo deficiunt, *ibidem*, XVI. Mutina ejus partes amplexa, *ibidem*, XVII. Percellit Ludovicum decretoria hæreſeos ſententia, *ibid.* XIX. Obiicit illi hæreſim negantium, Chriſtum jus in rebus

rebus, quibus utebatur, profeſſum, *ibidem*, XX. XXI. Conatum Germanos & Italos in eam inducere, *ibidem*. Marſilii & Janduni libellum hæreſibus inquinatum recepiſſe, *ibid.* Permiſiſſe eas hæreſes diſſeminari, *ibid.* Violaſſe interdicta eccleſiaſtica, *ibid.* XXII. Anathematis laqueis ſolvi non curaſſe, *ibid.* XXIV. Quas illi pœnas inflixerit, *ibidem*, XXV. Fideles illi parere vetat, *ibid.* XXVI. Marſilium Patavinum & Jandunum hæreſiarchas poſtulat judicio, *ibid.* XXVII. XXVIII. Refellit damnatque eorum hæreſes, nempe Chriſtum ex neceſſitate tributum penſitaſſe Cæſari, *ibid.* XXIX. Petrum non fuiſſe primatem Apoſtolorum, *ib.* XXX. Spectare ad Cæſarem inſtituere Pontifices, & exauctorare, *ibid.* XXXI. Nullam hierarchiam eccleſiaſticam a Chriſto inſtitutam, *ibid.* XXXII. Neminem ab eccleſia puniri coactive poſſe, *ibid.* XXXIII. Inflictæ hæreſiarchis pœnæ, *ibid.* XXXV. Jacobus Rex Aragonum Joanni ſuam adverſus Ludovicum Bavarum defert operam, *ibid.* XXXIX. Gratulatur Pontifex Joanni principi de parta de Mauris victoria, *ibid.* XLI. S. Eliſabetham in piorum operum ſtudio confirmat, *ibid.* XLII. Pacare Aquitaniam ſtudet, *ibid.* XLIV. Inſectatur magos, *ibid.* XLV. Michaelem Minoritarum præfectum in jus vocat, *ibid.* XLVII. Regem Ungarum ad abolendos hæreticos inflammat, *ib.* XLVIII. Ducem Ruſſiæ ad fidem tentat allicere, *ibid.* XLIX. Ludos cruentos, Neapoli fieri ſolitos, intermitti jubet intentato anathemate, *ibid.* L. Privilegia contra ſedem Apoſtolicam non valere decernit, *ibid.* LIII. Indulgentiarum præmia fidelibus angelicam orationem ad veſpertinum crepuſculum repetentibus confert, *ibid.* LIV. Cardinalium numerum auget, *ibid.* LV. Sacram in Ludovicum militiam indicit, 1328. IV. Quæ ab eo cauſæ adductæ, *ibid. & ſeq.* Fœderatis Ludovici cenſuras intentat, *ibid.* Illum invaſiſſe Italiam queritur, *ibid.* VI. Fovere hæreſiarchas arguit, *ibid.* VII. Clerum ejus commercium defugientem commendat, *ibid.* VIII. Hortatur ad conſtantiam, *ibid.* Marſilium & Jandunum hæreſiarchas capi jubet, *ibid.* X. Audet in eundem Ludovicus ex hæreſiarcharum conſilio impiam ferre ſententiam, *ibid.* XI. Tres primæ objectiones de diſtinctione uſus & juris, & vocum uti & abuti, & de carentia juris in fraterculis ineptæ demonſtrantur, *ibid.* XII. Adverſus quartam objectionem demonſtratur illum errare non potuiſſe, *ibidem*, XIII. Recte dixiſſe verba, *Nolite poſſidere*, non fuiſſe præceptiva, *ibid.* XIV. Et ad definiendum fidei articulum ſcientiam non ſufficere, *ibid.* XV. Præcipue partis ſententiæ Ludovici formula, *ibid.* XVI. Bavari temeritas in eo oſtenditur, *ibid.* XVII. XVIII. Ut contra juris formulas id facinus præſumptum ſit, *ibid.* XIX. Joannis ſententia in Ludovicum Romæ divulgata, eodem ibi agente, *ibid.* XX. Nefarium aliud edictum in Joannem a Ludovico latum, *ibid.* XXIII. Confutantur illius errores, *ibid.* Objectum Joanni, eum in Gibellinos bellum ſacrum indixiſſe, *ibid.* XXVII. Potuiſſe jure id agi oſtenditur, *ibid.* Multis criminibus oneratur a Ludovico, *ibid.* XXVIII. Ob ea etiam, ſi vera eſſent crimina, non modo a Ludovico, ſed ne quidem a ſynodo œcumenica exauctorari potuiſſe oſtenditur *ibid.* XXX. Exemplum Othonis Imp. petitum a Bavaro refellitur, *ibid.* XXXIII. Itidem diſſolvitur objectio, quod Chriſtus non fuiſſet perfectiſſimus viatorum, ſi jus rerum habuiſſet, *ibid.* XXXIV. Ludovici in Joannem facinus damnatum a piis, *ibid.* Solicitatur Joannes ab Alberto Auſtriaco, ut Fridericum confirmet, *ibid.* XXXVIII. Reſpondet, decretum electionis illius ſibi non oblatum, *ibidem*. Solicitat principes electores, ut novum creent Ceſarem, *ibidem*, XXXIX. XL. Sancit alibi quam Francofurti fieri electionem poſſe, *ibidem*. Res fruſtra tentata, *ibid.* XLI. Cruciferis judicium intendit ob Ludovici fœdus, *ibid.* Creatur a Ludovico Romæ adverſus Joannem antipapa, *ibid.* XLII. Joannis imago ſtraminea exuſta, *ibid.* Ludovicus inde bonorum odia contrahit, *ibid.* Antipapa edicta Joannis præſumit reſcindere *ibidem*, XLV. Cum eo ſentientes catholicos damnat hæreſeos, *ibidem*. Indictæ a Joanne publicæ preces *ibidem*, XLVI. Exinde dejectæ ſchiſmaticorum res, *ibid.* XLVII. Fugato Bavaro, Roma ad Joannis obſequium revocata, *ibid.* XLIX. Joannis hoſtes principes Gibellini divinitus extincti, *ibid.* LIII. Marchiones Ateſtini ad Pontificis obſequium redeunt, *ibid.* LIV. Supremum Ferrariæ imperium pontificii juris eſſe profitentur, *ibid.* LV. Tarviſini ſe Joanni dedunt, *ibid.* LVIII. Robertum Regem Siciliæ filii unici morte conſternatum ad conſtantiam excitat, *ibid.* LIX. Ut Michaelem Cæſenatem objurgarit, *ibid.* LX. Molitum apoſtaſiam una cum ſociis damnat, *ibid.* LXII. LXIII. Ab eo Michael hæreſiarcha ad concilium provocat, *ib.* LXV. Damnat Ludovicum hæreſeos, *ibid.* Pſeudominoritas inſectatur legibus, *ibid.* Profitetur, ſe paterna charitate pios Minoritas complecti, *ib.* LXVII. Plures ex iis creat epiſcopos, *ibid.* De nonnullis aliis inſanientibus in ſedem Apoſtolicam conqueritur, *ibid.* Joannem Francorum Reginam viri Regis morte afflictam ſolatur, *ibid.* LXVI. Reginæ Navarræ de ſceptri ſucceſſione gratulatur, *ibid.* LXIX. Et Philippo Regi ob partam de Belgis victoriam, *ibid.* Eundem ſolicitat ad cauſam eccleſiæ ſuſcipiendam, *ibid.* LXX. Litem inter Anglum ac Philippum de ſceptro Gallico ſopire nititur, *ibid.* LXXII. Suadet Philippo, ut fœdere Anglum ſibi devinciat, *ibid.* Spretum illud ingenti malo conſilium, *ibid.* Scotiæ Regis, cenſurarum veniam poſcentis, oratores excipit, *ibid.* LXXIII. Solvit eum anathemate, addito imperio, ne Angliam bello vexet, *ibid.* Caſtellæ Regis, flagitantis ſubſidia in Mauros, literæ ad Pontificem datæ, *ibid.* LXXV. Quibus legibus decumas ſacras illi conceſſerit, *ibid.* LXXVI. Obſtringit ad eccleſias in partis de Mauris locis conſtituendas, *ibid.* LXXVII. Reprimendam ſuperſtitionem Mahumeticam, *ibid.* LXXVIII. Petrum Cardinalem Carthaginenſem legat in Caſtellam, *ib.* LXXX. Pileum rubeum ad eum mittit, ut majori auctoritate pacem publicam reſarciat, *ibid.* Philippi regiæ Balearis principis poſtulata de religioſa familia, quæ S. Franciſci inſtituta ad literam obſervet, repellit, *ibid.* LXXXII. Ordinem Eremitarum S. Pauli confirmat, *ibid.* LXXXIII. Quinquaginta ſacerdotes ex ordine Prædicatorum mittit ad gentes evangelio colluſtrandas, *ibid.* LXXXIV. Cum Gallo Rege de Syria recuperanda agitat, conſilia, *ibid.* LXXXV. Poſcit ab eo Armenius, ut Antiochenum principatum nepoti confirmet, *ibid.* Bellum Cypro imminens diſcutere tentat, *ib.* Principum Chriſtianorum fœdus in Turcas promovet, *ibid.* Antipapa Joannis XXII. nomen execraturis fictitias indulgentias proponit, 1329. I. Inficere orientem annititur, *ibid.* III. In ejus ſequaces animadverti jubet Pontifex, *ibid.* Et in ejus anticardinales, *ibid.* IV. Piſtorienſes e ſchiſmate ad eccleſiæ obſequium reverſos abſolvit, *ibid.* VI.

VI. Piſani damnato ſchiſmate pulſoque an-
tipapa, ad eum redeunt, *ibid.* VII. *& ſeq.*
Item Mediolanenſes & plures Inſubriæ ur-
bes, *ibid.* XIII. Romani ſe ſuaque adver-
ſus antipapam devovent Joanni, *ibid.* XVIII.
Confert Ateſtinis marchionibus beneficiari-
um toparchatum Ferrariæ, *ibid.* XX. Pro-
ponit redituris a ſchiſmate veniam, *ibid.* XXI.
Michaelem Cæſenatem hæreſiarcham damnat,
*ibid.* Scribit adverſus ejus errores commen-
tarium, *ibid. & ſeq.* Laudat conſtantiæ Mi-
noritarum ordinem, nimirum ferme univer-
ſum, paucis exceptis, cum ipſo ſtetiſſe,
*ibid.* LXIX. Damnat errores Echardi, *ibid.*
LXX. Imperat Colonienſi archiepiſcopo ut
eos a ſuo grege abigat, *ib.* LXXIII. Gratula-
tur Philippo Regi ipſum tutatum eſſe jus ec-
cleſiaſticum, *ibid.* LXXVIII. Decernit, Ro-
bertum ſucceſſoreſque Reges Scotiæ apoſto-
lica auctoritate ab epiſcopo S. Andreæ ſa-
crandos, *ibid.* LXXIX. Davidem Roberti ſuc-
ceſſorem præceptis optimis informat, *ibid.*
LXXXII. Sacrorum uſum Scotis reſtituit,
*ibid.* Denarium S. Petri ab iis exigit, *ibid.*
Ab Alfonſo Rege ob acceptum jure fiducia-
rio Sardiniæ & Corſicæ regnum ſacramentum
exigit, *ibid.* LXXXIII. *& ſeq.* Objurgat
Aragonem duxiſſe, vetitas a fratre pro a-
dipiſcendo regno nuptias initum iri, *ibid.*
XC. Pœnas contra hujuſmodi contrahentes
exponit, *ibid. & ſeq.* Ad Caſtellæ Regis gra-
tiam pro publica pace legem de gradibus
conſanguinitatis ſolvit, *ibid.* XCII. Ar-
menios auro ſubſidiario juvat, *ibid.* XCIV.
Petrum e Palude creat patriarcham Jero-
ſolymitanum, *ibid.* Tephelicenſem epiſco-
patum condit in Georgia, *ibid.* Trapezun-
tinum Imperatorem ad conjunctionem cum
Romana eccleſia ſolicitat, *ibid.* XCV. Un-
garos, Scythiæ Malchaytas, & Alanos in fi-
de confirmat, *ibid.* Mittit ad eos ſacerdo-
tes & epiſcopos, *ibid.* XCIV. Elchigadan
Imperatorem Tartarorum ad fidem invitat,
*ibid.* XCVII. Piſæ ad illius obſequium re-
deunt, 1330. I. Petrum e Corbaria antipa-
pa, latebras captantem queri diligenter ju-
bet, *ibid.* II. Bonifacium comitem admonet,
ut ſceleſtum hominem tradat, *ibid.* Ejuſdem
Petri ſupplices literæ ad Pontificem datæ,
*ibid.* III. Joannis reſponſum, *ibid.* IV. Cur
miſericordia potius, quam ſeveritate uſus
ſit, *ibid.* V. Pactiones cum antipapa ini-
tæ, *ibid.* VII. Cautum ejus vitæ, *ibid.*
Præſcribit modum damnandi ab eo ſchiſma-
tis, *ibid.* IX. Satellitio ſtipatum ad ſe ad-
duci jubet, *ibid.* X. Spe veniæ demulcet,
*ibid.* Pendente e collo laqueo, antipapa ſe
ad illius pedes pronum abiicit, & ſchiſma
ejurat, *ibid. & ſeq.* Parcit illi Joannes, *i-
bid.* XXV. Cenſuris ſolvit, *ibid.* Principes
ac præſules de reſipiſcentia antipapæ facit
certiores, *ibid.* XXVI. Bonifacium comitem
ornat muneribus, *ibid.* Tudertini & alii ad
ejus obſequium reverſi, *ibid.* XL. Romani
geſta cum Ludovico Bavaro diſſolvunt, *ibid.*
XLII. Pœnas eccleſiæ perduellibus incutit,
*ibid.* XLIII. Caſtellæ Rex, miſſis oratoribus
ſubſidia ab eo in Mauros poſcit, *ibid.* XLIV.
Similia poſtulat etiam Rex Aragonum, *ibid.*
XLVI. Quas cum eo pactiones iniverit, *i-
bid.* Navarræ Regis arma in barbaros ſocia-
re parantis conſilium laudat, *ibid.* XLVII.
Philippum Francorum Regem hortatur, ut
Robertum Atrebatenſem ſibi conciliet, *ibid.*
XLIX. Pœnam irrogat iis, qui Balduinum
archiepiſcopum Trevirenſem interceperant,
*ibid.* LI. Achaicam expeditionem inituris,
proponit indulgentias, *ibid.* LIV. Naſcari-
nos in fide orthodoxa confirmat, *ibid.* LV.

Et Montiſalbors accolas, *ibid.* Epiſcopum &
fidei formulam ad eos mittit, *ibid.* Jacobitas
ad catholicam fidem ſuſcipiendam ſolicitat,
*ibid.* LVII. Sacram actionem de miraculis &
ſanctitate B. Ivonis inſtituit, *ibid.* LVIII.
Diſtringi legum vim jubet in pſeudominori-
tas Marſilii & Janduni hæreſes propugnantes,
1331. I. II. Antipapæ capellanum donat ve-
nia, & crimen eum publice Romæ damnare
jubet, *ibid.* III. Fraticellos publice anathe-
mate defigendos decernit, *ibid.* IV. V. Sa-
cramenta profanantes inſectatur, *ibid.* VI.
Angelum eorum principem judicio hæreſeos
ſubiici jubet, *ibid.* Reginam Siciliæ inſtruit
adverſus pſeudominoritarum errores, *ibid.*
XVII. Regi Boemiæ, Italici regni admini-
ſtrationem ſuſcipienti, ſe opponit, *ibidem*,
XVIII. Dein cum eo fœdus paciſcitur, *ibid.*
XIX. Germanos principes a Ludovico Ba-
varo abducere nititur, *ibid.* XX. Judicium
hæreſeos & ſchiſmatis inſtaurat in eundem,
*ibid.* XXII. Stetinenſes duces ſuprema ſui
principatus jura in Joannem Papam transfe-
runt, *ibid.* XXIII. Iiſdem ipſorum ditio ju-
re fiduciario a Joanne reſtituta, *ibid.* XXIV.
Ungaro Regi de victis Tartaris gratulatur,
*ibid.* XXV. Inter Balearem Regem, & Fu-
xenſem comitem imperat inducias, *ibid.*
XVIII. Caſtellano in Granatenſes decumas
attribuit, *ibid.* XXIX. Refert illi patriar-
cha Jeroſolymitanus, ſoldanum Palæſtinam
reſtituere denegaſſe, *ibid.* XXX. Indicit bel-
lum ſacrum ad liberandam Palæſtinam, *ibid.*
Iniquis Philippi Francorum Regis poſtulatis
repulſam dat, *ibid.* Leonis Regis Armeniæ
opem flagitantis oratores excipit, *ibid.* Eoſ-
dem ad Philippum Regem Francorum mit-
tit, *ibid.* Admonet eundem, Melgorii & Mon-
tisferrardi comitatus Magalonenſi eccleſiæ a
Romana eccleſia attributos, *ibid.* XXXI. Quæ
dotes in epiſcopis deſiderentur, docet, *ibid.*
XXXII. Cardinalium ſenatum auget, *ibid.*
XXXIII. Angliæ Regem ſalutaribus præce-
ptis imbuit, *ibid.* XXXV. *& ſeq.* Regi-
nam Aragonum inſtruit, qua ratione magi-
cæ inſidiæ ſuperandæ ſint, *ibid.* XXXVII.
Corſos apoſtolicis documentis ad vitam
Chriſtianam ducendam informat, *ibidem*,
XXXVIII. Suec. Regem ſacris indulgentiarum
beneficiis afficit, *ibid.* XLI. Aliqua ſacella
condit, *ibid.* XLII. Controverſiam de viſio-
ne beatifica agitat, *ibid.* XLIII. Cur ar-
gumenta contraria congeſſerit, *ibid.* XLVI.
Quæ illi a conjuratis hoſtibus objecta ſint,
*ibid.* Eorum ſincera interpretatio, *ibid.* XLV.
Pia Joannis conſilia, 1332. I. Deliberat I-
taliæ reſtituere ſedem Apoſtolicam, *ibid.* I.
A Rege Francorum retardatus diem extra-
hit, *ibid.* Cum eo paciſcitur de expeditio-
ne orientali conficienda, *ibidem*, II. Datæ
a Philippo ea de re ad Joannem literæ,
*ibidem*. Bononienſes Pontifici, Bononiam
transferre ſedem cogitanti, Urbis imperi-
um ſuaque addicunt, *ibidem*. Romanorum
diſſenſiones ſedare ſtudet, *ibid.* IX. In eum
ob fœdus cum Boemo initum Guelfi conju-
rant, *ibid.* X. Convenitur a Rege Boemiæ,
*ibid.* Ludovicus ad eum oratores mittit pro
excuſandis ſuperioribus geſtis, poſcendaque
cæſarei apicis confirmatione, *ibid.* Picentes
ſchiſmatis veniam orantes, abſolvit, *ibid.*
XII. Et Mediolanenſes ſchiſma damnantes, *ibid.*
XXII. Excuſant illi non obſtitiſſe Ludovico,
ne Mediolani ferream coronam acciperet,
*ibid.* XV. Regem Trinacriæ ad ſinum ec-
cleſiæ revocare ſtudet, *ibid.* XVII. Joan-
nem principem Achajæ admonet, ut Philip-
po nepoti, ſponſionem clientelarem addi-
cat, *ibid.* XVIII. Regem Ungarum cum
Ro-



Roberto conciliat juncta affinitate, *ibidem*,
XIX. Reginam Siciliæ contra Fraticellorum
inſidias præmunit, *ibidem*, XX. Genuen-
ſes cum Baleari & Aragonio Regibus in
concordiam redigere molitur, *ibidem*. Ar-
guit Venetos, tolerari ab ipſis ſchiſmati-
cos & hæreticos, *ibid.* XXIII. Rhodios e-
quites ſolicitat, ut Antiochetam & Siquinum
in Armenia defendenda contra barbaros ſuſ-
cipiant, *ibid.* XXIV. Genuenſes & Piſanos
ad mutuam concordiam hortatur, *ibid.* XXV.
Objurgat Philippum Francorum Regem bello
Anglico ſe implicantem, *ibid.* Ne Brabanti-
no etiam ſe involvat, auctor eſt, *ib.* XXVI.
Carolum Alenconii comitem Mercolii ſedis
Apoſtolicæ vectigalis nomine ſacramento a-
digit, *ibid.* Deliteſcentes in Balearico regno
hæreticos inſectatur, *ibid.* XXVIII. De Ban-
dino pſeudominorita ſupplicium ſumi jubet,
*ibid.* XXIX. Pſeudominoritas inficientes Ger-
maniam vinctos ad ſe perduci jubet, *ibid.*
XXX. In Waldenſes, graſſantes in Pede-
montio inquiri præcipit, *ibidem*, XXXI.
Creat Philippum Regem Francorum Aſiaticæ
expeditionis ducem, 1333. I. Bellum ſacrum
indicit Mahometanis, *ibid.* III. De pactioni-
bus cum Philippo initis literæ, *ibid.* Quæ
præfixa ad expeditionem dies, *ibid.* IV. Pa-
ctiones novæ inſtitutæ obtrudentes novas dif-
ficultates Philippo, *ibid.* VII. Francorum
regnum in clientelam apoſtolicam ſuſcipit,
*ibid.* IX. Indulgentias defenſuris Gallias, ſi
hoſtes, agente in oriente Philippo, ipſas in-
vaſerint, *ibid.* Pluribus prærogativis tranſ-
fretaturos afficit, *ib.* Intentat anathema Philip-
pum a ſuſcepta mente abducentibus, *ibid.*
X. Crucis ſymbolo fideles inſigniri jubet, *i-
bid.* Robertum Siciliæ Regem ad colloquium
cum Philippo ineundum invitat, *ibid.* XI.
Philippo cruceſignato gratulatur, *ibid.* Ad-
monet fictionem in tanta re defugiendam,
*ibid.* XII. Ad comprimendas Turcarum ex-
curſiones vertit ſtudia, *ibid.* XII. Turcis
non domitis difficillimam Aſiæ expeditionem
futuram ait, *ibid.* XIV. Italicas decumas Gal-
lo Regi attribuit, *ib.* XV. Gallum, Siculum
Venetum, Cyprium, Rhodium, Græcum fœ-
dere conjungit in Turcas, *ibid.* XVI. Ber-
trandum archiepiſcopum Ebredunenſem ea de
cauſa mittit, *ibid.* Andronicum Imperatorem
ad inſtaurandum eccleſiarum fœdus urget,
*ibid.* XVII. Datæ eodem argumento ad pa-
triarcham literæ, *ibid.* XVIII. Decernit
legatos ad Græcos, *ibid.* XIX. Angliæ Re-
gem hortatur, ne Scotum affinem bello pe-
tat, *ibid.* XXIII. Internuntios legat ad eos
conciliandos, *ibid.* Sedem Italiæ reſtituere
meditatur, *ibid.* XXIV. Joannem S. Theodo-
ri Cardinalem inſectantem Columnenſes a-
criter redarguit, *ibid.* Deſignat alium an-
tiſtitem, impedito Strigonienſi, ad cingen-
dum corona Ungarica Ludovicum, *ibidem*,
XXVIII. Trevirenſem archiepiſcopum a Mo-
guntino archiepiſcopatu affectando ſibi tempera-
re jubet, *ib.* XXIX. Nicolaum archiepiſcopum
Cambalienſem creat apud Tartaros, *ibid.*
XXXI. Tartarorum Imperatorem ad fidem
amplectendam ſolicitat, *ibid.* XXXII. Et Re-
gem Corum, *ibid.* XXXV. Et Usbechum,
*ibid.* Voſprenſem epiſcopatum in Gazaria con-
dit, *ibid.* Et in Gochia Cerſonenſem, *ibid.*
Milleno Alanorum principi de ejurato ſchiſ-
mate gratulatur, *ibid.* Et Verſachto Regi
Zicorum, *ib.* Tartaros ad colendum Chriſtum
hortatur, *ibid.* XLI. Evangelicos præcones
ampliſſimis munit prærogativis, *ibid.* XLII.
Legem de gradibus conſanguinitatis ad neo-
phitorum gratiam ſolvit, *ibid.* XLIII. A-
poſtatas a Mahometiſmo redeuntes in gra-

tiam recipit, *ibid.* XLIV. Quæſtionem de
viſione beatifica agitat, *ibid.* XLV. Addu-
citur in invidiam a malevolis, *ibid.* Purgat
ſe contra eorum calumnias, *ibid.* Ejuſdem ea
de re literæ ad Regem Francorum datæ, *i-
bid*, XLVI. Ut ſuam in ea controverſia non
depromſerit ſententiam, ſed dicta ſanctorum
patrum tantum collegerit, *ibid.* Durandi ſcri-
pta in examen adduci jubet, *ibid.* LVIII.
Ejus conſtitutio in adulterinam monetam per-
cutientes, 1317. XIV. §. Prodiens. Ejuſdem
literæ ad Cardinales internuntios ſpoliatos
a prædonibus, 1317. XLVIII. §. Quis. A-
liæ ad Suecum de denario S. Petri, 1317.
XLIX. §. In devotionem. Aliæ ad Belgam,
ne infeſtet fratrem, 1318. XXIV. §. Sedes.
Aliæ ad Cyprium de imperatis induciis ip-
ſum inter & Ligures, 1319. X. §. Quam.
Aliæ ad Bertrandum Card. de vicariatu im-
perii ſpectante ad ſedem Apoſtolicam, 1320.
XIII. §. Licet. Aliæ ad Compoſtellanum &
Toletanum archiepiſcopos de pacanda Caſtel-
la, 1320. XXXIV. §. Quanta. Aliæ ad Guil-
lelmum Card. de pace in eodem regno in-
ſtauranda, *ibid.* XXXV. §. Dum. Aliæ ad
Saraicenſes de epiſcopo exule ſuæ ſedi re-
ſtituendo, 1321. XIII. §. Nuper. Ut Mi-
noritas defenderit contra impoſtores ejuſdem
ordinis, 1321. XIX. §. Ex multis. Ut per-
peram traductus ſit a recentioribus, *ibidem*,
§. Reverendi. Ejuſdem ſanctio de prælato-
rum electionibus in Italia ſedi Apoſtolicæ
reſervatis, 1322. IV. §. In Patriarchatu.
Friderici Romanorum Regis electi ad eum
officioſæ literæ, 1322. VIII. §. Sanctiſſimo.
Aliæ Joannis XXII. de ferenda Armeniis ope,
indictiſque publicis precibus, 1322. XXXIX.
§. Votis. Aliæ ad Cyprum Regem de pace cum
Armenio, 1323. XIII. §. Cum. Aliæ ad Bono-
nienſes de jungendis armis in Gibellinos, 1323.
XXVIII. §. Sicut. Aliæ ad Florentinos horta-
toriæ ad conſtantiam, 1324. XII. Ejuſdem edi-
ctum in legatos Ludov. Bavari, *ibid.* §. Vineæ.
Ejuſdem monitoriæ literæ ad Eduardum II.
ut Gallo Regi fidem devinciat, 1324. XXXVIII.
§. Cum homagium. Aliæ ad Gallum, ut pa-
cem cum Anglo componat, 1324. XXXVIII.
§. Exultavit. Henrici ducis Glogoviæ ad
Pontificem literæ, quibus eccleſiæ clientem
ſe profitetur, 1324. LIII. §. Ad agendas.
Aliæ Regis Poloniæ ad eundem, quibus ſe
eccleſiæ fiduciarium agnoſcit, poſcitque opem
in Tartaros, *ibid.* §. Cum conſtet. Joannis
literæ ad Fridericum Auſtriacum, quibus pa-
ctiones cum Bavaro initas ſignificat irritas,
1325. II. §. Ad noſtrum. Aliæ ejuſdem ad
Brandeburgenſes, ut Ludovico obſiſtant, *ib.*
§. Nos dudum. Ejuſdem in Firmanos & Fa-
brianenſes edictum, 1325. IX. §. Contra. A-
liæ ipſius literæ ad Gallum de pace cum
Anglo ſancienda, 1326. XIII. Aliæ ad Pa-
riſienſem epiſcopum de linguis orientalibus
docendis in academia, 1328. XXVIII. §. Cu-
pientes. Aliæ ad Aragonium de extracto
cenſu, 1328. LXXXI. §. Cum. Aliæ ad
Ungaricum clerum, ne acerbe decumas exi-
gat a Neophytis, 1328. LXXXIII. §. Si-
gnificavit. Aliæ ad Piſanos commendatitiæ
de deſerto antipapa, 1329. XI. §. Quoties.
Aliæ ad Azonem Vicecomitem, ut redeat ad
eccleſiam, *ibid.* XV. §. Profecto. Aliæ ad
Joannem Cardinalem Urſinum, ut Romani
geſta a Ludovico Bavaro & Petro Corbari-
enſi antipapa non valere Regibus ſignificent,
1330. XXVII. §. Cum certis. Aliæ ad Ara-
gonium de cruceata expeditione in Mauros,
1330. XLVI. §. Gratias. Aliæ ad Anglum
de ſopiendis inteſtinis motibus, *ibid.* L. §.
Ad aures. Aliæ ad eundem, ut materno pu-
dori

dori ignoſcat, *ibid.* Aliæ hortatoriæ ad clementiam, *ibid.* Aliæ ad Iſabellam Reginam, ut filium ad pacis cum Scoto conſilia ſolicitet, 1333. XXIII. §. Non ſine.

Joannes Ludovici Hutini filius poſthumus, brevis ævi Galliarum, & Navarræ Rex, 1316. XIII.

Joannes Gaytanus creatus Cardinalis diaconus S. Theodori, 1316. XXI.

Joannes epiſcopus Magalonenſis tranſlatus ad Toloſanum Archiepiſcopatum recenter inſtitutum, 1317. XIII.

Joannes regiæ Caſtellanæ princeps ex invidia ſacrum Granatenſe bellum diſturbat, 1317. XXXVIII. Bellum in Mauros ſuſcipit, 1318. XXXVI. Attributæ illi decumæ, *ibid.* Ad egregie cœpta accenditur, *ibid.* Sacræ indulgentiæ eum ſecuturis propoſitæ, *ibid.* Petri principis æmulatione ad Granatam caſtra promovet, ac vincitur, 1319. XXVII. De Mauris inſignem refert victoriam, 1327. XLI. Gratulatoriæ ea de re Pontificis literæ, *ibid.* Cœptis abſiſtit, *ibid.*

Joannes Angliæ Rex ut Angliam & Hiberniam Romano Pontifici vectigales conſtituerit, 1317. XLVII.

Joannes Barraut pſeudominoritarum ſignifer juſſus comprimi una cum ſociis a Minoritarum præfecto, 1317. LXI.

Joannes Namurci comes fidem datam fraternæ amicitiæ præfert, 1318. XXIV. Urgetur bello a fratre Roberto, *ibid.* Rem dignam laude feciſſe pronuntiatur, *ibid.*

Joannes Muſſeata epiſcopus Cracovienſis increpitus ob ſegnitiem, juſſuſque conſurgere in hæreticos, 1318. XLIII.

Joannes Manuel regiæ Caſtellanæ princeps tutorium Regis munus invadit, 1320. XXXIV. Ortæ inde turbæ, *ibid.* Intentatæ illi cenſuræ, *ib.* XXXV. Pontificiæ literæ, ut Joannes Manuel tutelam Regis Alfonſi juſſus ſit abiicere, 1320. XXXIV. §. Quanta.

Joannes e Poliaco; ejus errores, 1321. XX. & XXXVII. Refelluntur, *ibid.* XXV. Solvuntur ejus argumenta, *ibid.* XXVIII. Apoſtolica adverſus ejus errores ſententia, *ibidem*, XXXVII. Eidem a Joanne Poliaco paritum, *ibid.*

Joannes Balva ordinis Prædicatorum judicio hæreſeos perſequitur Bizochum, aſſerentem Chriſtum nil proprii neque in communi neque in ſpeciali habuiſſe, 1322. LIII. Inde exorta controverſia de proprio, *ibid.*

Joannes Jacobi Regis Aragonum filius Archiepiſcopus Toletanus ob ereptam Regum Caſtellæ Scrinii præfecturam in patris regnum e Caſtella abſcedit, 1323. XXXVII.

Joannes Urſinus Cardinalis S. Theodori creatus a Joanne XXII. in Etruria legatus, & pacifer, 1326. I. Honorifice habitus a Piſanis, *ibid.* A Caſtrucio de pace poſtulatur, *ibid.* II. Latam a Pontifice in Ludovicum ſententiam de hæreſi promulgat Florentiæ, 1327. III. Jubetur in Urbem ad eam adverſus Ludovicum defendendam proficiſci, *ibid.* XIV. A Romanis repulſam patitur, *ibid.* XV. Irrumpit noctu in Urbem, ac propulſatur, *ibid.* Revocatam ad Pontificis obſequium Urbem confirmat, 1328. L. Veronicam in ſuum locum reportat ingenti pompa, *ibid.* Arguitur Columnenſes bello inſectatum, 1333. XXV.

Joannes archiepiſcopus Toletanus concilium compluti celebrat, 1326. XX. Quæ in eo decreverit, *ibid.* Aliam Toleti Synodum provincialem celebrat, 1327. XL. Quæ fuerint in ea conſtituta, *ibid.*

Joannes Cantabriæ princeps in convivio ab Alfonſo Rege Caſtellæ obtruncatus, ejuſque principatus occupatus, 1327. XLI.

Joannes e Convenis Toloſanus archiepiſcopus creatus Cardinalis a Joanne XXII. 1327. LV.

Joannes Columna Romanus creatus Cardinalis a Joanne XXII. 1327. LV.

Joannes Vicecomes Mediolanenſis creatus ab antipapa pſeudocardinalis, 1328. XLIII. Et pſeudolegatus, 1329. IV. Hæreſeos, & ſchiſmatis ſententia damnatus a Pontifice, *ibid.* IV. In ſinum eccleſiæ redit, *ibid.* XXXVI.

Joannes Arlotus pſeudocardinalis Petri e Corbaria, 1328. XLIII.

Joannes e Janvilla orator miſſus ad Soldanum Babylonium, ut ab eo terram ſanctam repeteret, 1328. LXXXV. Repulſam patitur, deliberatumque eſt de bello gerendo a Philippo VI. *ibid.*

Joannes patriarcha Alexandrinus Pontificio nomine ſacramento adigit Alfonſum Regem ob acceptum jure fiduciario Sardiniæ & Corſicæ regnum, 1329. LXXXIII.

Joannes epiſcopus Thephelicenſis in Georgia creatus, 1329. XCIV.

Joannes Hannoniæ comes quingentis ſuccintus equitibus in Mauros proficiſcitur, 1330. XLVIII. Metuens ſtrui ſibi inſidias Pontifex retro illum abire jubet, *ibid.*

Joannes Core archiepiſcopus Soltanienſis, 1330. LVII.

Joannes dux Britanniæ Pontificem orat, ut de miraculis B. Ivonis inquiratur, 1330. LVIII.

Joannes dux Normanniæ poſtea Francorum Rex obſtringit ſe ad expeditionem Aſiaticam conficiendam, ſi eam pater intermiſerit, 1333. I.

Jordanus epiſcopus Columbenſis ad Naſcarinos miſſus, 1330. LV.

Ira divina. *Vide*, Juſtitia divina.

Iſabella filia Philippi IV. Regis Francorum, revocata viro Rege, ut in Angliam redeat, redituram ſe negat, ni Spenſerius pellatur aula, 1326. Vocatur in crimen turpis cum Mortimerio conſuetudinis, *ibid.* Viro bellum infert, *ibid.* XVI. Londinum occupat, *ibid.* Fugientem Regem comprehendit, & carceri mancipat, *ibid.* Ugonem Spenſerium triſti ſupplicio afficit, *ibid.* Ejus vir regio nomine exutus in publicis comitiis, ac deinde diro mortis genere extinctus, 1327. XLIII. Eduardus filius ab ea abalienatus, 1320. L. Monetur a Pontifice, ut maternas maculas tegat, *ibid.* Adhibita, ut inter Regem Scotum ac filium pacem componat, 1333. XXIII.

Iſabella Achajæ principatus heres Joanni Gravinæ comiti deſponſata, 1318. XXXIV.

Iſabella Amalrici Tyri principis, qui Cypri tyrannidem affectarat, vidua, cum filio in carcere Armenino extincta, 1323. XIII.

Iſmael Rex Granatenſis Chriſtianos magna clade delet, 1319. XXVII. Ex inſidiis cæſus, 1322. XIX.

Iſnardus Thebanus archiepiſcopus in pontificiam & Guelfam partem conjurat, 1319. VIII. Ob ſcelera in jus vocatus, *ibid.* Exauctoratur decretoria ſententia, *ibid.* Intenditur ipſi actio hæreſeos, 1320. XIX. Comprehenditur, ducique ad ſedem Apoſtolicam jubetur, *ibid.* Accepta venia reſtitutus Thebano archiepiſcopatui promovendo armorum fœderi in Turcas operam dare juſſus, 1328. LXXXV.

Italia civili bello ardet, 1317. XXXII. Internuntii apoſtolici ad illud componendum miſſi, *ibid.* Italos ad mutuam pacem hortatur Clemens V. *ibid.* XXXII. Vacante imperio, in partibus obnoxiis imperio ſummus Pontifex præfectos imponit, 1320. XIII.

Iudæi in Gallias revocati a Ludovico Hutino, 1315. II. Exagitati a Paſtorellis, & crudeliter trucidati, 1320. XXIII. Suſceptum





eorum patrocinium a Pontifice, *ibid.* Plures ex iis ad fidem Chriſtianam converſi, *ibid.* Juſſi præſules, a nefario Judæorum commercio fideles deterrere, *ibid.* XXIV. Reſpuentes imperia coercere, *ibid.* Clementis IV. contra Judæos conſtitutio, *ibid.* De illorum ob Chriſtum necatum diſperſione, *ibid.* XXV. Cœcitate & ingrati animi vitio, *ibid.* Judæi thalmud lectioni addicti, *ibid.* XXVI. XXVIII. Id flammis tradi juſſum, *ibid.* XXIII. Eorum fraudes ad Chriſtianos ad Judaiſmum pelliciendos, *ibid.* XXIX. Impudicitia in iis contaminandis, *ibid.* Impietas in evomendis blaſphemis vocibus, *ibid.* Honorii IV. Papæ ad ejuſmodi mala abolenda pius ardor, *ibid.* XXX. Judæi a Saracenis ſubornati aquas ad necandos fideles in Galliis inficiunt, 1321. XLIV. Fideles Judæi cur bona ſua vendiderint, 1329. XXVI. Perfoſſa ſacra hoſtia pueri vagitum audiunt, 1330. LIII. Sola Judæa ex iis converſa, *ibid.* Finctam cruore hoſtiam ſepeliunt, quæ demum reperta, *ibid.* Sacrilegii dant pœnas, *ibid.*

Judicia die dominico exerceri vetita, 1317. IV. Contendere judicio non pugnat cum ſanctitate, 1329. LXV.

Judicium ſupremum; recolenda ejus memoria, 1322. XXV.

B. Ivo Hælori; de illius ſanctitate & miraculis inquiri jubet Joannes XXII. 1330. LVIII. Præcipua illius vitæ geſta, *ibid.* Ut patrocinium pupillorum viduarumque ſuſceperit, *ibid.* Pauculos panes partitur cum pauperibus, qui divinitus multiplicati, *ibid.* Carnem macerat, mentemque cœleſtium rerum contemplatione reficit, *ibid.*

Juriſdictio eccleſiaſtica; juriſdictio ordinaria Papæ in epiſcopatibus & parochiis demonſtrata, 1321. XXVI. Poteſt ſummus Pontifex parochianos abſolvere, eamque poteſtatem aliis, uti religioſis viris, committere, *ibid.* XXVI. Solvuntur contraria Joannis e Poliaco argumenta, *ibid.* XXIX. Juriſdictionem univerſalem accepit a Chriſto Papa, eamque per gradus derivat in alios, *ibid.* XXX. Communicata eſt juriſdictio ab eodem Pontifice ob graves cauſas religioſis in parochianos, *ibid.* XXXII. Juriſdictio eccleſiaſtica defenſa ab Herveo magiſtro ordinis Prædicatorum, *ibid.* XXXIII. Et a Petro Paludadano, *ibid.* Juriſdictio omnis eccleſiaſtica a Papa dimanat, *ibid.* XXXVI. Græcorum & Latinorum patrum ea de re teſtimonia, *ibid.* Juriſdictio eccleſiaſtica defenſa adverſus Petrum e Cuneriis, 1329. LXXV.

Jus, Juſtum; Juris carentia non ſtat in re cujus uſus eſt in præcepto, 1323. LVIII. Juris carentiam in uſu rerum non vovere Apoſtoli, *ibid.* Jus rerum habuere in rebus, *ibid.* LX. Damnati hæreſeos id negantes, *ibid.* LXI. Jus rerum, quo juſtus fit uſus, aliud eſt quam civile, & mundanum, 1329. XLVI. Jus utendi non eſt jus agendi, *ibid.* Licentia utendi, ſi juſta eſt, non eſt ſine jure, *ibid.* XLVII. Non datur uſus, qui nec juſtus ſit, nec injuſtus, *ibid.* Fas non eſt medium inter juſtum & injuſtum, *ibid.* Jus non peccato, ſed jure divino inductum, *ibid.* LIII. Non jure Regum inductum, quod ante Reges erat, *ibid.* & LIV. Non jus, ſed juris formulæ a Regibus in judicio inductæ, *ibid.* Quo pacto jus humanum dicatur iniquum, vel inductum per iniquitatem, *ibid.*

Juſjurandum etiam rite nuncupatum a Waldenſibus & Fraticellis damnatum, 1318. XLVIII. Vera de eo doctrina, *ibid.*

Juſti; interdum eos deprimi divina providentia patitur, & cur, 1325. IX.

Juſtitia divina; Juſtitiæ exemplum in fautorem diſcordiæ adverſus Bonifacium VIII. 1315. III. In prædonem ſacrilegum, 1321. XLIII. In Fridericum Montisferetri comitem jurium eccleſiæ invaſorem, *ibid.* In Recinetenſes idololatras, 1322. II. Armeniorum excidia divinæ juſtitiæ aſcripta, 1323. VI. XII. Chriſtiani a Saracenis, quibus contra canonicas leges arma intulere, oppreſſi, *ibid.* Græci ob ſchiſmata & hæreſes a Tartaris attriti, 1324. XXXIX. Andronicus ſenior die ſacro Spiritus ſancti, cujus proceſſionem e Filio negarat, exutus imperio a nepote, 1327. LII. Divinæ in eccleſiæ hoſtes ultionis plura exempla, 1328. LIII. Impletum epiſcopi Morinenſis oraculum, Philippum Pulcrum Regem Francorum, ac filios perituros miſere, nec ſceptrum poſteris tranſmiſſuros ob perſecutionem ab illo in Bonifacium VIII. excitatam, *ibid.* LXVIII. Præfectus militum, qui Piſanos ad nefariam concionem adverſus Pontificem coegerat, eodem die exuſtus, 1329. II. Objecta cœlitus ſpecies de obitu Guigonis delphini impudici, 1333. XXII. Aliud viſum de Florentia ob crimina in diſcrimina adducta, *ibid.* XXVI.

## L

LAjazium Armeniæ urbs inſignis everſum ab infidelibus, 1322. XXX. Inſtaurari juſſum per Babylonios a Tartaris ex fœdere, 1323. IX.

Lateranenſis concilii ſtatutum, Omnis utriuſque ſexus; quis verus illius ſit ſenſus, 1321. XXV.

Lauda ſe Pontifici dedit, 1330. XXXIX. XL.

Legitimatio; Oroſius Rex Serviæ natalium macula expiata, a Pontifice dignitati aſſertus, 1323. XXIX.

Leo junior in Armeniæ regno Oſſinio ſuccedit, 1320. XLVII. Renovatæ illum inter & Henricum Cyprium induciæ, *ib.* XLVIII. Joannem Oſſinii nepotis uxorem inceſtis nuptiis ducit, 1322. XXXII. Inde Armenia evaſtata, *ibid.* Juvatur a Pontifice auro ſubſidiario, 1323. IV. Tartarorum Imperator ejus clientelam ſuſcipit, *ibidem*, IX. Fœdus cum Soldano Babylonio ſancit, vectigalque pendit, *ibid.* X. Accuſatur apud ſedem Apoſtolicam ipſum defeciſſe ad ſchiſmaticos, 1330. XLIII. De ea re jubet inquiri Joannes XXII. *ibid.* Oratores pro impetranda ope in Saracenos mittit ad Pontificem, qui ad Gallum Regem legati fuere, 1331. XXX. Antiochetam & Siquinum Rhodiis donare conſtituit adverſus barbaros defendenda, 1332. XXIV. Regis Francorum adventus ſpe mulcetur, *ibid.* Iterum oratores ad obtinenda auxilia mittit ad ſedem Apoſtolicam, 1333. XII.

Leo Joanni XII. ſubrogatus ab Ottone Imp. fuit antipapa, 1328. XXXIII.

Leopoldus Auſtriacus ſolicitatur a Pontifice, ut fœdus pactum inter Fridericum fratrem & Ludovicum Bavarum diſcutiat, 1325. II. Arguitur ipſum appellaſſe Ludovicum Regem, *ibid.* III. Apud Confluentiam colloquium init cum Gallo Rege, ut illum evehat ad imperium, *ibid.* VII. Miſere periiſſe fertur viſo dæmone magica arte evocato, 1326. VII.

Leproſi corrupti pretio a Saracenis aquas inficiunt veneno, 1321. XLIV.

Liberius Papa hæreticus non fuit, ſed præſumptus hæreticus ob communionem cum Semiarianis, 1331. XI. Propterea fuit exauctoratus, *ibid.* Succeſſit iterum Felici Papæ & martyri, *ibid.*

Libertas eccleſiaſtica. *Vide*, Eccleſiæ immunitas ſeu libertas.

Libertas; libertatis ſpiritus inductus a nonnullis hæreticis hypocritis, 1317. LIX. Hominum libertatem aſtrorum vi cogi effutit Franciſcus Aſculanus magus, 1327. XLVI.

Libido; Lollardorum mores impuri, 1318. XLIV. Inſanum reſponſum meretriculæ Lollardæ, *ibid.* Objecta cœlitus ſpecies de Guigonis delphini impudici morte, 1333. XXII.

Licentia utendi ſi juſta eſt, non eſt ſine jure, 1319. XLVII.

Linguæ ſive idiomata; de neceſſario ad promulgandum evangelium linguarum uſu, 1318. XV. Orientales linguæ in publicis ſcholis docendæ, 1326. XXIX.

Lites, Litigare; an Apoſtolis litigare licuerit, 1319. LXIII. Perfectis etiam & fidelibus licet, *ibid.* Non vetita litigia, quæ fraude non fiant, *ibid.* LXV. Agere judicio, cum ſanctitate non pugnat, *ibid.* Habentibus commune pro communi licet litigare, *ibid.* LXVI. Refellitur Michaelis Cæſenatis delirium, quod perfectis non liceat, *ibid.* Licere epiſcopis demonſtratur, *ibid.*

Lithuani; Lithuania ad Chriſtum redit, 1323. XIX. Chriſtianæ fidei amplectendæ ſpeciem præſeferunt Lithuani, 1324. XLV. Miſſi ad eos a Jo. XXII. internuntiis pro iis fide inſtruendis, *ibid.* XLVIII. Reſiliunt a cœptis, *ibid.* LII. Vaſtant marchionatum Brandeburgenſem, 1325. VIII.

Loculi; ut Chriſtus in loculis perſonam infirmorum acceperit, 1322. LX. Non eſt infirmitas quoad virtutis defectum, ſed quoad naturæ ſtatum, *ibid.* Chriſtus in perſona imperfectorum gerenda perfectiſſimus fuit, *ibid.* LXIII. Habere loculos non arguit imperfectionem in genere moris, *ibid.* Qua ratione dicantur imperfecti loculos habere, *ibibem*, LXVIII.

Lollardi quando exorti, 1318. XLIV. Wicleffi ſequaces dicti primum Lollardi, *ibid.* Lollardorum princeps Walterus, & hujus hæreſes, *ibid.* Ut Lollardi dæmonem coluerint, divinaque attributa impugnarint, *ibidem*.

Lombienſis epiſcopatus inſtitutus a Joan. XXII. 1317. XII.

Lorchani oppugnati a Granatenſibus, 1321. XLI. Excitati ad conſtantiam, *ibid.*

Luca ab Ugutione Fagiolano proditione capta direptaque, 1314. VI. In Joannis Regis Boemiæ poteſtatem, depulſis obſidione Florentinis, redacta, 1331. XIX.

Lucas e Fliſco S. Mariæ novæ Cardinalis legatus in Angliam a Joanne XXII. 1317. XLII.

Luchinus Vicecomes conjectus in vincula a Ludovico Bavaro, 1327. II. Auro libertatem coactus redimere, *ibid.* Conciliatus eccleſiæ 1330. XXVI.

Lucifer cultus a Lollardis hæreticis, 1318. XLIV.

Lucionenſis epiſcopatus a Joanne XXII. conditus, 1317. XII.

Ludi; cruenti ludi Neapoli edi ſoliti, 1327. XIII. Ad eos abolendos navata a Pontifice opera, *ibid.*

S. Ludovicus Galliarum Rex; ejus reliquiarum tranſlatio in regiam ædiculam Pariſiis, 1317. VIII.

S. Ludovicus epiſcopus Toloſanus; decernuntur illi a Joanne XXII. ſolemni ritu SS. honores, 1317. IX. Confertur cum altero S. Ludovico, *ibid.* De illius ingentibus miraculis, *ibid.* & XI. Rara Mariæ Reginæ felicitas, filium ſanctis annumeratum intueri, *ibid.* IX. Gratulatoriæ ad eam Pontificis literæ, *ibid.* Sancti filii elogia, *ibid.* Principes affines ſancti epiſcopi ad virtutum imitationem excitati, *ibid.* X. Præcipua illius vitæ acta, *ibid.* Septennio in cuſtodia Regis Aragonum fuit, *ibid.* A Minoritis ſcientiis imbutus, *ibid.* Quo pietatis ſenſu divina perciperet, *ibid.* Adepto ſacerdotio ſacra ſingulis diebus peragebat, *ibid.* Ejus caſtimonia, *ibid.* Corpus voluntariis pœnis macerabat, *ibid.* Ut voto ingrediendæ Franciſcanæ familiæ ſe obſtrinxerit, *ibid.* XI. Suſceperit, accepta a Bonifacio VIII. venia, Franciſcanam Veſtem, *ibid.* Voti religione prius ſe exolvit, quam ſuſciperet epiſcopatum, *ibid.* Ceſſerit jure primogenituræ, ac regno Siculo, *ibid* Epiſcopatus vectigalia in pauperes effuderit, *ibid.* Veſtem ſuam nudo tradiderit, *ibdem*. Pauperes in ſua domo refecerit quotidie, ipſiſque flexo genu inſervierit, *ibid.* Ut poſt mortem ingentia miracula ediderit, *ibid.* Propoſitæ ejus ſepulcrum veneraturis indulgentiæ, *ibid.* Ejus reliquiarum tranſlatio magna religione celebrata, 1319. XXX. Miracula ad ipſius nomen invocatum edita, *ibid.*

Ludovicus Hutinus Philippi Galliarum Regis filius poſtea Rex Francorum ſymbolum crucis a legato Cardinale accipit, 1313. VI. Patri Philippo in Galliarum regno ſuccedit, 1314. XXVI. In Robertum ducem Belgii ingentem expeditionem ducit eventu irrito, 1315. II. Uxore Blancha damnata adulterii ſeu vi ſeu morbo ſublata, Clementiam ducit, *ibid.* Judæos, accepto auro, turpiter reducit in Gallias, *ibid.* Engerranum Marinium laqueo necari jubet, *ibid.* III. Cardinales diſſentientes Philippi fratris opera ad creandum Pontificem Lugduni congregat, 1316. I. Moritur, relicta Regina prægnante, *ibid.* XI. Submurmuratum veneficio ipſum periiſſe, *ibid.* Indulgentiæ pro illius anima oraturis propoſitæ, *ibid.* XII. Naſcitur illi filius poſthumus Joannes nomine brevis ævi, *ibid.* XIII. Succedit in regno Philippus Longus, *ibid.* XVIII.

Ludovicus comes Ebroicenſis crucis ſymbolum a legato Cardinale accipit, 1313. VI.

Ludovicus Bavarus creatus diſcordibus ſuffragiis Romanorum Rex, 1314. XVII. Qui principes ipſi ſtuduerint, *ibidem*. Eorumdem ad Pontificem futurum literæ, *ibidem*, XVIII. & *ſeqq.* Ut diſſenſio inter electores graviſſima oborta ſit, *ibid.* XIX. Creationis Ludovici forma, *ibid.* XXI. & *ſeq.* Ut dubia fuerint Ludovici ad imperium jura judicioque ſedis Apoſtolicæ dirimenda, *ibid.* XXV. Rudolphus frater dux Bavariæ ipſi eſt adverſatus, *ibid.* Aquiſgrani corona argentea redimitur, *ibid.* Solicicatur a Joanne XXII. ut pacem ineat cum Friderico Auſtriaco, 1316. X. Ingenti prælio Fridericum fundit, capitque cum Henrico fratre, 1322. XIV. Solicitatur a Pontifice, ut ipſo interprete pacem cum æmulo ineat, *ibid.* XV. Ateſtinos marchiones, ac Mantuanum & Veronenſem præfectos a pontificiis partibus ad ſuas revocat, 1323. XXVIII. Galeatii Vicecomitis patrocinium arripit, *ibid.* Miſſo oratore, Cardinalem legatum ab illo exagitando revocare nititur, *ibid.* Arguitur hæretici patrocinium ſuſcepiſſe, *ibid.* Galeatium ad ſpeciem exauctorat, ac Bertholdum præficit Mediolano, XXX. Ejuſdem opera propulſat pontificium exercitum, *ibid.* Poſtulatur judicio a Pontifice, 1323. XXXI. Reprehenditur, ante impetratam pontificiam confirmationem regium munus ſibi vendicaſſe, *ibid.* Contuliſſe marchionatum Brandeburgenſem filio, *ibid.* XXXII. Senſiſſe cum Galeatio hæretico, *ibid.* XXXIII. Imperatum, ut his abſtineret, *ibid.* Vetiti eccleſiaſtici illi ſtudere, *ibid.* Primum oratores mittit ad componendam litem, deinde

inde



inde eos revocat judiciorumque ordinem temnit, *ibid.* & *ſeq.* Novare nititur adverſus vetera ſedis Ap. jura, *ibid.* XXXV. Reſpondet ad objecta, *ibid.* & *ſeq.* Obiicit falſo foveri Minoritarum magiſtrum, ſocioſque præcipuos de hæreſi ſuſpectos, *ibid.* Deinde eorum ſectatur hæreſim, *ibid.* Provocat ad concilium œcumenicum, *ibid.* XXXVI. Miſſis oratoribus, extrahi judicii diem ad ſemeſtre poſcit, 1324. I. Objectum illi eſt a Joanne Papa, ipſum ſine pontificia confirmatione Regem ſe dixiſſe, geſſiſſeque, *ibid.* III. Perduelles Ferrarienſes texiſſe, *ibid.* Roberto Regi traditam Inſubriæ atque Etruriæ adminiſtrationem turbaſſe, *ibid.* Monetur, ut præſumpta corrigat, *ibid.* Præfixum ad id trimeſtre, *ibid.* Contemnit Ludovicus die ſtatuta comparere, *ibid.* IV. Fucatas officiorum ſponſiones jactat, *ibid.* Verba operibus evertit, *ibid.* V. Ut primus læſerit Pontificem, *ibid.* Impiorum in eccleſias tyrannidem exercentium ſuſceperit clientelam, *ibid.* Ejus imprudentia in ea re, & perfidia in tuendo Galeatio Vicecomite, *ibid.* VI. Bochardus archiepiſcopus Magdeburgenſis ab illius ſequacibus trucidatus, *ibid.* VIII. Fundit Pontificium exercitum, *ibid.* XII. Ejus duces ob defenſos Vicecomites defixi anathemate, *ibid.* Contemnit indictum judicium, *ibid.* Accuſatur contumaciæ, *ibid.* XIII. Denuntiatur contraxiſſe anathema, *ibid.* Monetur, ut non ſe dicat Regem, ſed electum Regem, *ibid.* Vicecomites deſerat, *ibid.* Uſurpato in Ferrariam jure cedat, *ibid.* Prohibiti clientes imperii ipſi obſequi, antequam a ſede Apoſtolica confirmatus ſit Rex, *ibid.* Provocat Ludovicus ad concilium œcumenicum a Pontificis ſententia, *ibid.* XIV. Acerbiſſime in illum invehitur, *ibid.* Argumenta ſuæ cauſæ producit, *ibid.* Confutat electionem Friderici, *ibid.* XV. Fucata diffugia obiicit, *ibid.* Jure Regem ſe dixiſſe, & adminiſtraſſe imperium contendit, *ibid.* Ejuſdem querelæ, *ibid.* XVI. Variæ ipſius artes ad creandum Pontifici odium, *ibid.* XVII. Fictionibus conciliare ſibi Auſtriacum nititur, *ibid.* XVIII. Jungit cum eo affinitatem Danus, *ibid.* Apud Pontificem pro Ludovico deprecatorem agit, *ibid.* Ludovicus decretoria ſententia a Joanne exauctoratur, *ibidem*, XXI. Ejuſdem ſententiæ formula, *ibid.* XXII. & *ſeqq.* Intentata illi principatuum privatio, ne Regem electumve ſe dicat, *ib.* XXIII. Soluti ſacramento fidei Germani, *ibid.* XXV. Carolus Rex Francorum affectat illi eripere imperium, *ibid.* XXVI. Poſtulatur Bavarus crimine hæreſeos, iterumque damnatur a Pontifice, *ibid.* XXVII. Provocat ad concilium, *ibid.* Librum impium in Joannem promulgat, *ibid.* XXVIII. Impiorum conſilio ſe hæreſi Fraticellorum implicat, *ibid.* XXIX. Decretum fidei de paupertate Chriſti damnat hæreſeos, *ibid.* XXX. Ob id damnatur judicio hæreſeos, & exauctoratur ob tenſo imperii jure, *ibid.* XXXI. Adhæret hæreſiarchæ Michaeli Cæſenati, *ibidem*, XXXII. Fruſtra ab Herwarto excuſatur, *ibidem*, Fridericum Auſtriacum cedere jure cæſareo cogit, 1325. I. Gravibus illum legibus devincit, *ibid.* Leopoldum Auſtriacum ad ſuum obſequium allicit, *ibid.* III. Annitente ad imperium Gallo, novo fœdere conciliat ſibi Fridericum, & cum eo imperium partitur, *ibid.* VI. A Polono gravi bello appetitur in Brandeburgico principatu, *ibid.* VIII. Contendit adverſus eundem Pontifex, ipſum non potuiſſe tradere filio Brandeburgicum marchionatum, *ibid.* Creat Bavarus Caſtrucium in Etruria cæſareum legatum, *ibidem*, IX. Ejus ſequaces Gibellini cum Guelfis vario eventu certant, 1326, III. & *ſeq.* Nova fœdera cum Leopoldo & Friderico Auſtriacis paciſcitur, *ib.* VII. Adverſatur ipſi Pontifex, ne collata in eum a Friderico cæſarea jura rata habeant principes electores, *ibid.* Arguitur archiepiſcopus Trevirenſ. ipſum edicta pontificia in Bavarum non promulgaſſe, *ib.* Magdeburgenſis provincia ob ſecutas ejus partes a Bochardo archiepiſcopo cenſuris percuſſa, *ibid.* VIII. Bochardum inſidiis capiendum, & necandum ab æmulis curat, *ibid.* IX. A Gibellinis in Italiam pellicitur, 1327. I. Tridenti ſuorum conventus agit, *ibid.* Marſilius & Jandunus ob ejus gratiam fingunt hæreſes, *ibid.* Intentatur Ludovico judicium hæræſeos, *ib.* III. Vicecomites vinculis mancipat, *ibid.* Mediolani ferrea corona cingitur, *ibid.* Romani ſe Ludovicum admiſſuros Pontifici denuntiant, niſi in Urbem venerit, *ibid.* VIII. Ludovici factio Romæ, ſignifero Sciarra Columna, invaleſcit, *ibid.* & *ſeq.* Viterbienſes in Bavari partes deficiunt, *ibid.* XV. Item plures Romanæ eccleſiæ clientes, *ibid.* Penetrat in Etruriam, *ibid.* XVII. Piſas obſidet, *ibid.* *In deditionem accipit*, *ibid.* Henrici VII. capitalem ſententiam in Robertum Siciliæ Regem renovat, *ibid.* XVIII. In hæreſes Pontificis odio tranſverſus agitur, *ibid.* XIX. Chriſtum, non fuiſſe verum Meſſiam inepte concludit, ſi jus rerum, quibus uſus eſt, habuerit, *ibid.* Refellitur, *ibid.* Pontificiæ in eum ſententiæ formula, *ibid.* XX. Obiicitur ipſi, hæreſim negantium jus rerum in Chriſto amplexum, *ibid.* Non profeſſum modo, ſed Germanos & Italos in eam ſententiam adducere conatum, *ibid.* XXI. Marſilii & Janduni hæreſiarcharum librum recepiſſe, *ibid.* Permiſiſſe eorum diſſeminari hæreſes, *ibid.* Violaſſe eccleſiaſtica interdicta, *ibid.* XXII. Ut judicium hæreſeos illi fuerit intentatum, *ibid.* XXIII. Damnatur tanquam fautor hæreticorum, *ibid.* XXIV. & *ſeq.* Quæ pœnæ illi inflictæ, *ibid.* Vetiti fideles illi parere, *ibid.* Movet verſus Romam exercitum, *ibid.* XXXVIII. Adverſus illum Jacobus Rex Aragonum ſuam Pontifici defert operam, *ibid.* XXXIX. Franciſcus Aſculanus magus plura de Ludovici verſus Romam progreſſibus præſagit, *ibid.* XLVI. Vocatur Romam a factioſis Gibellinis, 1328. I. Eo ingrediente, cleri potior pars aufugit, *ibid.* II. A populo Romanorum Rex ſalutatur, *ibid.* Fit ad annum ſenator & copiarum dux, *ibid.* A populi Romani ſindicis inſigne auguſtale accipit, *ibid.* III. Inunctus a Caſtellano exepiſcopo, *ibid.* Latæ ab eo leges, *ibid.* Indicta adverſus ipſum a Pontifice cruceata militia, *ibid.* IV. Cauſæ, ob quas indicatur, *ibid.* & *ſeqq.* Inflictæ ejus fœderaris cenſuræ, *ibid.* V. Obiicit illi Joannes Papa, hæreſiarchas ſuo texiſſe patrocinio, *ibid.* VII. Ejus potentia, fretus Marſilius hæreſiarcha exercet tyrannidem in clerum, *ibid.* IX. Legem promulgat Bavarus in hæreticos, quo nomine Pontificem Guelfoſque principes intelligit, *ibid.* XI. Fert in Joannem XXII. ſententiam, *ibid.* Ad id ſcelus ab hæreſiarchis & pſeudominoritis impellitur, *ibid.* Concepta ea fuit ab Ubertino Caſalio hæretico pſeudominorita, *ibid.* Refelluntur ejus errores & hæreſes, *ibid.* XIII. & *ſeqq.* Exauctorare & morti addicere pertentat Pontificem, *ibid.* XVI. Id facinus boni execrantur, *ibid* XVII. Oſtenditur, non ſpectaſſe ad ipſum ferri ſententiam, quamvis vera fuiſſent ex falſa hypoſtaſi Pontificis crimina, *ibid.* Plura in eo obſtabant, etiamſi ad eum ſpectaſſet, *ibid.* XIX. Promulgata in eum in ipſa urbe, in qua erat præſens, edicta pontificia, *ibid.* XX. Legem impiam fert, ne Pontifex Urbe abſit, in-

intentata pontificatus abrogatione, *ibid.* XXI. Alia ejuſdem in Pontificem ſententia, *ibid.* XXIII. Ejus errores refelluntur, *ibid. & ſeq.* Ejuſdem objectio de bello ſacro indicto in tyrannos Gibellinos redarguitur, *ibid.* XXVII. Contendit, Cæſaream electionem pontificia confirmatione non egere, & confutatur, *ibid.* XXVIII. Non accepiſſe a Deo gladium in Pontificem convincitur, *ibid.* XXIX. Fucus per eum ab Othonis exemplo penitus detergitur, *ibid.* XXXIII. Si Chriſtus jus in res habuerit, non fuiſſe perfectiſſimum viatorum, cum Fraticellis ſomniat, *ibid.* XXXIV. Refellitur is error, *ibid.* Illum potuiſſe exauctorari a Chriſti vicario oſtenditur, *ibid.* XXXVI. Edicit, Pontificem afficiendum ſupplicio, *ibid.* Suorum odia eo facinore contrahit, *ibid.* Damnatur a bonis tam atrox facinus, *ibidem*, XXXVII. Solicitantur fruſtra a Pontifice electores, ut novum creent Cæſarem, *ibidem*, XXXIX. *& ſeq.* Petrum Corbariam creat antipapam, *ibid.* XLII. Exinde dejectæ illius res, *ibid.* Vanæ ſunt id ſcelus excuſantium artes, *ibid.* Sententias Henrici VII. in Robertum Regem & Florentinos confirmat, *ibid.* XLIII. Inſanis in Pontificem legibus ſecundas res corrupit, *ibid.* XLVIII. Plura adverſa patitur, *ibid.* In Campaniam tentat irrumpere, *ibid.* XLIX. Ex Urbe fugatur, *ibid.* Ejus acta publice a populo exuſta, *ibid.* Romani illum atque antipapam ad mortem depoſcunt, *ibid.* L. Confert ſe Viterbium, *ibid.* LI. Expeditionem in Florentinos cogitat, *ibid.* LII. Ad eum Petrus Trinacriæ Regis filius accedit, & in reditu claſſis illius naufragium paſſa, *ibid.* Piſas ſe confert, *ibid.* Ejus fœderati infeliciter pereunt, *ibid.* LIII. Ateſtini marchiones ab eodem deſciſcunt, *ibid.* LIV. Ab eodem deficiunt octingenti equites, *ibid.* LIX. Ut Michaelem Cæſenatem hæreſiarcham ex pontificia curia ad ſe traxerit, *ibid.* LXII. Impiam illius provocationem ad concilium una cum ſuis edictis promulgat, *ibid.* LXV. Iterum exauctorare Pontificem nititur, *ibidem*, LXVI. Percellitur ab eo ſententia hæreſeos, *ibid.* Cogit Piſanos ad nefariam concionem adverſus Dei vicarium & catholicos, 1329. II. Damnatur a Pontifice anathemate die cœnæ Domini, *ibid.* Fruſtra Florentiam proditione tentat, *ibid.* V. Aſperioribus in dies rebus factis, Piſis abit, *ibid.* Mox ab eo Piſani aliique finitimi populi defecere, *ibid. & ſeqq.* Collapſæ illius in Etruria res, *ibid.* Et in Inſubria ob conflati ſchiſmatis odium, *ibid.* XII. Mediolano repellitur, *ibid.* XIII. Mediolanenſem agrum vaſtat, *ibid.* XVI. Ticinum ad deditionem compellit, *ibid.* Ex Italia recedit, *ibid.* Rupertus dux Bavariæ idemque Palatinus adverſus ejus impietatem ſentit cum eccleſia, *ibid.* Piſæ ab eo deficiunt, 1330. I. Ejuſdem antipapa latebras captat, *ibid.* Ex geſtis Romæ contendit, cæſareos ſe adeptum apices Ludovicus, *ibidem*, XXVII. Rupertus & Henricus principes Bavari, ac Saxo in eum ſolicitati, *ibid.* XXVIII. Aliqui principes electores de eo Pontifici conciliando, & aſſerendo ipſi imperio agunt interpretes, *ibid. & ſeq.* Quæ a Joanne Papa reſponſa fuerint, & objecta Bavaro, *ibidem*, XXVII. *& ſeqq.* Annitentibus contra principibus repulſam iterum tulere a Pontifice, *ibid.* XXXVI. Boemiæ Regem adminiſtrandæ Italiæ præficit Ludovicus, *ibid.* XXXIX. Geſta a Romanis cum Ludovico revocata, *ibid.* XLI. Suſpicionem in Joannem Regem Boemiæ ob res geſtas in Italia concipit, in eumque Othonem Auſtriacum concitat, 1331. XIX. Nova edicta in Bavarum a Joanne Papa promulgata, *ibid.* XXII. Pontificem ipſum, miſſis oratoribus, de fœdere poſtulat, 1332. XI. Cur non fuerit admiſſus, *ibid.* Picentes ob ſecutas illius partes veniam poſſcunt, *ibid.* XII. Mediolanenſes ſe excuſant, quod illi non obſtiterint, ne Mediolani ferream coronam acciperet, *ibid.* XV. Duos comites pro flagitanda a Pontifice præteritorum venia mittit, 1333. XXVIII. Quid reſponſum ab illo ſit, *ibid.* Ceſſurum imperio ad obtinendam eccleſiæ gratiam præſefert, *ibid.*

Ludovicus Nivernenſis comes primogenitus Flandriæ comitis in Philippum V. coitiones init, 1317. VI. Eidem conciliatur, *ibid.* Margareta Philippi Longi filia ducta in uxorem, auget Belgicum principatum, 1320. XX. Moritur, 1322. XXI.

Ludovicus Nivernenſis junior avo Roberto in Belgio ſuccedit, 1322. XXI. Profligatur a conjuratis populis, 1325. XIV. Capitur, *ibid.* Ejus ſenatores præcipui capite plexi, *ibid.* A Gallo Rege reſtituitur libertati, *ibid.*

Ludovicus Bavari exauctorati filius Brandeburgenſi marchionatu ope Cruciferorum potitur, 1328. XLI.

Ludovicus comes Claromontanus creatus primus Borboniorum dux, 1333. XIV.

Ludovicus Caroli Ungariæ Regis primogenitus poſtea Rex; ad ejus gratiam indultum, ut impedito Strigonienſi archiep. a Colocenſi corona cingi poſſit, 1333. XXVII.

Luna; tres lunæ crucesſignatæ conſpectæ, 1314. XXVII.

Lundenſe concilium; ejus ſtatutum pro tuenda epiſcopali libertate, 1331. XL.

Lundenſis archiepiſcopus conferendæ Regibus Daniæ coronæ prærogativa inſignitus, 1320. VII.

Lutra. *Vide*, Franciſcus e Lutra.

Luxuria; projecta hæreticorum in Boemia pullulantium luxuria, 1318. LIII. Nonnulli ob luxuriam dæmoni exhibent ſervitutem, 1327. XLV.

# M

MAcerata ſede epiſcopali decorata, 1320. XVIII.

Magalonenſis eccleſia a Pontifice accepit beneficiarios Melgorii & Montisferrandi comitatus, 1331. XXXI.

Magi conjurant in Pontificem & Cardinales, 1317. LIII. Eorum artes divinitus eluſæ, *ibid.* LII. Variæ peſtiferæ magorum artes, *ibid.* LIII. & 1318. LI. Ii ad ſupplicium vocati, 1318. LVII. Ut eo tempore dæmonum cultus invaluerit, *ibid.* Magica peſtis graſſata in Gallia Narbonenſi, 1320. XXXI. Execranda magorum opera, *ibid.* Eorum abuſus circa ſacramenta, *ibid.* Cenſores fidei in eos inquirere juſſi, *ibid.* Pontificæ ad ejuſmodi mala abolenda curæ, *ibid.* Leopoldus dux Auſtriæ, magi opera viſo dæmone, miſere periit, 1326. VII. Structæ magicis artibus Carolo Francorum Regi inſidiæ, 1325. XLV. Inquiri juſſum a Pontifice in nonnullos clericos mali auctores, *ibid.* Plures magicis artibus infecti, *ibid.* XLV. Queritur Joannes Papa magos immolare dæmonibus, eoſque in ſpeculis, in phialis, & in annulis conſulere & vincire, *ibid.* Sacra in illos inquiſitio inſtituta, *ibid.* Et ſtatutæ pœnæ, *ibid.* Franciſcus Aſculanus magus, *ibid.* XLVI. Ficta ab eo hæreſis, *ibid.* Exuſtus, *ibid.* Magicæ artis triſtis exitus in Edmundo Cantii duce, 1330. L. Fallacia & periculoſa dæmonum reſponſa, *ibid.* Conſilium datum a Joanne XXII. Reginæ Aragonum ad ſuperandas magicas inſidias

ſidias



ſidias, 1331. XXXVII. Adhibita ab ipſo remedia, *ibid.*

Magnus ducis Erici filius Rex Sueciæ expeditionem in Careleos & Ruthenos Sueciam infeſtantes meditatur, 1326. X. Attributa illi a Joanne XXII. dimidia ſexennalium decumarum pars, *ibid.* Hollandiam, Schoningiam, & Blechingiam ſuo adiicit imperio, 1331. XLI. Privilegium ſacrum illi a Pontifice datum, *ibid.*

Mahomades Rex Granatæ ingenti clade ab Alfonſo Rege Caſtellæ affectus, 1330. XLVIII. Amiſſis nonnullis arcibus, inducias auro redimit, *ibid.* Afros in Hiſpanias allicit, & ingenti bello petit Chriſtianos, 1332. XXI. Caſtellam adoritur, 1333. XX. A ſuis trucidatus, *ibid.*

Mahometes; illius ſigna prælata a nonnullis Genuenſibus, 1317. XXXVI.

Mahumetana ſuperſtitio; ad illam in Granatæ locis eripiendis Mauris reprimendam obſtringitur a Pontifice Alfonſus Caſtellæ Rex, 1328. LXXVIII.

Maladinus Boſſinenſis princeps adverſus hæreticos concitatus, 1319. XIV.

Malchaitæ fidem Chriſti colunt, 1329. XCVI. Ad eos epiſcopus Gemiſcatenſis miſſus, *ibidem*.

Malleacenſis epiſcopatus a Joanne XXII. inſtitutus, 1317. XII.

Manfredus epiſcopus Feltrenſis a Guecelone Gibellino ex inſidiis cæſus, 1323. XXIII. Auctor ſceleris defixus anathemate haud diu ſuperfuit, *ibid.*

Manfredus Salutiarum comes Robertum Siciliæ Regem Pedemontio bello vexat, 1317. XXXIV. A Pontifice ad pacem ſolicitatur, *ibid.*

Maphæus ſive Matthæus Vicecomes a Guelfis magna clade fuſus, 1314. V. Turriani eum Mediolano pellere nituntur, *ibid.* Roberti Regis duces auro corrumpit, ſeque eximit periculo, *ibid.* Brixienſes bello appetit, 1317. XXXIV. Solicitatur a Pontifice, ut bello abſtineat, *ibid.* Ob Genuam bello preſſam Pontificem in ſe exaſperat, 1320. IX. Ut a legato Cardinale ad pacem fuerit ſolicitatus, *ibid.* X. §. Nos. Nuntium de pace acturum male accipit, *ibid.* Vocatus in ſuſpicionem hæreſeos. *ibid.* §. Hæc omnia. Inſtitutus in eum judiciarius ordo ab eodem legato, *ibid.* Promulgatur devinctus anathemate, *ibid.* In eum immiſſus Philippus comes Cœnomanenſis irrito exitu, *ibid.* & XI. Vercellenſes ſibi ſubiicit, *ibid.* Pontificia imperia ſpernit, *ibid.* XII. Notatur anathemate, *ibid.* Intenditur illi actio de hæreſi, *ibid.* XIII. Edicta apoſtolica conculcat, *ibid.* XIV. In eum Fridericus Auſtriacus concitatus, 1322. V. Damnatur hæreſeos ob negatam carnis reſurrectionem, *ibid.* VI. Ejus flagitia deſcribuntur, *ibid.* Indicta in eum religioſa militia, *ibid.* VII. Accuſatur quæſiviſſe reſponſa dæmonum, *ibid.* VIII. In Henricum Auſtriacum ſubornat, ſibique conciliat, *ibidem*, XI. Moritur, *ibid.* Galeatium filium tyrannidis ſucceſſorem relinquit, *ibid.* Ejus tyrannis in eccleſiam, 1324. V. *& ſeqq.* Varia ipſius flagitia, *ibid.* Ejus ſtirps inquinata hæreſi, *ibid.* IX. Carnis reſurrectionem negavit, *ibid.*

Marcha argentea; ejus valor, 1326. VIII.

Marcus Vicecomes magna clade profligatus, 1323. XXVI. Conjectus in carcerem a Ludovico Bavaro, ac deinde dimiſſus, 1327. III. Plura in eum gerit, *ibid.* VII. Solemni ritu ſchiſma damnat, *ibid.* XV. A nepote proditione necatur, *ibid.*

Marforianus Jacobitarum ad conjunctionem Romanæ eccleſiæ ſolicitatus, 1330. LVII.

Margareta filia Philippi Longi Francorum Regis nupta Ludovico Nivernenſi, 1320. XX. Inde comitatus Burgundiæ & Atrebati conjuncti Belgio, *ibid.*

B. Maria Virgo Deipara; eccleſia Avenionenſis ejus dicata nomini pluribus miraculis inſignita, 1316. XXII. Data eidem Deiparæ a Joanne XXII. elogia, *ibid.* Virginitatem Deiparæ negant impii Lollardi, 1318. XLIV. Propoſitæ indulgentiæ iis, qui ſub veſpertino crepuſculo ter angelicam orationem repetunt, 1318. LVIII. 1327. LIV. Ampliſſima Deiparæ elogia, *ibid.* 1320. LI. Impia ſocietas B. Virginis nomen ſibi aſciſcit, 1319. VII. B. Bernardo congregationis montis Oliveti conditori ſe videndam obiicit, 1320. L. Adoleſcens Virginis ope e rogo ſalvus exit, *ibid.* LI. Conditum in eo loco ſacellum, *ibid.* Miraculum ingens ope Deiparæ editum prope Avenionem, 1331. XLII. Sacellum eo in loco a Joanne XXII. conditum, *ibid.* Carolus princeps Moraviæ divinitus edoctus de Viennenſis Delphini miſera morte templum Virgini in Parmenſi agro ponit, 1333. XXII.

Maria Regina Siciliæ; gratulatur ipſi Pontifex decretos filio ſanctorum honores, 1317. IX.

Maria Regina Caſtellæ diſcordiam inter Dionyſium Luſitaniæ Regem & Alfonſum illius filium conciliare nititur, 1319. XXIX. Moritur, 1322. XVIII.

Maria Lucemburgenſis; ob illius gratiam Boemus ejus frater cum patruo Trevirenſi electore imperium ad Gallorum Regem transferre molitur, 1324. XXVI.

Maria Regina Aragonum conſulit Pontific. quomodo ſint ſuperandæ magicæ inſidiæ, 1331. XXXVII. Datum illi conſilium, *ibid.*

Marinus Georgius; ut a Marino abruptus fuerit concordiæ cum Clemente tractatus, 1313. XXXII. Toto ejus ducatu potiti Veneti ſacrorum uſu interdicti, *ibid.*

Marinus Sanutus pro reconciliandis eccleſ. Rom. Græcis interpretem agit, 1324. XXXIX. Et pro expeditione ſacra promovenda, *ibid.* XL. Conſulit Cardinalibus, admittendum in gratiam Ludovicum Bavarum, inclinantibus in eum Italis, 1327. II.

Marſilius e Padua, & Joannes e Janduno hæreſiarchæ ad Ludovici Bavari gratiam ad evertendam eccleſiam fingunt hæreſes, 1327. I. Eorum clientelam ſuſcipit Ludovicus, *ibid.* XXI. Ab Ariſtotele, non Chriſto, hierarchiam eccleſiaſticam componi volunt, *ibid.* XXVII. Decretoria in eos ſententia, *ibid.* XXVIII. Editus ab iis liber refertus hæreſibus in gratiam Ludovici, *ibid.* Commoniti non reſipuerunt, *ibid.* Blaſphemant, Chriſtum ex neceſſitate tributum Cæſari penſitaſſe, atque ideo, non majorem Chriſto Pontificem Cæſaris eſſe vectigalem, *ibid.* XXIX. Falſo inferebant res eccleſiaſticas ad Cæſarem ſpectare, *ibid.* Effutiebant Petrum cæteris Apoſtolis non præfuiſſe, *ibid.* XXX. Affirmabant, ſpectare ad Cæſarem inſtituere & exauctorare Pontifices, *ibid.* XXXI. Pontificem, epiſcopos, & ſacerdotes pares eſſe auctoritate, *ibid.* XXXII. Neminem ab eccleſia puniri poſſe coactiva punitione, *ibid.* XXXIII. Confutatæ eorum hæreſes, *ibid.* XXIX. *& ſeq.* Ut judicio poſtulati fuerint, *ibid.* XXXIV. Propoſitum publice in eos edictum, *ibid.* Convicti contumaciæ, *ibidem*. Damnatæ ipſorum hæreſes, *ibidem*, XXXV. Inflictæ utrique pœnæ, *ibidem*. Finxit idem Marſilius, Cæſarem Pontifici vacante ſede ſuccedere, ac refellitur, *ibid.* XXXVI. Clerum temporalia habere non poſſe

ſe

ſe, *ibid.* XXXVII. Confutat ſingula ejus argumenta accurate Albertus Pighius, *ibid.* Marſilii ſcripta in lucem edita a Lutheranis, *ibid.* Creat Ludovico Bavaro ſuo fautori Marſilius ſummam invidiam, 1328. VII. Marſilius & Jandunus Romam ſe conferunt, ut fideles hæreſibus inficiant, *ibid.* IX. Marſilius exercet tyrannidem in clerum, *ibid.* Vicarii munus ſibi arrogat, *ibid.* V. Ambos capi jubet Pontifex, *ibid.* IX. & *ſeq.* Marſilii in conflando ſchiſmate atrox ſcelus, *ibid.* Ejus hæreſim Ludovicus Bavarus, exauctorato temere Pontifice, in opus adducit, *ibid.* Formulam ſecundæ ſententiæ componit in Pontificem, farcitque hæreſibus, *ibidem*, XXIII. Refellitur, *ibid.* Ejuſdem & Janduni hæreſes hauſtæ a pſeudominoritis, 1331. II. Quæruntur Mediolanenſes, multa a Marſilio in Pontificem conficta, 1332. XV.

Marſilius Carraria proditione Patavium dedit Cani Scaligero, 1328. XLVIII. Pauperum & eccleſiarum bona præmium perfidiæ accipit, *ibid.*

S. Martinus; ejus caput pretioſiſſima theca incluſum a Carolo IV. Rege Francorum, 1323. LXVII.

Martyres Minoritæ, *Vide*, Minoritæ.

Mathildis comitiſſa Atrebatenſi comitatui reſtituta, 1318. XXIII.

Matrimonii ſacramentum negatum vel ſpretum a pſeudoapoſtolis, 1318. XLIV. & *ſeqq.* Ab iiſdem diſſolutum, *ibid.* Multiplicitas uxorum viro, aut feminæ virorum prohibita, 1321. XI. Secundæ nuptiæ licitæ, *ibid.* B. Eliſabethæ, Luſitanæ rarum in virum adulterum conjugalis amoris exemplum, 1322. XVI. Matrimonium non conſummatum, per ingreſſum in ordinem religioſum, editamque in eo profeſſionem dirimi poſſe pronutiatur, *ibidem*, LXXI. Statutæ pœnæ in matrimonio junctos: qui ordinibus initiantur, *ibid.* Expoſitæ pœnæ adverſus contrahentes vetitas nuptias, 1329. XC. Caſtellæ Regis nuptiæ ob publicam pacem confirmatæ, *ibid.* XCII. Soluta lex de conjugiis ad neophitorum gratiam, 1333. XLIII. Converſi ex idololatria quo gradu permanere permiſſi, *ibid.*

Matthæus Vicecomes. *Vide*, Maphæus.

Matthæus Urſinus ordinis Prædicatorum a Romanis orator miſſus ad Joannem XXII. ut eum in Urbem alliciat, 1327. VI. Ex archiepiſcopo Sypontino creatur Cardinalis ab eodem Pontifice, *ibid.* LV.

Matthias e Bucheke creatur archiepiſcopus Moguntinus, 1320. VIII.

Matthias archiepiſcopus Moguntinus pontificio juſſu comitia pro creando Cæſare adverſus Ludovicum cogere molitus, impeditur, 1328. XLI. Virtutibus & caſtitatis laude inſignis, 1329. LXXIII.

Mauri. *Vide*, Granatenſes.

Mauritius e Pagnaco a Rhodiis equitibus ſeditione creatus ordinis princeps, exauctorato Fulcone Villareto, 1317. XXXV. Gradu dimotus, 1319. XI. In Cypro & Armenia equitibus præeſſet, 1323. XIII.

Mediolanenſes ob non ſuſceptum Robertum Regem vicarium imperii cenſuris percuſſi, 1320. XII. Vita functo Matthæo Vicecomite, Galeatium ducem renuntiare coacti, 1322. XI. Illum pellunt urbe, *ibid.* Cum legato pontificio de pace agitant, *ibid.* XII. In Galeatii ſervitutem recidunt, *ibid.* Ob ſecutos Ludovici Bavari & antipapæ partes veniam poſcunt, 1332. XIV. Excuſant non obſtitiſſe, ne Ludovicus ferream coronam acciperet, *ibid.*

Melgorii & Montisferrandi comitatus a Romana eccleſia Magalonenſi attributi, 1331. XXXI.

Merces; Joannes XXII. merces Saracenis inferre vetat, 1317. XXXVI. Cenſuræ in merces vetitas Saracenis inferentes renovatæ, 1320. XLVIII. Cyprii, merces vetitas Saracenis invehentes, coerceri juſſi, 1324. XLIII. Pontificia in auſuros illud facinus ſententia, *ibid.* Illatæ a Romanis Pontificibus cenſuræ revocatæ, *ibid.* Rizardi Cremonenſis doctrina de commercio cum infidelibus, damnatur ab Apoſtolica ſede, 1326. XXIV. Data Genuenſibus facultas, ut cum infidelibus merces commutarent, *ibid.* XXV.

Meſſana a Carolo duce Calabriæ fruſtra obſeſſa, 1325. II. Soluta obſidone, pars murorum corruit, *ibid.*

Michael Andronici ſenioris filius moritur, 1321. XIV. Secuta inde bella ingentia, *ibid.*

Michael Cæſenas ſupremus Minoritarum præfectus controverſiam apud ſedem Apoſtolicam agitatam de paupertate Chriſti, temere dirimere in comitiis ſodalium nititur, 1322. LIV. Præcipites ejus ea de re literæ, *ibid.* Turbas movet adverſus Joannis XXII. decretum, *ibid.* LXX. Ipſius, negantis Chriſtum & Apoſtolos jus habuiſſe in rebus, inepta argumenta, 1323. LXII. Confutantur, *ibid.* In jus vocatur, cum ſententiam ſuam fidei decreto præferret, 1327. XLVII. Primum moras & fugam molitur, dein anceps animi paret, *ibid.* & 1328. LX. Ut a Pontifice fuerit increpitus, *ibid.* Gloriatur, reſtitiſſe Pontifici, *ibid.* LXI. Refringitur ejus impudentia a Geraldo Minorita, *ibid.* Ut Ludovicus Bavarus ad eum excipiendum triremim ſubmiſerit, *ibid.* LXII. Commentarium pro tuenda hæreſi ſcribit, *ibid.* Ut ſpe antipapatus fuerit delinitus, *ibid.* Pontificia ſententia percellitur, *ibid.* LXIII. Illius commentariorum compendium promulgatum a Bavaro, 1328. LXV. Contendit Papam tenendum hæreticum, *ibid.* Plures calumnias publice evomit in Pontificem, *ibid.* LXVI. Ludovico exauctorare annitenti Pontificem, & antipapæ adhæreſcit, *ibid.* Pontificia ob impios conſcriptos commentarios ſententia percellitur, *ibid.* XXI. Plures ſuæ nefariæ ſectæ ſocios in variis provinciis nanciſcitur, *ibid.* XXII. & *ſeqq.* Scribit adverſus illius errores Commentarium Pontifex, *ibid.* Venenata commentaria cudit Michael Monachii, 1331. VIII. & *ſeqq.* Geraldus Otho Minoritarum magiſter illius impoſturas redarguit, *ibidem*. Infanda Michaelis arrogantia traducitur, *ibid.* IX. Provocat ad eccleſiam, eamque lapſam contendit, *ibid.* Arguitur manifeſtis hæreſiarchis ſe conſociaſſe, *ibid.* X. Contendit impie, Pontifices in ferendis fidei decretis ſine concilio œcumenico errare poſſe, *ibid.* XI. Plures calumnias veteres in nonnullos Pontifices repetit, *ibid.* Refellitur, *ibid.* Objurgatur manifeſto, antipapæ ſe conjunxiſſe, *ibid.* Appellationem ejus Minoritarum nomine conceptam repudiant Minoritæ, *ibid.* XII. Fictus illius pietatis ardor traducitur, *ibid.* XIII. Ejus ſcripta pugnare cum ſacra ſcriptura, demonſtrantur, *ibid.* Inculcatur illi exemplum S. Franciſci in Pontificem obſervantiſſimi, *ibid.* XIV. Objurgatur, paupertatis votum infringere, *ibid.* Inſtitutum a Minoritarum præpoſito adverſus illum judicium, *ibid.* XV. Quatuor hæreſes illi a Minoritis objectæ, *ibid.* Item crudelitas in veros Minoritas, *ibid.* Lata in eundem & ſocios ſententia in Perpinianenſibus comitiis, *ibid.* XVI. Communita adverſus hujus venena Regina Siciliæ, *ibid.* XVII.

Militia Jeſu Chriſti; equeſter ordo religioſus inſtitutus in Luſitania, 1319. XXIX.

Millenus princeps Alanorum ad conjunctionem

cum



cum Romana eccleſia redit, 1333. XXXVII.

Minoritæ; Minoritarum ordinis elogium, 1318. XLV. Ut diſcordia inter eos oborta fuerit, *ibid.* Plures ſub Henrico Ceva e ſchiſmate in hæreſes lapſi, *ibid.* & *ſeqq.* Ejuſmodi pſeudominoritarum impietate nulla labes veris Minoritis aſpergitur, *ibid.* LVI. Eorum commendatio, *ibid.* Minoritarum religioſorumque aliorum inſtituta mutari poſſunt a Romano Pontifice, *ibid.* Minoritæ quatuor affecti martyrio in India, 1319. XXXI. & *ſeq.* In mediis flammis illæſi, *ibid.* XXXII. Minoritæ duo ab hæreticis trucidati, 1321. XVII. Clarent miraculis *ibid.* De eorum veritate inquiri jubet Pontifex, *ibid.* Minoritæ in Peruſinis comitiis temere dirimunt controverſiam de paupertate Chriſti agitatam apud ſedem Apoſtolicam, 1322. LIV. Ipſi alienas opes affectare accuſati, *ibid.* LXIX. Dominium rerum illis a Joanne XXII. reſtitutum, *ibid.* Ea re exulcerati ſcandala gravia concitant, *ibid.* LXX. Calumnia aſperſa Minoritis a Ludovico Bavaro, 1323. XXXVI. Argumenta Minoritarum de ſimplice uſu facti contra Joannis Papæ conſtitutiones confutata, 1324. XXXI. Non ſpectat ad fidem, Minoritas non habere niſi ſimplicem uſum facti, *ibid.* Joannes Papa Regem Siciliæ docet, eccleſiam nil contra Minoritas ſtatuere; ſed in impios tantum illos, qui ſe ſpirituales jactant, 1325. XXVII. Plures Minoritæ reſipiſcunt ab hæreſi, 1327. XLVII. Calumnia ab Aventino impacta Minoritis, 1328. XXXVI. Judiciariæ actiones in Minoritas ſchiſmaticos, *ibidem*, LXVI. Conflata Minoritarum ordini ex aliquorum lapſu ingens invidia, *ibid.* LXVII. Qui Minoritarum ſuſceperint clientelam, *ibid.* Plures Reges ordini patrocinati, *ibid.* Conciliatus Minoritanæ familiæ Pontifex, *ibidem*. Plures ex eo ordine creat epiſcopos, *ibid.* Suam in illum benevolentiam oſtendit, *ibid.* Suaque opera ſuſtentatum ordinem, ne deperiret, *ibid.* Philippus regia ſtirpe Baleari ſatus Minoritis ſe addicit, *ibid.* LXXVIII. Novam condere familiam religioſam meditatus, *ibid.* Puram S. Franciſci regulam ſervandam depoſcit, *ibid.* Dat ſigna pertinaciæ, *ibid.* Juſtiſſimis de cauſis repulſam patitur, *ibid.* Plures Minoritæ juſſu Pontificis ad gentes profecti, *ibid.* LXXXIV. Qualis Minoritarum in rebus uſus, & quale dominium Pontificis circa ipſas, 1329. L. Ob illud Pontificis dominium non fuere pauperiores Minoritæ, *ibid.* Paucis exceptis, univerſus Minoritarum ordo in fide Romani Pontificis perſtat, *ibid.* LXIX. Joannes Papa priſtinum in illum amorem non mutat, ſed auget, *ibid.* Laudat conſtantiæ in rebus aſperrimis Minoritas, *ibid.* Tutatos eſſe eccleſiæ dignitatem, *ibid.* Datum Minoritis monitum, *ibid.* Appellatio Michaelis Cæſenatis hæretici, edita nomine Minoritarum ab ipſis repudiata, 1331. XII. In publicis comitiis ſacer Minoritarum ordo Michaelem Cæſenatem, Ochamum, & alios damnat, *ibid.* XV. Decretoria in illos Minoritarum ſententia, *ibid.* XVI. Idem ſacer ordo fide, & conſtantia eccleſiæ conjunctiſſimus, *ibid.* Illorum lapſus ejuſdem ordinis ſplendori non magis officit, quam luciferi & ſequacium lapſus angelorum beatorum dignitati, *ibid.* Lapſi, qui ſacram Franciſcanam Familiam, turbarunt. *Vide*, Michael Cæſenas, Ochamus, Fraticelli, Petrus e Corbaria antipapa, & Pſeudominoritæ, Sancia Regina Siciliæ Fraticellos protegit, & veros Minoritas lædit, 1332. XX. Monetur a Pontifice, *ibid.* Stephanus & Guillelmus Minoritæ martyrio affecti, 1333. XLIV. Dominicus Minorita divinas laudes in tormentis celebrat, *ibid.*

Miracula ſanctorum; inſtitui ſolita actio a Pontificibus de eorum veritate, 1330. LVIII.

Miſſa; Roberto Siciliæ Regi, ac Reginæ Galliarum datum, ut divinis ante lucem interſint, 1316. XVIII. Cur ſacra noctu fieri non deceat, *ibid.* Monitus a Joanne XXII. Rex Francorum, ne dum divina myſteria peraguntur, ſermones miſceat; ſed recolat divina myſteria, 1317. III. & 1318. XXIV. S. Ludovicus Toloſanus, adepto ſacerdotio, ſacra ſingulis diebus peragebat, 1317. X. Cur aqua in calice admiſcenda, 1318. XIII. Quid ſignificet ea mixtio, *ibid.* Miſſæ ſacrificium a Lollardis ſpretum, *ibid.* XLIV. Modica aqua ſacrando vino immiſcenda, 1321. XIII. Abuſcanus Tartarus, quoties illi intereſſet, viginti dierum indulgentia donatus, 1322. XLIV. Aliquorum indigna ſcurrilitas inter divina, 1326. XXII. Inflicta iis pœna a Pontifice, *ibid.*

Molephatani ad conſtantiam in fide ſolicitati a Joanne XXII. 1330. LV.

Monachi. *Vide*, Religioſi.

Monarchia; Dantis ſcripta de monarchia confutata, 1321. XLVIII.

Monarchia eccleſiaſtica. *Vide*, Pontifex Romanus.

Moneta; pontificia conſtitutio in adulterinam monetam percutientes, 1317. XIV. Anathema iis incuſſum, *ibid.*

Monita principibus data; a Joanne XXII. Roberto Regi, 1318. XXIV.

Montia capta a pontificiis, 1324. XII. §. Pugnatum.

Montiſpeſſulani comitatus vectigalis regiæ Gallicæ, juriſque Balearici, 1317. V. Sedis Apoſtolicæ clientelæ addictus, 1318. XXV. Duas marchas auri pro cenſu ſolvit, *ibid.*

Montalbanenſis epiſcopatus conditus a Joanne XXII. 1317. XII.

Monteſiæ equitum ordo inſtitutus in Aragonia, 1317. XL. Rubra cruce linea candida interſecta inſignitur, *ibid.*

Mors; recolenda mortis memoria, 1322. XXIV.

Mors ſanctorum; moriente Tarviſii B. Henrico campanæ divinitus ſuaviſſimos concentus edunt, plebemque ad funus evocant, 1315. IV. S. Thomæ Aquinatis pia mors, 1323. XLIX. Et S. Eleazari comitis Ariani, *ibid.* LXVIII. & *ſeq.*

Mors peccatorum. *Vide*, Juſtitia Divina.

Mortui; infans ad ſepulcrum S. Hyacinthi ad vitam excitatus, 1331. XLII.

Mulieres. *Vide*, Feminæ.

Mutina a Pontificio legato erepta Paſſarino, 1327. XVI. A Joanne Rege Boemiæ parta, 1331. XIX.

## N

NAnkerus epiſc. Cracovienſis Wladiſlaum Regem Poloniæ corona redimit, 1320. IV. Magnis operibus Cracovienſe templum extruit, *ibid.*

Naſcarini fidem Chriſtianam amplexi, 1330. L. Confirmantur a Romano Pontifice, *ibid.* Ad eos Jordanus epiſc. miſſus, *ibid.*

Natalium gratia; eam facit Joannes XXII. Oroſio ad gerendum regios honores, 1323. XVIII.

Navarra morte Caroli IV. a Francorum regno divulſa, 1328. LXIX. Joanna Ludovici Hutini filia aviæ jure id regnum adepta, *ibid.*

Neapoleo Cardinalis Urſinus Joanni XXII. ad pontificatum evehendo ſtudet, 1316. III. Fertur ab illo deluſus, *ibid.* Joannem ad re-

ſtituendam Romæ ſedem urget, *ibid.* XXII. Accepta a Gallo Rege Balneolenſi caſtro a priſtino conſilio abſiſtit, *ibid.*
Neopatriæ & Athenarum ducatus a Catalana ſocietate delatus Friderico Regi Trinacriæ, 1314. VIII.
Neophyti; Ungaricus clerus correptus nimiæ in exigendis a neophytis juribus acerbitatis, 1328. LXXXIII. §. Antea. Pontificiæ ea de re literæ, *ibid.*
Neſtoriani; ut apud Cyprios invaluerint, 1326. XXVIII. Duas in Chriſto perſonas aſtruunt, *ibid.* Chriſtum filium Dei tantum adoptivum ajunt, *ibid.* In hos cenſura fidei a Joanne XXII. exerceri juſſa, *ibid.*
Nicea Bithyniæ ab Orchane Rege Turcarum Græcis erepta, 1330. LIV.
Nicolaus Farinula ord. Prædicatorum miſſus in Gallias legatus ad Reges ſacro crucis ſymbolo inſigniendos, 1313. I. Munere ſtrenue fungitur, *ibid.*
Nicolaus patriarcha Conſtantinop. Latinus juſſus cenſuras diſtringere in Catalanam ſocietatem Athenarum & Neopariæ ducatus oprimentem, 1314. VIII. *& ſeq.* Collata eidem Negropontenſis eccleſia, *ibid.* XI.
Nicolaus III. Papa; ejus decretalis, *Exiit*, non eſt decretum fidei, 1323. LXIII. Quæ dixit circa paupertatem Chriſti, dixit opinative, non decretorie, *ibid.* Ejus ſententia explicatione indiguit, non in ſenſum rigidum fuit detorquenda, *ibid.* Memorata decretalis, *Exiit*, circa abdicationem proprietatis omnium rerum declaratur, 1322. LXV. Ut concilietur cum evangelio, *ibid.* LXVI. & 1329. XXXIX. Non eſt confirmata in concilio Viennenſi, ut fingunt Fraticelli, *ibid.* Quid in ea conſtitutione proprie ſignificet, *uti*, *ibid.* XL. Illa de uſu loquitur, ut a dominio diſtinguitur, *ibid.* XLI. Nicolai conſtitutio conciliatur cum decretali Joannis XIII. *ibidem*, XLV.
Nicolaus Auguſtinianus Fabrianenſis creatus anticardinalis, 1328. XLIII.
Nicolaus V. antipapa. *Vide*, Petrus e Corbaria.
Nicolaus Minorita creatus archiep. Cambalienſis, 1333. XXXI.
Nicolinus Fliſcus miſſus orator ad Hugonem Regem Cypri ad componendas cum eo Genuenſium controverſias, 1328. LXXXVI.
Nitela; ejus auctor veteres hæreticos perperam defendit, 1322. XXXV. Refellitur, *ibid.* 1328. LXI. LXVII.
Norwegi a Fumarianis Ethnicis infeſtati, 1323. XXI. In eoſdem ethnicos propoſitis indulgentiis concitati, *ibid.*
Nuptiæ illicitæ; pœnæ eas contrahentibus objectæ, 1329. XC. *Vide*, Matrimonii ſacramentum.

# O

OBizo Veruſius pulſo Azone Vicecomite Placentiam in pontificias partes trahit, 1320. XII. Mediolanenſium copias profligat, *ibid.*
Ochamus. *Vide*, Guillelmus Ochamus.
Odo dux Burgundiæ Joannæ neptis clientelam ſuſcipit, regnumque Navarræ ſibi debitum contendit, 1316. XVIII. 1317. VI. Philippo conciliatur, juncta affinitate, *ibid.* VII. 1318. VIII.
Odo Cardinalis; ejus ſententia adverſus thalmudicos libros, 1320. XXX
Oleum; vana opinio de quodam cœleſti oleo injecta Eduardo Anglorum Regi, 1319. XX. Quid circa illud reſponderit Anglorum Regi Joannes XXII. *ibid.*
Oleum infirmorum ab epiſcopis ſacrandum, 1321. VII. XI.
Olivetani montis ordo; ejus initia, 1320. L. Ipſius conditor, *ibid.*
Opizo Ateſtinus Ferrariam Pontifici eripit, 1317. XXX. Ad illius obſequium redit, iterumque rebellat, 1320. XVIII. Ob averſa ad imperium ſuprema Ferrariæ jura vocatus in jus a Pontifice, 1324. XIX. Et ob Comaclum & Adriam expugnata, *ibid.* Redit ad obſequium eccleſiæ, 1328. LIV. *& ſeqq.*
Oratio angelica. *Vide*, Ave Maria.
Orchanes Rex Turcarum irrito conatu Rhodum tentat, 1322. XLVII. Terreſtri maritimoque prælio vincitur, *ibid.* Nicæam Bithyniæ Græcis eripit, 1330. LIII. Aſiam reliquam ſibi ſubiicit, *ibid.*
Ordelaffus Flaminiam adverſus Pontificem in rebellionem coniicit, 1318. XLII.
Ordinis ſacramentum; ordo matrimonium contrahendum irritat, non dirimit autem ſuſceptum, 1322. LXXI. Statutæ in conjuratos pœnæ, qui ordinis initiantur, *ibid.* Conjugatus initiatus ſacris repetente illum uxore, redire ad ipſam juſſus, *ibid.* Non promoti rite ſub conditione ſacrandi, 1330. LVII. Ordines ſacri in dubio qua forma conferendi, 1333. XLII.
Ordines religioſi inſtitutus in Valentino regno, 1317. XL. Ordo militiæ Chriſti in Luſitania conditus, *ibid.* Ordo equitum S. Jacobi diſgregatus a Joanne XXII. ad unius principis Caſtellani obſequium revocatus, *ibid.* S. Pauli eremitarum ordo confirmatur ad Caroli Regis Ungariæ preces, 1328. LXXXIII.
Orientales linguæ in ſcholis doceri juſſæ a Pontifice, 1326. XXIX. §. Propagandæ.
Orlandus rubeus; illius factio Parmam a pontificiis partibus ad Joannis Regis Boemiæ obſequium traducit, 1331. XIX.
Oroſius Raſciæ Rex. *Vide*, Uroſius.
Oſinius Rex Armeniæ oratores legati in occidentem ad ſolicitandos principes ad ſacrum bellum, 1317. XXXV. 1318. VIII. Fidem orthodoxam coram Joanne XXII. profitentur, *ibid.* Tranſmiſſa illi fidei formula, *ibid.* Solicitatur, ut populos ad fidem alliciat, *ibid.* Monetur, ut ſacramentum confirmationis ab epiſcopis conferendum curet, *ibid.* XI. Et chriſma extremæ unctionis ab epiſcopis tantum conficiendum, *ibid.* Cum Cyprio Rege diſcordiam exercet, *ibid.* XVII. Indictæ illum inter & Cyprium induciæ, 1320. XLVII. Oſinio Leo ſuccedit, *ibid.*
Otho dux Auſtriæ a Ludovico Bavaro concitatus Boemiam tentat, 1331. XIX. Arguitur a Pontifice, Ludovico ſententia hæreſeos damnato fidem obſtrinxiſſe, *ibid.* XX.
Otho dux Stetinenſis principatum Romanæ eccleſiæ beneficiarium conſtituit, 1331. XXIII.
Ozminus Rex Algeziræ Regem Granatæ necat, 1322. XIX.

# P

PAlæſtina; indicta pro ea liberanda expeditio, 1331. XXX.
Pallium miſſum archiepiſcopo Soltanienſi, 1318. V. VI. Deſignati dies, quibus pallium gerere debeat, *ibid.* VI.
Papa. *Vide*, Pontifex Romanus.
Papatus; ad S. Franciſci ſequaces ipſum devolutum, ſomniat Petrus Joannis, 1325. XXXIII. Ut Fraticelli contenderint, Pontifices auctoritate pontificali exutos, *ibidem*, XXVII. *Vide*, Pontifex Romanus. Juriſdictio eccleſiaſtica.
S. Papuli epiſcopatus conditus a Joan. XXII. 1317. XII.





Pariſienſis academia; literaria ejus diſciplina ſuo ſplendori reſtitui juſſa a Joanne XXII. 1317. XV. 1318. XXVI. Peregrina dogmata ab ea ablegari juſſa, *ibid.* Præſules Galli moniti, conferenda ſacerdotia ſacerdotibus in Pariſienſi academia emeritis, *ibid.* Ipſa ſcribit de paupertate evangelica adverſus Fraticellos, 1323. XXXVIII. Hujuſmodi commentarius datus Pontifici, *ibid. & ſeqq.*
Parma in pontificias partes traducta, 1322. XII. Parmenſes publica ſponſione imperii adminiſtrationem, vacuo auguſtali ſolio, ſpectare ad Pontificem agnoſcunt, 1322. XIII. Ad Joannem Regem Boemiæ, pulſis pontificii legati copiis, deficit, 1331. XIX.
Parochi; de ſacris confeſſionibus apud ſacerdotes religioſos factis, neceſſario apud parochos repetendis, error Joannis e Poliaco, 1321. XX. *& ſeqq.* Sunt adjutores epiſcoporum, non prælati, 1321. XXIV. Papæ & epiſc. habent plus auctoritatis in parochianos, quam parochi, *ibid.* Parochi non invidere debent religioſis, cum illi parochis ſint utiles & plebi Chriſtianæ in excipiendis ſacris confeſſionibus, *ibid.* XXVII. Solvuntur Joannis e Poliaco argumenta, *ibid.* XXVIII. *& ſeqq.* Conſtituuntur parochi ab epiſcopis, non autem immediate a Chriſto, *ibid.* XXIX. Communicata eſt a ſummo Pontifice religioſis juriſdictio in parochianos, *ibid.* XXXII. Lites a parochis intentatæ religioſis ex quo fonte manarint, *ibid.* XXXIII. Armacanus primas Hiberniæ parochorum litem contra religioſos inſtaurat, *ib.* XXXVII. Aſſerta religioſis priſtina auctoritas, *ibid.* De jure parochorum & religioſorum controverſia ſopita, 1327. LIII.
Paſſarinus ob correptam ſine pontificia auctoritate Mantuæ præfecturam anathemate damnatus, 1320. XIII. Redit ad obſequium eccleſiæ, 1323. XXVII. A Ludovico Gonzaga obtruncatus, 1328. LIII.
Paſſio Chriſti; in recolendi Chriſti paſſione S. Eleazarus pie afficitur, 1323. LXVIII. Ejuſdem de ea egregium dictum, *ibid.*
Paſtorelli graſſantur in Galliis, 1320. XXI. Reprimi juſſi a Pont. *ibid.* XXII.
Patavini, Patavium; bellum infert Patavinis Canis Scaliger, 1317. XXXII. Magna clade Patavio propulſatus Scaliger, 1320. XIII. Poſt aliquot annos Marſilii proditione eo potitus, 1328. LVIII.
S. Paulus B. Petro fuit obnoxius, 1321. XXXIII. Damnatur ab Innocentio X. error doctoris Pariſienſis negantis illud, *ibid.* Diſcuſſa ante a Petro Paludano ea quæſtio, an ſcilicet S. Paulus B. Petro par fuerit, *ibid.* XXXIV.
Paulus Minorita factus anticardinalis, 1328. XLIII.
S. Pauli eremitarum ordo confirmatus ad Caroli Regis Ungariæ preces, 1328. LXXXIII.
Pauperes alere. *Vide*, Eleemoſyna.
Paupertas Chriſti, & evangelica; temere de ea ferunt ſententiam Franciſcani in Peruſinis comitiis, 1322. LIV. Oborta inde hæreſis, *ibid.* LV. De mota circa paupertatem evanlicam controverſia agitatur, 1323. XXXVIII. uſque ad LXI. Conſulti Pariſienſes doctores de mota circa eam controverſia, *ibidem*, XXXVIII. Eorum ſcripta, *ibid.* Adverſariorum argumenta, *ibid.* Refelluntur, *ibid.* LIV. Paupertas alia informis, alia formata, *ibid.* LV. LVI. Qua ratione Chriſtus Joanne Baptiſta pauperior fuerit, *ibid.* LVI. Interpretatio textus: *Ecce nos reliquimus omnia &c.* *ibid.* LVIII. An perfectio in paupertate conſiſtat, *ibid.* L. Falſum eſt Chriſtum & Apoſtolos dum gerebant perſonam perfectorum, nil habuiſſe, *ibid.* Damnati hæreſeos affirmantes pertinaciter, paupertatem evangelicam ſitam in carentia juris rerum, Chriſtumque & Apoſtolos nil juris in rebus quibus utebantur, habuiſſe, *ibid.* LXI, 1324. XXXII. Error de paupertate propugnatus a Ludovico Bavaro adverſus Pontificem, 1324. XXXI. 1327. XX. XXI. Scripta Joannis Petri Olivi, plura circa paupertatem evangelicam novantis damnata, 1325. XX. Beguini ob hæreſim de paupertate exuſti, *ibid.* Figmentum de tranſlatione pontificatus in Fraticellos ob paupertatem, *ibid.* XXIII. Chriſtum non fuiſſe meſſiam, ſi rerum quibus uſus eſt jus habuerit, inepte concludit Bavarus, 1327. XIX. Waldenſium & aliorum hæreticorum errorem inſtaurat Marſilius, clerum nimirum temporalia habere non poſſe, *ibid.* XXXVII. Michael Cæſenas, ſuam de paupertate ſententiam præferens decreto fidei a ſede Apoſtolica edito vocatur in judicium, *ibid.* XLVII. Hæreſes Fraterculorum de paupertate hauſtæ a Ludovico Bavaro, 1328. XII. Refelluntur, *ibid.* Uſum in conſumptibilibus a jure non ſeparari oſtenditur, *ibid.* Non abjectum in conſumptibilia jus ex vocibus, *Reliquimus omnia*, oſtenditur, *ibid.* Verba, *Nolite poſſidere*, non fuiſſe præceptiva demonſtratur, *ibid.* XIV. Perfectionem non ſitam eſſe in paupertate oſtenditur, 1328. XXXIV. *& ſeq.* Ad paupertatem evangelicam non ſpectat habere ſimplicem uſum facti ſine jure, præcipue in rebus uſu conſumptibilibus, 1329. XXIII. Refelluntur Michaelis argumenta, *ibid. & ſeqq.* Probatur adverſus Michaelem, veteres fideles habuiſſe rerum proprietatem, *ibid.* XXV. Cur Judæi fideles bona ſua vendiderint, *ibid.* XXVI. Apoſtoli veſtium ſuarum veri fuere domini, *ibid.* XXX. Vera explanatio illius ſententiæ, *Reliquimus omnia*, *ibid.* Curæ relinquuntur præcipue in paupertate evangelica, *ibidem*, XXXII. Apoſtoli non vovere paupertatem ſive abdicationem rerum, ſed Chriſti ſequelam, *ibid.* XXXIV. Non voverunt non habere in communi, *ibid.* Paupertas evangelica non in carentia, ſed in animi affectu conſiſtit, *ibid.* XXXVI. Falſum eſt affirmare, Apoſtolos dominium rerum quibus utebantur, non habuiſſe, *ibid.* XLIX. Perfectio non conſtat in abdicatione juris vel dominii, *ibid.* L. Jus & dominium rerum a ſanctis religionum conditoribus non excluditur, *ibid.* LI. An fuerit præceptum Apoſtolis, ne haberent aurum miſſionis tempore, *ibidem*, LX. An habuerint poſt Chriſti paſſionem, *ibid.* LXII. Petrus e Corbaria pſeudominorita idemque antipapa profitetur hæreticum eſſe dicere Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe in rebus niſi ſimplicem uſum facti, 1330. XIX. Conſtitutiones papales de proprio admittit, *ibid.* XXIII. Confictæ hæreſi de ſimplice uſu facti rerum abſque jure in Chriſto & Apoſtolis addunt pſeudominoritæ Marſilii & Janduni hæreſes, 1331. XLII.
Peccata punit Deus. *Vide*, Juſtitia divina.
Perfectio in quo conſiſtat, 1322. LXVII. Pſeudominoritarum error, eam in abdicatione omnium rerum collocantium, *ibid.* LXXIII. Non conſtat in abdicatione juris vel dominii, 1329. L. Inepta Michaelis Cæſen. perfectorum definitio, *ibid.* LXIII. In quo conſiſtat perfectio evangelica, 1328. XXXIV. Ludovici objectio, Chriſtum non futurum perfectiſſimum viatorum, ſi jus rerum habuiſſet, *ibid.* XXXV.
Peruſina academia amplificata a Joanne XXII. 1321. XLV.
S. Petrus Apoſtolus; Chriſto ſummo paſtori unicus in terris paſtor ſubrogatus, nimirum

Petrus, 1321. IX. Chriſti ea de re teſtimonium, *ibid.* Uni Petro ſolvendi & ligandi in cœlo data auctoritas, *ibid.* S. Paulus ipſum convenit, ut de evangelio conferret, *ibid.* Claves cœlorum uni Petro traditæ, *ibid.* Ejus ac ſucceſſorum fides deficere non poteſt, *ibid.* Ut Petrus cæteris Apoſtolis præeſſet, 1321. XXXI. XXXIV. *& ſeqq.* Paulum Apoſtolum Petri imperio liberum non fuiſſe oſtenditur, *ibid.* XXXIII. *& ſeqq.* Decretum ea de re Innocentii X. *ibid.* XXXIII. Petri primatus illuſtratur, *ibid.* XXXV. Eundem primatum negabant Marſilius & Jandunus, 1327. XXX. Refelluntur ex Scripturæ oraculis, *ibid.* Præcellere Petrum reliquis Apoſtolis oſtenditur, *ibid.*

S. Petri denarius exactus in Anglia a Joanne XXII. 1317. XLIX. Et in Suecia, Norvvegia, Dania, & Polonia, *ibid.* Et Scotia, 1329. LXXXII.

S. Petrus e Murrone. *Vide*, Cœleſtinus V.

Petrus Aichſpadius *epiſc. Baſilienſis* eligit diſcordibus *ſuffragiis* Ludovicum Bavarum, 1314. XVII. Jubetur, Brunſvicenſem ducem ad reſtituenda quæ eripuerat monaſterio Piſovienſi adigere, 1318. XLII. Moritur, 1320. VIII. Succedit illi Matthias e Bucheke, *ibid.*

Petrus epiſcopus Rhutenenſis in patriarchatu Jeroſolymitano Antonio Dunelmenſi ſucceſſor datus, 1314. XII.

Petrus Joannis Olivi pſeudominorita; damnati ejus commentarii ob ſparſas hæreſes, 1325. XX. Illius monumentum diſſipatum, *ibid.* Ejus delirium, quod regula Minorum ſit evangelium, *ibid.* Nonnulli ipſius articuli juſſu pontificio diſcuſſi, *ibid.* XXI. Confictus ab eo ſextus eccleſiæ ſtatus, & de S. Franciſco encomium temerarium, *ibid.* XXII. Fingit, pontificatum devolutum ad Minoritas, *ibid.* Blaſphemat, eccleſiam eſſe meretricem Babyloniam affirmans, *ibid.* Aliæ ejus in eccleſiam blaſphemiæ, *ibid.*

Petrus dux Emboli a Roberto Rege Florentinis cum equeſtri agmine auxilio ſubmiſſus, 1314. VI.

Petrus Roberti Regis Siciliæ frater in acie a Gibellinis cæſus, 1315. I.

Petrus de Arreblayo creatus presbyter Cardinalis tit. S. Suſannæ, 1316. XX. *Illius in quæſtione paupertatis evangelicæ ſcripta*, 1322. L.

Petrus regiæ Caſtellanæ princeps ſtrenue in Granatenſes bellum gerit, 1316. XXVI. 1317. XXXVIII. Joannis principis invidia, optima ejus conſilia disjecta, *ibid.* Bello Granatenſi arma devovet, 1318. XXXVII. Bellum ſacrum redintegrat, 1319. XXVII. Tiſarum expugnat, *ibid.* Maxima clade a Granatenſibus cæſus, *ibid.*

Petrus Textor miſſus internuntius a Joanne XXII. in utramque Siciliam, 1327. XVII. Cenſuras Friderico ob non reſtitutas Calabriæ occupata loca incutit, *ibidem*, XVIII. Creatus Card. tit. S. Stephani in Cœlio Monte, 1320. XLIX. Ejus ſcripta in controverſia de paupertate evangelica 1322. LIX.

Petrus e Palude ordinis Prædicatorum inſignis theologus, 1318. XVII. Conciliandæ Belgas inter & Gallos paci operam navare juſſus, *ibid.* Vocatus in crimen, ipſum Belgas in pertinacia obfirmaſſe, *ibid.* XX. Scribit inſignes commentarios de poteſtate eccleſiaſtica, 1321. XXXIII. Creatus archiepiſcopus Jeroſolymitanus, 1329. XLIV. Succeſſit Raymundo, *ibid.* Ex Soldani aula reſponſum Pontifici refert, 1331. XXX. Legationem apud Soldanum obierat, *ibid.* Jubetur Gallos pro recuperanda Palæſtina cruce inſignire, *ibid.*

Petrus Minorita a Saracenis ob fidem cæſus, 1319. XXXI.

Petrus e Prato creatus presbyter Cardinalis tit. S. Pudentianæ, 1320. XLIX.

Petrus Friderici Regis Trinacriæ filius inſigni regio a patre Friderico Panormi exornatur, 1331. XIV. Ad Ludovicum Bavarum ſe confert pro bello in Robertum Regem vertendo, 1328. LII. In reditu tempeſtate laniata ejus claſſis, *ibid.*

Petrus Paſchalis Minorita cæſus ab hæreticis, 1321. XVII. Miraculis fulget, *ibid.*

Petrus e Mortuomari epiſc. Antiſſiodorenſis creatus Cardinalis a Joanne XXII. 1327. LV.

Petrus e Capis epiſc. Carnotenſis creatus Cardinalis a Joanne XXII. 1327. LV.

Petrus Toletanus epiſc. Carthaginenſis creatus Cardinalis a Joanne XXII, 1327. LV. In Caſtellam legatus ad civiles diſcordias ſopiendas, 1328. LXXX. Pileus rubeus, ut majori polleret auctoritate, ad eum miſſus *ibid.*

Petrus e Corbaria tinctus hæreſi invitam dimittit uxorem, ut ſe Minoritis aggreget, 1328. XLII. Pſeudopontificatum Ludovici Bavari ſtudio invadit, *ibid.* Quam improbe monachatum geſſerit, *ibid.* Creat pſeudocardinales, *ib.* XLIII. Simoniam publice exercet, *ibid.* Thyaram a Ludovico accipit, *ibidem*, XLIV. Pſeudolegatos creat, *ibid.* Perſecutionem in clerum catholicum indicit, *ibid.* Et in populos catholicos, *ibid.* XLV. Ex urbe fugere cogitur, *ibid.* XLIX. Ejus acta publice exuſta, *ibid.* Ipſius adminiſtri bonis exuti, eorumque ædes dirutæ, *ibid.* A Romanis ad mortem depoſcitur, *ibid.* L. Viterbium trepidus ſe confert, *ibid.* LI. Verſus in latronem ſacram templorum gazam expilat, *ibid.* Indignatur, ſe a catholicis maledictis conſcindi, *ibid.* Eoſdem tamquam hæreticos pœnis afficiendos decernit *ibid.* Concionatur in Pontificem, nomenque illius execraturis indulgentias proponit, 1328. I. In eundem fictitium anathema & cæteros catholicos jaculatur, *ib.* Vero percellitur anathemate a Pontifice, *ibid.* Pſeudolegatos in orientem mittit, *ibid.* Comprimi illi juſſi a Pontifice, *ibid.* III. Ut antipapa uxorem haberet, juſſuſque fuerit judiciaria ſententia ab ordinario ad eam redire, *ibid.* Creat in Inſubria Joannem Vicecomitem legatum, *ibid.* IV. Promulgari in eum hæreſeos & ſchiſmatis ſententia juſſa, *ibid.* Abeunte Piſis Ludovico, conſurgunt in antipapam Piſani, *ibid.* V. Ille meriti ſupplicii terrore latebras captat, *ibid.* & IX. A Bonifacio comite in cuſtodia clandeſtina tenetur, *ibid.* XI. Execrationi eſt ipſis etiam Gibellinis, qui ad veri Pontificis obſequium redeunt, *ibid.* XII. Piſanorum ad eccleſiam redeuntium metu in latebris ſe continet, 1330. I. Detinetur a Bonifacio comite, *ibid.* Diligentiſſime quæritur, *ibid.* II. Detectus veniam ſupplicibus literis poſcit, *ibid.* III. Pontificiæ ad eum literæ, quibus veniæ ſpe demulcetur, *ibid.* IV. Præcipua ejus ſcelera quænam fuerint, *ibid.* V. Cautum ejus vitæ, *ibid.* VII. Repulſæ nonnullæ pactiones ab eodem petitæ, *ibid.* VIII. Jubetur publice Piſis damnare hæreſim, *ibid.* IX. X. Ad Pontificem adducitur, *ibid.* X. Blandis verbis ad hæreſim & ſchiſma damnanda erigitur, *ibid.* Pendente e collo laqueo, ſupplex ad Pontificis pedes procumbit, *ibid.* Dum in conſiſtorio primo conjurationis formulam repetit, intercluſa ex pudore voce, conticeſcit, *ibid.* In alio conſiſtorio eandem iterat formulam, *ibid.* Conſcripta ea de re publica documenta, *ibid. & ſeqq.* Pontificia in eum clementia, *ibid.* De ipſius reditu ad eccle-



eccleſiam fideles fiunt certiores, *ibid.* XXVI. Detinetur in cuſtodia, ne tumultus novos pareret, *ibid.* XXVII. In ea moritur, *ibid.* Illius in antipapatu capellanus publice ſchiſma & hæreſim damnat, 1331. III.

Petrus Ripacurtiæ comes ab Alfonſo Rege Aragonum miſſus, ut profiteretur Sardiniæ & Corſicæ regna pontificia beneficentia accepta, 1328. LXXXI.

Petrus Cunerius oppugnat libertatem eccleſiaſticam, 1329. LXXV. Refellitur a Bertrando epiſcopo Eduenſi, *ibid. & ſeq.* Pronuntiatum a Franco Rege ſecundum eccleſiaſticos, *ibid.* LXXVII. Nomini ſuo infamiam parit, *ibid.*

Petrus Geraldus creatus epiſc. Sevaſtopolenſis a Joanne XXII. 1330. LVII.

Petrus de Gadeneto pſeudominorita Sanciam Reginam Siciliæ ſubornat, 1332. XX.

Petrus archiep. Rothomagenſis, poſtea in pontificatu dictus Clemens VI. ad Joannem a Philippo Rege miſſus pro urgenda belli ſacri in Saracenos denuntiatione, 1333. I. III. Philippum Regem & Gallos principes crucis ſymbolo induit, *ibid.* XI. Ad eum libellum in controverſia de viſione beatifica tranſmittit Pontifex, *ibid.* XLVIII.

Philibertus Waldenſis affectus ſupplicio, 1320. XIX.

Philippus Pulcher Rex Francorum filios baltheo æqueſtri donat, 1313. VI. Cum iis a legato Cardinali ſymbolum crucis accipit, *ibid.* Clementem ſolicitat, ut Henricum ab oppugnando Roberto Siculo abducat, *ib.* XX. Exponit neceſſario a ſe pro eodem tuendo bellum ſuſcipiendum, *ibid.* Commendatur a Clemente, puras manus ſervaſſe a Templariorum bonis, 1313. XXXVIII. Magiſtrum ordinis Templariorum, confeſſionem ſuam revocantem, flammis exuri jubet, *ibid.* XXXIX. Moritur, 1314. XXVI. Variæ de ejus mortis genere ſententiæ, *ibid.* Ludovico Regi Navarræ ſceptrum tranſmittit, *ibid.*

Philippus princeps Tarentinus profligatur in Etruria ab Hugutione, 1315. I. Filium fratremque amittit in acie, *ibid.* Certiorem facit Pontificem, Serviæ Regem Uroſium ad eccleſiæ gremium reverti velle, 1323. XV. Blancha ejus filia in uxorem ab Uroſio expetita, *ibid.* XVII. Conſulitur a Pontifice pro conciliandis eccleſiæ Græcis, 1326. XXVI. Ad fœdus incundum in Turcas ſolicitatus a Pontifice, 1328. LXXXV. Moritur, 1332. XVIII. Succedit illi filius ejuſdem nominis, *ibid.*

Philippus Longus Rex Francorum ejus nominis V. antea comes *Pictaviæ ſymbolum* crucis accipit a Cardinale legato, 1313. VI. Cardinales diſſentientes Lugdunum evocat, 1316. I. Ad creandum Pontificem dolo adigit, *ibid.* Regiæ Gallicæ, mortuo fratre, procurationem init, *ibid.* Extincto nepote Joanne, in regno ſuccedit, *ibid.* XV. In eum conjurationes a proceribus factæ, *ibid.* XVI. Monetur a Pontifice, ut ad pacandum civile bellum incumbat, *ibid.* XVII. Navarræ regnum capeſſit, *ibid.* XVIII. Sacris pluribus beneficiis afficitur, *ibid* Omnia ſua ſtudia addicit Pontifici, *ib.* XX. Officiis Pontificem in Galliis detinet, *ibid.* XXII. Neapoleonem Cardin. dato Balneolenſi caſtro adducit a transferendæ curiæ conſilio, *ibid.* Regium inſigne ſolemni ritu accipit, 1317. I. Regia obſequia ac ſtudia defert Joanni XXII. *ibid. & ſeqq.* Salubribus præceptis imbuitur, *ibid.* III. Sancium Regem Balearium accepti Montiſpeſſulani dominatus ergo ſacramento fidei obligat, *ibid.* V. In eum coitiones principum factæ, *ibid.* VI. Confirmatur in adverſis a Pontifice, *ibid.* Monetur, ut clementia ſubditos deliniat, *ibid.* Conciliat ſibi adverſarios, *ibid.* VII. Ex filii morte dolore conficitur, *ibid.* Propoſitæ pro eo oraturis indulgentiæ, *ibid.* VIII. Pluribus ſacris beneficiis a Joanne XXII. afficitur, *ibid.* S. Ludovici abavi ſui reliquias in regiam ædiculam transferendas curat, *ibid.* Solicitatur ad ſanctorum Ludovici Regi & Ludovici epiſcopi Toloſani domeſtica exempla æmulanda, *ibid.* IX. Gravi bello a Roberto Flandriæ comite urgetur, 1318. XVIII. Datum illi a Pontifice pro firmanda pace conſilium, *ibid.* XIX. Navata ab eodem ad efferendam ejuſdem dignitatem opera, *ibid.* XXI. *& ſeqq.* Mathildim principatui Atrebatenſi aſſerit, *ibid.* XXIII. Cum Odone duce Burgundiæ affinitatem firmat, *ibid.* Præceptis ſalubribus inſtruitur a Pontifice, *ibid.* XXIV. Munera Pontifici adverſus veneficorum inſidias tranſmittit, *ibid.* XL. Diſcrimen vitæ adit, 1319. XV. Monetur, ut caduca ſpernat, divina ſectetur, *ibid.* Cum Roberto Flandriæ comite pacem firmat, *ibid.* XVI. In Armeniam arma vertere cogitat, *ibid.* Retardatur ab eo conſilio a Pontifice ob occidentis bella civilia, *ibid.* XVII. *& ſeqq.* Monetur ut oratores ad rem agitandam mittat, *ibid.* XVIII. Affinitatem aſtringit cum Belga, 1320. XX. Paſtorellis ſeductus favet, *ibid.* XXIII. Retardatur morbo ab expeditione Aſiatica, 1321. XLIV. Pie moritur, 1322. XXII. XXIII. Succedit in regnis Carolus frater, *ibid.*

Philippus Rex Francorum ejus nominis VI. antea comes Cœnomanenſis Caroli Valeſiorum ducis filius, 1320. IX. Miſſus cum exercitu ad gerendum in Inſubria Roberti Regis nomine vicariam imperii præfecturam, *ibid.* Adductus in locum iniquum cum Vicecomitibus fœdus init, *ibid.* XI. Oppletus pudore redit in Gallias, *ibid.* Bello ſacro in Saracenos arma devovere cogitat, 1326. XXI. Laudatur ejus conſilium a Pontifice, *ibid.* Carolo IV. ſine prole maſcula decedenti ſuccedit, 1328. LXVIII. Adverſus Eduardum ex lege ſalica ſecundum illum pronuntiata ſententia, *ibid.* Solemni ritu inungitur, *ibid.* Joannæ Ludovici Hutini filiæ Navarram cedit, *ibid.* LXIX. Suſcipit expeditionem in Belgas, *ibid.* LXX. Ludovicum comitem principatui *reſtituit*, *ibid.* Gratulatur illi Pontifex de parta victoria, *ibid.* Pontificem flectit, ut Belgas ob perduellionem cenſuris devinctos ſolvat, *ibidem*. Animatum ſe ad injurias eccleſiæ ulciſcendas præſefert, *ibidem*, Solicitatur, ut ſcribat Italis, ab eo cauſam ſuſceptum iri, *ibidem*. Monetur, ut Regem Anglum affinitate ſibi conciliet, & monita reſpuit, *ibidem*, LXXII. Reverſo ex Syriæ Joanne e Janvilla oratore de bello ſacro Palæſtinæ inferendo deliberat, *ibid.* LXXXV. Fœdus armorum cum pluribus principibus in Turcas init, *ibid.* In controverſia de jure eccleſiaſtico ſecundum clerum pronuntiat adverſus Petrum e Cuneriis, 1329. LXXVII. Actæ illi a Pontifice gratiæ, *ibid.* LXXVIII. Eduardus III. Aquitaniam illius beneficentiæ acceptam refert, *ibid.* Pontificiæ ad eum literæ de antipapæ reſipiſcentia, 1330. XXVI. Pontificem adit Avenionem, & arcana cum eo conſilia agitat, *ibid.* XLIX. Ab eodem Robertus Atrebas deficit, & cum Anglo conjurat, *ibid.* Auctor illi eſt Pontifex, ut Eduardum affinitate ſibi devinciat, *ibid.* Conſilium de excindendis Mauris Granatenſibus concipit, 1331. XXIX. Leonis Armeniæ Regis oratores, auxilium in Saracenos flagitantes, ad eum a Pontifice miſſi, *ibid.* XXX. Poſcit a Pontifice expeditionem in Palæſtinam indici, *ibidem*. Obſtringit ſe

ſe kalend. martii Anni MCCCXXXIV. trajectûrum in Aſiam, *ibid.* In celeberrimis cœtibus votum nuncupat, *ibid.* Iniqua poſtulat a Pontifice, *ibid.* Repulſam paſſus refrigeſcit in primo ardore, *ibid.* Monetur, Melgorii & Montisferrandi comitatus eccleſiæ Romanæ, vectigales eſſe, *ibid.* XXXI. Quam importunus fuerit in promovendis ad Cardinalatum Gallis, *ibid.* XXXIII. Joannem XXII. orat, ut B. Ivonem in SS. catalogo reponat, *ibid.* LVIII. Eundem a reſtituenda Italiæ ſede Apoſtolica retardat, 1332. I. Cum Joanne de expeditione in Orientem ſuſcipienda paciſcitur, *ibid.* II. *& ſeqq.* Illius hac de re literæ, *ibid.* Adventum Regis Boemiæ ad curiam denuntiat Pontifici, *ibid.* X. De Ludovico Bavaro ipſi conciliando agitat, *ibid.* De bello in Turcas gerendo conſilia volvit, *ib.* XXIII. Armenii ejus auxiliari adventu deliniti, *ibid.* XXV. Objurgatur, Anglum laceſſere, *ibid.* Monetur, ut cum eo fœdus ſanciat, *ibid.* Deterretur, ne Brabantino bello ſe implicet, *ibid.* XXVI. Brabantinum Boemo conciliat, *ibid.* De ſuſcipiendo bello ſacra conſilia agitat, 1333. I. Solicitatur ad conſtantiam, *ibid.* Laudatur, vectigalium acerbitatem temperaſſe, *ibid.* Solemnes oratores pro urgenda belli ſacri denuntiatione mittit, *ibid.* III. Cruceſignatorum dux creatur, *ibid.* Præfixa movendi exercitus dies, *ibid.* IV. Quæ fuerint ejus exceptiones, *ibid.* Sacramento ſpondet, decumas ſe in alios uſus non averſurum, *ibid.* V. Monetur, ut impedimenta præcaveat, *ibid.* VI. Novas difficultates comminiſcitur, novaſque pactiones init, *ibid.* VII. Ejus regnum in clientelam Apoſtolicam acceptum, *ibid.* IX. Objectum anathema, dum in Syria fuerit, illud bello petituris, *ibidem.* Laturis opem indulgentiæ propoſitæ, *ibid.* Varia ſubſidia pro gerendo bello illi conceſſa, *ibid.* Intentatum anathema iis, qui a ſuſcepta mente ipſum abduxerint, *ibid.* X. Cum Venetis de paranda claſſe paciſcitur, *ibid.* Optat deſcendere in colloquium cum Siculo Rege, *ibid.* Petit, ut præſules fictè crucem induant, *ibid.* Intentatæ illi cœleſtes minæ, ſi fictione utatur, *ibid.* De reprimendis Turcis agitata cum eo conſilia, *ibid.* XIV. Decumæ Italicæ ipſi attributæ, *ibid.* XV. Joannem XXII. a reſtituenda ſede Apoſtolica Italiæ revocat, *ibid.* XXIV. Spargentes opinionem erroneam de reſervata poſt judicium viſione beatifica reprimit, *ibid.* XLV. Apud illum Pontifex de impacta ſibi calumnia ſe purgat, *ibid.* XLVI. Monetur ne Sorbonicos doctores impediat, quin controverſiam de viſione excutiant, *ib.* XLVII.

Philippus princeps regiæ Caſtellanæ Legionem vi occupat, 1321. XXVI. Compoſtellanæ eccleſiæ jura infringit, *ibid.* XXVII. Religione motus, veniam petit, *ib.* Pro tutoria Regis Alfonſi pueri bellum gerit, 1322. XVII. Inducias paciſcitur, *ibid.*

Philippus archiepiſcopus Bituricenſis miraculis clarus, 1323. LXVII. De iis inſtituta religioſa actio plurium Pontificum juſſu, *ibid.* Illius in adverſarium inſigne ſpecimen clementiæ, *ib.*

Philippus e Majoricis ob ſuſceptum ſacerdotium fratri Regi non ſuccedit, 1324. XXXVI. Jacobi nepotis tutelam corripit, *ibid.* Poſcit, ut ipſi novum ordinem, qui obſervet S. Franciſci inſtituta, ut vocum puritas ſonat condere liceat, 1328. LXXXII. Ejus de ea re ſupplex libellus, *ibid.* Repulſam patitur, *ibid.* LXXXIII.

Philippus e S. Gineto Roberti Regis Siciliæ dux Piſtorium intercipit, 1328. XLVIII.

Philippus Rex Navarræ ante dux Eburonicum Joannæ uxoris jure Navarræ regnum adeptus, 1328. LXIX. In Mauros jungere cum aliis Regibus arma meditatur, 1330. XLVII. Domi ſe continet, *ibid.* XLVIII.

Philippus princeps Tarentinus junior Philippo patri in principatu Tarentino & juribus in Græciam ſuccedit, 1332. XVIII. Joannes princeps Achajæ patruus illi fidem addicere denegat, *ibid.*

Philoſophicæ nugæ e theologica ſchola ablegari juſſæ, 1317. XV.

Picentes ob ſecutas Ludovici Bavari & antipapæ partes veniam poſcunt, 1332. XII.

Pileus Fortis epiſcopus Rivenſis creatus presbyter Card. tit. S. Anaſtaſiæ, 1320. XLIX.

Pileus cardinalitius non dandus niſi in curia Romana, 1316. XIX. Interdum gerentibus legationem mittitur, *ibid.* Joannis XXII. ea de re literæ, *ibid.*

Piſani Henrico VII. Cæſari Romæ afferre auxilia moliuntur, 1313. XIII. Eorum naves a Roberti Regis præfecto captæ, *ibid.* Claſſem Henrici auſpiciis in eundem comparant, *ibid.* XX. Vetiti, intentato anathemate regnum Neapolitanum adoriri, *ibid.* XXI. Eo ſpreto inſtant bello, *ibid.* XXII. Sublato Henrico Imperat. eorum conatus diſſipati, *ibid.* XXIX. Præturam Piſanam Friderico Trinacrio offerunt, repulſamque paſſi, *ibid.* Præficiunt ſibi Ugutionem Fagiolanum, *ibid.* Ab iis Sardiniam, Jacobus Rex Aragonum repetere molitur, *ibid.* XXX. Lucam expugnant Ugutionis opera, 1314. VI. Florentinos ingenti prælio delent, 1315. I. Eccleſiarum in Oriente condendarum, & in iis ſacrorum exercendorum jus a Joanne XXII. obtinent, 1321. XIV. Cæduntur in Sardinia, 1323. XXXVII. Maxima ex parte inſulæ imperium amittunt, *ibid.* & 1324. XXXIV. Pontificias partes adverſus Ludovicum amplexi, 1327. II. Propulſant Caſtrucium, *ibid.* Premuntur obſidione a Ludovico Bavaro, *ibid.* XVII. Exorto tumultu, illi ſe dedunt, *ibid.* Coguntur ad nefariam concionem in Pontificem, 1329. II. Abeunte Bavaro, pellunt Germanos & antipapam, *ibid.* V. & 1330. I. Gratulatoriæ ad eos Pontificis literæ de tradito antipapa, abjectiſque Ludovici partibus, 1329. XI. §. Quoties. Ad Pontificis obſequium redeunt, 1330. VII. Veniam poſcunt & impetrant, *ibid.* VIII. Robertum Regem de pace exorant, *ibid.* IX.

Piſtorium Caſtrucio ereptum, 1328. XLVIII. Ab eodem recuperatum, *ibid.* LIII. Piſtorienſes damnant ſchiſma Corbarianum, veniamque poſcunt a ſummo Pontifice, 1329. VI.

Placentia a Vicecomitum tyrannide ad pontificias partes traducta, 1322. XII.

Placentini de Gregorii X. miraculis inſtitui judicium poſtulant, 1322. XXXII.

Pœnitentiæ ſacramentum contemptum a Lollardis hæreticis, 1318. XLIV. Poſt baptiſmum a lapſis uſurpandum, 1321. XI. Semel quolibet anno repetendum, *ibid.* Error Joannis e Poliaco, contendentis ſacras confeſſiones apud ſacerdotes factas non recte expiare conſcientias, niſi fideles eadem crimina ſuis parochis iterum aperirent, 1321. XX. Confutatur, *ibid.* Proprius ſacerdos intelligendus ille eſt, qui poteſtatem habet abſolvendi, *ibid.* XXV. S. Eleazarus comes in extremo morbo omnium nexarum exomologeſim edit, 1323. LI. Pœnitentiæ ſacramentum profanare nituntur Fraticelli, 1331. VI. *Vide*, Parochi.

Pœnitentia publica impoſita a Joanne XXII. Rogerio Bonito, qui epiſcopum Frequentinum interfecerat, 1319. XIII. Et Magdeburgenſibus, qui archiepiſcopum ſuum necarant, 1326. VIII. Et Caſtellæ Regi ob contractas vetitas nuptias, 1329. XCII. Pœna publica ad expiandum crimen in archiep. Trevirenſem admiſſum impoſita, 1330. LI. *& ſeq.* Injuncta ſchiſmatico eccleſiæ catholicæ gremium reverſo, 1331. III.

Politica; ſtudio politicæ fingunt plures hæreſes Marſilius & Jandunus, 1327. I. XXVII. *& ſeqq.*

Polonia ſedis Apoſtolicæ vectigalis, 1324. LIII. §. Ad agendas, & §. Cum conſtet. Wladiſlaus Dei & Apoſtolicæ ſedis providentia Regem ſe dicit, *ibid.*

Poloni miſſis oratoribus a Pontifice regiam dignitatem intermiſſam revocari flagitant, 1319. I. *& ſeqq.* Ob Regis Boemiæ contentiones ſignificatum ipſis, ut jure ſuo utantur, *ibid.* IV. In ſolemnibus comitiis regios apices ſuæ genti reſtituunt, *ibid.* V.

Pomerania juris Polonici a Joanne Rege Boemiæ Pruthenis equitibus attributa, 1319. V.

Pontifex Romanus ſupremam in imperium auctoritatem obtinet, 1313. XVI. Reſcindit edictum imperiale, *ibid.* Promulgatur, Imperatores occidentales ſacramento fidei Pontifici vere obſtringi, *ibid.* XXVIII. Franciſcus Dandulus pro impetranda a Clemente V. venia, injecta collo catena, ad ejus pedes præclara cum Chriſtianæ demiſſionis laude ſe projicit, *ibid.* XXXIII. Vacuo imperiali ſolio, Pontifex jus regale epiſcopo Leodienſi confert, *ibid.* XXXVII. Cameracenſem epiſcopum excipi jubet, quamvis Henrico Cæſari fidem non obſtrinxiſſet, *ibid.* Eduardus II. Romanum Pontificem ſupremum Angliæ & Hiberniæ dominum agnoſcit, 1316. XXIV. *& ſeq.* Jacobus Rex Sardiniæ & Corſicæ acceptarum ergo Joanni XXII. fidem obſtringit, *ibid.* Philippus Francorum Rex ſacra inunctione delibutus officia regia Pontifici defert, 1317. I. Joannes Papa Siciliæ ac Trinacriæ Regum arbiter eſt, *ibid.* XX. Præſtita ei a Roberto Siciliæ Rege clientelaris ſponſio, *ibid.* XXIII. Vacuo auguſtali ſolio adminiſtratio imperii ad Pontificem ſpectat, *ibidem*, XXVII. & 1319. XLVI. Primatus Romani Pontificis Regi Armeniæ inter fidei capita propoſitus, 1318. XI. Joannes Papa muneribus afficitur a Regibus, *ibid.* XL. Primatus pontificius negatur a Fraticellis hæreticis, *ibid.* XLV. Ut ii eccleſiæ carnalis, non ſpiritualis primatum conceſſerint, *ib.* XLVI. Romani Pontificis auctoritas contra eorum errores ſtabilitur, *ibid. & ſeq.* Hæreticorum figmentum de exauctorato divinitus Pontifice, *ibid.* LIII. Papa non poteſt aliquid contra ſacram ſcripturam decernere, *ibid.* Nec poteſt condere canones contra concilia œcumenica, quoad decreta fidei, *ibid.* LV. Neque contra decreta fidei a Pontificibus, vel a ſe edita, *ibid.* Poteſt condere decreta contra dicta patrum, quæ non ſunt fidei decreta, *ibid.* Cur non poſſit contra dicta Pauli, ſiquidem Paulo gradum altiorem tenet, *ibid.* Quamvis ii præcellant ſcientia, inferiores tamen ſunt auctoritate ad decernendum, *ibid.* Revocare poteſt decreta aliorum ſummorum Pontificum & ſua, itemque conciliorum œcumenicorum, quæ non ſunt decreta fidei, *ibid.* LVI. Sæpe mutantur magna prudentia, *ibid.* Summa Pontificis poteſtas in creandis Regibus & Imperatoribus, 1319. V. Archiepiſcopus S. Thadæi docetur in rebus eccleſiaſticis ad ſedem Apoſtolicam confugiendum, 1321. VII. Unicam eſſe eccleſiam & unum ejus caput, figuris illuſtratur, *ib.* VIII. Argumenta ex evangelio petita, *unicum ovile & unus paſtor*, *ibid.* IX. Chriſto ſummo paſtori unicus in terris paſtor ſubrogatus, *ibid.* Illius ac ſucceſſorum fides deficere non poteſt, *ibid.* Solvendæ omnes circa fidem a Rom. Pontifice controverſiæ, *ibid.* X. Varius ordo relationis curati ad epiſcopum, & epiſcopi ad Papam, *ibid.* XXIV. Papa & epiſcopus plus habent auctoritatis in parochianos, quam parochi, *ibid.* Papæ juriſdictio ordinaria in epiſcopalibus & parochiis demonſtrata, *ibid.* XXVI. Papa de jure divino habet auctoritatem ultra alios epiſcopos, *ibid.* XXX. Univerſalem juriſdictionem accepit a Chriſto, eamque per gradus derivat, in alios, *ibid.* & XXXIV. Apoſtoli pares non fuere, ſed Petro ſubditi, *ibid.* Objectiones de beatis Paulo & Jacobo ſolvuntur, *ibid.* Unicum caput eſſe eccleſiæ illuſtratur, *ibid.* XXXV. A Romano Pontifice omnis juriſdictio eccleſiæ dimanat, *ibidem*, XXXVI. Græcorum de ejus auctoritate teſtimonia, *ibid.* Et Latinorum, *ibid.* Cur Pontificum teſtimonia in propria cauſa maximi fieri debeant, *ibid.* Summa Romani Pontificis in principes poteſtas, *ibid.* XLVIII. Principes Pontificum hoſtes infelices, *ibid.* Ad Romanum Pontificem devolvitur adminiſtratio imperii, vacante ſolio auguſtali, 1320. XIII. & 1322. XIII. Tutorem Regis Caſtellæ tutelam male gerentem adigit Pontifex, ut eam abiiciat, 1320. XXXIV. Pontificis preces implorat Rex Francorum moriens, 1322. XXII. Ille pio non deeſt officio, *ibid.* Oroſius Serviæ Rex natalium dignitati pontificia auctoritate reſtitutus, 1323. XVIII. Lithuaniæ & Ruthenorum Rex profeſſus eſt, ſe in pueritia accepiſſe, Rom. Pontificem eſſe patrem ac dominum Chriſtianorum, *ibid.* XX. Exauctoratus a Joanne XXII. Ludovicus Bavarus, 1324. XXII. Pontifex in edendo decreto fidei errare non poteſt, *ibid.* XXXI. Henricus dux Haleciæ hereſque regni Poloniæ clientem Rom. Pontificis ſe profitetur, 1324. LIII. Wladiſlaus Rex Poloniæ providentia Dei & Apoſtolicæ ſedis ſe Regem eſſe agnoſcit, *ibid.* Ruſſiam Romani Pontificis vectigalem ait, *ibid.* Figmentum de tranſlatione Pontificatus in Fraticellos, 1325. XXIII. & XXVII. Refellitur, *ibid.* XXIV. *& ſeq.* Robertus Siciliæ Rex auctoritate Pontificia promulgatur Florentiæ vacantis imperii adminiſtrator, 1326. III. Papatum ad Ludovici Bavari gratiam oppugnat Marſilius & Jandunus hæreſiarchæ, 1327. XXVII. Contendunt Chriſtum ex neceſſitate Cæſari tributum penſitaſſe, atque ideo pendendum a Romano Pontifice, *ibid.* XXIX. Et Petrum Apoſtolum primatem non fuiſſe, *ibid.* XXX. Et ad Imperatorem ſpectare Pontifices inſtituere & deturbare, *ibid.* XXXI. Id falſum eſſe probatur, *ibid.* An fuerit conceſſa aliquibus Imperatoribus Pontificis inſtitutio, *ibid.* §. Quod. Oſtenditur non conceſſam, *ibid.* Imperatorum teſtimonia, ab ipſis Pontifices non poſſe exauctorari, *ibid.* §. Theodoſius. Inſana hæreticorum probatio ad confirmandam hæreſim, *ibid.* Refellitur, *ibid.* Nefandus error contra Hierarchiam eccleſiaſticam, nimirum ſacerdotes, epiſcopos, & Pontificem in pari gradu eſſe, *ibid.* XXXII. Et eccleſiam neminem punire poſſe, *ibidem*, XXXIII. Refelluntur graviſſimis argumentis, *ibid.* & XXIX. ad XXXVI. Finxit Marſilius Pontifici ſuccedere Cæſarem vacante ſede, *ibid.* XXXVI. Et clerum temporalia habere non poſſe, *ibid.* Refellitur, *ib.* Pontificem in edendo fidei decreto errare non poſſe probatur, 1328. XIII. Ad eum iterum pertinet fidei articulos definire, *ibid.* XV. Decreta fidei a prædeceſſoribus, vel a ſe edita non poteſt reſcindere, *ibid.* Temeritas Bavari in damnando Pontifice oſtenditur, *ibid.* XVII. Pontificis cauſa Deo reſervata, *ibid.*

Non ſpectare ad Cæſarem in reum Pontificem ferre ſententiam, oſtenditur, *ibidem*, & *ſeq.* Nec potuiſſe Papæ legem irrogari, ne ex Urbe abeat ſedemve transferat, *ibidem*, XXI. Ad quem ſpectet jus eligendi Pontificis, *ibid.* XXII. Sola papalis, poteſtas immediate a Deo pendet, regia vero a Deo mediis hominibus, *ibidem*, XXIII. Temporalis poteſtas papali obnoxia, ut ab ea dirigatur ad finem ultimum, *ib.* XXIV. Papalis, quavis terrena ſublimior oſtenditur, *ib.* XXV. Dat illi principium eamque judicat, *ibid.* & *ſeq.* Ejus opera nobiliori modo exercet, *ibid.* Papa poteſt Chriſtianis perduellibus bellum ſacrum inferre, *ibid.* XXVII. Spectat ad Pontificem confirmare Cæſarem, *ibid.* XXVIII. Imperium eſſe a Deo non excludit, quin medio Pontifice, *ibid.* Magis Pontifici obnoxius Imperator, quam ſint cæteri Reges, *ibid.* XXIX. Non exinde iis inferior, ſed ſublimior, *ibid.* Non poteſt Pontifex papali ſolio deturbari, neque a ſynodo œcumenica, niſi eſſet hæreticus, *ibid.* XXX. A quo habeat ſuam auctoritatem Papa, *ib.* Eam non habet ab homine, ſed a Deo, *ibid.* & *ſeqq.* Dona Petri alia perſonalia, alia in ſucceſſores tranſmiſſa, *ibid.* XXXII. Pontifex poteſt Imperatorem exauctorare, *ibid.* XXXVI. Quo juris ordine *ibid.* Quid viri pii de Ludovici, Papam exauctorantis, temeritate ſenſerint, *ibid.* XXXVII. Ut maximum in ſe concitarit odium, *ibid.* XLII. Principes electores creare novum Cæſarem juſſi, *ibid.* XXXIX. Joanna Regina, ſuſcepto Navarræ Regno, ſe ſuaque Pontifici defert, 1328. LXIX. Robertus Scotiæ Rex apoſtolica auctoritate ſacrari poſtulat, 1329. LXXIX. Piis ejus votis obſecundat Pontifex, *ibid.* Vetus mos, ut Pontifex anathematis reis non ſcribat, 1329. XCII. Michael Cæſenas hæreticus contendit Pontifices ſine concilio œcumenico in ferendis fidei decretis errare poſſe, 1331. XI. Refellitur, *ibid.* Non erravit Anaſtaſius II. ut obiicit, *ibid.* Liberius erravit in externo actu, non in ferendo fidei decreto; iterumque Pontificatum adeptus, *ibid.* Inania ſimiliter ſunt quæ de Leone obiiciuntur, *ibid.* Inculcat Geraldus Otho in Michaelem Cæſenatem hæreticum exemplum S. Franciſci in Pontificem obſervantiſſimi, 1331. XIV. Papa revocare poteſt conciliorum generalium & anteceſſorum Pontificum conſtitutiones, quæ non ſunt decreta fidei, *ibid.* XVII. Stetinenſes duces ſui principatus ſupremum imperium Pontifici addicunt, *ibid.* XXIII. Papa tanquam ſummus Chriſtianorum hierarcha principem bella imperatis induciis dirimit, *ibid.* XXVIII. Aragonius Rex acceptæ Sardiniæ ergo vectigal ſolvit, 1333. XXI.

Pontificatus. *Vide*, Pontifex Romanus. Papatus. Juriſdictio eccleſiaſtica.

S. Pontii epiſcopatus excitatus a Joanne XXII. 1317. XII.

Pontius Morentaina Navarræ præfectus fuſus a Cantabris, 1321. XXVIII.

Poteſtas regia non eſt immediate a Deo ut papalis, ſed media humana poteſtate ab eo pendet, 1328. XVIII.

Poteſtas ſpiritualis ob crimina non deperditur, 1328. XXXIII. Poteſt temporalem exauctorare, & quo juris ordine, *ibid.* XXXVI.

Poteſtas temporalis ſpirituali obnoxia oſtenditur, ut ab ea in ultimum finem dirigatur, 1328. XXIV. & *ſeq.*

Poteſtas imperialis. *Vide*, Imperium.

Prædicatorum ordo; ex eo plures ad inferendum gentibus evangelium tranſmiſſi, 1318. IV. & *ſeqq.* Inſtituere gymnaſia in Armenia juſſi ad tradendas latinas literas, fidemque corroborandam, *ibid.* XV. Hæreſim de paupertate detegunt, & inſectantur, 1322. LIV. Quinquaginta ad gentes evangelio colluſtrandas ex comitiis Toloſanis mitti juſſi a Joanne XXII. 1328. LXXXIV. & *ſeq.* In pſeudominoritas excitantur, 1330. LIII. Epiſcopi ex eodem delectu miſſi ad Naſcarinos, ad Montis Albors accolas, & ad Perſas, 1330. LVI, & *ſeq.*

Præſagium; equus S. Georgii depictus horrendis hinnitibus Conſtantinopolitani imperii excidium præſagit, 1321. XVI. Item & columna multis diebus agitata, *ibid.*

Præſules carere auctoritate affirmant pſeudominoritæ, 1318. XLVII.

Præſulum electiones; eas Pontifex pro arbitrio ſibi reſervat, 1322. IV. §. Ad conſtituendam.

Preces fundens B. Henricus Tarviſinus effuſe cadente imbre non perluitur, 1315. IV. Dedignatur Deus intendere oranti, qui orationi non attendit, 1317. IV. Precum vi ereptus incendio juvenis, 1320. LI. Preces publicæ indictæ pro Luſitaniæ bellis ſuſcipiendis, 1322. XVI. Et pro revocanda in Caſtellam publica concordia, *ibid.* XVII. Et pro concilianda Armeniis adverſus Saracenos divina ope, *ibidem*, XX. §. Indixit. Et pace Gallos inter & Anglos componenda, 1326. XII. Indictæ a Joanne XXII. ad extinguendum ſchiſma, 1328. XLVI. Repente tum divinitus converſis rebus, hæreticorum & ſchiſmaticorum potentia concidit, *ibid.* XLVII. XLVIII. Religioſæ familiæ ad fundendas pro eccleſia preces excitatæ, 1329. LXIX. Indictæ ſolemnis divina res ac preces pro cœleſti ope ad liberandum e Mahometanorum manibus terram ſanctam imploranda, 1331. XXX. 1333. XI.

Presbyteri. *Vide*, Sacerdotes.

Primatus Romani Pontificis. *Vide*, Pontifex Romanus. Romana eccleſia. Juriſdictio.

Principibus data monita a Romanis Pontificibus; a Joanne XXII. Clementiæ Francorum Reginæ, 1316. XIV. Et Philippo Regi, 1317. II. & *ſeqq.* Ut Pontificum, Regum, & Principum literas ſuis perlegat oculis, *ibid.* V. Salubribus præceptis Robertum Regem Siciliæ imbuit Pontifex, *ibid.* XXV. Et Eduardum Regem Angliæ, *ibid.* XLV. & *ſeq.* 1319. XIX. & *ſeq.* 1331. XXXV. & *ſeq.* Carolum Francorum Regem, 1322. XXIV. & *ſeq.* Jacobum Regem Balearem, 1324. XXXVII. §. ult. Eduardum Angliæ Regis filium, 1325. XIII. Davidem Regem Scotorum, 1329. LXXXII. Principes Corſicæ inſulæ viros, *ibid.* XXXVIII.

Privilegia; contra ſedis Apoſtolicæ dignitatem privilegia non valere, decernitur, 1327. LIII.

Proprietas, Proprium; rerum proprietatem habuiſſe veteres fideles, probatur adverſus Michaelem Cæſenatem, 1329. XXV. Proprietarius non fit monachus ex rei uſu qui jure adhibetur, *ibid.* XXIX. Proprium in communi non contrarium paupertati evangelicæ, nec voto repudiatum ab Apoſtolis, 1329. XXXVIII.

Pſeudoapoſtoli hæretici matrimonia diſſolvunt, 1318. LI.

Pſeudominoritæ exuſti, 1318. LV. Nonnullorum inter divina ſcurrilitas, 1326. XXII. Injunctæ iis a Pontifice pœnæ, *ibid.* Nonnulli in decreta apoſtolica invehuntur, *ibidem*, XXIII. Comprimi jubentur, *ibid.* Michaelis Cæſenatis, Ochami & aliorum lapſus in hæreſim, 1328. LX. & *ſeqq.* Prædicatores & Carmelitæ in pſeudominoritas excitati, 1330. XLIII. Pſeudominoritarum hæreſis de ſimplice uſu facti abſque jure confecto in Chriſto





& Apoſtolis, 1331. I. Marſilii & Janduni hæreſes hauſtæ a pſeudominoritis, *ibid.* II. Ii a Minoritarum comitiis damnati, *ibid.* XV. & *ſeq.* Reginæ Siciliæ eorum errores propoſiti, *ibid.* XVII. Tranſmiſſus adverſus illos a Pontifice commentarius, *ibid.* Ipſorum fundamenta convelluntur, *ibid.* Actionem judiciariam in pſeudominoritas exerceri jubet Pontifex, 1332. XXIX. & *ſeq.*

Purgatorium negatur a nonnullis Græcis, 1326. XXVIII. In hos cenſura fidei a Pontifice exerceri juſſa, *ibid.* Purgatorio igne expiantur criminum reliquiæ, 1321. XI. Cujuſdam defuncti anima regreſſa in domum mira de pœnis purgatoriis narrat, 1324. LIV.

# R

RAdulphus præfectus Aquitaniæ bellum inter Gallos & Anglos ſua temeritate accendit, 1324. XXXVIII.

Raimundus Aſpellus Clementis V. nepos cæſus, ejuſque theſaurus expilatus, 1314. VI.

Raimundus Lullus a Mauris in Africa odio fidei ſaxis gladiiſque necatus, 1315. V. De ejus doctrina variæ ſententiæ, *ibid.*

Raimundus Lullus rabbinus; peſtiferi ejus libri ſeniori Lullo attributi, 1315. V.

Raimundus Cardona Roberti Regis Siciliæ dux Friderici Trinacrii claſſem Iſchia propulſat, 1320. XVII. A Roberto ſubmiſſus cum exercitu in Vicecomites, 1321. XXIV. Aliquas urbes Galeatio eripit, 1323. XXVI. Ad Mediolanum caſtra promovet, *ibid.* XXX. A Gibellinis propulſatur, *ibid.* A Bavari ducibus acie victus, captuſque, 1324. XII.

Raimundus e Ruffo creatus diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, 1320. XLIX.

Raimundus ordinis Prædicatorum Petro in patriarchatu Jeroſolymitano ſuffectus, 1324. XLIV. Juſſus cenſuram fidei exercere in Cypri accolas, Neſtorianos, Jacobitas, Græcos purgatorium & infernum negantes, & alios hæreticos, 1326. XXVIII.

Raimundus Ruthenenſis epiſcopus S. Pauli creatus Cardinalis a Joanne XXII. 1327. LV.

Raimundus patriarcha Jeroſolymitanus moritur, 1329. XCIV. Succeſſit illi Petrus Paludanus, *ib.*

Rambertus Malateſta Ariminum in perduellionem adverſus Pontificem trahit, 1327. XVI.

Raſcia a Carolo Rege Ungariæ peragrata victoriis, 1322. XV. In eam apoſtolici nuntii pro redintegranda conjunctione cum Romana eccleſia miſſi, 1323. XVI. Propoſita Raſciis fidei orthodoxæ norma, *ibid.*

Raynaldus Ateſtinus Ferrariam Pontifici eripit, 1317. XXX. ob averſa ad imperium ſuprema Ferrariæ jura damnatus judicio, 1324. XIX. Et ob erepta eccleſiæ Comaclum & Adriam, *ibid.*

Raynaldus archiepiſcopus Ravennas concilium Bononiæ celebrat, 1317. LV. Multa pro diſciplina eccleſiaſtica conſtituenda ſancit, *ibid.* Pie moritur, 1321. XLVII. Miraculis coruſcat, *ibid.* Ejus cadaver corruptionis immune ſervatum, *ibid.*

Raynaldus Ravennæ princeps deſignatus archiepiſcopus, 1322. IV. Ex inſidiis cæſus, *ibid.*

Raynaldus Paſſarinus. *Vide*, Paſſarinus.

Raynaldus archiep. Bituricenſis a Joanne XXII. pro conciliandis Belgis internuntius miſſus, 1318. XXIII.

Recinetenſes in pontificium præſidem rebellionem movent, 1319. VII. Latronum ſocietas apud eos inſtituta B. Virginis fucato ſodalitio inſignita, *ib.* Eorum civitas epiſcopalis ſedis dignitate exuta, 1320. XVIII. Accuſantur idololatriæ crimine, 1321. XXXVIII. In eos indicta cruceata expeditio, *ibid.* Funditus delentur, 1322. III.

Redemptio captivorum. *Vide*, Captivorum redemptio.

Reges, Regnum; Francorum Rex inunctione regia delibutus officia regia Pontifici defert, 1317. I. Vetus Regum Francorum cultus, *ibid.* IV. Regno Siculo renuntiavit S. Ludovicus Toloſanus, *ibid.* XI. Romanus Pontifex ſi quempiam regio nomine appellet, non illi novum jus comparat, 1320. XLI. Juſtorum natalium dignitate donari concedit Joannes XXII. Oroſium ad gerendum regios Serviæ honores, 1323. XVIII. Cur Reges inunctione & diademate inſigniantur, 1329. LXXIX. Robertus Scotiæ Rex apoſtolica auctoritate ſacrari poſtulat, *ibid.* Piis ejus votis obſecundat Joannes Papa, *ibid.* *Vide*, Principes. Regibus data monita. *Vide*, Principibus data monita a Romanis Pontificibus.

Regia dignitas diu intermiſſa apud Polonos, revocata, 1319. V.

Reginaldus archiepiſcopus Bituricenſis creatus presbyter Cardinalis tit. SS. Nerei & Achillei, 1320. XLIX.

Regium nomen; nullum jus cuiquam principi accedit, etiam ſi a Pontifice regio nomine compelletur, 1320. XLI. Clementis V. ea de re conſtitutio, *ibid.*

Religioſi; peracta apud religioſos confeſſio apud parochum repetenda non eſt, 1321. XX. & *ſeqq.* Poſſe iis a Papa excipiendarum plebis confeſſionum poteſtatem conferri demonſtratur, 1321. XXVI. Utiles eos eſſe parochis & plebi Chriſtianæ, *ibid.* XXVII. Solvuntur contraria Joannis e Poliaco argumenta, *ibid.* XXVIII. & *ſeqq.* Ob graves cauſas religioſis communicata eſt a Papa juriſdictio, *ibid.* XXXII. Lites intentatæ religioſis a parochis ex quo fonte fluxerint, *ibid.* XXXIII. Religioſi ordines in ſuis cœtibus controverſias fidei dirimere non debent, 1322. LV. Vetiti religioſi ſine ſuperiorum venia inter infideles evangelium promulgare, 1325. XXVI. De jure parochorum & religioſorum controverſia ſopita, 1327. LIII. *Vide*, Parochi.

Relinquere omnia propter Chriſtum ut intelligendum ſit, 1329. XXXI.

Reliquiæ ſanctorum; reperta veſtis S. Albani vivido cruore aſperſa, 1314. XVII. De pulvere ſancti martyris prodigium, *ibid.* Tranſlatio partis reliquiarum S. Ludovici Regis in ædiculam regiam, 1317. VIII. Sanctorum reliquiæ dono miſſæ a Pontifice Regi Luſitaniæ, 1318. XL. A Beatrice Pontifici, *ibid.* Habenda in ſummo pretio ea munera, *ibid.* Celebrata magna pompa tranſlatio reliquiarum S. Ludovici epiſcopi Toloſani, 1319. XXX. Miracula ad illius nomen imploratum edita, *ibid.* S Thomæ Aquinatis corpus poſt decem menſes ſuavem odorem efflat, 1323. LXVI. Tranſlatio capitis S. Martini, *ibid.* LXVII. Reliquiarum S. Eleazari comitis Ariani, *ibid.* LXIX. S. Barbaræ lipſana, ex Aſia deportanda curat Alfonſus Caſtellæ Rex, 1328. LXXXI. Inventæ S. Zenobii reliquiæ, 1331. XLII.

Reſidentia. *Vide*, Præſules. Sacerdotia.

Reſurrectio carnis negata a Matthæo Vicecomite, 1324. IX. Infans a S. Hyacintho ad vitam revocatus, 1331. XLII.

Rhegium in Joannis Regis Boemiæ poteſtatem ſe confert, 1331. XIX.

Rhodus tentata irrito conatu ab Orchane Rege Turcarum, 1322. XLVII.

Richardus Anglicus ad Græcos in gremium eccleſiæ revocandos miſſus, 1333. XIX. Inſtitutus in Gochia Cerſonenſis epiſcopus, *ibid.* XXXVII. Millenum Alanorum principem &

Verſacht Regem Zichorum ad conjunctionem cum Romana eccleſia adducit, *ibid.*

Rivenſis epiſcopatus conditus a Joanne XXII. 1317. XII.

Rizardus Cremonenſis negat contrahi cenſuras inflictas a Pontificibus iis qui merces Ægyptiis invehunt, 1326. XXIV. Damnatur hæreſeos, *ibid.*

Robertus Flandriæ comes negat clientelarem ſponſionem Ludovico Hutino præſtare, 1315. II. Bello ingenti, ſed mox diſſoluto, appetitur, *ibid.* Adverſus Philippum, extincto Hutino, coitionem init, 1316. XVI. Monetur a Joanne XXII. Gallica arma in Saracenos vertenda, *ibid.* Corripitur ab eodem Pontifice, ipſum bellum diuturnum cum Philippo genere, 1318. XXI. Propoſita ei mala ingentia ex eo bello oborta, *ibid.* XXII. Intentata illi divini judicii ſeveritas, *ibid.* XXIII. Fratrem Joannem comitem Namurci inſectatur, *ibid.* XXIV. Pontificiæ ad eum literæ, ne comitem Namurcenſem inſectetur, *ibid.* §. Sedes. Pacem conficit cum Philippo Rege, 1319. XVI. Firmat cum eo affinitatem, 1320. XX. Inde Belgium Atrebatenſi & Burgundico comitatibus auctum, *ibid.* Moritur, 1322. XXI.

Robertus Calabriæ dux, poſtea Rex Siciliæ decretoria ſententia damnatur, 1313. XI. Derivat in eum Imperator diſſenſionis cauſas, *ibid.* XII. Quæ cauſæ Robertum in illum impulerint, *ibid.* Quid in eundem geſſerit, *ibid.* XIII. Capite damnatur, *ibid.* XV. Ut ea ſententia tanquam injuſta reſciſſa ſit a Pontifice, *ibid.* XVII. & *ſeqq.* Illius patrocinium a Francorum Rege ſuſceptum, *ibid.* Intentatum anathema Robertum oppugnantibus, *ibid.* XXI. & *ſeqq.* Belli diſcrimen, oppreſſo divinitus Henrico, effugit, *ibid.* XXIV. De Friderico Rege Trinacriæ, a quo bellum in Calabria illatum fuerat, pœnas repetere molitur, *ibid.* XXX. Ferrariæ præficitur a Pontifice, *ibid.* XXXVI. Creatus in Inſubria Etruriaque vicarius imperii a Clemente Papa, 1314. II. & *ſeqq.* Excipitur Liguria, *ibid.* Ut vocatus ſit a Turrianis ad Mediolanenſem principatum, Matthæo Vicecomite fuſo, *ibid.* V. Auro corruptis ducibus, eam occaſionem amiſerit, *ibid.* In ipſum conferunt Florentini publicam adminiſtrationem, *ibidem*, VI. In eorum opem Petrum fratrem ſubmittit, *ibid.* Ad recuperandam Siciliæ inſulam validiſſimam expeditionem ducit, *ibid.* VII. Drepanum fruſtra tentat, *ibid.* Initis cum Friderico induciis petit Neapolim, *ibid.* Claſſis partem naufragio amittit, *ibid.* Ejus copiæ in Etruria deletæ, 1315. I. Fratrem Petrum nepotemque Carolum amittit in acie, *ibid.* Partem cenſus Jo. XXII. recenter creato Pontifici perſolvit, 1316. V. Ut eundem Joannem ante pontificatum extulerit, ſcrinioque regio præfecerit, *ibid.* VI. Promiſſa illi a Joanne impenſa ſtudia, *ibid.* IX. Creatur ab eodem Pontifice Urbis ſenator, *ibid.* XXIII. Liberatur onere adeundæ curiæ ad clientelarem ſponſionem præſtandum, *ibid.* Collapſæ ejus res in Etruria poſt ejectum Ugutionem inſtauratæ, *ibid.* De fratre Ludovico in ſanctorum numerum relato, ipſi gratulatur Pontifex, 1317. X. Solicitatur ad pacem cum Friderico ineundam, 1317. XXIII. Trinacriam evaſtat, *ibid.* Init cum Friderico inducias, *ibid.* XIX. Rhegium & alias Calabriæ arces arbitri ſententia recuperat, *ibid.* XXI. Fridericus, dum Siciliæ Regis nomen affectat correptus a Pontifice, 1317. XXII. Bertrandi oratoris opera clientelarem ſponſionem Pontifici addicit, *ibid.* XXIII. Geſta ab oratore confirmat, *ibid.* XXIV. Inſtruitur optimis præceptis, *ibid.* Vicariam imperii profecturam decretam a Clemente V. Joannes illi aſſerit, *ibid.* XXIX. Iterum creatur Urbis ſenator, *ib.* Ferrariam adminiſtrorum culpa amittit, *ib.* Gravi bello ab Amadeo Sabaudiæ comite in Pedemontio vexatur, *ibid.* XXXIV. Deſignata die pro tractanda cum Friderico Rege Trinacriæ pace ſedi Apoſtolicæ ſe non ſiſtit, 1318. XXXI. Corripitur a Pontifice, *ibid.* Implicatur Genuenſi bello, *ibid.* Obſidetur Genuæ a Gibellinis, *ibid.* Delata illi a Guelfis Genuæ prætura, *ibid.* Arguitur, inconſulta ſede Apoſtolica ipſum illam excepiſſe, *ibid.* XXXIII. Jubetur Genua diſcedere, *ibid.* Ob hoſtium imminentem vim moras trahit, *ibid.* Gibellinos Genuenſes magna clade profligat, *ib.* IX. Ad Pontificem ſe confert, *ib.* S. Ludovici fratris tranſlationem celebrat, 1319. XXX. Moniti Inſubres, ut Roberto Regi imperii vicario obſequantur, 1320. IX. Philippus comes Cœnomanenſis pro gerenda ejus nomine vicaria præfectura cum exercitu miſſus, *ibid.* Is redire in Gallias turpiter compulſus, *ibid.* Robertus a Friderico Trinacriæ Rege bello appetitus, *ibid.* XIV. Perjurii nota ob id Friderico inuſta, *ibid.* Vetat Pontifex, objecto anathemate, Robertum bello peti, *ibid.* Friderici claſſem duce Raymundo Cardona in fugiam vertit, *ibid.* XVII. Raymundum exercitui in Vicecomites præficit, 1321. XL. Florentiæ præfecturam civibus reſtituit, 1322. V. Ægre comparatas vitæ inſidias evadit, *ibid.* XIV. Filium ad populandam Trinacriam mittit, *ibid.* Ducum opera Januam Gibellinorum obſidione liberat, 1323. XXV. Raymundo Cardona ſubmiſſo, plures Inſubriæ urbes Galeatio Vicecomiti eripit, *ib.* XXVI. Ejus exercitus Mediolano propulſatus, *ibid.* XXX. Dedit Carolo filio magiſtrum conformandorum morum S. Eleazarum comitem Ariani, 1323. LXVIII. Carolum filium maxima inſtructum claſſe ad recuperandam Trinacriam immittit irrito exitu, 1323. IX. & *ſeqq.* Animum divinis rebus addicit, *ibid.* XI. Filium ducem Calabriæ, ad Etruriæ expeditionem mittit, 1326. III. Senæ ejus filio urbis imperium ad quinquennium conferunt, *ibid.* Promulgatur Florentiæ vacuo ſolio imperiali prorex cæſareus, *ibid.* Fridericum Regem Trinacriæ in extremas anguſtias coniicit, *ibid.* XVIII. Trinacriam populatur, *ibid.* Conſulitur a Pontifice pro conciliando Romanæ eccleſiæ Andronico Imperatore, 1326. XXVIII. A Romanis ſenatoria dignitate exauctoratur, 1327. VIII. Joannem Peloponeſi principem ad tuendam adverſus Ludovicum Bavarum Romam mittit, ſed is propulſatur, *ibid.* V. Vaſtat agrum Romanum, & fauces Tyberinas obſidet, *ibid.* In eum Ludovicus Bavarus latam ab Henrico VII. Imperatore capitalem ſententiam repetit, *ibid.* XVIII. Et Romæ, 1328. XLIII. Juſſus a Pontifice Robertus cruentos carbonarii ludos ſupprimere, 1327. L. Una cum Pontifice tanquam hæreticus a Ludovico Baro damnatur, 1328. XXXVII. Piſtorium a Roberti duce interceptum, *ibid.* XLVIII. Ludovicum in Urbe Robertus exagitat, *ibid.* Aditu prohibet, ne in regnum Neapolitanum penetret, *ibid.* XLIX. Romam, ad pontificias partes revocatam, præſidio munit, *ibid.* Ejus adminiſtrationem recuperat, *ibid.* Carolum filium unigenitum morbo extinctum luget, *ibid.* LIX. Monetur a Pontifice, ut Genuenſes a bello Regi Cyprio inferendo retardet, 1328. LXXXVI. Armorum fœdus cum Venetis ſancit in Turcas, *ibid.* A Piſanis de pace poſtulatus, 1329. VIII. Rogatur a Pontifice, ut Piſanos in gratiam admittat, *ibid.* XI. Illum inter & Fridericum Regem Trinacriæ fruſtra tentata concordia, 1329. XVII. Roberto Urbis ſenatoria dignitas ob militum ejus licentiam a Romanis abrogata, *ib.* XVIII. Adverſus Joannem Regem Boemiæ & legatum pontificium conjurat, cum Guelfis & Gibellinis, 1331. XIX. Carolus Rex Ungariæ paternum Salerni principatum ab eo repetit, *ibid.* XXVI. Pontifex adhibitus interpres, *ibid.* Inter Saonenſes & Genuenſes fert concordiæ leges, ut pro Pontifice ſtent adverſus Bavarum, *ibid.* Adverſus Boemum illiuſque fœderatos cum Guelfis & Gibellinis conjurat, 1332. X. Arguitur de ſumpto aliquorum Fraterculorum patrocinio, *ibid.* XX. Solicitatur a Pontifice, ut in Provinciam ad colloquium habendum de bello Syriaco cum Philippo Rege appellat, 1333. XI. Ad Turcas reprimendos cum Venetis, Gallo, Rhodiis, Cyprio, ac Pontifice fœdus init, *ibid.* XIII. XVI. Creatur ſenator Urbis a Pontifice, *ibid.* XXIV. Cum Guelfis & Gibellinis adverſus Boemiæ Regem arma jungit, *ibid.* XXVI. Tentat Trinacriam, *ibid.* XXVII. Carolum Regem Ungariæ venientem excipit, *ibid.* Pronepotem ex fratre Andream Joannæ nepti deſpondet, *ibid.*

Robertus archiepiſcopus Cantuarienſis; de eo ſanctis annumerando poſtulat Joannem XXII. Lanchaſtriæ comes, 1318. XXIX. Rei petendæ modus exponitur, *ibid.*

Robertus Bruſius Eduardum II. maxima clade profligat, 1314. XXVII. Apud illum ſe excuſat Joannes XXII. ſi regium nomen ipſi non impertiatur, 1317. XLII. Excuſationes eas Robertus reſpuit, *ibid.* Eduardum in Hibernia graviſſimo bello urget, *ibid.* Anathemate defigi jubetur, 1318. XXVII. Ejus frater Eduardus invaſor Hiberniæ capite plexus, *ibid.* Negat paciſci fœdus, niſi regio nomine decoretur, 1319. XXI. Warvicum bello occupat, *ib.* Intentata illi de contractis cenſuris inflictiſque Eduardo cladibus actio, 1319. XXII. Pont. obſequitur, *ibidem*. Anglos bello exercet, 1320. XXXVI. Defigitur anathemate, *ibid.* Mittit oratores ad Pontificem, *ibid.* XXXVII. Ejus excuſationes, *ibid.* Vetera cum Gallis fœdera redintegrat, *ibid.* XXXIX. Pontificias literas, niſi regio compelletur nomine, reſpuit, *ibid.* XL. A Pontifice regio nomine compellatur, *ibid.* Biennales inducias cum Angliæ Rege paciſcitur, *ibid.* XLI. Illum bello aggreditur, 1322. XXI. Viciſſim ingenti bellico apparatu petitur, *ibid.* Davidi filio ſororem Eduardi III. in conjugio locat pacemque ſancit, 1328. LXXII. Poſcit veniam a Pontifice, & cenſuris antea contractis ſolvitur, *ibid.* LXXIII. Injunctum illi a Pontifice, ne in Angliam poſthac incurrat, *ibid.* Poſtulat a Chriſti vicario, ut apoſtolica auctoritate regia inunctione Scoticoque inſigni decoretur, 1329. LXXIX. Tum ut decernatur, epiſcopum S. Andrææ ſucceſſores regio balſamo ſacraturum, *ibid.* Ejus mors, *ibid.* LXXXI. Pœnitet illum pro caduco potius regno, quam pro æterno bella geſſiſſe, *ibid.* In prælio adverſus Saracenos ſuum cor deferendum teſtamento cavet, *ibid.* In bello Granatenſi illud ſecum defert Jacobus Duglaſſius, *ibid.* Succedit Roberto in regno Scotico David filius, *ibid.* LXXXII.

Robertus Atrebas de comitatu cum Mathilde comitiſſa contendit, 1316. XV. Philippo IV. Rege judice cauſa excidit, *ibid.* Litem redintegrat ſub Philippo V. *ibid.* In eum conjurat, *ibid.* Conciliatur eidem, *ibid.* XVIII. 1317. XVI.

Robertus dux Bavariæ, idemque comes Palatinus ſentit cum eccleſia adverſus Ludovicum Bavarum, 1329. XVI. Ad ipſum deficit, 1330. XXVIII.

S. Rochus in Italica peregrinatione in xenodochiis pauperibus inſervit, 1327. LVI. Pie obit, *ibid.* A patribus Conſtantienſibus ob cœleſte beneficium expertum in propulſanda lue exhibiti illi ſanctorum honores, *ibid.* Inde ſacella in ejus memoriam divino Numini poſita, *ibid.* Ejuſdem corpus tranſlatum Venetias, *ibid.*

Rodulphus dux Saxoniæ ſentit cum Pontifice adverſus Ludovicum Bavarum, 1331. XXI.

Romana eccleſia; Rex Eduardus Angliam Apoſt. ſedi beneficiariam profitetur, 1316. XXIV. Intermiſſus a multis annis cenſus eccleſiæ perſolvitur, *ibid.* XXV. Mille marcharum vectigal penſitatum, *ibid.* Sardiniam, pontificia beneficentia ſibi aſſeri poſtulat Jacobus Arag. Rex, *ibid.* XXVII. Propoſita geſta cum pluribus Pontificibus, *ibid.* Sardiniam & Corſicam beneficio ſedis Ap. acceptas profitentur oratores ab eo decreti, *ibid.* Orator a Roberto Rege Siciliæ ad Pontificem miſſus ut fidem clientelæ nomine ei devinciat, 1317. XXIII. Pontificia jura non violatum iri ſpondet, *ib.* Robertus geſta ab oratore confirmat, *ibidem*, XXIV. Solicitatus a Joanne XXII. Eduardus Angliæ Rex, ut Cardinalibus legatis fidem clientelæ nomine addicat, *ibid.* XLVII. XLVIII. Ut Joannes Rex Angliam Romanæ eccleſiæ beneficiariam conſtituerit, *ibid.* Legato Cardinali fidem obſtrinxerit, *ibid.* Cenſum ſpoponderit, *ibid.* XLVII. Obſecutus potificiis juſſis Eduardus cenſum mille marcharum pro regnis Angliæ & Hiberniæ perſolvit, *ibid.* XLVIII. De Romanæ eccleſiæ primatu, 1318. XI. Monſpeſſulanus ſedi Apoſtolicæ clientelæ nomine addictus, *ibid.* XXV. Cenſum ei pendit, *ibid.* Rex Trinacriæ Pontifici vectigal pendit, *ibid.* XXXIV. Ferrarienſes & marchiones Ateſtini ad Pontificis imperia redeunt, *ibid.* XLI. Publicis monumentis illuſtrata Romanæ eccleſiæ in Ferrariam jura, *ibid.* Polonia Romanæ eccleſiæ beneficiaria, 1319. II. 1324. LIII. Eccleſiæ Romanæ primatus illuſtratur, 1320. XIX. §. Hæc, 1324. XLIX. Primatum Romanæ eccleſiæ edocet Pontifex, 1321. VII. In rebus eccleſiaſticis ad illius judicium confugiendum, *ib.* Oſtenditur, Papam habere de jure divino auctoritatem ultra alios epiſcop. *ibid.* XXX. Patrum ea de re teſtimonia, *ibid.* Ipſe univerſalem juriſdictionem accepit a Chriſto, *ibid.* Jacobi Regis Aragonum profitentis Sardiniæ regnum ad eccleſiam Romanam ſpectare, literas affert ad Joannem XXII. illius orator, 1325. XVII. & *ſeqq.* Wratiſlavia vectigalis eccleſiæ, 1327. XLIX. Divinæ in Romanæ eccleſiæ hoſtes ultionis plura exempla, 1328. LIII. Alfonſus Aragonum Rex Sardiniam beneficiariam agnoſcit, 1329. LXXXIII. & *ſeqq.* Sacramentum ab Alfonſo ea de re præſtitum admiſſum a Pontifice, *ibid.* LXXXVII. Stetinenſium inſignis in eccleſiam pietas, 1331. XXIII. Mittunt oratores pro ei addicendo ſuo principatu, *ibid.* XXIV. Fiunt eccleſiæ vectigales, *ibid.* Terrarum, quas offerunt, nomina, *ibid.* Traduntur iiſdem jure fiduciario, *ibid.*

Romanæ eccleſiæ ditio; Ferrarienſes mittunt ad Clementem oratores, qui urbem illam eccleſiæ Romanæ eſſe obnoxiam profiteantur, 1328. LV. Fluctuant eccleſiaſtici principatus provinciæ, 1318. XLII. 1320. XVIII. 1321. XXXVIII. & *ſeq.* Plures urbes a Joanne Papa deficiunt, 1323. XXIV. Tumultus in ditione eccleſiaſtica, 1327. XVI. Multæ urbes ad eccleſiæ imperium traductæ, 1328.

LVIII. Dictionis eccleſiaſticæ rebelles ad officium redeunt, 1329. XIX. Melgorii & Montisferrandi comitatus eccleſiæ Romanæ vectigales, *ibid.* XXXI. Pontificiæ ea de re ad Regem Francorum literæ, *ibid.* Mercolium ſedis Apoſtolicæ vectigale, 1332. XXVI. Solutus ab Rege Aragonum Sardicus cenſus, 1333. XXI.

Romani a Cæſarea factione ſolicitantur, ut pontificium dominatum excutiant, 1321. XXXIX. Roma a ſeditioſis in diſcrimen adducta, *ibid.* Conflata conſilia de eripiendo ſummo Pontifici Urbis principatu, *ibid.* Romani ad fidei conſtantiam excitati, *ibid.* Monentur a Joanne officii, *ibid.* Joannem literis rogant, ut Urbi ſedem reſtituat, 1327. IV. Pontificis excuſatio, *ibid.* Repetunt illi eaſdem preces, *ibid.* V. Magiſtratus literæ ea de re ad Joannem datæ, *ibid.* Matthæum Urſinum ordinis Prædicatorum oratorem decernunt, *ibid.* VI. Propoſitum Romam divinitus electam Pontificum ſedem, *ibid.* Queritur Joannes novatum eſſe in Urbe, *ibidem*, VII. Promiſſa hoſti eccleſiæ auxilia, *ibidem*. Non ea expectanda de Romanorum fide & conſtantia, *ibidem*. Commoniti iidem officii, *ibidem*. Pontificii magiſtratus Urbe pulſi, *ibid.* VIII. Roberto Regi Siciliæ abrogata ſenatoria dignitas a Romanis, *ibid.* Sciarra Columna eam ſibi abrogat, *ibid.* Oratores iterum ad Pontificem miſſi a Romanis, *ibid.* Literæ ab iis ſcriptæ ad eundem Pontificem, *ibid.* IX. Denunciant, ni venerit, ſe fœdus cum hoſte inituros, *ibid.* Joannis reſponſum, eveſtigio in Urbem ſe provolare non poſſe, *ibidem*, X. XI. Arguit Romanos ſe dixiſſe acephalos, *ibid.* XII. Hortatur ad priſtinam conſtantiam, *ibid.* XIII. Spondet ſe in Urbem, ſi id præſtent, opportuno tempore acceſſurum, *ibid.* Oratores ad illos mittit, *ibid.* Joannes Card. Urſinus in Urbem juſſus proficiſci, *ibid.* XIV. Ad ſeditionem ſopiendam incumbere, *ibid.* Joannes Achajæ princeps ad idem ſolicitatus, *ib.* Repulſus agrum Romanum vaſtat, *ibid.* Romani cæſi, *ibid.* Rejectus etiam Cardinalis legatus ſuburbana incendit, *ibid.* XV. Romani adverſis factionibus fluctuant, 1328. I. Datum a proditoribus Ludovico Bavaro conſilium, *ibid.* Ejus adventus in Urbem, in eaque ab eo geſta. *Vide*, Ludovicus Bavarus. Cleri & religioſorum pars præcipua Urbe diffugit, *ibid.* II. Romani perduelles coronandi Imperatoris ſibi jus arrogant, *ibid.* Romano clero ob declinatum Bavari commercium gratulatur Pontifex, *ibid.* VIII. Marſilius hæreſiarcha partis reſiduæ ſindicum agit, *ibid.* IX. Lata ad Romanorum applauſum a Ludovico ſententia, ut Pontifex exauctoretur, ſi ab urbe ſine eorum venia abſuerit, *ibid.* XXI. Duo Romæ a ſchiſmaticis necati, *ibid.* XLV. Roma ad Pontificis obſequium revocata, *ibid.* XLIX. Pulſi adverſæ factionis principes, *ibid.* Romani Ludovicum fugant, *ibid.* Illius & antipapæ geſta exurunt, *ibid.* Eoſdem ad mortem depoſcunt, *ibid.* Pontifici ſalutem & victoriam precantur, *ibid.* L. Romani ſe ſuaque contra Ludovicum & antipapam devovent, 1329. XVIII. Joannem verum Chriſti vicarium agnoſcunt, *ibid.* Pontificiæ literæ ut antipapæ & Ludovici Bavari geſta non valere ſint profeſſi, 1330. XXVII. Defectionis veniam a Pontifice poſcunt, *ibid.* XL. Sponſio ad iis præſtita, *ibid.* Revocata ab iiſdem geſta cum Ludovico Bavaro, *ibid.* XLI. Et geſta a Marſilio hæreſiarcha, *ibid.* Execrantur crimen ſchiſmatis, *ibid.* Donantur venia, *ibid.* XLII. Diſſentiones Urbanas ſedare ſtudet Pontifex, 1332. IX. Joannem Papam in Urbem officiis allicere ſtudent, 1333. XXIV. Pontificem Italiæ ſedem reſtituere meditantem retardat Gallus Rex, *ibid.*

Romani proceres mutuo ſe bello appetunt, 1333. XXIV.

Ruffinus pſeudominorita epiſcopale munus ſibi falſo arrogat, 1322. LIV.

Ruſſia ſedis apoſtolicæ vectigalis, 1324. LIII. §. Cum conſtet.

Rutheni Sueciam infeſtant, 1326. X. Magno Regi adverſus eos expeditionem meditam, ſexennalium decumarum pars dimidia attributa, *ibid.*

# S

SAbelli ob ſecutas antipapæ & Ludovici Bavari partes veniam poſcunt, 1329. XVIII.

Sacerdotalis dignitas; ſacerdotem gradu & auctoritate epiſcopo non inferiorem finxit Ærius hæreſiarcha, 1327. XXXII. Idem error a Marſilio & Janduno inſtauratus, *ibid.* Refellitur, *ibid.*

Sacerdotes ſacramentum confirmationis conferre non debent, 1318. IX. Neque conficere ſacrum extremæ unctionis oleum, *ibid.* Debent miſcere aquam vino in calice ad ſignanda plura myſteria, *ibid.* XIII. Sacerdotes Armenii confirmationis ſacramentum conferunt, *ibid.* IX. Docet Joannes XXII. ab epiſcopis conferendum, *ibid.* In veſtibus ſacris ſacerdotum texendis exercebat otia Agnes Regina Ungariæ, 1331. XXV.

Sacramenta contempta a Lollardis, 1318. XLIV. Ea conficiendi poteſtatem a ſanctitate ſacerdotis pendere error pſeudominoritarum, *ibid.* XLIX. A Fraticellis ſacerdotio non initiatis profanata, 1331. VI.

Sacramentalia deriſa a Lollardis, 1318. XLIV.

Sacrilegium; divinæ juſtitiæ exemplum in prædone ſacrilego, 1321. XLIII. *Vide*, Juſtitia divina.

Salmanticenſis academia aucta ſtipendiis a Clemente V. 1313. XXXVII.

Salutatio Angelica. *Vide*, Ave Maria.

Sancia Regina Siciliæ intempeſtiva pietate nuncupato caſtitatis voto, a viro ſejungi affectat, 1317. XXVI. Ad thalamum conjugalem redire juſſa a Pontifice, *ibid.* Afflatos illi a Michaele Cæſenate errores diſcutit Pontifex, 1331. XVII. Contra Fraticellorum errores præmunitur, 1332. XX.

Sancius Rex Balearium beneficiarium Philippi V. Montiſpeſſulani principatus ergo ſe profitetur, 1317. V. In Saracenos Afros claſſem comparat, *ibid.* XXXVII. Decumæ ipſi attributæ, *ibid.* Monitus ut eccleſiæ Tarraconenſis juribus abſtineat, 1321. XLII. Ex ingenti periculo eripitur, *ibid.* Nullis relictis liberis Jacobum teſtamento ſcribit heredem, 1324. XXXVI.

Sanctorum interceſſiones ſpretæ a Lollardis hæreticis, 1318. XLIV.

Sanctorum animæ; eas cœlo non excipi uſque ad diem judicii effutiunt nonnulli Græci, 1326. XXVIII. In hos a Joanne XXII. cenſura fidei exerceri juſſa, *ibid.* *Vide*, Anima.

Sanguis; S. Albani martyris ſanguis poſt plura ſæcula pellucidus rubet, 1314. XXVII.

Saraceni; in eos Francorum, Angliæ, & Navarræ Reges cum pluribus principibus crucis ſymbolum induunt, 1313. VI. Caraſanchoris & Carpandæ in Saracenos expeditio, *ibid.* IX. Eorum adverſus Trinitatem objectiones, 1319. XXXI. Quatuor Minoritas, a quibus in mediis flammis convicti erant, clam necant, *ibid.* XXXII. Saracenorum in-





dulgentia, *ibid.* Philippo Longo parante expeditionem ducere in Saracenos, ii Judæos ſubornant ad aquas veneno inficiendas, 1321. XXX. Atrociſſimis cladibus Armeniam atterunt, 1322. XXXIII. & *ſeq.* Octo millia Saracenorum a ducentis Chriſtianis fuſa, *ibid.* XXXV. Saraceni in Tartarorum imperio Chriſtianos inſectantur, eorumque templa profanant, 1323. III. Chriſtianos, a quibus arma accepere, necant juſta divini Numinis vindicta, *ibid.* XII. Saracenis merces inferri vetitæ, 1324. XLIV.

Sardinia; illam Jacobus bello Piſanis eripere molitur, 1313. XXX. Erepta ex parte ab Alfonſo Aragonio principe, 1323. XXXVII. Ab Aragoniis ſubiicitur, 1324. XXXIV. Maxima ex parte ab Alfonſo Regis Aragonum filio Piſanis erepta, 1323. XXXVII. Aragonius Rex Sardicum vectigal ſolvit Joanni XXII. 1333. XXI.

Sarlatenſis epiſcopatus conditus a Joanne XXII. 1317. XII.

Scaliger. *Vide*, Canis Scaliger.

Sciarra Columna exauctorato ſenatoria dignitate Roberto Rege Siciliæ, Urbi præficitur, 1327. VIII. Ludovico Bavaro favet, 1328. I. Creatus populi ſindicus illum imperiali diademate inſignit, *ibid.* III. Ex eo Columnenſes addidere coronam gentilitio ſcuto, *ibid.* Infeliciter moritur, 1329. XIX.

Scientia ad decernendum non ſufficit, ſed auctoritas etiam requiritur, 1318. LV. An ſcientia ſit clavis, 1329. LXVII.

Sconingia a Danico divulſa regno, & Suedico adjecta, 1331. XL.

Scotia; Pax reſtituta Scotiæ & ſacrorum communio, 1328. LXXII. & *ſeq.* Scotici regni inſignia ſibi, & ſucceſſoribus Apoſtolicæ ſedis auctoritate per epiſcopos S. Andreæ conferri, ab iiſdemque inungi, obtinet Robertus Rex Scotiæ, 1329. LXXIX. & *ſeq.*

Scriptura ſacra; de ejus auctoritate, 1318. LIV. Gratulatur Joannes XXII. Philippo Francorum Regi de ſacrorum librorum lectione, 1328. XI.

Sedes Apoſtolica. *Vide*, Apoſtolica ſedes.

Semenus Luna in archiepiſcopatu Toletano Joanni principi Aragoni ſubrogatus, 1323. XXXVII.

Senæ; Carolo duci Calabriæ ad quinquennium traditur ejus civitatis imperium ob civium diſcordias, 1326. III.

Servia ad Romanæ eccleſiæ conjunctionem redire poſtulat, 1323. XIV. & *ſeqq.*

Servos redimere; Jacobi Regis Aragonum in redimendis Chriſtianis pietas 1321. XL.

Sicilia ſedis Apoſtolicæ vectigalis; Siciliam intentato anathemate invadi vetat Joan. XXII. 1320. XVI.

Sileſia adempta Poloniæ, adjectaque Boemiæ, 1320. IV.

Silveſter Gatta tyrannidem Viterbii corripit, 1322. IV. Lodovicum Bavarum ibi excipit, 1328. I. Tortus a Bavaro ut theſaurum ſuum proderet, *ibid.* LIII. Interficitur ab adverſariis, 1329. XIX.

Simon de Archiaco creatus Cardinalis tit. S. Priſcæ, 1319. XLIX.

Simon archiepiſcopus Piſanus jubetur veſtigare antipapæ latebras, 1330. II. Data illi provincia adigendi antipapæ ad hæreſim & ſchiſma ejuranda ex præſcripta formula, *ibid.* IX. Et illius cenſurarum nexu liberandi, *ibidem.*

Singularis pugna; Rex Balearis provocatus in certamen ſingulare, 1327. XXXIX. Vetat Pontifex impium facinus, *ibid.*

Soltanienſis, archiepiſcopatus conditus in Tartaria, 1318. IV. Francus ordinis prædicatorum creatus primus antiſtes, *ibid.* Attributi illi ſex ſuffraganei, *ibid.*

Sorbonica academia; ejus commentarius in quæſtione de paupertate Chriſti & Apoſtolorum, 1323. XXXVIII.

Spenſerii nimia gratia & auctoritate civile bellum pariunt Anglis, 1321. XLII. Mulctantur exilio, *ibid.* Revocantur, & bellum civile pariunt, 1322. XX. Monetur Hugo Spenſerius, ne in ſe principum iras concitet, 1326. XV. Rapitur ad ſupplicium, *ibid.* XVI.

Spirituales; ſpiritualium ſecta, 1325. XXVII. Excindi juſſa a Joanne XXII. *ibid.*

Spiritualis poteſtas obnoxiam ſibi habet temporalem, ut eam dirigat, 1328. XXIV. Eſt ea ſublimior, *ibid.* XXV. Opera temporalis exercet modo nobiliori, *ibid.* XXVI. Chriſtianos quoſque Reges principeſque delinquentes punire debet, *ibid.* XXVII. Quis juris ordo ſervandus, *ibid.* Spiritualis poteſtatis auctoritas defenditur coram Philippo Rege Francorum a Petro e Cuneriis, 1329. LXXV.

Spiritus Sanctus; ſpiritum ſanctum in ipſa incarnatum fingit Guillelma, flammiſque Mediolani exuritur, 1324. IX. Die ſancto Spiritui ſacro prodita Conſtantinopolis, ut ob perfidiam negatæ ex Filio ejuſdem Spiritus proceſſionis plecti conſtaret, 1327. LII.

Spoletum a Montisferetri comitibus ereptum eccleſiæ, 1320. XVIII.

Stephanus Columna Joanni XXII. adverſus Ludovicum Bavarum & antipapam pro Urbe recuperanda navat operam, 1328. L.

Stephanus epiſcopus Ulyſſiponenſis diſcordiam inter Dionyſium Regem & filium ſeruiſſe accuſatus, 1318. XXXIX. Nullo comparente accuſatore legitimo, judicio ſuperſeſſum, *ibid.*

Stephanus e Pinu Apoſtolicæ ſedis internuntius in utramque Siciliam miſſus, 1319. XVI.

Stephanus Ungarus Minorita ex apoſtata in martyrem verſus, 1333. XLIV.

Stetinenſes duces ſuum principatum Romanæ eccleſiæ fiduciarium conſtituunt, 1331. XXIII. Eorum ea de re literæ, *ibid.* Quo ritu geſta res, *ibid.* XXIV.

# T

TAlayrandus epiſcop. Altiſſiodorenſis creatus Cardinalis a Joan. XXII. 1331. XXXIII.

Tarlatus Piſarum præfectus Piſas a Bavari obſequio ſubducit, & antipapam latebras captare cogit, 1330. I.

Tartari; Tartarorum Imp. Usbech provocatus ad amplectendam fidem orthodoxam, 1318. II. Soltanienſis archiepiſcop. cum aliis ſuffraganeis ad Tartaros tranſmiſſus, *ibid.* IV. Abuſcanus Regis Coſogani Tartari filius Chriſtiana ſacra amplectitur, 1320. I. Multa a Joanne XXII. pro fide amplificanda inter Tartaros decreta, *ibid.* V. Boyſſetam Imp. Tartarorum ſolicitatur ad Armeniam defendendam, 1322. XLI. Provocatur ad fidem Chriſtianam, *ibid.* Usbech Imperator Tartarorum ad eandem ſolicitatus, 1323. II. Armeniæ Saracenis obtritæ clientelam ſuſcipit Tartarus ſubmiſſis viginti equitum millibus, *ibid.* IX. Inter Armenios ac ſoldanum Babylonium pacem conciliat, *ibid.* Tartarorum in Thraciam irruptio, 1324. XXXIX. Amplificata apud eos religio, 1326. XXXI. In urbe Cayton cathedralis ſedes inſtituta, *ibid.* Andreas epiſcopus ab Imperatore neceſſario ad vitam commeatu donatus, *ibid.* Omnes ſectæ toleratæ apud Tartaros, *ibid.* Chriſtiana religio apud eos amplificata, 1319. XCVII.

Elchigadi Imperatori ob ſtudia regia Chriſtianis impenſa actæ a Pontifice gratiæ, *ibid.* Tartari Chriſtiani imperio Usbechi & Elchiday Regum obnoxii præceptis ad fidem pie colendam eruditi, 1330. LV. Nicolaus Minorita creatus Cambalienſis archiepiſcop. 1333. XXXI. De fidei apud Tartaros progreſſu, *ibid.* Magnus Cham ad fidem amplectendam invitatur, *ib.* Item aliis reges invitati, *ibid.* Aliæ ad Tartaros encyclicæ literæ, *ibid.* XL.

Tarviſium ſe clientelæ Pontificis addicit, 1328. LVIII. A Scaligero ad deditionem compellitur, 1329. XIX.

Templa; quam turpe ſit garrire in templis, 1317. III. Obſtringitur a Pontifice Alfonſus Rex Caſtellæ ad condendas in locis ab eo in Granata acquiſitis & acquirendis eccleſias, & clericos ſæculares in iis conſtituendos, 1328. LXXVII.

Templarii; Templariorum magiſter cum alio equite ob confeſſionem ſcelerum revocatam flammis exuſtus, 1313. XXXIX.

Tentatio; S. Eleazarus *in mortis lucta* tentatur a dæmonibus, victorque evadit, 1323. LII.

Terra ſancta; quam indignum ſit terram ſanctam ſub infidelium ſervitute lugere, 1313. II. Philippus Longus Francorum Rex in procintu expeditionis Aſiaticæ morbo corripitur, 1321. XLIV. Ea conſilia ipſius morte diſſipata, *ibid.* Segniter bellum ſacrum agitur, 1326. XXVII. Agitata a Pontifice & Gallo Rege de Syria recuperanda conſilia, 1328. LXXXV. Cor ſuum in ſepulcro dominico condi flagitat Robertus Rex Scotiæ morti proximus, 1329. LXXXI. Philippus Francorum Rex de parando bello ſacro parum ſolicitus, 1332. XXV. Solicitatus a Joanne XXII. ad illud promovendum, *ibid.* XXVI. De bello ſacro decernendo agitatum, 1333. I. Philippus Francorum Rex expeditionis dux creatus, *ibid. & ſeqq.* Precatur illi Pontifex in ſuſcepto conſilio conſtantiam, *ibid.* Conceptum a Philippo liberandæ Syriæ votum, *ibid.* III. Præfixa expeditionis dies, *ibid. & ſeqq. Vide*, Cruceata militia, Preces ſacræ.

Terraconenſis eccleſia; illius jura in Baleares inſulas occupata, 1321. XLII.

Tertii ordinis S. *Franciſci fratres in* ſuſpicionem hæreſeos vocati, 1322. LI. Data præſulibus provincia, ut ipſorum fidem diſcutiant, *ibid.* Qua forma interrogandi in judicio, *ibid.* Plecti ſontes inſonteſque abſolvi juſſi, *ibid.* Tuentur hæreſim, 1325. XX. §. Anno. Dicti etiam Beguini, *ibid.*

Thalmud; renovata contra thalmudiſtas veterum Pontificum decreta, 1320. XXIII. *& ſeqq.* Horrendæ in thalmudicis libris contentæ blaſphemiæ, *ibid.* XXIV. Damnati ii a Clemente IV. *ibid.* XXV. Thalmud addicti Judæi, *ibid.* XXVI. Honorii IV. Papæ contra Judæos conſtitutio, *ibid.* XXVIII. Eorum væſania circa thalmudicos libros, *ibid.* Oddonis epiſc. Card. Tuſculani A. S. L. ſententia in thalmudicos libros lata, *ibid.* XXX.

Thebæ a Catalana ſocietate occupatæ, 1314. VIII.

Theobaldus e S. Euſtachio favet Ludovico Bavaro, ut Roma potiatur, 1328. I. Sceleris veniam poſcit a Pontifice, 1329. XVIII.

Theodoſius; de immunitate eccleſiaſtica ejus ſententia, 1327. XXXI.

Theologi, Theologia; invectus eſt Jo. XXII. in theologos, qui Theologiam conquiſitis philoſophorum fucis inquinabant, 1317. XV.

Thomas Lanchaſtriæ comes cum Eduardo Rege ſimultates exercet, 1317. XLV. Monetur a Joanne XXII. ut redeat in Regis gratiam, *ibid.* Poſcit ab eodem Pontifice, ut Robertum Cantuarienſem archiepiſcopum ſanctorum catalogo aſcribat, 1318. XXIX. In Eduardum ob nimiam Spenſeriorum gratiam bellum gerit, 1322. XX. Captus in prælio damnatur ſententia capitis, *ibid.* XXI.

S. Thomas Aquinas; Neapolitani principes illum in ſanctorum numerum referri poſtulant, 1318. XXX. Duobus Cardinalibus data provincia de miraculis ejus ad ſacrum collegium referendis, *ibid.* De iis cognoſci jubet Pontifex, *ibid.* 1321. XLVI. *& ſeq.* Sanctorum catalogo adiicitur, 1323. LXIV. Literæ ea de re Joannis XXII. in quibus præcipua viri ſancti geſta deſcribuntur, *ibid. & ſeqq.* Ut Dominicanam familiam fuerit ingreſſus, & literis apprime inſtructus, *ibid.* LXIV. Divinitus accipit, ingentes in iis progreſſus ſe facturum, *ibid.* Cœleſtium rerum contemplationi addictus, *ibid.* LXV. Illibatam coluerit caſtitatem, *ibid.* Quantum ab otio abhorreret, *ibid.* Evocatus a Gregorio X. ad concilium Lugdunenſe apud Foſſamnovam decubuerit, *ibid.* LXVI. Mortem ſibi præſagierit divinitus, *ibid.* Quam pie Euchariſtiam perceperit, *ibid.* Quæ ſcripſerat moriens Romanæ eccleſiæ cenſuræ ſubjecerit, *ibid.* Miraculis poſt mortem claruerit, *ibid.* Ejus corpus poſt decem menſes ſuavem odorem ſpirat, *ibid.* Ad ejus preces puer mortuus vitæ reſtitutus, *ibid.* Feſtus illius dies inſtitutus, *ibid.*

Thomas Minorita pollicetur, ſe in mediis ignibus comprobaturum fidem Chriſti, 1319. XXXI. A Saracenis ob fidei confeſſionem ferro obtruncatus, *ibid.*

B. Thomas epiſcopus Herefordenſis miraculis clarus, 1320. XLIII. Sanctorum catalogo apponitur a Joanne XXII. *ibid.* Inſignes ejus virtutes, *ibid.* XLIV.

Thomaſius deſpota a Cephaloniæ comite cæſus, 1318. XXXIV.

Thomaſius antipapæ capellanus publice ſchiſma & hæreſim damnat, 1331. III.

Toletanus archiepiſcopus olim Caſtellæ Regum ſcrinii præfecturam gerebat, 1323. XXXVII.

Toloſa; academia Toloſana privilegiis academiæ Pariſienſis ab Innoc. IV. conceſſis inſignita, 1327. XVI. Aſſerta illi eadem privilegia a Joanne XXII. *ibid.* Toloſanus epiſcopatus S. Ludovici epiſcopi illuſtratus ſanctitate, *ibid.* X. Archiepiſcopali apice inſignitur, *ibid.* XII. In plures epiſcopatus diſgregatur, *ibid.*

Tonſoria ars die Dominico exerceri vetita, 1317. IV.

Torneamenta. *Vide*, Haſtiludia.

Tranſlatio S. Ludovici Regis in ædiculam regiæ Pariſienſis, 1317. VIII. S. Ludovici epiſcopi Toloſani, 1319. XXX. Capitis S. Martini a Carolo IV. Rege Francorum celebrata, 1323. LXVII. Reliquiæ S. Eleazari Pariſiis Aptam tranſlatæ, *ibid.* LXIX. *Vide*, Reliquiæ Sanctorum.

Tranſubſtantiatio fit in ſacramento altaris, 1318. XIV.

Trapezuntinus Imperator a Joanne XXII. ad conjunctionem cum Romana eccleſia ſolicitatus, 1329. XCV.

Tribulatio. *Vide*, Adverſæ res.

Tributum; Chriſtum ex neceſſitate illud Cæſari penſitaſſe, affirmabant Marſilius & Jandunus hæreſiarchæ, 1327. XXIX.

Trinitas; inſana Saracenorum abverſus Trinitatem objectio, 1319. XXXI.

Tudertini ejecto Jacobo Sciarræ Columnæ filio ad eccleſiæ obſequium redeunt, 1330. XL.

Tunetanum regnum; variæ in eo converſiones, 1322. XIX.

Turcæ; exciti Turcæ ab Andronico ſeniore in Europam adverſus nepotem, 1321. XV. A ramano principe Armeniam evaſtant, 1322. XXXIV. Græcos mari vexant, 1326. XXV. Suis excurſionibus exagitant Chriſtianos, 1328. LXXXV. In ipſos auctores Joanne XXII. armorum fœdus ſancitum, *ibid.* Repreſſæ eorum graſſationes, *ibid.* Græcos infeſtant. *Vide*, Græci. Inſulas Egei maris occupant, 1330. LIII. Nicæam Bithyniæ fuſo Andronico juniore occupant, *ibid.* Euboeam vectigalem ſibi ſubiiciunt, 1332. XXII. Achajam infeſtant, 1333. XIII. Inita in eos a Pontifice, Gallo, Siculo, Venetis, Rhodiis, Cyprio armarum ſocietas, *ibid. & ſeq.* Geſta feliciter aliqua in Turcas prælia, *ibid.* XV. Reprimuntur, *ibid.* Andronicus ob eorum graſſationes conjunctionem cum Romana eccleſia expetit, *ibid.* XVII.

Turriani ſolicitant Roberti Regis duces ad Mediolanenſem principatum corripiendum, 1314. V.

# V

VAbrenſis epiſcopatus inſtitutus a Joan. XXII. 1317. XII.

Valliſoletanum concilium, 1322. XVIII.

Vanitas rerum humanarum; humanæ felicitatis inſtabilitas cernitur in Engerrano Marinio regii fiſci in Galliis præfecto, 1315. III. Humanæ vitæ fragilitatem exponit Joan. XXII. 1316. XIV. Ejuſdem humanæ vitæ fragilitatis cum cœleſti gloria collatio, 1322. XXIII. Vitæ humanæ inconſtantia deſcribitur, 1328. LXVIII. *Vide*, Contemptus rerum terrenarum.

Vaurenſis epiſcopatus conditus a Joanne XXII. 1317. XII.

Ubertinus e Caſali pſeudominorita; illius doctrina ſuſpecta perperam a recentiore auctore refricata, 1323. LXIII. Poſtulatus judicio hæreſeos, 1325. XX. Ejus magiſter fuit Petrus Joannis Olivi novator, *ibid.* Priorem Ludovici Bavari ſententiam in Pontificem refercit hæreſibus Fraticellorum, 1328. XI.

Ubertinus nobilis Aretinus ſuffectus Guidoni exauctorato in epiſcopatu, 1326. IV.

Ubertus e Puteo creatus Cardinalis a Joanne XXII. 1317. LV.

Venditio; cur Judæis fideles antiquitus bona ſua vendiderint, 1329. XXVI.

Venenum; eo pluries appetitus Joannes XXII. 1317. LII. Cornu ſerpentinum ad detegenda venena illi a comitiſſa Fuxenſi mutuo datum, *ibid.* Linguaria ſerpentina adverſus venena a Philippo V. Rege dono illi tranſmiſſa, 1318. XL.

Veneti; ut Petro Gradenico duce Veneti de pristina eccleſiæ gratia recuperanda egerint, 1313. XXXII. Tractatum abruperit Marinus Georgius, *ibid.* Hunc redintegrarit Joannes Superantius, *ibid.* Inſignis Franciſci Danduli virtus & charitas in patriam, *ibid.* XXXIII. Soluti cenſuris Veneti, *ibid.* Reſtituti a Clemente priſtinis juribus, *ibid. & ſeq.* Veteribus prærogativis in mercium diſtractione exornati, *ibid.* XXXVI. 1318. XLI. Venetorum dux admonitus, ut hæreticos eorumque fautores in oriente perſequatur, *ibid.* LII. Jadera recuperata a Venetis, 1321. XLV. Conciliati Regi Ungariæ interprete Pontifice, *ibid.* Monentur intentatis minis abſtinere ab invadenda ditione eccleſiaſtica, 1322. III. De eccleſia optime meriti, 1324. XIX. Pontificias partes tuentur adverſus perduelles, 1327. XVI. Damna ingentia patiuntur a Turcis, 1322. XXIII. Objurgantur ſchiſmaticos & hæreticos tolerari in eorum imperio, *ibid.* Paciſcuntur cum Philippo Rege Francorum de ſuſcipienda expeditione Aſiatica, 1333. XI. Ineunt fœdus cum Pontifice & Gallo, Siculo & Cyprio Regibus ad Turcas reprimendos, *ibid.* XIII. XVI. Cenſuris ſoluti, 1313. XXXIII. §. Nos vero. Ad recuperandam Ferrariam Pontifici favent, 1325. IX. §. Tentatunt.

Verba inhoneſta; ea horrebat audire S. Ludovicus Toloſanus, 1317. X. Simile exemplum, 1323. LXVIII.

Vercellenſes in Matthæum Vicecomitem arma corripiunt, 1320. XI. Sub ejuſdem ſuccumbunt potentia, *ibid.*

Veronica, Urbem ingrediente Ludovico Bavaro, abſconſa, 1328. II. A legato ad Baſilicam S. Petri ex eccleſia B. Mariæ Rotundæ magna pompa relata, *ibid.* L.

Verſacht Rex Zichorum ad conjunctionem cum Romana eccleſia redit, 1333. XXXVII. Pontificiæ ad illum datæ literæ, *ib.* XXXVIII.

Ugutio Fagiolanus Piſanorum præfectus, 1314. VI. Lucam impetu expugnat, *ibid.* Eam diripit, *ibid.* Expilat theſaurum pontificium, *ibid.* Florentinos ingenti prælio delet, 1315. I. Petrum & Carolum Neapolitanæ regiæ principes in acie cædit, *ibid.* Piſarum & Lucæ dominatu una die pellitur, 1316. XXIII. Ad Scaligerum ſe ſubducit, *ibid.* Fruſtra Piſas recuperare molitur, 1317. XXXII. Notatur anathemate, 1319. VI. In prælio trucidatur, 1320. XIII.

Vicariatus imperii. *Vide*, Imperium.

Vicecomites a Ludovico Bavaro conjecti in vincula, 1327. III. Redimere auro libertatem juſſi, *ibid.*

Victoria; maritima de barbaris parta victoria, 1322. IV. Alia terreſtris, *ibid.* Victoria de Mauris Granatenſibus relata, 1327. XLI. Pontificiæ de ea literæ, *ibid.* Alia de iiſdem Mauris, 1330. XLVIII. Tartari a Carolo Ungariæ Rege victi, 1331. XXV.

Virginitas; Deiparæ virginitas negata a Lollardis, 1318. XLIV. Eam colit una cum B. Delphina uxore S. Eleazarus Ariani comes, 1323. LXVIII.

B. Virgo. *Vide*, B. Maria Virgo Deipara.

Viſa; cœleſte viſum B. Bernardo Senenſi oſtenſum de Scala ad cœlos pertingente, 1320. L. Anima cujuſdam defuncti reverſa in domum mira de altera vita narrat, 1324. LXIV. Objecta cœlitus ſpecies de Guigonis Delphini impudici morte, 1333. XXII. Oſtenſum pio Monacho Florentiam ob crimina in diſcrimen adductam, *ibid.* XXVI.

Viſio beatifica; agitata a Joanne XXII. quæſtio de viſione beatifica, an ſancti ea potiantur ante judicium, 1331. XLIII. An futurum fruſtra judicium, ſi antea ipſa ſancti fruantur, *ibid.* Cur Joannes plura argumenta pro parte adverſa congeſſerit, *ibid.* XLIV. & 1333. XLVI. Ut varie SS. patres de ea re ſenſerint, 1333. XLVI. Durandi commentarius de viſione beatifica, *ibid.* XLIX. *& ſeqq.*

Vitalis e Furno Minorita errorem Minoritarum, quod Chriſtus nullam proprietatem & dominium in ulla re ſibi retinuïſſet, tuetur, 1322. LXVII. Dicta ſua ſubmittit eccleſiæ, *ibidem.*

Vitenes Ruthenorum Rex multa cum Chriſtianis bella gerit, 1317. L. Provocatur ad amplectendam fidem Chriſtianam, *ibid.*

Viterbium in Silveſtri Gattæ ſervitutem labitur, 1322. IV.

Ultio; Regis Luſitani lex de ultione legibus tantum proſequenda, 1326. XIX.

Unctio extrema. *Vide*, Extrema unctio.

Ungari Aſiatici fidem Chriſti colunt, 1329 XCVI.

XCVI. Ad eos epiſcopos Gemiſcatenſis miſſus, *ibid.*

Ungaria a finitimis infidelibus & ſchiſmaticis evaſtata, 1314. XIII. Ungari adverſus illos excitati, *ibid.*

Voluntas; mel e petra ſugitur, cum in adverſis divinæ nos accommodamus voluntati, 1316. XIV.

Votum; Joannæ Francorum Reginæ vota juſſu Pontificis permutata, 1317. VIII.

Urbanus V. B. Eleazarum Comitem ſanctorum catalogo aſcribit, 1323. LXVIII.

Urbinates. Urbinum; a Friderico comite Montisferetri ereptum Urbinum Pontifici, 1318. XLII. Urbinates, cæſo tyranno, ad eccleſiæ obſequium redeunt, 1322. I.

Uroſius, alia Oroſius Raſciæ Rex; in eum ob perfidiam conjurant Raſciæ proceres, 1318. XXXV. Animantur a Pontifice, *ibid.* Junguntur fœdere Ungarus & alii principes in eundem, *ibid.* A Carolo Rege Ungariæ debellatur, 1320. I. Ad leges impoſitas adigitur, 1322. XV. Redit ad conjunctionem Romanæ eccleſiæ, 1323. XIV. Affinitatem principis Tarentini ambit, *ibid.* Arma pro comparanda Conſtantinopoli offert, *ibid.* Miſſi ad eum internuntii, *ibid.* XVII. Præſcripta fidei profitendæ formula, *ibid.*

Usbech Imperator Tartarorum provocatur ad fidem amplectendam a Pontifice, 1318. II. In Chriſtianos egregie affectus, 1323. I. Solicitatur ut Chriſtiana ſacra amplectatur, *ibid.* II. & 1333. XXXVI. Reprimat Saracenos fidelium templa profanantes, 1323. III.

Uſura; damnati in concilio Viennenſi fœneratores, 1320. XXI. Quare ſit vetita uſura, 1329. XXIV.

Uſus. Uti; rerum uſus ſine jure non religioſorum eſt, ſed furum, 1321. XIX. Uſus nudus facti in non conſumptibilibus quomodo haberi poſſit a Minoritis, 1324. XXXIV. An uſus a proprietate poſſit ſeparari, *ib.* XXXV. Uſus juſtus a jure in conſumptibilibus non ſeparari demonſtratur, 1328. XII. & 1329. XXIII. *& ſeqq.* Uti definitio explicatur adverſus Michaelem Cæſenatem, 1329. XXIV. & XLIV. Simplex uſus facti in conſumptibilibus refellitur, *ibid.* XXVII. XXVIII. & XXXV. Ejus mentio in Scriptura ſacra non fit, *ibid.* XL. Uti quid ſit proprie, *ibidem*. Uſus ſimplicis facti recentiorum figmentum eſt, *ibid.* XLIV. Uſus juſtus ſine jure non ſtat, 1329. XLVI. Nec datur uſus qui neque juſtus ſit, neque injuſtus, *ib.* XLVII. Uſus perfectus conſumptionem tantum ultimatam infert, *ib.* XLVIII. Uſus ſimplicis facti rerum ſine jure aliquo in Chriſto & Apoſtolis damnatus hæreſeos, 1331. I. Illi errori addidere pſeudominoritæ hæreſes Marſilii & Janduni, *ibid.* II.

Waldemarus marchio Brandeburgenſis moritur, 1320. VIII. Exorta inde bella ingentia, *ibid.*

Waldenſes hæretici graſſantur in Pedemontio, 1332. XXXI. Guillelmus parochus ab ipſis cæſus, *ibid.* Hæreticorum ſignifer, *ibid.* Ejus errores, *ibid.* In ipſum & ſequaces judiciaria actio conſtituta, *ibid.*

Walterus hæreſiarcha; ejus hæreſes, 1318. XLIV. Flammis traditus, *ibid.*

Wernerus Pruſſiæ equitum magiſter Pomerania donatus a Joanne Rege Boemiæ, 1319. V. Et Dobrina ac Wladiſlavenſi ditione, *ibid.* Cum Polono de Pomerania certat, initque inducias, 1329. LXXIV.

Willelmus Juliacenſis comes adverſus Granatenſes arma devovet, 1331. XXIX.

Wladiſlaus Rex Poloniæ; illius ad Pontificem literæ, quibus Ruſſiam ſedis Apoſtolicæ beneficiariam profitetur, 1324. LIII. §. Cum conſtet. Dei & Apoſtolicæ ſedis providentia Regem ſe dicit, *ibid.*

Wladiſlaus Lochicus miſſis oratoribus regiæ dignitati a Pontifice aſſeri flagitat, 1318. I. Illius jura adverſus Boemiæ Regem illuſtrata, *ibid.* IV. Queritur de Joanne Boemiæ, Pomeraniam juris Polonici Pruthenis equitibus attributam, 1319. V. In celeberrimis Polonorum comitiis regia dignitate antea intermiſſa decoratur, *ibid.* V. Solicitatur ad vertenda in ſchiſmaticos arma, 1320. III. Filiam Regi Ungaro nuptui locat, *ibid.* IV. Cracoviæ corona redimitur, *ibid.* Solicitatur a Pontifice adverſus Ludovicum Bavarum, 1325. VIII. Brandeburgicum principatum conjunctis Lithuanis vaſtat, *ibid.* Fœdus init una cum cruciferis, 1332. XXVII. Illius obitus, 1333. XXX. Caſimirus filius in regno ſuccedit, *ibid.*

Wratiſlavia capta incenſaque, 1329 LXXIV. Eccleſiæ Romanæ vectigalis, 1327. XLIX.

## Z

ZAbazara Saracenorum ſacerdotes vetiti Mahometis nomen inter Chriſtianos inclamare, 1328. LXXVIII.

Zacharias archiep. S. Thadæi ob fidem orthoxam multis ab adverſariis injuriis appetitus, 1321. VI. Docetur, confirmationem a ſolis epiſcopis conferendam, *ibid.* Oleum infirmorum ab iiſdem conficiendum, *ibid.* VII. In rebus eccleſiaſticis ad ſedem Apoſtolicam confugiendum, *ibid.*

S. Zenobius; ejus reliquiæ repertæ Florentiæ, 1331. XLII. Earum ſolemnis translatio, *ibid.*

Zichorum Rex conjunctioni Romanæ eccleſiæ reſtitutus 1333. XXXVIII.

INDEX



# INDEX ANIMADVERSIONUM

## In quo paginarum numerus indicatur.

## A

ATtrebatenſis Provincia quando adjudicata Burgundiæ duci rejecto Roberto comite, pag. 491.

Aventinus Annalium Boicorum ſcriptor num vitiaverit ſententiam Ludovici Bavari in Joannem Pap. 384.

Azo Mediolanenſis Joanni Bohemiæ regi apprime charus, 509. An adverſarius Joannis Pap. *ibid.* Fœdere inito cum Domino Mantuæ Bergomum invadit, 529. Fugatur ab exercitu regio commiſſa pugna prope Ferrariam, *ibid.*

## B

BErnardi Delitioſi crimina, 106.

Berengarius Compoſtellanus Epiſcopus omnino diverſus ab altero qui juſſu Clementis V. Salmantinam Academiam reſtituit, 123.

Bononienſes compoſiti cum Mutinenſibus Eccleſiæ partes deſerunt Joanne XXII. Pontif. Max. 317. Ad obſequium redeunt, *ibid.* Subjecturi urbem Romano Pontifici legatos mittunt Avenionem ad Joan. Pap. 539. Qui fuerint, *ibid.*

Bononiæ arx quando conſtructa, 529.

Brixienſes omnium primi jugum excutere moliuntur Regis Bohemiæ, 529.

## C

CArolus Francorum Rex ingenti claſſe inſtructa quo anno Panormum acceſſerit, 303. Expugnationis difficultate perſpecta inſulam ferro & igne vaſtat, *ibid.* In Calabriam redit, *ibid.*

Caſtrucii inclyta virtus, res geſtæ, mores, & obitus, 392.

Chriſti paupertas in quo ſita, 203. Num eam imitentur Minoritæ, *ibid.* Quid de Joannis XXII. ea de re ſententia, motibuſque ipſum inter & Minoritas excitatis, *ibid. & ſeq.* Quid item ſenſerit Ubertinus de Caſali, 251.

Chriſtophorus frater Erici Regis Daniæ quo anno aſſumptus ad regnum, 128.

Clementis Pap. V. obitus quo anno ac menſe, 24.

Concilium Senonenſe Ludovico V. Galliarum rege ad quem annum pertineat, 33. Danicum provinciale pro ferenda ope Petro archiepiſcopo in exilium acto, *ibid.* Silvanectenſe in cauſa Petri de Latiliis Epiſcopi Catalaunenſis de parricidio regis Philippi accuſati, 38. Cæſarauguſtanum in quo effecta eſt Eccleſia ipſa Metropolis, 97. Quid in eo actum præterea, quive Præſules convenerint, *ibid.* Num clericis & canonicis non celebrantibus præcepta fuerit trina in anno Euchariſtiæ perceptio, *ibid.* Quid ſtatutum de Beguardis aut Beguinis, *ibid.* Quid de Tertiariis ſororibus S. Franciſci, *ibid.* Adanenſe in Armenia, 248. Conventus Tridentinus præſide Ludovico Bavaro, 334. Terraconenſe a Joanne Patriarcha Alexandrino coactum, 458.

Confeſſio annua Regularibus facta num irrita, 163. An erronea hac de re ſententia Joannis de Poliaco, *ibid.*

## F

FErraria quando Romano Pontifici reſtituta, 99.

Fridericus quo anno & ubi electus Imperator, 25. Imperium cedere cogitur a Ludovico ſibi tantum regio nomine reſervato, 295.

Fridericus Trinacriæ Rex cum Gibellinis Genuæ portum obtinet, 44. Petrum filium ſuum Siciliæ Regem creat, 176. Interdicitur cum tota Inſula a Joanne XXII. *ibid.*

Fratrum quorumdam Minorum hæreſis in Romanum Pontificem, 106. Quomodo punita, *ibid.* Ut martyres laudati a Bernardo Delitioſo, *ibid.* Severius & ipſe multatus a Fidei quæſitoribus, *ibid.*

## G

Ad GAllos Belgaſque componendos quos miſerit legatos Joannes XXII. 86. *& ſeq.*

Genuenſes inſtructa claſſe tum Græcos, cum Genuenſes Gibellinos inſectantur ad Pontum Euxinum, 224. Incaute oppreſſi ſex triremium jacturam patiuntur prope Sinopolim, *ibid.*

Guelphorum & Gibellinorum pugnæ in Genuenſi ditione, 44.

## H

HEnrici Imperatoris obitus quo anno menſe, ac die contigerit, 10. De mortis genere controverſum inter Scriptores, *ibid.* Num veneno interierit, *ibid. & ſeq.*

Henrici fratris Friderici Imperat. reditus in Germaniam quo anno, 184.

## I

JEjunii eſſentia num ciborum diſcrimine corruat, 458.

Indulgentia, quam vocant in mortis articulo, quam antiqua, 318.

Joannis Pap. XXII. in Pontificem electio quo anno, 34. *& ſeq.* Ejuſdem genus, *ibid.* Quos legaverit ad Gallos Belgaſque ut componerentur, 86. Ad Chriſti paupertatem redigere conatur Minoritas & quare, 203. Ejuſdem literæ ad Bartolomæum Electenſem & Bernardum Abbatem quando datæ, 289. Ut hæreticus deponitur a Ludovico Bavaro, 367. De Armenorum orthodoxia ſuſpicatur, 486. Quid opinatus eſſet de animorum beatitudine poſt obitum, 568.

Jo-

Joannis Olivi dogmata quæ fuerint, 307. Quibus & quot diſcutienda commiſſa a Joanne Pap. XXII. *ibid.*

Joannes de Poliaco non omnium primus irritam docuit confeſſionem annuam Regularibus factam, 163. Hac de re non immerito falſi dogmatis arguitur, *ibid.*

Joannes quo anno electus Patriarcha Alexandrinus, 458. Quot concilia celebraverit, *ibid.*

Joannis Bohemiæ Regis expeditio in Italiam quo anno, 509. Azonem Mediolanenſem apprime charum habuit, *ibid.* Peragratis quammultis Longobardiæ Civitatibus in Germaniam rediit, *ibid.*

## L

LEopoldi fratris Friderici Auſtriæ ducis obitus quo anno, 307. An tyrannicam vitam geſſerit, 308. Indulgentiam in mortis articulo a Joan. XXII. obtinuit, *ibid.*

Longobardorum expeditio in Maffæum vicecomitem luculentius expoſita, 130.

Luca urbs in Etruria quo anno direpta ab Ugutione *della Faggiola*, 20. Quid de pecunia eccleſiaſtica in eadem civitate tum temporis depoſita, *ibid.*

Ludovicus quo anno & loco ad Imperium aſſumptus, 25. Quo anno Fridericus, *ibid.*

Ludovici X. Galliarum Regis obitus, 38.

Ludovicus Bavarus oratores mittit ad Joannem XXII. Pontif. Max. 233. Qui fuerint, *ibid.* Ejuſdem in Italiam adventus, 334. Tridenti conventum habet, *ibid.* Certiorem facit Fridericum Siciliæ Regem, ejuſque filium datis literis, *ibid.* In eo conventu diſcuſſa fortaſſe ſententia Joannis Pap. XXII. de Chriſti paupertate, *ibid.* Mediolanum ſe confert, *ibid.* Galeatium vicecomitem principatu ſpoliat & quare, *ibid.* Concilio coacto Joannem Pap. deponit, electo fortaſſe Petro de Corvaria, 335. Petram ſanctam in Tuſcia proficiſcitur, inde Piſas expugnaturus, *ibid.* Lucam revertitur cum Caſtrucio, *ibid.* Eidem tum illam tum alias finitimas civitates aſſerit, *ibid.* Romam contendit, *ibid.* Duplicem *depoſitionis ſententiam in* Joannem Papam dicit & quare, 367. In Germaniam redit, 429.

## M

MArcus Mediolanenſis vicecomes num laqueo præfocatus ab Azone fratre, 419.

Marſilius de Padua & Joannes de Janduno quo anno a Ludovico Bavaro receſſerint, 501.

Mutinenſes Romanæ eccleſiæ adverſantur Joanne XXII. regnante, 317.

## N

NIcolaus Pſeudopapa quot Cardinales creaverit, 387.

## O

ORdo militum de Monteſia quando inſtitutus, & pontificia authoritate probatus, 66.

Ordo quidam militaris in Luſitania ſub Jeſu Chriſti nomine quo anno incœperit, 124. Quis ejuſdem auctor, *ibid.* An idem ac tertius Ordo S. Dominici, *ibid.*

Oſſinii ſeu Oſcinii Regis Armenorum obitus, 148. Ejuſdem ſucceſſor, *ibid.*

## P

PAx inter Philippum Galliarum Regem & Robertum Belgarum comitem fruſtra tentata a Gaucelino Card. legato quo anno conſtituta, 118.

Petrus de Corvaria Antipapa diu latens, tandem reſipiſcens obſequium ultro pollicetur Romano Pontifici, 468.

Philippus Galliarum Rex num jurium Eccleſiaſticarum defenſor Joan. XXII. Pont. Max. 459. An hac de re literas acceperit ab eodem Pontifice, *ibid.*

Pugna decretoria inter Ludovicum & Fridericum de imperio certantium quo anno, 187. Captivus effectus Ludovicus adhuc tamen incolumis ſervatur, *ibid.* Perditiſſimis antea moribus reſipuit, *ibid.* Libertate donatus ad vomitum redit, *ibid.* Infelix obitus, *ibid.*

## R

B. RAimundi Lulli res geſtæ & egregia facinora pro catholica religione propaganda, 32. Ejuſdem celebre martyrium, *ibidem*.

Raimundus Cardona dux Pontificius num in poteſtatem venerit vicecomitum Mediolanenſium, 263. A Florentinis requiſitus adverſus Caſtrucium Lucenſium ducem fit ipſius captivus, *ibid.* Liberatur a Ludovico Bavaro, *ibid.*

Robertus Siciliæ Rex in Fridericum expeditionem parat, & quo anno, 326. Congrediuntur, *ibid.*

## S

SIculum bellum inter Robertum ejuſdem inſulæ & Fridericum Trinacriæ Reges quando recrudeſcere cœpit, 54. Ejuſdem progreſſus & exitus, *ibid.*

## T

THeſaurus Pontificius Lucæ depoſitus num ſubreptus ab Ugutione urbem invadente, 20. Quæ fides hac in re ſit habenda Joanni Villano, *ibid. & ſeq.*

## V

UBertini de Caſali ſententia de Chriſti Apoſtolorumque paupertate, 251. Num hæreſim ſapiat, *ibid.* Cur damnatus fuerit, *ibid.* Ad S. Benedicti Monachos tranſit & quare, 307. Num idcirco a ſententia ſua diſceſſerit, *ibid.* Ad Ludovicum Bavarum confugit, *ibid.*

*FINIS.*